SACRORUM CONCILIORUM NOVA, ET AMPLISSIMA COLLECTIO.

TOMUS VIGESIMUS TERTIUS.

REPRODUCTION

EN FAC-SIMILÉ

TIRÉE A 250 EXEMPLAIRES SEULEMENT

PAR LES PROCÉDÉS ANASTATIQUES

DE

F. M. GEIDEL, A LEIPZIG

POUR

H. WELTER, ÉDITEUR
RUE BERNARD-PALISSY, N° 4, PARIS
ET A LEIPZIG, SALOMONSTRASSE, 16
1903

SACRORUM CONCILIORUM

NOVA, ET AMPLISSIMA COLLECTIO,

IN QUA PRÆTER EA, QUÆ

PHIL. LABBEUS, ET GABR. COSSARTIUS,

Et noviſſime NICOLAUS COLETI *in lucem edidere,*

EA OMNIA INSUPER IN SUIS LOCIS OPTIME DISPOSITA EXHIBENTUR, QUÆ

IOANNES DOMINICUS MANSI

ARCHIEPISCOPUS LUCENSIS EVULGAVIT.

EDITIO NOVISSIMA

AB EODEM OPTIME MERITO PRÆSULE,

POTISSIMUM FAVOREM ETIAM ET OPEM PRÆSTANTE

EM.mo CARDINALI DOMINICO PASSIONEO

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARIO

ALIISQUE ITEM ERUDITISSIMIS VIRIS MANUS AUXILIATRICES FERENTIBUS CURATA,

Novorum Conciliorum, novorumque Documentorum Additionibus locupletata,
Ad MS. Codices Vaticanos, Lucenſes, alioſque recenſita, & perfecta.

ACCEDUNT ETIAM NOTÆ, ET DISSERTATIONES QUAMPLURIMÆ, QUÆ IN CÆTERIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR.

TOMUS VIGESIMUS TERTIUS.

Ab anno MCCXXV. uſque ad ann. MCCLXVIII.

ALMA COLLEGE
263.1
LIBRARY
A318
Alma, California

VENETIIS MDCCLXXIX.

APUD ANTONIUM ZATTA.

SUPERIORUM PERMISSU, AC EXCELL. SENATUS PRIVILEGIO.

(Editio iterata ad Editionis principis exemplum ab Huberto Welter, Bibliopola, Via dicta Bernard Palissy 4, Parisiis MDCCCCIII)

f
BX
825
S3
1971
v. 23

SYLLABUS

EORUM, QUÆ TOMO XXIII. CONTINENTUR.

Quæ hoc Indice ☞ notata ſunt, huic noſtræ Editioni noviter acceſſere.

ANNO CHRISTI

1225 *CONCILIUM GERMANICUM.* 2
☞ Additio ad Conc. German. 8
1226 *CONCILIA PARISIENSIA duo.* 10
☞ Ad Pariſ. conc. additio *ibid.*
CONCILIUM CREMONENSE. 12
LEODIENSE. *ibid.*
☞ Additio ad conc. Leodienſe. 14
☞ *CONC. LONDINENSE.* 16
FUXENSE. 18
WESTMONASTERIENSE. *ibid.*
1227 *PROVINCIALE NARBONENSE.* 20
☞ *TREVIRENSE PROVINCIALE.* 26
VITA GREGORII PAPÆ IX. 38
Ejuſdem epiſtolæ XXXI. 40 & *ſeq.*
Germani archiepiſcopi CP. ad eumdem papam epiſtola G. L. 47
Definitio apocriſiariorum Gregorii IX. G. Lat. 62
Capitula Gregorii papæ IX. contra Patarenoſ. 74
Fragmenta decretorum Gregorii IX. ex libris decretalium excerpta. 109
☞ *Ad Argentinenſem epiſcopum Greg. IX. epiſt.* 113
☞ Gregorii IX. Bullæ. 158
1228 *ROMANUM I. CONCILIUM.* 162
Conventus epiſcoporum & procerum Baſſegiæ, Meldis, Pariſiis. 163
Tractatus Ludovici Regis Franc. & Raymundi Comitis Toloſani in conventu Pariſienſi. 164
1229 ☞ *Ad conventum epiſcoporum & procerum additio* 171
☞ Græcorum Schiſmaticorum Synodus. 175
☞ Conſtitutiones D. Willielmi de Bleys. 176
1228 *Statuta S. Ludovici regis pro libertate Eccleſiæ.* 185
1228 ſeu 1229 ☞ Conſtitutiones Eccleſiæ Barchinonenſis. 188
BITURICENSE CONCILIUM. 192
1229 *TOLOSANUM.* *ibid.*
ARAUSICANUM. 205
ILERDENSE. *ibid.*
TURIASONENSE. *ibid.*
Ejuſdem Concilii acta. 207
1230 ☞ *Mindenſis Eccleſiæ Statuta.* 211
CONCILIUM TARRACONENSE. 213
ROTOMAGENSE PROVINCIALE. 214
1231 ☞ Synodus Remenſis. 222
CONCILIUM APUD CASTRUM GONTERII. 224
☞ Synodus Diœceſana Trevirenſis. 241
CONCILIUM LONDINENSE. 242
☞ Trevirenſis Synodus. 243
1232 ☞ *Conſtitutiones Bonfilii Senenſis Epiſcopi.* 244
☞ *GRÆCORUM CONCILIUM G. L.* 246
1232 Concilia quædam apud S. Quintinum, ſeu Noviomi, Lauduni. 250
1233 Eadem ex membrana Belvacenſi. 254
1233 ☞ Ad concilia in cauſa Belvacenſis Eccleſiæ habita diſquiſitio & additio. 256
1233 *CONCILIUM PROVINCIALE APUD S. QUINTINUM.* 260
1232 Melodunenſis Conventus. 264
1233 *Statuta Raymundi comitis Toloſani ſuper hæreſi albigenſi &c.* 266
BITERRENSE CONCILIUM. 270
NIMPHÆÆ IN BITHYNIA. 278
1234 ☞ Acta Concilii apud Nicæam & apud Nimphæam habiti. 280
1233 Epiſtola, ſeu profeſſio Patriarchæ Nicæni &c. miſſa ad D. Gregor. IX. 307
Decreta Jubelii Turonenſis archiepiſcopi. 320
Meguntinus conventus. 321

ANNO CHRISTI

☞ Ad conventum Moguntinum additio. 324
☞ *MOGUNTINUM CONCILIUM.* 327
Inquiſitiones per archidiaconatus, epiſcopatus Lincolnienſis a ſingulis archidiaconis faciendæ. 328
1234 ☞ Conventus Tarraconenſis. 330
☞ *FRANCFORDIENSE CONCILIUM.* 333
ARELATENSE. 336
ROMANUM II. 344
1235 *Moguntinum conciliabulum.* *ibid.*
Gregorii papæ epiſtola altera. 346
Modus conſtituendi Abbatis exempti apud Anglos. 348
NARBONENSE CONCILIUM. 354
REMENSE APUD S. QUINTINUM VEROMANDUÆ. 365
Supplicatio facta domino regi per deputatos Concilii. 367
REMENSE CONCILIUM COMPENDII HABITUM. 368
PROVINCIALE SILVANECTENSE. 369
Statuta Synodalia Diœceſis Rotomagenſis. 372
Præcepta inedita ejuſdem Diœceſis. 390
Diœceſis ejuſdem nova præcepta. 401
☞ *GRÆCORUM IN ORIENTE FORTE NICÆNUM CONCILIUM G. L.* 406
1236 *REMENSE APUD S. QUINTINUM.* 410
TURONENSE. 412
Conſtitutiones Provinciales S. Edmundi Cantuarienſis Archiep. 416
1237 *Conſtitutiones Alexandri Coventrenſis Epiſcopi.* 429
LONDONIENSE CONCILIUM. 441
Conſtitutiones ſynodales Epiſcopi Anonymi in Britannia. 464
☞ *CONCILIUM CENOMANENSE.* 477
1238 ☞ *TREVIRENSE.* 478
CAMPINACENSE. 485
TARRACONENSE. 497
TURONENSE. 498
1239 ☞ Synodus Moguntina. 501
QUINTINOPOLIPANUM CONCILIUM. 502
☞ Synodus Cairi Jacobitarum Alexandrinorum. 506
☞ *CONCILIUM EDINBURGENSE IN SCOTIA.* *ibid.*
☞ *SODORENSE.* 508
☞ *SENONENSE.* 509
☞ *MOGUNTINUM.* 511
☞ *LONDINENSE.* 512
☞ *TARRACONENSE.* 514
☞ *STROUBINGENSE.* 517
☞ Wenzfordenſis ſynodus. 518
☞ *BITURICENSE CONCILIUM.* 520
1240 *TARRACONENSE.* 521
MELDENSE. 522
SILVANECTENSE. *ibid.*
☞ Ad Silvanectenſe concilium additio. 524
Wigornienſis Synodus. *ibid.*
☞ Ad Synodum Wigornienſem additio. 544
1241 VITA COELESTINI PAPÆ IV. 549
☞ *OXONIENSE CONCILIUM.* 550
Sedes vacans.
1242 *APUD VALLEM GUIDONIS CONCILIUM.* *ibid.*
TARRACONENSE. 554
TARRACONENSE. 560
1243 VITA INNOCENTII PAPÆ IV. 562
Ejuſdem epiſtolæ. 563
1242 ☞ *PERTHANUM IN SCOTIA CONCILIUM.* 601
1243 Sanctio Ottonis. 602
1244 1245 ☞ *CONCILIUM WITSLARIENSE.* 603
1244 *TARRACONENSE.* 604
1245 *OTHONIENSE.* *ibid.*

ANNO CHRISTI

LUGDUNENSE I. GENERALE. 606
Epistolæ quatuor Innocentii Papæ IV. 608
Brevis nota eorum, quæ in I. Concilio Lugdunensi generali gesta sunt. 610
Sententia in Fridericum Imperatorem, 613
Institutiones factæ in eodem Concilio. 619
Acta Concilii Lugd. I. ex Matth. Paris. 633
Capitula Lugd. Concilii a Binio non edita. 647
☞ Ad Lugd. I. Concilium OEcum. additio. 649
☞ In constitutiones Innocentii Papæ IV. Præfatio Editoris. 650
☞ Incipiunt Decretales novissimæ. 651
☞ Statuta Odonis. 683
1243 ☞ *MOGUNTINUM PROVINCIALE CONCILIUM.* 687
1246 *LANCICIENSE.* 689
BITERRENSE. 690
☞ Statuta Synodalia Richardi, 704
Consilium concilii Provincialis Archiepiscopi Narbonensis. 715
CONCILIUM TARRACONENSE. 723
☞ *PROVINCIALE FRITZLARIÆ.* 726
ILERDENSE. 729
ARELATENSE, 731
☞ *Fragmenta Statutorum Ecclesiæ Nivernensis,* *ibid.*
1247 *CONCILIUM COLONIENSE.* 733
TARRACONENSE. 734
☞ Statuta Cenomanensia. *ibid.*
1247 1248 Constitutio Petri S. Georgii, 764
☞ *CONCILIUM PARISIENSE.* 765
SCHENINGENSE, 768
VALENTINUM, 770
TARRACONENSE. 778
URATISLAVIENSE. *ibid.*
1249 ☞ *ULTRAJECTINUM,* 779
MULDORFENSE. *ibid.*
Constitutio Hugonis in Regno Cypri *continetur in Statutis Nicosiensibus relatis post vitam Innocentii VI.*
☞ Statuta Domini Petri Albanensis Episcopi. 781
1250 Constitutiones Eboracenses. 790
EBORACENSE CONCILIUM. 791
☞ Synodus Oxonienses. 793
1251 ☞ *PRUVINENSE CONCILIUM INSULANUM.* 794
Statuta Ecclesiæ Lugdunensis. 798
Constitutio Hugonis Nicosiensis. *in Stat. Nicos.*
1252 *CONCILIUM SENONENSE.* 803
1253. ☞ *PARISIENSE.* *ibid.*
☞ *WORTMATIENSE.* 806
TARRACONENSE. *ibid.*
RAVENNENSE. 808
SALMURIENSE. *ibid.*
APUD CASTRUM GONTERII. 819
☞ Westmonasterienses conventus. 820
LUCENSE CONCILIUM DIOECESANUM. 822
1254 Vita Alexandri Papæ IV. 825
Ejusdem epistolæ tres. *ibid.*
ALBIENSE CONCILIUM. 829
Constitutio Odonis contra Simoniacos *continetur in Statutis Nicosiensibus relat. post Vitam Innocentii VI.*
CONCILIUM PARISIENSE. 853
☞ Ad Parisiense concilium additio. *ibid.*
☞ *CONCILIUM AD S. QUINTINUM.* 856
BURDEGALENSE. 858
COPRINIACENSE. 865
BITERRENSE PROVINCIALE. 876
Statuta S. Ludovici regis pro reformatione morum edita an. 1254, in Biterr. concilio relecta. 877
Constitutiones Synodales Valentinæ Diœcesis. 885
☞ Constitutiones Walterii de Kirkham. 896
1256 ☞ Constitutiones Ægidii episcopi Saresbirienses. 903
1255 *Norwicenses Synodus.* 913
1256 ☞ Rotomagenses Conventus. 916
☞ *SENONENSE CONCILIUM.* 918
☞ *Synodus Strigonienses nationalis.* 920

ANNO CHRISTI

☞ *SENONENSE CONCILIUM.* 922
☞ Provinciale apud Weyle in Dania. *ibid.*
Hugonis Nicosiensis Archiepiscopi statutum contra usurarios *in Statut. Nicosiensibus post vitam Innocentii VI.*
Constitutiones Ægidii ep. Sarum. 922
1257 Ilerdenses Conventus. 926
☞ Statuta Synodalia Ecclesiæ Gerundensis. 928
DANICUM CONCILIUM. 946
LANCICIENSE. 948
☞ *LONDINENSE PROVINCIALE.* *ibid.*
☞ Constitutiones Senenses. 962
☞ Statuta Synodalia Norwic. 966
1258 *MERTONENSE CONCILIUM.* 973
☞ *ALTERUM MERTONENSE,* 974
ROFFIACENSE. 983
MONSPELIENSE. 990
1259 *SCOTICUM.* 994
RAVENNENSE. *ibid.*
☞ Ad Ravennense Concillum additio. 996
☞ *CONCILIUM PROVINCIALE MOGUNTINUM.* 998
1260 *ARELATENSE.* 1002
Synodus Cypria. 1011
COLONIENSE CONCILIUM. 1012
PARISIENSE. 1029
Statuta Guidonis Archiepiscopi Narbonensis. 1030
COPRINIACENSE CONCILIUM. 1032
Alexandri Papæ IV. Constitutio Cypria. 1037
☞ *BURDEGALENSE CONCILIUM.* 1045
Urbanus Papa IV.
1261. ☞ *PONTANUM IN HIBERNIA CONCILIUM.* 1049
Constitutiones synodales Valentinæ Diœcesis. 1050
LAMBETHENSE CONCILIUM, 1059
Ad idem concilium additio. 1072
CONCILIA ubique terrarum celebrata. 1074
CONCILIA DUO BRITANNICA. *ibid.*
MOGUNTINUM. *ibid.*
Vita Urbani Papæ IV. 1075
Ejusd. epistolæ duæ. 1076
☞ *PROVINCIALE MOGUNTINUM CONCILIUM.* 1080
1262 *COPRINIACENSE.* 1106
1263 Constitutiones D. Petri archiepiscopi Burdegalensis. 1110
PARISIENSE CONCILIUM, 1112
Massilienses Synodus. 1114
☞ *CONCILIUM BONARCADENSE.* 1116
1264 *Præceptum Henrici Anglorum regis contra non residentiam prælatorum.* 1117
NANNETENSE CONCILIUM. *ibid.*
PARISIENSE. 1122
BONONIENSE IN GALLIA. *ibid.*
1265 Vita Clementis Papæ IV. 1123
Ejusdem epistolæ tres. *ibid.*
1265 *LONDINENSE CONCILIUM.* 1128
1266 ☞ *TARRACONENSE.* 1130
☞ *CONSTANTINOPOLITANUM.* *ibid.*
COLONIENSE PROVINCIALE. 1132
Statuta Provincialia. 1156
☞ *MAGDEBURGENSE CONCILIUM.* 1161
1267 *AD PONTEM AUDOMARI.* 1166
NORTHAMPTONIENSE. 1168
URATISLAVIENSE. *ibid.*
VIENNENSE. *ibid.*
☞ Ad Viennense Concilium additio. 1178
☞ *CONCILIUM IN DANIA.* 1180
SEDENENSE. *ibid.*
Dignienses Synodus. 1181
Decreta Hungarorum, quæ de Guidone Cardinale susceperunt. 1183
1268 Claromontenses Synodus. 1185
LONDINENSE CONCILIUM. 1213
☞ Ad Londinense concilium additio. 1259
☞ *CONCILIUM APUD PERTAM IN SCOTIA.* *ibid.*
S. Ludovici Francorum regis pragmatica Sanctio. 1262
APUD CASTRUM GONTERII CONCILIUM. 1264

ANNO CHRISTI 1225. Moguntiæ habitum, falso dictum Colonienſe.

CONCILIUM GERMANICUM

ANNO CHRISTI 1225.

SUB PRÆSIDIO CONRADI EPISCOPI.

Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ, ſediſque apoſtolicæ legati, contra ſimoniacos, & concubinarios clericos celebratum, an. Domini MCCXXV. IV. Idus Decembris, tempore Honorii Papæ tertii.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De continentia clericorum.*
2. *De pœnis concubinariorum clericorum.*
3. *De ſcortatoribus clericis ruralibus per archidiaconos corrigendis.*
4. *Quam pœnam judex eccleſiaſticus, aliquem præpropere excommunicans, incurrat.*
5. *Clericos fructus præbendarum ſuarum concubinis & ſpuriis ſuis relinquere non poſſe.*
6. *De clericis excommunicatis vel ſuſpenſis, Divina celebrantibus.*
7. *De clericis coram excommunicatis celebrantibus.*
8. *De publicandis excommunicatis per epiſcopos.*
9. *De patronis laicis clericos ad eccleſias ſimoniace præſentantibus.*
10. *De clericis ſimoniace præſentatis.*
11. *De epiſcopis & archidiaconis clericos ſimoniace præſentatos inſtituentibus.*
12. *De eccleſiis non per mercenarios, ſed paſtores, ſeu ſaltem vicarios perpetuos regendis.*
13. *De committentibus inceſtum cum ſanctimonialibus & canonicis, & de ejuſmodi ſacris virginibus pollutis.*
14. *De his conſtitutionibus conciliaribus publicandis.*

STATUTA CONCILII.

Conradus miſeratione Divina Portuenſis & ſanctæ Rufinæ epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus, univerſis Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, ſalutem in Chriſto Jeſu.

A

I. *De continentia clericorum.*

LIcet multa ſuper continentia clericorum ſanctorum patrum hactenus emanaverint inſtituta: quia tamen adhuc nonnulli clerici lumbos ſuos cingulo continentiæ, ut accipimus, non præcingunt, in animæ ſuæ periculum & ſcandalum plurimorum, non attendentes quoniam ſcriptum eſt: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum Deus veſter*: nos qui nunc demum circa horam undecimam miſſi ſumus, ut nocua de vinea Domini ſabaoth, ex officio nobis injuncto, quantum ipſe dederit, exſtirpemus, quia zelus nos comedit domus ejus, hujus ſacri approbatione concilii duximus ſtatuendum. Præcipimus igitur, ut clerici continenter & caſte vivere ſtudeant univerſi, & maxime in ordinibus ſacris conſtituti, quatenus in conſpectu Dei omnipotentis puro corde & mundo corpore valeant miniſtrare. *Levit. 21.*

ANNO CHRISTI 1225.

II. *De pœnis concubinariorum clericorum.*

Si quis autem clericorum deinceps fuerit deprehensus incontinentiæ vitio laborare, detinendo publice concubinam: nisi post admonitionem canonicam illam a se prorsus expulerit, ex tunc tam beneficio quam & officio spolietur. Si vero nec sic fœtorem suæ libidinis curaverit evitare, quia crescente contumacia crescere debet & pœna, anathematis sententia feriatur. Qui vero obscœ- B nis voluptatibus inhiantes, concubinas usque ad hæc tempora publice tenuerunt, ne delictum præteritum transeat impunitum, eos sub pœnitentiam duximus redigendos: ut, si canonici fuerint, quadraginta diebus in claustris suis in quadragesimali cibo jejunent. Si autem hæc agere contemserint, præpositis & decanis & capitulis ecclesiarum sub anathemate prohibemus, ne præbendarum fructus eis ministrent, nec ad chorum vel ad consortium capituli eos admittant, nisi incœpta dicta pœniten- C tia & peracta, & præstito juramento, quod eas ulterius non resumant. Qui remotas resumere præsumserint, decrevimus eos beneficiis esse privatos, ut illi, ad quorum collationem eorum beneficia pertinent, ea idoneis personis assignent intra tempus in generali concilio comprehensum: alioquin proximus superior ex tunc ea studeat assignare. Si vero decani, vel alii eorum confratres, excessum eorum scientes dissimulare præsumpserint, eos denunciamus excommu- D nicationis vinculo subjacere.

III. *De scortatoribus clericis ruralibus per archidiaconos corrigendis.*

De clericis ruralibus concubinariis expressus rigor superius observetur: quorum archidiaconi, si eos in iniquitatibus voluerint confovere, vel eorum dissimulare excessus, sciant ab officio se suspensos, & si in suspensione permanserint, eos præcipimus per episcopos E suos a dignitatibus removeri: quæ dignitates per eosdem episcopos, vel alios, ad quos earum spectat collatio, personis idoneis assignentur.

IV. *Quam pœnam judex ecclesiasticus, aliquem præpropere excommunicans, incurrat.*

Cap. 1. de sent. excom. in 6.

Quantæ temeritatis & præsumtionis existat, quod qui servare debent canonicas sanctiones, in quibus aperte continetur, quod nullus aliquem sine rationabili causa excommunicare præsumat, eas frangere non formidant; plures non amore justitiæ, sed livore odii, vel favore adversariorum, excommunicationis vinculo innodatos, nullus prorsus ignorat. Quare firmiter prohibemus, ne in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & præsentibus personis idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari admonitio, promulgare præsumat: & si B prælatus contra hoc fecerit, & admonitus errorem suum non revocaverit, per mensem ab ingressu ecclesiæ sit exclusus.

ANNO CHRISTI 1225.

V. *Clericos fructus præbendarum suarum concubinis & spuriis suis relinquere non posse.*

Ad abolendam de domo Domini consuetudinem, vel potius corruptelam seu temeritatem, qua clerici (qui signum pudicitiæ debent ostendere laicis, quibus positi sunt in exemplum) in argumentum finalis suæ impœnitentiæ, fructus præbendarum suarum concubinis vel spuriis suis legant in ultima voluntate; contra eos rigor ecclesiasticus exerceri debet. Quare sub anathemate prohibemus, ne de cetero clerici gratia testandi abutentes, cum de rebus ecclesiæ nullum possint condere testamentum, fructus beneficiorum ecclesiasticorum spuriis suis vel concubinis suis dimittant. Qui vero contra hanc inhibitionem venire præsumserint, in signum suæ perditionis ecclesiastica careant sepultura: & quibus taliter fructus legantur, eis careant ipso jure. Qui autem testamentum tale manu tenere voluerint, & per quorum manus personis illis fructus præbendæ fuerint ministrati, ipso facto sciant se excommunicationis vinculo innodatos: & quamdiu fructus hujusmodi contra hanc institutionem ministrati fuerint, ecclesia ipsa sit sub interdicto posita.

Cap. Quia nos, & cap. Relatum, de testam.

VI. *De clericis excommunicatis vel suspensis, Divina celebrantibus.*

Cum scriptum sit in lege veteri, quod quicumque non obtemperasset sacerdotibus, aut extra positus lapidaretur a populo, aut gladio cervice suppositâ expiaret cruore contemtum; & in primitiva ecclesia inobedientes cuncti de ecclesia rabido * ore dæmonum traherentur: multi nomine sacerdotes, censuram ecclesiasticam contemnentes, excommunicati vel suspensi a prælatis ipsorum,

Deut. 17.

* for. ori dæmonum traderentur.

ANNO CHRISTI 1225.

rum, exigentibus culpis ſuis, & immemores quod epiſcopis & prælatis clavium regni cœleſtis collata ſit poteſtas, attrectare ſibi interdicta myſteria non verentur : contra quos rigorem eccleſiaſticum volumus exerceri. Statuimus igitur ut tales, ſine ſpe reſtitutionis, ab officiis & beneficiis deponantur, & infames & inteſtabiles ſint, & de cetero ad beneficia eccleſiaſtica nullatenus admittantur: niſi, per pœnitentiam approbatam & * converſionem laudabilem, ſedis apoſtolicæ gratiam meruerint obtinere.

* *for.* converſationem.

VII. *De clericis coram excommunicatis celebrantibus.*

Præterea ſunt nonnulli, qui craſſam prætendentes ignorantiam, (quæ cum non excuſet a culpa, nec eos a pœna poterit excuſare) coram his Divina celebrare præſumant, qui excommunicationis vinculo ſunt innodati : dicentes quod eis excommunicatio nec per litteras, nec per nuncios fuerit nunciata : cum ipſi excommunicati impediant ſæpe, ne poſſit ad eos denunciatio vel citatio pervenire, vel malitioſe ſe occultent. Et cum talis ſic merito contumax cenſendus, ſtatuimus ut poſtquam tales excommunicati fuerint, & in vicinis locis publice denunciati, ſacerdos qui coram eis celebraverit, ſimili pœna puniatur.

VIII. *De publicandis excommunicatis per epiſcopos.*

Si epiſcopus aliquem excommunicaverit certa de cauſa, denunciet vicinis epiſcopis per ſuas patentes litteras, ut excommunicatum denunciari faciant, & evitari : & tunc ſine difficultate aliqua vicini epiſcopi excommunicatum faciant publice denunciari, & in diœceſibus ſuis arctius evitari. Si vero epiſcopi fuerint negligentes, & excommunicatis ſcienter communicaverint, tamdiu cathedralium eccleſiarum canonici eis non communicent, quamdiu huic ſalubri ſanctioni contemſerint obedire.

IX. *De patronis laicis clericos ad eccleſias ſimoniace præſentantibus.*

Quoniam in quibuſdam locis Alemaniæ fundatores eccleſiarum, vel hæredes ipſorum, poteſtate, in qua eos eccleſia hucuſque ſuſtinuit, abutuntur, partem decimarum, vel aliarum obventionum eccleſiaſticarum, in quibus jus obtinent patronatus, ſibi retinentes ex pacto, repræſentant clericos ad eaſdem : huic vulneri cancroſo & ſimoniaco cenſuræ ferA rum apponimus, decernentes, ut ex quo conſtiterit patronum hujuſmodi flagitium perpetraſſe, anathemate feriatur, & ejus terra ſupponatur eccleſiaſtico interdicto, donec eccleſiam liberam cum ſuo jure dimittat : ſalvo jure patronatus, quod eis de miſericordia reſervamus, qui poſſunt per juris excuſari ignorantiam.

ANNO CHRISTI 1225.

X. *De clericis ſimoniace præſentatis.*

Qui vero cæca cupiditate ducti, taliter a patronis præſentationem recepeB rint, officio beneficioque priventur, nec ad beneficium vel actus eccleſiaſticos admittantur, niſi cum eis per ſedem apoſtolicam fuerit diſpenſatum.

XI. *De epiſcopis & archidiaconis clericos ſimoniace præſentatos inſtituentibus.*

Epiſcopi vero & archidiaconi, qui talibus ſcienter curam animarum commiſerint, ab inſtitutione & collatione perpetuo ſint ſuſpenſi. Statuimus etiam quod nullus clericus ad curam animaC rum ab epiſcopo vel archidiacono admittatur, niſi prius juraverit, quod nullam in adeptione beneficii, ad cujus curam præſentatur, commiſerit ſimoniam.

Juramentum ante inſtitutionem præſtandum.

XII. *De eccleſiis non per mercenarios, ſed paſtores, ſeu ſaltem vicarios perpetuos regendis.*

Quia enormis quædam conſuetudo in quibuſdam Alemaniæ partibus contra canonicas ſanctiones invaluit, ut ponanD tur in eccleſiis conductitii ſacerdotes vicarii temporales : ne id fiat de cetero, auctoritate legationis qua fungimur, omnibus modis inhibemus. Sed cum vicarius poni debet & poteſt, perpetuo inſtituatur, idque aſſenſu & auctoritate diœceſani, & archidiaconi loci illius : nec epiſcopus vel archidiaconus talem inſtituat, niſi ei de bonis eccleſiæ coram eo tantum fuerit aſſignatum, unde jura epiſcopi & archidiaconi poſſit perſolvere, & congruam & ſufficientem E ſuſtentationem habere.

XIII. *De committentibus inceſtum cum ſanctimonialibus & canonicis, & de ejuſmodi ſacris virginibus pollutis.*

Licet contra nefandos inſidiatores ſacrarum virginum pudicitiæ, pœnæ graviſſimæ ſint inſtitutæ tam canonicæ quam legales : quidam tamen, relaxatis voluptatum habenis, in lacum miſeriæ & in lutum fæcis ſe immergunt, ut

De pœn. diſt. 1. cap. Si quis, & in auth. Si quis, cap. de epiſcopis & clericis.

ANNO CHRISTI 1225.

salutis æternæ coronam, honestatis normam, earumque pudicitiam interpellare præsumant. Contra quos nervum rigoris apponimus, statuentes, ut quicumque pudicitiam sanctimonialium, cujuscumque habitus, ausu sacrilego solicitare præsumserit: ab officio, si clericus fuerit; si laicus, a perceptione corporis Domini noverit se suspensum. Qui vero * sacrilegium vel temerarium carnis commercium cum talibus habuerit, ipso facto excommunicationis sententia se noverit innodatum. Sanctimonialis vero seu canonica quæ hujusmodi crimen flagitiosum perpetraverit, ulterius ad officium aliquod in monasterio nullatenus admittatur: sed in signum iniquitatis suæ, ultima tam in claustro maneat, quam in choro.

* *forte* sacrilegum.

XIV. De his constitutionibus conciliaribus publicandis.

Quoniam memoria hominum dilabitur cum tempore dilabente, ne quis ex nostrarum constitutionum ignorantia velamen in posterum excusationis assumat, in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna excommunicationis districtæ præcipimus, ut archiepiscopi, episcopi, archidiaconi, & decani, in suo singuli concilio annis singulis celebrando eas publicari faciant & servari, pœnam transgressoribus infligendo. Quas etiam abbates & alii ecclesiarum & monasteriorum prælati conscribi faciant, & in suis capitulis frequentius publicari, ut tam ab ipsis, quam a suis subditis inviolabiliter observentur. Acta sunt hæc anno Domini 1225. quarto Idus Decembris.

Eodem in concilio partibus congregatis oblatum est corpus S. Engelberti Coloniensis archiepiscopi recens cæsi a Friderico Isenburgensi comite cognato suo, adversus quem Essediensis ecclesiæ jura tuebatur. Fridericus a legato & concilio excommunicatus est: ut refert Cæsarius in vita S. Engelberti, l. 2. c. 13. Cum eum, *inquit*, excommunicaret cum universis ecclesiarum prælatis illic congregatis, præcepit per omnes provincias legationis suæ, id est, Moguntinensem, Colonienſem, Trevirensem, Bremensem, & Magdeburgensem, in omnibus ecclesiis per omnes Dominicas cum extinctione candelarum eum excommunicari: nec eum solum, sed etiam omnes ejus adjutores, a quibus, vel quorum consilio occisus est præsul: itemque omnes, qui reos necis ejus foverent, vel eis communicarent.

Apud Surium 7. Novemb.

Exhibitæ quoque in eodem concilio sunt Conrado legato litteræ Theoderici Monasterienſis episcopi, & Engelberti electi Osnaburgensis, germanorum fratrum Friderici: quorum prior de sacrilegio se excusavit, paratum se dicens canonice se purgare; alter, episcopum ordinari se petiit. Respondit legatus, se proniorem ad parcendum quam ad puniendum, modo se excusare possint: diemque eis præfixit, quo se purgarent in concilio Leodiensi. *Habitum est illud anno sequenti.*

ANNO CHRISTI 1225.

☞ I. Dominus Conradus Portuensis Episcopus & Legatus, in adventu Domini Concilium celebravit. Ibi ejus præcepto congregati erant diversarum Urbium Episcopi & Abbates multi. Is ob necem Præsulis multum consternatus in sermone suo multis eum in eodem Concilio præconiis extulit, Martyrem prædicans, & cæteris Episcopis, qui bonis Ecclesiarum suarum cognatos, & nepotulos suos infeudant, vel dum ea diripiunt, dissimulant, exemplum eum statuens.

Additamenta hæc debemus Harthzeim Conc. Germ. tom. 3. pag. 524. qui hæc affert ex Emmone Wermensi edito ab Hugone Strivagiensi in Monum. pag. 426.

II. In eodem Concilio ab illo totius Germaniæ Legato Conrado, Fridericus Comes etiam spirituali gladio punitus est, cum enim eum excommunicaret cum universis Ecclesiarum Prælatis illic congregatis, præcepit per omnes provincias Legationis suæ, id est, Moguntinensem, Colonienſem, Trevirenſem, Bremenſem, & Magdeburgenſem in omnibus Ecclesiis per omnes Dominicas cum exstinctione candelarum eum excommunicari: nec eum solum, sed etiam omnes ejus adjutores, a quibus, vel quorum consilio occisus est Præsul, itemque omnes, qui reos necis ejus foverent, vel eis communicarent.

III. Exhibitæ quoque in eodem Concilio sunt Conrado Legato literæ Theodorici Monasterienſis Episcopi & Engelberti electi Osnabrugenſis germanorum fratrum Friderici (ab Isenburg parricidæ) quorum prior de sacrilegio se excusavit, paratum se dicens Canonice se purgare, alter Episcopum ordinari se petiit. Respondit Legatus, se proniorem ad parcendum quam ad puniendum, modo se excusare possint, diemque eis præfinit quo se purgarent in Concilio Leodiensi.

In Concilio Moguntiæ Priores Ecclesiæ Colonienſis pileum Engelberti Archiepiscopi Colonienſis VI. feria, die Beati Willebrordi a Fretherito occisi, primo ter gladio incisum, & sanguine respersum, deinde camisiam cum Wambicio quasi recenter tincto ejulantes, & cantantes; *Videtis Jacob vestimenta* &c. inferebant. Et ipse Cardinalis fleus cum omni multitudine subjunxit: *Fera pessima.* Deinde a Ministerialibus Ecclesiæ Colonienſis accusati sunt principaliter Episcopus Monasterienſis, & Fratres, & Comites multi, Monasterienſis autem quasi moræ impatiens, diem, & locum petiit ad se de objectis expurgandum. Præfixus est ergo ei dies Purificationis Beatæ Virginis, & pro loco Civitas Leodiensis.

Nota Severini Binii.

In hanc Synodum Laurentius Surius ita præfatur: Anno nati Servatoris 1224. Honorius ejus nominis tertius pontifex maximus, in Germaniam legatum misit a latere Conradum Eginonis, quondam monachum & abbatem instituti Cistercienſis, tum vero episcopum cardinalem Portuenſem & sanctæ Rufinæ, virum doctrina & religione celebrem, & cujusdam dynastæ filium. Erant enim id temporis in Occidente quædam morum corruptelæ, quas pontifex amoliri volebat: porro Orientem vexabant Saraceni. Postquam igitur memoratus cardinalis in Germaniam pervenit, synodum hanc coegit anno 1225. quæ cum pleraque habeat lectu digna, in gratiam lectoris huc eam adscribere voluimus, idque tanto libentius, quod hoc loco sustulimus opusculum illud tripartitum, parum opportune in superiori editione concilii insertum, cum nec auctoris certi nomen præ se ferat, nec ab ullo sit concilio profectum. Qua in re non dubitamus, quin eruditus lector nostrum sit consilium probaturus. Quod autem ad hanc synodum attinet, scire debet lector, quæ in ea promulgatæ sunt constitutiones, eas jam dictum cardinalem per omnem Germaniam misisse archiepiscopis, episcopis, archidiaconis & archipesbyteris, quos decanos rurales vocant, eisque severiter mandasse, ut in conciliis annis singulis celebrandis eas publicari & observari facerent.

Intruserat Binius in hanc notam partem narrationis Matthæi Parisii de concilio Biturcensi. Totam suo loco edidimus.

Hanc synodum Coloniæ habitam nescio quo auctore refert Bzovius in annalibus anno 1225. num. 4.

No-

ANNO CHRISTI 1223.

Notæ Gabr. Cossartii S. J.

Editum eſt hoc concilium & in conciliorum collectione, tum Suriana, tum Biniana, & in collectione ſtatutorum provincialium & diœceſanorum eccleſiæ Colonienſis. Ubique vocatur concilium Germanicum, ſive concilium in Alemannia. Et recte quidem, cum ejus conſtitutiones non uni provinciæ Conradus legatus ediderit, ſed per Germaniam totam promulgari juſſerit, ut ex earum capite ultimo apparet.

In regia editione mutatus hic titulus, vocatumque concilium Colonienſe: falſo: cum ex vita S. Engelberti Colonienſis archiepiſcopi, & martyris, conſtet illius recens occiſi corpus deductum eſſe Moguntiam, *ubi dominus Conradus, Portuenſis epiſcopus & legatus, in Adventu Domini concilium celebravit*. Certius deſignari non potuit hoc concilium, cujus ultimo capiti ſubſcriptum eſt, celebratum illud eſſe IV. Id. Decembris.

L. 2. c. 15. apud Sur. Tom. 6.

ANNO CHRISTI 1225.

Cur ergo Coloniæ habitum eſſe nonnulli ajunt? Cur editio regia, Colonienſe vocavit? Hac, opinor, de cauſa, quod primum tenet locum in collectione ſtatutorum eccleſiæ Colonienſis. Verum ſi præfationem iis in illo codice præmiſſam legiſſet regius collector, obſervaſſet Germanicum illud concilium, Colonienſibus præpoſitum eſſe, non quod Coloniæ ſit habitum, ſed quod Conradus legatus ejus conſtitutiones *per omnes eccleſias Alemanniæ mittens, archiepiſcopis, epiſcopis, archidiaconis, & archipreſbyteris, qui decani rurales appellantur, ſevere mandaverit, ut in ſuis ſinguli conciliis eas publicarent. Quamobrem, hæ conſtitutiones*, inquit, *in codice antiquo archiepiſcopalis archivi unde liber ille reſtitutus eſt, ſtatutis provincialibus & diœceſanis exinde a Conrado archiepiſcopo & ejus ſucceſſoribus editis, velut præliminares præponuntur.*

ANNO CHRISTI 1226.

CONCILIA PARISIENSIA DUO.

Adverſus Albigenſes anno MCCXXVI.

Turonenſe chronicon ad annum MCCXXV. refert hæc concilia, quia tum receptam in Galliis annorum rationem ſervat: annus autem Romanus, cujus a Kalend. Januar. ducitur exordium, jam labebatur MCCXXVI. Tertia, *inquit*, die poſt converſionem ſancti Pauli apoſtoli, ſcilicet feria IV. Ludovicus rex Franciæ & legatus generale concilium Pariſius celebrarunt. In quo idem legatus, auctoritate domini Papæ Raimundum comitem Toloſanum, ſuoſque complices, excommunicavit: & terram illius, tamquam damnati hæretici, Ludovico regi Franciæ & hæredibus ejus in perpetuum confirmavit. Amorricus * etiam comes de Monteforti, & Guido patruus ejus, quidquid juris habebant in prædicta terra, regi Franciæ & illius hæredibus quitaverunt: & litteras inde confectas eidem regi protinus reddiderunt. Quo facto rex, habito diligenti conſilio, ſequenti feria ſexta, cum omnibus fere epiſcopis & baronibus regni ſui ſigno crucis Dominicæ inſignitur, ut a vinea Domini Dei ſabaoth, quam jamdiu aper ille Toloſanus exterminaverat, inutilia eradicaret, & utilia propagaret. Sicque legatus, ſuper fide regis & principum commotus nimia pietate, per regni provincias delegat viros probabiles, qui in remiſſionem omnium peccatorum crucem aſſumendam contra Albigenſes hæreticos prædicarent: & excepto voto peregrinationis Jeroſolymitanæ, eos ab omnibus aliis votis, necnon & delictis, abſolverent. Cum aſſenſu etiam quorumdam epiſcoporum addidit legatus in hoc gratiam pietati, quod quolibet anno uſque ad quinquennium centum millia librarum ſuper decimam redituum & proventuum clericorum promiſit regi coram omnibus ſe daturum: & ſi ad hoc decima non poſſet ſufficere, (ex) theſauro ſanctæ eccleſiæ traditurum.

* Amalricus.

Concilium alterum ibidem refertur aliquanto poſt his verbis: Poſtea in Dominica qua cantatur, Lætare Jeruſalem, ſcilicet IV. Kal. April. Ludovicus rex apud Pariſius concilium convocavit. Ibique multa cum legato, epiſcopis, & baronibus tractans de negotio Albigenſi, univerſis & ſingulis regni ſui, qui ei debebant exercitum, mandavit per litteras, & præcepit ut quarta Dominica poſt reſurrectionem, in occurſum ejus cum armis debitis apud Bituricas convenirent.

AD PARISIENSE CONCILIUM

Adverſus Albigenſes anno 1226. *habitum*

ADDITIO.

Ex Manſi Suppl. Tom. II. pag. 954.

Literæ Romani Cardinalis & A. S. L. in hoc concilio datæ, in quibus de rebus tunc actis utcumque erudimur, extant apud Martene Anecdot. tom. 1. pag. 931. in aliis literis ab epiſcopo Rothomagenſi datis inſertæ; quin & utraſque complectitur & continet epiſtola Abrincenſis epiſcopi ibidem. Geminas illas Rothomagenſis & Abrincenſis hic omitto, utpote ad noſtram rem non pertinentes; ſed ab his ſecretas Romani A. S. L. literas, ad rem præſentem facientes, ſtatim do.

EPISTOLA ROMANI CARD. A. S. L.

Ad Theobaldum archiepiſcopum Rothomagenſem.

Venerabili in Chriſto patri Dei gratia Rothomagenſi archiepiſcopo, Romanus eadem gratia Sancti Angeli diaconus cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Rex regum & Dominus dominantium Jeſus Chriſtus, qui ſe cum eccleſia ſua promiſit uſque ad finem ſæculi permanſurum, nec permiſſurum quod adverſus eam mortis portæ prævaleant, nolens eamdem in fluctuum turbationem deficere, in cujus manu ſunt omnia corda regum, & quo voluerit vertit illa; diebus iſtis ad revelationem ejuſdem, quæ miſerabiliter peccatis noſtris exigentibus erat ab inimicis pacis & fidei depreſſa, mirabiliter operando; Regis Franciæ illuſtris cordi ratione * ſuæ gratiæ ex alto infudit, quod divina gratia faciente, negotium pacis & fidei contra hæreticos terræ Albigenſis in ſe aſſumens, ad honorem Dei & eccleſiæ, crucis vivificæ a nobis

* f. rorem

eſt

☞ est charactere insignitus, ad purgandam terram illam ab hæretica pravitate, & ad relevationem in illis partibus ecclesiæ Dei, quæ jam esse submersa penitus videbatur; cum quo plures archiepiscopi, episcopi, comites, & barones, & magnates regni Franciæ crucis similiter assumserunt (insignia,) propter quod eundem regem, familiam suam, & regnum suum, & omnes qui in hoc negotio ibunt, & personaliter laborabunt, in ecclesiæ protectione suscepimus, quamdiu fuerint in servitio Jesu Christi. Excommunicamus, & excommunicatum denuntiamus R. filium R. quondam comitis Tolosani, fautores, complices suos, & omnes qui consilium & auxilium eidem dederint contra ecclesiam Dei & fidem christianam, & contra Regem Franciæ, qui pro eadem defendenda laborat. Item excommunic. omnes illos, qui guerreabunt, vel invadent regnum Franciæ, sive sint de regno, sive de extra regnum; statuentes ut sententia excommunicationis nullatenus absolvantur, donec de damnis & injuriis dicto regi & suis satisfecerint competenter, & egrediantur regnum illi guerreatores vel invasores, qui sunt de extra regnum. Item excommunicamus omnes illos, qui sunt de regno Franciæ, qui inter se guerram moverint, nec treuguam, vel pacem fecerint ad mandatum dicti regis. Quia vero regnum magnum est, & magnos sumtus exigit & expensas, promisimus, sacro approbante concilio Bituricis congregato, eidem regi dare decimam omnium proventuum ecclesiasticorum legationis nostræ, usque ad quinquennium, si negotium tantum duraverit, deductis expensis illis, quæ proveniunt ex cultura vinearum & agrorum. Decimam autem illam prælati non solvent, nec clerici de familia sua, qui personaliter in hoc negotio laborabunt, nec alii quos nos & rex prædictus elegerimus ad personaliter laborandum in negotio supradicto. Fiet autem solutio decimæ duobus terminis per annum, videlicet in festo omnium SS. & in Pascha: & incipiet prima solutio in instanti festo omnium SS. Quocirca paternitatem vestram rogamus, & monemus attentius, qua fungimur auctoritate, mandantes, quatenus excommunicationis sententias prædictas per vestram provinciam denominari publice facientes, verbum crucis per personas discretas & litteratas, nec ecclesiis onerosas in eadem prædicari faciatis. Concedentes illis catholicis, qui crucis assumto charactere ad exterminium eorumdem supra hæreticorum se accinxerint, & in personis propriis laboraverint, & expensas (contulerint,) necnon & illis, qui in personis propriis illuc non accesserint, sed in suis dumtaxat expensis juxta facultatem & quantitatem suam viros idoneos demonstraverint; ut illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accepserint, ut illa gaudeant libertate, illoque privilegio sint muniti, quæ accedentibus in Terræ sanctæ subsidium conceduntur. Hujus quoque remissionis denuntiantes esse participes, juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum, qui ad subventionem prædicti negoti Jesu Christi de bonis suis congrue ministrabunt, aut circa prædicta consilium & auxilium impenderint optimum. Monemus etiam discretionem vestram, & hortamur in Domino Jesu Christo, quatenus suffraganeos vestros ad hujusmodi Christi obsequium invitetis, ut signum crucis, tam vos, quam episcopi, accipiatis pro amore illius, qui pro vobis sanguinem suum fudit. Sic enim studeatis in hoc opere sollicitius vigilare, quod proximos ipse caritatis vestræ ardor accendat, vosque præter bonæ famæ meritedem, æternum possitis præmium a Domino expectare. Scientes quod præfatus rex ad mensem post festum Resurrectionis Dominicæ proximum erit Bituri personaliter cum exercitu suo, concedente (Deo,) profecturus viriliter & prudenter contra hæreticos supradictos, nosque similiter tunc ibidem personaliter erimus cum eodem. Datum Parisius nonis februarii. ☜

ANNO CHRISTI 1226.

ANNO CHRISTI 1226.

CONCILIUM CREMONENSE

ANNO MCCXXVI. CELEBRATUM.

IDem *Turonense chronicon*. Anno, *inquit*, Domini MCCXXVI. & Friderici Imp. XI. & Ludovici regis IV. idem imperator apud Cremonam Italiæ concilium celebravit super extirpatione hæreticorum Italiæ, & negotio terræ sanctæ, & concordia civitatum. Sed urbes Italiæ, ob adventum ejus confœderatæ, ei obedire eumque recipere noluerunt: immo eum inefficacem redire versus Appuliam compulerunt.

CONCILIUM LEODIENSE

A CONRADO S. A. L. CELEBRATUM.

Anno MCCXXVI. ubi inter cetera animadversum in fratres Friderici, a quo S. Engelbertus interfectus.

[a] Vita S. Engelbert. l. 2. c. 13.

FRiderici, *a quo interfectum S. Engelbertum Colonienſem archiepiſcopum paulo ante vidimus in concilio Germanico; fratres duo, alter Monaſterienſis epiſcopus, alter Oſnaburgenſis electus, cum ſe Conrado legato in concilio Moguntino, ſive Germanico; obtuliſſent*: diem eis prætixit, *ait Cæſarius*, quo ſe purgarent in concilio Leodienſi. Quo cum veniſſent, nobilibus conductum eis, ex mandato cardinalis legati, præſtantibus; nec ſe canonice cum ſeptem epiſcopis purgare poſſent, primoribus Colonienſibus multiſque aliis eos accuſantibus; legatus ex conſenſu epiſcoporum

rum plurimorum qui præſentes erant, ad dominum papam illos tranſmiſit. Cui etiam inter cetera hæc ſcripſit: Examini veſtro dirigimus hos duos epiſcopos, graviter de domini Engelberti nece infamatos. *Et multo poſt:* Theodoricus epiſcopus Monaſterienſis, cum fratre Engelberto in Oſnaburgenſem epiſcopum electo, in concilio Leodienſi ſuſpenſi, Romam profecti ſunt. Profectus eſt etiam cum eis Fridericus eadem ſpe, qua & illi. Cumque aliquandiu in curia manſiſſent epiſcopi, nec proficerent, eo quod ſe ſufficienter purgare non poſſent, procuratoribus eccleſiæ Colonienſis reclamantibus, & litteris principum eos accuſantibus, ambo depoſiti ſunt. Et non multo poſt, tum ex dolore, tum, quod credibilius eſt, ex Divina ultione, mortuus eſt Theodoricus, & in ſolo pelegrino ſepultus. *Pergit narrare miſerabilem Friderici ac ſuorum mortem.*

ANNO CHRISTI 1226.

ANNO CHRISTI 1226.

At magnum chronicon Belgicum, ait in Leodienſi concilio, contra Friderici fratres fuiſſe probatum, quod fratrem jam ubique excommunicatum de ſubſtantia ſua & de militibus juviſſent contra eccleſiam, & contra imperium, & quod alter eorum fratri Friderico verbum dixerit, unde magis eum in necem archiepiſcopi animaverit. Quid multa? ſuſpenſi ſunt ab officiis, epiſcopus etiam a beneficiis: & Romam ire compulſi, depoſiti ſunt, & alii in locum eorum inſtituti.

☞ AD CONCILIUM LEODIENSE

In cauſa necis S. Engelberto Colonienſi archiepiſcopo collatæ

Anno 1226. *habitum*

ADDITIO.

Ex Manſi Suppl. Tom. II. pag. 955.

De nece S. Engelberti Colonienſis archiepiſcopi quæſtio inſtituta eſt in concilio Moguntino, quod Germanicum Labbeus appellat, ut notat Coſſartius ad idem concilium. Criminis hujus reus convincitur Fridericus Iſemburgenſis comes, cui proinde anathema a Patribus dictum. Molitionis ejuſdem ſuſpicione aſperſi ſunt pariter Theodoricus Monaſterienſis epiſcopus & Engelbertus electus Oſnabrugenſis, qui ea de cauſa ſiſtere ſe judicio juſſi ſunt. Quid in eo acciderit, licet non ſilet Labbeus, fuſius tamen narratur in Chronico Emmonis Abbatis Werum, ſeu Floridi Horti in Friſia, vulgato a Matthæo Analect. tom. II. pag. 84. *edit. anni* 1738. *Ita vero ibi.*

ILlis diebus dominus Conradus cardinalis, epiſcopus Portuenſis & S. Rufinæ, cum Teutoniam viſitaret, ad inſtantiam epiſcoporum, & omnium prælatorum eccleſiæ, nec non illuſtris Henrici filii Fretherici, celebrare conſtituit concilium in civitate Maguncinæ, in quo priores eccleſiæ Colonienſis pilleum ſuum primo ter gladio inciſum, & ſanguine reſperſum, deinde camiſiam cum Wambicio, quaſi recenter tinto ejulantes & cantantes: *videtis Jacob veſtimenta &c.* inferebant; & ipſe cardinalis flens cum omni multitudine ſubjunxit: *Fera peſſima &c.* Deinde a Miniſterialibus eccleſiæ Colonienſis accuſati ſunt, principaliter epiſcopus Monaſterienſis & fratres & comites multi. Monaſterienſis autem quaſi moræ impatiens diem & locum petiit, ad ſe de objectis expurgandum. Præfixus eſt ergo ei dies Purificationis Beatæ Virginis, & pro loco civitas Leodienſis. Interea collegit expenſas, & invitavit priores eccleſiæ cathedralis, necnon & priores totius epiſcopatus, videlicet abbates, præpoſitos, priores, & Decanos. Invitavit quoque epiſcopos Bremenſem, Verdenſem Iſonem comitem de Welpa, qui Verdenſem eccleſiam annis 26. adminiſtravit, Mindenſem, Trajectenſem; & occurrit in comitatum ſuum Mindenſis cum fratre ſuo Oſnaburgenſi. Aderant & abbates Friſiæ, ſancti Bernardi, Floridi-Horti, & de Doccum. Et profecta eſt omnis multitudo VI. Kal. Febr. proxima feria poſt converſionem ſancti Pauli. Et ſolutum eſt gelu forte, & tendebant verſus Auſtrum. Euronothus & Africus flatibus & imbribus valde homines, & jumenta fatigarunt. Primo igitur die feſti venerunt ad Lippiam, ſecundo Duzburch, tertio Nuſſiam, quarto Ruram, quinto Aquaſgrani, VI. videlicet in Purificationis vigilia, Leodium. Die igitur Dominico mane facto in equis pompatice ibant ad eccleſiam beati Lamberti cathedralem, & expectantibus epiſcopis & omnibus, poſt horam primæ, venit Vicarius quidam, & officium Miſſæ cœpit legere ſine cantu. Eccleſia namque Colonienſis pro ſigno mœſtitiæ ſolemnitatem cantandi prohibuerat, donec ultio fieret condigna pro ſcelere, & totus clerus quaſi in triduo ante Paſcha in habitu lugubri, & voce ſubmiſſa horas reddebat. Cardinalis interim miſſo epiſcopo Hildexmenſe propoſuit, ſi placeret dominis epiſcopis differri Capitulum in feriam ſequentem; & placuit. Aderant ibi, ut fama fuit, epiſcopi IX. comites plurimi, & multitudo infinita. Die ſequenti aſcenderunt epiſcopi cum comitatu ſuo aulam epiſcopalem, in medium videlicet cœnaculum, & moram fecit cardinalis, fluctuabat plebs avida novitatis, & implebat domum. Epiſcopi quoque plurimi expectabant. Sed pro ſigno cunei epiſcopalis, cathedra pontificalis ſuper capita manu ferebatur. Acceſſit tandem cardinalis & ſemel & ſecundo data indulgentia urgebat populum deſcendere, & deſcendit paulatim. Tandem placuit excommunicare remanentes, & in negotio illo alienos, & tunc timentes dederunt locum, & facto ſilentio poſt prælibationem paucorum verborum domini cardinalis, ſurrexit ſcholaſticus domini Oſnaburgenſis Clericus, & pulchre peroravit pro electu eccleſiæ ſuæ, captando benevolentiam, elidendo malam præſumtionem, exhibendo contra inimicorum confictionem, juſtam ſatisfactionem. Surrexerunt & miniſteriales Colonienſis eccleſiæ, & comes Gelrenſis contra Monaſterienſem. Contra miniſteriales Monaſterienſis, pro Monaſterienſi, & facto tumultu dilata eſt cauſa. Die vero proxima finxit ſe cardinalis iturum extra civitatem, & re-

☞ receſſit populus de aula, & clerus: ſed clam rediens cum epiſcopis intravit, & clauſa janua dedit audientiam, & adjudicata eſt eis expurgatio per epiſcopos. Et ſubtraxerunt ſe epiſcopi, & territi defecerunt, & ſubſecuta eſt ab officio ſuſpenſio & beneficio. Et appoſiti ſunt pro cuſtodia ſpiritualium, & temporalium, ANNO CHRISTI 1226.

A Diœceſis Monaſterienſis, epiſcopus Patherbornenſis & comes Gelrenſis. Septimo igitur Martii profecti ſunt Romam, & pridie Kal. Maii innotuit rumor depoſitionis eorum, videlicet Monaſterienſis, & Oſnaburgenſis electi fratris ſui. Monaſterienſis autem poſt brevi defunctus eſt, frater gratiam domini papæ invenit. ANNO CHRISTI 1226.

CONCILIUM LONDINENSE

In quo decreta eſt ſolutio ſubſidii Regi præſtandi

Anno 1226.

ibid. *QUamquam Concilii hujus acta perierunt, valent tamen pro Concilio literæ Stephani Cantuarienſis epiſcopi, in quibus rerum in Concilio decretarum ſumma continetur. Sed antequam literas ipſas profero, juvat Honorii III. bullam, unde Concilii hujus ratio petita eſt, hic omnium primam recitare.*

Honorius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiſcopis, epiſcopis, & dilectis filiis præpoſitis, ac aliis eccleſiarum prælatis, ac rectoribus per regnum Angliæ conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum eccleſia ſecularium principum neceſſitatibus ſponte communicat, neceſſarium eis ſubſidium liberaliter impendendo; non eſt id libertatis eccleſiaſticæ præjudicium, ſed officium po B tius charitatis. Cum igitur chariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus, rex Anglorum illuſtris, veſtræ ſubventionis auxilio dicatur quamplurimum indigere, univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attentius, ac per apoſtol. ſcripta vobis mandamus, quatenus juxta facultates eccleſiarum competens ei ſubſidium impendatis; proviſo, quod in ſingulis diœceſibus congruæ fiant hac de cauſa collectæ, & quæ collecta fuerint, teſtimonialibus literis diœceſani epiſcopi, & aliquorum abbatum, aliorumve prælatorum diœceſis aſſignentur viris fidelibus & diſcretis, quos hujuſmodi curæ videritis deputandos; ipſique illa illibata conſervent, donec deliberato conſilio expendantur, ubi, & quando, & quomodo regi & regno videbitur amplius expedire. Unde quemadmodum de receptis, ſic literas teſtimoniales recipiant de redditis vel expenſis, quatenus omnibus tollatur ſuſpicionis occaſio, & collecta pecunia non in ſuperfluas & inutiles prodigatur expenſas, ſed in neceſſarias & utiles provide convertatur: nolumus autem, hæc noſtra gratia veſtraque charitativa ſubventio trahatur in conſequentiam vel exemplum. Veſtra ergo ſolicitudo provideat, ut hæc ita hilariter fiant, fideliter, & diligenter, quod veſtra charitas & prudentia ex hoc merito de E beat commendari. Dat. Leteran. 3. non. Feb. pontif. noſtri anno nono.

C petenti auxilio a perſonis eccleſiaſticis de beneficiis ſuis domino regi liberaliter impendendo: propter quod vos & alios eccleſiarum prælatos nuper London. convocavimus, ubi tractavimus cum decanis cathed. eccleſ. præſentibus, & cum procuratoribus, ubi decani non erant præſentes, cum archidiaconis præſentibus, & cum procuratoribus abſentium de negotio memorato; convenimus autem in hanc formam; videlicet quod ipſi monitis & mandatis domini papæ reverenter inclinati, volunt præſtare ſextamdecimam partem de omnibus eccleſiis, præbendis, & communiis, de quibus quintadecima ſoluta non fuit. Fiet quidem collecta in eccleſiis cathedralibus, per decanos & capitula in eccleſiis C parochialibus per archidiaconos, & alios viros providos, & fide dignos, de conſilio epiſcopi diœceſani eis adjungendos. Cujus collectæ medietas in feſto Purificationis, & alia medietas in feſto Trinitatis proximis venturis ſolvetur. Secundum æſtimationem vero factam in collectione XX. fiet æſtimatio redituum præmiſſorum. Fraternitati igitur veſtræ mandamus, quatenus interponatis diligenter partes veſtras, ut negotium memoratum, ſecundum formam præmiſſam, efficaciter & fideliter effectui mancipetur. Proviſum eſt autem, & a domino rege conceſſum, quod ipſe per literas ſuas patentes cavebit pro ſe & hæredibus ſuis, quod præfata conceſſio liberaliter facta non cedet in præjudi D cium eccleſiaſticæ libertatis. Dat. an. Dom. MCCXXVI. menſe Octobris. Valete in Domino.

Literæ iſtæ pontificis in pleno concilio recitatæ ſunt, & in earum obſequium decernuntur ea quæ in epiſtola Stephani Cantuarienſis archiepiſcopi referuntur. Cedo mihi eaſdem literas ex Wilkins.

Ex Wilk. Conc. Brit. t. 1. p. 605. ibique & literæ Honorii.

Stephanus, Dei gratia Cantuar. archiepiſcopus, totius Angliæ primus, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis, venerabili fratri R. eadem gratia Sarum epiſcopo ſalutem in Domino.

Memoriter, ſicut credimus, tenetis, qualiter ſcripſerit dominus papa nobis & vobis pro com-

Subjungo literas Henrici Angliæ regis de rebus in eodem concilio habitis ad clerum Anglicanum datas, apud eumdem ſcriptorem legendas.

Henricus, Dei gratia rex Angliæ dominus Hiberniæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, comes Andegaviæ, ven. patri R. eadem gratia Sarum epiſcopo ſalutem. Ex eodem loco.

Cum propter urgentia negotia noſtra dominus papa Honorius III. archiepiſcopis & epiſcopis regni noſtri per literas ſuas dediſſet in mandatis, ut clerum Angliæ ſibi ſubditum monerent diligenter & inducerent, quod de beneficiis ſuis competens auxilium charitative nobis facere deberent, ad conſervationem pacis eccleſiaſticæ & regni noſtri; clerus præfatus ad faciendum præmiſſa pia devotione inductus, liberaliter conceſſit & benigne ſextamdecimam beneficiorum ſuorum, ſecundum æſtimationem competentem unius anni factam, ſcilicet tempore quo collecta fuit XX. in ſuccurſum terræ ſanctæ, nobis per manum ſuam propriam collectam largiri, ita tamen quod ex hac gratia

gra-

gratis & liberaliter tunc nobis impensa, proces- A curatores eorum, insuper & viri religiosi, vel
ANNO CHRISTI 1226. su temporis, ecclesiis vel ecclesiasticis personis, procuratores eorum, ad tractandum de competenti auxilio domino regi præstando de ecclesiis, præbendis, & communiis per regnum Angliæ constitutis; tandem in hanc formam omnes convenerunt, videliter, quod ipsi monitis & mandatis domini papæ reverenter inclinati, voluerunt præstare XVI. partem de omnibus ecclesiis, præbendis, & communiis, in quibus quindena soluta non fuit. Fiet autem solutio medietatis in festo purificationis beatæ Mariæ, & alterius medietatis in festo Trinitatis proxime sequenti. Fiet etiam hæc præstatio secundum æstimationem redituum, factam in collatione XX. quæ facta fuit in subsidium terræ sanctæ. Fraternitatem vestram igitur monemus attentius, & hortamur in Domino, firmiter injungentes, quatenus in præsenti negotio voluntatem domini papæ, & aliorum patrum nostrorum attendentes, necnon & necessitatem domini regis pie considerantes juxta formam præscriptam, medietatem XVI. portionis præbendæ vestræ in purificatione beatæ virginis parati sitis apud Sarum exsolvere, & aliam medietatem in festo Trinitatis proxime sequenti secundum prætaxatam æstimationem. Valete.

ANNO CHRISTI 1226.

Vix autem dubito concilium hoc plane diversum non esse ab eo, quod Westmonasteriense appellat Labbeus, qui & ejus acta ex Parisio recitat legenda t. XIII. pag. 1103. *edit. Venet.*

W. decanus, & capitulum Sarum dilecto fratri & canonico suo N. salutem. Literas domini Cantuar. suscepimus continentes, quod cum nuper essent coram eo apud London. constituti decani cathedralium ecclesiar. vel eorum procuratores, & archidiac. diversarum eccles. vel pro-

CONCILIUM FUXENSE

In quo Fuxensis comes poenitentiam

Mentitus, absolvitur ab hæresi, anno Domini MCCXXVI.

Hujus synodi, cujus acta desunt, hanc ex Spon- D prælatorum ac procerum habuisse apud S. Joan-
dano ad hunc annum notitiam accipe. Habent, *inquit*, annales Fuxenses & Francorum, dum Ludovicus VIII. esset in expeditione Narbonensi adversus Albigenses, missum ad Rogerium Bernardum comitem Fuxensem, jam regis hortatu resipiscentem, (*melius dixisset Spondanus resipiscere simulantem, ut ex Narbonensi concilio mox constabit*) Romanum legatum, conventum nem de virginibus prope Fuxum oppidum: quo eumdem comitem ecclesiæ Romanæ regique obsequium jurantem, absolverit ab hæresi, excommunicatione, & omnibus sceleribus ac flagitiis eatenus perpetratis: Rogeriumque in pignus servandæ fidei, arcem Fuxi, aliasque nonnullas, in manus ministrorum regiorum tradidisse.

CONCILIUM WESTMONASTERIENSE,

In causa Romani pontificis duarum

Præbendarum obventiones petentis, celebratum in Anglia, anno Domini MCCXXVI. tempore Honorii papæ II.

Binius. *Acta synodalia Matthæus Parisiensis summatim* E convocatis seorsum prælatis & quibusdam ma-
ita narrat. Stephanus Cantuariensis archiepiscopus vocatis ad concilium cunctis apud Westmonasterium post pascha quos negotium tangebat, recitari fecit litteras supradictas de beneficiis Romanæ ecclesiæ conferendis coram rege & prælatis Angliæ, qui ad ejus vocationem plene convenerant. Sed illis auditis ac diligenter intellectis, singuli singulos ad visum monebant super concupiscentia Romanorum. Tunc rex gnatibus, hoc archiepiscopo dedit responsum: Ista, quæ suadet nobis dominus papa, universam Christianitatis latitudinem respiciunt; & quia nos quasi in extremis orbis constituti sumus partibus; cum viderimus qualiter cetera regna erga tales se habuerint exactiones, dominus papa, cum ab aliis regnis habuerimus exemplum, in obsequiis nos inveniet promptiores. Et his dictis concessa est omnibus licentia recedendi.

ANNO CHRISTI 1226.

Fusius autem apud Matthæum ipsum sic eadem exponuntur.

ANNO CHRISTI 1226.

ANno Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto, rex Henricus ad Natale Domini celebravit festum suum apud Wintoniam, præsentibus quibusdam episcopis & magnatibus multis. Solennitate itaque peracta, profectus est rex apud Merlebergiam, ubi gravi infirmitate correptus, per multos dies desperatus jacebat. Venit interea terminus concilii ad festum S. Hilarii apud Westmonasterium præfixus: ubi Rex cum clero & magnatibus regni comparere debuerat, ut domini Papæ mandatum audirent. Multis igitur in loco præfato congregatis episcopis, cum aliis prælatis, & laicorum turbis, magister Otto, domini papæ nuncius, de quo habita est mentio superius, litteras aperte coram omnibus recitavit: in quibus idem Papa allegavit scandalum sanctæ Romanæ ecclesiæ, & opprobrium vetustissimum; notam scilicet concupiscentiæ, quæ radix dicitur omnium malorum, & in hoc præcipue, quod nullus potest aliquod negotium in Romana curia expedire, nisi cum magna effusione pecuniæ, & donorum exhibitione. Sed quoniam scandali hujus & infamiæ Romana paupertas causa est, debent matris inopiam sublevare, ut filii naturales: quia nisi a vobis & aliis bonis & honestis dona reciperemus, deficerent nobis necessaria vitæ: quod esset omnino Romanæ incongruum dignitati. Ad istud itaque scandalum penitus eradicendum, per consilium fratrum nostrorum, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, quandam providimus formam: cui si volueritis consentire, a scandalo matrem vestram poteritis liberare, & in curia Romana sine donorum obsequio exhibitionem justitiæ obtinere. Forma autem provisa hæc est: Petimus in primis ab omnibus ecclesiis cathedralibus, duas nobis præbendas exhiberi; unam de portione episcopi, & alteram de capitulo Et similiter de cœnobiis, ubi diversæ sunt portiones abbatis & conventus: a conventibus, quantum pertinet, ad unum monachum, æquali facta distributione bonorum suorum; & ab abbate tantumdem.

ANNO CHRISTI 1226.

His in hunc modum propositis, persuasit ex parte domini Papæ magister Otto; ut consentirent prælati, allegans supradicta commoda, quæ in litteris continentur. Hæc autem omnia audientes episcopi, & ecclesiarum prælati, qui personaliter interfuerunt, divertentes seorsum ad colloquendum, cum super rebus propositis diutius deliberassent, responsum suum in ore magistri Joannis Bedefordensis archidiaconi communiter posuerunt. Qui veniens in præsentia magistri Ottonis, per hæc verba respondit: Domine, ista quæ nobis proponitis, regem Angliæ specialiter tangunt, generaliter vero omnes ecclesiarum patronos regni: tangunt archiepiscopos, & eorum suffraganeos, nec non innumeros Angliæ prælatos. Cum ergo Rex propter infirmitatem, & archiepiscopi nonnulli & episcopi, & alii ecclesiarum prælati sint absentes, in eorum absentia vobis respondere non possumus & debemus: quia si id facere præsumeremus, in præjudicium omnium absentium fieret prælatorum. Et his dictis, venit Joannes Mareschallus, & alii nuncii regis, ad omnes prælatos, qui de rege baronias tenebant in capite destinati, districte inhibentes, ne laicum feudum suum, Romanæ ecclesiæ obligarent; unde servitio sibi debito privaretur. Hæc autem cum magister Otto intellexisset, statuit his qui aderant, diem ibi in media Quadragesima, dum ipse procuraret regis advenium, & absentium prælatorum, ut tunc negotium sortiretur effectum. Sed illi absque regis, & aliorum, qui absentes erant, assensu, præfixum diem admittere noluerunt. Unde singuli ad propria sunt reversi. *Hæc ille; apud quem, in eorum narratione quæ ad Rom. ecclesiam spectant, extant semper aliqua maligni animi vestigia: ut recte Card. Baronius, & Apamiensis episcopus Spondanus, aliique multi observarunt.*

ANNO CHRISTI 1227.

CONCILIUM PROVINCIALE NARBONENSE,

Celebratum quadragesimæ tempore ann. Dom. MCCXXVII.

Editum a Catello in historia comit. Tolos. nunc emendatius ex apographo Jac. Sirmondi S. J.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De excommunicatis.*
2. *De coercendis Judæis.*
3. *De iisdem.*
4. *Ut iidem sex denarios ecclesiæ offerant in pascha.*
5. *De condendis testamentis.*
6. *De perjuris.*
7. *Ut habeatur diligens ratio confessionum.*
8. *Ut singulis Dominicis excommunicentur usurarii, incestuosi, &c.*
9. *Ut presbyteris portio sufficiens assignetur ab iis qui tenent ecclesias.*
10. *Ut in ecclesiis non sint pauciores quam tres monachi vel canonici regulares.*
11. *Ut monachi, canonici regulares, sacerdotes, non sint advocati in foro.*
12. *Ut clerici nullatenus tallientur.*
13. *Ut nova pedagia & quidagia prohibeantur.*
14. *Ut sint in omnibus parochiis, qui de hæresi & manifestis criminibus inquirant.*
15. *Ut qui sunt in potestate, abjurent hæreticos, & eorum fautores.*
16. *Ut hæretici, vel suspecti, ob officiis publicis amoveantur.*
17. *Ut Raimundus comes Tolosanus, comes Fuxensis, & alii, denuncientur excommunicati.*
18. *Ut qui curam animarum habent, ad sacerdotium promoveantur.*
19. *Ut quæstores in ecclesiis non prædicent.*
20. *De festo S. Matthiæ, & quatuor temporibus.*

ANNO CHRISTI 1227.

CAPITULA.

ANNO CHRISTI 1227.

I. De excommunicatis.

FElicis recordationis dominus Ludovicus rex Francorum, attendens quanta pertinacia laici provinciæ Narbonenſis, & quarumdam partium adjacentium, in præjudicium animarum ſuarum, ſententiam excommunicationis contemnerent; contra hujuſmodi pertinaciam olim apud Apamiam conſtitutus, de conſilio domini Romani ſancti Angeli diaconi cardinalis, tunc apoſtolicæ ſedis legati, omnium etiam prælatorum & baronum de Francia, qui præſentes fuerant, pro eccleſiaſtica libertate, ſtatuit: ut quicumque poſt trinam admonitionem ſe excommunicari permiſerit, in novem libris & uno denario Turonenſi * puniatur. Si vero per annum contumaciter in excommunicationis ſententia permanſerit, bona ejus omnia cadant in commiſſum. Quam conſtitutionem, nos Petrus archiepiſcopus Narbonenſis, de conſilio fratrum & ſuffraganeorum noſtrorum, & approbatione totius provincialis concilii, mandamus & ſtatuimus, atque præcipimus de cetero in provincia Narbonenſi ab omnibus inviolabiliter obſervari. Ita videlicet, quod ſi forte excommunicatus in prædicta ſumma puniri nequiverit, minori, vel alias ſecundum providentiam ſui diœceſani epiſcopi puniatur, ſicut a prælatis Franciæ obſervatur. Si autem univerſitas culpa ſua fuerit intricata *, pœna puniatur eadem. Si vero pro culpa domini, ipſe dominus pœna ſimili puniatur.

* *al.* Melgorenſi.

* *al.* interdicta.

II. De coercendis Judæis.

Item quia Judæi uſurariis exactionibus plurimum opprimunt Chriſtianos, cum a Domino generaliter prohibeantur uſuræ: ſynodali concilio duximus providendum, ne Judæi aliquatenus a Chriſtianis immoderatas aliquatenus uſuras accipiant. Quod ſi fecerint, eas reſtituere ab eccleſia compellantur: videlicet per excommunicationem in Chriſtianos, qui cum eis in commercio vel aliis participationem habebunt. Nec in domibus ſuis habeant Chriſtiana mancipia, vel nutrices: nec carnibus publice veſcantur, vel vendant eas in diebus, quibus abſtinent Chriſtiani. Nec in bajuliis, vel aliquibus officiis, præeſſe Chriſtianis permittantur. Carnes etiam, quas ipſi faciunt, privatim tantum in domibus ſuis vendant, & non in Chriſtianorum macellis.

III. De iiſdem.

Ad hoc ut Judæi poſſint ab aliis diſcerni, ſtatuimus, & diſtricte præcipimus, ut in medio pectoris deferant ſignum rotæ, cujus circulus ſit latitudinis unius digiti, altitudo vero unius dimidii palmi de canna. Nihilominus inhibemus iiſdem diebus Dominicis & feſtivis publice operari. Et ne Chriſtianos ſcandalizent, vel ſcandalizentur ab iis, volumus & mandamus, ut in ſeptimana ſancta nullatenus, niſi cauſa neceſſitatis, exeant domos ſuas: & prælati faciant eos a Chriſtianorum vexationibus cuſtodiri, maxime in ſeptimana prædicta.

IV. Ut iidem ſex denarios eccleſiæ offerant in Paſcha.

Statuimus inſuper, ut Judæi ſingulis annis in feſto Dominicæ reſurrectionis, ſex * denarios Melgorenſis monetæ per ſingulas familias, pro oblatione eccleſiæ parochiali perſolvant.

* *al.* quinque.

V. De condendis teſtamentis.

Item, quia ultima voluntas defuncti debet inviolabiliter obſervari: volumus & præcipimus, ut teſtamentum, vel ultima voluntas cujuſque, in præſentia ſemper catholicorum virorum, & parochialis ſacerdotis, vel alterius eccleſiaſticæ perſonæ loco ipſius, condatur. Præſertim ut idem ſacerdos, vel alia eccleſiaſtica perſona, valeat de ipſo teſtatore laudabile teſtimonium perhibere, ne de ipſo aliqua infidelitatis ſuſpicio poſſit haberi: & maxime, ut ea, quæ in pias cauſas reliquerit, fideliter & citius ſine fraude ſolvantur. Quod ſi teteſtator vocare, ut diximus, ſacerdotem & viros catholicos contempſerit: careat eccleſiaſtica ſepultura, donec de hujus mandati contemptu, eccleſiæ ſatisfactum fuerit competenter. Notariis vero, qui abſque ſolemnitate ſuperius expreſſa notare vel ſcribere præſumpſerint teſtamenta vel ultimas voluntates, eccleſiæ introitus interdicatur uſque ad ſatisfactionem condignam.

VI. De perjuris, & de falſis teſtibus.

Item, cum religio juramenti peccatis exigentibus fere ab omnibus in iſtis partibus contemnatur: contra hujuſmodi contemptores aliquid ſecuritatis pro ſalute animarum ipſorum, duxit præſens concilium ſtatuendum. Videlicet ut qui-

ANNO CHRISTI 1227.

cumque in transgressione juramenti de cetero manifeste deprehensus fuerit, in ecclesia publice denuncietur esse perjurus. Quod si admonitus satisfacere noluerit, tunc excommunicetur accensis candelis, & pulsatis campanis, singulis diebus Dominicis & festivis: & denuncietur intestabilis & infamis, & nec ad testimonium vel ad alios actus legitimos admittatur. Et idem de falsis testibus observetur.

VII. Ut habeatur diligens ratio confessionum.

Item statuit præsens synodus, quod nomina illorum omnium, qui peccata sua confessi fuerint, scribantur a capellanis, qui confessiones audiverunt eorumdem: ut laudabile testimonium de confessionibus eorum valeant perhibere. Illis vero qui confiteri contempserint saltem semel in anno a decimo quarto anno supra, vivis, introitus ecclesiæ usque ad satisfactionem condignam; mortuis vero, interdicatur ecclesiastica sepultura. Illi vero qui confessiones illorum audiverint, in loco patenti audiant, non occulto.

VIII. Ut singulis Dominicis excommunicentur usurarii, incestuosi, &c.

Item, de publicis usurariis, incestuosis, concubinariis, adulteris & raptoribus, fuit in præsenti concilio constitutum, ut singulis diebus Dominicis & festivis publice in ecclesia excommunicentur. Similiter & illi qui testamenta defunctorum publicare & complere post competentes admonitiones renuerint, excommunicationi subdantur.

IX. Ut presbyteris portio sufficiens assignetur ab iis qui tenent ecclesias.

Later. IV. c. 32.

Item cum in concilio Lateranensi & aliis sit frequenter per Romanum pontificem constitutum, quod presbyteris in ecclesiis monachorum & aliarum personarum, ad suam, & ad suorum sustentationem, portio sufficiens assignetur: ne a domno Papa possimus merito reprehendi, vobis abbatibus, prioribus, & aliis regularibus & sæcularibus, qui habetis vel tenetis ecclesias hujusmodi, præcipimus, ut in vestris ecclesiis, episcopis personas præsentetis idoneas, quibus per episcopos animarum cura commissa usque ad festum Pentecostes proxime venturum, secundum facultates ecclesiarum, arbitrio bonorum virorum, portionem idoneam assignetis: videlicet, aqua tam ipsi, quam sui, valeant sustentari honeste, & alia facere, quæ continentur in pluribus constitutionibus, quæ jamduduni super hoc a sede apostolica emanarunt.

ANNO CHRISTI 1227.

X. Ut in ecclesiis non sint pauciores quam tres monachi vel canonici regulares.

Illud præterea duximus exponendum, ut in ecclesiis vestris, non pauciores faciant moram quam tres monachi, vel canonici regulares: sicut alia vice per dominum Petrum Beneventanum, tunc apostolicæ sedis legatum, fuit in provinciali concilio constitutum, & postmodum observatum.

Concil. Monspel. an. 1214. c. 31.

XI. Ut monachi, regulares, sacerdotes, non sint advocati in foro.

Adjicimus insuper, ut monachi vel canonici regulares, vel etiam sacerdotes, nisi pro ecclesiis suis & miserabilibus personis, & de prælati sui licentia speciali, in foro sæculari vel ecclesiastico advocare nullatenus præsumant. Quod si forte pars adversa repellere tales neglexerit vel noluerit, a judice repellantur omnino.

XII. Ut clerici nullatenus tallientur.

Item statuimus: ut clerici, occasione patrimonii sui, vel personæ, nullatenus tallientur, & tam consules, quam alii laici, ab his talliis & exactionibus per censuram ecclesiasticam, si necesse fuerit, compescantur.

XIII. Ut nova pedagia & quidagia prohibeantur.

De novis pedagiis & quidagiis statuit concilium, ut per ecclesiasticum judicem, si necesse fuerit, prohibeantur omnino.

XIV. Ut sint in omnibus parochiis, qui de hæresi, & manifestis criminibus inquirant.

Volumus insuper, & districte mandamus, ut ab episcopis testes synodales in singulis institiuantur parochiis, qui de hæresi, & de aliis criminibus manifestis diligenter inquirant, postmodum episcopis quod invenerint relaturi.

XV. Ut qui sunt in potestate, abjurent hæreticos, & eorum fautores.

Consules nihilominus, castellani, po-

te-

ANNO CHRISTI 1227.

teſtates, & barones, abjurare hæreticos & fautores, nec non & receptatores eorum, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur,

XVI. Ut hæretici vel ſuſpecti, ab officiis publicis amoveantur.

Qui vero quondam hæretici veſtiti vel notati fuerint, aut merito ſuſpecti ſunt, a bajuliis vel officiis publicis, ſi qua habent, præcipimus ut amoveantur ex toto, nec de cetero ad hujuſmodi aſſumantur.

XVII. Ut Raimundus comes Toloſanus, comes Fuxenſis, & alii, denuncientur excommunicati.

Item, ſtatuimus & præcipimus obſervari diſtricte, ut Raimundus filius Raimundi quondam comitis Toloſani, comes Fuxenſis, & Trincavellus, qui dicitur vicecomes Biterrenſis, Toloſani hæretici, credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum, & præſertim illi de Limoſo, & alii qui felicis recordationis domno Ludovico regi Franciæ juraverant, & poſtmodum averſi ſunt ab eccleſia: omnes etiam illi, qui arma, equos, victualia, vel alia ſubſidia vendunt, donant, mittunt, vel præſtant eis ſcienter, candelis accenſis & pulſatis campanis denuncientur excommunicati & expoſiti cuilibet occupanti tam in rebus, quam in perſonis, per ſingulas parochias ſingulis diebus Dominicis & feſtivis.

XVIII. Ut qui curam animarum habent, ad ſacerdotium promoveantur.

Item, quia in multis canonibus & frequenter ordinatum eſt & ſtatutum, ut archipresbyteri, præpoſiti, abbates, & alii qui curam animarum habent, debeant ad ſacerdotium promoveri: mandamus & præcipimus, ut tales, & illi qui eccleſias parochiales habent, ad ſacerdotii gradum promoveantur, & ibi ſerviant ut tenentur.

ANNO CHRISTI 1227.

XIX. Ut quæſtores in eccleſiis non prædicent.

Præcipimus ſimiliter capellanis & aliis eccleſiarum rectoribus, ut quæſtores prædicare in eccleſiis non permittant: ſed legantur dumtaxat litteræ, ſi quas habent, prout ordinatum fuit in concilio generali. Later. IV. c. 62.

XX. De feſto S. Matthiæ, & quatuor temporibus.

Item, ad tollendam quorumdam dubietatem de celebrando feſto S. Matthiæ, & jejuniis quatuor temporum in Septembri: notum fieri univerſis volumus, & præcipimus obſervari, ut ſemper in anno biſſextili poſteriore die celebretur feſtum prædictum, & in quarta feria, quæ tertia prior in Septembri occurrit, jejunia quatuor temporum celebrentur. Adjicientes, ut ſingulis annis in Dominica, qua cantatur Lætare Hieruſalem, provinciale concilium celebretur.

G. C. Celebratam eſſe hanc ſynodum anno MCCXXVII. certiſſimum habemus argumentum ex chronico Guillelmi de Podio Laurentii: cujus hæc verba cap. 36. *Cum autem eſſet Apamiæ rex* (Ludovicus VIII.) *ibi multa conſilio Cardinalis, ad honorem Dei, & eccleſiaſticæ libertatis, ordinavit: & maxime contra contemptores clavium eccleſiæ animadvertit ſtatuto neceſſario & ſalubri, de quo fit mentio in concilio Narbonenſi, in ſequenti mox quadrageſima celebrato, quod incipit*, Felicis recordationis. Hæc Guillelmus ad ann. MCCXXVI. exeuntem. Cum autem Narbonenſe hoc concilium ſequenti quadrageſima celebratum eſſe dicat: dubitare non poſſumus, quin ſit anno M.CXXVII. tribuendum. Ne vero dubitemus, an ſit hoc ipſum Narbonenſe, primas ejus voces indicat: item & ſtatutum adverſus contemptores clavium eccleſiæ, quod primum eſt hujus ſynodi caput.

☞ CONCILIUM TREVIRENSE PROVINCIALE

Celebratum anno Christi MCCXXVII.

Incipiunt ſtatuta Concilii Trevirenſis.

Ex MS. Cod. vulgavit Harthzeim Conc. Germ. tom. 3. pag. 526.

PRæcipimus firmiter & diſtricte, quatenus omnes Sacerdotes de cætero jejuni nigris capis & & rotundis vel ſuperpelliciis & ſtolis Synodum intrent, & tam eundo quam redeundo ita honeſte in hoſpiciis ſuis ſe habeant, ne ſcilicet ſtatus Clericorum vertatur in contemptum. Item præcipimus firmiter ſub pœna ſuſpenſionis, ut unuſquiſque Sacerdos penes ſe habeat Statuta Concilii Treverenſis, & Præcepta Synodalia, & ſingulis menſibus legant vel ſibi legi faciant, & librum, in quo continentur, ad Synodum ſecum deferant, & in manibus ſuis teneant ibidem.

I. *De Baptiſmo & ejus ſpeciebus.*

Baptiſmus cum reverentia & honore celebretur in aqua communi ſub hac forma: Ego Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & laici doceantur a Sacerdotibus ſuis

ſic

ANNO CHRISTI 1227.

☞ sic baptizare, etiam mulieres, ut sciant in articulo necessitatis. Et distincte proferantur, id est cum quadam magna discretione omnia verba in baptismo maxime prædicta, in quibus tota vis Sacramenti consistit. Et Gallici Sacerdotes in Romano doceant Laicos, quomodo debeant baptizare parvos pueros suos in necessitate. Etiam Pater, & Mater dicendo cum intentione baptizandi: *Je te baptoi en nomine Patre, & do Fis, & do Sainte Esperit.* Theutonici vero dicant: *Ich. duffen dich, in deme Neme des Vaders, tride des Sonnes, tride des Neiligen Geistes.* Et semper interroget Sacerdos laicum cum in necessitate baptizavit, quid dixerit? aut quæ fecerit, aut quæ egerit? & si invenerit cum discretione baptizasse, & formam verborum observasse, & intentionem baptizandi habuisse, approbet factum, & faciat sibi deferre puerum, & non baptizet eum, sed chrismate inungat eum, & dicat illa verba, quæ dici solent. Sin autem, rebaptizet eum. Ad levandum puerum de fonte tres vel quatuor admittantur, quod amplius, est a malo est, & non plures.

II. *Sequitur de Confirmatione, & inunctione.*

Moneant Sacerdotes populum sibi subditum frequentare ad confirmationem. quia in hoc Sacramento datur Spiritus Sanctus ad corroborationem fidei per Sanctam Trinitatem, & quod pueri adulti accedentes ad confirmationem prius pure confiteantur. Item ad Sacramentum extremæ unctionis moneant Sacerdotes populum sibi subditum, quia est medicina corporis, & animæ, & pluries potest iterari, quando contingit pluries lethaliter, idest mortaliter ægrotare. Sed baptismus etiam confirmatis pluries non potest iterari, & Sacerdotes exhibentes devote exhibeant, & ipsa verba extremæ unctionis proprio ore proferantur, nihil inde exigentes ab infirmis.

III. *Sequitur de Eucharistia.*

Sacramentum Eucharistiæ ad minus semel in anno suscipiant laici prius contriti, & pure confessi suo prorio Sacerdoti, vel viris literatis habentibus authoritatem delegatam, & habentibus licentiam a Sacerdote loci ubi volunt, & debent audire confessionem: si qui autem obmiserint sine licentia suorum propriorum Sacerdotum, illi nobis, vel officiali nostro denuncientur super hoc, uti justum fuerit corrigendi. Corpus Domini cum campanula & lucerna, & luminibus honorifice, & decenter portetur infirmis, item doceantur laici a sacerdote genua flectere, pectus pungere, manus jungere, dum Sacramentum Eucharistiæ sic portatur ad infirmos: si aliqua negligentia contigerit in hoc Sacramento, videlicet omittendo, effundendo, spargendo, vel evomendo jussa canonum observentur. Item Sacerdotes moneant Populum sibi subditum, ut inducant eum ad sequendum corpus Domini devote sine clamore cum contigerit sic portare: item hostia ante transubstantiationis verba non elevetur ad populum: item Sacerdos quando in necessitate oportet eum duas Missas celebrare, si ad primam Missam post consumptum Sanguinem ablutionem sumpserit, jejunus non est ad secundam Missam, nec ei licebit celebrare secundam Missam, tamen illa ablutio tradatur alicui homini existenti bonæ vitæ, & honestæ, & con-

A tinenti personæ, & non detur cuilibet rudi, & indiscreto rustico existenti. Sacerdos, quando ipse celebrat Missam, sumat ipsemet corpus Domini, & alteri non det ad sumendum, nec pro infirmis sumat, quia nullo modo fieri debet; qui autem contra fecerit, pœna gravi graviter punietur, quia plus peccat dimittendo, quam sumendo; item Sacerdos, qui celebrat Missam debet conficere corpus Christi & canonem legere; alias peccat mortaliter, quia facit populum adorare panem simplicem, quod est idolatria; item nullus Sacerdos celebret Missam cum hostia consecrata aliquo modo, quia gravissime peccaret & gravissime puniretur; item nullus Sacerdos det hostias non consecratas B parvulis, & aliis hominibus pro corpore Christi: quia nullo modo fieri debet. Item nullus Sacerdos det corpus Domini parvulis vel infirmo, quia corpus Domini non cibum non valent retinere: item nullus Sacerdos propter occulta peccata mortalia, quod scit per confessionem, debet negare corpus Domini alicui publice: peccat enim graviter quilibet Sacerdos faciens hoc quod facere non debet. Item ex relatione multorum audivimus, quod quidam Sacerdotes sunt, qui in Pascha Domini licentiant suos subditos ad communicandum non confessos in mortalibus peccatis, ut propter Pascha Domini non confiteantur, eo quod ipsi Sacerdotes nimis tarde incœperunt audire confessiones C suorum subditorum, & ideo non possunt eos audire, quod ne de cætero fiat sub pœna suspensionis, & excommunicationis firmiter præcipimus, & districte inhibemus.

IV. *In quo loco Confessio sit audienda.*

Sacerdotes Confessiones suorum subditorum recipiant in loco patulo, & Sacerdotes non absolvant confitentes, nisi œnitentiam promittentes; item Sacerdotes remittant ad nos, vel nostrum primarium peccata graviora, scilicet homicidia, Sacrilegia, & maxime de corpore Domini nostri Jesu Christi, de Chrismate, & D de Oleo Sancto, de aqua Baptismi, & Perjuria, & falsa testimonia, & peccata, quæ sunt contra naturam, Simoniam, incestum Monialium, consanguineorum, & defloration em Virginum, Veneficia, injectores manuum in parentes, Vota facta, incendiarios, usurarios, etiam & illos, qui parvulos pueros suos opprimunt, etiam in illos, qui pueros suos sine Baptismo permittunt; item nullus Sacerdos præsumat absolvere aliquem existentem Deum in casibus pertinentibus ad Dominum, vel ejus Legatos, nisi cautione idonea, vel satisfatione præcedente, vel in articulo mortis. Primus Casus est, de illo, qui verberat Clericum, vel religiosum, secundus casus est de illo, qui incendit Eccle- E siam, & est denunciatus excommunicatus ab Episcopo, tertius casus est de illo, cum quis frangit Ecclesiam, & similiter est denunciatus excommunicatus ab Episcopo. Quartus casus est de illo, qui scienter, & sponte communicat excommunicato a Domino Papa, & eos recipit in officiis Divinis. Quintus casus est de illo, qui falsificat Literas Domini Papæ. Sextus catus est de illo, qui communicat aliter excommunicato a Domino Papa in termine scienter impendendo ei consilium, auxilium vel favorem; item nullus Sacerdos absolvat aliquem a sententia excommunicationis vulta in eum authoritate Superioris, nisi in

arti-

articulo mortis ; item præcipimus firmiter, & A
districte, ut Sacerdotes in casibus perplexis, ANNO CHRISTI 1227.
ANNO CHRISTI 1227. ideſt dubitaliis, & erroneis remittant ſubditos ſuos ad peritiores ſe, qui habent authoritatem ſuper hæc delegatam; item nullus Sacerdos revelet Confeſſionem directe, vel indirecte, nutu, verbo, vel ſigno; generaliter, vel ſpecialiter; alioquin in degradatione honoris ſui graviſſime, & indeſinenter punietur; item uſura, rapina, fraude acquiſitis, caveant ſibi Sacerdotes, ne injungant pœnitentias, vel miſſarum, vel eleemoſynarum, vel hujuſmodi priuſquam ablata reddiderit; vel de reddendo cautionem præſtiterit. Si habeant unde reſtituant; item nullus Sacerdos ex cupiditate ſua injungat in Confeſſione Miſſas, nec ſeptenale, nec triena- B
le, nec annale, & pro vivis nullum fiet trigenarium nec annale; item in confeſſione non requirat Sacerdos nomina perſonarum cum quibus peccaverint confitentes, ſed circumſtantias tantummodo, & qualitates, quæ notantur in hoc verſu: *quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando*; item Sacerdotes cauti ſint in interrogationibus de peccatis, ne ſimplicibus detur occaſio faciendi, quod prius neſciverunt; item nullus Sacerdos non ſibi ſubditum recipere præſumat in confeſſione ligare vel abſolvere; niſi de licentia noſtra, vel Presbyteri ſui, & ex cauſa rationabili, & honeſta; item Sacerdos in caſibus, in quibus abſolvere poſſunt, iis verbis utantur in abſolutionibus ſuis C
authoritate, qua fungor go te abſolvo a vinculo excommunicationis, & reſtituo te unitati Eccleſiæ Sanctæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen. Item inhibemus firmiter, & diſtricte, ne aliquis Sacerdos ſcribat peccata confitentium in literis apertis, ſed tantummodo clauſis.

V. *Sequitur de Matrimonio, & ejus ſpeciebus.*

Matrimonium cum honore, & reverentia, & in facie (non enim riſu, & jocoſe ne contemnatur) Eccleſiæ celebretur, item præci- D
pimus diſtricte, ut antequam matrimonium contrahatur, fiant edicta in Eccleſiis tribus diebus Dominicis, & feſtivis, quod tales volunt contrahere; ſi aliquis ſcit impedimentum notum, ſcilicet conſanguinitatem, affinitatem, compatrinitatem & hujuſmodi dicat; & ſi nullum impedimentum invenerit Sacerdos nec in populo nec a contrahentibus, conjugat eos ſub debita forma verborum & proſequatur officium nuptiarum, ſicut ſcriptum eſt in libris ordinarii; item clandeſtina matrimonia prohibemus Sacerdotibus, ne aliquo modo ab eis fiant; item nulla perſona ignota recipiatur ab aliquo Sacerdote ad contrahendum matrimonium ſine litera Epiſcopi ſui, vel Officialis, vel perſonæ E
authenticæ, cui fides ſit adhibenda, item prohibemus firmiter, & diſtricte, ne Laici, quicunque ſint, authoritate ſua ſine Sacerdote aliquos matrimonialiter audeant conjungere, quod ſi fecerint tam ipſis, quam eis in hoc aliquo modo conſentientes uſque ad dignam ſatisfactionem excommunicentur, & alias pœna gravi puniantur, & hoc diebus Dominicis præcipimus per Presbyteros ſubditis ſuis denuntiari, & intimari. In matrimonio autem celebrando obſervetur hæc forma verborum, ut dicat vir mulieri: *Accipio te in meam uxorem;* mulier autem econtrario viro dicat: *Accipio te in meum maritum*, & hæc verba ſint de præſenti, & non de futuro. Verba autem hæc in ſponſalibus obſerventur: accipiam te in meam uxorem; accipiam te in meum maritum, ita ut ſint verba de futuro, & non de præſenti; item præcipimus ut pro benedictionibus nuptiarum ſicut nec pro aliis Sacramentis conferendis nullus Sacerdos aliquid exigere audeat, vel præſumat; item cum libera debent eſſe matrimonia, inhibemus nequis conſanguineus, affinis, vel alius poteſtatem habens ſuper volentes matrimonio conjugi, recipiat quocumque colore quæſito aliquam pecuniam pro matrimonio contrahendo vel contrahendo impediendo. ANNO CHRISTI 1227.

VI. *De Eccleſiis & ad eas pertinentibus.*

Item munda ſerventur Vaſa miniſterii, & Veſtes, & pallæ Altaris, ampullæ chriſmatis non ſint vitreæ, ſed de aliquo metallo maxime de aſtagna & diligenter diſcernant Sacerdotes, in quo Vaſe ſit chriſma, in quo Vaſe ſit oleum Sanctum, in quo Vaſe ſit oleum infirmorum; item præcipimus, ut illi qui tenentur ornare Eccleſias, in coopertura videlicet, in libris, in veſtimentis & aliis neceſſariis ad Eccleſias pertinentibus, eas exornent & faciant hoc, quod tenentur, ita quod exinde non poſſint redargui, ſed ut magis debeant, & poſſint ab aliis commendari; Sacerdotes ſui Præsbyteri habeant hoſtias decentes & non putridas, vel muſcidas in mundo Vaſe; item quando corporalia lavanda ſunt, primo ponantur a Sacerdotibus in aqua, & poſtea tradantur alicui religioſæ perſonæ ad lavandum; item præcipimus firmiter & diſtricte, ut aqua Baptiſmi, oleum Sanctum, chriſma, oleum infirmorum, corpus Domini, diligenter, & ſub firma cuſtodia & ſera cuſtodiantur, & in tali vaſe, quod cum ipſo Sacramento, non valeat leviter apportari, quicumque autem Sacerdotes in hoc negligentes fuerint, graviſſime punientur; item Sacerdotes non dimittant altaria, ita parva, ut in eis cum timore celebrare oporteat; item Sacerdotes firmiter præcipiant ſubditis ſuis, ut cimeteria eorum firmiter ſerentur, ne pecora, & alia animalia intrent; item nullus Eccleſiam audeat obligare pro debitis alienis, alioquim nihil valeat, & ſic ſit ſuſpenſus ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium; idem dicimus de monacho pro laici debitis obligato; item nullus Sacerdos portionem ab antiquo aſſignatam audeat minuere, ſeu Eccleſiam conſtituere cenſualem; item non permittant Sacerdotes ludos Theatrales fieri in Eccleſia, & alios ludos inhoneſtos; item Eccleſia debet reconciliari ſi conjuges vel alii in Eccleſia commiſceantur, idem dicimus de cimeterio; item pro ſimplici fornicatione; item pro adulteriis; & homicidiis; item pro effuſione Sanguinis violenta ibi facta; item nullus in odium alterius altaria denudet, vel Crucifixum deponat, vel ſpineis coronis circumdet, vel pro vivis cantet miſſam pro defuntis, vel nomine eorum quos odit, feretrum cum exequio mortuorum in eccleſia ponatur, ut citius moriantur, quia graviſſime puniretur & deponeretur; item nullus Sacerdos permittat ſibi ad altare fœminam miniſtrare, item campanariæ non vendantur, ſed gratis alicui honeſtæ perſonæ concedantur; item inhibemus, ne fontes, arbores, aut etiam aliæ creaturæ quæcumque ſint, vel etiam oſſa mortuorum in muris inventa,

☞ venta, de quibus nec Sacra ſcriptura loquitur, nec aliqua veritatis apparent argumenta, aliquatenus ab aliquibus adorentur, quia idololatria eſt & etiam ritus gentilitatis; item præcipimus, ut feſtum Sanctæ Chatarinæ Virginis, & Martyris ſolemniter celebretis, & faciatis a veſtris ſubditis devote celebrari; item feſtum Sanctæ Eliſabeth.

ANNO CHRISTI 1227.

VII. *Sequitur de Canonicis & Beneficiatis.*

Item præcipimus, ut omnes faciant ſe ordinari, ſcilicet alii in Subdiaconos, alii in Diaconos, alii in Sacerdotes ſecundum quod nobis, Decano, & ſuo capitulo viſum fuerit expedire; item tales caveant diligenter, ne ab eis patrimonium crucifixi male expendatur; item monemus omnes, & ſingulos habentes beneficia curam animarum habentia, ut ſecundum quod conſtitutum eſt in Concilio Lugdunenſi infra annum ſe faciant in Presbyteros ordinari, & reſidentiam faciant perſonalem, alioquin contra ipſos quodcumque debuerimus, procedemus, & de ipſis beneficiis ordinabimus, prout ad noſtrum officium pertinebit; item inhibemus omnibus perſonis Eccleſiaſticis ſub pœna ſuſpenſionis, quam in contra facientes ferimus, nequis præſentet, vel præſentatos admittat, ad beneficia Curam animarum habentia, manifeſtum, vel notabilem patientes in ætate defectum . . . . . *Hic reperiuntur in volumine duæ pæginæ in octavo vacuæ* . . . . .

VIII. *Sequitur de Decanis.*

Item præcipimus firmiter, & diſtrictæ ut omnes Decani Collegiorum, & Chriſtianitatis in ſuis capitulis legi faciant ſtatuta Concilii Trevirenſis, & ſtatuta Synodalia, & ad obſervationem omnes moveant, & efficaciter introducant; item præcipimus quod Decani accuſent, vel deferant nobis vel officiali noſtro omnes Sacerdotes, & Clericos, luſores, & tabernarios, fornicatores manifeſtos, & celebratores clandeſtinorum matrimoniorum, & uſurarios, & negotiatores: ſimiliter alii Clerici de Decanis hoc idem facere teneantur; item nullus Sacerdos celebret miſſam ſine matutinis, & horis dictis debitis, & in mortali peccato exiſtens, & ſuſpenſus officio ſuo, & communicans excommunicato non abſolutus, item præcipimus firmiter, & diſtricte, ne quis Sacerdos quacumque occaſione aliquid exigat pro Sepultura, aut pro aliquo Eccleſiaſtico Sacramento, ſed piæ conſuetudines obſerventur. Item moneant Sacerdotes populum ſibi ſubditum ad confeſſionem puram, & integram faciendam proprio Sacerdoti ſuo, vel viris literatis habentibus auctoritatem ſuper hoc delegatam. Item præcipimus ſervare jejunia conſueta, & Sacerdotes doceant Populum ſibi ſubditum, quæ ſunt peccata mortalia, in communi, & quæ ſolita ſunt fieri. Sicut: furtum, uſura, rapina, venditio ad novum, vel emptio: blaſphemiæ, fornicatio, operari in diebus feſtivis, & aliorum inobedientia divinorum mandatorum, mala decimatio, falſum judicium, malum externum, ſacrilegium, homicidium, incendium, & violentia, error in fide, fictio, ypocriſis, & invidia, ira, gula, acedia, ſuperbia, ſimonia, & hujuſmodi. De talibus vero in articulis fidei, & de decem præceptis, Sacerdotes ſubditos ſuos inſtruant & alias illiterati, & inexperti Sacerdotes nullatenus populo ſibi ſubdito prædicare præſumant, ne contingat eos fieri magiſtros erroris, qui numquam fuerint diſcipuli veritatis, ſed cum ab aliis viris literatis ſubditis ſuis contigerit prædicari, verbum Dei devote audiant, & diſciplinate; & inde propter ſcandalum hominum non recedant, & nullatenus Verbum Dei, quod pro ſuorum fit ſalute ſubditorum, impedire audeant, ſed in omnibus promoveant, in quodcunque poſſunt; item præcipimus firmiter & diſtricte, ut viros religioſos, ſcilicet fratres Prædicatorum & Minores, cum ad vos venerint, benigne recipiatis, & caritative pertractetis, & plebes vobis ſubditas ad hoc inducatis, ut ab ipſis Verbum Dei audiant, & alias eorum conſiliis ſanis acquieſcant, diligenter & fideliter moneatis. Alios vero cujuſcumque ordinis vel ſtatus cujuſcunque ſine noſtris literis ad prædicandum, vel confeſſiones audiendas, ſeu pœnitentias, indulgentias injungendas nullatenus recipere præſumatis. Item præcipimus firmiter & diſtricte Sacerdotibus ne prædicare permittant aliquos illiteratos, videlicet Begardos vel converſos, vel alios cujuſcumque ordinis ſint, etiam extra Eccleſiam, videlicet in vicis, vel in plateis: etiam Sacerdotes Parochianis ſuis præcipiant, ne tales audiant propter hæreſes & errores quos ſeminant in populo, ſimiliter & quæſtionarii prædicatores formam prædicandi in generali Concilio Lugdunenſi promulgatam extendentes, & falſa veris intromiſcentes, de falſitate interpoſita etiam coram populo redarguantur, & quia quæſtionari hujuſmodo per literas falſas, aut revocatas, ſuper quibus deliberare non ſciant ſimplices Sacerdotes, quæſtum faciunt; diſtricte præcipimus, & firmiter inhibemus, ut nullus deinceps ſine litteris noſtris vel Officialis noſtri aliquatenus recipiatur, item inhibemus diſtricte, ne quis Sacerdos mulieres ſuſpectas in domo ſua habeat, & Decani noſtri nuncient nobis de Sacerdotibus illis, quos ſciant habere focarios, negociatores, aut uſurarios: alioquin & ipſi Decani ab officio ſint ſuſpenſi. Item præcipimus quod Sacerdotes veſtes decenter longas, & non viridis aut rubei coloris gerant, & cingulum habeant contectum ſuper pellicia, vel capas habeant rotundas, & deferant ad Eccleſiam ona ſuperfluis maxime nodis aureis vel argenteis in veſtibus ſuis, & in capuciis ſuis in ſe nec in equis ſuis ad aliquam vanitatem pertinentibus non utantur: tonſuram clericalem Sacerdotes portent & bonorum morum honeſtatem digna converſatione protendant; item tripudia & choreas & hujuſmodi ludos ſæculares in cimiteriis & in Eccleſiis fieri non permittant, alioquin a Divinis per triduum ipſo facto noverint ſe ſuſpenſos: a talibus ergo tripudiis & hujuſmodi ludis ſæcularibus & choreis ſub pœna ſuſpenſionis ſe ipſos Sacerdotes abſtrahere omnino præcipimus firmiter, & diſtricte, item præcipimus ut Sacerdotes ſcribant omnes reditus Eccleſiarum ſuarum in miſſalibus ſuis; item Sacerdotes numquam exponant aliquid de ornamentis Eccleſiaſticis, nec aliquid religioſi audeant exponere Judæis ſine noſtra licentia ſpeciali; item prohibemus ne Vicarii perpetui ponant inter cennarios, alioquin conſtituens, & conſtitutus uterque ab officio ſuo ſuſpenſus denunciabitur; item præcipimus diſtricte ut nullus Sacerdos præſumat habere plus Eccleſias Parochiales cum effectu non prius habita nobiſcum diſpenſatione: Item præcipimus, quod ad omnes

Sacer-

☞ Sacerdotes Curati Sigilla ſua infra unum menſem ſibi fieri procurent; item præcipimus quod nullus quaſi Presbyter deſerviat cum Patre ſuo Presbytero, nec poſt Patrem immediate; item faciles ſint ad audiendas Confeſſiones pauperum, & ad conferendum Sacramenta nihil ab eis exigentes; Item caveant ſibi Sacerdotes ſub privatione honoris ſui, ne ſollicitent aliquam perſonam in confeſſione, quod & verbis fieri prohibemus, contrarium facientes excommunicamus; Item præcipimus quod Sacerdotes ſuſpenſi, excommunicati, ſimoniaci, ſtocorii, fornicatores cum ſuſpenſi ſint, quo ad ſe, & quo ad alios celebrare non præſumant, non prius habita diſpenſatione; item præcipimus quod Sacerdotes illiterati non conferant cum Judæis coram laicis & Sacerdotes præcipiant omnibus ſubditis ſuis ne aliquam potationem, vel medicinam ab eis ſumant; item caveant ſibi omnes Sacerdotes, ut filios ſuos vel filias ſuas non permittant contrahere cum illis quos baptizaverunt, quia non ſtaret Matrimonium; item Sacerdotes non prohibeant mulieribus, ſi ſtatim poſt partum volunt reconciliari Eccleſiæ, quia poſſunt, non tamen debent commiſceri viris,

ANNO CHRISTI 1227.

IX. *De Sacerdotibus, & Clericis.*

Item præcipimus etiam diſtricte, ut omnes Sacerdotes habeant breviaria ſua, in quibus poſſint horas ſuas legere quando ſunt in itinere; Item nullus Sacerdos celebrare miſſam præſumat ſine Clerico ſecundante; item Sacerdotes ante prandium ſuum cibum benedicant, & poſtea omnes Sacerdotes gratias agant, & ſedentes in menſa pias collationes habeant utiles, & honeſtas: item nullus Sacerdos celebret de die duas miſſas niſi in caſibus conceſſis, videlicet in Nativitate Domini poteſt dicere tres miſſas; item Sacerdos in aliis diebus poteſt unam miſſam celebrare pro defunctis, & aliquam de die ſi neceſſe fuerit propter neceſſitatem peregrinorum, hoſpitum, & infirmorum, vel forte nuptiarum; item nullus Sacerdos vel Prælatus vaſa Eccleſiæ, vel ornamenta, vel cortinas ad uſus Sæculares convertat, vel ad convivia concedat; item nullus presbyter arma ferat vel Clericus; item nullus Sacerdos candens ferrum benedicat; item nullus Sacerdos inungat infirmos oleo benedicto; item nulli Sacerdotes duellis, torneamentis, furum ſuſpendiis, & judicio Sanguinis, & etiam Clerici non interſint; item ſolemnia jejunia ab Eccleſia inſtituta diligenter obſervent omnes Sacerdotes, & faciant a ſubditis obſervari; item præcipimus ut omnes Sacerdotes ignoti, aut extranei ſine noſtra, aut ejus, qui a nobis ſuper hoc poteſtatem habeat, licentia præſumant in noſtra Diœceſi celebrare; item præcipimus ut omnes Sacerdotes non permittant trutannos, & alios vagos Scholares, aut goliardos cantare verſus ſuper *Sanctus, & Agnus Dei*, aut alias in miſſis vel in divinis officiis, quia ex hoc Sacerdos in Canone quamplurimum impeditur, & ſcandalizantur homines audientes; item inhibemus ſub pœna excommunicationis quam in contrafacientes ferimus, ne quis Sæculari quacumque præditus poteſtate, juriſdictionem Eccleſiaſticam impedire, vel perturbare præſumat, & quod Presbyteri dictos contrafacientes diebus Dominicis denuntient ſic ligatos; item præcipimus omnes illos, qui abſolutionem a Sententia excommunicationis in eos lata vel revocationem ejuſdem per vim vel metu extorquent excommunicatos ſingulis diebus Dominicis & feſtivis nunciari, & quod abſolutio hujuſmodi, ſeu revocatio nullam penitus obtineat firmitatem; item monemus omnes Clericos qui concubinarias tuas manifeſte detinent, ut infra XV. dies ab earum converſatione omnes deſiſtant, eaſque a ſe rejiciant, & expellant, nec eas vel alias recipiant ſub pœna excommunicationis, quam in his ſcriptis ferimus in contra facientes.

ANNO CHRISTI 1227.

X. *Sequitur de Uſuris.*

Item præcipimus diſtricte, ut omnes uſurarii reſtituant, quæque ultra ſortem perceperunt ſub pœna contra eos in Lateranenſi Concilio edita, quæ talis eſt: Statuimus ut omnes uſurarii manifeſti, nec ad communionem admittantur altaris, nec Chriſtianam ſi in hoc peccato diſceſſerint accipiant ſepulturam, ſed nec oblationes eorum, quaſcumque accipiat: qui autem acceperit aut Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, & quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium ſui Epiſcopi ſatisfaciat ab officii ſui executione ſit ſuſpenſus; item præcipimus diſtricte, ne in mutuo ultra ſortem aliquid exigant, & ne propter moram ſolutionis aliquid petant; ne etiam propter inducias ſua mercimonia carius vendant, & ne pecuniam ſuam ad cawercinos . . . . vel Judæos ponant propter lucrum, & ne ex pacto procurent ſibi fieri remunerationes, quia non excuſantur apud Deum; item præcipimus, ut ſorte deducta reddant pignora, & remittant; item diſtricte præcipimus, ne nomine tutelæ vel præcautionis, vel timore domini ſui aliqui committant uſuras; quia ſicut non ſuo, ita nec alieno nomine debet quis fœnus ideſt duplicem uſuram exercere; item præcipimus ne ea intentione mutuent pecuniam ſuam ante menſem vel vindemias recepturi in meſſe, vel vindemiis bladum, vel vinum pro multo minori pretio quam valeat in tempore bladum, vel vinum emant illicite paciſcendo ante menſem, vel vimdemias ad exponendum, ſive expendendum in domibus tantum, & non ad vendendum; item inhibemus Sacerdotibus & Clericis beneficiatis, ne tempore meſſis vel vindemiarum emant vilius bladum, vel vinum a pauperibus ut poſtea carius vendant; item omnes vitioſos contractus aliunde, ſive in locatione, ſive ſegetibus in campis ad emendis in futurum, ne fiant ſecundum æſtimationem aliquorum peritorum firmiter inhibemus; item nullus ſcienter emat rapinam, quia tenetur ad reſtitutionem.

XI. *Sequitur de nobilioribus Advocatis.*

Item monemus & ſub Divinæ ultionis pœna præcipimus, ut nobiles & domini terræ homines ſuos permittant dies feſtos celebrare, & non compellant eos arare, nec alias eis angarias feſtivis diebus imponant; item præcipimus diſtricte, ut ſe circa cavercinos, & alios uſurarios ita habeant, ut in generali Concilio eſt ſtatutum; item dominis terræ præcipimus, aut judeis ſuis, ut eos cogant ſub aliqua pœna, ut non intromittant ſe de aliqua medicina, nec aliquam potionem dent Chriſtianis; item cum de conſuetudine ſit approbata, & tam diu obſervata, quod non extat memoria tam religioſi quam Clerici injuriantes, vel moleſtatores ſuos coram judicibus Eccleſiaſticis in cauſam traxerint,

ANNO CHRISTI 1227.

xerint, & nonnulli nobiles vel Barones Balli-
livi, prænoſiri, villici, & alii Laici poteſta-
tem ſæcularem habentes Treverenſis Diœceſis,
tam Religioſos, quam Clericos coram ſe liti-
gare compellant, & non patiantur eos ſuum
proſequi jus coram judicibus Eccleſiaſticis; præ-
cipimus univerſis & ſingulis Prebyteris, quatenus
in Eccleſiis veſtris prædictas perſonas moneatis,
ut ab hujuſmodi tam Religioſorum quam Cle-
ricorum moleſtatione deſiſtant, nos enim præ-
dictas perſonas quæ jam poſt dictam monitio-
nem Religioſos, & Clericos coram ſe compu-
lerint litigare, excommunicationis vinculo in-
nodamus, & præcipimus eas ſingulis diebus Do-
minicis & feſtivis excommunicatos publice de-
nunciari; item cum hodie cauſæ non debeant
agitari, niſi in civitatibus, vel locis magnis &
ſolemnibus, ubi poſſit haberi copia juris perito-
rum, inhibemus ne cauſæ ex juriſdictione ordi-
naria deſcendentes, ab aliquo Vicario, Recto-
re, & Decano chriſtianitatis inter ſubditos au-
diantur, niſi vel de plano, vel de conſenſu
partium, partes ſuas vel compoſitionem amica-
bilem interponant, maxime cum in negotiis
diffiniendis duo, ut Sacrorum Canonum teſta-
tur auctoritas, ſententia videlicet, & poteſtas
neceſſario requirantur; item moneantur laici a
Sacerdotibus ſuis, ut in omni juramento tria
obſervent, alioquin ſunt perjuri videlicet: Ve-
ritatem, judicium, & juſtitiam, quia ſi aliquid
iſtorum trium defecerit, perjurium dicitur: Ve-
ritas enim debet eſſe in conſcientia, hoc eſt
ut firmiter ſciat ſic eſſe vel non eſſe, alias ſi
credit tantum, non debet de ſcientia & de cre-
dulitate jurare propter quod omnes committunt
perjurium, quia ita jurant eſſe, vel non eſſe,
quibus firmiter non conſtat de facto; item ju-
dicium debet eſſe, judicium diſcreata deliberatio, id eſt, ut etiam non juret verum, niſi
propter neceſſitatem, vel utilitatem; item ju-
ſtitia debet eſſe, ut id quod juratur ſit licitum,
& honeſtum; item non excuſatur a perjurio
qui compulſus ſciens perjurat: quia ambo ſunt
perjuri, ſcilicet præcipiens, & faciens; item
moneantur Laici ne proni ſint ad jurandum,
& pro modica cauſa; item præcipimus omni-
bus Sacerdotibus, ut mala juramenta impediant
in quomodo poſſunt; item in omnibus diebus
Dominicis, & feſtivis moneant Sacerdotes ſuos
ſubditos, ne juvent aliquem jurare ratione con-
ſanguinitatis, timoris, pecuniæ, vel amoris,
quia omnes taliter jurantes niſi firmiter ſciant,
& conſtet eis de facto, perjuri ſunt; cum vi-
delicet jurant ita eſſe, vel non eſſe, quod igno-
rant; item diligenter intimetur omnibus Laicis
a Secerdotibus ſuis quam graviter illi delin-
quunt, qui perjurium committunt.

XII. *Sequitur de Religioſis.*

Item ſtatuimus imprimis, ut Monaſteria or-
dinum Sanctorum, videlicet Benedicti, Augu-
ſtini ad obſervationem Regulæ & Ordinis ſui
reformentur; item nulli monacho, vel moniali
duo officia in Monaſterio aſſignentur, niſi de
providentia Abbatis, & de conſenſu Capituli
propter evidentem neceſſitatem vel utilitatem
Monaſterii, & niſi aliter Abbas, & conventus
judicaverit eſſe ordinandum; item præcipimus
diſtricte, ut omnes novitii poſt annos diſcre-
tionis vel probationis ſtatim faciant profeſſio-
nem ſuam in manu Abbatis.

ANNO CHRISTI 1227.

XIII. *Sequitur de paupertate voluntaria, & de Communi vita.*

Item præcipimus diſtricte ut omnes Mona-
chi, & moniales omnibus proprietatibus ſuis
mobilibus, & immobilibus, quas hactenus ha-
buerunt ſine difficultate renuncient, & omnia
in communes uſus monaſterii redigantur; qui
vero renuntiare renuerint excommunicentur,
quod ſi nec ſic reſipuerint per Abbatem, aut
abbatiſſam, aut ſi non poſſunt per nos reſtrin-
gantur. Item quicumque monachi, aut monia-
les in morte habuiſſe proprium deprehenſi fue-
rint, Eccleſiaſtica ſepultura, ſi qui vero talium
hactenus in cimiterio fratrum hactetus ſepulti
fuerint ejiciantur; item præcipimus ne Mona-
chi denarios, quos in miſſis vel privatis reci-
piunt, vel publicis in Sacrificiis ſibi reſervari
præſumant, ſed Abbati, vel cui ipſe præcipit
aſſignentur in communes uſus expendendi. De
denariis anniverſariorum, vel triceſimorum, &
omnium, quæ ad manus eorum devolvuntur,
nemo ſibi quidcumque appropriare præſumat,
nec per Monachos, nec per moniales dividan-
tur, de cetero ſicut hactenus per abuſionem
fieri conſuevit, ſi in communes uſus omnia re-
digantur; Item præbendæ, quæ per abuſionem
hactenus diviſæ fuerant, in communitatem re-
digantur. Nulli ergo omnino pro victu denarii
aſſignentur, ſi de communi ſalario, ſive cella-
rio paſcantur; item monachis, & monialibus,
vel converſis curtes, vel allodia pro certa pen-
ſione de cetero nullatenus aſſignentur, ſi quæ
vero aſſignata ſunt ſtatim omnino revocentur.

XIV. *Sequitur de Dormitorio, & refectorio.*

Item Abbates cum monachis, Abbatiſſæ cum
monialibus qormiant in dormitorio communi,
& omnes tam monachi, quam moniales in
dormitorio cummuni dormiant; niſi illi qui ægro-
tant, & nuſquam utantur coopertoriis in lectis
de pannis coloratis, vel etiam cortinis; item
præcipimus diſtricte Abbatibus, & Abbatiſſis,
ut ſuis ſubditis tam in victu, quam in veſtitu
ſecundum uniuſcujuſque monaſterii poſſibilitatem
neceſſaria adminiſtrent, panis vero, & vinum,
& alia neceſſaria dentur fratribus in communi
ad ſufficientem neceſſitatem, nec alicui aliquid
ſpecialiter aſſignetur; & quod unicuique in ejuſ-
modi ſuperfuerit, iterum ejuſmodi communitati
reſervetur, vel pauperibus diſtribuatur, & hoſpi-
talia pauperum in omnibus monaſteriis reſer-
ventur, reſtaurentur, & eis conſueti redditus
aſſignentur; item inhibemus diſtricte, ne mo-
nachi vel moniales habeant ſervos, vel ancillas
ſpirituales, niſi forte in talibus conſtituti ſint
officiis, quod eis omnino carere non poſſint,
& tunc de conſcientia Prælatorum ſuorum eos
aſſumant, ſi quis autem alias tales perſonas re-
tinere præſumſerit, expelli eos de monaſteriis
per prælatos præcipimus.

XV. *Sequitur de caſtitate, & alia vitæ honeſtate.*

Item præcipimus, quod quicumque mona-
chus, vel monialis in lapſum carnis ceciderit,
de quo erit manifeſtum, ad nullam deinceps
dignitatem, vel officium poſſit aſſumi in mo-
naſterio, niſi per emendationem manifeſtam,
& honeſtam converſationem ſuam per ſedem

Apo-

Apoſtolicam, vel ejus Legatum, vel loci ordinarium, ſecum meruerit diſpenſari ; item præcipimus, quod ſi quis Abbas, vel monachus in officio poſitus in vitium carnis lapſus fuerit, de quo fuerit manifeſtum ab officio moveatur in continenti, & in pœna ſui criminis de cetero ſtet ultimus in choro, vocem in Capitulo non habeat, ad aliquam Monaſterii ordinationem non veniat, niſi propter manifeſtam emendationem providentia Abbatis eum de conſilio conventus duxerit admittendum. Ad Abbatem vero, vel officium aliquod numquam eligatur deinceps ; niſi, ut dictum eſt per Sedem Apoſtolicam, vel ejus Legatum, vel loci Ordinarium ſecum meruerit diſpenſari : idem circa Abbatiſſas, & moniales, & canonicas regulares diſtricte præcipimus obſervari ; item præcipimus diſtricte, & firmiter omnibus Abbatibus, ut prohibeant ſuos ſubditos a mulierum ſubſpecta familiaritate & ne aliunde aliquis eorum ubicumque ſolus cum ſola ſedere, vel ſtare præſumat aliquatenus. Item ludos chorearum, alearum, Schacorum, taxillorum, annulorum monachis, & monialibus interdicimus omnino; & infra ſepta ſui clauſtri, vel ipſum clauſtrum tabernas ipmas, ubi vel alibi intrare, ibi ſedere, bibere vel ludere aliquis audeat, firmiter inhibemus.

ANNO CHRISTI 1227.

XVI. *Sequitur de veſtiaria, & procuratione Veſtimentorum honeſtate.*

Item præcipimus diſtricte, ut Abbates, & monachi, Abbatiſſæ & moniales, nec mantella, nec ſurcotos portent de cetero, nec habeant pannos de nigra bruneta, nec de moreto, ſed quanto poſſit haberi melioris pretii prout regula præcipit. Cacullas autem habeant cum amplis capuciis, & latis, & quando equitant cappis utantur nigris, & clauſis non clamydibus. Item ſtatuimus, ut habeant Abbatiſſæ, & moniales habitum decentem, & religioſum, ſorchotas autem laucas, & tunicas nullo modo habeant; item ut dictum eſt mantella de bruneta nigra, ſive mureta, & pellicea de vario, & alias exquiſitas, & ſumptuoſas pelles diſtricte omnibus inhibemus; item non habeant moniales manichas ſtrictas, vel conſuricias, nec habeant monilia, nec fibulas, nec annulos aureos, vel argenteos, nec aurifrigia, nec cingulos ſericos, nec aliquem ſecularem ornatum. Item Abbatiſſæ, & moniales, quando eas egredi contingit non utantur habitu ſeculari, nec habeant . . . . ſellas deauratas, aut phaleratas, aut frena deaurata, ſed modeſte incedant, & religioſe ; item ſuperpellicia habeant, & religioſe formata, non criſpata, nec nimis longa.

ANNO CHRISTI 1227.

XVII. *Sequitur de porta, & feneſtra.*

Item præcipimus ut Abbates oſtia clauſtrorum ſuorum claudant, & portas, nec egredi permittant aliquos monachorum ſine ſocio, & ſine cauſa legitima, & rationabili neceſſitate; qui autem propria temeritate egredi præſumpſerit, hoc ipſo careat, videlicet quod vocem in capitulo non habeat, & locum tenebit ultimum in choro, donec per nos vel officialem noſtrum fuerit reveſtitus. Item claves clauſtri ſint ſemper apud priorem, nec ſicut dictum eſt aliquis ſine licentia exire audeat, vel aliquam mulierem cujuſcumque ſit conditionis, vel dignitatis introducere præſumat ſine abbatis licentia ſpeciali, introducta tamen cum licentia non iterius, nec comedat ullo modo ; item claves ſemper habeant ſuper ſe, & ſi eas contingat quandoque abeſſe, committant eas prioriſſæ. Item prohibemus ne monialibus de monaſterio etiam cauſa viſitandi parentes, vel amicos, niſi forſitan inevitabilis urgeat neceſſitas ut puta fames vel incendium, vel aliud hujuſmodi, & tunc quatocitius poteſt fieri revertantur. Item in quolibet monaſterio ordinetur monialis Deum timens diſcreta pudicitiæ, & religionis amatrix, quam feneſtrariam vocant, quæ diligenter cuſtodiat feneſtram, quam ſonante completorio firmiter ferat, nulli datura locum ibi amplius fabulandi uſque mane poſt dictam primam, & capitulo celebrato. Item ſtatuimus, & diſtricte præcipimus ut nulla monialis ſupervenientibus amicis, vel parentibus loqui audeat ſine licentia abbatiſſæ, vel prioriſſæ, quæ ſtatim ad feneſtram locuturæ jungat ſociam honeſtam & maturam, & nihil omnino ſine licentia feneſtrariæ loquatur; quod ſi moniales facere præſumpſerint, graviter punientur. Omnia quæ de monachis dicta ſunt a canonicis regularibus præcipimus in omnibus firmiter, & diſtricte obſervari.

Celebratum eſt hoc concilium in Eccleſia S. Matris Mariæ Majoris Treveris a venerabili domino Trevirenſi Archiepiſcopo præſentibus provincialibus Epiſcopis, & Provinciæ Prælatis anno Domini MCCXXVII. Kal. Mart.

VITA ET EPISTOLÆ GREGORII PAPÆ IX.

Gregorius IX. quando pontifex factus.

GRegorius IX. qui auctore Urſpergenſi prius Ugolinus Oſtienſis epiſcopus dicebatur, natione de Anagnia, ex comitibus Signiæ oriundus, defuncto Honorio ſubrogatus eſt in Romanæ eccleſiæ pontificatum decimoquinto Kalendas Aprilis, anno Chriſti Redemptoris 1227. Fridericum imperatorem ejus nominis ſecundum, tamquam fœdifragum, Saracenorum fautorem, regis Hieroſolymitani, atque adeo Chriſtianorum omnium in Aſia bellantium, deceptorem, voti de oppugnandis Saracenis aliquoties juramento firmati tranſgreſſorem, jure meritoque excommunicavit. Cumque communioni eccleſiæ reſtitutus, & a ſententia anathematis per eumdem abſolutus, priſtinis & abjuratis criminibus graviora adderet, civitates eccleſiæ oppugnaret, factionemque teterrimam, quæ jam tum Guelphi & Gibellini appellabatur, non niſi poſt ducentos & plures annos compoſitam, excitaret, Saracenis magiſtratus mandaret, ut urbem, quæ

Cur Gregorius Fridericum imperatorem ſecundo excommunicet.

Nuceria Saracenorum dicta est, concederet, ecclesias, & monasteria spoliaret, Siculos tyrannide gravissima opprimeret, fratrem regis Tunisii, baptismum Panormi petentem, a tam sancto proposito verbis deterreret, vias præcluderet ne concilium, quod Gregorius Romæ indixerat, convenire posset, cardinales aliosque demum prælatos in vinculis teneret: secundam sententiam anathematis in eumdem latam promulgavit. A populo urbe pulsus venit Perusiam, ibique biennio permansit: Franciscum, Dominicum, Antonium de Padua, & Elisabetham regis Hungariæ filiam in numerum sanctorum retulit.

Dum urbe abesset, & Brundusium contra bannitos firmaret, Annibal interea Romæ cum aliis quibusdam reipublicæ perturbatoribus populum Romanum ad defectionem solicitavit. Verum Divini numinis ultrix dextera consecuta est: qua pene tota hominum multitudo peste extincta periit. Pontifex Romam reversus populo culpam remisit: Annibalem vero senatoria dignitate spoliavit, urbemque purgari procuravit. Ex iis qui religionem sanctorum Dominici & Francisci professi erant, plurimos emisit, qui per totam Europam Christianos ad bellum Saracenis inferendum adhortarentur. Qui brevi tempore tantum profecerunt, ut innumeri sub signis principum inscripti Constantinopolim pervenerint Fridericus imperator tandem votum suum adimpleturus in Asiam profectus, accepta Hierosolymitanæ urbis seditione, cum Soldano Turcarum rege solus, citra consensum ac scitum principum imperii, decennales inducias contraxit. Hujus pontificis & Raimundi Barcinonensis, Dominicani ordinis generalis, a Clemente octavo in sanctorum numerum relati, opera, quinque libri decretalium collecti fuerunt. Cumque post Fridericum secundo excommunicatum, factione Gibellinorum, quibus Gibel partes Cæsareanas sectatus præerat, multæ civitates Italiæ a pontifice deficerent, jamque ipsa Roma idem meditaretur: delatis per Urbem sanctorum apostolorum Petri & Pauli capitibus, habitaque oratione pulcherrima, non tantum populum compescuit, verum etiam ad arma sumenda contra Fridericum, qui jam mœnibus Urbis imminebat, eumdem commovit.

Ejusdem pontificis temporibus theologi Parisienses post longam dispositionem diffiniverunt, sine peccato mortali neminem posse habere duo beneficia, quorum alterum ad sustentationem est sufficiens. Hoc tempore, inquit chronicon Hirsaugiense, hæreticorum multorum, qui diu in occulto latuerant in Alemannia, Italia, & maxime in Longobardia, fuit detecta impietas, & complures ex iis igne combusti sunt. Sectam Nicolaitarum profitebantur, erantque iis matres, uxores, & filiæ, omnibus semper communes: ecclesiam & prælatos contemnebant: carnes etiam in quadragesima manducabant, captivitatem etiam episcoporum, ad indictum Romæ concilium accedere volentium, pontifex optimus tam ægre tulit, ut præ nimio animi dolore vir prope centenarius obierit undecimo Kalendas Septembris, anno Christi nati 1241. cum sedi apostolicæ quatuordecim annis, quatuor mensibus, & viginti sex diebus præfuisset.

EPISTOLA I.

GREGORII PAPÆ IX.

AD OMNES FIDELES.

De negotiis terræ sanctæ.

Gregorius episcopus servus servorum Dei omnibus Christi fidelibus salutem & apostolicam benedictionem.

NOverit universitas vestra, nos de partibus transmarinis sub hac forma litteras suscepisse:

G. miseratione divina patriarcha Hierosolymitanus, humilis & indignus apostolicæ sedis legatus. P. Cæsarienſis, N. Nazarenſis, & N. Narbonenſis, archiepiscopi, P. Winconienſis, & W. Exonienſis, episcopi, hospitalis sancti Joannis, domus militiæ Templi, & hospitalis Teutonicorum magistri, omnibus has litteras inspecturis in Domino Jesu salutem.

Universitati vestræ necessitatem nostram instantissimam, & Jesu Christi, qui pro universis fidelibus sanguinem suum fudit, negotium cogimur intimare. Non enim absque intimantis fervore, ac multiplici lacrymarum effusione accidit, quod, sicut sperabamus communiter, in passagio Augusti nuper præteriti, sereniſſimus vir dominus imperator, ut promiserat, in Syriam non transivit. Quo audito, illi qui jam adventum ejus prævenerant peregrini in eisdem partibus, audientes quod dictus imperator non venerat in passagio memorato, plusquam quadraginta millia virorum fortium, in eisdem navibus, in quibus transierant, redierunt, magis in homine quam in Domino confidentes. Ibi tamen, post eorum recessum, octingenti fere milites remanserunt, clamantes unanimiter, & dicentes: Vel treugas rumpamus, vel communiter recedamus. Qui non sine magna difficultate detenti hac occasione fuerant: quia vir nobilis dux de Lemburgo ex parte domini Imperatoris erat exercitui præficiendus. Habito igitur concilio virorum prudentium & præcipue domus hospitalis, & templi, ac hospitalis Alemannorum, de treuga rumpenda, præfatus dux faceret quod Christianitati ac terræ sanctæ videretur potius expedire. Sicque accidit quod dux requisitis super hæc consiliis, & receptis, die quadam specialiter ad hoc assignata comparuit coram nobis, & quibusdam nobilibus terræ illius, ubi proposuit publice quod volebat treugam infringere: & qualiter utilius ac melius in hac parte valeret procedere, ipsorum auxilium & consilium implorabat. Verum cum ipsi duci & quibusdam consiliariis suis diceretur, quod treugam periculosum esset infringere, & cum fuisset juramento firmata, penitus inhonestum: responderunt quod dominus papa excommunicaverat omnes Crucesignatos qui in isto passagio non transirent, qui sciebat adhuc treugam per biennium duraturam: ac per hoc intelligebant, quod volebat treugam non servari, nec ipsi peregrini ibi remanere volebant aliquatenus otiosi. Erant & multi qui dicebant, quod si contingeret recedere peregrinos, post recessum eorum in eos insurgerent Saraceni, treuga non obstante. Movit præterea quosdam, quod Coradinus

cum

cum dominis de Haman, & de Camele, & Halaph, graviſſimam haberet guerram: unde plus ſolito timet, ne ipſa treuga a Chriſtianis frangatur. Quod ſi fieret, credebatur quod Coradinus, cum videret guerris ſe undique coarctatum, deberet inde veriſimiliter procedere verbum pacis. Habito igitur ſuper his longo deliberationis tractatu, tandem unus fuit omnibus ſpiritus, & vox una, in ſanctam tendere civitatem; quam Dominus Jeſus Chriſtus proprio ſanguine conſecravit. Et ut facilior ad eam haberetur acceſſus, fuit communiter ordinatum, ut primo Cæſarea; & inde Joppa muniantur: quod ante paſſagium Auguſti ſequentis proculdubio poſſe fieri ſperabatur: & tunc hieme ſequenti in domum Domini cum ipſius adjutorio lætantes valeant proficiſci. Fuit autem hæc publicata proviſio extra civitatem Acon, inſtante feſto apoſtolorum Simonis & Judæ, aſtantibus peregrinis omnibus: ubi ſolenniter eſt imperatum, ut eſſent omnes parati in craſtino omnium ſanctorum, verſus Cæſaream profecturi. Quod audientes peregrini, qui conſilium ignorabant, quod exercitus tractatum haberet, firmatis munitionibus prædictis in Jeruſalem procedendi, tanta ſubito erant devotione ſuccenſi, quod excitaverunt oculos ad abundantiam lacrymarum: ut videbatur cuilibet ſe Spiritus ſancti gratia adeo roboratum, quod unus poſſet mille, & duo decem millia ſuperare. Non igitur oportet ut devotioni veſtræ multis ſupplicationibus inſiſtamus, ubi tantæ neceſſitatis evidens inſtantia pro ſe clamat, ſibique ſubveniri poſtulat indilate: quia mora ad ſe trahit periculum, & feſtinatio plurimum erit fructuoſa. Clamat autem ad ſingulos Chriſti ſanguis de terra, ſupplicat parvus & humilis exercitus, ſed devotus, ſibi celeriter ſubveniri: ſperans in Domino, & confidens, quod negotium humiliter inchoatum, debeat ipſo concedente feliciter terminari.

Univerſi igitur & ſinguli, qui Chriſtum induiſtis per fidem, viriliter accingimini ad terræ ſanctæ ſuccurſum: cum hic cauſa communis agatur: veſtræ ſcilicet fidei, ac totius fidei Chriſtianæ. Nos enim promotioni hujus negotii, proviſore Domino & auctore, non ceſſamus intendere: ſperantes fiducialiter, quod in manibus fidelium fideliter perſeverantium res debeat proſperari. Data Laterani, x. Kalendas Januarii, pontificatus noſtri anno 1.

II. AD STEPHANUM ARCHIEPISC. CANTUARIENSEM.

De ſententia in Imperatorem lata.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Stephano Cantuarienſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

IN maris amplitudine ſpatioſa navicula Petri poſita, vel potius expoſita turbinibus tempeſtatum, ſic jugiter procellis & fluctibus agitatur, ut ejus gubernatores ac remiges vix contingat aliquando inter inundantium imbrium anguſtias reſpirare; vix Charybdis voragines tranſire, vix a Scylla declinare. Nam ſi quandoque proſpero flatu plenis velis ad portum vehitur, ſubito ventus irruens ex adverſo, impulſus ab illo cujus halitus ardere facit, ad altitudinem maris & turbulentum profunditatis Oceanum navis rapitur, quæ cincta fluctibus mergitur, nec ſubmergitur: quia in ea Dominus reſidens, diſcipulorum tandem clamoribus excitatur, dum fugat ſpiritus inſufflantes, & mari ventiſque imperat, fit tranquillum. Quatuor quidem procellæ quatiunt navem iſtam. Nam perfida paganorum turba terram inclitam, Chriſti ſanguine conſecratam, impie detinere contendunt: rabies tyrannorum, temporalia rapiens, exterminat juſtitiam, & conculcat eccleſiaſticam libertatem: hæreticorum inſania Chriſti tunicam ſcindere nititur, & ſubvertere fidei ſacramentum: falſorum fratrum & filiorum doloſa perverſitas concutit viſcera, & latus dilacerat matris ſuæ. Sicque foris pugnæ, intus timores: extra interficit gladius, & domibus mors ſimiliter intentatur. Sicque frequenter fit, quod Chriſti eccleſia tot anguſtiis perturbatur, dum alere credit filios, nutrit in ſinu ignem, ſerpentes, & regulos, qui flatu & morſu & incendio cuncta vaſtare nituntur. Hinc eſt quod ad monſtra hujuſmodi perimenda, & expugnandas acies inimicas, ac tempeſtatum inquietudines mitigandas, apoſtolica ſedes his temporibus multa diligentia quemdam alumnum, imperatorem videlicet Fridericum, quem quaſi a matris utero excepit, uberibus lactavit, humeris bajulavit, de manibus quærentium animam ejus frequenter eripuit, educare ſtuduit, multis laboribus & expenſis uſque ad virum perfectum perduxit, ad regiæ dignitatis decorem, & tandem ad faſtigium culminis imperialis provexit, credens illum habere defenſionis virgam, & baculum ſenectutis. Ipſe autem dum in Teutonicam ſe tranſtulit ad habenas imperii obtinendas, jucunda, ut credebatur, auſpicia, ſed verius pericula matris obtutibus inferebat. Nam ſponte, non monitu, ſede apoſtolica ignorante, crucem ſuis affixit humeris, vovens ſolemniter ſe in terræ ſanctæ ſubſidium profecturum. Deinde ſe & alios Cruceſignatos excommunicari obtinuit, niſi certo proficiſcerentur tempore. Sed incidenter abſolutionem petiit, & accepit: de parendo ſuper hæc mandatis eccleſiæ prius præſtito juramento. Exuberantem autem gratiam ſuper ipſum apoſtolica ſedes infundens, ut feſtinantius ad terræ ſanctæ tranſiret ſubſidium, ipſum contra morem ad coronam vocavit; qui ad hoc non invitatus, ſed multiplicatis interceſſoribus invitari per magnificos nuntios conſuevit. Sicque idem ſub crucis vexillo uſque ad hæc tempora propria negotia plenius & perfectius conſummavit. Tandem cum manibus felicis recordationis Honorii papæ prædeceſſoris noſtri in B. Petri baſilica recepiſſet diadema de manibus noſtris, tunc in minori officio conſtitutis, crucem reſumpſit, voto publice innovato. Plures ſub ſpe ſui ſubſidii ad crucem ſumendam induxit, & certum recepit terminum transfretandi. Habito quoque poſtmodum apud Verulas cum eccleſia Romana colloquio, juravit publice ſe in certo termino, a Romana ſibi eccleſia præfigendo, & tanquam imperatorem honorifice profecturum. Exinde apud Ferentinum in colloquio ſimili, duorum annorum transferendi elegit ſibi terminum, & præfixit. Sicque tranſiturum, & nobilem mulierem, natam cariſſimi filii noſtri in Chriſto Joannis regis Hieroſolymorum, illuſtris ipſius regni hæredem, in conjugem recepturum, ſolemniter præſtito juramento ſpopondit. Adjungens quod per hoc ad obſequium terræ ſanctæ, non ut ceteri peregrini, ſed ut Templarii & Hoſpitalarii, ſe in perpetuum obligaret. Appropinquante itaque termino prælibato, cœpit excuſationes multiplices prætendere, ſe ad tranſi-

tum

tum afferens non paratum : & ut denuo ternorum sibi daretur terminus annorum , grandia obtulit obsequia terræ sanctæ , cum obligationibus satis magnis . Apostolica vero sedes, ne tantis laboribus exsufflatis , & inutiliter sic exhaustis , totum dissolveretur negotium , quod huic principi post Romanam ecclesiam principalius incumbebat : habito plurium episcoporum & aliorum virorum consilio, de contingentibus nil omittens , venerabilem fratrem nostrum P. Albanensem episcopum , & bonæ memoriæ G. tituli sancti Martini presbyterum cardinalem, ad confirmanda illa quæ imperator pro crucis obsequio spontaneus promittebat , transmisit. Cumque ad sanctum Germanum cum pluribus Alemanniæ principibus pariter convenissent , imperator propria manu juravit ; quod inde ad biennium, id est, in passagio Augusti nunc proximo transacto , omni excusatione & dilatione cessantibus, transfretaret , mille milites ibidem per biennium teneret ad suum stipendium, pro subsidio terræ sanctæ , centum millia unciarum auri, in quinque passagiis tunc proximo futuris illuc destinaret certis assignanda personis . Et tunc cardinales presbyteri de Imperatoris consensu, in conspectu principum ac populi circumstantis , excommunicationis sententiam publice auctoritate apostolica protulerunt : in quam incideret Imperator , si forte in aliquo defecerit prædictorum. Obligavit insuper se imperator ad centum chalendras, & quinquaginta galejas ducendas & tenendas ultra mare: & quod insuper duobus mi libus militum passagium crucis terminis largiretur, in animam suam jurari faciens, se ista quæ diximus impleturum, sponte consentiens in se & regnum suum ferri sententiam , si non fuerint observata . Qualiter autem hæc impleverit , advertas . Nam cum ad ejus frequentem instantiam multa Crucesignatorum millia per excommunicationis sententiam coarctati in termino destinato ad portum Brundusii properassent : quia gratiam suam Imperator subtraxerat civitatibus fere cunctis in portubus constitutis, & idem a prædecessore nostro ac a nobis frequentius monitus , ut diligenter pararet omnia, & fideliter quæ spoponderat adimpleret, ipse promissorum , quæ sedi apostolicæ & Crucesignatis per prædicatores & litteras suas fecerat, de sponsione passagii necessariorum & victus : suæ salutis immemor , tamdiu in æstivi fervoris incendio, in regione mortis & aeris corruptela detinuit Christianum exercitum , ut non solum magna pars plebis, verum etiam non modica multitudo nobilium & magnatum pestilentia, sitis ariditate, ardoris incendio, ac multis incommoditatibus expiraverit . Inter quos defecerunt bonæ memoriæ episcopi Andegavensis & Augustensis. Pars vero non modica infirmitate gravata regrediens, in viis, in silvis, & planitiis, in montibus & speluncis occubuit jam ex parte . Sane reliqui, vix obtenta licentia, licet galejæ, chalendræ, ac naves sufficientes ad transitum victualium, hominum , & equorum , ut promiserat, non adessent : in festo tamen beatæ Virginis, cum jam temporis instantia immineret, ut naves transmarinis partibus inciperent remeare, sulcare maria inchoarunt : sed pro nomine Jesu Christi se discrimini committentes, ac credentes Imperatorem cominus eorum vestigia secuturum. Idem vero, evacuatis promissionibus, ruptis vinculis, quibus tenebatur astrictus, calcato timore Divino , contempta reverentia Jesu Christi, censura ecclesiastica vilipensa, ac relicto exercitu Christiano , exposita infidelibus terra sancta, devotione populi Christiani abjecta, in suum & totius Christianitatis opprobrium retrorsum abstractus & illectus est ad consuetas regni delicias , abjectionem corporis suis frivolis excusationibus, ut dicitur, gestiens palliare. Attendite ergo, & videte, si est dolor sicut dolor sedis apostolicæ matris vestræ , sic crudeliter & toties deceptæ in filio, quem lactaverat, in quem posuit in hoc facto spei suæ fiduciam , in quem tot beneficiorum abundantiam cumulavit. Dissimulans interim, ne occasione inventa se averteret a terræ sanctæ subsidio, exilia præsulum, spoliationes, captivitates, & injurias multiplices, quas ecclesiis, viris religiosis, clericis irrovagit ; & obaudiens querelas multiplices pauperum populorum , & nobilium patrimonii ecclesiæ clamantium contra ipsum, quas in aures Domini Sabaoth credimus introisse . Et quamvis ecclesia Romana tueri debeat filium tanta diligentia educatum , & magnificentia exaltatum : nunc ipsum gemit sine marte victum, absque hoste prostratum , & in suæ confusionis opprobrium tam ignominiose dejectum. Non minus gemit exterminium exercitus Christiani , qui non inimicorum gladiis vel virtute defecit , sed calamitate tam miserabili est consumptus. Gemit etiam , quod pars residua bellatorum , exposita maris periculis & fluctibus tempestatum, absque duce, præceptore, & principe ducitur quo ignorat, modicum profectura terræ sanctæ utilitatibus . Quibus debitæ consolationis solatium & opportunæ subjectionis auxilium, impedientibus jam maris frementis procellis, temporisque angustia , juxta votum non possumus ministrare . Gemit insuper excidium terræ sanctæ : quam nunc eripi de manibus paganorum sperabamus; quam olim, ut asseritur, recuperasset Christianus exercitus per concambium Damiatæ, nisi semel eis & iterum imperialibus fuisset litteris interdictum . Qui etiam non fuisset in manibus paganorum inclusus, si galejarum subsidium , ut ex parte sua promissum fuerat, & fieri poterat, subsecutum esset. Nam Damiata, quæ, ut adstruitur, suo tradita nuncio, & aquilis imperialibus insignita, eodem die crudeliter spoliata, & per suos deteriorata , viliter & ignominiose per ipsos fuit infidelibus restituta. Recurrit etiam ad rediviva suspiria , & amissionem præscriptam , recolens Damiatæ tot laborum angustias , tot expensarum dispendia, tot mortes fidelium, & tot excursus temporum , quæ inutiliter effluxerunt, subortis lacrymis flere non cessat ; nec est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus, nec abstergat lacrymas a maxillis. Cum ergo vox ejus in Rama jam senuerit, & Rachel non solum filios, sed hæc omnia irremediabili lamentatione deploret : quis fluvium a gemitibus & suspiriis continebit ? quis filiorum cernens aquarum profluvia de matris oculis prodeuntia, lacrymas non effundet? Quis matris non compatietur angustiis, nec immensis ejus doloribus condolebit? Quis fidelium propter hæc non ardentius inflammabitur ad subsidium terræ sanctæ , ne Christiana juventus ex insperato casu penitus prostrata videatur, & ignominiose animo consternata? Nonne viri cordati, & filii Jesu Christi, debent ad subsidium terræ sanctæ tanto fortius animari , quanto ignominiam jam amplius resultare conspiciunt ex insperata ruina in Patrem & Filium, in redemptorem atque redemptos , ac Christum & populum Christianum?

Nos

Nos igitur hoc negotium tanto ardentius resumere affectamus, & profundiori consilio alta intendimus remedia invenire, quanto magis necessitas, & ex multis inflata doloribus nostram grandis angustia pavit: & sic cum Dominus populo suo modicum ostendit se iratum, de illius manu hoc tempore sacrificium non acceptans, qui prudentiam non est imitatus illorum per quem salus Israel consuevit. Non tamen misericordiæ Dei sunt consumptæ, nec ejus miserationes penitus defecerunt. Sperantes namque in misericordia Dei nostri, qui viam nobis ostendit, per quam in hoc opere prospere gradiamur: & viros secundum cor suum destinabit, qui præcedant in cordis puritate ac manuum munditia exercitum Christianum. Ideoque fraternitatem vestram obsecramus in Domino, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus hæc clero & populis vobis commissis fideliter exponentes, ac inducentes eosdem ad hæc exequenda, suos studeant animos præparare, & ipsos ad vindicandam injuriam Jesu Christi sedulis exhortationibus invitetis: ut cum ipsos sedes apostolica habito majori tractatu solicitandos providerit, promptos inveniat & paratos. Porro ne tanquam canes muti, non valentes latrare, videamur deferre homini contra Deum, non sumentes ultionem de illo qui tantam injuriam populo procuravit, imperatorem videlicet Fridericum, qui nec transfretavit in termino constituto, nec illuc in taxatis passagiis præscriptam pecuniam destinavit, nec mille duxit milites per biennium tenendos ad suum stipendium, pro subsidio terræ sanctæ ibidem; sed in tribus articulis manifeste deficiens, in descriptæ excommunicationis laqueum ultroneus se ingessit: excommunicatum, quamquam inviti, publice nunciamus, & mandamus ab omnibus arctius evitari; contra ipsum, si contumacia ejus exegerit, gravius processuri. Confidimus tamen adhuc in pii patris clementia qui neminem vult perire, quod oculi mentis caligantes, hoc ecclesiastico delibuti collyrio, si non fuerit animo rebellis, lumine poterunt illustrari; ut suam aspiciat nuditatem, & ignominiam suam, quam incurrit, avertat: sicque recurrat ad medicum, & ad matrem ecclesiam revertatur, per humilitatem debitam, & satisfactionem congruam, salutis remedia recepturus. Non enim ejus salutem in Domino affectamus interire, quem olim sincere dileximus in minori etiam officio constituti. Data Laterani, pontificatus nostri anno secundo.

III. AD ROMANUM FRANCORUM LEGATUM.

De persecutionibus ecclesiæ per Fridericum II. imperatorem.

Gregorius episcopus Romano Francorum legato salutem, &c.

ATtende quæsumus, & vide, si est dolor sicut dolor noster, quia filium quem nutrivit ecclesia Romana & exaltavit, sperans eum propugnatorem habere contra perfidas nationes, ecce nunc persecutorem sentit immanem, & hostem validum experitur. Et ne taceamus atroces injurias & jacturas enormes, quibus Fridericus dictus imperator ecclesiam & personas ecclesiasticas damnabiliter hactenus flagellavit, patrimonium apostolicæ sedis per Saracenos & alios impugnat: &, quod detestabilius est, cum Soldano & aliis Saracenis nefandis contrahens pactiones, illis favorem, Christianis odium exhibet manifestum, ad exterminandas domos hospitales & fratrum militiæ Templi; per quas reliquiæ terræ sanctæ hactenus sunt observatæ, impie annullando. De mandato enim illius inter Saracenos & Christianos, fide fracta treugarum, cum Saracenis domorum prædictarum hostiliter inquietans; occisis & captis quamplurimis cum prædas plures abduxissent, Templarii ex hoc moti insurrexerunt contra ipsos, & cum prædas abstuliissent ad valorem sex millium marcarum, Thomas comes Atterarum, Imperatoris bajulus, illis redeuntibus, furibundus & currens, eamdem prædam, ipsis non audentibus, juxta ordinis sui instituta, manum armatam contra Christianos erigere, abstulit violenter, & reddidit Saracenis: præter quædam, quæ idem Thomas sibi dicitur retentasse. Quod si Saraceni prædam auferant Christianis, dictus Thomas non solum ad recuperationem ejus intendit, sed nec patitur ut Christiani prædam auferant aliquando Saracenis. Quare factum est, ut illi ex hoc violentiores effecti, nostros audacter impugnent; & nostri prodictionis formidantes minus audeant refragari. Et sic effusio sanguinis Christiani nonnunquam in Imperatoris damnabile lucrum cedit. Adhuc autem Thomas prædictus, vel potius Imperator per ipsum, prædictas domos immanius persequens, ipsas domibus & possessionibus quas habebant vi arctiori per violentiam spoliavit: eosque privilegiis apostolicæ sedis privare contendens, & imperiali subjicere jurisdictioni nititur, in manifestam subversionem ecclesiasticæ libertatis. Centum Sclavos etiam, quos domus hospitalis & Templi habebant in Sicilia & Apulia, colligi faciens, eos reddidit Saracenis: nulla exinde recompentatione facta domibus supradictis. Et sic servis Christi servos præfert Machometi, ut ex præmissis ostenditur evidenter. Adhuc pro certo scias, quod licet dictus Imperator cum paucis militibus mare dicitur intrasse: contra patrimonium ecclesiæ magnum exercitum Christianorum, & Saracenorum multitudinem destinavit; ut de observatione fidei & malignitate constet, omnibusque manifestum exhibeat argumentum. Unde, inquam, firmam spem fiduciamque habemus in illo, qui ecclesiam suam supra fidei petram stabiliens, quamtumcumque irruant venti, & inundent flumina, ipsam tamen non permittet everti, vel naufragari. Dum itaque videmus eum in subversione fidei Christianæ ita nequiter machinantem, ita impie sævientem, possemus extremum periculum formidare. Sed quantumcumque impii prolongetur iniquitas, nunquam tamen in sua poterit pravitate prævalere, sed in ea potius evanescet. Cum igitur ex officio, licet indignis nobis injuncto, providere cogimur, ne minister Machometi in Christi ministros diutius valeat desævire, sed sæviens potius confundatur, & gloria Christiani nominis exaltetur; dilectioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus per terram legationis tuæ hæc solemniter prædices Christi fidelibus, ut pro statu fidei, & religionis observantia, stent ex animo tanquam prosequentes singuli proprium interesse, ac salutaribus monitis effectibus eos & exhortationibus inducere non postponas. Datum Laterani Nonis Augusti pontificatus nostri anno secundo.

IV.

IV. AD ELIENSEM ET LONDINENSEM EPISCOPOS.

De electione abbatis ſancti Albani.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Elienſi & Londinenſi epiſcopis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MOnaſterio ſancti Albani Lincolnienſis diœceſis, quod ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinet, abbatis ſolatio deſtituto, dilecti filii prior & conventus ipſius monaſterii, ſicut accepimus, requiſito prius, ſicut moris eſt, aſſenſu regio & obtento, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode intereſſe, de abbatis futuri ſubſtitutione tractantes, poſt diverſos tractatus, quibuſdam de collegio, eligendi ei abbatem poteſtatem plenariam unanimiter contulerunt. Iidem vero electores, Deum habentes præ oculis, collatione ſuper hoc & deliberatione habita diligenti, & Spiritus ſancti gratia invocata, dilectum filium fratrem Joannem de Hertford, ejuſdem monaſterii monachum, virum, ut aſſerunt, providum & diſcretum, ac in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum, & cum eis a puero laudabiliter converſatum, in abbatem eorum & patrem concorditer & canonice elegerunt. Quorum electionem ſolemniter publicatam univerſi & ſinguli approbantes, nobis per dilectos filios fratres Reginaldum & Nicolaum monachos & nuncios ſuos, ac litteras, humiliter ſupplicaverunt: ut, cum per eumdem Joannem grata ipſi monaſterio in ſpiritualibus & temporalibus incrementa ſperarentur authore Deo proventura, & rectis diſpoſitionibus nihil debeat difficultatis afferri, electionem hujuſmodi confirmare de benignitate ſedis apoſtolicæ dignaremur. Licet igitur prædicti nuncii ſolicite ſuper hoc inſtiterint & prudenter, & nos pro eodem monaſterio libenter quod cum Deo poſſumus facere intendentes, electionem ipſam, examinatam prout convenit diligenter, canonicam invenerimus quoad formam; quia tamen de perſonæ meritis plenam notitiam non habemus, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus quæ circa electi perſonam inquirenda fuerint ſolicite inquirentes, ſi eam ſufficientem inveneritis ad ejuſdem monaſterii regimen aſſumendum, præmiſſam electionem authoritate apoſtolica confirmetis, & electo faciatis eidem obedientiam & reverentiam debitam exhiberi, ac munus benedictionis impendi: recepturi ab eo poſtmodum pro nobis & Romana eccleſia fidelitatis ſolitæ juramentum, juxta formam quam vobis ſub bulla noſtra mittimus intercluſam. Alioquin, ea rite caſſata, faciatis dicto monaſterio de perſona idonea per electionem canonicam provideri: contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Formam autem juramenti, quod ipſe præſtabit, nobis de verbo ad verbum per ejus patentes litteras ſuo ſigillo ſignatas quamcito poteritis per proprium nuncium tranſmittatis. Quod ſi non ambo his exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur. Datum Peruſii, &c.

EPISTOLA GERMANI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI AD GREGORIUM PAPAM ROMANUM.

De unitate.

Santiſſimo & excellentiſſimo papæ veteris Romæ & apoſtolicæ ſedis rectori Germanus miſeratione Divina archiepiſcopus Conſtantinopolitanus novæ Romæ.

O Domine Jeſu Chriſte, ſalvum me fac, o Domine, bene proſperare: te enim lapidem angularem, honorificatum, pretioſum, electum, in fundamentum pono hujus negotiationis toti Orbi ſalutiferæ. Didici enim per prophetam tuum Iſaiam, quod omnis qui credit in te, talem lapidem exiſtentem, nullatenus confundetur, neque a ſuæ ſpei baſe poterit commoveri. Et ita ſe habet veritas, & nullus contradicere audet, niſi patris mendacii diſcipulus fuerit. Opus autem tuum eſt, qui lapis angularis exiſtis, conjungere quæ procul ſunt: vel quæ inter ſe diſtant, & ea quæ diviſa ſunt, in unitate fidei congregare. Tu enim es qui & procul & prope exiſtentibus pacem evangelizaſti, & fines orbis terrarum per tuarum ſuper crucem exaltationem manuum ad euſebiam convocaſti, & paterno more ſuper humeros elevaſti. Tuæ igitur inæſtimabili clementiæ ſupplico, qui Patris es Verbum omnipotens, conſubſtantialis ſapientia Dei, ædifica in me domum hujus rei, & tu ſis ejus & fundamentum & tectum, qui

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΤΟΥ ΑΓΙΩΤΑΤΟΥ ΚΥΡΟΥ ΓΕΡΜΑΝΟΥ

χρόν. χοιστ. ,ςςλη.

Α'ρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως νέας Ρώμης καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου, πεμφθεῖσα πρὸς τὸν πάπαν Γρηγόριον.

Ω Κύριε σῶσον δή. ὦ κύριε εὐόδωσον δή. σὲ γὰρ τὸν ἀκρογωνιαῖον λίθον τὸν πολυτελῆ, τὸν ἐκλεκτὸν, τὸν ἔντιμον, κατὰ τὴν περὶ σοῦ τοῦ προφήτου προσηγορίαν, εἰς θεμέλιον ὑποβάλλω ταύτης τῆς κοσμωφελοῦς πραγματείας. δεδίδαγμαι γὰρ ἀπὸ σοῦ τοῦτο, ὅτι πᾶς ὁ πιστεύων εἰς σὲ, οὐ καταισχυνθήσεται. οὐδὲ τῆς τῶν ἐλπίδων αὐτοῦ παρασαλευθήσεται βάσεως. καὶ ἔχει μοῦ ὕπως τὸ ἀληθές· καὶ οὐδεὶς ἀντειπεῖν τολμήσειεν ἄν, εἰ μὴ τῷ πατρὶ τοῦ ψεύδους προφανῶς μεμαθήτευται. ἔργον δέ σου τὸ ἀκρογωνιαῖον λίθον, τὰ κατὰ γωνίαν διεστηκότα, εἰς ἑνότητα πίστεως συναγαγεῖν τὰ διαιρεμένα. καὶ Παῦλος ὁ καὶ τοῦ Ησαΐου μεγαλοφωνότερον, σὲ εἶναι τοὺς μακρὰν καὶ τοὺς ἐγγὺς εἰρήνην εὐαγγελιζόμενον διαμαρτύρεται, τὸν δὲ τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης διὰ τῆς ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τῶν χειρῶν σου ἐκτάσεως συγκαλεσάμενος πρὸς εὐσέβειαν, καὶ συναγαλισάμενον πατρικῶς. λοιπὸν δέομαί σου ἵνα ἀπλανὴς ὁδὸς καὶ σωτηριώδης, ἀνωθεν ὁδοῦ τὸν λόγον ὁ ζῶν τοῦ παντὸς λόγος. ἡ παντοδύναμος καὶ * ὑπόστασις σοφία τοῦ Θεοῦ. ὡστὲ οἰκο-

* Forte, ἐνυπόστασις.

---

1 *Hæc epiſtola nobis data Græce, deſcripta ex codice Regio* 2503. *a* R. P. MICHAELE LEQUIEN, *e ſacro Prædicatorum Ordine, viro pererudito, & nobiſcum amicitia conjunctiſſimo.* Harduinus.

οἰκονόμησόν μοι τὸν οἶκον τῆς ὑποθέσεως· καὶ σὺ ἔσο ταύτης καὶ θεμέλιος, καὶ ὄροφος, ὁ κατὰ τὴν θεολογικὴν τοῦ Ἰωάννου φωνὴν, ἄλφα καὶ ὦ λεγόμενος, ὡς τοῦ παντὸς ἀρχὴ καὶ τέλος ἀπερίοριστος. καὶ ταῦτα μὲν τῆς ἀρχῆς ἐν τύποις.

Καὶ δὴ πρότερον ἄραντες τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὰ ὄρη τὰ ἐπουράνια, ὅθεν ἥξει ἡ βοήθεια ἡμῶν, ἐπευξάμενοι, ἤδη δὲ καὶ πρὸς σὲ τὸν ἁγιώτατον πάπαν τὸν τοῦ ὑψηλοτάτου θρόνου τὴν προεδρείαν λαχόντα, τὸ τοῦ λόγου μεταστρέπομεν πρόσωπον· καὶ θέλησον ὑποκαταβῆναι μικρὸν τοῦ ὕψους τῆς δόξης σου, καὶ προσέχειν τοῖς ῥήμασι τοῦ χθαμαλοῦ μὲν τῷ βίῳ, τῷ λόγῳ δὲ ἰσχνοφώνου, εἴπερ εἶ μιμητὴς τοῦ ἐν ὑψηλοῖς κατοικοῦντος, καὶ τὰ ταπεινὰ ἐφορῶντος Θεοῦ. ἄρξομαι δὲ ἐντεῦθεν, καὶ κλῖνον τὸ οὖς σου εὐμενῶς καὶ ὑπόδεξαι τῶν ῥημάτων μου· ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ, ἡ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος τὰ πάντα καθάπαξ παραγαγοῦσα δημιουργικῶς, πάντοτε δὲ συνέχουσα προνοητικῶς, εἴωθεν πολλάκις ἐκ μικρᾶς οἷά τινος θεμελίου καταβεβλημένης ἀφορμῆς, μεγάλας πράξεις ἐς ὕστερον ἐποικοδομεῖν * κοινωφελεῖς τε καὶ σωτηριώδεις. Ἰωσὴφ γὰρ, ὡς ἴσμεν, ἀργυρώνητος, δοῦλος ἐπήχθη, καὶ φυλακῆς λάκκῳ ἐβλήθη, καὶ τοῖς δεσμώταις ἐκκρίνεται. ἀλλὰ τί φησιν ἡ γραφή; ἀπέστειλε βασιλεὺς, καὶ ἔλυσεν αὐτόν· ἄρχων λαοῦ, καὶ ἀφῆκεν αὐτόν. ὅπως ἔνδοξα, ὅπως θαυμάσια, ὅπως ὁ Θεὸς διὰ μέσου τούτου δεδόξασται, τὴν ἱεράν σου διάνοιαν οὐ διαπέφευγεν.

* ἴσ. κοινωφελῆ.

Εἰς τί δὲ βλέπει ὁ λόγος, καὶ τί δηλοῦν γίνεται; οἱ παρόντες κατὰ Θεὸν ἀδελφοὶ, οἱ περιστατικῷ τινι συναντήματι καὶ φόβῳ τῶν κατακρίτων ἐγγίσαντες τοῦ πανσεβοῦς βασιλέως καὶ κρατίστου μου αὐτοκράτορος, ὅπως προμηθείας ἠξίωνται, καὶ τῷ προσώπῳ τῆς ἡμῶν * ἐμφανίσθησαν μετριότητος, τῇ ἁγιότητί σου γνωριοῦσιν. ἡ καλὴ συνοδία καὶ ἀδιάσπαστος συμψυχία, ὧν ἡ ποσότης τῶν φρονίμων παρθένων ἰσάριθμος, ὅτι ἡ λαμπὰς τῶν ἔργων, καὶ τὸ ἐντεῦθεν φῶς, ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων ἐκλάμπει πρὸς δόξαν τοῦ ἐπουρανίου πατρὸς, καὶ φρονίμων τὸ ἔλαιον ἐπιβάλλουσι τῆς ἀγαθοεργίας ἀεὶ, ὅπως μὴ κατασβεσθείη τὸ φῶς, καὶ αὐτοὶ πρὸς ὕπνον ἐκτραπῶσι τῆς ἀκηδίας, καὶ ὑπερείργωσι τῆς εἰσόδου βασιλείας, ἄραβδοι πάντες, μονοχίτωνες, ἀνυπόδετοι. νῦν δὲ καὶ ὡραιωθῆναι τοὺς πόδας αὐτῶν ὑπονοῶ ἀποστολικῶς εὐαγγελιζομένων εἰρήνην καὶ ἀγαθὰ μέσον γραικῶν καὶ λατίνων. καὶ συντόμως εἰπεῖν, ὅλοι κοῦφοι καὶ ἐλαφρότατοι ταχυδρόμοι Χριστοῦ, σπεύδοντες φθάσαι τὸ τῶν καλῶν πάντων τὸ ἀκρότατον, καὶ οὗ γενόμενοι, στήσονται τοῦ δρόμου τῆς ἐφέσεως. οὗτοι τοίνυν οἱ κατὰ Θεὸν εὐτελεῖς ἀδελφοὶ, οὕτως ἡνωμένοι ὁμοφροσύνῃ καὶ ὁμονοίᾳ, καὶ ἀναπληροῦντες τὸν πενταδικὸν ἀριθμὸν, εἰς ἀγαθὸν σημεῖον ἡμῖν ἀνεφάνησαν, καὶ εἰς ἐλπίδας χρηστὰς παρεβάλοντο, τῆς τῶν πέντε πατριαρχείων σὺν Θεῷ φᾶναι φιλοχρίστου ἑνώσεως καὶ ὁμονοίας· παρέβαλον δὲ τῷ ἡμετέρῳ οἰκήματι κατὰ θείαν πρόνοιαν, ὡς πεπίστευκα, τὴν πάντα πρὸς τὸ συμφέρον οἰκονομοῦσαν, καὶ λόγων πολλῶν μέσον ἡμῶν κινουμένων, ἐπολυπραγμονεῖτο πλέον τῶν ἄλλων τὸ πολυχρόνιον σχίσμα τοῦ ἀρράφου χιτῶνος τῆς εὐσεβείας τῆς ἄνωθεν ὑφαντοῦ, ὃν ἀποστολικαὶ χεῖρες τὴν καθολικὴν τῶν χριστιανῶν ἐνέδυσαν ἐκκλησίαν, καὶ πατέρων ἁγίων καὶ διδασκάλων διάφοροι συνελεύσεις συνέσφιγξαν περιζώσασθαι. τολμηραὶ δὲ

* ἴσ. ἐνεφανίσθησαν.

A juxta theologicam vocem Joannis, Alpha & Omega diceris, tanquam omnium principium & finis incircumſcriptus.

Ac in primis oculos elevantes ad montes cœleſtes, unde venire nobis auxilium oravimus, deinde ad te ſanctiſſimum papam, qui apoſtolicæ ſedis primatum ſortitus es, ſermonis mutamus exordium. Et velis deſcendere aliquantulum ab altitudine gloriæ, & incumbere verbis meis, qui miſer ſum & vita & ſermone: ſi tu, inquam, aſſimilaris ei qui in altis habitat, & humilia reſpicit Deus. B Incipiam autem hinc: Inveſtigabilis ſapientia Dei, quæ ex non eſſe omnia ſimul produxit ad eſſe, ſemper autem continet, & provide regit, conſuevit multoties ex minima occaſione, velut quodam fundamento diu ante poſito, magna opera poſtmodum ſuperædificare, ad commune proficuum & ſalutem. Joſeph in Ægyptum argenteis venumdatus, ſervus deducitur in lacum, & in carcerem truditur; quæ autem ſecuta ſunt poſtmodum, quam glorioſa, quam honorabilia fuerint, & qualiter Deus in medio ejus glorificatus extiterit, ſapientiſſimam mentem ſacræ animæ tuæ, ſanctiſſime pater, non latet. Ad quid autem C ſermo reſpiciat, & quid ſignificare vult, fratres præſentes, quos quidem periculoſus occurſus & injuſtus carcer fecit noſtro vultui præſentari, veſtræ ſanctitati exponent: quorum numerus prudentum virginum numero æquipollet. Nam & lampas operum ſuorum, & quod ex ea lumen exit, coram hominibus lucet in gloriam cœleſtis Patris: ac prudenter oleum boni operis apponunt ſemper, ne lumen lampadis extinguatur, & ipſi ad ſomnum trahantur accediæ, & introitu regni careant. Sine baculis ſunt omnes, & veſtes ſingulas ſinguli habent, & ſine calceamentis. Nunc autem pedes eorum pulcros ſecundum Apoſtolum exiſtimo, tamquam evangelizantium D pacem inter Græcos & Latinos: ut breviter dicatur, velut ex toto vacui, & leviſſimi & expediti curſores, ad Chriſtum properantes attingere, qui omnium bonorum eſt meta. Ad quem cum pervenerint, ſiſtent curſum, & percipient quod peroptant. Hi quidem, qui ſecundum Deum minores fratres dicuntur, ſic uniti in una voluntate & unanimitate æquipollentes in quinquenario numero, in bonum ſignum apparuerunt, & ſpem bonam propoſuerunt de unitate & concordia, annuente Domino, inter quinque patriarchatus. Acceſſerunt autem in domum noſtram fratres ipſi ex Divina providentia, ſicut credidi, quæ cuncta diſponit in eo quod expe- E dit: & cum hinc inde inter nos multa verba fuiſſent exorta, vertebatur magis locutio præ ceteris ſuper ſchiſmate longi temporis tunicæ inconſutilis euſebiæ deſuper contextæ, qua veſte videlicet apoſtolorum manus catholicam Chriſtianorum eccleſiam induerunt. Præſumptuoſæ non quidem manus militum, ſed eccleſiaſticarum perſonarum ſenſus ſciderunt & diviſerunt. Et ſchiſma equidem magnum & multorum annorum, & nullus eſt qui miſereatur ſponſæ Chriſti, quæ ſic ſciſſa veſte induta eſt, aut qui ejus velit turpitudinis miſereri. Hoc, ut credo, & David in libro pſalmorum plangit, dicens: Di-

Psalm. 34. *viſi ſunt, & non ſunt compuncti*. Si enim compunctionem habuiſſemus, doleremus, & contriſtaremur; & ſi tribulationem & dolorem inveniremus, nomen Domini utique invocaremus, & adhuc nobis petentibus adeſſet, ſicut in medio diſcipulorum jampridem pacificans diſcordes, & cogitationum amphilogiam corrigens. Numquid enim non mordentur ejus viſcera? numquid non contriſtantur propter diſcordiam? etiam valde. Pater enim eſt, & omnium patrum piiſſimus, & non ſuſtinet videre pignora hoſtili more ſe ad invicem evellentia & diſperdentia, & more piſcium alterum ab altero devorari; eo quod major contra minorem extollitur, & qui potentior eſt opprimit infirmiorem. Siccine docuit nos piſcator Petrus hominum, qui contra naturam prioris artis, de morte ad vitam quos piſcatus eſt traduxit? Heu! quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plangam die ac nocte ſuper contritione novæ Jeruſalem de gentibus eccleſiæ congregatæ? qualiter electus populus Dei, in Judam & Iſrael diviſi fuimus, & civitates noſtræ in Jeruſalem & Samariam? Ea enim quæ de Cain & Abel, vel Eſau & Jacob contigerunt, qui fratres quidem natura erant, hoſtes quidem mente, & ſic contrarii; piget me hæc ſermoni inſerere, ne forte primatui fraternitatis injuriari videar, aut ſubripere velle credar primogenita. Verumtamen, nec pater meus ſenuit, nec oculi ejus caligaverunt, ſed in cœlis exiſtens liquide omnia videt; & his qui injuſte oppreſſi ſunt benedictionem largitur. Sunt quippe hæc amara valde, & intelligenti tinea oſſium, ſi frequenter ad memoriam deducantur. Sed quod ſequitur, vel quod dicendum eſt, amarius, & malorum omnium eſt peſſimum, & omni gladio ſecante utrimque magis acutum, & magis reſecans, contra quoſcumque hominum fuerit adductum, ſive contra Græcos, ſive contra Latinos. Quid eſt hoc? Paulum dicentem audiamus: *Gal.* 1. *Sive nos, ſive angelus de cœlis evangelizaverit vobis præter id quod evangelizavimus, anathema ſit*. Et non ſemel hujuſmodi gladio percutit, ſed & ſecundo, ut majorem dolorem ex ſecunda percuſſione adducat, & ad medicum quærendum exſurgant qui mortem animarum pertimeſcunt. Quid ergo dicam? Omnem curam & omnem ſolicitudinem aliam a mentibus excutiamus velut pulverem a pedibus, & cum omni deſiderio quæramus quos tangit hic gladius biceps & terribilis, & qui ſunt quos ſeparat a compage eccleſiaſticorum membrorum, quorum caput Chriſtus eſt. Si nos Græcos, oſtendite plagam, & ſanguinem a vulnere tergite, ac emplaſtra ſpiritualia apponite, & ligamentis conſtringite, & ſalvos facite fratres in periculo poſitos, ne pereant; & Salomoni acquieſcite proverbialiter ſic dicenti: *Prov.* 27. *Frater in anguſtiis comprobatur*. Maxime autem ipſum Dominum audiatis, qui ſapientiam ipſi tribuit Salomoni, & qui loquitur per prophetam: *Jerem.* 15. *Qui ſeparaverit pretioſum a vili, quaſi os meum erit*. Si autem nos quidem Græci ſine plaga ſumus, & abſque vulnere a gladio anathematis, contra autem Italicos & Latinos acutiſſime adducitur, & ad mactandum & perdendum quoſdam extenditur: exiſtimamus quod non ſuſtinebitis per ignorantiam & pravam pertinaciam vos a par-

χέρες, ὑμενῶν στρατιωτικῶν, ἀλλ' ἐκκλησιαστικῶν * φαίνεσθαι ἔχισαν καὶ διέῤῥηξαν. καὶ τὸ σχίσμα μέγα καὶ πολυχρόνιον, ἐδεὶς ὁ ἐλθὼν ἐπὶ τὸν νύμφιον Χριστὸν ὅπω διεῤῥηγμένον φορέσαν ἱμάτιον, καὶ τῆς ἀκτημοσύνης αὐτῷ κατοικτείρων.

Τοῦτο οἶμαι καὶ ὁ Δαβὶδ ἐν τοῖς ψαλμοῖς θρηνῶδεῖ· διεχύθησαν, λέγων, καὶ οὐ κατενύγησαν. εἰ γὰρ καὶ κατενύγημεν, ὠδυνήθημεν ἄν, ἐθλίβημεν. καὶ ἐὰν θλῖψιν καὶ ὀδύνην εὕρωμεν, τὸ ὄνομα κυρίου ἐπικαλεσόμεθα. καὶ ἔτι ἡμῶν ἐπικαλουμένων, ἐν ἡμῖν γένηται ὡς ἐν μέσῳ μαθητῶν πρότερον, εἰρηνοποιῶν τὰ διαμαχόμενα, καὶ τὴν ἀμφιβολίαν τῶν λογισμῶν διορθούμενον. μὴ γὰρ οὐ δάκνεται τὰ σπλάγχνα; μὴ οὐ λυπεῖται τινὶ διάσπιν; ναὶ σφόδρα. πατὴρ γάρ ἐστι, καὶ πατέρων πάντων φιλοστοργότερον, καὶ οὐκ ἀνέχεται βλέπειν τὰ φίλτατα, ἐχθρὰ διασπώμενα ὑπ' ἀλλήλων, καὶ δίκλωσι ἰχθύων ἀλληλοφαγοῦντα, ἐν τῷ τὸν μείζονα κατεπαίρεσθαι τοῦ ἐλάττονος, καὶ τὸν ἰσχυρὸν καταπεμβαίνειν τοῦ ἀσθενοῦς. ὅπως ἐδίδαξεν ὑμᾶς ὁ τῶν ἀνθρώπων ἁλιεὺς Πέτρος, ὡς ἀπεναντίας τῆς προτέρας τέχνης ἀπὸ θανάτου πρὸς ζωὴν τοὺς ἁλιευομένους μεταφέρων· ὦ τίς δώσει τῇ κεφαλῇ μου ὕδωρ, καὶ ταῖς ὀφθαλμοῖς μου πηγὴν δακρύων, καὶ κλαύσομαι ἡμέρας καὶ νυκτὸς ἐπὶ τῷ σωζομένῳ τῆς νέας Σιὼν, τῆς ἐξ ἐθνῶν ἐκκλησίας; πῶς ὁ ἐκλεκτὸς λαὸς τοῦ Θεοῦ εἰς Ἰουδὰν καὶ Ἰσραὴλ διῃρέθη; καὶ αἱ πόλεις ἡμῶν εἰς Ἱερουσαλὴμ καὶ Σαμαρείαν; τὰ γὰρ κατὰ τὸν Κάϊν καὶ τὸν Ἄβελ, ἢ τὸν Ἡσαῦ καὶ τὸν Ἰακὼβ, τοὺς ἀδελφοὺς μὲν τῇ φύσει, πολεμίους δὲ τῇ γνώμῃ καὶ ἐναντίους, οὐκέτι παραπλέκειν τὸν λόγον, ἵνα μὴ τὸ πρωτεῖον τῆς ἀδελφότητος ἀτιμάσω, καὶ δόξω ὑποκλέπτειν τὰ πρωτοτόκια. πλὴν ἐνταῦθα ὁ πατὴρ ἡμῶν ἐγεγήρακεν, οὐδὲ ἀμβλυώπησεν, καὶ τοῖς καταπονουμένοις ἀδίκως τὴν ἀλογίαν χαρίζεται. εἰσὶ μὲν οὖν εἰσὶ καὶ ταῦτα πικρὰ, καὶ τῇ αἰσθητικῇ καρδίᾳ σὺν ὀδέων ἁπλήστως διαβιβρωσκόμενα.

Τὸ δὲ νῦν ῥηθησόμενον, χαλεπώτερον, καὶ δεινῶν ἁπάντων δεινότερον, καὶ μαχαίρας πάσης τμητικῆς καὶ δισσὴν ὀξύτερόν τε καὶ τμητικώτερον, καθ' ὧν ἀνθρώπων κατενεχθῇ, εἴτε κατὰ λατίνων, εἴτε κατὰ γραικῶν. ποῖον τοῦτο; Παῦλος λέγοντος ἀκούσωμεθα. ἐὰν ἡμεῖς, ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εὐαγγελίζεται ὑμῖν παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω. καὶ οὐχ ἅπαξ τὴν ῥομφαίαν κατακοντίζει, ἀλλὰ δεύτερον. ἵνα σφοδροτέραν ἀπεργάσηται τὴν ὁδυνίαν, δι' ἧς δευτέρας ἐπάγει, καὶ φρὸς ἀναζήτησιν ἰατροῦ ἀγαγῶσιν οἱ τὸν ψυχικὸν φοβούμενοι θάνατον.

Τί οὖν φημι; πᾶσαν ἄλλην φροντίδα, πᾶσαν μέριμναν, τυρβασμὸν πάντα ἀπὸ τῆς καρδίας τινάξωμεν, ὡς κονιορτὸν ἀπὸ τῆς ποδῶν· καὶ μὴ τοσοῦτος πάσης ζητήσωμεν, τίνων αὐτὴ καθάπτεται ἡ φοβερὰ καὶ δίσομος μάχαιρα, καὶ τίνας ἐκτέμνει ἀπὸ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ὁλομελείας, ἧς ἐστι κεφάλαιον ὁ Χριστός. εἰ μὴ τοὺς Γραικοὺς ἡμᾶς· δείξατε τὴν πληγὴν, καὶ τὸ * θαῦμα μοττώσατε, ἀδελφοὺς ἡμᾶς κινδυνεύοντας ἀπολέσθαι, τῷ Σολομῶντι πειθόμενοι. σοφὸς ἀνὴρ παροιμιαστικῶς λέγει. ἀδελφοὶ ἐν ἀνάγκαις χρήσιμοι ἔσωσαν. μᾶλλον δὲ αὐτοῦ ἀκούσατε τοῦ Θεοῦ τοῦ τὸν Σολομῶντι σοφίσαντος, καὶ φθεγξομένου ὅτι προφήτου. ὁ ἐξάγων ἄξιον ἐξ ἀναξίου, ὡς τὸ στόμα μου ἔσῃ. διὸ καὶ ἡμεῖς οἱ Γραικοὶ ἄπληγές ἐσμεν καὶ ἀξαιμάτιστοι ἐκ τῆς μα-

* Forte, φαίνεσθαι.

Ψαλμ. 34.

Γαλ. 1.

* Pro, τραῦμα.

Παροι. 27.

Γερεμ. 15.

χαι-

χαίρας τῶ ἀναθέματος· καὶ δὲ Ιταλῶν καὶ Λατίνων ὀξύτατα φέρεται, καὶ θῦσαι, καὶ ἀπολέσαι τινὰς καπατείγεται. νομίζομεν ὡς ἐκ ἀντίξεσθε δί ἄγνοιαν καὶ πεισμονὴν βλαβεραν τῆς τῶ Χριστῶ μερίδος ἀπορράγισαι, ὑπὲρ ἃ μυρίας ἂν θανάτας εἰ δυνατὸν ἕκαστος ἡμῶν μὴ χαρᾶς ὑπομείναι. ὅτι δὲ διαφωνία καὶ δογμάτων ἐναντιότης, καὶ κανόνων καπάλυσις, καὶ παξοπαραδότων ἐθῶν ἀλλοίωσις, καὶ μεσότοιχοί εἰσι τῶ φραγμῶ τῶ διῤῥῶντος τὰ πρὸν λιθωμένα τῆς εἰρήνης καὶ ὁμονοίας σωδέσμῳ, ἡ οἰκουμένη πᾶσα χείλος ἓν γεγονὸς ἀναβοήσεται. * ἐντεῦθεν καὶ ἄσπονδος πόλεμος κατ' ἀλλήλων. πολέμους ἀφανισμοὶ, σφραγίδες ἀπηρθρωμένοι κατὰ τῆς ἐκκλησιαστικῶν θυρῶν, ἱεροσυλίαις παντοίαις, ἵνα μὴ γραικαῖς φωναῖς δοξολογῆται Θεός.

Εἴ ἐλείπετο μόνον, καὶ γένοιτο καὶ αὐτὸ, ἵνα μαρτυρίας καιρὸς αὐτῆ, καὶ βῆμα τυραννικὸν προτεθῆ, καὶ θρόνος μαρτυρικὸς ἀνοιγῆ. καὶ ἡμεῖς πρὸς τὸ σάδιον τῆς μαρτυρίας ἀναδησώμεθα, τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἀγωνισάμενοι, καὶ παντοκρατορικῆ στεφθησώμεθα δεξιᾷ. οἶδεν ἃ λέγω ἡ Κύπρος ἡ περιώνυμος νῆσος, νέας μάρτυρας θεασαμένη, καὶ στρατιώτης Χριστῶ, οἳ πρότερον δί ὕδατος διελθόντες δακρύων τῆς κατανύξεως, καὶ τοῖς ἱδρῶσι λουσάμενοι τοῖς ἐκ τῆς ἀσκητικῶν τῶ σώματος πόνων ἐπὶ χρόνοις μακροῖς, τὸ τελεσπιῶν διῆλθον δι' πυρὸς καὶ ὕδατος, καὶ ἐξήγαγεν αὐτοὺς ὁ ἀγωνοθέτης Θεὸς εἰς τὸν εὐρύχιον ἀναψυχήν.

Καλά γε ποῦτο, ἁγιώτατε, ὡς τῶ ἀποστόλου Πέτρου διάδοχε; ποῦτα παραγγέλλει ὁ τῶ πρᾶου καὶ πιπεινῶ τῇ καρδίᾳ Χριστῶ μαθητής; ὅπου καπιρτίζει τὰς πρεσβυτέρους διὰ τῆς ἐπιστολῆς; πρεσβυτέρους, φησὶ, τοὺς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ ὁ συμπρεσβύτερος, καὶ μάρτυς τῆς τῶ Χριστῶ παθημάτων, ὁ καὶ τῆς μελλούσης ἀποκαλύπτεσθαι δόξης κοινωνός· ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τῶ Θεῶ, ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως, μηδὲ αἰσχροκερδῶς, ἀλλὰ προθύμως· μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶ κλήρου, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τῶ ποιμνίου. καὶ φανερωθέντος τῶ ἀρχιποιμένος, κομιεῖσθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον. αὕτη ἐστὶν ἡ τῶ Πέτρου διδασκαλία. καὶ ὄψονται οἱ μὴ πειθαρχοῦντες αὐτῆ. ἡμῖν δὲ παράκλησιν ἐκεῖνο τὸ μέρος τῆς ἐπιστολῆς, ἐν ᾧ ἀγαλλιᾶσθαι παραγγέλλει, λυπουμένοις ἄρτι ἐν ποικίλοις πειρασμοῖς, ἵνα τὸ δόκιμον ἡμῶν τῆς πίστεως πολυτιμώτερον χρυσίου τῶ ἀπολλυμένου, διὰ πυρὸς δὲ δοκιμαζομένου, εἰς ἔπαινον καὶ δόξαν καὶ τιμὴν ἐν ἀποκαλύψει Ιησοῦ Χριστοῦ.

Αλλὰ σύγγνωθι, ἅγιε δέσποτα, καὶ τῆς πρεσβυτέρων τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης ἀρχιερέων συμπαθέστατε καὶ πραότατε, καὶ ἀναχῦ ῥημάτων δημότητος μετεχόντων. παθαινομένης γὰρ καρδίας γλυκήματα· καὶ δίδοται συγγνώμη παρὰ τῆς ἀδιακρίτων ἀνδρῶν, τοῖς διὰ λύπην λαλήσασί τι δακνηρόν. ζῶσαι δὲ ὥσπερ ἀνὴρ τὴν ὀσφύν σου, καὶ ἄναψόν σου τὸν λύχνον τῆς διακρίσεως, καὶ ζήτησον τὴν ἀπολλυμένην δραχμὴν τῆς ἐπὶ τῇ πίστει ἑνώσεως, καὶ συγκακοπαθήσομέν σοι τῇ ἁγιότητι καὶ ἡμεῖς. ὃ φείσωμεθα σώματος ἀδενοῦς· ἀγῶνας προφασισόμεθα· ὃ μακρὰν ὁδοιπορίαν. ὅσον γὰρ ἐγκοπότερόν ἐστι τὸ ἐγχείρημα, τοσοῦτον πλειόνων στεφάνων παράτιον. ἕκαστος γὰρ κατὰ τὸν ἴδιον κόπον μισθὸν λήψε-

* *Multa hic desunt, quæ in Latinolegi.*

te Domini separari: pro quo decem mille mortes, si foret possibile, quilibet vestrum libenti animo sustineret. Quod aut discordia magna, & dogmatum contrarietas, & canonum destructio, & rituum, quos tradiderunt patres, immutatio, materia sint sepis, quæ separat ea quæ prius unita fuerant & conjuncta concordiæ & pacis conjunctione, totus Mundus una lingua factus acclamabit, Dominum protestans, invocans cœlum & terram in testimonium, quia nos junctis manibus vobis uniri, vel vos nobis, facta diligenti inquisitione profundæ veritatis cum invocatione sancti Pneumatis, instantissime postulamus, nec amplius schismatico scandalo immerito deturpari, & Latinis diffamari, vel vos a Græcis depravari. Et ut veritatis medullam attingamus, multi potentes ac nobiles vobis obtemperarent, nisi injustas oppressiones & opum protervas exactiones & servitutes indebitas, quas a vobis subjectis extorquetis, formidarent. Hinc & crudelia bella in alterutrum, civitatum desolatio, sigilla januis ecclesiarum impressa, fratrum schismata & sacerdotalis ministrationis prorsus vacat operatio, ne Græcorum climatibus, ut deceret, Deus collaudetur. Unum, ut credimus, quod Græcis jampridem desuper fuit præfinitum, hucusque defuit, tempus scilicet martyrii: sed & ipsum jam imminet, ut tribunal tyranni-cum aperiatur, & sedes tormentorum proponatur, fluat cruor inundans, & nos ad martyrii stadium descendamus, & bonum certemus agonem, coronas ab Omnipotentis dextra recepturi. Novit ea quæ dico, & propter quid, Cyprus famosa insula: quæ novit, & quæ novos martyres fecit, & vidit milites Christi, qui prius per aquam transeuntes, lacrymarum compunctionibus & sudoribus loti, ex confessionis laboribus per longa tempora ad ultimum etiam per ignem transierunt: & eduxit eos agonothetes Deus in cœleste refrigerium. Bona numquid sunt, o papa sanctissime apostoli Petri successor? Hæc injungit Petrus mitis & humilis Christi discipulus? Siccine instruit seniores per epistolam suam, cum scribit: *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum: qui & ejus, quæ in futuro est, gloriæ communicator: pascite qui in vobis est, gregem Dei, providentes, non coacte, sed spontanee: non turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem æternæ gloriæ coronam.* Hæc est Petri doctrina, & videbunt qui ei non obediunt. Nobis autem sufficit ad consolationem epistolæ pars illa, in qua gaudere præcipit contristatos diversis tentationibus, ut examen fidei nostræ multo magis pretiosius auro corruptibili igne examinato, inveniatur in laudem & honorem & gloriam, in revelationem Jesu Christi. Sed concede veniam, sanctissime domine, & omnium prædecessorum tuorum veteris Romæ clementissime, & sustine verba multum amaritudinis habentia: sunt enim languentis cordis suspiria, & datur indulgentia a discretis his, qui propter cordis nimiam tristitiam in verba prorumpunt per singultus. Accinge igitur sic fortitudine lumbos tuos, & accende tuæ discretionis lucernam, & quære drachmam quæ perit super fidei unitate, & compatiemur sanctitati tuæ: etiam nos

1. Petr. 5. 7.

1. Petr. 1. 6. 7.

non parcemus infirmo corpori, nec fatiſcentem cauſabor ætatem, prætendendo ſenectutis excuſationem, non longam viam cauſabimur. Quanto enim laborioſius opus eſt quod incipitur, tanto magis erit cauſa plurium coro-
1. Petr. 5. narum. *Unuſquiſque enim ſecundum proprium laborem mercedem accipiet*, ſicut generalis ſtadii luctator & maxime victorioſus coronæ Paulus ait. Non ignoramus, ſanctiſſime domine, quod quemadmodum nos Græci nitimur in omnibus obſervare orthodoxam & euſebiam ſententiam, ut in nullo erremus a ſanctorum apoſtolorum & patrum ſtatutis: eodem modo veteris Romæ eccleſia, bene ſcimus, pro ſe nititur, ut non exiſtimet ſe falli in aliquo, neque remedio indigere ſe aſſerit vel correctione: hoc & apud Græcorum eccleſiam & Latinorum dici novimus. Nam nemo unquam in propria facie exiſtentem turpitudinem videre poteſt, niſi ſuper ſpeculum ſe inclinaverit, aut ab alio certificatus fuerit, qualiter ſe circa faciem habeat, ſive turpiter, ſive non. Habemus autem ſpecula multa & magna lucidaque, clarum videlicet Chriſti Evangelium, apoſtolorum epiſtolas, libros theologorum patrum. Inſpiciamus in eis: ipſa oſtendent nobis qualiter unuſquiſque ſentit, ſive nothe, ſive legitime. Qui autem ad ſpeculum fuerit invitatus cauſa experientiæ, cum receſſerit, confitebitur etiam invitus ſuum vultum eſſe deformem. Deus autem pacis conterat ſatanam ſub pedibus noſtris cito, authorem diſcordiæ; pacificus, odientem bonum; qui cauſa eſt bonorum omnium, ſcandala facientem. Et qui pacis eſt Deus mittat ad nos, qui paſtores ſumus ovium ſuarum rationabilium, Angelum pacis, gaudium magnum annunciantem: ſicut prius in nativitate ſecundum carnem Emmanuelis paſtoribus brutarum ovium: & dignos faciat canere illam laudem mirabilem, *Gloria in*
Luc. 2. *excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, & in ſancto oſculo ad invicem ſalutare. Gloria Domini noſtri Jeſu Chriſti, & pax Dei Patris, & communicatio ſancti Spiritus, vobiſcum. Amen.

ται, ὡς ὁ οἰκουμενικὸς σαδιεδρόμος, καὶ μεγαλώνυμος σεφανίτης ἔφησε Παῦλος.

Οὐκ ἀγνοοῦμεν, ὦ θειότατε δέσποτα, ὅτι καθάπερ ἡμεῖς οἱ Γραικοὶ διϊσχυριζόμεθα κατὰ πάντα ὀρθοδοξεῖν τε καὶ εὐσεβεῖν, καὶ εἰς μηδὲν παρασφάλλεσθαι τῆς ἀποστολικῶν δογμάτων καὶ παξικῶν· τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ ἡ τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης ἐκκλησία περὶ ἑαυτῆς διενίσαται, ὡς ἔχα τὸ μὴ οἴεσθαι κατά τι σφάλλειν, ὐδὲ θεραπείας χρῄζειν λέγειν καὶ διορθώσεως· τοῦτο καὶ παρὰ τῆς τῆς Γραικῶν ἐκκλησίας, καὶ παρὰ τῆς τῆς Λαλίνων λεγόμενον οἴδαμεν· καὶ γὰρ οὐδείς ποτε ἐν τῷ ἰδίῳ προσώπῳ αἰσχημοσυνίαν ἀκριβῶς καθορᾶν δυνάται, εἰ μὴ πρὸς κάτοπτρον παρακύψειεν, ἢ παρ' ἑτέρου, ἢ ὅπως ἄρα τῆς ὄψεως ἔχει, εἴτε ἀψόγως, εἴτε καὶ μή· ἔχομεν κάτοπτρον ἃ ἡμεῖς πολλά τε καὶ ἐμφανέσατα, τὸ φωτοειδὲς τοῦ Χριστοῦ εὐαγγέλιον, τὰ ἐπιστολιμαῖα τῆς ἀποστόλων γράμματα, τοὺς βίβλους τῆς θεολόγων πατέρων. παρακύψωμεν εἰς αὐτὰ, κἀκεῖνα διδάξωσιν ὅπως ἔχει φρονήματος· ἕκαστος, εἴτε νενοθευμένως, εἴτε γνησίως. ὁ δὲ προσκαλούμενος εἰς τὴν τοῦ κατόπτρου δοκιμασίαν, καὶ ἀναχωρῶν, ὁμολογήσει καὶ ἀπὼν τὸ πρόσωπον τὸ δύσμορφον.

Ὁ θεὸς συντρίψει τὸν Σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ἡμῶν ἐν τάχει, τὸν μαχοποιὸν ὁ εἰρηνοποιὸς, τὸν μισόκαλον ὁ τῆς καλῶν πάντων αἰτίας, τὸν σκανδαλοποιὸν ὁ τῆς ἀγάπης Θεός. καὶ ἀποστείλαι πρὸς τοὺς τοιμένας ἡμᾶς τῆς λογικῶν προβάτων αὐτοῦ ἄγγελον χαρὰν μεγάλην εὐαγγελιζόμενον, ὡς πρότερον ἐπὶ τῇ κατὰ σάρκα γεννήσει αὐτοῦ, τοῖς ποιμέσι τῆς ἀλόγων προβάτων καὶ βοσκημάτων. καὶ ἀξιώσαι ἁσαι τὴν θαυμασίαν ἐκείνην ὑμνολογίαν· δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, καὶ ἐν ἀλλήλοις φιλήματι ἀλλήλους ἀσπάσασθαι. ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ καὶ παξὸς, καὶ ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίου πνεύματος, εἴη μετὰ πάντων ἡμῶν, Ἀμήν.

V. AD GERMANUM ARCHIEPISCOPUM GRÆCORUM.

RESPONDET SUPERIORI.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Germano Græcorum archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FRaternitatis tuæ litteris, nobis & fratribus noſtris per tuum nuncium præſentatis, qua decuit benignitate receptis, earumque tenore plenius intellecto, diſpoſuimus viros religioſos vitæ laudabilis & probatæ ſcientiæ ad tuam præſentiam deſtinare: qui verba vitæ deferent, & noſtram fratrumque noſtrorum exponent plenius voluntatem. Verum quia de comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo: ne ex ore mortui leonis, non ſine rubore ſcribentis, a patre favus exhibitus contemnatur: pauca ducimus reſcribenda, ne viderentur ſcripta deſpici, ſi contingeret non reſcribi. *Audiens enim ſapiens, ſapientior erit: & intelligens, gubernacula poſſidebit.* Licet autem Chriſtus, ſicut tuæ ſeries epiſtolæ retexebat, primum ſit & præcipuum fundamentum fidei, quod fatemur, præter quod aliud poni non poteſt: ſecunda tamen & ſecundaria fundamenta legimus apoſtolos & prophetas: & fundamenta Sion in montibus ſanctis, & cives ſupernæ Jeruſalem ſuper fundamenta apoſtolorum & prophetarum ſuperædificati leguntur. Inter quos primus & præcipuus Ebeatiſſimus Petrus, non ſine cauſa, ſed ex prærogativa ſpeciali, a Domino audire meruit: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus:* Joann. 2. ut ſicut in capite plenitudo ſenſuum conſiſtit, a quo ad ſingula membra occultis meatibus pars aliqua tanquam a fonte rivulus derivatur, ſic tres fidelium ordines in eccleſia, Noe, Daniel, & Job, prælati videlicet, continentes, & conjugati, quos Ezechiel vidiſſe legitur in viſione ſalvandos, a Petro petra, ſuper quam non domum ſaltus Libani, nec porticum columnarum, nec domum filiæ Pharaonis, ſed eccleſiam ſuam ædificavit Dominus fidelibus, velut de omni genere piſcium in ejus rete concluſis, tanquam a primate primatum, qui de fonte Dominici pecto-

pectoris fluenta potavit, & suæ salutis debent postulare remedia, & cum omni patientia & doctrina, non contentiose vel superbe in aliquo resistentes, a mentis suæ tenebris dubietatis scrupulos removere. Nec obstat quod asseris, si tempora locumque distinguas, Paulum Petro in faciem restitisse, cum dispensative ab orthodoxis patribus hoc factum esse legatur: dum Petrus legem Mosaicam profitendo, Judæos; & Paulus circumcisionem evitans, totis viribus lucrifacere studuerit ex hujusmodi simulatione gentiles. Alioquin & Paulum perambulantem Syriam & Ciliciam, cum perveniisset Derben & Lystram, ex eo redargues quod Timotheum, ex patre gentili ortum, fidelis viduæ filium, circumcidit. Secundo etiam & tertio vel se vel Paulum argues, qui cum navigasset Syriam, & cum eo essent Priscilla & Aquila, & caput timore Judæorum totondisset in Cenchris, quare comam, quam ex eo nutrierat, quod Nazaræi, qui secundo voverant, juxta præceptum Moysi facere consueverant, ibidem totondit in lege. Si, frater carissime, dignitatis mysterium, & authoritatis officium, pleno intellectu distinguens & Petri & Pauli zelum consideres, qui animas tantummodo sitiebant, eos nec in morte, quos eadem fides & passio vere fecit esse germanos, nec dum viverent, in doctrina invenies fuisse discordes. Licet enim Petrus pro duræ cervicis Judaico, & Paulus pro gentili populo, lac parvulis, & escam provectis exhibentes, diversis linguis & ritibus laboraverint: cum jam plenitudo temporis advenisset, unum Dominum, unam fidem, unum baptisma, & alios articulos fidei, secundum gratiam sibi datam a Domino, in uno eodemque Spiritu prædicavit uterque. Fuit enim Paulus ex verbo Domini Petro & ceteris apostolis universaliter sic dicentis, *Joan. 20.* *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt*, cum Petro mysterium dignitatis exercens: & ex verbis ejusdem authoritatis singulariter Petro propositis, *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, in Petro authoritatis officium recognoscens. Ideoque ad eum, tanquam primatem & Evangelii dominici fontem, venit Hierosolymam; & postmodum cum ipso & aliis secundum revelationem contulit Evangelium, ne in vacuum cucurrisset. *Matth. 16.* Quod iterum ex verbis Domini confirmatur, cum soli Petro, si frater suus in se peccaverit, non tantum septies, sed usque septuagies septies præcipitur remittendum: ipsi soli oves indistincte committens, qui tam speciali miraculorum virtute pollebat, quod per plateas in lectulis & grabatis positi ad umbram ejus sanabantur infirmi. Cujus authoritas ex ejusdem Domini verbis expressius confirmatur, cum sibi dictum est: *Joan. 5.* *Duc in altum;* & pluraliter subinfertur: *Laxate retia in capturam*. Si igitur Petrus propter excellentiam fidei, qua in uno Christo duas naturas veraciter recognoscens, cum dixit, *Tu es Matth. 16.* *Christus filius Dei vivi*, claves regni cœlestis in terris solus accepit; cum *Unus sit Dominus, una Ephes. 4.* *fides, unum baptisma*, unum principium, unum corpus militantis ecclesiæ, & corpus cum multis capitibus monstruosum, & sine capite acephalum censeatur: restat ut ad regimen generalis ecclesiæ, quam idem cum Paulo & ceteris de gentibus Græcis, Latinis, & Barbaris congregavit, caput ejusdem, & suum Dominus, per ea quæ præmissa sunt, ostenderet successorem. Prævidens autem Dominus quod ecclesia a tyrannis conculcaretur, & ab hæreticis laniaretur, & schismaticis scinderetur, dixit: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* *Luc. 22* Ex quo colligitur evidenter, quod ad sedem Petri omnis quæstio fidei referenda sit. Sed, quod dolentes dicimus, ut epistolæ tuæ verbis utamur, præsumptuose quidem, non per manus militum, sed ecclesiasticarum personarum sensus, veri Joseph talaris tunica & inconsutilis est passa scissuram. Sed quis sciderit videamus. Cum Græcorum ecclesia a Romanæ sedis unitate recessit, statim privilegio caruit ecclesiasticæ libertatis: & quæ libera fuerat, facta est sæcularis potestatis ancilla, ut justo Dei judicio, quæ noluit Divinum recognoscere in Petro primatum, toleret invita dominium sæculare: Sub quo non modica contemnens, paulatim decidens, fidem informem profitens, & a fraterna caritate tepescens, licentius per campum licentiæ non refrænate discurrit, ut sine alicujus reprehensione licitum sub illicito palliaret, & a templo Petri recedens, a Domino quasi attritum foris ejicitur: quod virga sua Joannes, prohibente Domino, non metitur, quoniam datum est illud gentibus, quod jam conspicis visibiliter consummatum. Quod Samaria, quæ a templo Domini & a Juda & veræ fidei confessione recedens, facta idololatra præfigurans, bellorum cladibus continuis attrita, & pondere peccatorum gravata, (licet Elias & Elisæus, tanquam magna luminaria, ibidem, sicut in loco caliginoso, refulserint) data est gentibus, projecta est foris in vindictam fornicationis & idololatriæ, quibus se a Domino separavit. Quod si Paulum Græcorum ecclesia se habere proponit, exhibeat: vel a successore Petri & vicario Jesu Christi in apostolorum basilica, quæ a Constantino constructa est, cum Petro exhibitum recognoscat. Officii etiam notavit mysterium, licet litteris tuis sub forma reprehensionis insertum fuerit: quod Petrus ter motus, ad galli cantum excitatus, factus est ostiarius paradisi: ut videlicet qui præesse debuerat, pati sciret & compati, ex auctoritatis officio, cui ter dictum est, *Pasce*, non pa- *Joan. 17.* scite, *oves meas*, non alienas, ad successores transmisso exemplo veri pastoris, subditorum excessus ad unitatem ecclesiæ redeuntium in spiritu lenitatis corrigeret: & cultum Christiani nominis sponte professos, ab ecclesia aberrantes, exigente contumacia, juxta verbum apostoli, *tradendo hujusmodi satanæ in interitum carnis*, *1. Cor. 5.* ad ovile reduceret vel invitos. Si vero ex compassionis affectu ad apostolicæ sedis primatem sicut verus Israelita recurris, & super contritione Joseph de sciissura inconsutilis tunicæ mota sunt tuæ pietatis viscera, passioni tuæ compatimur, & dolori tuo cum apostolo condolemus: & ei ad grates assurgimus, qui oculos cæci natiti aperuit: humiliter postulantes, ut qui per collyrium ex felle piscis Tobiæ oculos illuminavit, corda ecclesiæ Græcorum cum tuo illuminet & nostris tuisque temporibus ad unum ovile & unum pastorem providentia Divina reducat. Librum igitur de quo dictum est Joanni in Apocalypsi: *Accipe, frater carissime, & devora illum: & si amaricare faciat ventrem tuum*, propter contritionis aculeos, qui in principio pungunt; *tamen in ore tuo erit dulcis ad instar mellis*, juxta verbum sponsi dicentis in Canticis: *Sonet vox tua in auribus meis: vox tua dulcis.* Et prudentiæ tuæ conscientiam sine aliqua su- *Cant. 2.*

per-

Apoc. 10.

perſtitione regyra, & illuminatus reperies, quod Romana eccleſia, quæ omnium eccleſiarum caput eſt & magiſtra, in ſpeculo a te propoſito (evangelii videlicet & epiſtolarum, & doctrina aliorum doctorum) nil contrarium invenit, quod interpretative vel diſpenſative, ſecundum ſtatuta ſanctorum patrum, in unitate fidei & ſpiritus non concordet. In cujus libri apertione invenies, quod Romanus pontifex, omnibus omnia factus, ut omnes ſalvi fiant, non turpis lucri gratia, vel voluntarie, ſed a fratribus ſuis Divina inſpiratione vocatus, ſtatim ſervus ſervorum Dei effectus, murum pro fratribus ſuis & coepiſcopis, & eorum ſubditis, contra hæreticos, ſchiſmaticos, & tyrannos, ad tuitionem eccleſiaſticæ libertatis cum ſuis fratribus ſe opponit. Et licet quidam ſubrepant, publice tamen ab omnium incurſibus modernis temporibus eccleſia Romana reſpirat, Sed ſi Græcorum eccleſia patienter ſuſtinet (ut verbis tuis utamur) verba quæ mordeant, præter animarum pericula quæ ex ſciſſura eorum proveniunt, ſatis eis vexatio dediſſe debuerat intellectum, in quorum manibus ordo eccleſiaſticus per adverſas nationes Orientis in diverſa partitus confunditur, eccleſiaſtica libertas deprimitur, & ſacerdotalis dignitas conculcatur: & non eſt qui conſoletur eam ex omnibus caris ejus, quia tanquam acephali ad caput eccleſiæ reverti contempſerunt. *Revertere* igitur *Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te:* quia tunc recte poterit frater a fratre adjuvari, ſi filius, qui conſumpſit omnia diſſolute vivendo, a Domino inſpiratus ſurgat & dicat: *Pater, peccavi in cœlum & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis*: tunc enim pater, non ut mercenario, ſed ut filio revertenti occurrens, *primam ſtolam proferet, & occidet vitulum ſaginatum*, & generale convivium faciens omnibus Chriſti fidelibus, in exultatione annunciabit & gaudio, quod & frater & filius, qui mortuus fuerat, jam revixit: & drachma, quæ perierat, inventa eſt: & ſic te in gremio matris eccleſiæ cum honore recepto, veritatem manifeſte videbis in ſpeculo puritatis, quam eccleſia Latina ſervat in fidei unitate, quæ non recipit maculam neque rugam. Datum Reate ſeptimo Kalendas Auguſti, pontificatus noſtri anno ſexto.

Cant. 6.

Luc. 15.

VI. AD EUNDEM.

De unitate eccleſiæ.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri archiepiſcopo Græcorum ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CUm, juxta teſtimonium veritatis, occaſio errorum ignorantia ſit ſcripturarum, cunctis expedit illas legere vel audire, quia quæ in eis inſpiratio Divina repoſuit pro doctrina ſequentium, ad cautelam trahere voluit modernorum. Sane ſub Jeroboam, qui peccare fecit, ut legitur, Iſrael, præſumpta diviſio tribuum patenter ſignat ſchiſma Græcorum, & multitudo abominationum Samariæ, diverſas hæreſes multitudinis a veneratione veri templi, Romanæ videlicet eccleſiæ, & reverentia ſeparatæ. Quod Chryſoſtomus, Nazianzenus, & magnus Baſilius, & Cyrillus, emicuerint in cœtu diſſentientium, eadem fuit cœleſtis altitudo conſilii, qua degere voluit inter idololatras Eliam & Eliſæum, & filios prophetarum. Nunc igitur, quia in aliis litteris, quas tibi dudum remiſimus, latius hanc & alias auctoritatum & omnium, quæ pro Romanæ primatu eccleſiæ faciunt, materias explicavimus: illud tantum adjicimus, quod utrumque gladium ad Romanum pertinere pontificem ex evangelica lectione tenemus. Etenim loquente Jeſu diſcipulis de acquiſitione gladii ſpiritualis, illi duos ibi poſitos oſtenderunt, quos Dominus duxit ſufficere ad cohibitionem, videlicet ſpiritualis & corporalis offentæ. Si materialem gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem, attende quid in Matthæi evangelio Dominus dicat Petro: *Converte gladium tuum in locum ſuum*. Dicendo, *tuum*, materialem ſignavit gladium, quo percuſſerat ille ſervum principis ſacerdotum. De ſpirituali nemini venit in dubium, cum ei, id eſt Petro, per cujuſdam ſpiritualitatis apicem ligandi & ſolvendi commiſerit poteſtatem. Uterque igitur gladius eccleſiæ traditur: ſed ab eccleſia exercetur unus; alius pro eccleſia, manu ſæcularis principis eſt eximendus, unus a ſacerdote, alius ad nutum ſacerdotis adminiſtrandus a milite. Propter hæc ergo & alia, quæ poſt diligentem veritatis indaginem ordinatam te faciant ſentire caritatem, latores præſentium Hugonem & Petrum, de Prædicatorum, Haimonem & Radulphum, de Minorum ordinibus fratres, viros virtute & religione conſpicuos, morum honeſtate præclaros, & ſcripturarum ſacrarum ſcientia præditos, juxta quod tibi per memoratas litteras intimare curavimus, ad te duximus deſtinandos. Et ſi cum eis de omnibus quæ in quæſtionem veniunt tractare fideliter & ſocialiter conferre decreveris: in rota, quæ infra rotam Ezechieli oſtenſa eſt, vocem poteris audire tonitrui, & in mari vitreo ſpeculari, quod unus Adam collocatus ad opus & cuſtodiam paradiſi, unam eſt ſortitus uxorem, unum Dominum Jeſum Chriſtum in juſtitia & veritatis ſcientia creatum, & unicam ſponſam ejus eccleſiam præfigurans: quod Lamech, qui humiliatum ſonat, dum uxorem unam diviſit in duas, ſanguinarius factus eſt, & virum in ſuum vulnus occidit: quod alia, præter unam, arca non legitur, quæ, cuncta vaſtante diluvio, ſub unius patriarchæ remigis potentatu paucas animas ſub perfectionis numero reſervavit: quod legem Dominus ſecundo dedit, non alteram, ſed eamdem: quod duorum cherubim, qui propitiatorium obumbrabant, non aliorſum verſis, ſed reſpicientes erant vultus adinvicem: & unam Joſeph fuiſſe talarem tunicam; & noſtri Salvatoris inconſutilem veſtem unam. Verumtamen, ſi dualitatis ſenſum circa Euchariſtiæ ſacramentum veſter diverſus a noſtro ritus inducit; attende quod non ſit aliud nec diverſum unius Domini noſtri Jeſu Chriſti, prius in aſſumpta propter nos carne paſſibilis, poſt ſicut a morte, ſic ab omni paſſibilitate prorſus immunis, a Græcis pariter & Latinis noſtræ ſalutis myſterium frequentatum. Græcus ad fidem cum diſcipulo juniore præcurrens, & tantæ gratiæ non ingratus, illius dignationis, qua Deus miſeriæ compaſſus humanæ homo voluit eſſe paſſibilis, eligens quotidie reminiſci, hoſtiam conſtituit offerri fermentatam: ut, apoſtolo dicente quod ex fermento maſſa corrumpitur, in fermento corruptionis, cui ante reſurrectionem corpus Dominicum ſubjacere potuit, oſtendatur. Latinus vero cum Petro ſecutus litteræ monumentum, de qua procedit ſpiritualis ſenſus, prior introivit, & linteamina poſita, quæ ſacroſanctum corpus, quod eccleſiam ſignat in-

Matth. 26.

involverant, ſeparatumque ſudarium quod fuerat ſuper caput, aſpexit, ſacramentum glorificati corporis celebrare mirificentius in azymis ſinceritatis elegit. Sed uterque panis ſimplex ante ſacrificium panis eſt: tranſubſtantiatione vero facta per verba Dominica, panis non eſt. Et ideo nec fermentatus, nec azymus dici poteſt: ſed ille potius creditur eſſe panis vivus qui deſcendit de cœlo, & tribuit vitam mundo. Hæc A & his ſimilia docuit Petri ſedem unctio Spiritus, & ſanitas intellectus. Utinam & tu tandem aliquando juniorem diſcipulum, qui vidit & credidit, ſecutus introeas: ut omnibus intellectis, nobiſcum vere pſallas illud Davidicum: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum*! Datum Laterani, decimoquinto Kalendas Junii, pontificatus noſtri anno ſeptimo. *Pſalm.* 132.

Ex Coſſartii Append. Tom. XI.

ΟΡΟΣ ΤΩΝ ΑΠΟΚΡΙΣΙΑΡΙΩΝ ΤΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΠΑΠΑ Θ'.

DEFINITIO APOCRISIARIORUM GREGORII PAPÆ.

Οτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται. B

Quod Spiritus ſanctus a Patre Filioque procedat æqualiter.

Ὁ Πατὴρ ἐστι πλήρης Θεὸς ἐν ἑαυτῷ, ὁ υἱὸς θεὸς πλήρης ἀπὸ τοῦ πατρὸς γεννητὸς, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πλήρης θεὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκπορευόμενον. καὶ τὸ πνεῦμα μὲν ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται ἀμέσως· ἀπὸ τοῦ πατρὸς, μεσιτεύοντος τοῦ υἱοῦ. τὸ δὲ, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται ἀπὸ τοῦ υἱοῦ, τοῦτο ἔχει ὁ υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρός. διὰ τοῦτο, ὅστις πιστεύει, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐκπορεύεται ἀπὸ τοῦ υἱοῦ, ἐν ὁδῷ ἀπωλείας ἐστίν. ὅθεν ὁ ἅγιος Ἀθανάσιος, ὅταν ἐν τοῖς μέρεσι τοῖς δυτικοῖς ἐξήγησιν ἐποιεῖτο, ἐν τῇ ἐκθέσει τῆς πίστεως, ἣν τοῖς Λατινικοῖς ῥήμασι διεσάφησεν, ὕστερον ἔφη· Ὁ πατὴρ ἀπ' οὐδενός ἐστι ποιητὸς, οὔτε κτιστὸς, οὔτε γεννητός· ὁ υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς μόνου ἐστίν, οὐ ποιητὸς, οὔτε κτιστὸς, ἀλλὰ γεννητός· τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, οὐ ποιητὸν, οὐδὲ κτιστὸν, οὐδὲ γεννητὸν, ἀλλ' ἐκπορευτόν. Καὶ ὁ αὐτὸς ἅγιος Ἀθανάσιος ἐν τῇ ἐκθέσει τῆς πίστεως, ἣν ῥήμασι γραικοῖς ἐξηγήσατο, ὕστερον ἔφη κατὰ ῥῆμα· τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον, ἐκπόρευμα ὂν τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ φέροντος υἱοῦ, δι' οὗ ἐπλήρωσε τὰ πάντα. ὅθεν καὶ ὁ μακάριος Γρηγόριος, ὅστις διαφανὴς θαυματουργὸς λέγεται, Νεοκαισαρείας ἐπίσκοπος, ἐν τῇ ἐκθέσει τῆς πίστεως, ἣν δι' ἀποκαλύψεως παρὰ τοῦ μακαρίου Ἰωάννου εὐαγγελιστοῦ, μεσιτευούσης τῆς θεογεννητείας, ἔσχεν, ἀσυλλήπτως ὕστερον ἐκφαίνων λέγων· εἷς θεὸς πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης, καὶ δυνάμεως, καὶ χαρακτῆρος αἰωνίου, τέλειος τελείου γεννήτωρ, πατὴρ υἱοῦ μονογενοῦς, εἷς κύριος μόνος ἐκ μόνου, θεὸς ἐκ θεοῦ, χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν τῆς θεότητος, λόγος ἐνεργὴς, καὶ τὰ λοιπά. ὥδε περὶ υἱοῦ λαλῶν λέγει. μόνος ἐκ μόνου· ἐκεῖ τοίνυν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ μόνου, ἐκ τοῦ πατρὸς *, ὄντων καὶ ἄλλων, ἐπειδή ἐστιν ἀπό τινος· ὅταν δὲ λέγωμεν ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ ἄλλου, ἢ λέγωμεν ἐξ ἄλλου κατὰ τὴν οὐσίαν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ὑπόστασιν. ὅτι δὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐστιν ἀμέσως, ἀπὸ δὲ τοῦ πατρὸς, μεσιτεύοντος τοῦ υἱοῦ, διαμαρτύρεται ὁ μέγας Γρηγόριος ὁ Νυσσαέων, ὕστερον λέγων· τὸ ἀπαράλλακτον τῆς φύσεως ὁμολογοῦντες, τῷ κατὰ τὸ αἴτιον καὶ τὸ αἰτιατὸν διαφορὰν, οὐκ ἀρνούμεθα, ἐν ᾧ μόνῳ διακεῖνεσθαι τὸ ἕτερον ἀπὸ τοῦ ἑτέρου καταλαμβάνομεν· τὸ * μὲν αἴτιον πιστεύειν εἶναι, τὸ δὲ ἐξ αἰτίου, καὶ τοῦ ἐξ αἰτίας ὄντος.

* *f.* ἐκ μόνου ἐκεῖ ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ ἄλλου.

* *f.* τῷ τὸ μὲν.

Πάλιν ἄλλην διαφορὰν ἐνοοῦμεν· τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου. ἐπειδὴ ἐκείνῳ ᾧ τινα διαφέρουσι, ἀδυνατόν ἐστιν τὸ ἀμφότερον ἁρμόζεσθαι· τὸ προσεχῶς εἶναι

PAter perfectus Deus eſt in ſeipſo: Filius perfectus Deus, a Patre genitus: Spiritus ſanctus perfectus Deus, a Patre & Filio procedens. Procedit autem ex Filio quidem immediate, at ex Patre mediante Filio. Quod enim Spiritus ſanctus a Filio procedit, id Filius habet a Patre. Propterea quicumque non crediderit Spiritum ſanctum a Filio procedere, in via perditionis eſt. Unde ſanctus Athanaſius, dum in partibus occidentalibus exulabat, in expoſitione fidei, quam Latinis verbis reddidit, ſic ait: Pater a nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus ſanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Idemque Athanaſius in expoſitione fidei, quam Græcis verbis declaravit, ſic ad verbum inquit: Spiritus autem ſanctus proceſſio eſt Patris, omniaque portantis Filii, per quem implevit omnia. Unde & ſanctus Gregorius, qui jure dicitur Thaumaturgus, ſeu mirabilium effector, Neocæſareæ Ponti epiſcopus, in expoſitione fidei, quam per revelationem a beato Joanne evangeliſta, mediante Dei genitrice accepit, ſic apertiſſime exclamavit, dicens: Unus Deus Pater Verbi viventis, ſapientiæ ſubſiſtentis, & potentiæ ac characteris ſempiterni, perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus ex Deo, character & imago deitatis. Verbum operativum: & reliqua. At hic de Filio loquens, dicit: Solus ex ſolo. Non ergo Spiritus ſanctus ex ſolo eſt: ergo ex Patre & alio, cum ſit ab aliquo. Ceterum dum dicimus ex Patre & alio, non dicimus ex alio quoad ſubſtantiam: at ſecundum hypoſtaſim ſeu ſubſiſtentiam. Quod enim Spiritus ſanctus immediate ex Filio ſit, ex Patre autem mediante Filio, teſtatur Gregorius Nyſſenus, ita dicens: Nos qui Divinam naturam differentiæ variationiſve eſſe confitemur expertem, eam, quæ circa cauſam & cauſatum conſideratur, differentiam non inficiamur: per quod ſolum comprehendimus alterum ab altero diſcerni, nimirum eo quod credimus, aliud quidem cauſam eſſe, aliud autem ex cauſa, & ex eo quod ex cauſa eſt. Quin & aliam rurſum differentiam conſideramus; nam aliud quidem continenter ac ſine medio ex primo eſt, aliud vero per id quod immediate & continenter ex prima cauſa eſt. Cum illi, quo aliqua differunt, utrumque convenire ſit impoſſibile:

sibile: quare continenter & immediate ex primo esse, aut solum Filio, aut solum Spiritui sancto conveniat necesse est. Quod si, ut sancti patres asserunt, inter Patrem & Filium non sit dare medium: erit igitur solus Filius ex Patre immediate, cum & secundum communem sententiam atque intellectum, id quod est ab aliquo, ab eodem sit immediate. Sed cum Spiritus sanctus sit ab aliquo, ab aliquo immediate erit: at non est a Patre immediate, sicut nunc ostensum est: erit igitur immediate a Filio. Sanctos itaque hos patres, & inter alios beatum Ambrosium episcopum Mediolanensem, beatum Augustinum civitatis Hipponensis episcopum, beatum quoque Hieronymum fortissimum perversissimorum hæreticorum oppugnatorem secutus beatus Cyrillus, & cum eo universa sancta œcumenica tertia synodus, perspicue scriptum reliquit, Spiritum sanctum ex Filio esse. Unde quisquis ejus verba oppugnat, non orthodoxus est, sed a fide aberrans. Affirmat enim manifestissime in sua ad Theodosium regem de recta fide expositione, Spiritum sanctum ex Filio esse, hisce verbis: Præterea virum dicens, qui mox adsuturus & videndus erat, ipsum dicit baptizare in igne & Spiritu sancto: non quod alienum his qui baptizantur immittat Spiritum, servilem in modum & quasi ministrum, sed ut Deum secundum naturam cum suprema potestate, quia ex ipso & per ipsum, &c. Quid eo testimonio clarius? siquidem hic manifestissime de Filio dicit, quod Spiritum sanctum his qui baptizantur immittat ex seipso, ac proprium ejus. Quin & hoc ipsum iisdem verbis Herniæ scribit beatus idem Cyrillus, in sermone ad eumdem Herniam, cujus inscriptio est: De incarnatione Unigeniti, & quod Christus unus, & Dominus secundum scripturas. Illudque ipsum ab eodem Cyrillo in declaratione novi anathematismi dicitur. In eodem quippe anathematismo proprium esse Filii Spiritum inquiens, eumdemque novum anathematismum declarans, quo sensu proprium suum esse Spiritum dixerit, aperuit dicens: Cum homo factum sit unigenitum Dei Verbum, etiam sic tamen Deus mansit, omnia existens quæ Pater, solo hoc dempto, quod ille Pater est; & proprium habens, quod ab ipso est, & essentialiter ipsi inhærens Spiritus sanctus: & reliqua. Ubi rursus Spiritum sanctum ex Filio esse clarissime sanctus pater affirmat. Quare nemini debet esse dubium, quin eumdem hic sensum sanctus aperuerit, quem tenuit, quando anathematismum exposuit. In eodemque sensu anathematismum hunc cum omnibus aliis sancta & œcumenica tertia synodus suscepit, in quo illum sanctus declaravit. Certum namque est, sanctos patres in prædicta sancta synodo congregatos, totam tertiam jam dicti patris epistolam ad impium Nestorium Constantinopolitanum scriptam, absque ulla hæsitatione irrefragabiliter suscepisse. Novimus autem prædictos duodecim anathematismos in postrema dictæ epistolæ parte contineri. Porro si quis tamquam legitima tueri conatus fuerit impientissima Theodoriti Cyri episcopi verba, quæ ipse adversus dicti sancti patris duodecim sacra capita licenter nimis ac temere evomuit: noverit is a quinta sancta generalique synodo prædicti Theodoriti blasphemias damnatas esse: quippe qui adversus beati Cyrilli verba, quibus ei respon-

A ἐκ τῦ πρώτυ, ἢ μόνον τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἁρμόζεσθαι ἀναγκαῖόν ἐσι· λέγυσιν οἱ ἅγιοι, ὅτι μέσον τῦ πατρὸς καὶ τῦ υἱῦ, οὐδὲν ἐσι μέσον· μόνος ἐκὼν ὁ υἱὸς ἐκ τῦ πατρὸς προσεχῶς ἐσιν. εἰ δὲ κοινὴ ἔννοια· ὅ, τι περ οὖν ἐσὶν ἀπό τινος, ἀπό τινός ἐσι προσεχῶς. ἐπειδὴ ὧν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπό τινός ἐσιν, ἀπό τινός ἐσι προσεχῶς. ἀλλ' οὐκ ἔσιν ἀπὸ τῦ πατρὸς προσεχῶς, ὡς ἤδη ἐδείχθη· ἐκὼν ἀπὸ τῦ υἱῦ ἐσι προσεχῶς. τύτοις τοίνυν τοῖς ἁγίοις πατράσιν, ἐμοὶ ἀλλὰ καὶ τῷ μακαρίῳ Ἀμβροσίῳ ἐπισκόπῳ Μεδιολάνων, καὶ τῷ μακαρίῳ Αὐγυσίνῳ τῆ Ἱππῶνος πόλεως ἐπισκόπῳ, ἁγίῳ τε Ἱερωνύμῳ τῷ ἰσχυροτάτῳ τῶν αἱρετικῶν ςρεβλοτάτων καταμαB χητῆ, ἀκολυθήσας ὁ μακάριος Κύριλλος, καὶ σὺν αὐτῷ ἡ ἁγία καὶ οἰκυμενικὴ τρίτη σύνοδος, γεγραμμένον ἡμῖν ἐγκατέλιπον ἐμφανῶς, τὸ πνεῦμα εἶναι ἐκ τῦ υἱῦ. Οὐκοῦν ὀρθόδοξος ἐκ ἔσιν, ἀλλ' ἐκ τῆς πίσεως ἐξοδεύει, ὅσις τοῖς ῥήμασιν αὐτῦ καταμάχεται. λέγει γὰρ φανερώτατα ἐν τῷ ἑαυτῦ πρὸς τὸν βασιλέα Θεοδόσιον περὶ τῆς ὀρθῆς πίσεως προσφωνητικῷ, τὸ πνεῦμα εἶναι ἐκ τῦ υἱῦ, διὰ τύτων τῶν ῥημάτων· Ὃ μὲν ἄνδρα τὸν ὅσον ὔπω παρεσόμενον, καὶ ὀφθησόμενον, αὐτὸν ἔφη βαπτίζειν ἐν πυρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, ὐκ ἀλλότριον τοῖς βαπτιζομένοις ἐνιέντι πνεῦμα δυλοπρεπῶς, καὶ ὑπηρετικῶς, ἀλλ' ὡς θεὸν κατὰ φύσιν, μετ' ἐξυσίας τῆς ἀνωτάτω, τὸ ἐξ αὐτῦ, καὶ ἴδιον αὐτῦ. τί ταύτης τῆς μαρτυρίας φανερώτερον; ὧδε γὰρ φανερώτατα περὶ τῦ υἱῦ λέγει, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῖς βαπτιζομένοις ἐνίησι τὸ ἐξ αὐτῦ, καὶ ἴδιον αὐτῦ. καὶ τῦτο αὐτὸ διὰ τῶν αὐτῦ ῥημάτων τῷ Ἑρμείᾳ γράφει ὁ αὐτὸς μακάριος Κύριλλος ἐν τῷ λόγῳ τῷ πρὸς αὐτὸν Ἑρμείαν, ὅτινος ἡ ἐπιγραφή ἐσι· περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τῦ μονογυῦς, καὶ ὅτι Χριςὸς εἷς καὶ κύριος κατὰ τὰς γραφάς.

Male in Latino, Herniam.

Καὶ ὁ αὐτὸς μακάριος Κύριλλος ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ ἐνάτῃ ἀναθεματισμῦ, τῦτο αὐτὸ λέγει. ἐν τῷ αὐτῷ γὰρ ἀναθεματισμῷ, ἴδιον εἶναι τῦ υἱῦ τὸ πνεῦμα εἰπὼν, τὸν αὐτὸν ἔνναον ἀναθεματισμὸν ἑρμηνεύων, τίνι ἐννοίᾳ ἴδιον αὐτῦ εἶναι τὸ πνεῦμα εἴρηκεν, ἀνέῳξε λέγων· ἄνθρωπος γεγονὼς ὁ μονογυὴς τῦ θεῦ λόγος, ἀπομεμυήνηκε καὶ ὅπω θεὸς, πάντα ὑπάρχων ὅσα καὶ ὁ πατὴρ, πλὴν τῦ εἶναι πατὴρ, καὶ ἴδιον ἔχων τὸ ἐξ αὐτῦ, καὶ ὑσιωδῶς ἐμπεφυκὸς αὐτῷ πνεῦμα ἅγιον, καὶ τὰ λοιπά. ὧδε πάλιν φανερώτατα, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τῦ υἱῦ εἶναι λέγει ὁ ἅγιος πατήρ. ὐκ ὀφείλει δέ τι εἶναι ἀμφίβολον, ὅτι τὴν ἔννοιαν ἐκείνην ὧδε ἀνέῳξεν ὁ ἅγιος, ἣν τινα εἶχεν, ὅτε τὸν ἀναθεματισμὸν ἐξέθετο. τὸν ἀναθεματισμὸν δὲ ἐκεῖνον σὺν πᾶσιν ἄλλοις ἀναθεματισμοῖς ἐδέξατο ἡ ἁγία καὶ οἰκυμενικὴ τρίτη συνόδος, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἐννοίᾳ, ἐν ᾗ ὁ ἅγιος ἐξέθετο. ἀρίδηλον γάρ ἐσι, τὰς ἁγίας πατέρας ἐν τῇ ἁγίᾳ προειρημένῃ συνόδῳ συναχθέντας, ὅλην τὴν τρίτην τὴν προειρημένην παῦν ἐπιςολὴν, πρὸς τὸν ἀσεβῆ Νεςόριον τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον γεγραμμένην, χωρὶς τινος διασυμῦ ἀναξάνσεως * δεδέχθαι. Γινώσκομεν δὲ ὅτι τῆς προειρημένης ἐπιςολῆς τὸ ἕκατον μέρος τῶν προειρημένων περιέχει ἀναθεματισμοὺς δώδεκα. εἰ δήτις νομίμως ἐπιχειροίη τὰ τῦ Θεοδωρήτυ ἐπισκόπυ Κύρυ ῥήματα ἀσεβέσατα, ἅτινα κατὰ τῶν προειρημένων ἁγίων παρῶν δώδεκα ἱερῶν κεφαλαίων ἀνέδην ἐξέμεσε·

* *f.* ἀπαραῤῥώτους, *quia voce solebant ea ætate reddere Latinam,* irrefragabiliter.

μεσε· γινωσκέτω τὴν πέμπτην ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον ἀναθεματίσασαν τοὺς * τοῦ προειρημένου Θεοδωρήτου βλασφημούς· ὅστις κατὰ τοῦ μακαρίου Κυρίλλου ῥήματα, ἐν οἷς αὐτῷ ἀπεκρίνατο, μόνον οἶδε κατηγορεῖν. λέγει γὰρ ἡ πέμπτη ἁγία καὶ καθολικὴ σύνοδος ἐν πράξει ὀγδόῃ οὕτως· κατακρίνομεν, καὶ ἀναθεματίζομεν πρὸς τοῖς ἄλλοις πᾶσιν αἱρετικοῖς τοῖς κατακριθεῖσι, καὶ ἀναθεματισθεῖσι παρά τε τῶν εἰρημένων ἁγίων τεσσάρων συνόδων, καὶ ἀπὸ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ Θεόδωρον τὸν γενόμενον ἐπίσκοπον Μοψουεστίας, καὶ τὰ ἀσεβῆ αὐτοῦ συγγράμματα, καὶ τὰ ἀσεβῶς συγγραφέντα παρὰ Θεοδωρήτου, κατά τε τῆς ὀρθῆς πίστεως, καὶ τῶν δώδεκα κεφαλαίων τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου, καὶ τῆς ἐν Ἐφέσῳ ἁγίας τρίτης συνόδου, καὶ ὅσα ὑπὲρ συνηγορίας Θεοδώρου καὶ Νεστορίου αὐτοῦ γέγραπται. ἐκ τούτων ἀρίδηλόν ἐστιν, ὅτι ἐκεῖνα ἅπερ ὁ Θεοδώρητος κατὰ τῶν δώδεκα κεφαλαίων τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου ἔγραψεν, ἀθέμιτά εἰσι, καὶ ἀσεβείας γέμονται. καὶ ὅστις αὐτὰ ὡς ἀληθῆ νομικὴν ὑπερηγορίαν ἔχει, ἐχθρός ἐστι τῆς πίστεως. Γράφει γὰρ ὁ μακάριος πρὸς Ἀκάκιον ἐπίσκοπον Μελιτινῆς, μετὰ τὴν ἕνωσιν τῶν ἐκκλησιῶν, οὑτωσὶ λέγων· ἃ δὲ γεγράφαμεν ὀρθῶς κατὰ τῶν Νεστορίου δυσφημιῶν, οὐδεὶς ἀναπείσει λόγος ὡς οὐκ εὖ γεγόνασιν εἰπεῖν. καὶ πρὸς Δυνατὸν ἐπίσκοπον ὡσαύτως γράφει λέγων· γεγράφαμεν γὰρ ὀρθῶς, ἃ γεγράφαμεν, τῇ ὀρθῇ καὶ ἀμωμήτῳ συνηγοροῦντες πίστει, καὶ οὐδὲν τὸ παράπαν τῶν ἰδίων ἀρνούμεθα· οὐ γὰρ εἴρηταί τι, καθάπερ αὐτοί φασιν, ἀτημελῶς, ἀλλὰ τῆς ὀρθότητος ἐχόμενα πανταχοῦ, καὶ τῇ τῆς ἀληθείας δυνάμει συντρέχοντα· ἐκ τούτων φανερώτατόν ἐστι, τὸν μακάριον Κύριλλον οὐδὲν ἐκείνων ἀρνήσασθαι, ὧν εἶπεν. ἀλλὰ ἐν τῇ αὐτῇ ἐννοίᾳ, ἐν ᾗ αὐτὸς εἶπε, χωρὶς σημειώσεώς τινος διορθώσεως κεκρατηκέναι. οὐδὲ αὐτὸς μόνος διορθώσασθαι ἠδύνατο ἄν, καὶ (ὅπερ ἀπείη ἀπὸ τοῦ ἁγίου) ἤθελεν, ὅπερ ὅλη ἡ ἁγία σύνοδος χωρίς τινος ἀμφιβολίας, * ἀναξάνσεως, καὶ θαῤῥούντως ἐδέξατο· ἐδέξατο δέ, ὡς εἴρηται, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἐννοίᾳ, ἐν ᾗ ἐξέθετο μετὰ τῆς ἁγίας συνόδου δέξασθαι ἀπαιτοίη. ταύτην γὰρ τὴν ἁγίαν σύνοδον, πάντες οἱ ἅγιοι πατέρες, οἱ ἐν ταῖς μετακολουθησάσαις συνόδοις, σέβονται, καὶ ταὐτὰ πιστεύουσιν, ἅπερ καὶ αὐτή. ἀλλὰ καὶ οἱ ἅγιοι πατέρες ἐκείνην φθάσαντες, τὰ αὐτὰ ἐφρόνησαν, ἅπερ ἐκείνη. ταύτην πίστιν ἔχομεν, καὶ οὕτως πιστεύομεν, καὶ φρονοῦμεν, καὶ ὁμολογοῦμεν.

* for. τὰς τοῦ .... βλασφημίας

* Corr. ut supra.

Αἱ ὑπογραφαί.

Ταύτην τὴν πίστιν ἐγὼ Ῥαδοῦλφος, ὁ ἀπὸ τῆς τάξεως τῶν ἀδελφῶν τῶν ἐλαχίστων, τοῦ κυρίου πάπα Γρηγορίου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπισκόπου ἀποκρισιάριος, ἔχω, οὕτως ὑπογράφω, καὶ οὕτως πιστεύω.

Ταύτην τὴν πίστιν ἐγὼ Ἀμμώνιος ὁ ἀπὸ τῆς τάξεως τῶν ἐλαχίστων ἀδελφῶν, τοῦ κυρίου πάπα Γρηγορίου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπισκόπου ἀποκρισιάριος, οὕτως πιστεύω, καὶ οὕτως φρονῶ.

Ταύτην τὴν πίστιν ἡμεῖς, ὅ, τε Οὖγος, καὶ Πέτρος, οἱ ἀπὸ τῆς τάξεως τῶν Κηρύκων, τοῦ κυρίου πάπα Γρηγορίου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπισκόπου ἀποκρισιάριοι, οὕτως πιστεύομεν, καὶ οὕτως φρονοῦμεν.

dit, nil præter calumnias dicere novit. Ait enim quinta sancta universalis synodus in actione octava ad hunc modum: „Condemnamus & anathematizamus eum cum quibuscumque aliis hæreticis, qui damnati & anathemate percussi sunt a dictis quatuor sanctis synodis, & ab ecclesia catholica, & apostolica: & Theodorum qui fuit episcopus Mopsuestiensis, impiaque ejus conscripta: & quæ impie à Theodorito conscripta sunt adversus rectam fidem, ac contra duodecim sancti Cyrilli capita, nec non contra tertiam sanctam generalem synodum Ephesinam, & quæcumque ad defensionem Theodori, ipsiusque Nestorii scripta sunt.“ Ex quibus perspicuum evadit, illa, quæ Theodoritus adversus duodecim sancti Cyrilli capita scripsit, damnata esse, impietatisque plena. Et quisquis ea ut vera & legitima tenet tueturque, inimicus existit fidei. Scribit enim beatus Cyrillus ad Acacium * Melitensem episcopum, post concordiam ac pacem sanctarum ecclesiarum, sic inquiens; „ Quæ vero recte contra Nestorii blasphemias scripsimus, omnino nemo nobis, ut non recte scripta dicamus, persuadebit.“ Quid quod & ad Dynatum episcopum eodem modo scribit, ubi ait: „ Quæ scripsimus, recte scripsimus, veræ & inculpatæ patrocinantes fidei, neque quidquam omnino nostrorum scriptorum sumus negaturi: cum neque quidpiam, ut illi referunt, sit dictum temere, verum ubique nos rectitudini adhærere fidei, veritatisque virtuti consentire oportere.“ Ex his itaque longe clarissimum existit, beatum Cyrillum eorum nihil inficiari quæ dixit, sed in eodem sensu, quo hæc ab eo dicta sunt, citra ullam correctionis notam perstitisse: cum neque ipse solus corrigi potuisset, licet etiam (quod tamen a sancto absit) voluisset, in his quæ universa sancta synodus absque ulla ambiguitate irrefragabiliter confidenterque accepit. Accepit autem in eo sensu, sicut dictum est, quo exposuit, cum prima synodo hæc suscipienda repetens. Siquidem illam sanctam synodum omnes sancti patres in conciliis post sequentibus venerantur, eademque cum illa credunt: quin & sancti patres, qui hanc ipsam antecesserunt, eadem cum illa sensere. Hanc fidem tenemus, sic credimus, sentimus, & profitemur.

* Pro, Melitinensem. H.

SUBSCRIPTIONES.

Hanc fidem teneo ego Rodulphus ex fratrum Minorum ordine, domini papæ Gregorii veteris Romæ episcopi apocrisiarius, sic subscribo, & ita credo.

Hanc fidem ego Amonius ordinis fratrum Minorum, apocrisiarius domini papæ Gregorii veteris Romæ episcopi, habeo, sic credo, & ita sentio.

Hanc eamdem fidem & nos Hugo & Petrus Prædicatorum ordinis, ac domini papæ Gregorii veteris Romæ episcopi apocrisiarii, amplectimur, sic credimus, atque ita sentimus.

VII. AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ABBATES, &c.

De canonizatione ſancti Dominici.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus archiepiſcopis & epiſcopis, & dilectis filiis abbatibus & prioribus, archidiaconis, decanis, præpoſitis, archipresbyteris, & aliis eccleſiarum prælatis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FOns ſapientiæ Patris dominus noſter Jeſus Chriſtus, cujus natura bonitas, opus miſericordia, redimens & renovans quos creavit, qui vineam, quam de Ægypto tranſtulit, uſque ad conſummationem ſæculi non relinquit, ſapienter ſigna propter inſtabiles mentes innovat, & mirabilia contra diffidentiam incredulitatis immutat, dum in eccleſiæ naſcentis exordio poſt obitum Moyſi, videlicet finem legis, aſcenſurus equos in evangeliorum quadrigis, quæ vere ſunt ſanitas, arcu ſacri eloquii, quem, donec Judæus infirmetur, intenderat, & juramentis, quæ in patribus nobis diſpoſuerat, ſuſcitatis, confidentiam Jericho, gloriam Mundi, quem prædicationis fremitu obſtupefactis gentibus vicerat, calcaturus, viam equis ſuis in mari faceret, & in Rahab ſalutem latitudinis gentium ſigno coccineo figuraret, in prima quadrigarum quatuor egredientium in Zacharia de medio duorum montium æreorum protulit equos rufos populorum principes, fortes terræ, qui per obedientiam fidei Deo Abraham patris credentium in fundamentum novi fœderis adhærentes, ad ducis inſtar tinctis de Boſra, id eſt tribulationis anguſtia, veſtibus, cuncta ſuæ ſigna militiæ rubricarunt, ut pro futuræ gloriæ gaudio præſentem gladium non timentes, effecti martyres, id eſt teſtes novæ legis, libro confeſſionis voce ſubſcriberent, & forinſecis miraculorum ſignis ad ſtipulationum robur appoſitis, librum & tabernaculum, quod Deus & non homo fixit, ac evangelici vaſa miniſterii non brutorum, ſed rationabilium hoſtiarum ſanguine tingerent, & in univerſam ſpatioſi maris faciem ſagena prædicationis expanſa, multiplicatam ſuper numerum de cunctis quæ ſub cœlo ſunt nationibus eccleſiam congregarent. Sed quia præſumptio multitudinem, & malitia ſubſecuta eſt libertatem: in quadriga ſecunda, ſub colore qui lugentibus ac pœnitentibus congruit, equeſtrem cuneum deputavit, qui ad clauſtrale deſertum ductus per ſpiritum, ſub novi Iſdraelis auriga ſanctiſſimo Benedicto, velut ſub altero Eliſæo, filiis prophetarum communis vitæ bonum, occaſione multitudinis perditum, injucundæ cohabitationis grata ſocietate reſtituit, & ſic unitatis ſciſſum rete reficiens, ac per opera pietatis ad terram Aquilonis, unde omne malum panditur, proficiſcens, eum fecit in ingreſſis theſauros nivis & contritis corde quieſcere, qui dedignatur in corpore ſubdito peccatis habitare.

Poſt quos quaſi laſſum renovaturus exercitum, & redditurus jubilum poſt lamentum: applicitis ad quadrigam tertiam equis albis, fratribus Ciſtercienſis ordinis & Florenſis, velut tonſarum greges geminæ caritatis fœtibus uberes, de pœnitentiæ lavacro fecit aſcendere, ſancto Bernardo ariete ovium in virtute ſpiritus, qua ex alto indutus extitit, & in abundantia frumenti vallium præeunt, ut tranſeuntes liberati per eum in fortitudine clament ad Dominum, dicant hymnum, & ponant caſtra Dei exercituum ſuper mare.

Novo igitur Iſraele his tribus agminibus, turmis totidem, quas Philiſthiim fecerant, occurrente hora undecima, cum dies jam declinaſſet ad veſperum, & propter iniquitatis abundantiam caritate plurimum frigeſcente vergeret juſtitiæ radius ad occaſum: quia vineam, ad quam paterfamilias operarios diverſis temporibus denarii conductos conventione præmiſerat, & quam ſua dextera plantarat, non ſolum vitiorum vepres & ſpinæ pervaſerant, ſed jam propemodum vulpeculæ demolientes convertere in alienæ vitis amaritudinem intendebant: adverſus infeſtiſſimam multitudinem militiam adunare voluit promptiorem, &, ſicut impræſentiarum cernimus, poſt trium ſignis differentium tirocinia quadrigarum, in quadriga quarta equos varios & robuſtos Prædicatorum & Minorum fratrum agmina cum electis ducibus ſimul in prælium directurus, ſpiritum S. Dominici ſuſcitavit, & ei velut equo ſuæ gloriæ præbens fidei fortitudinem & fervorem, Divinæ prædicationis hinnitum circumdedit collo ejus: Qui gerens a pueritia cor ſenile, ac in mortificatione carnis eligens vivere, vitæ requiſivit authorem: & Deo deditus, ac in Nazaræum ſub beati Auguſtini regula conſecratus, ſedulum circa ſancta Samuelis imitatus obſequium, in caſtigatione deſiderii piiſſimum Danielis continuavit affectum. Juſtitiæ ſemitas & ſanctorum vias ſtrenuus athleta cuſtodiens, & vel ad momentum de tabernaculo Domini, de militantis eccleſiæ magiſterio & miniſterio non diſcedens, carnem ſpirituí, & ſenſualitatem ſubjiciens rationi, & factus unus cum Deo ſpiritus, totus in eum per exceſſum mentis pergere ſtuduit, & ſobriæ compaſſionis ſtudiis a caritate proximi non receſſit: quo ſagittante delicias carnium, & fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis hæreticorum ſecta contremuit, omnis eccleſia fidelium exultavit. Ætate creſcente crevit & gratia: quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum, ad eloquia Dei dedit animum, & per evangelium Chriſti multos generans, in converſione tam ſtrenuæ multitudinis evangelicæ dignitatis officium profitentis nomen & opus in terra meruit obtinere majorum: paſtor & dux inclytus in populo Dei factus, novum Prædicatorum ordinem inſtituit meritis, ordinavit exemplis, nec miraculis confirmare deſiit evidentibus & approbatis. Nam præter opera ſanctitatis & ſigna virtutis, quibus in carne poſitus claruit, diverſorum curatis languoribus, loquela mutis, viſu cæcis, ſurdis auditu, greſſu paralyticis, & ſanitate priſtina multarum generibus invaletudinum reſtitutis, aperte patuit, qualis ſpiritus in ejuſdem ſanctiſſimi gleba corporis habitavit.

Cum igitur ex multa familiaritate, quam nobiſ-

biſcum in minori conſtitutis officio habuit, argumenta ſanctitatis ipſius ex inſignis vitæ teſtimonio conſtitiſſent, eſſetque poſtmodum de miraculorum veritate dictorum facta nobis per teſtes idoneos plena fides : nos cum commiſſo nobis grege Domini confidentes ejus poſſe ſuffragiis per Dei miſericordiam adjuvari, ut cujus in terris ſolatium gratioſæ familiaritatis habere meruimus, ejus in cœlis potenti patrocinio gaudeamus : ipſum de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ac omnium tunc apud ſedem apoſtolicam conſiſtentium prælatorum, catalogo ſanctorum adſcribere decrevimus : ſtatuentes firmiter, ac univerſitati veſtræ præſentibus injungentes, ut Nonis Auguſti, ante diem quo poſita carnis ſarcina dives meritis penetravit in ſancta, ſimilis ſanctorum factus in gloria, ejus natalitia celebretis, & faciatis ſolenniter celebrari : quatenus ejus precibus Deus, quem vivens coluit, exoratus, gratiam in præſenti ſæculo & gloriam nobis tribuat in futuro. Nos vero tanti confeſſoris venerabilem ſepulturam, quæ miraculorum fulgoribus generalem illuſtrat eccleſiam, cupientes dignis Chriſtianæ devotionis honoribus frequentari, vere pœnitentibus & confeſſis, illam in feſtivitate præfata annis ſingulis cum devotione ac reverentia debita viſitantibus, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus authoritate confiſi, annum unum de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus.

Datum Reate tertio Idus Julii, pontificatus noſtri anno octavo.

VIII. AD ANGLOS.

De negotiis terræ ſanctæ promovendis.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis Domini noſtri Jeſu Chriſti fidelibus per regnum Angliæ conſtitutis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

RAchel ſuum videns in veræ fidei cognitione principium accreſcentium in ſalutem, & filiorum dexteræ pia mater ſancta Romana eccleſia, cujus magna eſt quaſi mare de ſuæ prolis internecione contritio : vocem lamentationis, fletus & luctus emiſit hactenus, & emittit, quam audiri cupimus in excelſo : ut per diem & noctem fidelium oculi doloris lacrymam deducentes non taceant, & donec miſereatur Dominus non quieſant. Lamentatur autem, quia domus cœleſtis panis, mons Sion, unde lex exiit, civitas regis magni, de qua dicta & ſcripta multa glorioſa, terra quam Dei Filius fuſo pro nobis ſuo ſanguine conſecravit, regni robur perdidit & fortitudinem. Flet, quia quondam libera, ſub impio tyrannidis jugo cogitur ancillari. Luget, quia ubi pacem multitudo cœleſtis militiæ cecinit, ibi preſſura gentis immundiſſimæ ſcandalorum ſpurcitie, abominabiles ſimultates, & ſchiſmata ſuſcitavit : ac innovans exordia præliorum, miſit ad deſiderabilia manum ſuam, & ſacrorum ordinum pias leges, & ipſius naturæ jura relegans a templo Domini, diverſis ibidem ſpurcitiis deteſtabilibus & ignominioſis vitiis introductis turpiter in ſuo ſtercore computreſcit. Et ideo Jeruſalem in ſuis deriſa ſabbatis, obſurduit, quaſi polluta menſtruis ſuos inter inimicos. Nam licet dudum cariſſimo in Chriſto filio noſtro Friderico Romanorum imperatori ſemper auguſto, Jeruſalem & Siciliæ regis illuſtri, civitas eadem, præter templum Domini, fuerit reſtituta : tamen quia Deus omnipotens tunc magnificentius agere cum populo ſuo Chriſtiano non adjecit, Imperator prædictus treugas iniit cum Soldano : quarum terminus adeo eſt vicinus, quod tempus medium præparationi vix ſufficere creditur, niſi ad quæque neceſſaria per promptitudinem, ſpem, & fervorem fidei feſtinetur. Ad ejus ergo ſuccurſum, nullum tædeat peregrinari, & pro patria certare cum ſpe victoriæ, pro corona mori, pro vita, pro illo ſuſtinere dura & triſtia, qui confuſione concepta, ſputo conſperſus, cæſus alapis, flagellis afflictus, coronatus ſpinis, coram Pilato ſiſti tanquam multorum criminum reus pertulit ; crucifixus ad ultimum, & potatus felle, lancea perforatus, emittens cum clamore valido ſpiritum, pro conditionis humanæ viribus reparandis, curſum præſentis vitæ ſaturatus injuriis conſummavit. Hic eſt, ut repetamus altius, qui de paterno ſolio gloriæ, cœlis mirabiliter inclinatis, ad noſtræ mortalitatis ima deſcendens, non dedignatus eſt Deus homo, creator fieri creatura, ſuſcipere Dominus formam ſervi : ut qui non poteramus per noſtram juſtitiam ſperare veniam, conſecuti per hæc gratiam inauditam, hæredes Dei, cohæredes vero Chriſti, Divinitatis conſortium, felicitatis æternæ participium ſortiremur. Et licet per gratiam adoptati, quotidie cauſas ingratitudinis cumulemus : ipſe tamen abundat in divitiis bonitatis, dum propter diverſitatem voluntatum, virium facultatem delinquentibus, diverſa pro tempore ſatisfaciendi genera contulit, varia medendi languentibus remedia ſuſcitavit : dum terram, in qua naſci, mori, & reſurgere voluit, tamdiu ad exercitationem fidelium ab infidelibus detineri permittit : cum non ſit abbreviata manus Domini, nec virtus ejus in aliquo diminuta, quin eam, ſicut fecit cuncta de nihilo, liberare valeat in momento. Sed illas compaſſionis & dilectionis gratias exquirit ab homine, quibus ad omnis conſummationis finem legiſque plenitudiem oſtendendam, ipſe prior homini perdito & damnato voluit miſeratus adeſſe : qui nullatenus permiſiſſet manus impias contra pios uſque adeo roborari, niſi & ſuam vindicari de noſtra confuſione providiſſet injuriam, & ſervari noſtram de ſua victoria diſciplinam. Sub hac occaſione delicati plurimi ſatisfacere pro modo criminum non valentes, nec volentes, velut in profundo malorum penitus deſperaſſent, niſi occurriſſet eis hæc tabula : ut per hoc compendium ſuis peccatis pro Chriſto animabus conſummati, breviter multorum temporum ſpatia compleviſſent. Multi etiam invenire locum, ubi ſteterunt pedes Domini, cupientes, prius ad bravium ſine curſu, vel potius ad coronam ſine gladio pervenerunt, illo ſuum remunerante militem, qui ſolam conſiderat in oblatione voluntatem. Ut autem propter præmiſſa fideles efficaciter & potenter excitentur : nos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum authoritate confiſi, ex illa quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque ſolvendi contulit poteſtatem, omnibus, qui laborem iſtum in propriis perſonis ſubierint & in expenſis, plenam ſuorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti & ore confeſſi, veniam indulgemus, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui

iiſdem verbis ſequitur Innocentius III. in concilio Lateranenſi IV.

non in perſonis propriis illuc acceſſerint, ſed in ſuis dumtaxat expenſis, juxta facultatem & quantitatem ſuam, viros idoneos deſtinaverint; & illis ſimiliter, qui licet in alienis expenſis, in propriis tamen perſonis acceſſerint, plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remiſſionis volumus & concedimus eſſe participes, juxta quantitatem ſubſidii & devotionis affectum, omnes qui ad ſubventionem ipſius terræ de bonis ſuis congrue miniſtrabunt. Perſonas quoque ipſorum & bona, ex quo crucem ſuſceperunt, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus; necnon & eadem ſub archiepiſcoporum, & omnium prælatorum eccleſiæ Dei defenſione conſiſtant. Statuentes ut, donec de ipſorum obitu vel reditu certiſſime cognoſcatur, integra maneant, & ſecura conſiſtant. Porro eccleſiarum prælati, qui in exhibenda juſtitia cruceſignatis, & eorum familiis negligentes extiterint, ſciant ſe graviter puniendos. Quod ſi quiſquam contraire præſumpſerint, per eccleſiarum prælatos, appellatione poſtpoſita, cenſura eccleſiaſtica compeſcatur. Si qui vero proficiſcentium illuc, ad præſtandas uſuras juramento tenentur aſtricti: creditores eorum per eccleſiarum prælatos, ut remittant eis præſtitum juramentum, & ab uſurarum exactione deſiſtant, eadem præcipimus diſtrictione compelli. Quod ſi quiſquam creditorum eos ad ſolutionem coegerit uſurarum, eum ad reſtitutionem earum ſimili cogi animadverſione mandamus. Judæos vero ad remittendas ipſis uſuras per ſæcularem compelli præcipimus poteſtatem: & donec illis remiſerint, ab univerſis Chriſtis fidelibus, tam in mercimoniis quam in aliis, per excommunicationis ſententiam eis omnino communio denegetur. His vero qui Judæis debita ſolvere nequeunt in præſenti, ſic principes ſæculares utili dilatione provideant: quod poſt iter arreptum, uſquequo de ipſorum obitu vel reditu certiſſime cognoſcatur, uſurarum non incurrant incommoda: compulſis Judæis proventus pignorum, quos interim perceperunt, in ſortem, expenſis neceſſariis deductis, computare: cum hujuſmodi beneficium non multum videatur habere diſpendii: quia ſolutionem ſic prorogat, quod debitum non abſorbet. Ut autem terræ ſanctæ ſubſidium diviſum in plurimos facilius impendatur, obſecramus omnes & ſingulos per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum ſolum verum æternum Deum, poſtulantes vice Chriſti pro Chriſto, ab archiepiſcopis & epiſcopis, abbatibus & prioribus, & tam cathedralium quam aliarum conventualium eccleſiarum capitulis, & clericis univerſis, necnon civitatibus, villis, & oppidis, competentem numerum bellatorum cum expenſis neceſſariis, ſecundum proprias facultates, in ſuccurſum terræ ſanctæ alacriter deſtinare. Et ſi ad hoc, unum quodlibet non ſufficiat, plura conjungantur in unum, quia pro certo ſperamus quod perſonæ non deerunt, ſi expenſæ non defuerint: poſtulantes hoc ipſum a regibus & principibus, comitibus & baronibus, aliiſque magnatibus, qui forſitan per ſeipſos perſonaliter non acceſſerint ad obſequium Crucifixi. A civitatibus vero marinis navale ſubſidium poſtulamus. Clericis vero ad hoc negotium neceſſariis providimus indulgendum: ut, omni contradictione ceſſante, beneficiorum ſuorum proventus propter hoc valeant ad triennium pignori obligare: ita tamen quod illi, quibus committendos duxerint vel etiam obligandos, infra præſcriptum tempus cum ea integritate proventus percipiant antedictos, cum qua ipſi eos perciperent, ſi in eccleſiis, in quibus ipſos obtinent, perſonaliter reſiderent. Quia vero ſubſidium terræ ſanctæ multum impediri vel retardari contingeret, ſi ante ſuſceptionem crucis quemlibet examinare oporteret, an eſſet idoneus & ſufficiens ad hujus votum perſonaliter proſequendum: concedimus, ut (regularibus perſonis exceptis) ſuſcipiant quicumque voluerint ſignum crucis. Ita quod ſi urgens neceſſitas aut evidens utilitas poſtulaverit, votum ipſum de mandato apoſtolico poſſit commutari, aut redimi, aut differri. Univerſis autem eccleſiarum prælatis diſtricte præcipimus, ut ſinguli per loca ſua illos qui ſignum cruci depoſuerunt, reſumere, ac tam ipſos quam alios Cruceſignatos, & quos adhuc ſignari contigerit, ad reddendum Domino vota ſua diligenter moveant & inducant; Ceterum, quia curſarii & piratæ nimis impediunt ſubſidium terræ ſanctæ, capiendo & ſpoliando tranſeuntes ad illam, & ab illa revertentes; nos eos & principales adjutores & fautores, excommunicationis vinculo innodamus, ſub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis ſcienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, injungentes rectoribus civitatum & locorum ſuorum, ut eos ab hac iniquitate revocent & compeſcant. Alioquin, quia nolle perturbare perverſos, nihil aliud eſt quam fovere; nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare: nos in perſonas & terras eorum, ſeveritatem eccleſiaſticam curabimus exercere: cum tales, non minus quam Saraceni, adverſentur nomini Chriſtiano. Innovamus præterea excommunicationis ſententiam, in Lateranenſi concilio promulgatam adverſus eos, qui Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum, quique in piraticis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel in machinis, vel quibuslibet aliis, aliquod eis impendunt conſilium vel auxilium in terræ ſanctæ diſpendium: coſque rerum ſuarum privatione mulctari, & capientium ſervos, ſi capti fuerint, fore cenſemus: præcipientes, ut per omnes urbes maritimas diebus Dominicis & feſtivis hujus ſententia publice innovetur. Et talibus gremium non aperiatur eccleſiæ, niſi totum quod de commercio tam damnabili perceperint, in ſubſidium terræ ſanctæ tranſmittant, ut æquo judicio, in quo deliquerint puniantur. Quod ſi forte ſolvendo ſatisfacientes non fuerint, ſic alias reatus talium caſtigetur, quod in pœna ipſorum aliis interdicatur audacia ſimilium præſumendi. Quia vero ad hoc negotium exequendum, eſt permaxime neceſſarium, ut principes & populi Chriſtiani ad invicem pacem obſervent, juxta quod ſtatutum eſt in concilio generali: volumus & mandamus, ut ſaltem per quadriennium in toto orbe Chriſtiano pax generaliter obſervetur: ita quod per eccleſiarum prælatos, diſcordantes reducantur ad plenam pacem aut firmam treugam inviolabiter obſervandam. Et qui acquieſcere forte contempſerit, per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terras arctiſſime compellantur: niſi tanta fuerit injuriatorum malitia, quod ipſi tali non debeant pace gaudere. Quod ſi forte cenſuram eccleſiaſticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per auctoritatem eccleſiæ contra eos, tanquam perturbatores negotii Crucifixi, ſæcularis potentia inducatur.

Later. IV. in fine.

catur. Accingantur igitur omnes filii adoptionis Divinæ ad obſequium Jeſu Chriſti, diſſenſiones & lites in pacis & dilectionis fœdera commutantes: credendo firmiter, quod ſi vere confeſſi fuerint & compuncti, felici commercio laboribus ſuis, qui cito tranſeunt, æternam requiem mercabuntur.

Datum Spoleti 11. Nonas Septembris, pontificatus noſtri anno octavo.

Capitula a Gregorio papa IX. contra Patarenos edita.

EXcommunicamus & anathematizamus univerſos hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Paſſaginos, Joſepinos, Arnaldiſtas, Speroniſtas, & alios quibuſcumque nominibus cenſeantur: facies quidem habentes diverſas, ſed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipſum. Damnati vero per eccleſiam, ſæculari judicio relinquantur, animadverſione debita puniendi: clericis prius a ſuis ordinibus degradatis. Si qui autem de prædictis, poſtquam fuerint deprehenſi, redire voluerint, ad agendam condignam pœnitentiam in perpetuo carcere detrudantur. Credentes autem corum erroribus, hæreticos ſimiliter judicamus. Item receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere: firmiter ſtatuentes, ut ſi poſtquam quilibet talium fuerit ex communicatione notatus, a ſua ſuper hoc non curaverit præſumptione ceſſare, ipſo jure ſit factus infamis: nec ad publica officia ſeu conſilia, nec ad eligendos aliquos ad hujuſmodi, nec ad teſtimonium admittatur. Sit etiam inteſtabilis, ut nec teſtamenti habeat factionem, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat. Nullus præterea ipſi ſuper quocumque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur. Qui ſi forte judex extiterit, ejus ſententia nullam obtineat firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, inſtrumenta confecta per ipſum nullius penitus ſint momenti: & in ſimilibus idem præcipimus obſervari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur. Si qui autem, tales, poſtquam ab eccleſia fuerint denotati, evitare contempſerint, excommunicationis ſententia percellantur: alias animadverſione debita puniendi. Qui autem inventi fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi juxta conſiderationem ſuſpicionis qualitatemque perſonæ propriam innocentiam congrua purgatione monſtraverint, anathematis gladio feriantur, & uſque ad ſatisfactionem condignam ab omnibus evitentur: ita quod ſi per annum in excommunicatione perſtiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur. Item proclamationes & appellationes hujuſmodi perſonarum minime audiantur. Item judices, advocati, & notarii, nulli eorum officium ſuum impendant: alioquin eodem officio perpetuo ſint privati. Item clerici non exhibeant hujuſmodi peſtilentibus eccleſiaſtica ſacramenta, nec eleemoſynas aut oblationes eorum accipiant: ſimiliter Hoſpitalarii & Templarii, ac quilibet regulares; alioquin ſuo priventur officio: ad quod nunquam reſtituantur abſque indulto ſedis apoſtolicæ ſpeciali. Item quicumque tales præſumpſerint eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ, uſque ad ſatisfactionem idoneam excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere: nec abſolutionis beneficium mereantur, niſi propriis manibus publice extumulent & projiciant hujuſmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuo careat ſepultura. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publice vel privatim de fide catholica diſputare: qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Item ſi quis hæreticos ſciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, ſeu a communi converſatione fidelium vita & moribus diſſidentes: eos ſtudeat indicare confeſſori ſuo, vel alii per quem credat ad prælati ſui notitiam pervenire: alioquin excommunicationis ſententia percellatur. Filii autem hæreticorum, receptatorum, & defenſorum eorum, uſque ad ſecundam generationem ad nullum eccleſiaſticum officium ſeu beneficium admittantur: quod ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum & inane.

Datum Viterbj VI. Idus Novembris, pontificatus noſtri anno IX.

IX. AD PRIOREM FRATRUM ORDINIS PRÆDICATORUM IN LOMBARDIA.

Prædicatores conſtituit executores ſuæ conſtitutionis contra hæreticos editæ.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Priori provinciali fratrum ordinis Prædicatorum in Lombardia, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ILle humani generis pervicax inimicus, omnium malorum incentor, quem de ſupremis ad ima ſuperbia ſua proſtravit, non contentus quod ſuæ fraudis nequitia hominem perduxit ad caſum, ærumnis & miſeriis applicandum, callide eum nititur peſtiferis retibus irretire: aſtute ſibi parans inſidias ne reſurgat, locum a quo ceciderat obtenturus. Noviſſime autem diebus iſtis, fidem niſus perfidia depravare per miniſtros ſuos iniquitatis operarios, venena ſpargit mortifera; ſeditioſe conſiderans quod familiaris hoſtis ſit efficax ad nocendum, qui quaſi dulcia præmittentes, cauda pungunt ut ſcorpio, in aureo tandem calice Babylonis virus peſtilentiæ infuſuri. Licet enim hæretici hactenus diutius latitantes ſicut cancer ſerperent in occulto, & velut vulpes lætarentur vineam Domini ſabaoth demoliri: jam tamen peccatis exigentibus, in aperto, quaſi equi parati ad prælium, præſumunt manifeſte inſurgere contra eam, in quibuſdam locis publice prædicando, quærentes in cibum ſimplices, & in prædam indoctos, ac illaqueare nihilo minus fideles quoslibet ſuis circumventionibus cupientes, facti magiſtri erroris qui nunquam fuerunt diſcipuli veritatis. Unde expedit quod inſurgant viriliter contra eos, ut, eorum omnino hæreſi confutata, per totum vigeat fides Chriſti: nam corona ſequitur præmii tentationibus reſiſtentes. Cum igitur dudum reſplenduerit in partibus Lombardiæ fida fides, ac per hoc formidemus ibi potius animalia venenoſa, ne forte ſimplices, ipſorum callidis ſeductionibus circumventi, & aſtuti pravis circumventionibus periculoſe decepti, in profundum deveniant peccatorum, ſicque violetur ibidem fidei firmamentum: nos, qui circa horam undecimam inter operarios, imo verius ſupra operarios vineæ Domini ſumus

mus a patrefamilias evangelico deputati, moniti voce ſponſi capere vulpes parvulas, quæ demoliri vineam Domini moliuntur, & tacti dolore cordis intrinſecus, non valentes ſuſtinere tantam contumeliam creatoris, ac volentes tot animarum periculis obviare, diſcretionem tuam rogamus, monemus & hortamur attente, per apoſtolica tibi ſcripta, ſub Divini obteſtatione judicii diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus aliquos de fratribus tuis tibi commiſſis, in lege Domini eruditos, quos ad hoc eſſe noveris idoneos, ad partes tibi ſecundum tuum ordinem limitatas tranſmittas, qui clero & populo convocatis generalem prædicationem faciant, ubi commodius viderint expedire: & adjunctis ſibi diſcretis aliquibus ad hæc ſolicitius exequenda, diligenti perquirant ſolicitudine de hæreticis & etiam infamatis: & ſi quos culpabiles vel infamatos repererint, niſi examinati velint abſolute mandatis eccleſiæ obedire, procedant contra eos juxta ſtatuta noſtra contra hæreticos noviter promulgata; in receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum ſecundum eadem ſtatuta nihilo minus proceſſuri. Si vero aliqui hæretica labe penitus abjurata ad eccleſiaſticam redire voluerint unitatem, ipſi juxta formam eccleſiæ beneficium abſolutionis impendant, & injungant eis quod talibus conſuevit iniungi. Attentius proviſuri, ne qui videntur reverti, ſub palliata ſpecie pietatis impietatem committant, & angelus ſatanæ in angelum lucis ſe transformet. Propter quod ſtatuta, quæ ſuper hoc duximus promulganda, inſpicere poterunt, & ab eorum inſidiis ſecundum diſcretionem eis traditam a Domino præcavere. Ad hæc, ut ſuper præmiſſis omnibus officium ſibi commiſſum liberius poſſint & efficacius exercere: omnibus qui ad prædicationem eorum acceſſerint in ſingulis ſtationibus viginti dies; illis vero qui ad impugnandum hæreticos, fautores, receptatores, & defenſores eorum, in munitionibus & caſtellis, vel alias contra eccleſiam rebellantes, ipſis ex animo auxilium, conſilium præſtiterint, vel favorem, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus authoritate confiſi, tres annos de injuncta ſibi pœnitentia relaxamus. Et ſi qui ex his in proſecutione hujuſmodi negotii forte deceſſerint, eis omnium peccatorum, de quibus corde contriti ac ore confeſſi ſunt, plenam veniam indulgemus. Ne vero aliquid fratribus ipſis deſit ad prædictum negotium proſequendum, in contradictores & rebelles eccleſiaſticam proferendi cenſuram tenore præſentium liberam eis concedimus facultatem. Prædicatores quoque quæſtuarios, quorum intereſt caritativa tantum ſubſidia ſimpliciter petere, ac indulgentiam, ſi quam forſan habent, exponere: a prædicationis officio, quod ad ipſos nullatenus pertinet, compeſcendi cenſura ſimili, eiſdem nihilo minus licentiam indulgemus.

Datum Viterbii decimotertio Kalendas Junii, pontificatus noſtri anno undecimo.

X. AD ARCHIEPISCOPUM BREMENSEM, &c.

De monaſterio ſanctæ Mariæ in Stadio.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Bremenſi archiepiſcopo, & dilectis filiis decano & Joanni Beverſak, canonicis Bremenſibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DEſideria devotorum, in quibus fructus æternæ vitæ contineri dignoſcitur, eo promptioribus ad effectum per nos ſunt deducenda ſtudiis, quo ſuper talibus exequendis nobis ineſſe debet diligentia ſpecialis. Hinc eſt quod cum monaſterium ſanctæ Mariæ in Stadio, ordinis ſancti Benedicti, Bremenſis diœceſis, ſicut accepimus, ſit peccatis exigentibus ita diſpoſitum, quod evidenter ibidem non abſque Divini numinis offenſa ſalus negligitur animarum: ad preces abbatis ejuſdem monaſterii ſuper hoc ſalubriter providere volentes, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſum, ſi ſalubriter in ſuo non poſſit ordine reformari, de Ciſtercienſi ordine conſilium habendo præ oculis reformare curetis, illos ex iiſdem monachis, qui forte meliorationis hujuſmodi gratiam conſequi recuſantes noluerint habitum Ciſtercienſem aſſumere, in aliis locis ſui ordinis collocando, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcatis. Quod ſi non omnes his exequendis intereſſe poteritis: tu, frater archiepiſcope, cum altero eorum nihilo minus exequaris.

Datum Viterbii ſecundo Nanas Maji, pontificatus noſtri anno undecimo.

CXI. AD OTTONEM CARDINALEM LEGATUM IN ANGLIA.

Fridericum ſecundum imperatorem excommunicat, & excommunicationem publicari jubet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio ſuo Ottoni ſancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali, apoſtolicæ ſedis legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SEdes apoſtolica, ſicut totus fere orbis facti evidentia didicit, Fridericum dictum imperatorem, ex quo ipſum ex utero matris excepit genibus, affectu materno proſequens, lactavit uberibus, & humeris bajulavit: quem olim omni pene deſtitutum auxilio, & dubiis tantum derelictum eventibus, ſuo recepit patrocinio confovendum: opponens ſe potenter invaſoribus regni ſui, qui in terram ejus oculos aviditatis injecerant. Cujus jam fines ingreſſi, eam abſque ullo defenſionis obſtaculo uſurpabant: & defendens eumdem ab inſidiantibus vitæ ſuæ, qui æmuli ſaluti ipſius, conabantur animam ejus extinguere, & de terra ipſius memoriam abolere. Cumque idem protectionis eccleſiaſticæ clypeo præmunitus, perſonæ regni ſui bonæ memoriæ G. de Gualganem tituli ſancti Anaſtaſii, presbyteri cardinalis, a ſede apoſtolica per multos annos deputati cuſtodis, majoris metas attigiſſet ætatis, tandem ad altioris dignitatis apicem per eam extitit ſublimatus. Sed diligentiæ ſtudium circa perſonam ejus impenſum, labores plurimos quos eccleſia ſubiit propter eum, quoad ipſum perdidiſſe videtur: cum tot beneficiorum ſit immemor, tantæ gratiæ ſit ingratus. Et utinam illius ingratitudinis non excederet terminos, per quam perceptorum bonorum exiſteret negatione contentus! Porro licet offenſa quælibet aculeos doloris importet: illa tamen jaculo graviori percellit, in qua ingratitudo pro gratia rependitur,

tur, & pro beneficiis maleficia compenſantur. Verum quantumcumque ipſum apoſtolica ſedes dilexerit, & ſupremæ culmine poteſtatis erexerit ſæcularis: ſuis tamen exigentibus culpis, de quibus, quamquam pluries a nobis monitus ſatisfacere non curavit, coacti ſumus, licet inviti, animadvertere in eundem. Nam etſi Adam Divina providentia excellentia dignitatis, & authoritatis extulerit, cui omnia animantia terræ ſubjecit: quia tamen ſui juſſa præteriit plaſmatoris, ejus exceſſibus non pepercit. Quæ autem a dicto Friderico pro tot bonis ſibi collatis eccleſia retributionis præmia reportarit, diſcretionem tuam volumus non latere, pauca de multis præſenti pagina declarando. In Urbe ſiquidem gravem movit ſeditionem: exinde nos & fratres noſtros totis viribus niſus excludere, ut ſic apoſtolicæ ſedis honorem deprimeret, ac libertatem ipſius penitus conculcaret, contra juramenta præſtita temere veniendo: & venerabilem fratrem noſtrum Prænestinenſem epiſcopum, dum ipſum ad partes Albigenſium diſponeremus pro corroboratione fidei catholicæ deſtinare, per quoſdam ſuos fideles in via impediri mandavit; Cathedrales etiam eccleſias, & alias vacantes regni ſui, nequaquam ordinari permittit, in animarum periculum, & grave detrimentum ipſarum. Eas & quaſdam alias nihilominus ſpoliando fere omnibus bonis ſuis, & tallias ac exactiones indebitas prælatis, religioſis, & aliis clericis ſæcularibus imponendo. Nobilibus, pauperibus, orphanis & viduis uſque ad inanitionem extremam deductis, eos ad modicum dura & crudelis exactorum ſuorum acerbitas non patitur reſpirare: & ſic totum fere regnum, quod eſt ſpirituale patrimonium B. Petri, pro quo juramento fidelitatis apoſtolicæ ſedi tenetur, & ipſius ligius vaſſallus exiſtit, quantum in eo eſt, in favillam quaſi & cinerem jam redegit. Quod ſi, poſtquam monitus fuerit a nobis, non duxerit corrigendum, nos ſuper hoc, authore Deo, ſicut expedire videbimus, procedemus. Inſuper negotium impedit terræ ſanctæ, necnon etiam imperii Romaniæ. Præterea cum tempore concordiæ inter ipſum & eccleſiam reformatæ, in manibus ſedis apoſtolicæ legatorum juraverit eccleſiæ præceptis obedire, & ipſe mandatum ab eis receptum, quod terram eccleſiæ, vel terras eorum, quas tunc ad ſuas manus tenebat, aut ipſorum perſonas nullatenus caperet, occuparet, ſive etiam devaſtaret, adimplere contempſit, terram eccleſiæ occupando: videlicet in Lombardia, Ferrariam, Bononiam, Pingnogomam, terram quidem Sardiniæ & Meſſanenſem, Lucanenſem, diœceſes capiendo, & dejiciendo illos quos ad manus ſuas eccleſia reſervavit, & devaſtando terras ipſorum, licet extunc in eum præſentem ipſi legati excommunicationis ſententiam tulerint, ſi ſuper his non faceret quod mandarent. Idem etiam nepotem regis Tunicii detinet, ad Romanam curiam & eccleſiam pro percipiendo ſacri baptiſmatis lavacro accedentem. Ac dilectum filium Petrum Saracenum, nobilem civem Romanum ex parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri illuſtris regis Angliæ ad ſedem apoſtolicam miſſum, & filium ejus, carceri detinet mancipatos. Quia vero ſuper his & quampluribus aliis exceſſibus pluries a nobis monitus, correctionis medelam non ſentiens, cum ſuarum ſint ulcera indurata culparum, quotidie deteriora committere non veretur: nos hæc abſque Chriſti offenſa prætirire ſub diſſimulatione ulterius non valentes, de fratrum noſtrorum conſilio, ex parte Dei omnipotentis, (cujus vicem in terris gerimus, licet inviti) & authoritate beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra, in eum excommunicationis & anathematis ſententiam duximus promulgandam, tradentes ipſum Fridericum ſatanæ interitum carnis, ut ſpiritus ejus in die Domini ſalvus fiat: omnes, qui ei fidelitatis juramento tenentur, decernendo ab obſervatione juramenti hujuſmodi abſolutos, & firmiter prohibendo ne ſibi fidelitatem obſervent, donec fuerit vinculo excommunicationis adſtrictus. Quocirca devotionem tuam monemus, & exhortamur attente, per apoſtolica ſcripta tibi præcipiendo: mandantes, quatenus prædictam excommunicationis & anathematis ſententiam, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, pulſatis campanis & candelis accenſis, ſolenniter publicari, ac abſolutionem & inhibitionem nunciari procures, & facias per totam terram tuæ legationis modo ſimili publicari, & etiam nunciari. Mandatum noſtrum taliter impleturus, quod devotio tua poſſit exinde merito commendari. Ceterum cum præfatus Fridericus de aliis magnis & gravibus ſit plurimum infamatus criminibus: nos, dante Domino, ſuper his ſuo loco & tempore procedemus, prout in talibus negotiis natura requirit. Verum, quia terroris ſonitus ſemper eſt in auribus impiorum, & etiam quando pax eſt inſidiæ ſuſpicantur, eo quod turbata conſcientia ſemper ſæva præſumit: idem Fridericus, priuſquam ſententia excommunicationis lata eſſet in ipſum, quaſdam fratribus noſtris decrevit litteras tranſmittendas pro parte inferius annotatas: quæ poſt eamdem latam ſententiam ipſis præſentatæ, ad noſtram & eorumdem notitiam pervenerunt. Unde quia voluit Dominus occulta cordis ejus detegere, qui manifeſtat abſcondita tenebrarum, & cordium ſecreta revelat: ex ipſarum litterarum tenore colligitur, quam gerat devotionem ad Romanam eccleſiam matrem ſuam; quam ad ſummum pontificem ac fratres ejus ac ſedem apoſtolicam reverentiam habeat, cujus ratione regni vaſſallus exiſtit, Contra nos enim & ipſos conſpiraſſe videtur: ex quo, quantum & quale crimen incurrerit, ſatis patet. Inter cetera vero, quæ ſua continebat epiſtola, hæc habebantur inſerta: „ Propter quod non indi-
„ gne dolemus, ſi pater apoſtolicus offendere
„ tam graviter nos intendat, ut dum in co-
„ ſtantem virum tam vehemens cadit injuria,
„ etſi patienter ferre velimus, immanitas nego-
„ tii non permittat, quin ad ultiones, quibus
„ Cæſares uti ſolent, facti violentia nos im-
„ pellat.„ Verumtamen dum conſideramus impatientiam procedentis, & difficultatem attendimus offenſoris: ſi ex æquo liceret privatas exercere vindictas, quas in hominem, per quem ſcandalum venit, & in ſui participes ſanguinis compenſare poſſemus, ut in ipſum & ſuos attentata noſtræ ſedis injuria redundaret, tolerabilius duceremus. Sed cum nec ipſe, nec tota propter hoc ſua paſſura progenies, tanti forent, ut culmen imperii zelaret ultionem ipſorum: cumque ſedis authoritas, audaciæ ſibi frœna relaxet, & tot venerabilium fratrum moles eum in concepta fovere pertinacia videatur: angit nos altiori mente turbatio, quod dum nos intendamus a perſequente defendere, oporteat nos defendendo gravius offendere reſiſtentes.

Da-

Datum Laterani, tertio Idus Aprilis, pontificatus noſtri anno decimotertio.

XII. AD ARCHIEPISC. CANTUAR. ET SUFFRAGANEOS EJUS.

Vitam, mores, ingratitudinem, impietatemque Friderici ſecundi imperatoris inſinuat, & cauſas exprimit, propter quas ſedes apoſtolica, poſt multam cunctationem, ad vindictam tandem faciendam, vel ſero, ſerio tamen ſurrexerit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus archiepiſcopo Cantuarienſi, & ſuffraganeis ejus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ascendit de mari beſtia, blaſphemiæ plena nominibus: quæ pedibus urſi & leonis ore deſæviens, ac membris formata ceteris ſicut pardus, os ſuum in blaſphemias Divini nominis aperit, tabernaculum ejus, & ſanctos qui in cœlis habitant, ſimilibus impetere jaculis non omittit. Hæc unguibus & dentibus ferreis cuncta confringere, & ſuis pedibus univerſa deſiderans conculcare, fidei occultos olim paravit arietes: & nunc apertas machinas inſtruit Iſmaelitarum, gymnaſia animas avertentia conſtruit, & in Chriſtum humani generis redemptorem, cujus teſtamenti tabulas ſtylo pravitatis hæreticæ nititur abolere, fama teſtante, conſurgit. Igitur admirari deſinite omnes, ad quos ab hac beſtia contra nos edita pervenerunt obloquia blaſphemiæ, ſi nos omni Deo ſervitute ſubjecti detractionum ſagittis impetimur: cum nec ab his opprobriis immunis Dominus relinquatur. Admirari deſinite, ſi injuriarum in nos mucronem exerit, qui ad perdendum de terra nomen Domini jam aſſurgit: ſed potius, ut ejus reſiſtere aperta veritate mendaciis, ac illius confutare fallacias puritatis argumento poſſitis, caput, medium, & finem hujus beſtiæ Friderici dicti imperatoris inſpicite diligenter: & in ejus verbis abominationes dumtaxat invenientes & ſcelera, contra ipſius dolos ſinceros animos ſcuto veritatis armate; attendentes qualiter ſinceritatem apoſtolicæ ſedis, & noſtram, litteris per diverſa climata Mundi tranſmiſſis, pollutis niſus eſt maculare narratibus. Dictus Friderici, figulus falſitatis, modeſtiæ neſcius, nec aliquo perfuſus rubore, mentitur quod nos ipſum, nobis in minori officio conſtitutis, amicum priſtinum, fidem & mores, adepto apoſtolatus officio, relinquentes, quia, ſicut ſacramento præſtito, & lata in ipſum excommunicationis ſententia tenebatur, præfixo tempore in terræ ſanctæ ſubſidium vel ſuccurſum infirmitate non potuit prohibente tranſire, vinculo excommunicationis adſtringere, poſtulatum ab ipſo ſanitate reſumpta abſolutionis beneficium denegare, ipſumque in dictum tranſeuntem ſubſidium, per nuncios & legatos noſtros proceſſui ſuo contrarias Soldano mittentes, impedire curavimus, ut ſic eſſet de regni Hieroſolymitani recuperatione concepta fruſtratus: regnum Siciliæ, pro eo quod Reinaldus olim filius ducis Spoleti, præter ipſius conſcientiam, terram invaſit eccleſiæ, nos injuſte & violenter intraſſe, ac ipſius homines provocaſſe ad perjurium, falſo conqueritur. Seque de Syria in Apuliam redeuntem, illatæ injuriæ omiſiſſe vindictam, acceptaſſe concordiam, & rediiſſe ad matrem eccleſiam gloriatur. Licet autem hæc figmenta, publica notitia reprobet: quia tamen nonnunquam rectitudinis ſedem velatum occupat in aure ſincera mendacium, apud quam pro ſe veritas non invenit advocatum: ne in corda veſtra falſitas quacumque poſſit fraude ſubrepere, dignum eſt vos rei per nos geſtæ modum & ordinem non latere, qui dictum Fridericum, ante & poſtquam apoſtolicæ noſtros ſubjecimus humeros ſervituti, ſub vulpe latentem omni curavimus gratia proſequi: donec ſpe, quæ patri de filio ſolet innaſci, ſublata, idem Fridericus fremens in magnitudine ſua, & ex adepta fortitudine infrunitus, matri eccleſiæ pro bonis mala retribuit: & in eam, quam fucatis delinivit aliquando verborum fallaciis, virus effundere caudæ aculeo, more ſcorpionis, incœpit. Nam cum olim terræ ſanctæ neceſſitas, prædicta ſententia, & juramentum, ac præfixus terminus, tranſitum ejus expoſcerent, & illud idem multa millia Cruceſignatorum ipſum Brunduſii expectantia cum inſtantia poſtularent: idem dictos Cruceſignatos inibi, donec ſub ignoti aeris intemperie diverſis lugendæ mortis caſibus periere, detinuit, & perjurium ac excommunicationis ſententiam gratis incurrens, infirmus fide, ſed ſanus corpore, ut ſecurius Deo mentiretur, & eccleſiam falleret, omiſſo promiſſo paſſagio, in lecto ægritudinis diebus aliquot ſimulatus decubuit, ac terram ſanctam incurſibus hoſtium Chriſti exponere minime dubitavit: ex eo nullo dolore percuſſus, quod ibi claræ memoriæ nobilis vir Turingiæ Lantgravius, utinam non veneni periculo, ſicut Mundus clamat, extitit interemptus. Cumque de conficta ægritudine, & aliis præmiſſis, nobis per litteras prælatorum ibi morantium conſtitiſſet: ne, diſciplinæ virga tanto ſubtracta facinori, nos & apoſtolica ſedes redderemur inde notabiles, Cruceſignatorum mortem & terræ ſanctæ pericula deplorantes, & cupientes, ſaltem in altero, eccleſiæ lacrymas mœroris dextra debitæ conſolationis abſtergi, ipſum latæ in eum de conſenſu ſuo auctoritate bonæ memoriæ Honorii papæ prædeceſſoris noſtri excommunicationis ſententiæ ſubjacere denunciavimus: ſummo deſiderio poſtulantes, ut eum poſtmodum in emendationem tantorum & talium damnorum optatam præſtare operam audiremus; literis noſtris offerentes eidem, quod impartiremus ſibi, juxta formam, abſolutionis beneficium, quam cito arriperet iter in præfatæ terræ ſuccurſum. Sed ipſe, in cujus erat ſuper his pectore cura minor, claves eccleſiæ parvipendens, non abſolutus in Syriam tranſiit. Ubi cum Soldano, ſolis ſibi mœniis Jeruſalem reſtitutis, & illi grandi ad impugnationem Chriſtianorum tranſmiſſo equorum & armatorum exercitu, ſexennale fœdus feriens, & templum Dominicum Saracenorum ibi laudes exclamantium Machometi curæ relinquens, ex defenſore mutatus in hoſtem, venerabilem fratrem noſtrum patriarcham Hieroſolymitanum & Templarios pro viribus expugnavit. Illud autem non debet ad ſanæ mentis credulitatem accedere, quod eum in recuperatione regni Hieroſolymitani nos vel legati noſtri, cum ad hoc multo labore ſudaverit, grandiumque eccleſia ſubierit onera expenſarum, ſtuduerimus impedire. Sed iſtud in notitiam omnis terræ pervenit, quod idem Fridericus, ſicut in Syriæ partibus in propria perſona Dei perſequebatur eccleſiam, ſic citra mare ipſam diverſis tribulationibus dicti Reinaldi miniſterio, quem contra conſilium noſtrum ſuum in regno vicarium reli-

liquerat, affligebat. Cujus terram cum litteris aurea bulla munitis, pecunia, & vaſſallis ipſius Friderici, præfatus Reinaldus invadens, nonnullos ſacerdotes & clericos ſuſpendere, mutilare, ac fuſtibus cædere: necnon, ſtatu noſtro turbato Peruſii, partem ipſius terræ præoccupare præſumpſit. Quem licet fideles & devoti noſtri, non valentes id ulterius ſuſtinere, a parte terræ prædictæ, Chriſto ſponſæ ſuæ indulgente victoriam, ejeciſſent: quia tamen idem Reinaldus nequaquam ab incepta perſecutione ceſſabat, conſultius æſtimantes, ſi originalis militiæ venas inciderent, quam jam excitati torrentis impetus novis repletos rivulis expectarent: dictum regnum Siciliæ, quod eſt ſpirituale patrimonium eccleſiæ, ne inde nos percuterent jacula, unde potius erat expectandum ſubſidium, intraverunt: multique ex ipſius regni habitatoribus obedientes apoſtolicæ ſedi, nequaquam ob id reputari debent perjurium incurriſſe, cum a juramento fidelitatis, quod eidem Friderico præſtiterant, ex lata in eum excommunicationis ſententia abſoluti fuiſſent. Dicto quoque Friderico redeunti de partibus tranſmarinis, & ad ſinum matris eccleſiæ revertenti, pietatis appoſuimus apoſtolicæ gremium: ipſique ad expetitam inclinati concordiam, abſolutionis beneficium curavimus impartiri. Ad hæc idem mendacii filius falſitates falſitatibus cumulans, ut quo plura mendaciorum retia orditus fuerit, eo gravioribus ſe doleat periculis irretitum, de nobis mendacii ſcripturas pronunciat: quod eidem, ut Lombardiam pacificus & inermis intraret, promittentes quod aſpera ſibi converteremus in plana, pro ſua confuſione ſubjecimus: & non permiſimus obice nunciorum & litterarum noſtrarum intentionis ſuæ metas attingere. Ac deinde, quia ſibi potentia non ſuffragabatur armorum, in regnum redire coactus, ad inſtantiam noſtram Romanos tunc Viterbium impugnantes, diffidaſſe, & in Viterbienſium ſubſidium ſtrenuam miſiſſe militiam, ſe falſo aſſerit: noſque ſcripſiſſe Romanis id præter conſcientiam noſtram fieri, & cum ipſis eo irrequiſito reformaſſe concordiam, in querelam adducit: novo ſibi blanditus mendacio, quod diffidentibus iterum ab eccleſiæ pace Romanis, idem non vocatus cum Conrado filio ſuo, quem nobis obtulerit obſidem, ad præſentiam noſtram perſonaliter veniens, & arbitrio noſtro motam inter ipſum & Lombardos diſcordiæ cauſam exponens, terram ſedis apoſtolicæ occupatam ejus juri reſtituit, & libertatem eccleſiaſticam in ſtatum primum & debitum reformavit. O utinam iſte falſidicus eſſet vir habens ſpiritum! O utinam hujus propoſitio falſitatis verum habuiſſet eventum! Ipſius vero negotium, quod per venerabilem fratrem archiepiſcopum Ravennatem, de reſtituendis ei & dicto Conrado juribus, ipſis in regno Hieroſolymitano ſubtractis, ordinatum fuerat, nos, quam cito delata potuit numerari pecunia, detraxiſſe fidelibus ſuis (quos non ſine eccleſiarum incendiis & hominum ſtragibus hoſtilis devaſtabat inſultus) ipſius interdixiſſe ſuccurſum, & ob id nos nuncium noluiſſe vel litteras deſtinare, contrarius veritati conqueritur. Ac civitatem Caſtellæ, contra formam pacis & fratrum conſilia, in ſui juris præjudicium detineri a nobis, ſuis exarare litteris ſtylo mendacii non veretur. Quamquam autem his figmentis modica veritas intermixta aliquid coloris adjiciat: ut tamen apertius intelligatis quod totam hujus commenti ſeriem non modica fallitatis adjectio decolorat, ſcitote pro certo, quod, ſicut nunc ex temporum eventu convincitur, diſcretæ menti veriſimilius videretur ipſum de Lombardis ſuum potius conſequi propoſitum potuiſſe, ſi ſe illis, quos populorum numeroſitas, profunditaſque vallorum, armatorum copia, ac murorum reddidit altitudo munitos, pietatis parentem exhibuiſſet, & clementiæ dominum, quam ſi trementibus pro culpa impoſita ſubditis ultionis exerto mucrone terribilis occurreret in cuneis armatorum: cui nos, qui bona pacis procurare tenemur, bona fide ſuaſimus, ut armatæ militiæ omiſſo terrore, ſub indictarum omiſſione pœnarum, & beneficiorum oblatione, illos ad imperii devotionem reduceret. Qui etſi in Lombardiam famulis ſtipatus militaribus acceſſit, quia tamen conſilii fidelis oblitus, in partem Cremonenſium cedens factus eſt ſchiſmaticus, ſciſſamque in diſcordias Lombardiam fortius ſcindere & Mediolanenſes a ſe terroribus & minis abigere ſtuduit, quos tamen ab adverſa parte ad unitatem trahere potius debuit in funiculo caritatis: non eſt quod noſtræ imputetur innocentiæ, ſi ſpe fruſtratus in Apuliam rediit, ipſo ſpei conceptæ interitum procurante. Poſt hæc ſuper tuitione libertatis eccleſiaſticæ, ſuper extirpanda hæretica pravitate, noſtris beneplacitis paratum ſe obtulit. Ad quem recurrens littera noſtra reſpondit, quod cum in regno ſuo, ubi nullus manum vel pedem abſque ejus movet imperio, in fidem catholicam hæreſis latius venena diffunderet, & libertas eccleſiæ quaſi penitus conculcata jaceret; non credebatur capiti ſalutis adhibere remedium, qui pedem ſuo reddiderat contractu morboſum. Sicque reſponſum hujuſmodi lapſu modici temporis approbante, audito quod quidam pravo ſeducti conſilio eccleſiæ terram intrare volebant: in Siciliam, quaſi fuga capta, ne rupta promiſſio eum falſitatis argueret, protinus abiit, ac contra illos verbo vel opere in aliquo non proceſſit, nobis improperans quod revertentes ad urbem Romanos filios ſpeciales eccleſiæ, ad matris dilectionem paterna curavimus diligentia revocare. Idem inſuper intellecto quod illos ab eccleſiæ caritate ſejungere quidam iniquitatis filii nitebantur, & excogitato quod facilius hanc & illos opprimeret, ſi præfatam caritatem acerbius fraude ſolita vulneraret: nobis tunc Reate præſentibus, ad ſedem cucurrit apoſtolicam, etiam non rogatus. Ubi ſub multa humilitate promittens quod terram eccleſiæ perditam in priſtinum ſtatum reduceret, & ipſam pro viribus defenſaret: in Tuſcia, ad quam vires ſuas contulit, recuperationem cujuſdam caſtelli, quod ad jus eccleſiæ modico labore reduci poterat, impedivit. Et cum adhuc manus tradentis nobiſcum eſſet in menſa, cum hoſtibus eccleſiæ (ſicut ex conſequentia facti, & litteris ſuis, quæ a nobis in tantæ proditionis teſtimonium reſervantur, aperte convincitur) hoc, ſigno dato, inde vicarius pepigit, ut ipſo certa die exinde recedente, illi ad arma conſurgerent *. Iſta modus peſtifer devotionis obſequia præſtitit. Attendite quales eccleſiæ famulatus occultus hoſtis impendit, qui in eccleſiaſticum transformari non erubuit famulum, ut nobis ad nocendum fieret efficacior. Pro firmo tamen vos tenere cupimus, quod nos his ſub diſſimulatione præteritis, circa eum adhuc non permittentes immutari affectum apoſtolicæ puritatis, per dictum archiepiſcopum, commiſſo ſibi legationis officio, jura ei & præfato Conrado in eodem

* & B. Petri patrimonium occuparent. Videte igitur quæ nobis ſub pardi varierato modus iſte peſtifer.

regno Hierosolymitano mandavimus subtracta restitui. Qui licet id fecerit, quia tamen formam sibi datam, propter quod ab eo ad nos extitit appellatum, excedens, terram sanctam, quod est inauditum a sæculo, post appellationem hujus sententiæ suppositit interdicto. Nos attendentes quod ob id, in maximum ejusdem terræ periculum, peregrini ex ipsa recederent, & alii inceptos ad illum transitus retardarent, dictam sententiam, quæ utpote lata post appellationem legitimam ipso jure nulla fuerat, in omnibus aliis præfati archiepiscopi intacto remanente processu sufficienti, ab ordinibus, nobilibus & comitatibus regni prædicti cautione recepta, in omni sinceritate de fratrum nostrorum consilio duximus relaxandam. Quod ergo ipse de nobis ob hoc labiis pollutis obloquitur, vester animus non turbetur: quia cum sit vas repletum vitiorum spurcitia, ea quæ ipsius infecerunt animum, putat in aliis criminum desævire tormenta. Ex quo, cum malorum opprobria laudem, laudes quoque opprobrium resonent: a viro cujus omnis lingua clamat infamiam, suggillationibus impeti eligimus multo fortius quam laudari. Sed forsan maculam opinionis suæ his credit abolere conviciis, quia se dum Viterbii moraretur inficiens, a facie hostium ecclesiæ non verecundus aufugit: & ad defensionem suorum fidelium, quos ipsius hostes in oculis ejus obsederant, & terram nullo prohibente vastarant, affimans suum per nos ad illos interdici progressum, imperialis honoris prodigus, sed timore prohibitus non accessit: ex eo innocentiam nostram accusans, quod ad evitanda hujus belli dispendia nuncium a latere nostro non misimus. Sed nec mirum, cum eo tempore status ecclesiæ multiplici fuisset persecutorum afflictione turbatus. Venimus autem ad civitatem Castellanam, cujus cives se illi, violato sacramento fidei, ecclesia ignorante prodentes, nullum jus ei per hoc in seipsis acquirere, nullum nobis circa possessionem, cum jurisdictionem civitatis & civium quasi possideret, ecclesiam prodendo, potuerunt præjudicium generare: qui illi a quibus alteri potius quam sibi possidentibus non requiritur possessionis initium, leges pessessionum evertere, & extraneis jura conferre nequeunt possessorum. Necnon qui de reddendis possessionibus ecclesiæ ratione ad eum pertinentibus pluries juramentum præstiterat, satis improvide a nobis videbatur petere, quod non poterat absque perjurio retinere. Nec credi debet, in hoc nos sibi omnimodam coram arbitris vel alio modo justitiam exhibere paratos, fratrum nostrorum despexisse consilium: quod nunciis ejus inceptum judicium recusantibus prosequi, non fuerat requirendum. Quin potius hanc petitionem ea dumtaxat fraude intentasse proponitur, ut sic ei obloquendi de ecclesia, & pacem inter ipsam & eum initam irritandi occasio præberetur. Illud quidem quod super facto imperii inter cetera sua detestabilis testatur epistola, nostris edisserit his litteris calamus: ut quo pluribus ejus fictio cognita fuerit, eo fortius ex suo maneat commento confusus: dum de nobis obtrectat, quod ad nostram translato notitiam eum ad recuperanda jura imperii cum multis bellatorum intrare millibus Lombardiam, sibi ne Italiam intraret armatus, & de negotio Lombardorum in nos præcise compromitteret, apostolico scripto mandavimus, ut illud perpetuo suspendere, vel jus imperii libere suffocare possemus, contra ipsum venerabilem fratrem nostrum Prænestinensem episcopum, per quem ejus vacuaremus propositum, transmittens, ei impedimentis clandestinis per legatos & litteras nostras per orbem undique procuratis. Iste vero, cui, ne veritatem fateri, aut enarrare possit judicium, a Divina forsan est indignatione negatum, sicut obtrectationes personæ nostræ non verecundatur ex falsis assumere: sic & excusationes suas ex similibus propositionibus non veritus ordinare, se per nuncios suos venerabilem fratrem nostrum Panormitanum archiepiscopum, & quosdam alios ad apostolicam sedem missos, devotionem omnimodam super ecclesiastica libertate & reformandis ecclesiæ & imperii juribus obtulisse: nosque id attentantes & promittentes a cujuslibet ipsius impedimento cessare, nunciis suis ad eum redeuntibus, dilecto filio Gregorio de Montelongo, notario nostro, in suorum eversionem fidelium, legationis officium commisisse asserit. Ipsoque nihilo minus præfatos archiepiscopum & alios nuncios suos ad sedem apostolicam remittente, & offerente satisfactionem omnimodam, nos eum, contradicente saniore parte fratrum nostrorum, contra traditiones sanctorum patrum, & solemnem morem ecclesiæ, injuste excommunicasse falso concludit; pro sua confusione subjungendo, nos beati Petri vicarium non habere ligandi solvendique potestatem, quasi velit asserere nos concessa apostolorum principi carere clavium potestate. Quæsumus igitur, libram rationis assumite, & in ea perpetratis per dictum Fridericum contra ecclesiam excessibus, & beneficiis quæ ab ea recepit appensis, clarius videte, quod licet draco iste, qui ad illudendum nobis formatus, & in escam populo Æthiopum datus existit, aquas persecutionum in subversionem ecclesiæ ex ore quasi fluvium miserit: apostolica tamen sedes ipsius nequitiam inæstimabili beneficiorum misericordia superavit. Nam eum olim ab annis teneris, illorum morsibus, qui terram ejus & sanguinem sitiebant, in lacuna confusionis expositum, parentum & amicorum solatio penitus pene nudum videns mater ecclesia, protinus circa ipsum nutricis & bajulæ officium executa, eum pallio apostolicæ protectionis operuit, de laqueo venantium eripuit, multis laboribus & expensis ad regni solium & coronam imperii sublimavit: insuper hoc ei feciſſe modicum reputans, & sibi Hierosolymitanum subjici regnum, & illum undique per orbem exaltari procurans, licet ab eodem multiplici se læsam afflictione doleret, a paucis tamen retroactis temporibus contra Henricum natum ejus (qui partem non modicam Alemanniæ ejus jurisdictioni subtraxerat) potenter astitit; & inflictorum sibi per eum oblita vulnerum, ipsum quasi de novo in imperatorem erigens, Teutoniam apostolicis litteris ipsius reformavit desiderio: his & aliis, quæ non sufficimus recordari, beneficiis ipsi conferens munimenta decoris. Sed iste baculus impiorum, terræ malleus, universam conturbare terram, regna conterere, & orbem desertum ponere cupiens, libertatem ecclesiasticam in dicto regno Siciliæ in opprobrium servitutis extremæ adducens, & ecclesias quas, ut earum teneritudine suum ventrem impleret, quasi jam penitus exossasset, sordibus, oneribus, & angariis opprimens, eas bonis sacris deputatis sanctorum usibus spoliavit, personas ecclesiasticas carceri mancipavit, ipsasque in examine vetito accusationes suscipere, tallias sol-

ſolvere, & bona eccleſiaſtica, ut ſe a vexationibus redimant, exhaurire, & poſtremo exulare coarctat. Eccleſiis paſtorum ſolatio viduatis non permittit ſibi ſponſum eligere, viduitatis veſtimenta deponere, donec alicujus adulterinis amplexibus per compulſionem extiterint copulatæ. De Chriſtianorum habitaculis conſtruens mœnia Babylonis, & ædificia, in quibus Divinum nomen excolitur, illuc transferens ubi Machometus perditus adoratur, turbis undecumque collectis Crucifixi fidem & nomen publice prædicari in eodem regno prohibuit. Recuperationem terræ ſanctæ & negotium crucis impediens, ad ejus conſummationem ſubſidium ſuorum fidelium conferri interdixit. Contra juramentum præſtitum, & pacis inter ipſum & eccleſiam reformatæ fœdera, nobiles privatos caſtris & aliis bonis ſuis, uxoribus & liberis captivatis, loca ſua proſcriptos relinquere, domicilia in aliorum transferre coloniam, nutritos in croceis amplexari ſtercora, & ad extremam coegit inopiam devenire. Necnon dum afflictione comprimit ſimili pauperes, id tanto fortius Deo diſplicere putamus, quanto verius ipſos credimus innocentes. Quid plura? baronibus, militibus, & aliis hominibus ejuſdem regni Siciliæ, ad formam & conditionem ſervorum inaudita crudelitate redactis: jam pro majori parte ipſius regni habitatores non habent de proprio unde ſtramine vili quieſcere, nuditates ſuas rudi ſacco contegere, vel ventrem pane poſſint miliatio ſaturare. Cumque ululatus & clamores dictarum eccleſiarum & hominum, a tempore dicti Honorii prædeceſſoris noſtri, eccleſiæ aures continua deploratione pulſaſſent, & jam vix poſſemus eos abſque læſione conſcientiæ ſub diſſimulatione tranſire: ipſum ſuper correctione dictorum ſcelerum non ſemel, ſed pluries, nunciis & litteris noſtris monuimus, ac longa patientia temporibus expectavimus retroactis, ſi forſan oculos ſuos ad cœlos erigeret, exutus veterem, novumque indutus hominem, manus ſuas a tanta perpetratione facinorum cohiberet. De petita inſuper emendatione dubii adhuc, volentes ſtatum ejus proprio proceſſu gratulari, eo Lombardiam cum armis intrante, mandavimus ut in locis pro quacumque cauſa interdicto ſubjectis, ipſo præſente interdictum minime ſervaretur: eumdem Fridericum noſtris litteris admonentes, ut, ne crucis negotium, quod ad utilitatem eccleſiæ, imperii, & totius populi Chriſtiani, fuerat ordinatum impediri valeret, præciſe in nos compromitteret: ne, ſi contra Lombardos armata manu procedens tantam daret exempli perniciem, præſumeretur a pluribus quod ceteros eccleſia fefelliſſet. Ceterum, quia redintegrare ſciſſuras ſchiſmatis noſtræ incumbit officio ſervitutis: pro ſedanda imperii & Lombardorum diſcordia, Prænestinum epiſcopum, commiſſo ſibi legationis officio, illa conſideratione potiſſime duximus deſtinandum, ut ſibi & quibuſcumque diſcordantibus minori haberetur ratione ſuſpectus, quo ſuis actibus minus firmamenti, odii, vel amoris ingereret, qui, a mundo & carne ea ſuſceptione ſanctæ religionis abſtractus, in Divini amoris altitudinem evolaſſet. Noſter igitur detractor reſpondeat, quid ex hoc nobis & eidem epiſcopo poterit imputari, ſi Placentiæ inter patres & filios, affines, conſanguineos & germanos, ordinata concordia, eo præſente, & proteſtante quod id ſalvis honoribus & juribus imperatoris & imperii & quorumlibet aliorum fieret, conſummationem accepit? Quinimmo idem blaſphemus

A intelligat, ſibi ad infamiam merito reputari, quod cum ad ipſius & nunciorum ſuorum inſtantiam venerabilem fratrem noſtrum Oſtienſem epiſcopum, & filium noſtrum T. tituli ſanctæ Sabinæ presbyterum cardinalem, pro pace juxta formam ab eiſdem nunciis inter Lombardos & imperium reformanda, ad partes miſiſſemus eaſdem, idem dictis legatis petita & ampliora adimplere paratis, & deluſis nobis, reformationem pacis per ipſos noluit acceptare. Ecce, nunc intelligite qualiter imperii jura conculcavimus. Ex præmiſſis advertite qualiter hic a nobis fuerit impeditus: qui longo & inani labore ſuos & ſuorum humeros decrevit prius conteri, quam paſſus extiterit per nos jura imperii

B reformari. Præterea idem, illatis eccleſiæ non contentus injuriis, data quibuſdam rebellibus noſtris non modica ſumma pecuniæ, ſeditionem contra nos in Urbe molitus eſt pluries commovere: ut nobis & fratribus noſtris a ſede noſtra repulſis, & concuſſo capite fidei, quod ſuperædificavit Dominus, impulſu ejuſdem Friderici rueret leviori. Ferrariam & quaſdam alias terras eccleſiæ in Lombardia contra juramentum præſtitum temere veniens occupavit. Super quo & aliis, credens nos detinere inanibus verbis, dictos Panormitanum archiepiſcopum & alios nuncios ſuos cum litteris de credentia ad noſtram duxit præſentiam deſtinandos. Quibus offerentibus nobis ſatisfactionem ſuper præmiſſarum of-

C fenſarum emendatione verbalem, ante & poſt ipſorum a curia noſtra receſſum, terram Sardiniæ, Meſſanenſem & Lucanenſem diœceſes occupare, ad Romanam eccleſiam pertinentes, non omittens, ipſo facto, ne ultra ejus expectaremus correctionem, edocuit: ac non deberi fidem ſibi vel ſuis nunciis adhiberi, operis evidentia demonſtravit. Ex quo illud ſolum in conſcientia ſua legens, quod cor ejus ad conterendas eccleſias & catholicam fidem dirigitur: de nobis, quibus ſe jam quocumque fraudis vellere occultare non poteſt, non immerito ſuſpicatur: quod ipſius potentiam habentes juſtitiæ ratione ſuſpectam, cum melius ſit ante tempus occurre-

D re, quam poſt inflicta vulnera remedium invenire, ad avertendas ſuorum progreſſuum ſemitas, officium legationis dicto notario commiſimus: quod nequaquam juxta ipſius ſuſpicionem id fecimus, ſed ut per eum bellorum cladibus, animarum corporumque periculis obviare poſſemus. Ex præmiſſis igitur & aliis nequeuntes de ipſius correctione ſperare, & dolentes nos ejus promiſſionibus toties & toties fuiſſe deluſos: præfatum Fridericum, de fratrum noſtrorum conſilio, ſententia excommunicationis duximus innodandum. Qui quamquam ex hoc perditum intellectum reſumere, & coram Deo potius humiliari deberet: eo tamen amplius inde furens, quo jam ſuam confuſionem agnoſcens, fortius

E veretur ne eccleſiæ obſtetricante manu educatur coluber tortuoſus; nos ex perſonæ noſtræ meritis indignos aſſerens qualibet officii authoritate Papalis, per nos prædicta ſententia minime potuiſſe conſtringi ſuis præſumptuoſe litteris aſſerit: & nos, qui temporibus noſtris patrimonium eccleſiæ per gratiam Dei non modice ampliavimus, de dilapidatione bonorum eccleſiaſticorum, diſpenſationum proceſſu, receptione munerum, & avaritiæ vilitate redarguit: ac contra eum, ex illo quod contrahendis inter neptem noſtram & naturalem ejus filium ſponſalibus petitum ſubtraxit aſſenſum, provocari falſo confingit: illud apertius mentiens, quod Lombardis contra eum

& imperium corporale præſtitimus ſacramentum: ſeu quod totius Orbis decimas, terræ ſanctæ utilitatibus reſervatas, convertere promiſerimus in ejus compendium, ſi arbitrio noſtro negotium exponeret Lombardorum. Fatemur autem nos defectu meritorum noſtrorum indigne Chriſti eſſe vicarium; fatemur nos oneri tanto inſufficientes exiſtere, quod humana conditio non poteſt abſque Divino ſuffragio ſupportare: nihilo minus tamen vices nobis commiſſas, prout melius noſtra permittit fragilitas, exequentes, ſecundum quod locorum, temporum, perſonarum, & negotiorum qualitas & natura requirunt, diſponenda diſponimus: & cum excellentibus perſonis pure & ſecundum Deum, cum neceſſitas id expoſcit, de noſtræ poteſtatis plenitudine diſpenſamus. Verumtamen non eſt dolor qui ſic profundo gladio ejus feriat animum, ſicut quod, dum terminos regum tranſgreditur, non poteſt aggredi officia ſacerdotum. Propter quod idem qui pro auri fame dictum regnum Siciliæ jam redegit in cinerem, credens ex ſe, qui omni tempore vitæ ſuæ paucis pure, pluribus vero juſtitiam pretii venalitate corruptus exhibuit, quod in perſona ſua reſuſcitans magum Simonem, luto temporalium maculare poſſet eccleſiæ puritatem: ut ſic in ſpiritualibus graſſari, & in ſuis permitteretur ſordibus remanere, murum integritatis eccleſiæ multis modis, & ſpecialiter oblatione caſtrorum, ac parentela inter ſuos & noſtros contrahenda, pro qua nos per quoſdam prælatos & nuncios ſuos pluries requiſivit, tentavit infringere. Nunc vero quia id nulla inſtantia nulloque ingenio, ſicut eſt in curia noſtra notorium, a nobis potuit obtinere, quin potius ſe cum ſuis perditioni relictum artium ſuarum fallaciis in pejus proficere jam agnoſcit: quia neſciat ultra quid faciat, ſeipſum mendacio ſuo in aliorum detractione deturpat, more meretricis Ægyptiacæ, quæ Joſeph invitavit ad ſtuprum, & ab ipſo contempta, apud virum ſuum volans accuſavit invitum. Unum quidem eſt, de quo, etſi pro homine perdito ſit dolendum, lætari non modicum & Deo regratiari debetis: quod volente Domino, qui diutius occultari non patitur umbram mortis, iſte, qui gaudet ſe nominari præambulum antichriſti, non expectans propinquum ſuæ confuſionis judicium, manibus propriis effoſſo ſuarum abominationum pariete, per dictas litteras ejus ſuarum producit in lucem opera tenebrarum: in eis conſtanter proponens, quod per nos tanquam Chriſti vicarium vinculo excommunicationis aſtringi non potuit. Sicque affirmans non eſſe apud eccleſiam a Domino beato Petro & ejus ſucceſſoribus ligandi atque ſolvendi traditam poteſtatem, dum hæreſim aſſerit, primo ſibi argumento concludit: conſequenter oſtendens quod male ſentiat de ceteris fidei orthodoxæ articulis, dum eccleſiæ, ſuper quam fides fundata conſiſtit, auferre nititur conceſſum verbo Dei privilegium poteſtatis. Sed quia minus bene ab aliquibus credi poſſit quod ſe verbis illaqueaverit oris ſui, probationes in fidei victoriam ſunt paratæ: quia iſte rex peſtilentiæ a tribus baratatoribus, ut ejus verbis utamur, ſcilicet Chriſto Jeſu, Moyſe, & Machometo, totum Mundum fuiſſe deceptum: & duobus eorum in gloria mortui, ipſum Jeſum in ligno ſuſpenſum manifeſte proponens. Inſuper dilucida voce affirmare, vel potius mentiri præſumpſit, quod omnes fatui ſunt, qui credunt naſci de virgine Deum, qui creavit naturam, & omnia potuiſſe. Hanc hæreſim illo errore confirmans, quod nullus naſci potuit, cujus conceptum viri & mulieris conjunctio non præceſſit: & homo debet nihil aliud credere, niſi quod poteſt vi & ratione naturæ probare. Hæc, & alia multa, quibus verbis & factis catholicam fidem impugnavit, & impugnat, ſuo loco & tempore, ſicut decet & expedit, manifeſte poterunt comprobari. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, in virtute obedientiæ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo, quatenus, ne dictus Fridericus corda fidelium fallacibus verbis ſubvertere, vel contagione ſua poſſit quomodolibet gregem Dominicum maculare, clero & populo vobis ſubditis ſupradicta plene ac fideliter exponatis. Datum Laterani * duodecimo Kalendas Junii, pontificatus noſtri anno decimotertio.

* nonc Julii.

XIII. AD NOBILES ANGLIÆ

Angliæ magnates jure patronatus eccleſiæ privantur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis nobilibus viris, Richardo comiti Pictaviæ & Corrubiæ, & baronibus Angliæ præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CUM ex operibus noſtris, quæ plenum perhibent teſtimonium veritati, ſit liquidum univerſis, quod nos perſonam cariſſimi in Chriſto filii noſtri illuſtrem regem & reginam, inter alios reges & principes orthodoxos & regna, in quibus nomen colitur Chriſtianum, in caritatis viſceribus ſpecialiter gerimus, & pacem ac tranquillitatem eorum propenſius affectemus: rite præſumi non poteſt, & omnino credi non debet, quod nos, quantum cum Deo poſſumus, agere ſeu tolerare velimus, quod juſte poſſit honorem regiæ ſerenitatis offendere, aut in eodem regno ſcandalum generare. Unde cum intentionis noſtræ non fuerit, nec exiſtat, ut beneficia in regno Angliæ conſtituta, quæ ad præſentationem pertinent ſæcularium patronorum, authoritate noſtra cuiquam conferantur: ſicut ex quibuſdam litteris noſtris, quondam in Angliam deſtinatis, quarum tenorem de verbo ad verbum celſitudini regiæ ſub bulla noſtra duximus deſtinandum, colligitur evidenter. Nos comperto nuper ex ejuſdem regis & veſtrarum continentia litterarum, quod quidam prædicti regni miles in eccleſia de Luthunum, Eboracenſis diœceſis, quam olim cuidam de partibus noſtris clerico, ignorantes quod præſentatio ad laicum pertineret, contuliſſe dicimur, jus obtinet patronatus, prælibati regis & veſtris precibus inclinati, conceſſionem eamdem authoritate apoſtolica revocamus: venerabili fratri noſtro archiepiſcopo Eboracenſi noſtris dantes litteris in mandatis, ut eum, quem dictus miles ad præfatam eccleſiam duxerit præſentandum, admittat & inſtituat in eadem, prout pertinet ad eumdem, diuturnitate temporis, cum per ipſum minime ſteterit, non obſtante, dummodo aliud ſibi rationabile non obſiſtat. Tenore præſentium diſtrictius inhibendo, ne alicui de cetero liceat eccleſias prædicti regni, in quibus ſunt laici patroni, præter eorum aſſenſum, apoſtolicæ ſedis authoritate conferre. Datum, *&c.*

XIV. AD OTTONEM CARDINALEM LEGATUM IN ANGLIA.

De eodem.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

AD tuam volumus notitiam pervenire, quod cum intentionis noſtræ non fuerit, nec exiſtat, ut beneficia regni Angliæ, quæ ad præſentationem ſæcularium pertinent patronorum, authoritate noſtra cuiquam conferantur: nos nuper ex cariſſimi in Chriſto filii noſtri regis illuſtris, & nobilium virorum comitum & baronum Angliæ, inſinuatione, comperto, quod quidam regni Angliæ miles in eccleſia de Luthunum, Eboracenſis diœceſis, quam olim cuidam de partibus noſtris clerico, ignorantes quod præſentatio ad laicum pertineret, contuliſſe dicimur, jus obtinet patronatus: regis & nobilium eorumdem precibus inclinati, conceſſionem eamdem authoritate apoſtolica revocantes, venerabili fratri noſtro archiepiſcopo Eboracenſi noſtris dedimus litteris in mandatis, ut eum, quem dictus miles ad præfatam eccleſiam duxerit præſentandum, admittat & inſtituat in eamdem, prout pertinet ad eumdem: diuturnitate temporis, cum per ipſum minime ſteterit, non obſtante, dummodo aliud rationabile non obſiſtat: diſtrictius inhibendo, ne alicui de cetero liceat eccleſias regni prædicti, in quibus laici ſunt patroni, præter eorum aſſenſum, apoſtolicæ ſedis authoritate conferre. Datum, &c.

XV. AD ARCHIEPISCOPUM BREMENSEM ET EPISCOPUM VERDENSEM.

De electione epiſcopi eccleſiæ Zuverin.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiſcopo Bremenſi & epiſcopo Verdenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

EX parte dilectorum filiorum, decani & capituli Zuverin. eccleſiæ, propoſitum fuit coram nobis, quod eadem eccleſia paſtoris ſolatio deſtituta, epiſcopi convenientes in unum, de futuri ſubſtitutione pontificis tractaturi, quaſi divinitus inſpirati, omnes voto unanimi & voluntate concordi in dilectum filium, præpoſitum ipſius eccleſiæ, virum, ut aſſerunt, ſcientia præditum, diſciplinis eccleſiaſticis eruditum, & morum honeſtate præclarum, per cujus induſtriam dicta eccleſia, in medio pravæ & perverſæ nationis poſita, poſſe creditur a ſuis tribulationibus & anguſtiis reſpirare, ſua deſideria direxerunt, votis tam cleri quam populi concurrentibus in eumdem. Sed intellecto quod defectum in * natalibus pateretur, utpote de quodam milite ſoluto genitus & ſoluta: ad electionem non proceſſerunt ipſius, ſed ad nos potius habuere recurſum: nobis tam per litteras quam per dilectos filios magiſtrum Elerum Hamburgenſem, ac Sibonem Zuverin. canonicos nuncios ſuos, viros providos & diſcretos, qui apud nos ſuper aſſumpti promotione fideliter inſtiterunt, humiliter ſupplicantes, ut utilitate ac neceſſitate eccleſiæ ſupradictæ penſatis, ſupplentes A defectum hujuſmodi, ipſum eis in patrem & paſtorem animarum eorum concedere curaremus, veſtris & plurium aliorum tam prælatorum & capitulorum, quam nobilium pro ipſo ſupplicantium, nobis litteris præſentatis, qui eum ſuper præmiſſis reddunt multipliciter commendatum. De veſtra igitur circumſpectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de modo poſtulationis, ſtudiis poſtulantium, & poſtulati meritis, veritate ſolicite inquiſita, ſi poſtulationem ipſam alias inveneritis de perſona idonea canonice celebratam, cum eo ſuper hujuſmodi defectu authoritate apoſtolica diſpenſantes, præficiatis eum eidem eccleſiæ in epiſcopum & paſtorem, ac faciatis ei a ſubditis Zuverin. eccleſiæ obedientiam & reverentiam debitam exhiberi: contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Alioquin provideri præfatæ eccleſiæ de perſona idonea per electionem canonicam faciatis. Datum Laterani decimotertio Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno quartodecimo.

XVI. AD OMNES EPISCOPOS.

Ut ad concilium venire non differant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri tali epiſcopo vel tali ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PEtri navicula, matris eccleſiæ ſinus, quaſi negotiorum opera fluctibus & quæſtionum urgentium agitata procellis, dexteram Jeſu ſalvatoris implorat. Ea quidem flatibus Aquilonis impulſa, dormire videtur Dominus, nutant diſcipuli, nautæ quaſi naufragii verentur ventum & eventum, populi trepidant, clamat Petrus: utinam tepeſcentibus ceteris ſaltem porrigerent filii opem & operam conſilii ſalutaris, nec ipſam fluctus involvat, nec pirata crudelis abducat. Porro fœdere naturalis pactionis irrupto, fides quatitur, caritas refrigeſcit, tepeſcit devotio, creſcit & invaleſcit iniquitas in Dominum & proximum commiſſura: ex quibus, fidei Chriſtianæ profectibus evidens præſtatur obſtaculum, ſequuntur diſpendia, & plebs devota fidelium, beneficio quietis excluſo, variis moleſtiis fatigatur. Quæ communis ſtatera judicii apoſtolicæ dignitatis authoritas juſtæ diſcuſſionis examine prudenter appendens, ut omnium generalis & una mater utilitati provideat, ſingulorum manus fortium, regum videlicet, prælatorum, principum, & aliorum fidelium, non indigne advocare decrevit: ut multiplicatis clamoribus Dominus ſuſcitet dormientem, & plurium adjuta conſiliis, prementia faciat onera leviora, expeditionis optatæ portum feliciter petitura. Inter quos te, frater epiſcope, devotum eccleſiæ filium, & nobile membrum ipſius, ut venires ad matris eccleſiæ gremium, ad proximum venturum feſtum reſurrectionis Dominicæ, litteris recolimus apoſtolicis convocaſſe. Verum, ſicut pro certo didicimus, ſingularis ille dudum eccleſiæ filius, apoſtolico provectus & defenſus auxilio, de puero tunc omni deſtituto ſuffragio ad imperii culmen humero materno translatus, ea non contentus injuria, qua mercede recompenſans, in qua patris irrumpit ſolium, matris exponere pudicitiam, & vendicare ſanctuarium indevotus intentat: aſtutus ad hæc in ipſa armatur

* Euripidis

tur insidiis, prælatis nuper vocatis a nobis accessum suis terroribus interdicens, at nullius expers calumniæ, illam quam gravibus infestat molestiis, nec in filiorum patiatur solatio respirare. Cum igitur tam sanctum generalis utilitatis propositum sub fiducia Divini favoris assumptum, humanis non debeat versutiis retardari: fraternitatem vestram rogamus, monentes attente per apostolica scripta, & districte præcipiendo mandantes, ut Deum præferens homini, & difficultatibus omnibus ob meritum fidei anteponens, in supradicto termino ad sedem apostolicam accedere non omittas: ut mater, filiorum roborata præsentia, hostis adversantis obstaculo providentia Divina sublato, piæ intentionis exordium felici consummatione concludat. Nos enim super omnibus quæ ad tantum negotium expediunt, annuente Domino, providere curabimus, prout tibi ex parte nostra plenius exponetur. Datum Laterani, Idibus Octobris, pontificatus nostri anno decimoquarto.

XVII. AD IMPERATOREM FRIDERICUM II.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, Friderico illustri imperatori, &c.

Miranda tuis sensibus nostra venit epistola, ut scripsisti, sed mirabilior tua nostris. Sane si nostræ paginæ verba justo librasses examine, si litterales ad rivalem sensum, postposita conjuge, non traxisses, interpretans non suspecto judicio: inveniſſes in illis, unde spirituali patri reverens esses & matri.

Tuæ quidem tenor epistolæ continebat, quod præter omnium opinionem, & consilia principum, ut tuis verbis utamur, te invenerimus ad beneplacita nostra paratum: ita ut nullus prædecessorum tuorum, ullis retro temporibus recolatur, adeo ecclesiæ Romanæ fuisse devotus. Sed de principibus non aliter ex his verbis reformabimus animum, quam probabilis credulitas habeat, facti experimento probata: de quibus apostolicæ sedis constantia, rectæ opinionis judicium, siniſtræ suggestionis instantia, non mutabit, cum facta præferenda sint dictis, & certa præjudicent positivis. Ecce de archivo ecclesiæ monimenta publica prodeunt, quæ sigillorum pene omnium principum munita signaculis, opinionem repudiant, quam videris ingerere contra eos, quos verisimilitudo non recepit, tantos & tales viros, excellentiæ tuæ dedisse consilium contrarium scripto tui, & ipsorum signato sigillis. De prædecessoribus autem tuis si aliquid certius major edidisset expressio, metiremur in illis quod in te sperare possemus. Quoniam si ad proximos sanguinis, scribentis referatur intentio, modicum devotionis sufficeret, ut eos comparatione præcedas: si tamen comparatio gradum inveniat, ubi nullum præveniet positivum.

Quod si ad illos prædecessores intellectum patiaris extendi, qui fidei præclaritate ferventes, devotione sinceri, sibi & subditis proficientes verbo pariter & exemplo, ecclesiam multis libertatum privilegiis munierunt, multarumque largitionum liberalitate ditaverunt: illis, si placet, in his se magnificentia tua non præferat, sed consideret potius, si affluentia talium, illorum metas attingas: discutiat, quæsumus, viri prudentis ingenium, si merito titulum tibi multæ devotionis assumis, dum beneficia ecclesiæ matris tuæ revocare conaris in dubium, tanquam si unius possint inficiatione celari, quæ multorum notio publicat; & singularis assertio reddat ambigua, quæ universalis notitia manifestat. Porro illa ingratitudinis species, qua beneficia profecta negantur, aliquid turbationis consuevit afferre: sed illa majoris doloris habet aculeos, qua in bono malum præsumitur, & odium in dilectione notatur.

Circa tutelam quoque tui a claræ memoriæ imperatrice Constantia regina Siciliæ apostolicæ sedi relicta, a beneficiorum te gratia excipis, si tutelæ sit debito satisfactum: eo quod fas inducebat ut fieret, & nefas, si deficeret, notaretur. Verum nullus necessitatis articulus tunc urgebat eo ecclesiam, ut in te, qui eras omni suffragio destitutus, onus non leve susciperet. Nec tutelæ susceptio, quæ a gratia sumpsit exordium, habere te debuit pro persecutionis debito non ingratum: saltem ut tutrici notam non solum suspectæ, sed fraudulentæ administrationis non nitereris impingere dicens: Quod ecclesia nomine defensorum hostes immiserat palliatos, qui ad perdendam animam pueri festinarent, & pupilli susciperent regnum pariter & coronam. Habebat præterea diffamationis objectio, quod, quem nutrix ecclesia debuit promovere, dejecit, erigens in paterna sede hominem alienum, qui non contentus imperio, ad regnum nihilominus aspiravit. Et quidem non habuit id hactenus tua confessio, non id usque nunc committebat tuarum series litterarum, quibus post Deum, totum adscribebas matris ecclesiæ studio, totum attribuebas ejusdem tutricis laboribus, quidquid eras: & ecclesiæ, quod vivebas. Unde igitur tam contraria, tam novella processit opinio? unde præsumptio tam adversa, tam repentina prorumpit? si enim frequens missio litterarum comitem conscientiam mittentis habebat: cum nulla subsecuta sit causa novæ scientiæ, nec scientia novæ causæ, cur calumnioſe impingitur, quod evidentia facti repudiat? cur sub quodam involucro duplicitatis infertur, quod veritatis simplicitas non admittit? Quod si scripta præmissa destituta erant credulitate scribentis, tua circumspectio colligat, quæ de istis illatio subsequatur.

Suntne ista, quæ promittebas matri ecclesiæ, si necessitas immineret? est hic retributionis affectus, quem offerebas, si gravamen occurreret? Non id mater expectavit a filio: non id nutrix sperare debuit a pupillo. Ah Deus! quæ in tali filio aliis spei reliquiæ relinquantur, si mater tam diligens desperare cogatur? Ah Deus! quæ de tali pupillo fragmenta favoris cæteri colligent, si nutrix tam utilis jaculis detractionis impetitur? Ah Deus! quot & quantos labores amisit ecclesia, si palmes, quem multo sudore plantavit & coluit, in amaritudinem vitis convertitur alienæ; cum sit minoris dispendii, nullos fructus producere, quam nocivos? O quam uberes lacrymas, quam amaras, felicis recordationis prædecessor noster papa Innocentius multoties pro te fudit! O quanta solicitudine laboravit, ut te a nocentium manibus eriperet, insidiantium laqueis liberaret, & quasi de mortis faucibus extorqueret! Ecce quid retributionis eidem imperialitas afferat? Ecce quid regalis magnificentia recompenset, dum pupilli insidiator occultus dicitur, & bonorum tacitus spoliator. Recogita, recogita, fili

carisſ-

cariſſime, ac intra clauſtra pectoris frequenti meditatione revolve, quam parvum, quamque depreſſum, te ille ſummus pontifex poſt obitum matris accepit; & quam grandem, quamque promotum in ſua morte reliquit.

Porro, ut credimus, tenellæ infantiæ nondum finem attigeras, cum impius Marchoaldus, tui nominis detractor perfidus, aviduſque invaſor, regni Siciliæ metas aggreſſus, utraſque manus invaſionis extendens, montem Caſſinum obſedit, & inſultibus multis impetiit, exercens ſui robur exercitus ad ſperatum exterminium captionis. Sed in hoc eccleſiæ ſolicitudo non defuit, quæ per duos cardinales, cum multis militibus, & expenſis non modicis, efficacem manum auxilii porrexit obſeſſis, vires invaſionis debilitans, & conatus obſidentis elidens. Cumque obſidionis exitus, inſultantis non reſpoderet affectui, & prorogata ſpe defenſionis ad alios reſiſtendi animum reſumerent convicini: ſe iniquus ille in Siciliam tranſtulit, ut ibi, ſi de perſona regis deſiderii ſui finem attingeret, ad regni faſtigium ſine difficultatis obſtaculo perveniret. Sed nec ibi protectionis ſolitæ dexteram ſubtraxit eccleſia, mittens illuc bonæ memoriæ C. . . . . tituli S. Laurentii presbyterum cardinalem, nobili viro comite Jacobo, conſobrino prædeceſſoris prædicti mei, multis aſſociato militibus, in tui ſubſidium nihilo minus deſtinato, aliuſque cardinalis tibi poſtmodum extitit deputatus: qui tuis utilitatibus non remiſſus, ibidem diem clauſit extremum: conſequenter alio ſubſtituto, ut ſolicitudinis debitæ plenitudo circa tuæ perſonæ cuſtodiam non deeſſet. Interea Diapoldi militia longe lateque diffuſa, ſic per partes Apuliæ ſe extenderat, tantumque ſuſceperat incrementi, quod de obtenta de P. . . . quodam comite Celunenſi victoria, pro majori fere parte homines regionis ſuo applicabat arbitrio, ſuoque dominio addicebat, in aliquo, ſicut poterant, reſiſtentes, & crudelius debacchando: quo minus de paucorum & humilium timebat repagulo, qui de multorum & ſublimium viribus triumphabat. Cumque in partibus illis non haberet eccleſia, quæ erigeret contra illum, multoſque ſumptus amiſerit in omnibus regionibus, quæ pro te jam fecit expenſas multarum millium unciarum, recepto ad opus tui a S.... comite Brenni fidelitatis publicæ juramento; ipſum miſit in regnum, ut per eum elati confringerentur cornua inimici.

Nunquid hoc commiſſum fuit perdere puerum? Nunquid hoc fuit creditum ſpoliare pupillum? De throno Dei ſententia prodeat, & virtus Altiſſimi rectum judicium operetur, ſi adverſus eccleſiam excellentiam tuam decuit talia credere, ſi debuit ex his concepta credulitas in partum prodire huiuſmodi, ut verbis & ſcriptis expoſita in publico compareret? Sed forſan hoc Divina providentia voluit, ut habeatur in poſterum cautela ſecurior ex præviſo. Cum hominem ſiquidem alienum, quem in ſede patris tui, ſi tamen ſedes patris dici debeat, quæ non ſucceſſionis, ſed electionis jure defertur, erectum fuiſſe prædicas, tua prudenter adverſus eccleſiam ſubſtitiſſet invectio: eo quod veritas negata de publicis, minus reliquiſſet fidei de occultis. Nullum enim angulum latet imperii, quod imperatore Henrico defuncto, quidam olim Philippo duci Sueviæ, ac quidam Othoni poſtmodum imperatori diverſis voluntatibus adhæſerunt. Et licet idem Philippus nomen tuum primo prætenderet, ad ſe poſtea convertit negotium, ſic illud, ſuccedentibus proſperis, ſuis utilitatibus applicans, quod non jam de jure dubitabat imperii, ſed ſpem ad occupationem regni Siciliæ prorogabat, quemdam L. . . . . Yarinacienſem epiſcopum ad hoc mittens, in his etiam tuo ſubſidio apoſtolicæ ſedis providentia non defecit. Sic illi per memoratum O. . . . cardinalem, & nonnullos eccleſiæ vaſſallos reſiſtens in Marchia, quod conatus contrivit adverſos, & interdictus eſt hoſtibus etiam ad primos regni fines acceſſus.

Philippo tandem ſublato de medio, Othoni, quem omnium principum roborata conſenſibus præſentabat electio, nec expediyit, nec licuit diadema imperii denegari: qui procul dubio, ut ſcripſiſti, ſubito factus ingratus, tergum, non faciem vertit eccleſiæ, immemor receptorum. Sed quamvis eam multis provocaverit offenſis, diſſimulabat illas utcumque miſericordis eccleſiæ patientia conſueta. Sed poſtquam ad tuam prorupit injuriam, in te, quaſi pupilla oculi, tactum contrarium ferre non potuit, multas vias excogitans, quibus pleno remedio, ſuo poſſet ſubvenire minori, O quam proximus eras periculis! O quam paratus eras ad caſum: Quapropter invocavit eccleſia illius auxilium, qui ſuperbis reſiſtit, & dat humilibus gratiam, qui imperat mari & ventis; qui deponit potentes de ſede, ac ponit humiles in ſublimi. Invocavit etiam principum corda fidelium, puſillos & magnos ſolicitans, ut hi ad tuam relevationem collapſi, manum porrigerent adjutricem. Obſtitit tandem Divina potentia ingrati conatibus, faciens in te cum eccleſia ſignum in bonum, ut elato cadente tu ſurgeres, & potente debilitato, tu potens eſſes. Arguit enim illum ſua malitia, ſuaque averſio increpavit. Quoniam juſto Dei judicio propria perdidit, qui avare cupiverat aliena: & tu, cujus regni tui vix extrema remanſerant, illius omnino imperium obtines. Hæc utique ſalutis remedia, cum auxilio principum, Divinæ providentiæ virtute præambula, tibi providit mater eccleſia, talia beneficia contulit puero & adulto. Quid ultra tibi facere potuit, & non fecit, de contingentibus nihil omittens, ea etiam ad quæ non tenebatur, adjiciens?

Miramur autem, quod in his tuos labores commemoras, dicens, te dubii facti ſecurum: qui vocatus ad ſceptra, laboritantibus aliis, in labores alterius introiſti: metens quæ non ſeminaſti, & colligens quæ proculdubio non ſparſiſti. * Denique in defuncto non fatigatur perſona noſtra, tua non præterivit invectio, minus diligenter conſiderans, quod nos, qui prædeceſſori noſtro quoad utilitates tuas, affectione plenaria ſuccedentes, ad tui conſummationem honoris patenter adſtitimus, & potenter, noſtro in multis detraximus, ut tuo adjiceremus honori, facti quodammodo noſtræ famæ prodigi, tuæ parci. Sed pro iſtis ac aliis, hac nobis retributione reſpondes, quia jus regibus Siciliæ in electionibus, ſicut aſſeris, debitum ex antiquo, noſtris conſtitutionibus minorari: (ais) verum, ſi ſcripta tua, & genitricis tuæ manu ſolicitius revolviſſes, ſi Ss. etiam patrum conſtitutiones adverteres: non culpares eccleſiam circa defenſionem eccleſiaſticæ libertatis, cum non debeat de perſecutione morderi juſtitiæ, qui contendere nititur de abuſu,

Aſſeris inſuper nos, præter formam communiter acquiſitam, te inconſulto quibuſdam eccleſiis

regni

* *Locus corruptus.*

regni vacantibus præfeciſſe perſonas. Sed, quæ ſit illa forma, neſcimus, quæ pro certo nimis eſſet informis, per quam apoſtolicæ ſedis judicium ex tuæ voluntatis arbitrio dependeret. Non tamen intendimus repromovere ſuſpectos, dummodo non ultra notam ſuſpicionis extendas, quam rationis tramites patiantur. Tarentinum poſt hæc archiepiſcopum, quem apud te, quaſi a ſummo gratiæ in profundum odii caſus repentini mutatio ſic dejicit; qui paulo ante quaſi cor unum & anima una cum principe cenſebatur, ſubito fur, ſubito proditor, ſubito tui ſanguinis dictus ſit obtrectator, non excludimus a reſponſo: mirantes quid in illum expetas ultionis, quem per ſubtractionem ſuorum, & interdictum ſuæ ſedis acceſſum, contra fas & licitum tui proſecutor arbitrii, jam puniſti pœna præveniente judicium, & executione non expectante libellum.

Sed forſitan eſt qui dicat, quod dum ſua placuiſſe crediderit, ipſe diſplicuiſſe videtur. Catanenſem epiſcopum non duximus omittendum, cujus prodigalitate totum regnum dicis eſſe corroſum: ſi tamen in totum proceſſit corroſio, unde tot remanſerunt reliquiæ corrodendæ. Hic ſi merces ſervitiis, ſi fructus laboribus, ſi meritis præmium reſponderet: aliud profecto reciperet, quam ſolvatur. Pro quo quid nobis apud Ferentinum, quid fratribus noſtris apud ſanctum Germanum magnificentia tua promiſerit, non ignoras. Deinde Cephaludenſis epiſcopi, circa quem ſanguinem occiſorum aſſeris ad nos clamare de terra, nec vita, nec ſpoliatio ſub nube tegetur: ut de ipſo, poſt reſtitutionis debitum, juſtitiæ ſatisfaciat. Nec movemur, ſi ſuper hoc ad lacrimas & querelas tuorum fidelium forte, ſicut aſſeris, movearis: dummodo in illum, qui ſuo domino ſtat, aut cadit, non proceſſeris ad vindictam: primo in caſtrum eccleſiæ ac bona ejus manu occupationis extenſa, quam querelam delatio juſta perferret ad examen judicis competentis. Quapropter non inferas, ut apud nos ille meruit, unde apud nos demeruiſſe videtur. Sed tamen non ignoras, quod ſi pro juſtitia ſpoliatæ ſteterunt eccleſiæ, licet apud te propter hoc demeruiſſe credantur, apud nos, qui ſumus, & eſſe tenemur juſtitiæ zelatores, ſibi meritum compararunt.

Tandem concuſſis columnis eccleſiæ, prælatis videlicet, inferioris gradus & ordinis clericos rigor tui gravaminis atterit: & quaſi aliorum velis ſupplere defectum, prætendis negligentiam prælatorum; quamvis ſuperioris ſedis non deſit auctoritas in crimina diligenti examinata judicio, & judiciali examine cognita, tanta cenſura præcellit, quod pœnæ diſtrictio culpæ interdicit exemplum, & vindictæ ſeveritas eſſe poterit aliis limes offenſæ. Quia vero Dei cauſæ deeſſe non poſſumus, nec debemus, ſuper omnibus iſtis, & aliis contingentibus eccleſiaſticam libertatem, ſic Divina ſuffulti potentia debitum noſtri proſequimur officii: quod Deo pro poſſe ſatisfacientes & homini, in hoc geremus utiliter negotium noſtræ ſalutis ac tuæ, cum deferre homini contra Deum, præſertim in talibus, ſit nocere; ac parcere, ſit ſævire. Manus enim mulierum miſericordium filios deſtruxerunt. Sed habet vera dilectio plagas ſuas, quæ dulciores fiunt, cum amarius inferuntur.

Adjeciſti præterea, quod poſt reditum tuum in regno Siciliæ, redintegratis viribus tuis, pro temporum varietate diſperſis, excluſis rebellibus, eccleſia contra matris officium ſuſpectos filios receptavit. Et quidem de jurium redintegratione gaudemus; & utinam redintegrantis affectio ſic debitis contenta fuiſſet limitibus, quod a juſtitia recuperationis in ſuis, nec in alienis ad uſurpationis injuriam tranſiſſet. Quia præter id, quod in die noviſſimo, diſtricti judicis ultione reddetur, conſummari felicibus ſubſtantia non conſuevit eventibus, augmentis non aggregata legitimis: quin immo grandis acervus inficitur partis adjectione corruptæ.

Super excluſis, reſponſo ſuperſedere poſſemus, niſi alicujus indicio crederetur retardatum ſilentium repetitam ſignificare querelam: ſed, ut videmus, quod hactenus reſpondentis diſſimulatio diſtulit, nunc extorquet inſtantia conquerentis. A memoria quoque tua excidiſſe non credimus, quod comiti T... Rainaldo de adverſa & fautoribus eorumdem antequam caſtra, quæ viribus obtinere nequiveras, reſignarent, inter alia, quæ publica & authentica ſunt conventione notata, venit expreſſius perſonarum ſecuritas in promiſſum, ut id robur majoris firmitatis haberet; nos, & univerſos fratres noſtros affectuoſe rogaſti per litteras & nuncios ſpirituales, & in teſtimonium reſervatas, ut Romana eccleſia ſuper ſe ſecure ac confidenter reciperet, quod inviolabiliter promiſſa prædictis attenderes, & plenarie obſervares. Sed utinam verbis facta reſpondeant, fideſque promiſſis. Pluſquam deceat ſedis apoſtolicæ ac excellentiæ imperialis honorem, afflictionibus publicis, & pœnis manifeſtis exponuntur nonnulli de fautoribus comitis memorati: quorum multos poſt ſperatam de ſecuritate fiduciam dediſti exilio, & quoſdam ignominioſa morte damnaſti. Proinde poſſumus non immerito formidare, ne noſtra patientia in prædictis veræ patientiæ nomen amiſerit, & effectum. Quare non credas, id oblivioni eſſe relictum: licet ſit hactenus diſſimulatione ſuſpenſum. Sed quod in ſimilibus inferiores pro te promittere debeant, de ſpecula poterunt eminenti reſpicere ſpeculum & exemplar. In quo quantum auctoritati ſedis apoſtolicæ ſit detractum, quæ ipſos ad tuarum precum inſtantiam ſub ſua ſecuritate recepit, ſatis intelligunt, qui rem ſciunt.

De comite vero Matthæo, quem apud te in ſubtractione ſuorum, terræ ſanctæ ſervitium, crucis & crucifixi reverentia non defendit; comite quoque Rogerio quodam capto, ut noſti, & poſtmodum liberato, ut ſciamus, necnon & quibuſdam aliis, qui ad urbem & loca confinia a perſequentis facie confugerunt. Conquieſcat de cetero, quæſo, principis excellentis (ira) ne ſiccam ſtipulam perſequi, & contra folium, quod a vento rapitur, ſuam monſtrare potentiam videatur. Hæc quippe a Julii Cæſaris geſtis non elicis; qui Domitium pœnæ avidum, & veniæ contemptorem, vitæ ſervavit invitum, & Metellum ſe gladiis offerentem ira principis reputavit indignum. Certe in Iſraelitico populo civitates erant refugii: & urbem ad refugium Chriſtianus populus non habebit? David recurſus erat oppreſſis: & ſummus pontifex Dei magni vicarius avertet faciem ab afflictis? utique non, cum nulla moleſtia tibi per illos inferatur & tuis, niſi velis id dumtaxat ferre moleſte, quod vivunt.

Ad hæc de viro egregio ſocero tuo, ſi ad noſtram perveniſſet notitiam, quid de his, quæ tibi facere debuit, omiſiſſet: noſtra eum non præteriiſſet monitio, quem tibi deſideravimus acceptum, & te illi potentiſſime gratioſum. In

quo

quo movet multorum corda miratio, quod cum A
conſueverint alii creſcere ex affinitate majorum: iſte non ſine multorum ſcandalo, non ſine terræ ſanctæ diſpendio, non ſine tui nominis læſione, decreviſſe videtur. Et quidem, his ſimilia magnificorum principum geſta non continent, ſublimium mores ignorant, liberalium largitas non acceptat. Non ſic illius terræ procuratur utilitas. Non ſic ad ejus ſubſidium bellatores ſtrenui advocantur. Super quo ubi onera gravia importabilia nos aſſeris alligare, quæ digito noſtro movere nolumus, non attendens, quod jam pluribus annis elapſis ultro te iſtis omnibus ſubjeciſti ſpontaneus in Theutonia ſignum crucis aſſumens: non attendens, quod pro crucifixo gerendo negotium, onus tam leve tulit B
eccleſia in eccleſiaſticorum decimatione proventuum: non attendens, quod per fratres noſtros, & alios prædicatores, multi potentes & nobiles, magni & parvi ſe crucis obſequio devoverunt. Pro mercatoribus autem Romanis excellentiæ tuæ ſcripſiſſe meminimus, ſicut dicis: ſed cum per hoc jus ſuum non aſſequantur, ut aſſerunt, non debet illis in ſua juſtitia cenſura eccleſiaſtica deeſſe.

De Vaſſallis quoque patrimonii, de quibus, prout placuit, reſcripſiſti: quid juris imperiali excellentiæ competat, tuorum, & prædeceſſoris tui privilegiorum inſpectio proteſtatur. Quod ſi præter debitum a nobis in illis aliud pro terræ ſanctæ ſubſidio petiiſſes, ſicut decuerat, forma- C
ta petitio ad exauditionis gratiam introiſſet. Provideas tamen, ut advocatiæ vocabulum frequenter tuis litteris repetitum, tua, ſi placet, non protrahat interpretatio in abuſum. Quoniam cum advocatus eccleſiæ idem intelligi debeat quod defenſor; ſi defenſoris amittis officium, nomen improprie retines advocati. Quod ſatis in Archivata & caſtris aliis quondam noſtrorum fidelium oſtendiſſe videris, quæ detines contra juſtitiam occupata, poſt illatam violentiam, poſt commodum poſſeſſoris adeptum, factus de petitore poſſeſſor, aſſerens conquerentibus, te jus in tua curia redditurum. Super quo, ſi qua nova jura ſunt condita, in publicum prodeant, cum id non patiantur antiqua. D

Quia vero non eſt abbreviata manus Domini, ut non poſſit ſublimitatem curvare hominum, altitudinem humiliare virorum: nunc etiam ſi felicium tuis votis ſucceſſuum ſplendor illuxerit, humilitatem in ſereno non deſeras, quam in nubilo prætendebas. Speramus itaque quod viri tam diſcreti memoriam nunquam ſic ad examinationem deducet oblivio, ut omnino in vitium ingratitudinis incidat, quod reprehendit in æmulo, & culpam quam damnat in hoſte, committat. Non ergo ſeducant te proſpera, quem inſtruxiſſe debuerant adverſa: cum fuerit Pharaonis pincerna notatus, eo quod ſuccedentibus proſperis, ſui eſt oblitus interpretis, & lex nobilitatis id habeat, ut nobi- E
lium mentes excelſa non elevent, & infima non demittant.

Quapropter, fili cariſſime, probatis apoſtolicæ ſedis affectibus, nullius ſuggeſtio te ſeducat, quæ niſi obſtaculum nimiæ devotionis impediat, a te dexteram beneficiorum non ſubtrahet, & dulcedinis ubera non abſcondet: cum non ſit veriſimile, quod animi ferventis affectum ab illo de facili velit avertere, quem multo labore fovit impuberem, multaque ſolicitudine promovit adultum.

XVII. AD VENETOS.

Contra Fridericum imperatorem, qui prælatos ad generale concilium vocatos ceperat.

Gregorius IX. epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, nobili viro . . . . . duci, & populo Venetorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

EXiſtens in mari hujus mundi Petri navicula contrariis interdum ventis impellitur, & nonnunquam ictibus colliditur procellarum. Sed tandem Domino flatibus imperante quietem, & turbinum impetus prohibente, ſuccedit tempeſtati tranquillitas: & eidem naviculæ placati æquoris ſulcanti planitiem undæ cedunt. Quia inopinatis aliquando impulſa flatibus, etſi jactetur, non mergitur; & undis repercuſſa fluentibus, etſi jactetur, non quaſſatur. Eccleſia quidem ſuper fidei petram erecta, frequenter ab æmulis Chriſtianæ religionis impetitur, & impugnatur ſæpe ab eccleſiaſticæ perſecutoribus libertatis. Sed demum Altiſſimo ad eam clementiæ oculos inclinante, ſuæque potentiæ dexteram extendente tutricem, detractores fidei fræno arcentur ſilentii, & perſequentium manus in jura eccleſiæ injurioſe laxatæ, repreſſis viribus contrahuntur: ſicque poſt turbationis nubilum, ſerenum pacis ſubſequitur; & eccleſiæ ipſi, gubernante Domino, præſentis ſæculi mare ſubſternitur, colliſo impetu inſurgentium procellarum.

Si ergo fideles ejuſdem eccleſiæ, juxta mutabilitatem temporis ſiniſtris aliquando exaſperentur eventibus, & mulceantur quandoque votivis: non eos ſucceſſus adverſitatis deprimat, nec tamen occurſus proſperitatis extollat. Sed in eo ſpes tota ponatur, omniſque fiducia, qui ſperantibus in ſe miſericordiæ ſinum aperit, & poſt tribulationis patientiam in adverſis, remedium in proſperis conſolationis impendit. Fridericus namque dictus imperator, eccleſiæ perſecutor, directis olim fratribus noſtris & eccleſiarum prælatis, ac principibus orbis, litteris, petiit convocari concilium, ut ibi de meritis cognoſceretur ipſius. Noſque tandem de fratrum eorumdem conſilio prælatos, & regum ac principum nuncios, ad ſedem apoſtolicam duximus convocandos. Sed idem, hoc intellecto (quia terroris ſonitus impiorum auribus ſemper ineſt, eo quod læſa conſcientia, ſæva præſumit) ſubſequenter alias litteras contrarias deſtinavit: & nequiter ſe humilians, examen concilii requirendo, interiora ſua plena dolo, ſcripturæ varietate detexit. Accedentibus itaque ad ſedem eamdem prælatis aliquibus, & pluribus eorum propter maris timorem ad propria redeuntibus: ipſe audito vicino reliquorum adventu, eos, poſitis inſidiis, fecit cum venerabili fratre I..... epiſcopo Prænestino, ac dilecto filio noſtro Othone S. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali, legatis ſedis apoſtolicæ detineri: quaſi non ſufficeret ſibi, quod eccleſiam multipliciter læſerat, niſi & alias eidem inæſtimabilem irrogaret offenſam.

Verum, etſi hæc turbationem mentis fidelibus inferant, non tamen ſuorum cordium eſt immutanda conſtantia, nec eorum ſunt animi ſinceri flectendi: ſed tanto debent ipſi eccleſiæ contra perſecutorem eumdem favorabiliores adeſſe, quanto cum ex his graviorem ipſi injuriam

riam in illam ſentiunt intuliſſe. Ideoque univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus in eccleſiæ devotione conſtantiſſime perſiſtentes, & confidentes in Domino, & in potentia virtutis ejus, inimicis ipſius, tanquam Chriſti fortiſſimi bellatores potenter & viriliter reſiſtatis. Nec repentini caſus iniquitas corda veſtra ſtupore conſternat: ſed ad ipſius defenſionem Eccleſiæ accendat ea potius zelus Dei. Nos enim ſuper his taliter providere, Deo auctore, ſtudebimus, auxilii ſui dexteram nobis adeſſe ſperantes, quod impiorum depreſſis conatibus, honor erit Altiſſimo, catholicæ fidei robur, & eccleſiaſticæ libertati augmentum proveniet, ac veſtra, & aliorum fidelium utilitas ſubſequetur.

XVIII. AD ARCHIEPISC. ARELATENS. ET EPISCOPUM ARAUSICANUM

Ut comitem Toloſanum, & ejus uxorem reconcilient.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus, archiepiſcopo Arelatenſi, & epiſcopo Arauſicenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

AD audientiam noſtram pervenit, quod nobilis vir R. * Comes Toloſanus, & nobilis mulier S *.. uxor ſua nequaquam cohabitant ut tenentur, neque ſibi mutuo affectus exhibent conjugales. Quia vero ex hoc grave poteſt ſcandalum ſuboriri, & utrique imminere periculum animarum: fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eos ſimul ut cohabitent, & ſibi mutuo conjugales affectus exhibeant, moneatis prudenter, & efficaciter inducatis eos ad id, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſpoſita compellendo. Quod ſi alterutra partium ad hoc impedimentum objecerit, vos audiatis hinc inde propoſita, & ſi de partium voluntate proceſſerit, cauſam ſine debito decidatis: alioqui, quæ inveneritis, nobis fideliter intimetis, ut procedamus exinde prout ſecundum Deum utriuſque ſaluti & honori videbimus expedire. Datum apud Cryptam ferratam XI. Kal. Aug. pontificatus noſtri anno quarto.

* Raimundus.
* Sanctia

XIX. AD PETRUM S. A. LEGATUM.

Ut inquirat an comes Toloſanus ante obitum ſigna pœnitentiæ dederit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio magiſtro Petro de Collemedio capellano noſtro, apoſtolicæ ſedis legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

EXpoſuerunt nobis nuncii nobilis viri comitis Toloſani, quod licet in ipſius patre, qui ante reconciliationem terræ deceſſit, indicia pœnitentiæ in mortis articulo apparuerint manifeſta, nec per eum ſteterit quominus reconciliatus fuerit eccleſiaſticæ unitati: corpus tamen ejuſdem adhuc extitit inhumatum. Unde ex parte ipſius comitis ſuppliciter petebant a nobis, ut cum ſacramentum non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excluſerit, & eccleſiæ judicium, Divinum debeat imitari; mandaremus defunctum, qui propter hoc habendus eſt ab eccleſia, ſicut apud Deum fuiſſe creditur, abſolutus, in cœmeterio eccleſiaſtico ſepeliri, Quocirca diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus diligenter ſuper hoc veritatem inquiras, eam nobis fideliter reſcripturus. Datum Anagniæ XIV. Kal. Octobris, pontificatus noſtri anno quarto.

In eumdem modum ſcripſit epiſcopo Toloſano, & abbati Grandis ſilvæ. Dat. Anagniæ VII. Kal. Octobris, pontificatus anno quarto.

XX. AD EUMDEM.

Ut comiti Toloſano terminus ſolutionis, & itineris Hieroſolymitani prorogetur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio magiſtro Petro de Collemedio capellano noſtro, apoſtolicæ ſedis legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

VEnientes ad præſentiam noſtram nuncii nobilis viri Raimundi comitis Toloſani, ex parte ipſius devote a nobis & ſuppliciter petierunt, ut tam ſuper paſſagio ſuo & ſuorum in ſubſidium terræ ſanctæ, quam ſuper ſumma decem millium marcarum, in qua eccleſiis pro reſtitutione damnorum tenetur, ſibi inducias de benignitate ſedis apoſtolicæ concedere dignaremur: cum de novo reconciliatus ſanctæ matri eccleſiæ, de terra ſua, ſicut oportet, diſponere non potuerit: & de tranſitu ſuo, cum non inſtet modo paſſagium, provenire nequiret utilitas quæ ſperatur, nec termino aſſignato, ſcilicet proxime venturo feſto reſurrectionis Dominicæ, illuc valeret, prout eum decet, accedere, cum terra ſua nimium exhauſta facultatibus, infra tam breve ſpatium non ſufficeret ad expenſas neceſſarias miniſtrandas. Volentes autem dicto comiti juxta fervorem devotionis ſuæ, quam habere dicitur ad Deum & eccleſiam, gratiam, quam cum Deo poſſumus, exhibere: ſuper ſolutione ſummæ præfatæ, uſque ad beneplacitum noſtrum ei duximus terminum prorogandum: diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus inquiſita ſuper hac concedenda ſibi dilatione paſſagii, voluntate illuſtrium regis & reginæ * Francorum, & habito prælatorum & baronum, ac aliorum bonorum virorum, quos videris expedire, conſilio; conſideratis quoque ſtatu ipſius comitis, & terræ ſuæ, aliiſque circumſtantiis univerſis quas inveneris, nobis ſtudeas, tranſmiſſis ſingulorum conſiliis, fideliter intimare, ut per tuam relationem inſtructi, ſuper hoc ſecurius diſponere valeamus. Datum Anagniæ VII. Idus Julii, pontificatus noſtri anno quarto.

* Nempe S. Ludovici & Blanchæ matris ejus.

Iiſdem verbis ſcribit archiepiſcopo Senonenſi, ac Pariſienſi & Carnotenſi epiſcopis. Dat. Anagniæ X. Kal. Octobris, pontificatus anno quarto.

XXI. AD COMITEM TOLOSANUM.

Ut debitam Ciſtercienſibus pecuniam ſolvat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio nobili viro comiti Toloſano, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SIgnificante dilecto filio abbate Ciſtercienſi nos noveris accepiſſe, quod tu quandam ſummam pecuniæ, in qua Ciſtercio & quibuſdam aliis monaſteriis ordinis Ciſtercienſis teneris, ſicut

ſicut in litteris ſuper compoſitione pacis inter te ex una parte, & eccleſiam, ac cariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem regem Franciæ ex altera, per dilectum filium noſtrum Romanum ſancti Angeli diaconum cardinalem, tunc legatum apoſtolicæ ſedis, reformata plenius dicitur contineri, detines pro tuæ arbitrio voluntatis & eis ſolvere contradicis. Quare a nobis humiliter poſtulabat, ut tibi ſuper hoc preces noſtras & litteras dirigere dignaremur. Nos igitur ejus devotis precibus inclinati, nobilitatem tuam rogamus, monemus attentius, & hortamur per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus jam dictam pecuniam monaſteriis ſine difficultate qualibet, ut teneris, reſtituas memoratis: alioquin noveris nos venerabili fratri noſtro epiſcopo Tornacenſi apoſtolicæ ſedis legato noſtris dediſſe litteris in mandatis, ut te ad id, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, cognita veritate compellat. Datum Laterani IV. Nonas Januarii, pontificatus noſtri anno quarto.

XXII. AD EUMDEM.

Ut puniat eos qui monachum Conchenſem occiderunt.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio nobili viro comiti Toloſæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

HOrrendum facinus quod Bernardus Convenarum, & quidam alii vaſſalli tui in Jeſu Chriſti opprobrium attentarunt, ipſum Chriſtum ſine dubio provocat, & provocare debet homines contra eum; ipſumque reddere univerſis odibilem, qui Deum timent, & homines reverentur. Sicut enim dilecti filii abbas & conventus Conchenſis gravi nobis conqueſtione monſtraverunt, iidem vaſſalli quendam eorum monachum ſubdiaconum juxta altare conſtitutum, auſu ſacrilego capientes, ac eum, crucifixum, ac Euchariſtiam amplectentem, lethaliter vulnerantes, & extrahentes ab eccleſia, violenter ipſum in Jeſu Chriſti, & totius cleri contumeliam in patibulo ſuſpenderunt. Et licet quidam eremita ſemivivum eumdem de patibulo depoſuiſſet eodem; ipſi tamen eum iterum ſuſpendentes, in iis & aliis, eis graves & injurioſi exiſtunt. Quia igitur tantam Dei, & eccleſiæ non poſſumus injuriam, ſicuti nec debemus, æquanimiter ſuſtinere: nobilitatem tuam rogamus, & monemus attente, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus, cum injuria hujuſmodi Dei potius quam hominis cenſeatur, pungat cor tuum tui contumelia creatoris; & ſic hujuſmodi ſacrilegos tradita tibi poteſtate caſtiges, ac facias eiſdem abbati & conventui de illatis injuriis ſatisfactionem congruam exhiberi; quod per hoc creſcas, & nomine apud homines, & merito apud Deum.

Datum Reate x. Kalend. Novembris, pontificatus noſtri anno quinto.

XXIII. EPISCOPO TORNACENSI.

Ut benigne ſuſcipiatur comes Toloſanus.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri epiſcopo Tornacenſi, apoſtolicæ ſedis legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

DE parte dilecti filii comitis Toloſani nobis eſt oblata querela, quod cum ipſe in firmo propoſito, & ſummo gerat deſiderio inflexibiliter permanere in devotione ſedis apoſtolicæ matris ejus; ſuper quo turbati plures tanquam non valentes, cum in ſe mali ſint, aliorum bonitatem in patientia ſuſtinere, ipſum ab intentione ſua laudabili retrahere moliuntur: quidam terræ ſuæ prælati hoc nolentes intendere, in proferendo in eum excommunicationis ſententiam nimis faciles & præcipites ſe oſtendunt: contra quos dictus comes humiliter petiit per noſtram ſolicitudinem provideri. Quia vero non modicum expedire dinoſcitur, ut ad augmentandum in ipſo pietatis affectum quaſi nova plantula benignitatis foveatur irriguo, & dulci lacte eccleſiæ recreetur: fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in lenitate ac manſuetudine tractans eumdem, & ad hoc ipſum prædictos prælatos inducens, nihil ab eis permittas in ejus gravamen aut contumeliam attentari.

Datum Reate XII. Kalend. Martii, pontificatus noſtri anno quinto.

XXIV. AD S. LUDOVICUM REGEM FRANCORUM.

Cur R. eccleſia detineat comitatum Venaſcenum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Ludovico regi Francorum illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

LItteras quas pro dilecto filio nobili viro comite Toloſano ſuper terra, quam Romana eccleſia citra Rhodanum ad manus ſuas retinuit, regalis nobis excellentia deſtinavit, ſolitæ benignitatis affectu recepimus: & quæ continebantur in eis intelleximus diligenter. Sane illius teſtimonium invocamus, qui teſtis eſt in cœlo fidelis, quod licet eccleſia Romana prædictam terram, in qua infinitis anguſtiis, & expenſis innumeris, multorum ſanguine hactenus extitit laboratum, ad manus ſuas duxerit retinendam, ne reprobis repetentibus vel irruentibus in eamdem, fieret durior poſt proſperitatem adverſitas: non tamen intendimus terram illam propriis uſibus applicare, non in ea privatum profecuti fuimus intereſſe, nullam in retentione ipſius utilitatem quæſivimus temporalem, cum ſit negotium pacis & fidei, & Dei ſit cauſa quam agimus, & ſpirituale dumtaxat in hoc commodum attendamus. Sed cum illius terræ converſio adeo ſit adhuc recens & tenera, quod ex mutatione ſubita facile poſſet incurrere recidivum, & recidivi languores interdum eſſe ſoleant prioribus graviores: accurata eſt ſolicitudine præcavendum, ne moribus, qui tam graviter Chriſti maculavit eccleſiam, iterum poſtquam curatus eſt, in ipſius poſſit refluere corruptelam. Quantum claræ memoriæ Ludovicus rex Francorum pater tuus in præmiſſo negotio laboravit, ad cujus proſecutionem de ſuis liberaliter contulit, & tandem ſe liberalius adjecit, vitæ vitam offerens, ut viveret in Chriſto poſt mortem? Quot inclyti in proſecutione ipſius negotii de regno Francorum ceciderunt? Quanto ſudore laboratum eſt, & quanto labore ſudatum, ut terra illa converſa in ſalſuginem a malitia inhabitantium in ea, bellis attrita continuis, & hæreticæ pravitatis erroribus involuta, & ab hujuſmodi reſpiraret anguſtiis, & contagiis purgaretur? Quanta ſtrages populi Chriſtiani, quot

animarum pericula, ecclesiarum destructio, religiosorum locorum excidium, damna rerum, & expensarum dispendia, occasione præfati negotii, peccatis exigentibus sunt secuta? Et utinam esset adhuc dictum negotium adeo solidatum, quod ex nulla parte status ejus penitus fluctuaret. Nunquid non grandi cautela opus est, ne tot impensæ perdantur? Nunquid vero nobis, si quid inde siniſtri, quod absit, accideret, posset non immerito imputari? Nunquid formidare non immerito possumus præteritis futura pericula graviora? Et ideo quantumcumque dictum comitem, sicut specialem apostolicæ sedis filium, sincera diligamus in Domino caritate, & ad incrementum & exaltationem ipsius libenter, si per eum non steterit, aspiremus, paternæ circa eum solicitudinis gerentes affectum: expedit tamen ut in tanto negotio non nisi circumspecta deliberatione præhabita procedatur.

Verum quia nobis quid super hoc magis expediat negotio memorato, fieri non potuit plena fides, venerabili fratri nostro episcopo Tornacensi apostolicæ sedis legato, nostris damus litteris in mandatis, ut vocatis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & aliis ecclesiarum prælatis, qui in sua legatione consistunt, & cum eis super præmissis & eorum circumstantiis universis deliberatione habita diligenti, consilium quod super his datum fuerit, nobis studeat suis litteris fideliter intimare, ut procedamus exinde prout secundum Deum videbimus expedire melius. Ipsius itaque habita responsione legati, sic Deo propitio in præmisso negotio procedemus, nihil de contingentibus omittendo, quod Deo pro posse satisfaciemus, & homini, ac tuæ serenitati gratum esse poterit & acceptum.

Datum Reate IV. Nonas Martii, pontificatus nostri anno quinto.

XXV. AD REGINAM FRANCORUM.

Ejusdem argumenti.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, carissimæ in Christo filiæ reginæ Francorum illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

LItteras quas pro dilecto filio nobili viro comite Tolosano super terra, quam Romana ecclesia citra Rhodanum ad manus suas retinuit, regalis nobis excellentia destinavit, solitæ benignitatis affectu recepimus, & quæ continebantur in eis intelleximus diligenter, &c. *ut epistola præcedenti.*

XXVI. AD COMITEM TOLOSANUM.

De eodem argumento.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro comiti Tolosæ salutem & apostolicam benedictionem.

NOn est de arbore dubitandum, cum de fructu constiterit; nec de illius intentione quærendum, qui nihil agit in tenebris, sed in luce, ut ejus sint opera manifesta: cum in actibus suis non dubiæ præsumptionis sit locus, sed experientiæ certæ credatur. Sane quam intentionem in facto tuo gesserimus hactenus & geramus, licet non pepercerimus virgæ, ut filium lucraremur, operis exhibitio manifestat. Paternæ siquidem erga te solicitudinis gerentes affectum, te sicut specialem apostolicæ sedis filium sincera diligimus in Domino caritate: ad incrementum & exaltationem tuam, si per te non steterit, aspirantes. Ceterum licet ecclesia Romana terram citra Rhodanum, pro qua tibi restituenda carissimi in Christo filii nostri, Fridericus Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem & Siciliæ rex, ac rex & regina Francorum, illustres nobis humiliter supplicarunt, in qua infinitis angustiis, & expensis innumeris, multorum sanguine hactenus extitit laboratum, ad manus suas duxerit retinendam, ne reprobis repetentibus vel irruentibus in eamdem, fieret durior post prosperitatem adversitas: illius tamen testimonium invocamus qui testis in cœlo fidelis, quod non intendimus terram illam propriis juribus vel usibus applicare, non in ea privatum prosecuti fuimus interesse, nullam in retentione ipsius utilitatem quæsivimus temporalem, cum sit negotium pacis & fidei, Dei sit causa quam agimus, & spirituale in hoc duntaxat commodum attendamus. Verum quia nobis quid super hoc magis expediat negotio memorato, fieri non potuit plena fides: venerabili fratri nostro episcopo Tornacensi apostolicæ sedis legato damus nostris litteris in mandatis, ut vocatis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & aliis ecclesiarum prælatis qui in sua legatione consistunt, & cum eis, tam super præmissis, quam super prorogatione termini de transfretando in subsidium terræ sanctæ, quam iidem rex & regina pro te a nobis fieri postularunt, & eorum circumstantiis universis, deliberatione habita diligenti, consilium quod super iis datum fuerit, nobis studeat suis litteris fideliter intimare, ut procedamus exinde prout secundum Deum videbimus melius expedire. Ipsius itaque habita responsione legati, sic Deo propitio in præmisso negotio procedemus, nihil de contingentibus omittendo: quod Deo pro posse satisfaciemus, & homini; & tua devotio poterit non irrationabiliter acceptare. Tu autem in nostra & ecclesiæ Romanæ devotione ac fidei puritate persistas, cum possis credere firmiter ac sperare, quod tibi sit devotionis & fidei tuæ sinceritas responsura.

Datum Reate IV. Nonas Martii, pontificatus nostri anno quinto.

XXVII. AD EPISC. TORNACENSEM

Ut benignus sit erga comitem Tolosanum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Tornacensi apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

ET verbera patris & ubera matris apostolica sedes habere dinoscitur, dum & patris rigorem observat, & matris non deserit lenitatem: sic utrumque condiens, ne crudelis sit rigor, nec lenitas dissoluta: & sic vicissim alterum altero recompensans, ut nec parcat virgæ dum diligit, nec dum corrigit in caritate frigescat, sed fervet in ira misericordiam, & in benevolentia disciplinam. Licet igitur dilectus & nobilis vir comes Tolosanus aliquando elongatus a nobis, in regionem dissimilitudinis aberrasset: quia tamen illo faciente cum eo signum in bonum, qui neminem a misericordia sua repellit, recurrit ad ubera sanctæ ecclesiæ matris, quæ ipsum desiderat lacte dulci nutriri: nos paternæ circa eum solicitudinis gerentes affe-

affectum, & ipſum ſicut ſpecialem apoſtolicæ ſedis filium ſincera diligentes in Domino caritate, ad incrementum & exaltationem ſuam, ſi per eum non ſteterit, aſpirando, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eumdem comitem habens pro noſtra & apoſtolicæ ſedis reverentia propenſius commendatum, jura ſua ſic conſerves illæſa, ſicut eccleſiaſtica vis illibata ſervari.

Datum Reate IV. Idus Martii, pontificatus noſtri anno quinto.

XXVIII. AD COMITEM TOLOSANUM.

Confirmat inſtitutam Toloſæ academiam.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio & nobili viro comiti Toloſano, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

OLim operante illo qui vult omnes homines ſalvos fieri, & neminem vult perire, per dilecti filii noſtri Romani Portuenſis electi miniſterium, tunc in illis partibus apoſtolicæ ſedis legati, inter eccleſiam & te pace, Divina præeunte gratia, reformata: dictus legatus tam provide quam prudenter attendens quod fides Catholica, quæ pene penitus videbatur de illis partibus profligata, inibi reflorere valeret, ſi illic litterarum ſtudium crearetur, duxit provide ſtatuendum, ut in Toloſana civitate cujuslibet licitæ facultatis ſtudia plantarentur: quorum magiſtris; ut liberius poſſint vacare ſtudiis & doctrinis, a te fuit promiſſum certum ſalarium & ſtatutum. Unde nos, quod ſuper præmiſſis factum eſt, gratum & ratum habentes ut ea, qua gaudent Pariſienſes ſcholares, perpetuo magiſtri ſcholares Toloſæ, & omnes qui eis ſucceſſerint in hac parte, gaudeant libertate, ipſis duximus concedendum.

Statuimus nihilo minus, ut cives Toloſani domos vacantes ad inhabitandum ſcholaribus pro competenti pretio taxando a duobus clericis, & totidem laicis, viris diſcretis, catholicis & juratis, communiter electis ab ipſis locare cogantur.

Sancimus præterea quod nulli magiſtri, & ſcholares, vel clerici, ac ſervientes eorum, ſi, quod abſit, contigerit eos in quocumque maleficio deprehendi, ab aliquo laico judicentur, vel etiam puniantur, niſi forſitan judicio eccleſiæ condemnati, ſæculari curiæ relinquantur; & ut laici teneantur ſtudentibus in . . . . coram eccleſiaſtico judice reſpondere ſecundum conſuetudinem eccleſiæ Gallicanæ.

Necnon & ut tu, comes Toloſane, ballivi tui, & barones terræ, ſecuritatem & immunitatem ſuo jurejurando promittere compellamini perſonis & rebus ſcholarium, ac etiam nunciis eorumdem; & a veſtris ſubditis illud idem fieri faciatis. Et ſi qui eos vel eorum nuncios in terris veſtris pecunia vel rebus aliis ſpoliaverint, vel emendari faciatis, vel etiam emendetis.

Ad hæc & tu cum in reformatione pacis te obligaveris præfato juramento, ut certum ſalarium uſque ad certum tempus, certo numero magiſtrorum exſolvas: ſtatuimus, ut ille ſine qualibet diminutione perſolvas uſque ad terminum conſtitutum, & plenarie ſatisfacias de ſubtractis. Quocirca nobilitatem tuam rogandam duximus attentius ac monendam, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus magiſtris & ſcholaribus ſupradictis te favorabilem exhibeas & benignum, ſtatuta præfati electi illibata conſerves, & ab omnibus tuæ juriſdictionis ſubjectis facias firmiter obſervari.

Datum Laterani pridie Kalend. Maii, pontificatus noſtri anno ſeptimo.

XXIX. AD ARCHIEPISCOPOS, ET EPISCOPOS IN PROVINCIA CONSTITUTOS.

Ut benigni ſint erga comitem Toloſanum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Viennenſi archiepiſcopo, apoſtolicæ ſedis legato, & aliis archiepiſcopis, & epiſcopis in Provincia conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CUm dilectus filius nobilis vir comes Toloſanus nuper redierit ad apoſtolicæ ſedis gratiam, ita quod devotionis alumnum ſe reputat, & eccleſiæ Romanæ filium ſpecialem: per vos eum exaſperari non expedit, ſed ſemper in Deum potius confoveri, ut eumdem ſentiens affectum in membris, quem cognoſcit in capite eccleſiæ, in dulcedine delectatus ad devotionis augmentum amplius inardeſcat. Quare fraternitatem veſtram monemus, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus in benignitate proſequentes eumdem, ſibi vos exhibeatis, quantum cum Deo poteritis, favorabiles & benignos; neque ſitis, ſicut nec convenit, proni vel faciles ad ferendum in perſonam ſuam excommunicationis ſententiam, vel ad ſupponendum interdicto eccleſiaſtico terram ejus, cum inter alia prælatos potiſſimum deceat maturitatem & gravitatem in ferendis hujuſmodi ſententiis obſervare: mandatum noſtrum taliter impleturi, quod ipſe manſuetudinem in vobis ſe gaudeat inveniſſe, & nos debeamus vos exinde merito commendare.

Datum Laterani Idibus Januarii, pontificatus noſtri anno VII.

XXX. AD COMITEM TOLOSANUM.

Cur ei Venaſcenſem agrum non reſtituat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio nobili viro comiti Toloſano, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

REputantes eccleſiæ Romanæ te ſpecialem filium & devotum, ac ad perſonam tuam patris gerentes affectionem, petitionibus tuis benignum aſſenſum, quantum cum Deo poſſumus, impertimur. Unde ſi quando preces tuas non admittimus, credere potes & debes rationabilem cauſam ſubeſſe, propter quam a pietate paterna, quod filius poſtulat devote, non impletur. Cum itaque in terra Venaſcenſi, pro qua tibi reſtituenda nobis per litteras & nuncios ſupplicaſti, multi ſe jus habere proponant, & nos ex officii noſtri debito teneamur cuilibet juſtitiam ſuam conſervare: ad præſens ſuper hoc deliberare nequivimus, nec tibi certum aliquid reſpondere. Unde ei, qui tibi contra pravitatem hæreticam fidei ſuæ fervorem inſpiravit & zelum, laudes & gratias exhibentes, & tuæ commendantes ſinceritatis affectum, nobilitatem tuam monemus, & hortamur attente, ac tibi conſulimus, quatenus id indefeſſo proſequaris ſtudio pietatis pro exaltatione puritatis catholicæ, & ſis, ſicut laudabiliter incœpiſti, ſolicitus in Romanæ eccleſiæ dilectione immobiliter perſeverare. Nos enim

cum

cum devotionis continuatio te amplius reddit favorabilem & acceptum, eo magis in his quæ cum noſtra poſſumus honeſtate, parati ſumus favorem tibi & benevolentiam exhibere.

Datum Laterani XVIII. Kal. Febr. pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Edidit Puteanus ex authentico quod in regio tabulario ſervatur.

XXXI. AD S. LUDOV. FRANC. REGEM.

Auxilium petit adverſus Fridericum imp. regeſque Francorum ſanctæ ſedis defenſores prædicat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio illuſtri regi Franciæ ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

DEi filius cujus imperiis totus orbis obſequitur, cujus beneplacitis cœleſtis exercitus agmina famulantur, ſecundum diviſiones linguarum & gentium in ſignum Divinæ potentiæ diverſa regna conſtituit, diverſa populorum regimina in miniſterium mandatorum cœleſtium ordinavit: inter quæ ſicut tribus Juda inter ceteros filios patriarchæ ad ſpecialis benedictionis dona ſuſcipitur, ſic regnum Franciæ præ ceteris terrarum populis a Domino prærogativa honoris & gratiæ inſignitur.

Nam velut præfata tribus regni præfigurativa prædicti undique fugabat hoſtium cuneos, terrebat & conterebat undique, ac ſuis ſubjugabat pedibus per circuitum inimicos: non aliter idem regnum pro exaltatione catholicæ fidei Dominica prælia dimicans, & in Orientis & Occidentis partibus pro defenſione eccleſiaſticæ libertatis, eccleſiæ hoſtes expugnans, ſub vexillo claræ memoriæ prædeceſſorum tuorum: quandoque terram ſanctam ſuperna diſpoſitione de manibus paganorum eripuit, quandoque Conſtantinopolitanum imperium ad obedientiam eccleſiæ Romanæ reducens, dictorum prædeceſſorum ſtudio eccleſiam ipſam a multis periculis liberavit, pravitatem hæreticam, quæ in partibus Albigenſibus fere fidem extirpaverat Chriſtianam, totis viribus expugnare non deſtitit, donec ea quaſi penitus confutata, fidem ipſam ad priſtini ſtatus ſolium revocavit. Sicut præfata tribus, velut reliquæ, a cultu Dominico nunquam declinaſſe legitur, ſed idololatras & infideles multis expugnaſſe præliis perhibetur: ſic in eodem regno quod a devotione Dei & eccleſiæ nullo caſu avelli potuit, nunquam libertas eccleſiaſtica periit, nullo unquam tempore vigorem proprium Chriſtiana fides amiſit: quinimmo pro earum conſervatione reges & homines dicti regni ſanguinem proprium fundere, & ſe periculis multis exponere minime dubitaverunt.

Ad quorum probationem inclytæ recordationis Caroli, & multorum Regum progenitorum tuorum geſta colligere poſſumus. Sed tamen ne habito ad infinita deſcenſu, a longe exempla veterum colligamus: recolendæ memoriæ Ludovicus pater tuus, non pro amplificatione regni ſui, ſed fidei, Domino in dictis partibus Albigenſium, cum multitudine nobilium militum, & aliorum fidelium eligens præliari, ſub ſudore militiæ Dominicæ exutus corpore, cœlo ſpiritum reddidit: & poſteris ſuis ſimilia faciendi ſub quodam tacito teſtamento præceptum indicens, ad regnum quod Deus præparavit ſe diligentibus, cum iiſdem fidelibus, quos Dominus in triumphali victoria ad coronam vocavit martyrii, curſu laudabili properavit.

Ex quibus evidenti ratione perpendimus, quod regnum Franciæ prædictum, benedictum a Domino, redemptor noſter quaſi ſpecialem Divinarum voluntatum executorem eligens, & ipſum ſibi ſicut pharetram circa femur accingens, ex ipſa ſæpius ſagittas electas extrahit, & eas in tuitionem eccleſiaſticæ libertatis & fidei, in contritionem impiorum, & defenſionem juſtitiæ, in arcu brachii potentis emittit. Propter quod prædeceſſores noſtri Romani pontifices a progenie in progenies tam laudabilia dictorum progenitorum opera recenſentes, ad ipſos continuum in neceſſitatibus ſuis habuere recurſum: illique credentes, quod non petentium, ſed cauſa Dei potius agebatur, petitum nunquam negavere ſubſidium: quin potius nonnunquam non poſtulatum, eccleſiæ opportunitatibus in manu forti induliere ſuccurſum.

Ex quo & nos ſcientes quod propriæ ſervat propago vitis originem, quod idem ſuccus ramos vivificat & radicem; & non credentes omnino ut eiſdem progenitoribus quibus parificaris honore dominii, patiaris te contrarium moribus & inferiorem virtutum actibus inveniri; quinimmo ſperantes quod gratia bonitatis, quæ ipſis erat innata, in tuam ſit derivata perſonam: ad te multa ducti confidentia recurrimus, ut, ſicut tenemur, ſerenitati tuæ plagas longe duriores & diriores, quam in crucis patibulo infictæ fuerunt regi omnium ſæculorum, quas in corpore Chriſti multis blaſphemiis & aliis modis quaſi obducta cicatrice Fridericus dictus imperator jam renovat & cruentat, aperire poſſimus, qui miniſterio proditoris velamen apoſtolatus, ut Dominum crucifixoribus tradere poſſet, habentis, uti minime erubeſcens, ſe Divinis myſteriis, quæ ante ſententiam in ſe latam quaſi paganus penitus abhorrebat, ut ſub pallio pietatis facilius Chriſtum in eccleſia ſua de novo crucifigere valeat, in ſuæ proditionis augmentum immiſcere præſumit; ſicque ſecum omnes quos poteſt in viam perditionis attrahens, ad excuſationes in peccatis, litteras quaſdam de promptuario fallaciarum ſuarum emittit, ex quibus cum earum principium ex veritatis via penitus deviet, finis cum medio falſitati omnino concordet, nihil in mentis diſcretæ credulitatem aſſumitur niſi quod mendaciorum compoſitor, artium ſuarum ingenio fortius confutetur.

Propter quod conſultius attendentes, quod hæc vulnera non debebamus tam pernicioſo occultare ſilentio, ipſum ſuper prædictis & multis aliis ſceleribus ſæpe ſæpius coram venerabilibus prælatis eccleſiarum, apoſtolicis ſcriptis, & ſolemnibus nunciis monitum, & ad emendationem longis retroactis temporibus expectatum, ſpe nobis de ipſius correctione ſubtracta, de conſilio fratrum noſtrorum poſt frivolas reſponſiones ſuas, excommunicationis vinculo duximus innodandum. Quia etſi in occupatione bonorum eccleſiæ tolerari aliquatenus non deberet, multo fortius ſuper excidio fidei, noſtra vel cujuſcumque circa eum deberet patientia penitus reprobari.

Hinc eſt quod nos Chriſti, qui pro ſalute hominis deſcendens e cœlis ad prædicandum evangelium in univerſum mundum tranſmiſit apoſtolos, exemplo compulſi, ad te præcipuum, te cariſſimum eccleſiæ filium, te ſpeciale ſubſidium, te refugium ſingulare, venerabilem fratrem noſtrum epiſcopum Prænestinum, virum approbatæ bonitatis, & ſanctitatis expertæ, magnum eccleſiæ Dei membrum, officio

ſibi

ſibi legationis commiſſo pro defenſione fidei, pro qua laborare tenetur quilibet qui Chriſtianus profeſſione cenſetur, dirigimus, & per eum in tantæ neceſſitatis articulo tui brachii auxilium invocamus. Cum enim pugnare pro eripienda terra ſancta de manibus paganorum, ſit perpetuæ vitæ meritorium: multo majoris meriti eſſe creditur, ſi eorum qui exterminium fidei, in qua ſalus totius mundi conſiſtit, & eccleſiæ machinantur generale excidium, impietas expugnetur. Speramus autem & pro firmo tenemus, quod Jeſu Chriſto qui pro redemptione tua ſervi formam accipiens, proprium ſanguinem crudeli perforatus lancea fundere, & in cruce mortis voluit ſubire tormentum, qui diebus iſtis a dicto Friderico eum aſſerente in uterum Virginis minime deſcendiſſe, crudeliter in ſe & membris ſuis ac multipliciter impugnatur: curabis tanquam athleta Dominicus potenter aſſiſtere, & honorem Chriſti, cui nulla debes vel potes ratione deeſſe; & eccleſiæ ſponſæ ſuæ, bonum ſtatum fidei, & omnium fidelium, totis viribus conſervare ſtudebis. Igitur prudenter attendens, quod id tempus eſt ab æterno conditore diſpoſitum, ut nunc publicæ notitiæ ſuorum revelet animos amicorum: dicti Friderici, qui eumdem epiſcopum, immo Chriſtum & eccleſiam, ſuos aſſerit capitales inimicos, detractionibus & mendaciis, tua in nullo moveatur conſtantia puritatis: quinimmo eumdem legatum, vel potius Chriſtum in ipſo, cujus legatione fungitur, & pro cujus tantum fide laborat, præcepta benignitate ſuſcipiens, & ei honore ſicut regiam magnitudinem decet impenſo, frequenter infra tui pectoris arcana revolvens, quatenus "tis progenitoribus tuis, ex obſequio eccleſiæ præſtito laudis titulus & honoris accrevit, dictorum progenitorum excitatus exemplo, apoſtolicæ ſedi, immo Deo, & toti populo Chriſtiano, illud in hoc articulo conſilium & auxilium ſtudeas impertiri, per quod in cœleſti palatio perpetuæ merearis diademate gloriæ coronari.

Datum Anagniæ XII. Kal. Novembris, pontificatus noſtri anno XIII.

FRAGMENTA DECRETORUM GREGORII IX.

EX LIB. DECRETALIUM EXCERPTA.

I. Ad abbatem S. Salvatoris Pariſienſis & Vercellen. præpoſit.

e excepr. 11. *Nemo prætextu excommunicationis a proſecutione appellationis repellitur.*

SIgnificaverunt nobis capitulum de Tornacen, quod cum P. in ſuum archipresbyterum elegiſſent, Mediolanenſis archiepiſcopus præſentatam ſibi electionem renuens confirmare, quendam Zephum clericum in archipresbyterum inſtituit eccleſiæ ſupradictæ. Quare ipſis ad ſedem apoſtolicam appellantibus, præpoſito S. Stephani cauſam ipſam ſuper his dicimur commiſiſſe: qui electionem ipſorum confirmans, & pronuncians jus eligendi ad ipſum capitulum pertinere, partem adverſam ab impetitione ipſorum abſolvit: a qua ſententia partes ad ſedem apoſtolicam appellantes, cauſam ipſam vobis obtinuere committi. Sed a parte altera, exceptione excommunicationis oppoſita contra capitulum memoratum, vos minus provide attendentes, quod prætextu excommunicationis oppoſitæ a proſecutione appellationis non debeat quis excludi: cum omnis legitima defenſio excommunicato in judicio reſervetur: partem adverſam non eſſe cogendam ad reſpondendum eiſdem, perperam decreviſtis. Propter quod, dictum capitulum noſtram audientiam appellarunt. *Et infra:* Mandamus, quatenus ſi eſt ita, exceptione hujuſmodi non obſtante, in eodem negotio procedatis.

II. Ad abbatem S. Joannis de Vineis.

Non per poſitiones & reſponſiones, ſed per petitionem in jure propoſitam & reſponſionem ſecutam, fit litis conteſtatio, qua omiſſa nullus eſt proceſſus. De lit. cont. c. unic.

OLim inter epiſcopum * Novienſem ex parte una, & capitulum eccleſiæ S. Quintini ex altera, ſuper quibuſdam injuriis, & excommunicationum ſententiis, & quibuſdam aliis articulis orta fuit materia quæſtionis. *Et infra:* Judices factis quibuſdam poſitionibus & reſponſionibus ad eaſdem: auditis etiam quæ partes voluerunt proponere coram eis, cauſam eamdem ad examen apoſtolicum remiſerunt. Procuratoribus igitur partium propter hoc in noſtra præſentia conſtitutis, quamvis poſitiones & reſponſiones hinc inde ſuper pluribus articulis factæ fuerint coram judicibus memoratis: quia tamen litis conteſtationes, & reſponſiones ad eas, ſed per petitionem in jure propoſitam & reſponſionem ſecutam conteſtatio litis fiat: proceſſum ipſorum de fratrum noſtrorum conſilio irritum duximus nunciandum. * *ſer.* Noviomenſem?

III. Ad abbat. S. Nicolai, & decanum Furnenſ. Morin. Diœc.

Clericus cauſa mutandi judicium non debet recipere ceſſionem a laico. De alien. jud. mut. c. fac. 2.

DEX parte Scabinorum Hipreti fuit propoſitum, quod inter laicos ejuſdem loci quæſtionibus emergentibus dirimendis per judicium ſæculare, quidam clerici ſibi dono vel pretio ab aliquibus laicorum ipſorum cedi faciunt actiones, ut adverſarios ad eccleſiaſticum forum trahant, & prædam ex hujuſmodi commercio aſſequantur: *Et infra:* Cum igitur ceſſiones & emptiones litium legitime prohibeant ſanctiones, ita quod jactura cauſæ afficiant illos, qui ſibi potentiorum patrocinium taliter advocare præſumunt, & ex eo ſint etiam odioſæ, quod ex fonte cupiditatis videntur procedere: mandamus quatenus clericos memoratos a præſumptione hujuſmodi per cenſuram eccleſiaſticam compeſcatis.

IV. Ad abbat. S. Genovefæ.

Delegata juriſdictio ad perſonas non expreſſas in reſcripto, prorogari non poteſt. De off. & pot. Jud. deleg. c. 10.

P & G. per litteras apoſtolicas conquerentibus coram te de epiſcopo London *, quod conceſſum ab eis mutuum promiſſo loco & termino non perſolvit: pendente judicio, I. Laicus qui in quantitate quadam eiſdem mercatoribus tenebatur, ſe in tuam juriſdictionem, ſicut aſſerit, voluit prorogare: ut, ſi intra terminum * Laudunenſ.

minum constitutum prædictam non solveret quantitatem, excommunicationis & interdicti sententias in personam & terram ejus promulgares. Quas hujusmodi occasione a te latas decernimus non valere: cum etsi alias jurisdictioni præesse dicaris: quia in dictum I. nullam jurisdictionem habebas, jurisdictionis prorogatio nulla noscitur extitisse: cum hujusmodi delegata jurisdictio ad alias personas nequeat prorogari.

V. Ad abbatissam & conventum Jotren.

De arbitris c. 13.

De controversia inter archiepiscopum Senonensem & abbatissam Jotrensem.

CUm a nobis petitur. *Et infra*: Ex parte vestra fuit propositum, quod olim inter vos & Senonensem archiepiscopum quæstione suborta super eo quod idem archiepiscopus asserens monasterium vestrum Metropolitico jure sibi subesse, procurationes & res alias exigebat a vobis: tandem in V. sancti Angeli diac. cardin. tunc apostolicæ sedis legatum, a partibus concorditer compromisso, & promisso sub certa pœna quod arbitrio seu ordinationi ejusdem, vel duorum mediatorum, quos idem super hoc deputaret, præcise parerent; magister P. capellanus noster, & I. archidiaconus Senon. mediatores ab eodem super hoc deputati legato, ordinando & definiendo causam hujusmodi terminaverunt. Nos igitur quod per prædictos mediatores super hoc actum est, auctoritate apostolica confirmamus.

VI. Ad S. præceptorem, & magistrum N. canonicum Ambianensem.

De offic. & pot. jud. deleg. c. 38.

Si delegatus pronunciaverit se jurisdictionem non habere, ipsam etiam de consensu partium non reassumit.

SIgnificantibus M. muliere, & I. nato ejus, nos noveritis accepisse, quod cum nobilis mulier Juliana vidua mentiens se pauperem, contra eos super terris & rebus aliis ad judices nostras litteras impetrasset: iidem coram eis excipiendo proponere curaverunt, quod cum dictæ litteræ suggesto mendatio impetratæ fuissent, cum prædicta Juliana, quæ nobilis est & dives, pauperem se dixisset in eis coram ipsis, nisi requisito prius domino, sub cujus jurisdictione ipsi consistunt, & coram quo parati erant eidem exhibere justitiæ complementum, non debebant de jure per tales litteras conveniri. Unde dicti judices interloquendo pronunciarunt se per easdem litteras procedere non debere. *Et infra*: Demum fuit a partibus in quosdam tanquam in arbitros taliter compromissum, quod si intra terminum in compromisso expressum causam non deciderent, partes ad eorumdem judicum redirent examen. Verum arbitris causam intra terminum negligentibus terminare, dicti judices jurisdictionem per formam compromissi hujusmodi resumpserunt: a quibus iidem se sentientes gravari, quod super his, super quibus ab eis fuerant absoluti, litigare compellebant eosdem, ad nostram audientiam appellarunt, ideoque mandamus, quatenus, si est ita, revocetis in irritum.

VII. Ad patriarcham Antiochiæ apost. sedis legatum

Ecclesia ministris destituta, absentes non obstantibus privilegiis per subtractionem proventuum redire cogat.

De cler. non resid. c. 1.

CUm ad hoc sint ecclesiastica beneficia deputata. *Et infra*: Sane vobis innotuit, quod ecclesia Antiochena, multis ex servitoribus ejus absentibus, est fere destituta ministris. Unde mandamus, quatenus non obstantibus apostolicis indulgentiis & prædecessorum tuorum licentia, absentes canonicos & assistos revoces ad residendum in ecclesia supradicta: & si non venerint, tu de ipsorum beneficiis, dum absentes fuerint, ipsi ecclesiæ facias congrue deserviri, in utilitatem ejusdem, quod ex præfatis beneficiis superfuerit, convertendo.

VIII. Ad Antonium subdiaconum.

De testam. c. 1.

Episcopus de rebus patrimonialibus testari potest: de rebus ecclesiæ, seu tempore episcopatus acquisitis, minime.

QUorundam ad nos relatione pervenit, quod I. Atellanæ civitatis episcopus condito testamento in octo uncias substantiæ suæ nurum hæredem instituit, ecclesiam suam in residuis quatuor. Hortamur igitur ut solicite hoc discutias, & quicquid ipsum habuisse patuerit, a qualibet persona detineri nullatenus patiaris: nisi hoc solum, quod eum ante episcopatus ordinem proprium habuisse constiterit. Quicquid vero ecclesiæ ante ipsius consecrationem fuisse cognoveris, vel in episcopatus ordine prædictum episcopum acquisivisse *, in ejusdem ecclesiæ dominio conservetur.

* acquisi in antiqu

IX. Ad Arelaten. Capitulum.

De novalibus.

De priv. c. 33.

COnsultationi vestræ breviter respondemus, quod terra, de qua non extat memoria quod aliquando culta fuisset, redacta per religiosos viros noviter ad culturam, perpetuo debet quoad immunitatem de non solvendis decimis novalium jure censeri. Cum alias nonnunquam contingeret indulgentiam de novalibus plus eis dispendiis, quam utilitatis afferre.

X. Ad archipresbyterum S. Mariæ majoris de Urbe.

Qui major est ordine, licet in ecclesia posterius receptus, in loco & portione præfertur.

De major. obed. c.

STatuimus ut presbyteri primum locum, diaconi secundum, subdiaconi tertium; & sic de reliquis obtineant ordinatim, etiamsi posterius admittantur. Et qui major est ordine, etiamsi postea sit receptus, in portione percipienda esse volumus potiorem: ac minores facere servitia consueta.

XI. Ad eumdem.

Constitutio, futura respicit, & non præterita: nisi in ea de præteritis caveatur.

De const. c. 13.

QUoniam constitutio apostolicæ sedis omnes astringit, & nihil debet obscurum vel ambiguum

biguum continere : declaramus conſtitutionem, quam nuper ſuper præferendis in perceptione portionis majoribus, & conſuetis ſervitiis a minoribus exhibendis, edidimus : non ad præterita, ſed ad futura tantum extendi, cum leges & conſtitutiones futuris certum ſit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi : niſi nominatim in eis de præteritis caveatur.

XII. Ad Argentinenſem epiſcopum.

Si alter infidelium conjugum venit ad fidem, altero remanente in infidelitatis errore, communis proles aſſignatur converſo.

☞ Gregorius IX. Servus Servorum Dei venerabili fratri . . . . Argentinenſi Epiſcopo, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. (*a*)

Ex Cod. atic. 6198. traxit hannat & lgavit rthzeim onc. Germ. 3. pag. 6.

EX literis tuis accepimus perlatam fuiſſe ad Synodum tuam hujuſmodi quæſtionem. Quod quidam videlicet cæcitatis errore ad Chriſtum lumen verum, & viam veritatis adductus, uxore ſua in Judaiſmo relicta, in judicio poſtulavit inſtanter, ut eorum filius quadriennis aſſignaretur eidem, ad fidem Catholicam, quam ipſe ſuſceperat, perducendus : aſſerens, quod favore Religionis Chriſtianæ, & quia puer infra diſcretionis annos erat, potius ipſum & fidem ſuam, quam matrem & ejus errorem ſequi deberet. Ad quod illa reſpondit : quod cum puer adhuc infans exiſtat, propter quod magis materno indiget ſolatio, quam paterno, ſibique ante partum oneroſus, doloroſus in partu, ac poſt partum laborioſus fuiſſe noſcatur : ac ex hoc legitima conjunctio maris & fœminæ magis matrimonium, quam patrimonium nuncupetur ; dictus puer apud matrem convenientius remanere, quam apud patrem, ad fidem Chriſtianam de novo perductum tranſire debebat, aut ſaltim neutrius ſequi, prius quam ad legitimam ætatem perveniat. Hinc inde multis aliis allegatis : tu autem prædicto puero medio tempore in tua poteſtate retento, quid tibi faciendum ſit in hoc caſu, nos conſulere voluiſti : cum vero filius in patris poteſtate conſiſtat, cujus ſequitur familiam, & non matris, & in tali ætate quis non debeat apud illas remanere perſonas, de quibus poſſit eſſe ſuſpitio, quod ſaluti vel vitæ inſidiantur illius, & pueri poſt triennium apud patrem non ſuſpectum ali debeant & morari, mate que pueri, ſi eum remanere contigerit apud ipſam, facile illum poſſet adducere ad infidelitatis errorem, fraternitati tuæ, in favorem maxime Chriſtianæ fidei reſpondemus, patri eundem puerum aſſignandum.

XIII. Ad eumdem.

De præb. 35.

Pueri & alii ad beneficia inidonei.

SUper inordinata ordinatione. *Et infra* : Cum autem illi ſunt in eccleſiis idonei reputandi, qui ſervire poſſunt & volunt in ipſis : conſultationi tuæ taliter reſpondemus quod pueri & beneficiati qui non poſſunt in eadem eccleſia deſervire, in ea non debent idonei reputari.

XIV. Ad Aſtoricenſem epiſcopum.

Eccleſia non conſecrata, in qua Divina officia celebrantur, gaudet immunitate. De mun. eccl. c. 9.

ECcleſiæ in qua Divina myſteria celebrantur, licet adhuc non extiterit conſecrata, nullo jure privilegium immunitatis adimitur : quia obſequiis Divinis dicata, nullius eſt temerariis auſibus profananda.

XV. Ad eumdem.

Eccleſia polluta, per quem reconcilianda. De conſec. eccl. c. 9.

AQua per epiſcopum benedicta eccleſiam reconciliari poſſe per alium epiſcopum non negamus, per ſacerdotes ſimplices hoc fieri de cetero prohibentes. Non obſtante conſuetudine provinciæ Bracaren. quæ dicenda eſt potius corruptela, quia licet epiſcopus committere valeat quæ juriſdictionis exiſtunt ; quæ ordinis tamen epiſcopalis ſunt, non poteſt inferioris gradus clericis demandare. Quod autem mandantibus epiſcopis ſuper reconciliatione factum eſt hactenus per eoſdem, miſericorditer toleramus.

XVI. Ad eumdem.

Eccleſia etiam non conſecrata, ſi polluitur, reconcilianda eſt. Ibidem c. 20.

SI eccleſia non conſecrata cujuſcumque ſemine fuerit aut ſanguinis effuſione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne Divinæ laudis organa ſuſpendantur. Et tamen quam citius fieri poterit conſecranda.

XVII. Ad eumdem.

De iis qui communicant excommunicatis. De ſent. excomm. c. 55.

SI concubinæ publicæ clericorum, eccleſiaſticæ cenſuræ diſtrictione notentur, eoſdem concubinarios non eſt dubium ſententia majoris excommunicationis involvi, qui poſt latam ſententiam communicant in eodem crimine criminoſis.

XVIII. Ad Aſtoricenſ. & Lucenſ. epiſc.

Judæi vel pagani publicis officiis non præficiendi. De Judæis c. 18.

EX ſpeciali, quem erga illuſtrem regem Portugalliæ gerimus, caritatis affectu. *Et infra* : Mandamus, quatenus regem ipſum ſolicite inducatis, ne in officiis publicis Judæos Chriſtianis præficiat, ſicut in generali concilio continetur : & ſi forte reditus ſuos Judæis vendiderit vel paganis, Chriſtianum tunc deputet de gravaminibus inferendis, clericis & eccleſiis non ſuſpectum, per quem Judæi ſive Saraceni ſine Chriſtianorum injuria, jura regalia conſequantur.

XIX. Ad

(*a*) Hæc epiſtola mutilata affertur in ca. 24. de converſ. infidel. hic vero integra eſt incluſis intra anſulas iis quæ non leguntur in illa decretali. *Manſ.*

A

XIX. Ad decanum & magiſtrum P. canonicum S. Petri Atrebatenſis diœceſis.

De arbitris c. 12. *Non valet compromiſſum factum in duos, hoc adjecto, ut in caſu diſcordiæ eligatur tertius per eoſdem.*

INnotuit nobis Guillelmo laico conquerente, quod cum O. laicus ipſum ſuper quadam ſumma pecuniæ coram judicibus auctoritate apoſtolica conveniſſet, tandem fuit a partibus in duos arbitros compromiſſum: ſic tamen quod ſi illi duo ad invicem diſcordarent, tertium adderent judices nominati, retenta penes ſe compellendi partes ad obſervandum arbi- B trium per dictos arbitros promulgandum nihilo minus poteſtate. Cumque tertius arbiter a judicibus prædictis electus, cum altero duorum, ipſum parti alteri condemnaſſet: idem ex eo ſentiens a ſæpe dictis judicibus ſe gravari, quod ipſum ad obſervationem hujuſmodi arbitrii compellebant, noſtram appellavit audientiam. Sed ipſi appellatione contempta, excommunicationis tulerunt ſententiam in eumdem. Ideoque mandamus, quatenus ſi eſt ita, cum legali ſit proviſione ſtatutum, ut compromiſſum de incerta perſona in arbitrum aſſumenda non teneat, dictam excommunicationis ſententiam denuncietis penitus nullam eſſe.

XX. Ad Baranenſem archiepiſcopum.

Ordinatus extra tempora ſtatuta, poſt pœnitentiam miniſtret.

De temp. ord. c. 16. COnſultationi tuæ taliter reſpondetur, quod eos, qui extra tempora ſtatuta ſacros ordines receperunt, characterem non eſt dubium recepiſſe: quos pro tranſgreſſione hujuſmodi, primo eis pœnitentia impoſita competenti, ſuſtinere poteris in ſuſceptis ordinibus miniſtrare.

* Bararen. XXI. Ad Baren. * archiepiſc. Et fratrem Joſeph monachum Florent.

De colluſ. detteg. c. 5. *Abſolutio de criminibus per colluſionem facta, non impedit facultatem iterum accuſandi.*

IN tantum clamor, qui aſcendit contra Acheruntinum archiepiſcopum invaleſcit, quod diſſimulare ipſum ulterius ſine ſcandalo non valemus, nec ſine periculo tolerare. *Et infra:* Licet autem ſedes apoſtolica frequentibus clamoribus excitata, inquiſitionem quorumdam exceſſuum ſuorum duxerit committendam: propter tergiverſationes tamen ipſius, ut dicitur, eodem cum inquiſitoribus & examinatoribus colludente, necnon corruptis teſtibus & inquiſitoribus, ac examinatoribus ſupradictis, non ſolum prædicti exceſſus remanſerunt hactenus E incorrupti, verum etiam pejora prioribus committere non expavit. *Et infra:* Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus ſi de hujuſmodi colluſione ac corruptione conſtiterit: ex integro ſuper præmiſſis & aliis, alioquin ſuper novis duntaxat inquiratis, quæ videritis inquirenda.

XXII. Ad Beton. & Fungin. abbates.

Spirituale cum temporali permutari non poteſt. De rer. perm. c. 9.

EXhibita nobis abbatis & conventus S. Martini de Pannonia petitio, continebat quod cum ſuper cauſa, quæ inter ipſos ex una parte, & præpoſitum Albanen. ex altera, ſuper quibuſdam decimationibus vertebatur, ad C. capellanum noſtrum tunc in Hungaria commorantem, noſtras litteras impetraſſent: ipſe ac magiſter M. in quos utrinque tanquam in arbitros extitit compromiſſum, arbitrati fuerunt, quod ſi dictus præpoſitus obtineret decem millia ſolidorum regaB lium a rege Hungariæ concedi monaſterio memorato, ipſi ab earundem decimationum petitione ceſſarent. *Et infra*: Quocirca mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit de præmiſſis, cum permutatio de ſpiritualibus ad temporalia improbetur, prædictum arbitrium, & quicquid ſecutum eſt ex eo, vel ob id, irritum decernatis.

XXIII. Ad decanum & capitulum S. Joannis & S. Stephani Biſuntinenſ.

De controverſia ſuper electione archiepiſc. Biſuntini. De ele. & ele. pot. c. 12.

C CUm in veteri lege. *Et infra*: Porro jamdudum vobis dedimus in mandatis ut intra quadraginta dies poſt receptionem litterarum noſtrarum cum conſilio S. Benigni & Moriſmundi abbatum, & fratris S. de ordine Prædicatorum, eligeretis perſonam idoneam canonice in paſtorem: alioquin dicti conſiliarii vobis de archiepiſcopo providerent. Verum die ad eligendum præfixa, ſex ex vobis poteſtatem eligendi dediſtis, uſque ad conſumptionem cujuſdam candelæ, quæ ibidem accenſa extitit, duraturam. Tandem cum electores hujuſmodi conveniſſent in prædictum abbatem S. Benigni, & ſuper hoc ſociorum ejus conſilium requiſiſſent: proponente uno ex illis quod deliberato conſilio reſponderent, & differentibus eis feſtinanter dare reſponſum, præfati electores, D cum candela ipſa deficeret, non expectato ipſorum conſilio dictum abbatem in Biſuntinenſem archiepiſcopum elegerunt. *Et infra*: Relato ergo ad apoſtolicam ſedem negotio, archiepiſcopo Viennenſi & abbati de Firmitate injunximus, ut ſi conſtaret ab eiſdem electoribus de electione tractatum fuiſſe habitum, & in tractatu electionis * prædictorum conſilium requiſitum, electionem ipſius abbatis (ſi perſona eſſet idonea) confirmarent. Quod ſi in tractatu electionis non fuiſſet illorum conſilium requiſitum, licet poſtea requiſitum fuerit non competenti tempore, nec etiam expectatum reſponſum ipſorum, aut non eſſet idoneus idem abbas: quod de ipſo factum erat, tanquam invalidum irritarent. *Et* E *infra*: Cum autem compertum non fuerit, competenti tempore requiſitum conſilium de perſona idonea prædicti abbatis; & quando extitit requiſitum, non fuit expectatum reſponſum niſi modico tempore; nec debeat aliis imputari, quod in tantum illi ſibi tempus arctarant: electionem abbatis ipſius, non perſonæ ſed electionis vitio, duximus irritandam.

* *al.* electione

XXIV. Ad Bracarenſem Archiepiſc.

De exceſſ. Præl. c. 18.

Epiſcopus non ſervans interdictum, ſuſpenſus eſt ab officio, beneficio, juriſdictione.

TAnta eſt clavis Petri. *Et infra:* Ad confuſionem P. epiſcopi quondam Colubrien. non poteſt in memoriam non venire, quantum in nos & eccleſiam Romanam deliquerit, deſpexerit Petri claves, & eccleſiaſticam læſerit poteſtatem: cum non ſolum interdicti ſententiam, quam ſervaverat ab initio, temere violavit, verum etiam induxit alios, immo compulit non ſervare: & quos inducere monitis, & flectere minis ac terroribus ad violandam interdicti ſententiam nulla potuit ratione, poſt atroces injurias, amiſſionem bonorum, ſpoliationem parentum, dignitatibus, præbendis, & beneficiis ſpolians, coegit miſerabiliter exulare: ea ſuis in hac parte fautoribus non abſque præſumptione temeraria conferendo, quæ omnia idem epiſcopus in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia publice recognovit. Licet autem memoratus epiſcopus in manibus noſtris ſpontanea ceſſerit voluntate, nolentes tamen ut qui hujuſmodi ſententiam interdicti non ſunt veriti temeritate propria violare, ac recipere dignitates, præbendas, ac beneficia aliorum, qui abſque culpa & ſine cauſa rationabili eis fuerant ſpoliati, ſeveritatem effugiant canonicæ ultionis, ne facti perverſitas tranſeat præſumptoribus in exemplum: auctoritate Dei omnipotentis omnem inſtitutionem, collationem præbendarum, beneficiorum ac dignitatum, præſumptas per eundem epiſcopum, & excommunicationis ſeu interdicti ſententias, in quoſcumque hac occaſione prolatas ab eo poſt interdicti violationem ejuſdem, decernimus irritas & inanes. Quia vero ubi magis exceditur, ibi eſt ſeverius vindicandum: mandamus quatenus omnibus quos prædictus epiſcopus in ſupradicta beneficia, præbendas, & dignitates intruſit, non ſolum a beneficiis ipſis, præbendis, & dignitatibus, verum etiam ab aliis beneficiis, ſi qua obtinent, & eccleſiis prorſus amotis, tam præſumptores eoſdem, quam omnes alios qui præfatum interdictum damnabiliter violarunt, ſuſpendas auctoritate apoſtolica ab officio & beneficio. Illos quoque quos in perſonas & res prædictorum canonicorum, prælatorum, & clericorum, manus temerarias conſtiterit extendiſſe, ad noſtram compellas venire præſentiam, pro meritis ſententiam recepturos, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

XXV. Ad archiepiſcopum Burdegalenſem.

e dolo & ntum. c. 10.

De controverſia cum Bituricenſi archiepiſcopo ſuper jure primatus.

VEnerabilis frater noſter. *Et infra:* Volentes finem imponi litibus, ne immortales exiſtant: mandamus quatenus ad initium proxime venturæ quadrageſimæ, quod tibi peremptorium terminum duximus aſſignandum, ſuper jure primatiæ, quod Bituricenſis archiepiſcopus in te ac in provincia tua ſe habere proponit, per te, vel per procuratorem idoneum ſufficienter inſtructum, ad litem conteſtandam, & alia negotia peragenda quæ neceſſaria negotii deciſioni videbuntur, noſtro te conſpectui repræſentes. Nos vero nihilominus archidiacono Tranſvigenſ. & magiſtro M. canonico Turonenſi dedimus in mandatis, Aut & ipſi ad eumdem terminum auctoritate noſtra juxta præmiſſam formam te peremptorie citare procurent: & ſi non poteris inveniri, faciant, ut citationis edictum, per ipſos vel alios, apud eccleſiam tuam publice proponant.

XXVI. ad Cantuarienſem archiepiſ.

De procur c. 11.

Poteſt appellare procurator generalis, cui denegantur inducia ad conſulendum dominum legitime abſentem.

DIlectus filius magiſter L. rector eccleſiæ de Anna tranſmiſſa nobis petitione monſtravit, quod cum R. presbyter contra ipſum cauſa ſtudii Bononiæ commorantem ſuper eadem eccleſia ad judices noſtras litteras impetraſſet: earum auctoritate a judicibus ipſis eodem rectore citato, procurator generalis ipſius ad omnia ejus tractanda negotia, pro eo quod competentem terminum, intra quem rectorem ipſum conſuleret utrum deberet contendere vel cedere quæſtioni, ſibi concedere denegabant, pro eodem noſtram audientiam appellavit. Quocirca mandamus, quatenus ſi eſt ita, revocato in irritum, &c.

XXVII. Ad capitulum Catalaun.

Electio facta a majori parte capituli, non valet, niſi illa pars ſit ſanior.

De elect. & elect. pot. c. 57.

ECcleſia veſtra deſtituta paſtore convenientes in unum, abſente Guil. qui tunc noluit intereſſe, ad celebrandam electionem terminum ſtatuiſtis. Veniente vero termino, & Guil. dicto, cum abſens exiſteret, non vocato: præmiſſo juxta formam concilii * generalis ſcrutinio XIV. magiſtrum G. presbyterum cardinalem concanonicum veſtrum, & XVII. R. Remenſem canonicum elegerunt, præfato G. poſtmodum electioni ejuſdem R. ſuum præbente conſenſum. Tandem procuratoribus utriuſque partis in noſtra præſentia conſtitutis, allegabatur pro electione dicti R. quod cum in IV. excederet, aliam computato Guil. prædicto majorem capituli partem habebat, & per hoc debebat pars ſua ſanior reputari: cum ubi major numerus eſt, zelus melior præſumatur. Pars vero altera electionem eamdem multipliciter impugnabat, proponens prænominatum R. in ætate pati defectum, nec eſſe ſufficientis ſcientiæ ad eccleſiam ſupradictam, cum ætatis maturæ & eminentis ſcientiæ præfatus cardinalis exiſtat. Et cum electores cardinalis alios meritis & auctoritate præcellerent: habito præſertim reſpectu ad perſonam electam, meliorem zelum eos habuiſſe conſtabat. Dicebatur præterea quod conſenſus dicti Guil. quem pars ejuſdem R. confitebatur fuiſſe contemptum, aſſerente parte reliqua capitulum potius ab ipſo contemptum fuiſſe, cum non fuerit conſenſus præſtitus in ſcrutinio, ſed poſt electionem acceſſerit, adjicere nil valebat. *Et infra.* Denique ſtatutum gener. conc. quod electionem decernit invalidam, cum contra ejuſdem concilii formam in electione peccatur, non debet ad contemptum & alia quæ non ſunt de forma referri. Unde quod ibi dicitur, quod aliter electio celebrata non valeat, ea reſpicit tantum quæ attentantur contra formam concilii memorati: non autem alia quæ ponuntur ibidem, ſicut eſt iſtud quod præſentibus omnibus, qui debent, volunt, & poſſunt commode intereſſe, haberi debeat in electione proceſſus, ne cetera quæ ſuper hoc alibi ſtatuta noſcuntur, uno verbo videan-

* Later.

tur everti. Neque enim credendum est Roman. pontif. qui jura tuetur, quod alias excogitatum est multis vigiliis & inventum, uno verbo subvertere voluisse. Nos ergo quæ hinc inde fuere proposita plenius intellectis, cum ex Lateranensi concilio in ordinationibus ecclesiarum major & sanior pars capituli exigatur, & statutum generalis concilii contineat inter cetera, ut is eligatur, in quem omnes, vel major vel sanior pars consentit: electionem dicti R. non personæ, sed potius electionis vitio, cum major & sanior pars non consenserit in eumdem, de fratrum nostrorum consilio duximus sententialiter irritandam.

XXVIII. Ad Cenoman. episcopum.

De jurejur. c. 34. *De muliere quæ juravit aliquem esse maritum, nec aliter probavit.*

MUlieri, quæ in jure præstito juramento asseruit virum talem in ipsam per verba de præsenti matrimonialiter consensisse, probationes alias non habenti, viro ab ejus impetitione per sententiam absoluto, nec debes licentiam dare cum alio marrimonium contrahendi, ne auctor perjurii videaris: nec hoc ei dicimus prohibendum, ne forte, si falsum juraverit, matrimonium contingat legitimum impediri: sed suæ conscientiæ est potius relinquenda.

XXIX. Ad Cenoman. episcopum.

De sponsal. c. 30. *Sponsalia de futuro transeunt in matrimoniam per carnalem copulam.*

IS qui fidem dedit M. mulieri super matrimonio contrahendo, carnali copula subsecuta; etsi in facie ecclesiæ ducat aliam & cognoscat, ad primam redire tenetur: quia licet præsumptum primum matrimonium videatur, contra præsumptionem tamen hujusmodi non est probatio admittenda. Ex quo sequitur, quod nec verum nec aliquod censetur matrimonium, quod de facto est postmodum subsecutum.

* Cistrens. XXX. Ad episcopum * Cister. de Alde. & de Salen. abbates.

De accus. c. 27. *Ut inquirant de episcopo Frisigiensi denunciato de dilapidatione bonorum episcopatus.*

PRælatorum excessus. *Et infra*: Sane dilecti filii C. & quatuor alii canonici Frisigien. denunciando monstrarunt, quod Frisigiensis episcopus bona sui episcopatus (quem, ut dicunt, fuit minus canonice affectus) adeo graviter dilapidat & consumit, quod nisi celeriter adhibeatur remedium, episcopatus idem per eum ad irreparabile * dissolutionis opprobrium deducetur: nec solummodo rerum, verum etiam famæ suæ prodigus & salutis, vitam ducit enormiter dissolutam. *Et infra:* Discretioni vestræ mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum, inquiratis solicite veritatem: & eam fideliter conscribentes, sub sigillis vestris nobis transmittatis inclusam. Eidem episcopo terminum assignantes, quo nostro se conspectui repræsentet pro meritis recepturus. Potestate vendendi, dandi, infeudandi, seu quolibet modo alienandi bona ipsius ecclesiæ, interim eidem penitus interdicta.

* *al.* irrepabilis.

XXXI. Ad archiepisc. * Colocensem.

* Colocensem. De majo. & obed. c. 16. *Ecclesia erecta in cathedralem eximitur a jurisdictione archidiaconatus in quo est sita.*

CUm inferior superiorem solvere nequeat vel ligare, sed superior inferiorem liget regulariter & absolvat, & satis absonum videatur ut filius potestatem habeat in parentem: miramur, quod cum tu monasterium de Cheur. constitutum in Firmiensi archidiaconatu, tuæ diœcesis, ecclesiam erexeris cathedralem: archidiaconus Firmiensis, in tantam prorupit temeritatis audaciam, ut in episcopum ibi consecratum, & ecclesiam suam, jurisdictionem excercere præsumat. *Et infra:* Mandamus, quatenus præfato archidiacono, a cujus jurisdictione dictum episcopum denunciamus exemptum, id districte studeas inhibere. Proviso ut si ex hoc, archidiaconi Firmiensis jura læduntur: in diœcesi tua, ubi expedire videris, absque alieni juris præjudicio recompensationem illi facias congruentem.

XXXII. Ad abbatem Cluniacensem.

De ele. & ele. por. c. 51. *Per compositionem factam cum prælato & capitulo non potest jus eligendi competere laico, etiam patrono, in ecclesia collegiata.*

SAcrosancta Romana ecclesia, *Et infra:* Sane proposuisti in nostra præsentia, quod super ordinatione prioris monasterii S. Pancratii ad Cluniac. ecclesiam pertinentis cum comite de Varenna * patrono ipsius, quidam prædecessor tuus de consensu capituli sui compositionem quandam inivit juri contrariam, & ecclesiæ ipsi damnosam: videlicet ut in optione sit ipsius comitis assumere ad prioratum dicti monasterii (Cluniac. & de Caritate prioribus duntaxat exceptis) unum de duobus melioribus totius Cluniac. ordinis, quos abbas duxerit nominandos. *Et infra:* Attendentes itaque, quod jus eligendi in collegiata ecclesia non cadit in laicum, & ideo id esset pernicioſum exemplo, & redundaret in dispendium ecclesiasticæ libertatis: volumus ut dictum prioratum libere possis, non obstante compositione ipsa, sicut alios prioratus tibi subditos, ordinare, denunciando ordinationem factam patrono, ut suum, si voluerit, honestum impartiatur assensum.

* *al.* Varonia

XXXIII. Ad archipresbyterum civitatis novæ, & M. canonicum Culmen.

De lib. obl. c. 3. *Non tenetur reus respondere libello in actione personali, si non exprimitur causa petendi.*

DIlecti filii fratres ecclesiæ S. Mariæ de Hispida, sua nobis petitione monstrarunt, quod cum prior & conventus S. Mariæ ad carceres, ipsos super quadam pecuniæ summa coram priore S. Trinitatis Veron. authoritate apostolica convenissent: ex parte ipsorum fuit excipiendo propositum, quod cum dicti prior & conventus nollent exprimere in porrecto libello conventionali, quare sibi dicta pecunia deberetur, super hoc minime respondere tenebantur. Et quia dictus judex exceptionem hujusmodi admittere denegabat, nostram appellaverunt audientiam. Ideoque mandamus, quatenus si est ita, revocato in irritum, &c.

XXXIV.

XXXIV. Ad capitulum Cumanum.

Electio facta a non majori parte capituli, & omissa collatione, non valet.

CUmana ecclesia pastoris solatio destituta, & congregatis die ad celebrandam electionem præfixa, qui præsentes erant de Cumanis canonicis, ac tribus abbatibus, qui vocem in electione habere noscuntur, capellani & clerici civitatis electioni se debere interesse dicentes, sub hujusmodi protestatione admissi fuerunt, quod vox eorum, qui non debent interesse de jure vel de consuetudine, non valeret. Tandem præmisso juxta formam concilii * generalis scrutinio, VII. de canonicis, unus abbatum, sex capellani, & novem clerici in ejusdem ecclesiæ archipresbyterum convenerunt: novem canonicis, uno de abbatibus, uno capellano, & XI. clericis in ipsius ecclesiæ archidiaconum dirigentibus vota sua. *Et infra*: Cum decem & octo fuerint canonici, tres abbates, XX. clerici & XIV. capellani, neutram electionem comperimus ad majorem partem totius capituli pervenisse. Nec probatum fuerat quod clerici admitti debuerint, nec quod capellani admissi fuerint de consuetudine vel de jure. Nam etsi capellani duabus electionibus episcoporum interfuerint, & scrutatores dederint voluntatum: non tamen inquisita sua vota fuisse, vel ipse aliquos elegisse probatur. Sed & si inquisita fuissent vota, vel ipsi aliquos elegissent, per hoc tamen non constitit id eis de jure competere, vel ex consuetudine jam præscripta. Unde nos electiones ipsas præsumptas etiam contra formam concilii generalis, cum collatio omissa fuerit quæ post publicationem scrutinii fieri debuisset: de fratrum nostrorum consilio sententialiter duximus irritandas, electores hac vice eligendi potestate privantes.

XXXV. Ad Dunelmensem episcopum.

Privilegiatus, qui non tenetur respondere nisi in certo loco: si in alio loco respondere vel solvere promittit, ibi poterit conveniri, & etiam ubi habet domicilium.

DIlecti filii I. & A. cives Romani sua nobis petitione monstrarunt, quod cum abbati S. Genovefæ Parisiensis super quadam pecuniæ summa contra R. prædecessorem tuum litteras impetrassent, tu proponi fecisti quod omnibus Anglicis est a sede apostolica indultum, ut super causis pecuniariis citra mare conveniri non possint: propter quod idem abbas in negotio non processit. Verum quia etsi fuisset privilegium tale concessum, non tamen prodesset illis, qui se certo loco respondere, vel solvere adversariis promiserunt, cum ibi, & ubi domicilium habent, valeant conveniri: mandamus, quatenus eisdem de pecunia ipsa cum justis & moderatis expensis & congrua satisfactione damnorum, usuris omnino cessantibus, satisfacias ut teneris. Alioquin eidem abbati nostris damus litteris in mandatis, ut in commisso sibi negotio, proposita ex parte tua indulgentia non obstante, juxta prioris mandati nostri tenorem sine dispendio more procedat.

XXXVI. Ad Eboracensem archiepiscopum.

De patrono & præsentato.

TRansmissæ ad nos tuæ litteræ continebant, quod cum capitulum Eboracen. ecclesiam de Gameforde vacantem, in qua jus obtinent patronatus, R. clerico concessissent, ipsi postmodum L. clericum tibi ad eodem ecclesiam præsentarunt, post appellationem ab eodem R. ad sedem apostolicam interjectam. *Et infra*: Consultationi tuæ taliter respondetur: quod cum ex vi juris patronatus, non concessio, sed præsentatio pertineat ad patronum, præsentatum, si ei aliquid non obsistat canonicum, instituere in ipsa ecclesia poteris, utpote potiorem.

XXXVII. Ad Decanum & Sacristam Engolism.

Præbendarum numerus diminutus, cum non sufficiunt ecclesiæ facultates: non augendus, cum augentur eædem.

TRansmissæ nobis litteræ continebant, quod significantibus episcopo & capitulo Xanton. quod quadragenarius canonicorum numerus institutus in eorum ecclesia non poterat observari, pro eo, quia non sufficiebant ecclesiæ facultates: vobis dedimus in mandatis, ut canonicorum & præbendarum numerum juxta facultates ecclesiæ moderantes, statueretis eumdem firmiter observari. Vos vero inveniistis prædictæ ecclesiæ facultates a tempore statuti numeri adeo excrevisse, quod absque mutilatione præbendarum major haberi posset numerus in eadem. Quare quæsistis, an per moderationis verbum litteris nostris appositum, eumdem numerum augmentare, vel minuere deberetis. Quocirca mandamus, quatenus si veteres non sunt minutæ præbendæ, cum moderatio locum non habeat, ipsarum & canonicorum numerum dimittatis in eodem statu, in quo hactenus dignoscitur extitisse: in utilitatem ejusdem ecclesiæ convertentes augmentum suorum redituum, donec duxerimus aliter disponendum.

XXXVIII. Ad Priorem S. Thomæ Esculanen.

Canonica debetur præbendæ reditus, etsi non servaverit consuetudinem de aliquo temporali dando canonicis.

JAcobus canonicus Esculanus exposuit, quod cum ipse in ecclesia Aprutin. sit receptus in canonicum & in fratrem: canonici ejusdem ecclesiæ partem proventuum ac præbendam sibi assignare recusant, quandam consuetudinem prætendentes, quod prandium habere debeant a canonico recepto de novo. Quocirca mandamus, quatenus si est ita, dictos canonicos, tali consuetudine non obstante, sibi sicut uni ex aliis in proventibus & præbenda provideat, appellatione remota, compellas.

A

XXXIX. Ad Exonenſ. epiſcopum.

Vota quomodo eleemoſynis redimenda, vel in aliud commutanda.

De voto c. 31.

DE peregrinationis votis, an eleemoſynis redimi poſſint, vel pro neceſſitate in aliud commutari. Reſpondemus, quod ab ejus qui præſidet, pendet arbitrio, ut conſideret diligentius qualitatem perſonæ, & cauſam commutationis, ſcilicet an ex infirmitate, ſeu affluentia divitiarum, an alia cauſa probabili, peregrinatio, an recompenſatio melior fuerit, & Deo magis accepta: & ſecundum hoc debeat exinde diſpenſare.

B

XL. Ad Fratrem R.

De eo qui vivente uxore promiſit aliam ſe ducturum.

De eo qui duxit c. 8.

SI quis uxore vivente, fide data promiſit aliam ſe ducturum, vel cum ipſa de facto contraxit, ſi nec ante, nec poſt, legitima ejus ſuperſtite, cognovit eamdem: quamvis utrique ipſorum pro eo quod in hoc graviter deliquerint, ſit pœnitentia injungenda: non eſt tamen matrimonium quod cum ea contraxit, poſt uxoris obitum dirimendum. Ceterum tolerari non debet ſi prius, vel poſtea, dum vixerit uxor ipſius, illam adulterio polluiſſet.

C

XLI. Ad fratres Prædicatores & Minores.

Exhortentur populum ut eccleſiis jura debita perſolvat.

De decimis c. 1.

DIſcretioni veſtræ mandamus diſtrictius inhibentes, ne talia, quæ audientes a decimarum, ſeu aliarum rerum eccleſiis debitarum ſolutione retrahant, vel alias animas corrumpant audientium, in ſermonibus veſtris vel alibi proponere de cetero præſumatis: immo verbo & opere informetis eoſdem, ut ad ſolutionem prædictorum promptæ voluntatis animo ſint intenti.

D

XLII. Ad patriarcham Gradenſem.

Si metropolitanus a ſuffraganeo juramentum exigit ultra formam ſtatutam a canone: ſuffraganeus non tenetur.

De major. & ob. c. 13.

DIlecti filii archidiaconus & capitulum Caſtellanum ſuam ad nos querimoniam detulerunt, quod cum a Caſtellano epiſcopo exigeres juramentum præter formam canonicam, quam ceteri ſuffraganei metropolitanis ſuis conſuevere præſtare, iidem conſpicientes ex hoc eccleſiæ ſuæ præjudicium generari, ad ſedem apoſtolicam appellarunt. *Et infra*: Cum igitur non deceat alii te feciſſe quod ab alio tibi fieri nolles: mandamus, quatenus contentus forma canonica, quam nos a coepiſcopis noſtris, nobis immediate ſubjectis, recipimus, nil amplius a Caſtellano epiſcopo obtentu alicujus conſuetudinis exigas, prætextu præſtiti juramenti: ſciens nos eumdem epiſcopum ab hujuſmodi juramento, quo ad alios articulos abſolviſſe, vel denunciaſſe potius non teneri.

E

XLIII. Ad H. judicem.

De juramento dato a Judice.

JUramentum a te parti delatum, niſi juſta de cauſa, non potuit recuſari. Quamvis, quod in judicio a parte parti defertur, recuſari poſſit licite ac referri. Nec liceat convento famoſa actione referre hujuſmodi jusjurandum.

De jurejur. c. 36.

XLIV. Ad patriarcham Hieroſolymitanum.

Præſente legato de latere, minor legatus executionem officii dimittat.

De off. leg. c. 8.

VOlentes. *Et infra*: Fraternitati tuæ legationis officium in provincia tua duximus committendum: ita tamen, quod ſi legatum ad partes illas de latere noſtro contigerit deſtinari, executionem ipſius officii, quamdiu legatus ipſe ibi fuerit, pro ſedis apoſtolicæ reverentia omnino dimittas.

XLV. Ad I. tabellion.

De tabellionis mortui uotis a notario in publicam formam redigendis.

De fide inſtrum. c. 25.

CUm P. tabellio morte præventus quædam non perfecerit inſtrumenta, quæ in nota redacta fuerant ab eodem: ad petitionem eorum, ad quos pertinent, authoritate ordinarii judicis poteris ea fideliter in publicam formam redigere, habitura per hoc perpetuam firmitatem.

XLVI. Ad I. & I. canonicos Pragenſes.

Suſpenſus ignoranter celebrando non indiget diſpenſatione.

De cler. excom. c. 9.

APoſtolicæ ſedis. *Et infra*: Verum quia tempore ſuſpenſionis ignari celebraſtis Divina, vos reddit ignorantia probabilis excuſatos. Ceterum ſi forte ignorantia craſſa & ſupina, aut erronea fuerit, propter quod diſpenſationis gratia egeatis, eam vobis de benignitate apoſtolica indulgemus.

XLVII. Ad I. & M. Pragenſes canon.

Sententia ſuſpenſionis relaxata ad cautelam.

De excep. c. 9.

APoſtolicæ ſedis. *Et infra*: Sane vobis apud ſedem apoſtolicam conſtitutis, quædam ſuſpenſionis & amotionis a beneficiis ſententiæ ſunt in modum exceptionis objectæ. Quas licet proponeretis vos poſſe nullas eſſe per teſtes idoneos & inſtrumenta probare: ne tamen ordinationem Paganen. eccleſiæ propter quam veneratis, hujuſmodi objectionis obſtaculo contingeret retardari: ſententias ipſas relaxamus ad cautelam.

XLVIII. Ad Lemovicenſem archidiaconum & priorem S. Radegundis Pictavienſis.

De cauſa primatus inter Bituricenſem & Burdegalenſem archiepiſcopos.

De major. & ob. c. 17.

HUmilis doctrina magiſtri. *Et infra*: Mandamus, quatenus prælatorum Burdegalenſis provinciæ in ea præſentium, & cathedralium capi-

capitulorum ejuſdem, necnon & Bituricenſis capituli, ſuper proviſione quam inter Bituricenſem & Burdigalenſem archiepiſcopos in cauſa primatiæ duximis faciendam, requiratis aſſenſum : quo habito proviſionem noſtram ſolemniter publiceris. Si qui vero conſenſum præſtare noluerint, vos ſuperſedentes publicationi prædictæ diſtricte præcipiatis eiſdem, ut perſonaliter, ſi prælati fuerint, vel ſi alii, per procuratores idoneos, noſtro ſe conſpectui repræſentent, proſecuturi coram nobis jus, ſi quod habere contendunt, & ſatisfacturi parti alteri, ſi ſuccubuerint, in expenſis.

XLIX. Ad epiſcopum Lexovienſ.

De reo qui recedit a judicio, dimiſſo procuratore ſolummodo ad agendum.

CONſtitutis in præſentia noſtra H. priore Sagienſi, & T. laico, dilectum filium O. ſubdiaconum noſtrum ſuper cauſa, quæ inter ipſos ſuper quadam ſumma pecuniæ vertitur, conceſſimus auditorem. *Et infra* : Quia prior ſuper ipſa pecunia in qua dictus T. eum ſibi ſuæ uxoris nomine teneri dicebat, recepto libello illicentiatus receſſit, quemdam procuratorem dimittens ſolummodo ad agendum. Quem cum auditor ipſe per mandatum procuratorium ſibi datum ad defendendum priorem ſufficientem non viderit, eum ex hoc reputans contumacem, ipſo præfato T. in unam marcham ſterlingorum condemnavit, taxatione prælabita in expenſis. *Et infra* : Nos autem finem litibus imponere cupientes, & quod ab auditore præfato factum eſſe dignoſcitur approbantes, mandamus quatenus partibus convocatis, &c.

L. Ad decanum Linconienſem.

Excommunicationis exceptione non obſtante valet reſcriptum impetratum in cauſa appellationis.

DIlectæ in Chriſto filiæ prioriſſa & conventus de Campeſſia nobis ſignificare curarunt, quod cum inter ipſas ex una parte, & priorem & conventum de Buxelleja ex altera, ſuper quibuſdam decimis & rebus aliis, pro quibus conveniebantur ab illis coram abbate S. Benedicti & ejus collegis authoritate apoſtolica, quæſtio verteretur, & ipſæ ad nos ex ſufficienti gravamine appellaſſent, ac nuncium ſuum ad appellationem miſerint proſequendam : præfati judices poſtmodum tulerunt excommunicationis ſententiam in eaſdem. Noſtris ergo litteris ſuper appellatione præfata, non facta mentione de excommunicatione, per eumdem nuncium ad priorem de Angles & ſuos conjudices impetratis : pars adverſa ex eo ſe appellaſſe proponens, quod ipſi judices exceptionem excommunicationis prædictæ contra ipſas, ab eadem parte propoſitam, admittere denegarunt, ad priorem de Gernemoe & ſuos conjudices, noſtras ſuper hoc litteras impetravit. Coram quibus ex parte ipſarum fuit excipiendo propoſitum, quod cum poſt appellationem legitimam dicta ſententia lata fuerit, & cuilibet excommunicato defenſionis auxilium competere dignoſcatur, memorati judices exceptionem partis contrariæ, ſicut nec debebant, admittere noluerunt : ſed cum dictus prior de Gernemoe & conjudices ſui talem exceptionem non reciperent earumdem, ipſæ ad noſtram audientiam appellarunt. Quocirca mandamus, quatenus, ſi eſt ita, revocato in ſtatum debitum quicquid poſt hujuſmodi appell. inveneris attentatum, in eodem negotio juxta prioris mandati noſtri ad prætatum priorem de Gernemoe & conjudices ſuos directi tenorem, prævia ratione procedas.

LI. Ad majoris eccleſiæ & Chriſtianitatis decanum & archidiaconum Lincon.

De decimis novalium.

De privil. c. 31.

DUdum inter priorem & conventum de Butele * ex parte una, & prioriſſam & moniales de Campeſſe ex alia, ſuper decimis lite mota, *Et infra* : De conſilio fratrum noſtrorum decernimus, juri prædictorum prioris & conventus ſuper decimis novalium, in quarum erant poſſeſſione tempore illo, quo indulgentiæ apoſtolicæ impetratæ fuerunt, a parte altera de decimis novalium non ſolvendis, non debere per eas non facientes de hoc aliquam mentionem, præjudicium generari.

* *al.* de Buten

LII. Ad Londonien. archiepiſcopum.

Manus impoſitio in ordinatione presbyteri, vel diaconi, prætermiſſa, deinde ſuppleatur.

De ſacr. non iter. c. 3.

PResbyter & diaconus cum ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali, ritu ab apoſtolis introducto, recipiunt. Quod ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenus iterandum : ſed ſtatuto tempore ad hujuſmodi ordines conferendos, caute ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum. Suſpenſio * autem manuum debet fieri, cum oratio ſuper caput effunditur ordinandi.

* *al.* impoſitio, *ſed in pluribus & vetuſtioribus* ſuſpenſio.

LIII. Ad Lucan. epiſcopum.

De controverſia inter Piſanos & Lucanos.

De reſtit. ſpol. c. 19.

PIſanis ac Lucanis civibus per gravem diſcordiam, quam diu inter ſe habuerant, afflictis graviter & attritis. *Et infra* : P. ſubdiacono noſtro dedimus in mandatis, ut poſſeſſione, quam in quibuſdam caſtris conſtat Lucanam eccleſiam habuiſſe, ſibi prius plene ac libere, ſicut tempore motæ diſcordiæ habuerat, reſtituta, & ſuper ea, de qua dubietas oriretur, ſufficienti cautione recepta, quod juri coram nobis prædicti Piſani parerent, prolatas pro occupatione caſtrorum ipſorum in eos ſententias relaxaret. *Et infra* : Piſanis igitur aſſerentibus quod per te ſtabat, quo minus tibi juxta mandatum noſtrum fieret reſtitutio, & inſtanter petentibus ut dictas ſententias præfatus ſubdiaconus relaxaret : ipſe receptis cautionibus de parendo juſtitiæ coram nobis, ſententias relaxavit eaſdem. Propter quod tu reputans te gravatum, ad noſtram præſentiam acceſſiſti, impugnaturus proceſſum ſubdiaconi ſæpe dicti. *Et infra* : Porro duo in noſtro continebantur mandato : ut videlicet poſſeſſio, quam conſtabat Lucanam eccleſiam habuiſſe, tempore motæ diſcordiæ, prius reſtitueretur eidem : & ut ejuſdem poſſeſſionis reſtitutio fieret plene ac libere, ſicut eam habuerat tempore ſupradicto. Quorum primum ad factum, alterum vero referebatur ad modum. Unde licet, prout pars Piſanorum dicebat, in facto, mandati formam ſubdiaconus ipſe adimplere nequiverit, quia non po-

poterat facere tibi reſtitui poſſeſſionem caſtrorum, de qua non conſtabat eidem, nec etiam, ſecundum quod tu ipſe, dicebas, affictuum & penſionum poſſeſſio poterat tibi reſtitui, quia ea non fueras ſpoliatus : fuit tamen in modo peccatum, quia debuit facere, ut Piſani poſſeſſionem penſionum & affictuum, quam per eorum confeſſionem conſtabat te in caſtris prædictis habere, tibi dimitterent plene ac libere, ſicut eccleſia tua illam habuerat tempore motæ diſcordiæ. Quod quidem eſſe non poterat, niſi Piſani caſtra ipſa omnino dimitterent : quia illis detinentibus caſtra & munitiones caſtrorum, in quibus dictas penſiones recipis & affictus, ea plene ac libere habere non poſſes, ſicut habebas quando ipſi caſtra eadem minime detinebant : eo quod quamdiu ea detinent, in eorum poteſtate relinquitur te non admittere vel repellere quando velint. His ergo diligenter auditis, proceſſum hujuſmodi de fratrum noſtrorum conſilio irritum judicamus.

LIV. ad præpoſitum S. M. Magdeburg. & decanum Miſnen.

De prob. c. 15. *Acta quæ coram primis judicibus facta ſunt, fidem faciunt coram ſecundis.*

CUm bonæ memoriæ. *Et infra* : Cum acta originalia dicantur apud priores judices remanſiſſe : mandamus quatenus ea cum omni diligentia requirentes, ipſa ſi potuerint inveniri : & ſi qua parte duxerint legitime proponenda, in ſcriptis redacta ad noſtram præſentiam remittatis. Alioquin cum non revocetur in dubium de conteſtatione litis ſuper ſtatu Pigam. monaſterii, & quibuſdam ſpoliationibus contra abbatem ejus factis a Masburgenſi epiſcopo : recipiatis partium probationes de novo, & audientes, ſi partes audire voluerint, de compoſitione tractatum, tam quod ſuper hoc inveneritis, quam cauſam ſufficienter inſtructam, ad nos remittere procuretis.

LV. Ad magiſtrum A. de Mandeforde.

De voto c. 3. *Propoſitum ingrediendi religionem, non obligans.*

LItteraturam tuam. *Et infra* : Cum ex quadam minutione, nimio fuiſſes mortis pavore perterritus, hæc verba protuliſti : non diu hic morabor : proponens in animo, quod religionis habitum eſſes aliquando ſuſcepturus. *Et infra* : Tibi igitur reſpondemus, quod ſi plus non eſt in voto proceſſum, tranſgreſſor judicari non poteris, ſi non impleas quod dixiſti.

LVI. Ad capitulum Maſſan.

De ele. & elec. pot. c. 56. *Electio pontificis non fiat per laicos cum canonicis.*

MAſſana * eccleſia paſtore vacante. *Et infra* : Edicto perpetuo prohibemus, ne per laicos cum canonicis, pontificis electio præſumatur. Quæ ſi forte præſumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem. Non obſtante contraria conſuetudine, quæ dici debet potius corruptela.

* *al.* Meſſana

LVII. Ad Mediolanenſem archiepiſcopum.

Laici ne prædicent.

De hæret. c. 14.

SIcut in uno corpore. *Et infra* : Cum igitur nonnulli laici prædicare præſumant, & verendum nimis exiſtat ne vitia ſub ſpecie virtutum ſubintrent : nos attendentes quod doctorum ordo eſt in eccleſia Dei quaſi præcipuus, mandamus quatenus, cum alios Dominus apoſtolos dederit, alios prophetas, alios vero doctores, interdicas laicis univerſis, cujuſcumque ordinis cenſeantur, uſurpare officium prædicandi.

LVIII. Ad magiſtrum ſcholarium H. & G. de Rupe canonicos S. Audomari Morinenſis diœceſis.

De appell. c. 67. *Si is, qui deſiit eſſe tutor, nomine pupilli convenitur invitus, poterit appellare.*

EX parte M. dominæ de Colb. * nobis fuit oblata querela, quod cum nobilis mulier domina de Bellebron. * ſuper quibuſdam terris ipſam nomine filiorum ſuorum coram judicibus authoritate noſtra traxiſſet in cauſam, eadem in judicum ipſorum excipi fecit præſentia : quod cum res, de quibus in judicio agebatur, & prædicti filii ejus ſub poteſtate & tutela ipſius minime permanerent, cum jam ad ſecunda vota tranſiſſet, ſuper his ei non tenebatur, ipſorum nomine, quorum tutrix eſſe deſierat, reſpondere. Sed quia dicti judices hac exceptione neglecta, nihilo minus ad hoc compellebant eamdem, ipſa ſentiens ſe gravari, noſtram audientiam appellavit. Ideoque mandamus, quatenus, ſi ita eſt, revocato in irritum quicquid poſt appellationem hujuſmodi inveneritis attentatum, audiatis hinc inde propoſita, &c.

* *al.* Colſter.

* *al.* Brevion.

LIX. Ad magiſt. & fratres domus Morien.

Ibidem c. 68. *Judex qui ſe relaturum pollicetur, conſultationis exemplum edat partibus.*

INtimaſti. *Et infra* : Præterea hoſpitalariis ignorantibus, & non facta eis copia de inquiſitionis proceſſu, ad nos relationem tranſmiſiſſe noſcuntur : cum juxta legitimas ſanctiones, quoties relaturum ſe judex quilibet pollicetur, illico litigatoribus apud acta conſultationis exemplum edere teneatur.

LX. Ad epiſcopum N.

De ſepult. c. 14. *Excommunicatus, qui fuit abſolutus in morte, in cœmeterio ſepeliatur, & hæredes ſatisfaciant.*

EPArochiano tuo, qui excommunicatus pro manifeſtis exceſſibus, videlicet homicidio, incendio, violenta manuum injectione in perſonas eccleſiaſticas, eccleſiarum violatione, vel inceſtu fuit, dum ageret in extremis per presbyterum ſuum juxta formam eccleſiæ abſolutus, non debent cœmeterium & alia eccleſiæ ſuffragia denegari. Sed ejus hæredes & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipſius, ut pro eodem ſatisfaciant, cenſura ſunt eccleſiaſtica compellendi.

LXI. Ad Neapolitanum archiepiſcopum.

De ſer. non ord. c. 8.

Natus ex ſervo & libera liber eſt, & licite promovetur.

DIlectus filius G. diaconus propoſuit: quod I. miles ea occaſione quod patrem ipſius hominem ſuum eſſe proponit, licet mater ſua, cujus debet imitari conditionem, libera eſſe noſcatur, ne promoveatur in presbyterum impedire præſumit. Quocirca mandamus, quatenus, ſi tibi conſtiterit de præmiſſis, eumdem militem ab hujuſmodi impedimento ceſſare compeſcas.

LXII. Ad Noviomenſ. epiſcopum.

De teſtam. c. 17.

Executores teſtamenti ad exequendas pias voluntates compellantur.

TUa nobis fraternitas intimavit, quod nonnulli tam religioſi, quam clerici ſæculares, & laici, pecuniam & alia bona, quæ per manus eorum ex teſtamentis decedentium debent in uſus pios expendi, non dubitant aliis uſibus applicare. Cum igitur in omnibus piis voluntatibus ſit per locorum epiſcopos providendum, ut ſecundum defuncti voluntatem univerſa procedant, licet etiam a teſtatoribus id contingeret interdici: mandamus, quatenus executores teſtamentorum hujuſmodi, ut bona ipſa fideliter & plenarie in uſus prædictos expendant, monitione præmiſſa compellas.

LXIII. Ad Norvicenſem epiſcopum.

De voto c. 1.

De eo, qui in puerili ætate vovit.

VEnientis ad nos R. narratione accepimus, quod in puerili ætate conſtitutus, Hieroſolymam diſpoſuit proficiſci: cuidam quoque, qui ſepulcrum Dominicum propoſuerat viſitare, fidem dedit, & ſuam recepit ab eo, quod ſibi invicem in via ſocii fideles exiſterent. *Et infra*: Nos autem ipſum a voto quod in ætate tenera, facilitate potius, quam ex arbitrio diſcretionis, promiſit, abſolvimus: ita tamen, quod idem votum eleemoſynis redimat, & juxta conſilium noſtrum * toto vitæ ſuæ tempore uni pauperum Chriſti, dummodo ad hoc facultates ſuæ ſufficiant, debeat providere.

* *al.* veſtrum

LXIV. Ad fratrem Palmerium canonicum ſanctæ Trinitatis.

De foro comp. c. 16.

De laicis uſurpantibus jura eccleſiaſtica.

COnqueſtus eſt nobis Bononienſis epiſcopus, quod poteſtas & commune Bononienſe temporalem juriſdictionem, quæ in quibuſdam caſtris & villis, eccleſiæ Bononienſis competit pleno jure: & in cujus quaſi poſſeſſione fuiſſe ac eſſe dignoſcitur, per violentiam uſurpare præſumunt. *Et infra*: Cum autem valde ſit iniquum, ea, quæ collata ſunt pro remedio peccatorum venerabilibus eccleſiis, vel relicta, aut eis juſtis modis aliis acquiſita, aliis uſibus applicari, propter quod merito invaſores ipſarum rerum, tanquam ſacrilegi, ſunt anathemati uſque ad ſatisfactionem congruam ſupponendi. *Et infra*: Mandamus, quatenus, ſi tibi conſtiterit de præmiſſis, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam ceſſare ipſos ab hujuſmodi, & ſatisfacere de præteritis damnis & injuriis, appellatione remota compellas.

LXV. Ad epiſcopum Pictavienſem.

Affinitas ſuperveniens non diſſolvit matrimonium.

De eo qui cog. c. 11.

JOrdanæ mulieris petitio continebat, quod I. laicus cum ipſa, quæ nondum decimum ætatis ſuæ annum compleverat, per verba de futuro contraxit, & ea intra anni ſpatium carnaliter cognita, matrem ipſius ſibi matrimonialiter copulare, & ad damnatæ commixtionis amplexus procedere, non expavit. *Et infra*: Quare præfata I. ſupplicavit, ut cum carnis ſtimulis reſiſtere nequeat, ſibi (ne jure ſuo ſine propria culpa fraudetur) providere ſalubriter dignaremur. Eapropter mandamus, quatenus, ſi res ita ſe habet, utrumque ipſorum ad vovendam perpetuam continentiam attente moneas & inducas: & ſi ad eam induci nequiverint, memoratum I. injuncta ei primitus pro commiſſo inceſtu pœnitentia competenti, ut eidem cohabitet, & conjugale debitum reddat exactus, eccleſiaſtica cenſura compellas.

LXVI. Ad I. Monialem monaſterii de Plauda. *

* Plonca. *al.* Plonta

Conjux quæ conſentiente viro continentiam promittit, & religionem profitetur, repeti ab eo non poteſt.

De converſ. conjug. c. 20.

DUdum a C. laico mota contra te, quam uxorem ſuam dicebat, materia quæſtionis, R. ſanctæ Mariæ in Coſmedim diac. cardin. dedimus auditorem: coram quo dictus C. conquerendo proponens quod indebite recuſabas eidem, cujus uxor eras per conſenſum de præſenti & carnis copulam ſubſecutam, matrimonialiter adhærere, te ſibi reſtitui poſtulavit. Ad quod fuit reſponſum, quod ipſe pro animæ ſuæ remedio, pura & ſpontanea voluntate, præſentibus duobus religioſis ſacerdotibus, & adhibitis quinque teſtibus fide dignis, omni juri quod in te habuerat, renunciavit omnino, reſignando illud in manibus alterius ex ſacerdotibus ſupradictis, qui in perſonam eccleſiæ reſignationem hujuſmodi recipere procuravit: & quod idem C. ſe caſtitatem ſervaturum promiſit, pauperumque hoſpitalis de Ponte obſequio ſe devovit, promittens voto ſolemni omnia & ſingula ſupradicta, & tribuens tibi licentiam ad monaſterium tranſeundi: te verſa vice ſimiliter promittente ac tribuente illi licentiam, & jus quodlibet reſignante, ſicut hæc omnia dicebantur per publicum inſtrumentum eſſe probata manu B. notarii Aretinenſis confectum. Verum prænominatus C. propoſuit, quod caſu amiſſo inſtrumento præfato, illud in prima perſona, quod prius erat in tertia, inſertis pluribus in uno, aliter quam in alio fuit ab ipſo formatum: & cum tibi iratus fuiſſet, ſicut verba & verbera indicabant, nondum calore iracundiæ quieſcente, quidam ipſum deceptorie allexerunt, proponentes eidem, quod in hoſpitali prædicto cibis ad libitum poſſet uti, ac proprium retinere, præfato B. ſibi nihilo minus promittente, quod non ſolum ardorem, ſed etiam appetitum libidinis extingueret in eodem. Propter quod quicquid in hac parte feciſſe dignoſcitur: iratus, ſe-

seductus pariter & illectus, & sub spe promissionis, ac sub ea conditione vel modo, si posset continentiam observare, asseruit a se * factum. Sed ad ista respondebatur e contra, quod tabellio in tertia persona instrumentum conficiat, vel in prima (dummodo non mutetur substantia veritatis) nihil interesse videtur. Insuper quamvis aliquando spes memorato C. data fuisset, per quam ad hoc se proposuit inductum, eo tamen tempore quo talia facta fuerunt, pure, simpliciter, & voluntarie, pro amore Dei, & remedio animæ suæ, solummodo ad votum & ad alia supradicta noscitur processisse: propter quod a consortio sæcularium hominum debet discedere, vitamque mutare, cum se illius ætatis esse proponat, ut sine suspicione incontinentiæ non valeat in sæculo remanere. Nos itaque habito fratrum nostrorum consilio, te ab impetitione dicti C. sententialiter duximus absolvendam, perpetuum illi super hoc silentium imponentes.

* *al.* asseruit esse factum.

LXVII. Ad priorem S. Bartholomæi, & decano de Arcubus London.

De fid. instr. c. 12.

De judice, qui parti petenti non facit edi communia instrumenta.

GPerpetuus vicarius ecclesiæ de Recham nobis exposuit, quod cum prior & conventus de Ledis eum super decimis coram judicibus authoritate apostolica convenissent, & dictus G. super similibus coram ipsis reconvenisset eosdem, quia dicti judices copiam quorumdam instrumentorum communium, quæ habebat pars altera; & per quæ intendebat intentionem suam super principali fundare, fieri non faciebant eidem hoc cum instantia postulanti: nostram audientiam appellavit. Ideoque mandamus, quatenus si est ita, revocato in statum debitum, &c.

LXVIII. Ad priorem fratrum Prædicatorum & archidiacon. Rhegin.

De major. & ob. c. 14.

Vacante episcopatu, capitulum confirmet electiones.

CUm olim causa. *Et infra*: Quocirca mandamus, quatenus licet conventus monasterii S. Salvatoris Messanensis sint ipso jure hac vice eligendi potestate privati: de gratia tamen eligendi seu postulandi detis ipsis authoritate nostra liberam facultatem: mandantes eisdem, ut cum ecclesia Messan. vacet ad præsens, electionem suam confirmandam, prout de jure fuerit, vel etiam infirmandam præsentent capitulo Messanens.

LXIX. Ad fratrem R.

De usur. c. 19.

Qui sint usurarii, qui non.

NAviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscepit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. Ille quoque qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur: quæ licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur: non debet ex hoc usurarius reputari. Ratione hujus dubii etiam excusatur qui pannos, granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, ut amplius quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen ea, tempore contractus, non fuerat venditurus.

LXX. Ad Remensem archiepiscopum & suffraganeos suos.

De hæret. c. 1.

Propter hæresin clericum degradare possit solus ejus episcopus.

QUoniam episcoporum numerus ad degradationem clericorum a canonibus constitutus, non potest de facili convenire: concedimus, ut sacerdotem vel alium clericum in sacris ordinibus constitutum (cum pro hæresi fuerit curiæ sæculari relinquendus aut perpetuo immurandus) convocatis abbatibus, aliisque prælatis & religiosis personis, ac litteratis suæ diœcesis, de quibus expedire videbitur, suus solus possit episcopus degradare.

LXXI. Ad archiepiscopum & priorem S. Mariæ Rothomagensis.

De accusat. c. 26.

Committit iis monasterium reformandum.

OLim I. V. & P. ordinis Tironensis. *Et infra*: Ne igitur reformatio monasterii valeat retardari: mandamus, quatenus relaxatis excommunicationum seu suspensionum sententiis, si quas idem abbas protulit, vel per quoscumque judices promulgari fecit, post inceptum negotium in eos, & adhærentes eisdem, ac eis restitutis, quos idem abbas, negotio pendente contra justitiam spoliavit: in negotio, de plano & absque judiciorum strepitu procedentes, cum talibus maxime in hoc casu non deceat Dei servos involvi, inquiratis quæ circa personas & observantias regulares videritis inquirenda, corrigentes & reformantes tam in capite quam in membris, quæ correctionis & reformationis officio noveritis indigere: juramentis si qua de tacenda veritate abbas extorserit, relaxatis, proviso ut negotio ipso pendente præfati monachi eidem abbati obediant & intendant, ita tamen quod per hoc prosecutio negotii non valeat impediri. Si vero testes contra eumdem abbatem producti fuerint, dictorum ipsorum copiam ei dari faciatis. Prædictis autem monachis expensas factas propter hoc, & tribus vel quatuor ex istis, vel aliis quos idoneos ad dictum negotium prosequendum duxeritis assumendos, faciatis de bonis ejusdem monasterii: & faciendas expensas ad prosecutionem ipsius negotii necessarias, computatis, si qua propter hoc receperunt de bonis monasterii, cum proprium non habeant, ministrari. Contradictores, &c.

LXXII. Ad episcopum Silvanectensem.

De ele. & ele. pot. c. 53.

Si major pars capituli eligit indignum, valet electio de digno a minori parte etiam ex eodem scrutinio facta.

COngregato Nivernensi capitulo ad electionem futuri pastoris, XIII. in decanum, & XVIII. computato procuratore cujusdam absentis, in cantorem ipsius ecclesiæ convenerunt: qui cum plures in eum, & pauciores in alium sua desideria direxissent, a parte sua electus extitit

in

in paſtorem eccleſiæ Nivernen. poſtmodum credente parte decani quod alii plurimum deliquiſſent eligendo perſonam ſcientiæ litteralis expertem, propter quod illis ſecundum ſtatuta Lateranenſis concilii ipſo jure eligendi poteſtate privatis, poteſtas eligendi ad eos extitit devoluta: decanum ipſum, qui in eum ſua vota direxerant, in ſuum epiſcopum elegerunt, ad ſedem apoſtolicam appellantes. *Et infra:* Reliquis petentibus ut irritare decani electionem attentatam a paucioribus, & poſt aliam non caſſatam, ac confirmare reliquam veluti canonice celebratam a pluribus de perſona idonea dignaremur. Nos igitur mandamus, quatenus ſi dictus cantor defectum in litteratura non patitur, & alias eſt idoneus ad regimen paſtorale, ipſius electionem procures authoritate noſtra, infirmata reliqua, confirmare. Alioquin ipſius cantoris electione irrita, prænominatum decanum, ſi nihil ei de canonicis obſiſteret ſtatutis, eadem authoritate præficias eccleſiæ memoratæ.

LXXIII. Ad epiſcopum Suan.

De offic. ord. c. 19. *Papa mandans ordinario, ut corrigat clericos, non dat ei juriſdictionem ſuper exemptos.*

GRave gerimus, quod cum in eccleſiam S. Mariæ de Orbicello, & quaſdam alias exiſtentes in tua diœceſi ad monaſterium S. Anaſtaſii de Urbe ſpectantes nullam juriſdictionem habeas ordinariam, aut etiam delegatam occaſione litterarum noſtrarum, quas ſuper correctione clericorum tibi tranſmiſimus: in eas interdicti, ac in clericos earumdem ſuſpenſionis ſententias promulgaſti: quamquam abbas ejuſdem monaſterii eos corrigere ſit paratus. *Et infra:* Mandamus, quatenus ſi eſt ita, prudenter corrigens per te ipſum quæ minus provide attentaſti, prædictas ſententias ſine difficultate relaxes.

LXXIV. Ad abbat. Trecenſem.

De foro comp. c. 18. *Clericus non poteſt juriſdictionem non ſui judicis prorogare, niſi epiſcopus conſentiat, & judex ille ſit eccleſiaſticus.*

SIgnificaſti nobis, quod P. clericus ad petitionem C. mercatoris ſe tuæ juriſdictioni ſubjecit, ſi in termino nunc elapſo de pecunia mutuata non ſatisfeciſſet eidem. *Et infra:* Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd licet privatorum conſenſus eum, qui juriſdictioni præeſſe dignoſcitur, ſuum poſſit judicem conſtituere: clerici tamen in judicem non ſuum, niſi forte ſit perſona eccleſiaſtica, & epiſcopi diœceſani voluntas accedat, conſentire non poſſunt.

LXXV. Ad decanum & I. canonicum Tullenſ.

De ſolut. c. 3. *De clericis qui non habent unde ſatisfaciant creditoribus.*

al. Cdardus. ODoardus * clericus propoſuit, quod cum P. clericus, D. laicus, & quidam alii ipſum coram officiali archidiaconi Remenſis ſuper quibuſdam debitis conveniſſent: idem in eum recognoſcentem hujuſmodi debita, ſed propter rerum inopiam ſolvere non valentem, excommunicationis ſententiam promulgavit. *Et infra:* Mandamus, quatenus, ſi conſtiterit quod prædictus O. in totum vel pro parte non poſſit ſolvere debita ſupradicta, ſententiam ipſam ſine difficultate A qualibet relaxetis, recepta prius ab ipſo idonea cautione, ut ſi ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta * perſolvat. * præſcripte

LXXVI. Ad archiepiſcopum & magiſtrum R. Turonenſ.

Pro unius præbendæ integratione, alia dividi non debet.

CUm cauſam, quæ inter Aurelianenſem epiſcopum, & I. de Bleſis canonicum ſanctæ crucis, ſuper integratione præbendæ ipſius canonici vertebatur, vobis duxerimus committendam. *Et infra:* Conſultationi tuæ taliter reſpondemus: B Quod noſtræ intentionis non exiſtit, ut pro integratione præbendæ ſupradicti canonici præfenda de novo aliqua ſcinderetur. Ue præb c. 36.

LXXVII. Ad archiepiſc. & G. canonicum Turonen.

De appellatione. De app. c. 69.

SIgnificante Aurelian. epiſcopo nos noveritis accepiſſe, quod cum decanus & capitulum Magdunenſe, ipſum, ſuper eo quod dicebant alibi quam in ſtallis decani & capituli prædictorum carnifices carnes vendere non debere, coram judicibus authoritate apoſtolica conveniſſent, C petentibus tandem decano & capitulo nominatis judicum officium implorando, ut cum idem epiſcopus poſt citationem carnes in ſtallis aliis vendi feciſſet, quod per eum ſuper hoc factum fuerat in ſtatum priſtinum revocarent: pro parte ipſius fuit propoſitum, quod eum lis præſertim non fuiſſet ſuper negotio conteſtata, locum imploratio hujuſmodi non habebat: adjiciens quod cum de conſenſu partium coram dictis judicibus, ad litigandum ſuper ipſo negotio certus dies ſtatutus fuiſſet, & quantum ad eam diem ſolutum fuiſſet judicium eorundem, prævenire diem ipſum ac audire partem adverſam in tali imploratione, abſque conſenſu partium, non debebant. Et quia ſuper his non audiebant eumdem, noſtram D audientiam appellavit. Et licet procuratorem ſuum intra annum ad hujuſmodi appellationem miſerit proſequendam; quia tamen dictus procurator, ut creditur, circumventus, contra inhibitionem ipſius epiſcopi noſtras ſuper hoc ad quoſdam judices certa ratione ſuſpectos litteras impetravit: dictus epiſcopus uti noluit litteris ſic obtentis, petens non obſtante lapſu anni ad proſecutionem appellationis admitti. Ideoque mandamus, quatenus ſi de inhibitione hujuſmodi, & præmiſſis cauſis appellationis, vel earum altera conſtiterit, revocato in irritum, &c. ubique ad attentatum in jam dicto negotio juxta priorum continentiam litterarum, &c.

LXXVIII. Ad Tolet. & Compoſtel. archiepiſcopos.

E

Qui ſub ſpe immunitatis in eccleſiis vel cœmeteriis delinquunt, immunitate non gaudeant. De immun. eccl. c. 10.

IMmunitatem eccleſiaſticam. *Et infra:* Nonnulli impunitatem ſuorum exceſſuum per defenſionem eccleſiæ obtinere ſperantes, homicidia & mutilationes membrorum in ipſis eccleſiis, vel earum cœmeteriis committere non verentur: qui, niſi per eccleſiam ad quam fugerint, crederent ſe defendi, nullatenus fuerant commiſſuri. *Et*

infra: Cum autem in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat; & frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem: mandamus quatenus publice nuncietis, tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt se indignos.

LXXIX. Ad B. judicem Viterbiensem.

De confes. c. 3. *De confessione facta in jure per errorem facti.*

EX parte abbatis & conventus monasterii S. M. fuit propositum, quod cum inter ipsos ex parte una, & V. nomine suæ uxoris ex altera, coram te quæstio verteretur, œconomus monasterii memorati quædam per errorem facti fuit in jure confessus, ex quibus timet sibi præjudicium generari. Cum igitur negotio nondum finito, nemini noceat error facti: mandamus, quatenus, si de hujusmodi potuerit errore docere, provideas, ut nullum sibi super hoc præjudicium generetur.

LXXX. Ad nobilem virum * Ubaldum civem Pisanum.

* Umbaldum

De procur. c. 10. *In causa matrimoniali constituens procuratorem gaudeat plena libertate.*

ACcedens ad apostolicam sedem. *Et infra:* Mandamus, quatenus D. nobilem mulierem, quæ sub tua potestate tenetur, plenæ restituas libertati, faciens ipsam ad castrum de Massa Lucanæ diœcesis secure perduci: ut existens ibidem libera, procuratorem libere ordinare valeat, qui suam coram nobis justitiam prosequatur. Tu ergo super sponsalibus, quæ inter natam tuam & filium ejusdem nobilis contracta proponuntur, procuratorem idoneum ad præsentiam nostram mittas, qui ad agendum & respondendum plenariam habeat potestatem.

LXXXI. Ad universos ecclesiarum prælatos.

De excess. præl. c. 16. *XV. Gravamina illata religiosis, a quibus præcipit prælatos abstinere.*

NImis iniqua. *Et infra:* Cum religiosi viri abnegantes salubriter semetipsos, elegerint in paupertate Christo pauperi ad placitum famulari, tanquam nihil habentes & omnia possidentes: non desunt plerique, tam ecclesiarum prælati, quam alii, qui cæca cupiditate seducti, propriæ aviditati subtrahi reputantes quicquid prædictis fidelium pietas elargitur, quietem ipsorum inquietent multipliciter inquietant *. Volunt namque contra regulam a sede apostolica approbatam, & sui ordinis instituta, ipsis invitis eorum confessiones audire, ac eis injungere pœnitentias, & Eucharistiam exhibere: nec volunt, ut corpus Christi in eorum oratoriis reservetur: & fratres ipsorum defunctos apud ecclesias suas compellunt sepeliri, & eorum exequias celebrari: & quis decedentium fratrum alibi quam in suis ecclesiis eligat sepulturam, funus primo ad ecclesias suas deferri cogunt, ut oblatio suis usibus cedat. Nec sustinentes eos habere campanam vel cœmeterium benedictum, certis tantum temporibus permittunt ipsos celebrare Divina. Volunt quoque in domibus eorumdem certum numerum fratrum, sacerdotum, clericorum, & laicorum, necnon cereorum, lampadarum, & ornamentorum, pro voluntate sua taxare, ac residuum cereorum, quando noviter apponuntur, exigunt ab eisdem. Nec permittunt quod * novi sacerdotes eorum alibi quam in ecclesiis suis celebrent primas Missas, eos nihilominus compellentes, ut in quotidianis Missis, quas in suis locis & altaribus celebrant, oblationes ad opus eorum recipiant & reservent. Quicquid etiam eis, dum celebrant Missarum solemnia, intra domorum suarum ambitum pia fidelium devotione donatur, ab ipsis extorquere oblationis nomine contendentes: quod eisdem tam in ornamentis altaris, quam in libris ecclesiasticis absolute confertur, vindicant perperam juri suo. Quocirca mandamus, quatenus universi & singuli a prænotatis gravaminibus desistatis, subditos vestros ab hujusmodi arctius compescendo.

* ut

LXXXII. Ad universos ecclesiarum prælatos.

De excess. præl. c. 17. *Gravamina Prædicatorum & Minorum, a quibus præcipit prælatos abstinere.*

NImis prava. *Et infra:* Cum quidam viri religiosi ut puta fratres Prædicatores, & Minores, quorum ordinem & regulam sedes apostolica noscitur approbasse, in arctissima paupertate Christo pauperi famulentur: plerique prælati & alii eos ad synodos suas cogunt accedere, ac suis constitutionibus subjacere. Nec his contenti, capitula & scrutinia in locis fratrum pro his corrigendis facturos se comminantur, fidelitatem juramento firmatam ab eorum ministris & custodibus exigentes: eis quoque, ut tam extra civitates, quam intra, cum eis processionaliter veniant, ex levi causa mandantes: excommunicationis sententiam fulminant in benefactores ipsorum, & id ipsum fratribus comminantes, eos de locis in quibus Domino famulantur satagunt amovere, nisi eis obediant in omnibus supradictis. Ad hæc, ne fratres ad honorabiliores civitates & villas, ubi religiose ac honeste valeant commorari, a populis devote vocati accedere audeant, inhibentes: tam in accedentes fratres, quam in receptatores eorum, præsumunt excommunicationis sententiam promulgare. Ab eis etiam de hortorum fructibus decimas, necnon de habitaculis fratrum, sicut de Judæorum domibus, contendunt reditus extorquere: asserentes quod nisi fratres morarentur ibidem ab aliis habitatoribus proventus aliqui solverentur: & ut ipsos suæ subdant totaliter ditioni, eisdem ministros & custodes volunt præficere pro suæ arbitrio voluntatis. Quocirca mandamus, quatenus universi ac singuli a prænotatis gravaminibus desistatis, subditos vestros ab hujusmodi arctius compescendo.

LXXXIII. Ad universos ecclesiarum prælatos.

De solut. c. 2. *De prælato obligante ecclesiam pro alienis debitis.*

SI quorumdam. *Et infra:* Firmiter inhibemus, ne quis præsumat ecclesiam sibi commissam pro alienis gravare debitis, aut litteras alicui seu sigilla concedere, quibus possent ecclesiæ obligari: decernentes, si secus fuerit attentatum, ad solutionem talium debitorum ecclesias non teneri. Si quis autem contra præmissa de cetero venire præsumpserit, ab administratione spiritualium & temporalium noverit se suspensum.

temp. ord. 17.

LXXXIV. *Occulti criminis reus, præter quam homicidii, post pœnitentiam in susceptis vel suscipiendis ordinibus potest ministrare.*

QUæsitum est de sacerdotibus, vel aliis clericis, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii bonum conscientiæ rectæ perdiderunt. *Et infra:* Respondemus, quod si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi, præter reos homicidii, post pœnitentiam in jam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri. Qui si non pœnituerint, monendi sunt, & sub interminatione Divini judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrent.

e test. & t. c. 53.

LXXXV. *Iterum examinandus est testis qui obscure deposuit.*

CUm clamor validus contra Acherontinensem episcopum super simonia & aliis criminibus ascendisset: Melfitensi & Ruben. episcopis dedimus in mandatis, ut super his diligenter veritatem inquirerent. *Et infra:* Verum, quia apertis attestationibus L. & G. super simonia ita deposuere confuse, quod ex dictis eorum non potest veritas declarari: mandamus quatenus examinetis eos iterum diligenter, & tam eorum, quam aliorum quos receperitis, testificata sub sigillis vestris nobis fideliter referatis.

le test. & rt. c. 54.

LXXXVI. *Qui sint ob crimen repellendi a testimonio, qui minime.*

TEstimonium ejus, cui ab adversa parte opponitur crimen, merito reprobatur in criminali causa sive civili, si in ipso crimine perseveret. Si vero sit de crimine emendatus, & eum non comitetur infamia: non est in causa civili, vel etiam cum de crimine civiliter agitur, præterquam pro reatu perjurii, repellendus. In criminali autem, si in alio judicio instituta accusatione contra ipsum, de crimine convictus extitit vel confessus; vel si nunc per exceptionem exinde convincatur, aut gravata sit ejus opinio, pro eo quod quandoque fuit tali modo repulsus: quamvis in hoc casu non excluderetur in causa civili, potest a testimonio, licet egerit pœnitentiam, removeri.

De test. & rt. c. 55. p.

LXXXVII. *Quarta productio non est danda sine solemnitate legali.*

ULtra tertiam productionem non debent testes ulterius produci in causa, nisi præstito ab eo qui hoc postulat juramento, quod neque per se, neque per alium testificata subtraxerit, vel fuerit percunctatus: nec per dolum aut artem aliquam quartam productionem exposcat: sed quia quos desiderat de novo producere, prius habere nequivit.

De test. & rt. c. 56.

LXXXVIII. *Accusatus criminaliter an admittatur in testem.*

NOn debet quis in criminibus, nisi forsan in exceptis, ad testificandum admitti pendente accusatione de crimine contra ipsum: cum etiam accusati, nisi prius se probaverint innocentes, ab accusatione ac susceptione ordinum repellantur.

LXXXIX. *Consuetudo quando non deroget juri.* De consuet. c. 11.

CUm tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam: nemo sanæ mentis intelligit naturali juri, cujus transgressio periculum salutis indicat, quacumque consuetudine, quæ dicenda est verius in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari. Licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis authoritas: non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri proprio debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitime sit præscripta.

XC. *Procuratio exhibenda visitanti.* De censibus c. 25.

CUm nuper archiepiscopus Beneventanus Beneventanam provinciam visitaret. *Et infra:* Mandamus quatenus cum eumdem archiepiscopum, sive authoritate propria, sive nostra, Beneventanam provinciam contigerit visitare, procurationes ratione visitationis debitas, juxta facultates ecclesiarum vestrarum, exhibeatis eidem. Alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus authore Domino inviolabiliter observari.

XCI. *Quomodo solvendæ pensiones antiquæ.* De censibus c. 26.

CUm canonicis majoris ecclesiæ, quandam summam pecuniæ ecclesiæ tuæ debitam aliquot annis persolveris, & iidem summam illam ex integro de meliori moneta exigant sibi solvi: tibi damus nostris litteris in mandatis, ut canonicos illos, solutione prioris pecuniæ, vel si non sit in usu, æstimatione pensionis antiquæ facias manere contentos.

XCII. *An procuratio pro privatis oratoriis debeatur.* De censibus c. 27.

AUthoritate præsentium inhibemus, ne quis pro eo quod in oratoriis, quæ in grangiis vestris habetis, interdum aliqui vestrum celebrant, procurationes quæ ratione visitationis debentur, a vobis exigere, vel extorquere præsumat.

XCIII. *Quando restituendus reus.* De restit. spol. c. 1.

LIcet multum. *Et infra:* Conquestus est nobis Philasius * cæcus, ejus campum ab ecclesiæ hominibus irrationabiliter occupatum. Quod si ita est, quanquam ante omnem contentionem possessio ei debuerat violenter ablata restitui: tamen quia Eventus diaconus ipsius ecclesiæ, consentiente illo, constituit se legitime probaturum, dictum campum ejusdem ecclesiæ juris esse, inquire veritatem. Et si hoc probatum fuerit, huic dicendum est, ut a sua intentione discedat. Alioquin res ei ablata reddatur.

* Philagrius. al. Philarius.

XCIV. *De absente, qui non dimisit procuratorem.* De eo qui mittit in poss. c. 4.

SI adversarius tuus post citationis edictum, ad remota loca se transferens, procuratorem legitimum non dimisit, & denunciatione publice facta domi, non apparet, qui defendat eumdem: jure petere potes, ut in possessionem earum terrarum, de quibus quæstio vertitur, causa custodiæ inducaris.

XCV.

De seq. poss. & fruct. c. 3.

XCV. *Sequestratio fructuum lite pendente.*

AB eo qui a sententia provocavit, fructus possessionis, si dissipentur ab ipso, possunt lite pendente rationabiliter sequestrari.

De pr æb. c. 37.

XCVI. *Clerici ignobiles non repellendi, etiam in ecclesia quæ tales admittere non consuevit.*

VEnerabilis frater noster Portuensis episcopus supplicavit, ut cum quandam præbendam, quæ in Argentinensi ecclesia tamdiu vacaverat, quod donatio ejus erat ad sedem apostolicam devoluta, I. clerico contulerit, dum in illis partibus legationis officio fungeretur, suam collationem benigno prosequeremur affectu. Verum procurator Argentini capituli proposuit ex adverso, quod idem capitulum hoc audito consuetudinem allegans antiquam inviolabiliter observatam, juxta quam nullum, nisi nobilem & liberum, & ab utroque parente illustrem, honestæ conversationis ac eminentis scientiæ, in suum consortium, hactenus admiserant: ne contra hoc fieret, maxime cum nulla tunc præbenda vacaret antequam monitorias vel executorias litteras recepisset, ad sedem apostolicam appellavit. *Et infra*: Nos igitur attendentes, quod non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas, gratum Deo faciunt, & idoneum servitorem, ad cujus regimen non multos secundum carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles ac pauperes: eo quod non est personarum acceptio apud ipsum, & vix ad culmina dignitatum, nedum ad præbendas, viri eminentis scientiæ valeant reperiri: exceptiones hujusmodi non duximus admittendas. *Et infra*: Discretioni vestræ mandamus, quatenus si vobis constiterit prædictam præbendam vacasse, quando ipsam dicto I. episcopus contulit memoratus, ipsum ad eam recipi faciatis.

De pred. c. 38.

XCVII. *De eo qui providendus erat in ecclesia.*

CUm olim priori sanctæ M. dederimus in mandatis, ut Gu. diacono in aliqua ecclesia civitatis vel diœc. Luc. authoritate apostolica provideret: idem præfatum Gu. ecclesiæ S. Petri de vico rectorem authoritate hujusmodi nisus est designare, in qua rector ab ejusdem ecclesiæ clericis eligi consuevit, excommunicationis sententiam nihilo minus proferens in rebelles. Cum igitur mandatum hujusmodi se ad talia non extendat, nec ad rectoriam vel dignitatem nostra feratur intentio, cum pro simplici beneficio jussio nostra manat: mandamus, quatenus tam institutionem hujusmodi, quam excommunicationis sententiam propter hoc latam, denuncies non tenere.

De empt. & vend. c. 7.

XCVIII. *Quando venditor emptori de evictione non teneatur.*

SI venditor post institutum contra se judicium, quis omiserit, ut rem venditam sibi defenderet, nunciare, vel contumaciter abfuit tempore sententiæ promulgatæ, seu per injuriam sententia lata fuit: de evictione juxta legitimas sanctiones agere non valebit.

De vita & hon. cler. c. 3.

XCIX. *De clericis comatis.*

SI quis ex clericis comam relaxaverit, anathema sit.

C. *De restituendo minore.*

De in integ. rest. c. 8.

COnstitutus in nostra præsentia magister Guill. pro se ac fratre suo I. canonico Parrosinen. exhibita nobis petitione monstravit, quod eis in minori constitutis ætate, ac eorum matre, cujus successores existunt, rebus humanis exemptis, quondam G. pater ipsorum quasdam possessiones utrique communes quibusdam vendidit pro quadam pecuniæ quantitate, ac ut hujusmodi venditio robur firmitatis haberet, emancipavit eosdem, & fecit eos contractui consentire. Quare supplicavit, ut vel venditionem eamdem mandaremus nunciari nullam, vel, cum adhuc existant intra tempus ad obtinendum beneficium in integrum restitutionis indultum, & intra annum & diem a tempore contractus ipsis tanquam proximioribus competeret super illa portione ejus offerendi emptoribus pretium: juxta municipii Parrosinen. consuetudinem approbatam, quod hactenus omiserunt, dignaremur eis super utroque, cum in hoc non modicum læsi noscantur, & emptoribus portionis ejusdem, vel eorum successoribus pretium sint offerre parati, per idem beneficium subvenire. Quocirca mandamus, quatenus si præmissa inveneritis veritate subnixa, vel venditionem prædictam, quoad partem ex successione materna ipsos contingentem, nunciare curetis, si in ea debita juris solemnitas est omissa: vel si forsitan intervenerit, & eos læsos esse constiterit, tam super ea, quam super residua portione, dum tamen quod offerunt duxerint faciendum, authoritate nostra in integrum restituere studeatis.

* Paronen. *al.* Perenensis.

CI. *Restitutio in integrum a quo postulanda.*

De in integ. rest. c. 9.

CAusa restitutionis in integrum coram judicibus ordinariis administrationem habentibus, vel delegatis ab eis, tractari poterit & finiri: sive hoc ipsis delegatis specialiter demandatum fuerit, sive in commisso eis negotio contingat incidere hujusmodi quæstionem. Delegati vero ab ordinariis qui administrationem non habent, sed tantummodo facultatem judicandi, seu arbitri, de hac causa cognoscere nequeunt: nisi coram eis mota fuerit incidenter. In matrimoniali quoque causa, liberali, vel criminali, cum majores judices exigant, arbiter nequit assumi.

CII. *De restitutione ecclesiæ denegata.*

De in integ. rest. c. 10.

BEneficio restitutionis in integrum ecclesiæ tuæ in alio judicio denegato: restitutio, præterquam ad appellationem omissam, videtur eidem ecclesiæ posse denegari, nisi novis defensionibus ad hujusmodi sit beneficium admittenda.

CIII. *Quando successor precariam revocet.*

De depositc. c. 2.

DE precariis irrationabiliter factis a rectoribus ecclesiarum se suosque successores pœna gravi obligantibus, ut facta ipsorum dissolvere nequeant: præcipimus, ut nemo successor antecessoris sui pœna sit obligatus, sed suæ providentiæ sit concessum, ut si antecessor ejus res ecclesiæ irrationabiliter distribuit, ab eo ad jus ejusdem ecclesiæ revocentur.

CIV.

De condit. ap. c. 7.

CIV. *De conditione turpi, vel impossibili, adjecta contractui matrimonii.*

SI conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri: contracto tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro questu adulterandam te tradas; matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliæ * conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter favorem ejus pro non adiectis haberi.

al. alias.

De simon. c. 44.

CV. *De ordinato sub promissione de non petendo ab ipso provisionem.*

SI quis ordinaverit, seu ad ordinem præsentaverit aliquem, promissionem seu juramentum ab illo recipiens, quod super provisione sua non inquietet eumdem: ordinator a collatione, præsentator vero ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per sedem apostolicam obtinere meruerint, noverint se suspensos.

De simon. c. 46.

CVI. *De resignationibus.*

MAndato nostro recepto, ut cum monachis qui per simoniam dato aliquo locum in monasteriis sunt adepti, secundum constitutionem generalis concilii dispensares. *Et infra*: Consultationi tuæ breviter respondentes, dicimus mandatum apostolicum etiam ad abbates extendi, & resignationes spiritualium & temporalium quæ nullo pacto sed affectu animi præcedente utrinque taliter acquiruntur, in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori, eos pro simonja hujusmodi non teneri.

De cler. excom. c. 10.

CVII. *De eo qui celebrat in excommunicatione minori.*

SI celebrat minori excommunicatione ligatus: licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea quæ ratione jurisdictionis sibi competunt, exercere. Si tamen scienter talis electus fuerit, eju electio est irritanda, pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a sanctis patribus est privatus. Peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta: sed ab eo collata, virtutis non carent effectu, cum non videatur a collatione, sed participatione sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione, remotus. Dummodo non in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet contra prohibitionem superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter se ingesserit: in quo casu est anathemate feriendus.

De foro comp. c. 19.

CVIII. *De legitime citato a judice.*

PRoposuisti nobis quod quidam subditus tuus ad petitionem cujusdam adversarii tui a te legitime citatus ad causam, quia postmodum jurisdictionis alterius esse cœpit, tuum intendit judicium declinare. Porro tuæ prudentiæ dubium esse non credimus, quod is in prædicta causa jus revocandi forum non habet, quasi ab illo jam præventus.

CIX. *Clericus potest in curia Romana conveniri.*

De foro comp. c. 10.

LIcet ratione delicti seu contractus aut domicilii, sive rei de qua contra possessorem causa movetur, quibus forum regulariter quis sortitur, episcopus vester apud sedem apostolicam conventus non fuerit: quia tamen omnium ecclesiarum mater est eadem, & magistra, rite compelli potuit, ut ibi suis adversariis responderet, nisi pro alia justa & necessaria causa venisset, quam si tunc allegasset, jus revocandi domum salvum fuisset eidem.

CX. *De sacerdotis & clerici officio.*

De postul. c. 3.

CUm sacerdotis sit officium nulli nocere, omnibus autem velle prodesse: non nisi pro se ipso, vel ecclesia sua, vel, si necessitas immineat, pro personis conjunctis, aut miserabilibus, sibi licitum est postulare. *Et infra*: Clericus autem qui contra ecclesiam, a qua beneficium obtinet, pro extraneis advocatus vel procurator esse præsumit, tanquam ingratus potest, maxime si clericus sit ejusdem ecclesiæ, beneficio hujusmodi spoliari.

CXI. *Quæ pactio in spiritualibus valeat.*

De pact. c. 8.

PActiones factæ a vobis, ut audivimus, pro quibusdam spiritualibus obtinendis: cum in hujusmodi omnis pactio omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti. Quod etiam de aliis est dicendum, quæ observatæ vergunt in animæ detrimentum. Nam etiam juxta legitimas sanctiones, pactum turpe vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit.

CXII. *De conquerente se indebite solvisse.*

De solut. c. 4.

IS qui conqueritur indebitam pecuniam se solvisse, probare tenetur quod indebite sit soluta: nisi ejus adversarius solutionem inficians, exinde convincatur. Tunc enim diffitenti onus incumbit probandi, quod debitum recepisset.

CXIII. *De aldultera quam maritus reconciliare non vult.*

De conversione conjug. c. 19.

GAudeamus in Domino. *Et infra*: Mulieres vero quæ relicto maritali toro lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum, a te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ conversas noluerint recipere propter Deum, in clausiris cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam pœnitentiam ibi agant.

CXIV. *Quando possit uxor religionem intrare.*

De convers. conjug. c. 22.

MUlier quæ in fide remansit, potest nolente viro qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio ecclesiæ separata, ad religionem libere convolare.

CXV. *De donatione inter conjuges.*

De donat. inter vir. c. 8.

DOnatio quæ constante matrimonio inter conjuges dicitur esse facta, ex quo alter locupletior, & pauperior alter efficitur, firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur. Quæ tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacite vel expresse: vel qui donatum

tum accepit, prius debitum naturæ persolvat. Sane soluto matrimonio, sicut dos ad mulierem, sic & donatio propter nuptias redit ad virum: nisi de consuetudine secus obtineat, vel ex pacto de lucranda dote vel donatione propter nuptias, quod æquale sit, cum hinc inde contrarium inducatur.

De decimis c. 35.

CXVI. *De decimis.*

INterdicimus universis personis ecclesiasticis, ut decimas detentas a laicis, ad alienas ecclesias pertinentes, in pignus recipere ab eisdem laicis non præsumant.

De cler. non resid. c. 16.

CXVII. *Ecclesia destituta ministris, absentes redire eogat per subtractionem proventuum.*

CUm ad hoc sint ecclesiastica beneficia deputata. *Et infra*: Sane nobis innotuit quod ecclesia Antiochena, multis ex servitoribus ejus absentibus, est fere destituta ministris. Unde mandamus, quatenus non obstantibus apostolicis indulgentiis, & prædecessorum tuorum licentia, absentes canonicos & assisios * revoces ad residendum in ecclesia supradicta: & si non venerint, tu de ipsorum beneficiis, dum absentes fuerint, ipsi ecclesiæ facias congrue deservire, in utilitatem ejusdem, quod ex præfatis beneficiis superfuerit, convertendo.

* *qui aliter dicti* mansionarii.

De sponsa. c. 29.

CXVIII. *In sponsalibus promissio pœnæ a contravenicnte solvendæ non obligat.*

GEmma mulier nobis exposuit, quod cum T. filia ejus cum C. contraxit matrimonium, B. de Alferio ea occasione, quod inter P. filium suum & prædictam puellam intra septennium constitutos sponsalia contracta fuerant, pœnam solvendam a parte quæ contraveniret in stipulatione appositam ab ipsa nititur extorquere. Cum itaque libera matrimonia esse debeant, & ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda: mandamus quatenus, si est ita, eumdem B. ut ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, ecclesiastica censura compellas.

De sponsa. c. 31.

CXIX. *Non sponsalia de præsenti, sed de futuro, solvuntur per sequens matrimonium.*

SI inter virum & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, ita quod unus alterum mutuo consensu verbis consuetis expresso recipiat, utroque dicente: Ego te in meam accipio, & ego te accipio in meum, vel alia verba consensum exprimentia de præsenti: sive sit juramentum interpositum, sive non, non licet alteri ad alia vota transire. Quod si fecerit, secundum matrimonium de facto contractum, etiam si sit carnalis copula subsecuta, separari debet, & primum in sua firmitate manere. Verum si inter ipsos accessit tantummodo promissio de futuro, utroque dicente alteri, ego te recipiam in meam, & ego te in meum, sive verba similia: si alius mulierem illam per verba de præsenti desponsaverit, etiam si inter ipsam & primum, juramentum intervenerit, sicut diximus, de futuro: hujusmodi desponsationis intuitu, secundum matrimonium non poterit separari, sed eis est de violatione fidei pœnitentia injungenda.

De spons. c. 32.

CXX. *De desponsata per verba de futuro.*

ADolescens qui desponsatam sibi per verba de futuro, licet sæpe nisus fuerit, carnaliter non cognoscens, cum alia postmodum per verba de præsenti contraxit: non primam cum qua nec fuit verum matrimonium ex forma contractus, nec præsumptum, cum conatus non habuisset effectum: sed secundam debet habere uxorem.

De excep. c. 12.

CXXI. *De exceptione excommunicationis in judicio.*

EXceptionem excommunicationis in dilatoriis proponendis reus scienter omittens, in qualibet parte litis opponere minime prohibetur: quod est in hac exceptione specialiter observandum, ne quisquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare cogatur. Qui si eam omiserit, ut actor laboribus & sumptibus fatigetur, in expensis est legitimis condemnandus. Excommunicatus autem publice, etsi hujusmodi exceptio non opponitur, nihilo minus est officio judicis repellendus.

De excep. c. 13.

CXXII. *De exceptione rei judicatæ.*

ADversario tuo per judicem absoluto, quoniam tempore motæ litis rem petitam ab ipso sine dolo desierat possidere: si eam modo possideat, tibi petenti denuo rei judicatæ exceptio non obsistat.

De excep. c. 14.

CXXIII. *De rescripto impetrato ab excommunicato.*

VEnerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Narbonensem, qui a judicibus ex sufficienti gravamine ad apostolicam sedem appelans, ad vos super appellatione sua nostras litteras reportavit, etsi ex causis aliis tempore impetrati rescripti vinculo fuerit excommunicationis astrictus, de quibus ibi mentio non habetur, ad prosequendam per easdem litteras appellationem prædictam decrevimus admittendum. Quia nihil excommunicato appellare prodesset, si non posset appelationem suam prosequi, & super ea litteras impetrare.

De testam. c. 2.

CXXIV. *Abbatissa testari non potest.*

QUia ingredientibus. *Et infra*: Gabina abbatissa conquesta est, quondam abbatissam monasterii sui, postquam regendi suscepit officium, condito testamento legata reliquisse, dicens eam usque in diem obitus sui non induisse habitum monachalem, sed in vestibus quibus utuntur loci illius presbyteri permansisse, sicut & illa quæ ante illam fuerat abbatissa, & hoc pene ex consuetudine licuisse. Necessarium ergo visum est, postquam abbatissa ordinata est, & in monasterio per annos plurimos usque ad obitum præfuit, vestis qualitatem ad culpam forte episcopi pertinere, qui eam sic esse permisit: non tamen potuisse præjudicium monasterio irrogare, sed res ipsius eidem loco, ex quo illic ingressa & abbatissa constituta est, de jure competere.

De offic. leg. c. 9.

CXXV. *Excommunicatos pro injectione manuum in Clericos, qui legati absolvant.*

EXcommunicatis pro injectione manuum violenta, ecclesiæ Romanæ legati qui de ipsius latere non mittuntur, extra provinciam sibi commissam, vel ibidem, si hujusmodi manuum injectores illuc contingat aliunde accedere; & qui ecclesiarum suarum prætextu, legationis sibi vindicant dignitatem; etiam subditis, quamvis in provincia sua existentes, beneficium absolutionis impertiri non possunt. Nisi de speciali gratia illis & istis amplius a sede apostolica concedatur.

De off. leg. c. 10.

CXXVI. *Legati statuta durant legatione finita.*

NEmini dubium esse volumus, quin legatorum sedis apostolicæ statuta, edita in provincia sibi commissa, durent tanquam perpetua, licet eadem postmodum sint egressi. Secus autem si causas duxerint delegandas aliquibus: cum jurisdictio istorum expiret, si ante illorum discessum, horum citatio non præcessit.

De in integr. restit. in 6. c. 2.

CXXVII. *Ecclesia post quadriennium non admittitur ad restitutionem in integrum.*

ECclesia quæ ad retractandam sententiam vel contractam per beneficium restitutionis in integrum, postulat se admitti: si quadriennii spatium post sit lapsum, & negligenter omiserit: non est ad beneficium hujusmodi admittenda, nisi prævaricationis vel fraudis manifestæ probetur super hoc interveniisse commentum: aut alia rationabilis causa subsit, quæ superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum.

De sent. excomm. c. 54.

CXXVIII. *Qui alloquens excommunicatum, non sit excommunicatus.*

CUm voluntate ac proposito maleficia distinguantur: excommunicationis sententiam non incurrit, qui excommunicato in his, quæ ad absolutionem, vel alias ad salutem animæ pertinent, in locutione participat: licet etiam alia verba incidenter (ut apud eum magis proficiat) interponat.

Ex Coffartii Append. To. XI.

Prædicatores quoque, qui penes excommunicatos, vel alios alienarum rerum detentores, in prædicationibus & confessionibus, quasi gerunt causas eorum, ad quos res ipsæ spectare noscuntur, eleemosynas licite possunt ab illis recipere: præsertim si alias non valeant in illo loco sustentationem habere.

Si qui vero, ratione officii quod in ecclesia obtinent, aut etiam alii clerici seniores, zelo devotionis, pueros vel adolescentes in minoribus ordinibus constitutos, turbantes Divinum officium; & hi qui obtentu prælationis vel magisterii, subditos & scholares, correctionis causa leviter forte percusserint: excommunicationis sententiam non incurrunt. Quod & de his dicendum est, qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum, simili modo, ut cohibeantur a suis insolentiis, & scientia bonisque moribus informentur, duxerint corrigendos.

De sent. excom. c. 56.

CXXIX. *Excommunicatus minori potest ab eadem excommunicatione absolvere.*

DUobus collata potestas, ut a minori excommunicatione, si in ipsam inciderint, invicem se absolvant, utroque ligato vinculo excommunicationis hujusmodi, non expirat.

De sent. excom. c. 57

CXXX. *Permittitur ministris ecclesiarum semel in hebdomada celebrare tempore interdicti.*

PErmittimus ecclesiarum ministris semel in hebdomada tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, Missarum solemnia celebrare causa conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur.

De sent. excom. c. 58.

CXXXI. *Satisfaciens clerico quem verberavit non potest tamen ab episcopo absolvi, nisi in certis casibus.*

QUamvis incidens in canonem latæ sententiæ propter violentam manuum injectionem, juxta proprias facultates eis satisfaciat, quibus injurias irrogavit: non tamen aliter, quam per sedem apostolicam, vel ejus legatum, absolutionis potest beneficium obtinere: nisi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia, puerili aut senili ætate, fragilitate sexus, seu alia corporis impotentia, sive quolibet impedimento canonico retrahatur, quo minus Romanum pontificem possit adire: vel nisi juris beneficio a labore hujusmodi excusetur. Ceterum quibusdam prædictorum, videlicet qui temporali impedimento laborant, exceptis pueris sub debito juramenti, quod secundum ecclesiæ formam præstare tenentur, consuevit injungi, ut impedimento cessante ad apostolicam sedem accedant, mandatum ipsius humiliter suscepturi.

De sent. excom. c. 59.

CXXXII. *Excommunicatio simpliciter lata intelligitur de majori.*

SI quem sub hac forma verborum, illum excommunico, vel simili, a judice suo excommunicari contingat: dicendum est, eum non tantum minori, quæ a perceptione sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione, quæ a communione fidelium separat, esse ligatum.

De sent. excom. c. 60.

CXXXIII. *De beneficio absolutionis indulto minoribus ætate.*

PUeris, qui in canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, sive ante, sive post pubertatem postulent se absolvi, potest diœcesanus episcopus absolutionis beneficium impertiri: cum propter defectum ætatis in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.

De cogn. spirit. c. 8.

CXXXIV. *Inter baptizatum & filium baptizantis oritur cognatio spiritualis.*

EX litteris vestris accepimus, quod cum M. mulier coram officiali Cantuar. Alanum peteret in virum, & se affidatam ab eo ac carnaliter cognitam per testes idoneos probavisset: dictorum tandem testium depositionibus publi-

catis, idem Alanus excipiendo proposuit, quod eam non poterat habere in uxorem, pro eo quod ipsum pater mulieris ejusdem, qui sacerdos extitit, baptizavit. Sed cum idem officialis exceptione hujusmodi non admissa definitivam tulerit sententiam contra ipsum, & idem ad sedem Apostolicam appellaverit: mandamus quatenus, si est ita, eumdem Alanum super hoc ab impetitione mulieris absolvatis ipsius, eidem mulieri perpetuum silentium imponentes.

De rescrip. in 6. c. 1.

CXXXV. *De rescripto impetrato ab excommunicato.*

IPso jure rescriptum, vel processus per ipsum habitus non valeat: si ab excommunicato, super alio quam excommunicationis vel appellationis articulo, fuerit impetratum.

De regul. c. 23.

CXXXVI. *Novitiis licet ante professionem redire ad sæculum: habitus professorum sit distinctus ab habitu novitiorum.*

STatuimus novitios in probatione positos, ante susceptum religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, vel ante professionem emissam, ad priorem statum redire posse libere intra annum: nisi evidenter appareat, quod tales absolute voluerint vitam mutare, & in religione perpetuo Domino deservire: cum quilibet renunciare valeat ei quod pro se noscitur introductum. Nihilominus statuentes ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, quod cum in quibusdam locis religiosis novitiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum: professionis tempore benedicantur vestes quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum habitus a professorum habitu distinguatur.

De regul. c. 24.

CXXXVII. *De religiosis fugitivis.*

NE religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de prælatorum manibus requiratur: statuimus ut præsidentes capitulis celebrandis, secundum statum concilii generalis, seu patres abbates, seu priores, fugitivos suos & ejectos de ordine suo requirant solicite annuatim. Qui si in monasteriis suis recipi possunt secundum ordinem regularem, abbates seu priores eorum monitione prævia per censuram ecclesiasticam compellantur. Quod si hoc regularis ordo non patitur, auctoritate nostra provideant ut apud eadem monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin aliis religiosis domibus ejusdem ordinis, ad agendam ibi pœnitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur. Si vero hujusmodi fugitivos vel ejectos inobedientes invenerint, eos excommunicent: & tamdiu faciant ab ecclesiarum prælatis excommunicatos publice nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur.

De precar. c. 3.

CXXXVIII. *Concessio precarii extinguitur voluntate concedentis, aut ei succedentis: precariæ concessio non.*

PRecarium utendum conceditur, quamdiu patitur qui concessit: solvitur quoque obitu ejus cui concessum est, non etiam concedentis: aut cum ipsum alienari contingit, alicui hoc revocare volenti: quia per conventionem hujusmodi non licet rem alienam invito domino possideri. Porro precariæ quæ quandoque de ecclesiarum possessionibus fieri solent, non sunt pro voluntate concedentium revocandæ.

De commodato. c. un.

CXXXIX. *Commodatarius tenetur etiam de levissima culpa: non de casu fortuito, nisi in tribus casibus.*

CUm gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur: licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari. Contra eum quoque recte commodati non agitur, nisi post usum expletum cujus gratia res fuerat commodata: cum non decipi beneficio nos oporteat, sed adjuvari.

De fidejuss. c. 5.

CXL. *Quando fidejussor fidejussione liberetur.*

EUm pro quo te fidejussorem obligasti, si diu in debiti solutione cessavit, aut dissipare sua bona cœpit, seu super hoc condemnatus fuisti, jure poteris convenire, ut te a fidejussione debeat liberare.

De ele. & ele. pot. c. 49.

CXLI. *Non professus in abbatem eligi non potest.*

CUm in magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit; nec sit præficiendus, qui subesse non novit: nos intellecto per te, quod in quibusdam regularibus domibus jure tibi diœcesano subjectis, sunt quidam in abbates, non professi ordinem regularem, assumpti: mandamus, quatenus, cum abbates tales esse non debeant, qui per professionem monachi & regulares canonici non fuerint, ad amotionem eorum quos tales inveneris, sublato appellationis impedimento, procedas.

De ele. & ele. pot. c. 55. * Lateran. sub Innoc. III. c. 24.

CXLII. *Quæ irrita sit electio.*

IN Genesi legitur. *Et infra:* Cum in concilio * caveatur, ut is collatione habita eligatur, in quem omnes vel major & sanior pars capituli consentit: & in Guil. major pars totius capituli non consenserit, quamquam majorem partem habuit partium, comparatione minorum. Nec plane numeri ad numerum, quia utrum G. & H. de quibus adversarii referunt quæstionem, in electione vocem habuerint, tractatum non extitit nec discussum: nec zeli ad zelum, nec meriti ad meritum collatio facta fuerit. Nec etiam electio communiter celebrata; quoniam licet in eumdem Guil. singulariter singuli consensissent, non tamen debuit subsequi singularis electio, sed communis, ne vel idem repeti videretur, vel ex hoc sequeretur absurditas, ut tot essent electiones, quot essent numero eligentes. Nec ex singularibus vel particularibus consensibus appareret universalis electio vel communis, licet quilibet singularis veritatem exprimat suæ partis: quemadmodum ex singularibus propositionibus, licet veris, universalis propositio non apparet, nisi per signum universale forsitan exprimatur. Nec præmissi duo canonici poterant sic excludi, cum primus existeret in canonicatus possessione, vel quasi, habendo stallum in choro, locum in capitulo, legendo & cantando ut canonicus, & ad tractatus ac electiones

di-

dignitatum & perſonarum, quæ occurrerunt pro tempore faciendæ, tanquam canonicus ſit vocatus, quanquam hac vice fuerit cum proteſtatione admiſſus : ſecundus vero eſſet in tali loco, de quo fuerat ad electionem vocandus : cum de toto regno Franciæ vocentur abſentes de conſuetudine eccleſiæ Gallicanæ. Nos his plenius intellectis, de conſilio fratrum noſtrorum prædictam electionem, utpote contra formam concilii attentatam, decernimus irritam, & inanem.

De ele. & elec. pot. c. 58.

CXLIII. *Publicato ſcrutinio, non poſſunt electores variare.*

PUblicato ſcrutinio variare nequeunt electores, cum ſit facienda collatio, & electio celebranda. Ad quod per ſuperiorem, ſi oportuerit, compellantur.

De ele. & ele. pot. c. 59.

CXLIV. *De caſſata electione propter ſimoniam.*

SI alicujus electionem propter ſimoniam, eo ignorante ac ratum non habente commiſſam, contigerit reprobari : cum eo ſuper prælatione * ad quam taliter fuerat electus, illa vice non poteſt epiſcopus diſpenſare. Quamvis circa eum, qui ignoranter recipit ſimplex beneficium per ſimoniacam pravitatem, poſt liberam reſignationem, epiſcopi diſpenſatio toleretur.

* *al.* poſtulatione

De ele. & ele. pot. c. 60.

CXLV. *De electionibus.*

HIs quibus interdicitur ut abſque ſuperioris licentia eligere non præſumant, tempus ſtatutum a canone currit, ex quo in mora fuerint licentiam hujuſmodi poſtulandi.

De offic. & pot. jud. deleg. c. 39.

CXLVI. *De cauſa ſuſpicionis, contra judicem.*

SUſpicionis cauſa contra judicem aſſignata, non ipſe, qui forſan provocatus obeſſet, ſed arbitri potius, coram quibus probatio eſt facienda, & ad quos omnia quæ ad hunc articulum faciunt, pertinere noſcuntur : poſſunt ad hoc terminum aſſignare. Ab ipſo quoque judice, cui ſicut juriſdictio, ſic & cætera ſine quibus explicari non poteſt, intelliguntur eſſe commiſſa, iidem ut conveniant (ſi diſcordes fuerint) in unam ſententiam, vel tertium concorditer advocent, cum quo duo vel alter eorum id faciat, ſunt cogendi : ne hujuſmodi occaſione principale negotium plus debito prorogetur.

Ibidem c. 41.

CXLVII. *Sua ætate poſſit quiſque delegari.*

CUm vigeſimum annum peregeris, dari potuiſti in ætate hujuſmodi delegatus. Ceterum conſtituto infra ætatem eamdem (niſi partes ſcienter conſentirent in eum qui annum XVIII. traſcendiſſet) facta delegatio ab alio quam a principe, non teneret.

Ibidem c. 42.

CXLVIII. *Poteſtas plurium delegatorum vel arbitrorum expirat per mortem unius.*

UNo delegatorum vel arbitrorum, ſicut proponis, rebus humanis exempto, eorum officium expiravit : niſi aliud in delegatione aut compromiſſo fuiſſet expreſſum.

CXLIX. *Qui delegati ſubdelegare poſſint : qui non.* Ibidem c. 43

QUoniam apoſtolica ſedes intendit providere negotiis, & non perſonis quibus eadem committuntur : ſi judex tertius licet ex officio noſtro, vel aſſenſu partium pro communi a nobis datus eiſdem, alii delegaverit vices ſuas (cum delegato a principe id concedatur a jure) delegatio valebit ipſius. Idem quoque dicendum eſt cum mandatur epiſcopo ut cum altero ſuorum conjudicum mandatum apoſtolicum exequatur, & tunc ſine ſubdelegato ab ipſo epiſcopo reliqui duo procedere non valebunt. Is autem cui injungitur, ut perſonaliter negotium exequatur, poteſt, dummodo partes conſentiant, hoc aliis delegare. Præterquam ſi inquiſitionem fieri, vel eccleſiis de prælatis vel aliis miniſtris provideri mandaremus. Cum in his omnibus caſibus induſtriam & fidem perſonæ, cui talia committimus, eligere videamur. Ceterum ſalva legatorum ſedis apoſtolicæ auctoritate, nulli, cui commiſſum fuerit prædicare crucem, excommunicare, vel abſolvere aliquos, diſpenſare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, liceat hæc de cetero aliis demandare : quia non ſibi juriſdictio, ſed certum miniſterium potius, committitur hac in parte.

CL. *Hæretici puniendi.* De hæret. c. 15.

EXcommunicamus & anathematizamus univerſos hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Paſſaginos, Toſſepinos, Arnaldiſtas, Speroniſtas, & alios quibuſcumque nominibus cenſeantur, facies quidem habentes diverſas, ſed cauſas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in id ipſum. Damnati vero per eccleſiam, ſæculari judicio relinquantur animadverſione debita puniendi, clericis prius a ſuis ordinibus degradatis.

Si qui autem de prædictis, poſtquam fuerint deprehenſi, redire noluerint ad agendum condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur : credentes autem eorum erroribus, hæreticos ſimiliter judicamus.

CLI. *Liberantur ab omni obligatione, qui hæreticis adſtricti erant.* Ibidem c. 26.

ABſolutos ſe noverint a debito fidelitatis, dominii, & totius obſequii, quicumque lapſis manifeſte in hæreſim aliquo pacto quacumque firmitate vallato tenebantur adſtricti.

CLII. *Judæus baptizatum vel baptizari volentem non retineat in ſervitio.* De Judæis c. 19.

NUlli Judæo baptizatum, vel baptizari volentem, emere liceat, vel in ſuo ſervitio retinere. Quod ſi quem nondum ad fidem converſum cauſa mercimonii emerit, & poſtmodum factus ſit, vel fieri deſideret Chriſtianus : datis pro eo XII. ſolidis, ab illius ſervitio protinus ſubtrahatur. Si autem intra tres menſes ipſum venalem non expoſuerit, vel ad ſibi ſerviendum emerit eumdem : nec ipſe vendere, nec alius audeat comparare : ſed nullo dato pretio perducatur ad præmia libertatis.

De ordin. ab epiſc. qui renunc. epiſc. c. 2.

CLIII. *De iis qui ab excommunicato ignoranter ordinati ſunt.*

CUm clericis, qui ab excommunicato epiſcopo ignoranter ordines receperunt, per ſuos poterit epiſcopos diſpenſari.

De novi op. nunciat. c. 4.

CLIV. *De eo qui opus novum nunciat.*

IS cui opus novum te nunciaſſe * proponis, non obſtante cautione, quæ offertur ab ipſo de opere deſtruendo, ſi non jure ædificatum exiſtat, tenetur te per trium menſium ſpatium expectare, juris tui præjudicium probare volentem.

* denunciaſſe.

De maledicis. c. 2.

CLV. *Pœna blaſphemantis Deum, vel ſanctos.*

STatuimus, ut ſi quis contra Deum, vel aliquem ſanctorum ſuorum, & maxime beatam Virginem, linguam in blaſphemiam publice relaxare præſumpſerit: per epiſcopum ſuum pœnæ ſubdatur inferius adnotatæ: videlicet quod in ſeptem diebus Dominicis præ foribus eccleſiæ in manifeſto, dum aguntur Miſſarum ſolemnia, blaſphemus exiſtens, ultimo illorum die Dominico pallium & calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, ſeptemque * præcedentibus ſextis feriis in pane & aqua jejunet, ecclefiam nullatenus ingreſſurus. Quolibet quoque prædictorum dierum tres, ſi poterit, alioquin duos reficiat pauperes, ſive unum. Et ſi nec ad hoc ejus ſuppetant facultates: id in pœnam aliam commutetur. Cui etiam, ſi renuerit recipere ac peragere pœnitentiam ſupradictam, eccleſiæ interdicatur ingreſſus, & in obitu eccleſiaſtica careat ſepultura. Per temporalem præterea poteſtatem coactione (ſi neceſſe fuerit) epiſcopi diœceſani adhibita contra eum, blaſphemus, ſi dives fuerit, quadraginta ſolidorum, alioquin triginta ſive viginti, & ſi ad id non ſufficiat, quinque ſolidorum uſualis monetæ pœna mulctetur, nullam in hoc miſericordiam habiturus. Quod etiam inter alia communitatum ſtatuta ponatur.

* *al.* ſeptemque præcedentibus ſex feriis vel ſubſequentibus in pane, *&c.*

De teſt. & atteſt. c. 1.

CLVI. *Quamdiu duret compromiſſum.*

COmpromiſſum non extenditur in compromittentis hæredes, ſi de ipſis non caveatur ibidem.

CLVII. *Socius ſimoniæ admittitur in teſtem, ſi agatur civiliter.*

MEdiatores, per quos ſcelus ſimoniæ plerumque committitur, ad teſtimonium contra ſceleris ejuſdem auctores, in deteſtationem criminis, admittuntur: ſi non agatur criminaliter, ſed civiliter, & emolumentum exinde non fuerint aſſecuti.

De pœnit. c. 16.

CLVIII. *Qui poſſint ſibi eligere confeſſorem.*

NE pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus epiſcopis & aliis ſuperioribus, necnon minoribus prælatis exemptis, ut, etiam præter ſui ſuperioris licentiam, providum & diſcretum ſibi poſſint eligere confeſſorem.

De appel. 70.

CLIX. *De appellatione.*

INterpoſita appellatione ex cauſa probabili, non ſufficit appellanti probare, quod ex cauſa hujuſmodi provocavit, ſi eam non doceat eſſe veram: niſi hoc ſe offerens probaturum, non fuiſſet admiſſus. Eidem quoque permittimus, ſi non recipiatur appellatio ejus a judice, nec ab adverſario approbetur, ſuper proſecutione appellationis, per procuratorem ad impetrandum & contradicendum conſtitutum, litteras impetrare: licet pars altera, per ſe vel per procuratorem idoneum, judicium ſuper hoc apud ſedem apoſtolicam recipere ſit parata. Ille denique qui vocem appellationis emiſit, cujus nondum eſt alii cognitio delegata ad petitionem ejuſdem, ad eum a quo provocavit de jure remittitur: contradictione partis alterius non obſtante. Eſt tamen in legitimis expenſis, adverſario, quas eum propter hoc feciſſe conſtiterit, condemnandus. Sane parato aliquod probare gravamen, propter quod duxerat appellandum, & parte adverſa ſe contumaciter abſentante, poteſt ſuper hoc lite non conteſtata procedi: licet nondum conteſtatio litis facta fuerit in ipſo appellationis articulo vel negotio principali: quia cum in hoc caſu iniquitas prioris judicis principaliter arguatur, non eſt rigor juris, ex quo ſequi poſſet cauſæ perplexitas, requirendus.

Ibid. c. 71.

CLX. *De clauſula, appellatione remota.*

INquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod quoties clauſula, per quam tollitur appellationis remedium, in medio litterarum ponitur: ſi ſunt plura negotia ſe minime contingentia, præmiſſa tantum complectitur: niſi forte in fine litterarum prædicta clauſula iteretur.

Ibid. c. 72.

CLXI. *Appellatio unius prodeſt alteri.*

UNA ſententia pluribus condemnatis, ſi unus ſolus ad appellationis beneficium convolaverit, illius victoria jure communi ceteris ſuffragatur: ſi communi jure juventur, idemque negotium & eadem cauſa defenſionis exiſtat.

Ibid. c. 73.

CLXII. *Quando non appellans habeatur pro appellante.*

SI juſtus metus quo minus appellaveris te excuſat: ad appellationis reputaris beneficium convolaſſe: dummodo intra tempus, quo licite provocatur, coram judice a quo appellaſſe volueras; vel ſi habere ipſius copiam nequiviſti, in præſentia bonorum virorum proteſtatione ſuper hoc propoſita, cauſas appellationis duxeris exprimendas.

De ſent. & re jud. c. 2

CLXIII. *Res inter alios judicata, quando aliis noceat.*

QUamvis regulariter aliis non noceat res inter alios judicata: ei tamen qui, cum ſibi primum de ea re actio vel defenſio competebat, ſuſtinuit ſequentem agere, ac illi etiam, qui paſſus eſt eum, a quo cauſam habuit, experiri, eſt præjudicium generatum.

CLXIV.

Ibid. c. 16. CLXIV. *Si duo ordinarii pronunciant contraria, tenet ſententia pro reo: niſi in aliquot caſibus.*

DUobus judicibus, ut accepimus, diverſas ſententias proferentibus: ſi ex juriſdictione ordinaria proceſſerunt, tenet pro reo, non pro actore, ſententia: niſi in cauſa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, ſeu teſtamento, pro ipſo fuerit promulgata. Si vero ex delegata poteſtate, utraque pendet ſententia ex arbitrio delegantis. Quod ſi ex compromiſſo, neutra debet habere vigorem.

De injur. ap. 7. CLXV. *Qui jurat de non repetendis damnis, poteſt tamen expenſas repetere.*

IN noſtra & fratrum noſtrorum præſentia propoſuiſtis, quod olim cives Brixienſes pro reſtaurationibus damnorum ad invicem, quæ propter multas civiles diſcordias incurrerant, plurimum aggravati, ſtatutum editum, de non petendo vel recipiendo in poſterum reſtaurationes hujuſmodi a communi, generaliter approbarunt, & firmarunt etiam juramento. *Et infra.* Cum igitur aliud ſit damnorum reſtauratio, quam ſatisfactio expenſarum; & ideo in juramento exhibito ſuper damnorum articulo intelligi non debeat, quod factum expenſarum fuerit comprehenſum: mandamus, quatenus, juramento non obſtante prædicto, auctoritate noſtra provideas, quod dictum commune pro bono concordiæ ad expenſarum ſatisfactionem aliquid contribuat, juxta tuæ diſcretionis arbitrium, a te, ſicut expedierit, moderandum.

Ibid. c. 9. CLXVI. *De eo qui alteri damnum dat, vel infert injuriam.*

SI culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem forte tuliſti; aut hæc, imperitia tua, ſive negligentia evenerunt: jure ſuper his ſatisfacere te oportet, nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere vel jacturam. Quod ſi animalia tua nocuiſſe proponas, nihilo minus ad ſatisfactionem teneris, niſi ex dando paſſis damnum, velis liberare te ipſum: quod tamen ad liberationem non proficit, ſi fera animalia, vel quæ conſueverunt nocere, fuiſſent, & quam debueras non curaſti diligentiam adhibere. Sane licet, qui occaſionem damni dat, damnum videatur dediſſe: ſecus eſt tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nil omiſit.

De donat. cap. 10. CLXVII. *Donatio poteſt per donatorem, non per hæredem, revocari.*

PRopter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas eſt collata, donatoris perſona de rigore juris eam potuit revocare, ſi forte in ipſum impias manus injecerit, aut ſibi atroces injurias, ſeu grave rerum ſuarum damnum, vel vitæ periculum, inferre præſumpſerit. Quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur ſucceſſores.

CLXVIII. *Jurans ſervare ſtatuta edita, & promittens per idem juramentum ſervare edenda, non tenetur ex juramento ad noviter edita.* De jure. jur. c. 35.

CLericus, qui juravit ſe ſtatuta in eccleſia ſua edita ſervaturum, promittens per idem juramentum ſtatutum, quod poſtmodum ſubſecutum eſt, fideliter obſervare: licet tranſgredi non debuerat quod promiſit, non tenetur ad illius obſervantiam ex debito præſtiti juramenti.

CLXIX. *Diſtans a capite quarto gradu, cum diſtante quinto contrahere poteſt.* De conſang. & affin. c. 9.

VIr, qui a ſtipite quarto gradu, & mulier quæ ex alio latere diſtat quinto, ſecundum regulam approbatam, qua dicitur quoto gradu remotior differt a ſtipite, & a quolibet per aliam lineam deſcendentium ex eodem: licite poſſunt matrimonialiter copulari.

CLXX. *De ſcripturis contrariis ab eodem productis,* De fide inſtrum. c. 13.

IMputari ei poteſt, qui contrarias inter ſe ſcripturas in judicio protulit fidem ſibi ad invicem derogantes: cum in ipſius fuerit poteſtate quam voluerat non proferre.

CLXXI. *De cautione, in qua debiti exprimitur cauſa; & ea in qua non exprimitur.* Ibid. c. 14.

SI cautio, quam a te indebite proponis expoſitam, indeterminate loquatur: adverſarius tuus tenetur oſtendere debitum, quod continetur in ea. Sed ſi cauſam, propter quam hujuſmodi ſcriptura proceſſerit, expreſſeris in eadem: confeſſioni tuæ ſtatur, niſi probaveris te indebite promiſiſſe,

CLXXII. *Inſtrumentum exemplatum per tabellionem auctoritate ordinarii, vim habet.* Ibid. c. 16.

SI inſtrumenta propter vetuſtatem, vel propter aliam juſtam cauſam, exemplari petantur: coram ordinario judice, vel delegato ab eo, ſpecialiter præſententur. Qui ſi ea diligenter inſpecta in nulla ſui parte vitiata repererit: per publicam perſonam illa præcipiat exemplari, eamdem auctoritatem per hoc cum originalibus habitura.

CLXXIII. *Probata violentia per teſtes, res amiſſæ probantur per juramentum.* De his quæ vi, metuſve cauſa fiunt, cap. 7.

SUper eo, quod adverſarius veſter ſe conquerebatur a vobis per violentiam ſpoliatum, arbitramini contra vos fuiſſe injuſte proceſſum: cum non niſi proprio juramento probaverit ſingula quæ amiſit. Verum poſtquam de violentia per teſtes, & de amiſſis rebus per ipſius conſtitit ſacramentum: potuit judex, taxatione ab ipſo facta, pro perſonarum ac negotii qualitate, vos, in æſtimatione rerum amiſſarum juramento adverſarii declarata, rationabiliter condemnare.

CLXXIV. *Quando colono facienda remiſſio penſionis: item quando inquilinum liceat amovere.* De loc. & cond. c. 3.

PRopter ſterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei ſine culpa colo-

coloni, seu casu fortuito contingentem: colonis ecclesiæ tuæ pro rata pensionis remissio est facienda: nisi cum ubertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari. Verum invito inquilino domum inhabitare vel reficere poteris: si necessitas, quæ tamen non imminebat locationis tempore, id expoſcat: remissa sibi pro residuo temporis pensione. Qui etiam inde rationabiliter amovetur, si perverse ibi fuerit conversatus: vel, cum canonem per biennium non solvisset, sibi satisfactione celeri non providit.

Ibid. c. 4. CLXXV. *Emphyteuta quando meliorationes suas vendere possit. Item quando possit expelli.*

POtuit emphyteuta (ecclesia primitus requisita, eique nunciato, quantum sibi ab aliis offertur, si nolle se emere dixerit, vel a denunciationis tempore duorum mensium spatium sit elapsum) meliorationes & jus sibi competens aliis vendere, qui ab emptione hujusmodi minime prohibentur. Emphyteuta quoque secus præsumendo, vel cessando in solutione canonis per biennium, nisi cleri satisfactione postmodum sibi consulere studuisset, juste potuisset expelli. Non obstante, quod ei, ut canonem solveret, non extitit nunciatum: cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellet.

De infan. & lang. expos. c. 1. CLXXVI. *Infans expositus a patre, patria potestate liberatur. Eodem casu servo libertas; liberto ingenuitas datur. Idem juris in prædictis languidis sic expositis, vel si eis alimenta denegantur.*

SI a patre, sive ab alio, sciente ipso aut ratum habente, relegato pietatis officio, infans expositus extitit: hoc ipso a potestate fuit patria liberatus. Nam & hoc casu in ingenuitatem libertus, & servus in libertatem eripitur: quod & de prædictis cujuscumque ætatis languidis, si expositi fuerint, vel si alicui illorum alimenta impie negari contigerit, est dicendum. Sane qui hos suscipiunt, non possunt propter hoc in eorum personis jus aliquod vindicare.

De homicid. c. 25. CLXXVII. *Homicidium casuale non imputatur presbytero qui rei licitæ dabat operam.*

QUidam, ut asseris, ad ædificationem ecclesiæ in adjutorium a presbytero evocatus, ruens cum laqueari, quod idem presbyter solvere nitebatur, hac occasione rebus est humanis exemptus. *Et infra*: Attendentes igitur, quod sacerdos ipse dabat operam licitæ rei, studuit etiam quam debuit diligentiam adhibere, circumstantibus quibus periculum imminebat, ita tempestive & alta voce præmonitis, quod & intelligere & fugere potuerunt. Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod ob hanc causam, vel quia omnes casus fortuitos, qui prævideri non possunt, forsitan non prævidit: non debet, quoad officium vel beneficium impediri.

De pignor. c. 8. CLXXVIII. *De usufructuariis.*

CUm constet I. mulierem uxorem Ogerii quo ad usumfructum filio suo successisse in bonis, quorum proprietas ad M. mulierem uxorem C. dignoscitur pertinere: mandamus, quatenus eam ad cautionem idoneam exhibendam, quod utatur & fruatur salva rerum substantia A rebus immobilibus, quæ usu non consumuntur, ad arbitrium boni viri; pecuniam vero, si quam habuit, vel habebit, ac æstimationem bonorum, quæ consumuntur usu, & in hæreditate inventa fuerint, in morte sua dictæ mulieri, vel hæredibus ejus restituat, per censuram ecclesiasticam compellatis.

De test. c. 1. CLXXIX. *Filius rogatus restituere hæreditatem, detrahit tertiam jure naturæ & quartam Tribellianicam.*

RAinaldus Peponis filius, hæres ab ipso institutus hoc modo, ut patruis suis hæreditatem restitueret, si absque filiis masculis moreretur: cum eis (mortuo Pepone) super quibusdam bonis hæreditatis ejusdem in tres arbitros compromisit: quorum duo, mortuo reliquo (prout ex forma compromissi potcrant) procedentes, taliter arbitrati fuerunt: quod neutra pars haberet licentiam transferendi quocumque modo in alium res prædictas: nisi in eorum filios masculos ex ipsis legitime descendentes: & quod contra hoc fieret, non valeret. Porro dictus R. prolem non habens, condidit testamentum, in quo medietatem partis suæ de rebus prædictis, quibusdam avunculis suis, aliam vero medietatem & reliqua bona paterna, uni ex patruis suis & ejus filiis legavit: adjiciens ut bona, in quibus ex testamento vel ab intestato dicti hæredes R. possent succedere, si venirent contra legatum dictis avunculis suis debitum, ad ipsos pro determinatis portionibus devenirent, Demum eodem R. naturæ debitum persolvente, ac uno ex patruis hæreditatem adeunte prædictam, cum dicti avunculi adversus eumdem patruum ac filios ejus coram judice communitatis Urbenaten. moverunt quæstionem, petendo pro rata, quæ ipsos contingit, legatum prædictum, & restitui eis si contra ipsum illi venirent, quæcumque occasione testamenti ejusdem R. ad ipsos pervenerant, vel poterant pervenisse. Præfatus judex ab illorum impetitione super legato ipsos absolvens ad restitutionem aliorum bonorum sententialiter condemnavit eosdem. A cujus sententia cum ambæ partes ad nostram audientiam appellassent, petente utraque parte dicti judicis sententiam infirmari, quatenus contra se fuerat promulgata, & quatenus pro se faciebat, executioni mandari; Dilectus filius noster O. S. Nicolai in carcere Tulliano diac. cardin. lite coram se legitime contestata, quoniam idem R. habebat in bonis quondam Peponis patris sui tertiam partem debitam jure naturæ, in qua gravari nequivit, necnon quartam Trebellianicam, quam quilibet extraneus restitutione gravatus deducere potuisset, propter quod in rebus prædictis avunculis legatis portiones easdem habuit R. præfatus, easque potuit in ultima voluntate legare, ac per hoc legatum tenuit usque ad tertiam & quartam præfatas, licet ipsas non expresserit in legando: pronunciavit (non obstante præmisso arbitrio, quod, ne legatum teneret, non poterat impedire) judicem ipsum in eo quod super hoc, dictum patruum in totum ab olvit, qui confessus est se pro medietate possidere prædicta, perperam judicasse; condemnavitque ipsum ad restitutionem medietatis tertiæ & quartæ partis ipsius legati pro rata, quæ dictos avunculos de ipso contingit, & in residuo, præfati judicis sententiam confirmavit. Ceterum in eo quod idem judex dictum patruum, & ejus filios, totaliter in aliis, quæ in secundo articulo

lo petita fuerant, condemnarat: male ipſum A pronunciaſſe decrevit, quia filii ejus contra voluntatem teſtatoris non inveniuntur aliquid commiſiſſe, cum nihil de petitis reperti fuerint poſſidere. Verum in portione, quam patruus habebat in bonis illis, ratione quartæ & tertiæ prædictorum, quas R. habuit in bonis eiſdem, in quibus ejus inſtitutio, & legatio, ac adjectio pœnæ tenebat pro rata eoſdem avunculos contingente de prædicto legato confirmavit ſententiam judicis ſupradicti: eodem patruo & ejus filiis in reſiduo abſolutis, & ſalvo nihilo minus ei ex jure inſtitutionis beneficio legis Falcidiæ, in reſtitutione præfati legati, ſi intra tempus legitimum voluntati paruerit teſtatoris cum inventarium fecerit, & contra voluntatem teſtatoris B lex Falcidia inducatur. Nos itaque ipſius cardinalis ſententiam ratam habentes, eam auctoritate apoſtolica confirmamus.

CLXXX. *Executor teſtamentarius, qui ſuſcepit illud officium, exequi compellitur.* Ibid. c. 19.

JOannes clericus, & P. laicus, executores ultimæ voluntatis O. clerici S. Crucis, qui venerabilibus & piis locis de bonis ſuis in ultima voluntate legavit, mandans inſuper ſatisfieri creditoribus per eoſdem: poſt mandatum ſuſceptum, per diœceſanum cogi debent teſtatoris explere ultimam voluntatem.

CLXXXI. *De quibuſdam legatis non ſolvitur canonica portio, niſi fiat in fraudem.* Ibid. c. 20.

DE his, quæ in ornamentis, vel pro eis, ſeu fabrica, luminariis, anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, triceſimo die, ſive aliis, ad perpetuum cultum Divinum legantur eccleſiis, vel reliquis piis locis, canonica portio (dummodo in fraudem non faciat, ut ea epiſcopus ſeu parœcialis eccleſia debeat defraudari) deduci non debet.

☞ GREGORII IX. BULLÆ

REPROBANTES NONNULLA IN JURE SAXONICO CONTENTA.

Summus pontifex Gregorius IX. reprobat certos articulos juris Saxonici & Mandenburgenſis tanquam juri divino contrarios.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Rigenſi ejuſque ſuffraganeis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ant in
nine in-
o. *Com-*
incliti
ia Re-
rivile-
edito
viæ an.

AD reverentiam, Dei extirpationem errorum, & exaltationem catholicæ fidei atque juſtitiæ, & animarum ſalutem. Quædam execrabilia ſcripta, leges ſeu ſpeculum Saxonum appellata, multa examinatione & maturitate in hac parte præhabita, auctoritate apoſtolica reprobamus, damnamus & decernimus irrita & inania & carentia omni robore firmitatis, prout continetur in noſtris litteris inde confectis; quarum tenor eſt talis.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Salvator humani generis Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cujus licet indigne vices gerimus, cernens ipſum genus humanum, quod ad delicias Paradiſi creaverat, ex lapſu prothoplaulti diabolica fraude deceptum, per peccatum inobedientiæ corruiſſe; & qui futurorum præſcius prævidebat inter ſtatutum puriſſimum triticum hoſtem invidum ſeminatuum zizania, & inter ſancta profana, inter ſincera fermentum, & inter recta iniqua, hoſtilibus callidiſque machinationibus & aſtutiis poſiturum, cultores agri ſui videlicet beati Petri principis Apoſtolorum, cui & ſucceſſoribus ſuis per eumdem tradidit pleniſſimam poteſtatem, aliorum Apoſtolorum & diſcipulorum ſucceſſores ſancti Eccleſiarum præſules, qui ſuper natum evellerent lolium, ne inficeret ſemen bonum; ideoque ad noſtrum principaliter aliorumque prælatorum eccleſiæ ſanctæ Dei ſpectat officium, ut animarum ſaluti ſolerti ſolicitudine intendentes, & agrum hujuſmodi, prout expedit ſæpius expurgantes, ea quæ noverimus humanæ ſaluti contraria ſtudio paſtoralis ſolicitudinis evellamus. Sane fide digna & admodum moleſta pluriſque inculcata relatio plurimorum ad noſtrum perduxit auditum, quod in Saxonia & C nonnullis aliis partibus quædam deteſtabilia ſcripta, leges, ſeu ſpeculum Saxonum vulgariter nuncupata, & inferius adnotata apud nonnullos nobiles atque plebeos reperiuntur, quæ judices & incolæ partium earumdem, omiſſis canonibus aliiſque ſcripturis ſacris contemptis, quæ naturæ legibus ac civilibus & bonis moribus procul pulſis, & longis retroactis temporibus obſervarunt, & obſervant etiam de præſenti. Ex quorum quidem obſervantia Deus offenditur, proximus gravatur, vera juſtitia & æquitas diſſipatur, canones & leges contemnuntur; etenim judicium enormiter ſubvertitur, veritas D impugnatur, contra bonos mores & legem naturæ agitur, dehoneſtatur honeſtas, libertaſque eccleſiaſtica conculcatur; & quod eſt deterius, apoſtolica denegatur poteſtas, & veritati catholicæ fidei derogatur. Nos igitur de his tanto dolentes amarius, quanto exinde illa ſervantium animæ longioribus temporibus ſtrictioribus laqueis fuerunt alligati, & propterea paternis deſiderantes affectibus tot & tantis malis periculis obviare. Ne nobis prædicta diſſimulantibus, ſanguis per ipſa peccantium de noſtris manibus a Domino requiratur, ipſa ſcripta ſeu leges quæ nos mature vidimus, & per nonnullos ex fratribus noſtris S. R. E. Cardinales, & alios in Sacra pagina magiſtros, ac utriuſque juris doE ctores diligenter examinari fecimus. Habita ſuper eis deliberatione matura, tanquam falſa, temeraria, iniqua, & injuſta, & in quibuſdam hæretica & ſchiſmatica & contra bonos mores exiſtentia, periculoſaque animabus, de ipſorum fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica tenore præſentium reprobamus, damnamus, & decernimus irrita & inania & carentia omni robore firmitatis, nec non proceſſus & ſententias, ſi quis forſan ipſarum reprobatarum, ſcriptarum legum prætextu fieri contingit in poſterum penitus non valere. Univerſis Chriſti fidelibus per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus

☞ nus ipſis ſcriptis & legibus reprobatis de cetero non utantur, ſed domini terrarum tam eccleſiaſtici quam ſeculares ſuos uti ſubditos non permittant; alioquin contrarium præſumentes, cujuſcumque pœnitentiæ, dignitatis, ſtatus vel conditionis exiſtant, etiamſi pontificali vel imperiali aut regali, vel alia qualibet præfulgeant dignitate, excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto. Et ut reprobatio, damnatio & mandatum noſtrum hujuſmodi tam ſalubre effectum irrefragabiliter conſequatur, univerſos & ſingulos ae dominos temporales tam eccleſiaſticos, quam etiam ſeculares, per præſentes requirimus & rogamus, ut per eorum conſtitutiones & ſtatuta perpetua ordinent & mandent ſub gravioribus temporalibus pœnis, quod nullus ſubditorum ſuorum deinceps utatur iis reprobatis ſcriptis ſeu legibus memoratis, ipſaſque in contrarium facientes taliter exequantur, quod eorum ſcriptorum ſeu legum deteſtanda iniquitas de terris eorum totaliter extirpetur. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam noſtræ damnationis, prohibitionis, conſtitutionis, mandati, voluntatis & requiſitionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Dei omnipotentis & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſe noverit incurſurum.

Datum Avinioni VI. Idus Aprilis Pontificatus noſtri anno tertio.

AD IDEM

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Karolo Romanorum imperatori & ſemper auguſto, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

FIli cariſſime jam longum tempus eſt & præteritum, quod de erroribus & de execrabilitate quorumdam ſcriptorum deteſtabilium quæ leges ſeu ſpeculum Saxonum appellantur: Quibus nonnulli de partibus tuarum regni & imperii terrarum uti ſeu potius abuti dicebantur; per fide dignas & intelligentes perſonas fuimus informati, & petitum fuit a nobis ad quos ſpectat de talibus providere, ut ſuper eis ad ſalutem animarum proviſionem adhibere dignaremur. Nos ſcripta ipſa mature vidimus, & per nonnullos tam fratres noſtros S. R. E. Cardinales, quam per alios in Sacra Theologia ſolemnes magiſtros, ac utriuſque jur. D. examinari fecimus diligenter & illa ex eis quæ falſa temeraria, & ſchiſmatica contra bonos mores exiſtentia, & periculoſa nimium animabus fore reperimus; auctoritate apoſtolica reprobamus, condemnamus & decernimus irrita & inania & carere omni robore firmitatis, prout ex noſtris litteris inde confectis, quarum tenorem præſentibus incluſum, quaſque venerabilibus fratribus noſtris Maguntinen. Colonien. Sremen. Madeburgenſi, Pragenſi, & Rigenſi Archiepiſcopis eorumque ſuffraganeis dirigimus, videre poteritis plenius contineri. Quare devotam excellentiam tuam, quæ ſancta juſta & honeſta veneratur & colit, ac contraria deteſtatur, requirimus & rogamus attentius quatenus in publicatione dictarum litterarum, & ut pareatur contentis in eis digneris pro reverentia Dei & Apoſtolicæ ſedis & noſtra dictaque animarum, pro ſalute & reformatione morum tuæ Imperialis & Regalis poteſtatis favorem efficaciter impartiri.

Datum Avinioni Idibus Octobris Pontificatus noſtri anno III.

Quatuordecim articuli erronei Juris. Saxonici ſeu Theutonici, & Maideburgen: per ſedem Apoſtolicam condemnati, tamquam Juri naturali & Divino contrarii, quos etiam nos Alexander Rex (Poloniæ) *Apoſtolico decreto innitentes reprobamus, condemnamus nulliuſque roboris & momenti decernimus perpetuo & per quoslibet Judices & ſubditos noſtros ubilibet in dominiis noſtris conſiſtentes, diſtrictius ſub pœnis noſtris eoſdem teneri inhibemus.*

I. QUidquid homo fecerit extra judicium quantumcumque hoc ſit notorium ſe liberare poterit per ſuum juramentum, nec contra talem valet aliquod teſtimonium.

II. Papa non poteſt nec aliquis alius Dominum Imperatorem excommunicare poſtquam conſecratus eſt, & unctus niſi ſolum in tribus caſibus: Si dubius ſit in fide: Si repudiat uxorem ſuam legitimam: Si deſtruat Eccleſiam.

III. Quod excommunicatio neminem debilitat in jure terræ, ſeu feudi niſi ſequatur regularis proſcriptio.

IV. Quod Papa non poteſt aliquo modo jus condere vel ſtatuere per quod valeat jus noſtrum hoc eſt ſtatutum terræ vel feudi Saxonicum deteriorari.

V. Quod nulla ſententia tam juſta dari poteſt in Saxonem coram Rege vel judicio Regali, quin, ſi velit Saxo talem ſententiam reprehendit teſtans in manum ſuam dexteram & majorem communitatem metſeptimus pugnare volens contra ſeptem alios pro dicta ſententia; tunc ubi major pars triumphaverit, talis ſententiam obtinebit.

VI. Quod ſi quis fuerit interfectus ſpolio vel furto pro quo conſanguineus interfecti ſe præbeat ad duellum talis per duellum repellit omne teſtimonium, nec talis mortuus ſine duello poterit vinci ſeu convinci.

VII. Quod ſi duo dictant in judicio ſimul contrarias ſententias, tunc quicumque talium habuerit majorem ſequelam, talis ſententiam obtinebit.

VIII. Quod quicumque fuerit appellatum ad duellum ſecundum iſtius libri formam, talis non poteſt denegare duellum, niſi appellans eum ſit minus bene natus quam appellatus.

IX. Quod quicunque perdit jus ſuum ratione furti vel ſpolii, talis acculatus ſecundo de furto vel ſpolio non poteſt ſe liberare juramento ſuo, ſed dilationem habet ad ferrum ignitum, aut aquam bullientem, vel ad duellum. Hujus quidem articuli pars ultima quæ ad ferrum ignitum & cœtera electionem concedit eſt erronea.

X. Quod quicumque cognoverit aliquam fœminam, ſi poſtea ducat eam in matrimonio numquam ex ea poterit prolem legitimam generare.

XI. Quicunoue cognoverit publice uxorem alicujus vivente marito, ſi poſt mortem mariti illius talis eam ducat in uxorem, numquam ex ea prolem legitimam generabit.

XII. Quod hæres non tenetur de furto vel ſpolio perpetrato per illum cui ſuccedit in hæreditate reſpondere; quod erroneum eſt ſaltem in foro conſcientiæ.

XIII. Quod quicunque ſuccintus cum gladio clipeum tenens non poteſt de ligno vel lapide pollicis ulnam quantum ad altitudinem habentem

tem ſupra dextrarium condere talis non poteſt, cedere, dimittere vel infeudare, vel etiam mobilia bona alicui dare ſic quod iſte cuſtoditus ſit, qui talia poſt mortem dantis expectat. Iſte articulus eſt erroneus in quantum eleemoſinas, teſtamenta & alia pietatis opera prohibet.

XIV. Quod nullus ſine licentia ſuorum hæredum ſine Judicio bannito, quod Saxonice dicitur geheget ding poteſt dare proprietatem ſuam vel ſuos homines, & ſi talia daret alicui, hæredes acquirent iſta per judicium ac ſi dans illa mortuus eſſet. Iſti duo articuli ſunt erronei in quantum eleemoſinas & alia pietatis opera prohibent.

Hæc in quadam extravaganti B. Gregorii Papæ IX. ponuntur & reprobata ſunt pro eo quod non continent conditiones ſuppoſitas ad legem requiſitas; ſed magis militant contra pietatem & ſalutem animarum.

ANNO CHRISTI 1228.

CONCILIUM ROMANUM

In quo Fridericus Imperator

Excommunicatus in Cœna Domini, ann. MCCXXVIII.

Hujus mentio concilii habetur in actis Gregorii IX. relatis ab Odorico Raynaldo in hæc verba: Tum prælatorum Lombardiæ, Tuſciæ, totius patrimonii, ac Apuliæ, & aliorum qui pro ſuarum proſecutione cauſarum ad curiam venerant, convocata ad concilium multitudine, poſt hujus profundi ſermonis decurſum: Quis mihi tribuet auditorem, &c. reſpondentibus ſingulis vota ſua, qualiter contra dictum Imperatorem procederet, ordinavit.

In Cœna autem Domini anathemate perculſum fuiſſe Fridericum de hujus concilii ſententia, docent ejuſdem pontificis litteræ ad Apulos præſules, ab eodem Odorico deſcriptæ: quarum partem illam hic quoque deſcribere viſum eſt.

Univerſis archiepiſcopis, epiſcopis, &c. per Apuliam conſtitutis.

QUanto nobilius membrum in eccleſiæ corpore læditur, tanto acrioribus doloribus cruciamur: qui Cephæ locum, licet inſufficientibus meritis, obtinemus. Verum quia tectum vulnus, ſi dimittatur intactum, ſolet in ſcandalum corporis latius evagari: nos olim viſo, quod Fridericus Romanorum imperator ſalutem propriam negligebat, dum ſalubre votum, quod Deo voverat additis juramentis, detrectabat exolvere, non ſine detrimento fidei, & gravi ſcandalo totius populi Chriſtiani, quia juxta ſapientis edictum: *Vulnera dum ſanas, dolor eſt medicina doloris*: medicinalem Petri gladium in eum exeruimus, in ſpiritu lenitatis, excommunicationis ſententiam publicando, quam ipſe in ſe voluntarius fecerat promulgari: niſi ſtatuto termino transfretaret in terræ ſanctæ ſubſidium, & alia promiſſa fideliter adimpleret: ſperantes, ut percuſſus dolens, ad percutientem ſe in humilitate rediret, Dominum exercituum requirendo. Sed quod dolentes referimus, inclinato corde medicinam exhorrens, & increpationem abominans diſciplinæ, immo malleum velut ſtipulam reputans: non ſolum nulla pœnitudine ſe correxit, verum etiam adjiciens peccata peccatis, contra ſe Dominum audacter irritat, ultra quam recenſere nos deceat, ne videamur in ejus conviciis delectari, qui converſionem ejus deſiderabiliter expectamus. Inter alia namque claves eccleſiæ contemnens, quibus Dominus B. Petro & ſucceſſoribus ejus ligandi & ſolvendi contulit poteſtatem, ſibi facit celebrari, vel potius quantum in ipſo eſt, profanari Divina, in enormius animæ ſuæ periculum, & enervationem totius eccleſiaſticæ diſciplinæ. Unde timentes, ne plaga ejus fieret penitus deſperabilis, ſi male permitteremus obduci neglecti vulneris cicatricem, & eo inſanabile, quo inſenſibile redderetur: malagma ſtuduimus apponere ſanativum.

Utinam ſtudium noſtrum, optatum habuiſſet effectum. Cum enim piæ recordationis Honorius papa prædeceſſor noſter, per bonæ memoriæ Tuſculanum, & Sabinenſem epiſcopos, & dilectum filium magiſtrum G..... notarium noſtrum, & Roffridum clericum cameræ noſtræ, & abbatem S. Martini Viterbien. Ciſtercienſis ordinis, eumdem imperatorem diverſis temporibus, ſuper diverſis articulis, in quibus Deum & eccleſiam graviter offendebat, diligenter commoneri feciſſet: nos adhuc humiliantes vim auctoritatis eccleſiæ, ad præſentiam ejus dilectos filios.... tituli S. Sabinæ presbyterum, & O..., S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum, cardinales, curavimus deſtinare, ut eum ſuper præmiſſis, & ſubſequentibus vice noſtra ſalubriter commonerent. Qui licet de contingentibus nil omiſerint, nequaquam tamen eum potuerunt ad pœnitentiam revocare. Utinam ad nequiora nequaquam manus illicitas extendiſſet. Quare ne videremur deferre homini contra Deum, ecce juſtitiam in judicium convertentes, in proximo præterito feſto Cœnæ Dominicæ, in prædictum imperatorem excommunicationis ſententiam ſolemniter duximus promulgandam: tum pro eo quod, ut præmiſſum eſt, non transfretavit in ſubſidium terræ ſanctæ, nec promiſſum numerum militum in expenſis ſuis tenuit, vel tranſmiſit, nec pecuniam quam promiſerat deſtinavit; tum quia venerabilem fratrem noſtrum Tarentinum archiepiſcopum ad ſedem propriam accedere non permittens, eum populum ſuum non patitur viſitare, tum etiam quia Templarios, Hoſpitalarios bonis mobilibus & immobilibus, quæ habebant in regno, temere ſpoliavit; & quia compoſitionem factam inter ipſum, & comitem Celanenſem, & Raynaldum de Averſa, pro cujus obſervatione Romana eccleſia ad precum ejus inſtantiam fidejuſſit, ſervare contemnit; & quia comitem Rogerium cruceſignatum ſub apoſtolicæ ſedis protectione receptum, comitatu, & aliis terris indebite ſpoliavit, & filium ejus in captivitate detentum, ad mandatum apoſtolicum ſæpius iteratum reddere denegavit, &c.

ANNO CHRISTI 1228.

CONVENTUS EPISCOPORUM ET PROCERUM,

Bassegiæ inchoatus, Meldis continuatus, Lutetiæ absolutus.

In quo Raymundus comes Tolosanus, in gratiam ecclesiæ & S. Ludovici Franc. regis receptus est. Anno Domini MCCXXVIII.

Refertur hic conventus a Guillelmo de Podio Laurentii in chronico, ad ann. MCCXXVIII. Interea, *inquit*, venerabilis abbas Grandis-silvæ dominus Helias Garini venit de Francia, auctoritate legati pacem offerens Tolosanis, qui quassati multis vexationibus prælibatis, paci consentiunt faciendæ. Et sumptis treugis miscentur colloquia circa Vasegiam, & quod sit in Franciam eundum ordinatur. Et locus ad conveniendum primo fuit Meldis in Bria civitate comitis Campaniæ assignatus: affueruntque tam jussi quam spontanei, archiepiscopus, ejusque suffraganei provinciæ Narbonensis: veneruntque illuc comes Tolosanus, & alii viri, & cives Tolosæ, qui in forma pacis, seu aliis instrumentis inde formatis nominantur; eratque ibi legatus, pluresque alii prælati, qui fuerant evocati, ubi tractando pacis modum diebus pluribus est moratum. Deinde profecti sunt Parisius, ut in præsentia regis deberent omnia consummari: omnibusque ad calcem dictis & sigillatis, reconciliatus fuit comes in die Paraseves, & qui cum eo erant excommunicationis sententia innodati. Eratque pietas virum tantum videre, qui tanto tempore, tot & tantis nationibus poterat restitisse, duci nudum in camisia & braccis & nudis pedibus ad altare. Erant præsentes ad hæc, duo Romanæ ecclesiæ cardinales: unus legatus noster in regno Franciæ, & alius in regno Angliæ episcopus Portuensis. De forma vero pacis non mea interest scribere, cum vulgata, & scripta a pluribus habeatur.

Eadem habet ad verbum liber inscriptus, Præclara Francorum facinora. *Pacis autem acta, cum non regia tantum, sed etiam ecclesiastica auctoritate constituta fuerit, & ad res ecclesiæ omnia ferme illius capita pertineant, juvat hic describere ex Guillelmi Catelli libro II. hist. comit. Tolos.*

TRACTATUS LUDOVICI REGIS Franc. et Raimundi comitis Tolosani.

Coram legato, prælatis, & baronibus, factus in conventu Parisiensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod cum Raimundus filius Raimundi quondam comitis Tolosani diu in excommunicatione persistens, ecclesiæ & Dei volens esse longo tempore contumax & rebellis, ad cor tamen rediens Domino faciente, ad mandatum ecclesiæ & carissimi amici nostri Romani sancti Angeli diaconi cardinalis, apostolicæ sedis legati, nimium venit humiliter & devote absolutionem suam petens, gratiam & misericordiam ecclesiæ & nostram, & non judicium postulando. Promisit autem dicto legato nomine ecclesiæ Romanæ, & nobis, quod ecclesiæ, & nobis, & hæredibus nostris, de cetero erit devotus, & usque ad mortem fideliter adhærebit, & quod hæreticos & eorum credentes, fautores, & receptatores, in terra quam ipse & sui tenent, & tenebunt, semper totis viribus expugnabit, non parcens in hoc proximis, vassallis, consanguineis, nec amicis, & terram tandem purgabit ab hæreticis & hæretica fœditate, & juvabit etiam purgare & defendere terram quam nos tenebimus: & promisit quod justitiam debitam faciet sine mora de hæreticis manifestis, & fieri faciet per bailivos suos viriliter & potenter. Inquiret etiam diligenter & inquiri faciet de inveniendis hæreticis, credentibus, fautoribus & receptatoribus eorumdem, secundum ordinationem quam super hoc faciet dictus legatus. Et ut facilius & melius hæretici valeant inveniri, promisit quod solvet usque ad biennium duas marchas argenti, & exinde in perpetuum unam, ei qui hæreticum ceperit, & per episcopum loci vel alium qui potestatem habeat, ille qui captus erit, fuerit de hæresi condemnatus: ita quod si plures ceperit, pro singulis dabit vel dari faciet tantundem. De aliis non manifestis, & credentibus, & receptatoribus, & fautoribus hæreticorum, servabit & servari faciet secundum quod dictus legatus vel Romana ecclesia ordinabunt. Item servabit & servari faciet pacem in terra, quam ipse & sui tenebunt: & juvabit servari in terra quam nos in manu nostra tenebimus. Et Ruptarios expellet & puniet animadversione condigna & debita, & receptarios eorum. Ecclesias, & viros ecclesiasticos defendet & defendi faciet a suis, & jura, libertates, & immunitates quas habent, conservabit eisdem, & faciet firmiter conservari. Et ne de cetero in

ter-

ANNO CHRISTI 1228.

terra iſta claves eccleſiæ contemnantur, ſententias excommunicationis ſervabit, & a ſuis ſervari faciet, & per ſuos.

Excommunicatos vitabit, vel vitari faciet: ſicut in ſacris conſtitutionibus continetur. Et ſi aliqui in excommunicatione per annum contumaciter permanſerint, ex tum idem Raimundus ad mandatum eccleſiæ ipſos ad ſinum matris eccleſiæ redire compellet, occupando omnia bona ſua, mobilia & immobilia: & tenebit ea donec ad plenum ſatisfaciant de cauſa pro qua fuerunt excommunicationis vinculo innodati. Et de damnis datis occaſione excommunicationis prædictæ, faciet omnes bailivos ſuos, inſtitutos & inſtituendos, in ipſa inſtitutione jurare, quod omnia ſupradicta fideliter obſervabunt: ita quod ſi negligentes in his reperti fuerint, pro modo delicti punientur: & ſi culpabiles extiterint omnium puniantur amiſſione bonorum.

Inſtituet etiam bailivos, non Judæos, ſed Catholicos in terra, & nullius hæreſis ſuſpicione notatos. Et tales prohibiti nec poſſunt admitti ad emendum reditus civitatum, & villarum, vel caſtrorum, vel pedagiorum. Et ſi forte talis ignoranter inſtitutus fuerit, expellet eum & puniet, dum ſuper hoc fuerit certificatus.

Item, promiſit idem Raimundus quod omnia bona immobilia & jura eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum ad præſens reſtituet, & reſtitui faciet ad plenum a ſuis in tota terra quam ipſe & ſui tenebunt: illa videlicet quæ eccleſiæ vel perſonæ eccleſiaſticæ tenebant ante primum adventum cruceſignatorum, vel de quibus conſtabit eos ſpoliatos. De aliis autem ſtabit juri coram ordinariis, vel coram dicto legato, vel a ſede apoſtolica delegatis.

Promiſit etiam quod ipſe ſolvet impoſterum integre decimas, & ſolvi faciet integre a ſuis bona fide, & quod milites & alii laici non habeant decimas in terra quam ipſe & ſui tenent & tenebunt: nec permittet eos habere, ſed ad eccleſias juxta diſpoſitionem ipſius legati vel eccleſiæ Romanæ integre revertentur. Pro damnis vero illatis a ſe vel a ſuis, eccleſiis vel viris eccleſiaſticis ſuper rebus mobilibus, vel deſtructione caſtrorum, vel villarum, vel aliarum rerum, exceptis immobilibus de quibus fieri debet reſtitutio, ſicut ſuperius dictum eſt, ſolvet decem millia marcharum argenti, aſſignanda bonis perſonis idoneis, & fidelibus, quos ipſe legatus eliget, vel eccleſia Romana, qui quantitatem prædictam de bonorum virorum conſilio proportionaliter & fideliter divident, juxta quantitatem damnorum: nec poterunt ipſe vel ipſi pro damnis mobilium, vel deſtructione domorum, vel villarum, ſicut expreſſum eſt ſuperius, ultra ſummam illam amplius conveniri.

ANNO CHRISTI 1228.

Item, ſolvet abbatiæ Ciſtercienſi duo millia marcharum argenti, ut emantur inde reditus, pro refectione abbatum & fratrum, in capitulo generali. Abbatiæ Clarevallis quingentas marchas, ad emendos reditus pro refectione abbatum & fratrum, qui conveniunt, in feſto Nativitatis B. Virginis: abbatiæ Grandis ſilvæ mille marchas: abbatiæ Bellæperticæ trecentas marchas: abbatiæ Candeli ducentas marchas, ad dicta monaſteria conſtruenda, tam pro damnis eiſdem illatis in rebus mobilibus, quam pro ſalute animæ ſuæ.

Item, ſex millia marcharum ſolvet, quæ retinebuntur ad muniendum, infortiandum, & cuſtodiendum caſtrum Narbonenſe, & alia caſtra, quæ nos pro eccleſiæ & noſtra ſecuritate tenebimus, uſque ad decennium, prout inferius continetur, & ſicut viſum fuerit expedire: ſupradicta vero viginti millia marcharum, ſolvet hinc ad quatuor annos.

Item, quatuor millia marcharum deputabuntur ab ipſo Raimundo, duobus magiſtris theologiæ, duobus decretiſtis, ſex magiſtris liberalium artium, & duobus magiſtris grammaticis regentibus Toloſæ, quæ dividentur hoc modo. Singuli magiſtrorum theologiæ habebunt ſingulis annis quinquaginta marchas, uſque ad decennium, ſcilicet annuatim uterque magiſtrorum decretorum habebunt triginta marchas, uſque ad decennium, ſinguli magiſtri artium habebunt viginti marchas, uſque ad decennium.

Item, ſtatim poſt abſolutionem ſuam aſſumet pro pœnitentia crucem de manu domini legati contra Saracenos, & ibit ultra mare infra biennium, ibidem per quinquennium integre continuum moraturus. Illos autem qui adhæſerunt eccleſiæ, nobis, patri noſtro, comitibus Montisfortis, & adhærentibus eis, occaſione hujuſmodi quod adhæſerunt eccleſiæ, nobis, patri noſtro, comitibus Montisfortis, & adhærentibus eis, non gravabit, ſed benigne tractabit idem Raimundus eos tanquam amicos, ac ſi ei contrarii non fuiſſent, exceptis hæreticis, & credentibus ipſorum. Et eccleſia & nos humiliter faciemus illud idem de illis qui ipſi Raimundo contra nos & eccleſiam adhæſerunt: exceptis illis, qui ad pacem eccleſiæ &

ANNO CHRISTI 1228

noſtram non veniunt cum eodem Raimundo.

Nos autem attendentes humilitatem ejuſdem Raimundi, & ſperantes quod in devotione eccleſiæ & fidelitate noſtra perſeveret fideliter: volentes ſibi facere gratiam, filiam ſuam quam nobis tradet, trademus in uxorem uni de fratribus noſtris per diſpenſationem eccleſiæ, & dimittemus eidem Raimundo totum epiſcopatum Toloſanum, excepta terra mareſcalli, quam mareſcallus tenebit a nobis. Poſt mortem autem ejuſdem Raimundi, Toloſa & epiſcopatus Toloſanus erit fratris noſtri, qui habebit filiam ſuam in uxorem, & filiorum ſuſceptorum ex ipſis duobus. Si autem frater noſter, quod abſit, moreretur ſine filiis ex ipſa: Toloſa, & epiſcopatus Toloſanus revertentur ad nos, & hæredes noſtros, & filia, vel alii filii, vel filiæ, vel hæredes ipſius Raimundi, nihil juris in ipſis poteruut reclamare. Et ſi ipſa filia ſine filiis ex fratre noſtro moreretur, Toloſa ſimiliter & epiſcopatus Toloſanus ad nos, & hæredes noſtros revertentur: ita quod omni caſu contingente, ad nos & hæredes noſtros Toloſa, & epiſcopatus Toloſanus revertentur, & nulli poterunt ibi jus aliquod reclamare, niſi filii, aut filiæ deſcendentes ex fratre noſtro, & filiæ ejus, ſicut eſt ſupradictum.

Item dimittimus eidem Raimundo, Agennenſem & Caturcenſem epiſcopatus: de epiſcopatu Albienſi, dimittimus eidem Raimundo, quicquid eſt de epiſcopatu Albienſi, citra fluvium de Tarn, videlicet ex parte de Gaillac: & civitas Albienſis remanebit ex parte noſtra, & quicquid eſt ultra fluvium illum verſus Carcaſſonam, in eodem epiſcopatu Albienſi: & nos habebimus ripam, & aquam ex parte uſque ad medium flumen, & eidem Raimundus ſimiliter habeat ripam & aquam ad medium flumen ex parte ſua, ſalvis juribus & hæreditatibus aliorum, dummodo de iis qui ex parte Raimundi faciant quod debebunt, & ſimiliter ex noſtra. Epiſcopatum Caturcenſem dimittimus eidem Raimundo, excepta civitate Caturcenſi & feudis, & aliis quæ habuit in eodem epiſcopatu rex Philippus avus noſter tempore mortis ſuæ. Et ſi dictus Raimundus ſine filiis de legitimo matrimonio procreatis deceſſerit, tota terra remanebit filiæ ſuæ, quam habebit frater noſter in uxorem, & hæredibus ſuſceptis ab ea: ita quod dictus Raimundus ut verus dominus habet plenum jus & liberum dominium in ſupradicta terra quæ dimittitur ei, ſalvis conditionibus ſupradictis, tam de civitate Toloſæ, & epiſcopatu Toloſano, quam de terra alia ſuperius nominata, ut morte pias eleemoſynas facere poſſit, ſecundum uſum & conſuetudines aliorum baronum regni Franciæ. Supradicta omnia dimittimus ei ſalvo jure eccleſiæ & eccleſiaſticorum virorum, ſicut ſuperius eſt expreſſum. Unde Viridifolium cum pertinentiis ſuis, & villam de Lasbordes cum pertinentiis ſuis dimittimus, ſecundum ordinationem bonæ memoriæ patris noſtri Ludovici regis & comitis Montisfortis, epiſcopo Toloſano & filio O. de Luers: ita tamen quod epiſcopus Toloſanus pro Viridifolio faciat Raimundo quod debebat facere comiti Montisfortis, & filius ejuſdem faciat quod debebat facere bonæ memoriæ regi Ludovico patri noſtro. Donationes aliæ a nobis, vel a patre noſtro, vel a comitibus Montisfortis factæ, non teneantur, nec idem Raimundus vel ſui ad eas teneantur in terra, quæ ipſi Raimundo dimittitur. De omnibus ſupradictis dictus Raimundus faciet nobis homagium, ligium, & fidelitatem ſecundum conſuetudinem baronum regni Franciæ. Totam aliam terram quæ eſt citra Rhodanum in regno Francorum, & omne jus ſi quid ipſi Raimundo competit vel competere poſſet in ea præciſe & abſolute quitavit nobis, & hæredibus noſtris in perpetuum. Terram autem quæ eſt in Imperio ultra Rhodanum, & omne jus, ſi quod ipſi Raimundo competit vel competere poſſet in ea, præciſe & abſolute quitavit dicto legato nomine eccleſiæ in perpetuum.

Item, omnes indigenæ qui fayditi fuerunt, de terra illa pro eccleſia, pro patre noſtro, & comitibus Montisfortis, & adhærentibus eis, vel propria voluntate receſſerunt ab eadem terra, niſi inveniantur hæretici ab eccleſia condemnati, integre reſtituantur in ſtatum priſtinum quoad & hæreditates & poſſeſſiones, propter illa, ſi qua ex cauſa donationis a patre noſtro, vel a nobis, vel a comitibus Montisfortis habuerunt. Si vero aliqui hominum qui remanebunt in terra, quæ dimittitur Raimundo, noluerint redire ad mandatum eccleſiæ & noſtrum, ſpecialiter comes Fuxenſis, & alii: idem Raimundus faciet eis vivam guerram, nec pacem cum ipſis faciet vel treugas, ſine aſſenſu eccleſiæ & noſtro: & ſi terræ eorum occupabunt, remanebunt eidem Raimundo, deſtructis tamen prius omnibus munitionibus & fortalitiis, muris & foſſatis, niſi pro ſecuritate eccleſiæ, & noſtra,

ANNO CHRISTI 1228.

ANNO CHRISTI 1228.

ſtra, voluerimus ea retinere, uſque ad decennium poſt acquiſitionem: & tunc cum reditibus & proventibus ipſorum caſtrorum retinebimus ipſa.

Item idem Raimundus faciet dirui muros civitatis Toloſæ omnino, & foſſata impleri juxta mandatum, voluntatem, & ordinationem legati.

Item diruentur funditus, & replebuntur foſſata triginta villarum & caſtrorum per ipſum Raimundum, videlicet de Fano Jovis, de Caſtronovo, de la Beſſeda, de Avinioneto, de Podio Laurentii, de ſancto Paulo, de Vauro, de Rabaſtentiis, de Gaillaco, de Monteacuto, de Podio-celſis, de Verduno, de Caſtro Sarraceno, de Moyſſaco, de Monte-Albano, de Monte-Acuto, de Agenno, de Condomio, de Saverduno, de Alta Ripa, de Caſſanolio, de Pugeolis, de Alta-villar, de Villa Petrutii, de Layrac, & de quinque aliis ad voluntatem ipſius legati: nec poterunt reædificari ſine voluntate eccleſiæ, & noſtra, nec alibi fient novæ fortiæ. Villas tamen non infortiatas bene poterit facere idem Raimundus, ſi voluerit, in terra quæ dimittitur ei: ſi vero aliqua villarum vel caſtrorum quæ debent dirui, ut dictum eſt, eſſent hominum ſuorum, & nollent quod diruerentur: idem Raimundus faciet eis vivam guerram, nec pacem vel treugas ſine aſſenſu eccleſiæ & noſtro cum eis faciet, donec diruantur muri & impleantur foſſata omnia ſupradicta. Promiſit & juravit nobis & dicto legato præfatus Raimundus, ſe firmiter & perpetuo ſervaturum bona fide & ſine fraude & malo ingenio, & quod faciet bona fide, ab hominibus & vaſſallis & fidelibus ſuis firmiter obſervari. Faciet etiam illud idem jurare omnes cives Toloſanos, & alios homines terræ quæ dimittitur ei, & addet juramento illorum, quod dabunt operam efficacem, quod ipſe Raimundus ſervet ea. Et ſi idem Raimundus venit contra prædicta, vel aliquod prædictorum, ipſo facto de voluntate ejus ſunt abſoluti, & ex nunc ipſe eos abſolvit a fidelitate & hommagio, & omni alia obligatione, quibus ipſi tenentur, & adhærebunt eccleſiæ, & nobis contra ipſum, niſi infra quadraginta dies, poſtquam fuerit monitus, hoc emendaverit vel juri ſteterit coram eccleſia, de iis quæ ad eccleſiam pertinent, & juri coram rege de his quæ ad regem pertinent: & tota terra ipſa quæ dimittitur ei, incidet in commiſſum regis, & erit idem Raimundus in eo ſtatu in quo nunc eſt, quoad regem, & quoad excommunicationem, & omnia alia, quæ fuerunt ſtatuta contra ipſum & patrem ſuum in concilio generali, vel poſtea. Addetur etiam in juramento ipſorum, quod juvabunt eccleſiam contra hæreticos, credentes, fautores, & receptatores eorum, & contra omnes alios, qui occaſione hæreſis vel contemptus excommunicationis, eccleſiæ contrarii exiſterent in terra quæ dimittitur eis, & in terris aliis ſupradictis; & regem juvabunt contra omnes, & eis facient vivam guerram, donec ad mandatum eccleſiæ revertantur, & regis. Renovabuntur autem prædicta juramenta de quinquennio ad quinquennium, ad mandatum regis.

Ut autem omnia ſupradicta adimpleantur, & eccleſiæ & nobis plenius, & melius obſerventur: tradet pro ſecuritate eccleſiæ & noſtra in manibus noſtris caſtrum Narbonenſe, quod tenebimus uſque ad decennium, muniemus & infortiabimus, ſi viſum fuerit expedire.

Item, tradet nobis pro ſecuritate eccleſiæ & noſtra manibus noſtris caput caſtri Vauri, caſtrum de Monte-acuto, Penam de Ageneſio Rupeperuſii, caſtrum de Cordis, caſtrum de Verduno, caſtrum de Villomuri: & uſque ad decennium tenebimus ea, ita quod primis quinque annis ſolvet idem Raimundus nobis pro expenſis cuſtodiæ, quolibet anno mille quingentas libras Turonenſes, non computatis iis ſexmillibus marcharum ſupradictis. In aliis quinque annis ſi voluerimus tenere, faciemus expenſis propriis cuſtodiri: nos tamen poterimus, ſi placuerit eccleſiæ & nobis, diruere quatuor caſtra de prædictis, videlicet caſtrum Vauri, caput Caſtri novi, de Villomuro, & Verdunum. Et propter hoc non diminuetur prædicta ſumma mille & quingentarum librarum Turonenſium reditus & proventus caſtrorum, & omnia quæ jure dominii percipiuntur, erunt Raimundo: & nos ad ſumptus noſtros tenebimus capita ipſorum caſtrorum & Corduam. Et dictus Raimundus habebit ibi bailivos ſuos non ſuſpectos eccleſiæ, & nobis, qui faciant juſtitiam hominibus, & recipiant reditus & proventus prædictos: Poſt decennium autem reſtituemus dicta capita caſtrorum & Corduam dicto Raimundo libere, ſalvis conditionibus ſupradictis, & ſi prædicta omnia quantum ad eccleſiam & nos fuerint obſervata. Penam autem de Albigenſio tradet nobis infra Kalendas Auguſti proximas, cum aliis caſtris detinendam a nobis uſque ad decennium. Si vero illam non poterit habere uſque ad terminum

ANNO CHRISTI 1228.

ANNO CHRISTI 1228.

minum illum, tunc obsideri faciet, & A sis, ut dictum est: tanto tempore post vivam guerram fieri tamdiu quousque eam habeat, nec pacem, nec treugam cum ipso faciet qui tenet eam vel tenebit, donec ipsam habeat: non tamen propter hoc retardetur a peregrinatione transmarina de qua superius est ordinatum. Et si usque ad annum integrum post ipsas Kalendas Augusti tradiderit nobis prædictam Penam de Albigesio, erit in conditione supradictorum castrorum, scilicet quod reddemus ei, quando reddemus alia castra: si vero post annum prædictum ipsam Penam de Al B bigesio non poterit assignare, ex tunc eam tradet Templariis vel Hospitalariis, sive aliis religiosis in eleemosynam perpetuo, salvis hæreditatibus eorum qui se tenent ex parte nostra, possidendam ad voluntatem legati vel ecclesiæ Romanæ: tali conditione, quod ipsi non alienent ipsa de manu sua, nec de ea faciant guerram dicto Raimundo, nisi de mandato ecclesiæ. Et si non poterunt aliqui religiosi inveniri qui velint eam habere, diruatur omnino: nec possit reædificari sine voluntate ecclesiæ Ro C manæ & nostra, & ipsius Raimundi. Item donec dictam Penam de Albigesio tradat nobis vel Templariis, vel Hospitalariis, vel aliis religiosis sicut dictum est: tenebimus propter hoc obligatam Penam de Agenesiio, & castrum Narbonense. Et si etiam infra duennium det Penam de Albigesio Templariis vel Hospitalariis, vel aliis religiosis, ut dictum est: tanto tempore post decennium sumptibus nostris tenebimus, si voluerimus, illa duo castra prænominata, quanto tempore distulerit tradere Penam. Et si post decennium Pena de Albigesio non esset acquisita, tamdiu post tempus memoratum tenebimus post decennium illa duo castra, quousque ipsa esset restituta, & esset assignata, sicut superius est expressum.

ANNO CHRISTI 1228.

Et nos absolvimus, quantum ad nos pertinet, cives Tolosanos & alios homines terræ quam ipsi Raimundo dimittimus, a juramento & aliis obligationibus factis nobis, & patri nostro, & comitibus Montisfortis, vel aliis pro eis, a pœna, & incursibus, quibus nobis, vel patri nostro, vel episcopo Tolosano, vel aliis prælatis, vel comitibus Montisfortis, se obligaverant, si unquam in dominium ipsius Raimundi vel patris ejus reverterentur: salvis in omnibus & per omnia conditionibus supradictis. Ut autem prædicta omnia rata maneant, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisiis anno Domini MCCXXVIII. mense Aprili, regni vero nostri anno III. adstantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. Signum Roberti buticularii, signum Bartholomæi camerarii, signum Matthæi constabularii. Datum vacante cancellaria.

ANNO CHRISTI 1229.

ANNO CHRIS 1229

☞ AD CONVENTUM EPISCOPORUM ET PROCERUM

In quo Raymundus Tolosanus comes rediit in gratiam ecclesiæ, & S. Ludovici Francorum regis,

Anno 1229. *habitum.*

ADDITIO.

Ex Manfi Suppl. To. II. pag. 963.

„ APud Martene Anecdotorum tom. I. ex D chartario Campaniæ prodierunt tabulæ „ ipsæ conventionis, quibus pax ista inter To„ losanum comitem, & S. Ludovicum Franco„ rum regem coaluit: Has tabulas, quippe quæ „ maxime pertinent ad acta hujus conventus, „ ideo huc transferre opportunum censui. Cum „ præsertim litteræ encyclicæ regis Francorum, „ quæ in collectione Labbeana occurrunt, ad „ tractationem hanc non absolutam, sed agitari „ tantum cœptam pertineant. Sunt enim po„ stulationes a S. Ludovico rege propositæ. „ Quas vero ex Martene profero tabulæ, con„ ventionem ipsam partis utriusque consensu E „ firmatam exhibent. Cum vero charta hæc „ signetur anno 1228. mense januario stylo ve„ teri, satis indicat fœdus istud non nisi an„ no 1229. stylo novo absolutum perfectumque „ fuisse.

CHARTA H. * ABBATIS GRANDIS-SILVÆ.

* Hugoni

De pactis inter regem Francorum & Raymundum comitem Tolosanum.

EGo H. dictus abbas Grandis-Silvæ Cister- Extat i cienſis ordinis, notum facio omnibus præ- Mſert. A sentibus & futuris, quod ego a Fromondo filio necdot. t R. quondam comitis Tolosani per juramentum p. 493. ipsius corporaliter præstitum & litteras suas patentes constitutus procurator ad componendum inter ipsum & R. & dominum regem Francorum, in talem pacem cum consilio comitis Campaniæ TH. consensi, sicut inferius continetur: Totum episcopatum Tolosanum, excepta terra marescalli, quæ remanebit ex parte regis Francorum, dimittet idem rex R. filio R. quondam comitis Tolosani, tali modo &

tali

☞ tali conditione, quod ipſe R. ad præſens tradet regi filiam ſuam maritandam uni de fratribus ſuis, ſi eccleſia diſpenſaverit, & dictus R. a domino legato fuerit abſolutus uſque ad Paſcha primo futurum, ita quod filia Remondi habebit totum epiſcopatum Toloſanum poſt mortem ipſius Farmundi, ſive idem F. habuerit alios filios ſive non. Si puella moreretur antequam ipſe Farmundus & filios & filias haberet, frater domini regis ex ea habebunt totum ipſum epiſcopatum, ſive ipſe R. habebit filios vel filias, ſive non poſt mortem ejuſdem Remondi. Item ſi illa moreretur & F. non haberet filios vel filias de legitimo matrimonio procreatos, nihilominus Toloſa cum toto epiſcopatu Toloſano reverteretur ad dominum regem vel fratrem ejus, ſi dominus rex voluntatem habuerit poſt mortem ipſius fratris R. Si autem R. deceſſerit ſine filiis de legitimo matrimonio procreatis, etiam alia terra remanebit prædictæ filiæ ſuæ. Si autem ipſa puella moreretur antequam pater ſuus ſine liberis, & dictus R. alios haberet de legitimo matrimonio procreatos, ad eos epiſcopatus Toloſanus devolveretur, ita tamen quod dictus R. in omnibus caſibus ſupradictis, ut verus dominus, habebit plenum jus liberum dominium utendi & fruendi, & in morte pias eleemoſynas faciendi ſecundum uſus & conſuetudines aliorum baronum regni Franciæ. Item dimittet ei dominus rex epiſcopatum Agennenſem, Rutenenſem. De epiſcopatu Albienſi dimittet eidem R. dominus rex partem illam quæ eſt ultra fluvium de *Tart.* & Cuus Calven remanebit domino regi, & quidquid eſt contra illud fluvium verſus Carcaſonam. Epiſcopatum Caturcenſem dimittet ea excepta civitate Caturcenſi & feudis & aliis, quæ habuit in eodem epiſcopatu rex PH. avus iſtius domini regis tempore mortis ſuæ: ita tamen quod ſuper hoc ſtabit idem R. & etiam dominus rex *haut & bas* voluntate domini legati & comitum Campaniæ & Math. quod ſi ipſi tres diſcordarent, valebit quod factum fuerit a domino legato cum altero eorum. De villa C. Antonii rogabit dominus Rex bona fide homines illius villæ quod revertantur ad dominium illius R. aliquin ſtabunt dominus rex & R. voluntati domini legati & comitum prædictorum ſupradicto modo. Supradicta omnia demittet ei dominus rex ſalvo jure eccleſiarum de donationibus factis in terra & juribus aliorum. Loquentur dominus legatus & comes Campaniæ ac nuntii domini regis cum eodem Raymundo in primo colloquio quod habebunt. De omnibus ſupradictis quæ remanebunt eidem Raymundo faciet domino regi ligium hominum & fidelitatem ſecundum conſuetudinem baronum domini regis Franciæ. Totam aliam terram quæ eſt circa Rodanum in regno Franciæ, & omne jus quod ipſi R. competit vel competere poſſet in ea præciſe & abſolute quitabit domino regi & hæredibus ejus in perpetuum: terram autem quæ eſt in imperio ultra Rodanum, & omne jus quod ipſi Raim. competit vel competere poſſit in ea præciſe & abſolute quitabit domino legato nomine eccleſiæ in perpetuum. Item omnes illi qui nati ſunt de terra illa, qui fuditi fuerunt pro eccleſia & domino rege Francorum & comitibus Montisfortis & adhærentibus eis, vel propria voluntate receſſerunt ab eadem terra, niſi ſint hæretici, integre reſtituantur in ſtatum priſtinum, quoad hæreditates in terra quæ remanebit R. ſi vero aliqui homines qui remanebunt in terra quæ dimittetur Raymundo, voluerint redire ad mandatum eccleſiæ & domini regis, & R. faciet eis vivam guerram, nec pacem cum ipſis faciet ſine aſſenſu eccleſiæ & domini regis; idem Raymundus ſecuritatem præſtabit eccleſiæ & domino regi pro pace ſervanda. Imprimis jurabit quod bona fide, & ſine fraude & malo ingenio obſervabit omnia ſupradicta; & faciet bona fide ab hominibus & vaſſallis & fidelibus ſuis firmiter obſervari. Faciet etiam jurare illud idem omnes cives Toloſanos, & alios homines terræ ſuæ quæ remanebit ſibi, & quod dabunt curam efficacem, quod ipſe ſervet ea: ita videlicet quod ſi ipſe R. venerit contra pacem iſtam, ipſo facto ſint abſoluti a fidelitate & homagio, & omni alia obligatione quibus ipſi tenerentur, & adhærebunt eccleſiæ & domino regi contra ipſum, niſi infra XL. dies, poſtquam fuerit monitus hoc emendaverit, vel juri ſteterit coram eccleſia de iis, quæ ad eccleſiam pertinent, & coram domino de iis quæ pertinent ad dominum regem, & tota terra ipſa incidet in commandam domini regis.... dem R. in eo ſtatu, in quo nunc eſt, quoad excommunicationem & omnia alia quæ fuerunt ſtatuta contra ipſum & patrem ſuum in concilio generali vel paſtori * Renovabuntur autem juramenta prædicta de quinquennio in quinquennium, ad mandatum domini regis. Item dabit pro ſecuritate eccleſiæ & domini regis in manibus ipſius domini regis Caput Caſtri novi, Caput caſtri Vauri, caſtrum de Monte-acuto, pennam de Algis., pennam de Agenn., Rupem Peruſii, Caſtrum de Cordia, Caſtrum de Verduno, Caſtrum de Ville-Muro, & uſque ad decennium tenebit dominus rex ea: ita quod primis quinque annis ſolvet idem R. pro expenſis cuſtodum quolibet anno mille & quingentas libras Turonenſes. Si autem dominus rex voluerit diruere Caput Caſtri Novi, Caput Vauri, Villæ Mauri, & Verduni poterit hoc facere, & propter hoc non diminuetur ſumma prædicta mille & quingentarum librarum Turonenſium. In aliis quinque annis ſi dominus rex voluerit tenere propriis expenſis, faciet cuſtodire reditus, & proventus caſtrorum erunt Raymundi. Diruantur muri & impleantur foſſata iſtorum caſtrorum & villarum, ſcilicet de Fano-Jovis, de Caſtro-novo, de Labeteda, de Avinione; item de Podio-Laurentii, de S. Paulo, de ſancto Vauro, de Rabeſten, de Gaillac, de Monteacuto, de Podio-celſi, de Verduno, de caſtro Sorraceni, de Moiſac, de Monte-Albano, de Monte-cuto, de Agenna, de Condomo, de Sauduno, de Alta-ripa, de Caſſeholio, de Pugeolio, de Alto-villari, de Villa-Perucii, de Louraç, de quinque aliis ad voluntatem domini legati. Non poterunt rædificari ſine voluntate domini regis, nec alibi fient novæ fortalitiæ: villas tamen non infortiatas bene poterit facere idem R. quæ remanebunt ei, ſi voluerit. Si autem aliqua villarum, vel caſtrorum, quæ debent dirui, ſicut dictum eſt, eſſent hominum ſuorum, & nollent quod diruer..... Raymundus faciet eis vivam guerram, nec pacem vel treguas ſine aſſenſu eccleſiæ, vel domini regis cum eis faciet, donec diruantur & impleantur foſſat. Si autem eccleſia non diſpenſaverit, ut dictum eſt, & non fuerit abſolutus a domino legato, non tenebitur dominus rex ſervare pacem iſtam; & ſi per dominum regem.....

quæ-

ANNO CHRISTI 1229.

* f. particulari

quominus ſerventur ſupradictæ, Raymundus non tenebitur ſervare pacem iſtam. ANNO CHRISTI 1229.

Actum anno Domini MCCXXVIII. menſe Januario. ANNO CHRISTI 1229.

GRÆCORUM SCHISMATICORUM SYNODUS

Sub Athanaſio Patriarcha de quibuſdam juris capitibus,

Circa hos annos celebrata.

Ibid. JOannes Boivinus vir clariſſimus in notis ad librum VI. Nicephori Gregoræ prodit in codice Græco regiæ Bibliothecæ extare opuſcula quædam Athanaſii Patriarc. Conſtantinopolitani, inter. quæ unum, hunc titulum præfert: *Novella ſeu relatio Patriarchæ Dom. Andronicum Palæologum; de quibuſdam juris capitibus, in modum novellæ, quam imperator approbavit.* De hac vero ſynodo nihil præter hæc pauca ſcimus.

CONSTITUTIONES

Bonæ memoriæ

DOMINI WILLIELMI DE BLEYS EDITÆ

Anno pontificatus ſui XI. Chriſti 1229.

I.

Ibid. Extant apud Wilkins t. I. p. 623. ex MS. Warthon. fol. 315. QUoniam inter omnia ſacramenta eccleſiæ illud conſtat eſſe præcipuum, in quo ſanctiſſima fit confectio corporis & ſanguinis D. N. Jeſu Chriſti, in præſenti ſynodo ſtatuimus, ut idem ſacramentum cum ſumma diligentia & debita devotione celebretur. Circa ſpecies, itaque, quæ ad idem ſacramentum exiguntur, cura diligentior adhibenda eſt, ut ſcilicet oblatæ de puro grano frumenti fiant. Miniſtri eccleſiæ induti ſuperpelliciis in loco honeſto ſedeant, quando oblatas faciunt. Inſtrumentum, in quo oblatæ coquendæ ſunt, cera tantum liniatur, non oleo, vel alio ſagimento; oblatæ honeſtum candorem & decentem rotunditatem habentes, ſupra menſam altaris offerantur. Vinum ſani ſaporis, non acidum, nedum acetum, in calice infundatur, aqua modica vino admiſceatur, ita quod a vino abſorbeatur. Verba canonis in conſecratione miſſæ maxime diſtincte, plene, & integre proferantur; hoſtiæ conſecratæ in pixide munda & honeſta reponantur, nec ultra ſeptem dies conſerventur; ſed qualibet ſeptimana innoventur. Euchariſtia, tintinnabulo ſonante & lumine præcedente, niſi inæqualitas temporis vel loci remotio impediret, cum debita celeritate ad infirmum deferatur, & cum debita honeſtate infirmo detur. Dante ſcilicet ſuperpellicio induto, & lumine cereo accenſo; ſufficiat infirmo ſemel in ſeptimana corpus Domini ſuſcipere, & ſemel in anno unctione infirmorum inungi.

De ornamentis eccleſiarum.

II.

In qualibet eccleſia hæc ſubſcripta ad minus haberi debent. In ornatu altaris duo paria veſtimentorum, cum duobus paribus corporalium, amplitudinis congruentis, cum una rochetta, unum feſtivale, & aliud feriale, in quo ſacerdos altaris mortuus tumuletur, ſi neceſſe fuerit. Duæ palliæ altaris, una feſtivalis, & alia ferialis. Tria lintea, unum benedictum ad minus; duo calices, unus argenteus, in quo celebretur, alius ſtanneus non benedictus, cum quo ſacerdos altaris ſepeliatur. Duæ pixides, una argentea, vel eburnea, vel de opere lemoniticò, vel alia idonea, in qua hoſtiæ reſerventur, & ſub fideli cuſtodia clavi adhibita conſerventur, ſecundum tenorem concilii; alia decens & honeſta, in qua oblatæ reponantur. Duo vaſa unum vinarium, & aliud aquarium. Unum par candelabrorum, unum thuribulum, unum chriſmatorum decens & honeſtum, & ſub fideli cuſtodia clavi adhibita conſervatum, ſecundum tenorem concilii. Duæ cruces, una proceſſionalis & alia ad officium mortuorum.

De ornatu chori.

III.

In ornatu chori duo ſuperpellicia, unum vexillum, unum velum quadrageſimale, unum ſacrarium immobile, una lanterna vel bocca, unum tintinnabulum, cum quo corpus Chriſti deferetur ad infirmos, præferendum & pulſandum, operimentum decens & honeſtum inter altare & ſummitatem chori; feneſtræ vitreæ & chorus ipſe decenter coopertus.

De ornatu corporis eccleſiæ.

IV.

In ornatu corporis eccleſiæ corpus ipſum decenter coopertum, feneſtræ vitreæ, fons baptiſmalis lapideus, & decenter coopertus, vas ſtanneum vel plumbeum ad minus ad aquam benedictam, feretrum competens ad ſepulturam mortuorum, una lancea ad vexillum deferendum.

De

ANNO CHRISTI 1229.

De cœmeterio.

V.

In ornatu cœmeterii ipſum cœmeterium ſit decenter circumvallatum muro, vel ſepe, vel foſſato; nulla pars cœmeterii ædificiis occupata ſit, niſi tempore hoſtilitatis. Crux decens & honeſta, vel in ipſo cœmeterio erecta, ad quam fiet proceſſio ipſo die Palmarum, niſi in alio loco conſuevit fieri.

De miniſtro altaris.

V I.

Item is, qui miniſtrat ſacerdoti in celebratione miſſæ, ſuperpellicio induatur, & non minialiter.

Item de eccleſiis dedicatis & altaribus.

V I I.

Item in eccleſiis dedicatis annus, & dies dedicationis, & nomen dedicantis, & nomen ſancti, in cujus honore dedicata eſt eccleſia, diſtincte & aperte ſcribantur circa majus altare, in loco ad hunc idoneo: idem fiat circa minora altaria.

De dedicatione eorundem, & de confeſſionibus audiendis, & quomodo ſit pœnitentia laicis injungenda.

V I I I.

Statuimus, ut ſacerdos ante confeſſionem laici pœnitentis inſtruat eum de fide ſecundum formam & ordinem contentum in ſymbolo apoſtolorum ſub lingua ei nota, ut ſacerdos ante confeſſionem pœnitentis manu, * confortatione & exhortatione, ne deſperet de magnitudine vel enormitate peccati, vel de multitudine peccatorum. Exhortatione, ut & circumſtantias peccati confiteatur, effundens cor ſuum ſicut aquam coram Domino; ut ſacerdos poſt confeſſionem pœnitentis plenius inſtruat eum de ſeptem vitiis & ſpeciebus eorum, ut facilius revocet ad memoriam, in qua ſpecie peccaverit; ut in pœnitentia laico injungenda ſpecialiter injungatur ei, ut ſepties in die dicat orationem dominicam, cum ſymbolo apoſtolorum, & ſemel in nocte; ut ſacerdos laico injungens pœnitentiam inter cetera, ut quoties tranſitum facit per cœmeterium, dicat orationem dominicam pro animabus omnium fidelium defunctorum, quorum corpora ibi requieſcunt, & tranſitum faciens per crucem, inclinet ſe & dicat orationem dominicam in honore crucifixi.

forte *moveat eum*

De perjuris in cauſis matrimonialibus vel aliis.

I X.

Ut confitentibus ſe perjuros in aſſiſa domini regis, vel in compurgatione ſuper defamatione adulterii, vel cauſæ matrimonii a ſimplici ſacerdote non injungatur pœnitentia, ſed ab epiſcopo, ad quem per ſacerdotem, cui confitentur, ſunt tranſmittendi. Si ſacerdotes injungunt

A parochianis ſuis in confeſſionibus de trecenariis ab ipſis faciendum. Item ſacerdotes ſæpius denuncient publice in eccleſia parochianis ſuis, quod cum ipſi ex caſu infirmitatis volunt habere medicos corporum, prius ſibi conſulant de ſalute animarum ſuarum; & tunc demum ad remedium corporalis medicinæ procedatur, ſecundum tenorem concilii. Item denuncient ſacerdotes publice in eccleſiis, quod ſi quis medicorum ſuadet aliquid alicui, quod vertatur in periculum animæ ſuæ, non admittat illud ſecundum tenorem concilii. Item ſacerdotes frequenter in eccleſiis publicent, quod quilibet fidelis omnia ſua ſolus peccata confiteri debet, ſaltem ſemel in anno, proprio ſacerdoti, & ad B minus ſemel, ſcilicet in Paſcha, euchariſtiam ſuſcipere ſecundum tenorem ejuſdem concilii. Item, ſi alieno ſacerdoti juſta de cauſa peccata ſua voluerit confiteri, licentiam prius poſtulet a proprio ſacerdote, & ipſe ei licentiam concedat, ſalvo jure eccleſiæ ſuæ. Item ſacerdos caveat, ne verbo vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem; ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque expreſſione alicujus perſonæ caute requirat, ſecundum tenorem concilii.

ANNO CHRISTI 1229.

De confeſſoribus clericorum.

X.

C

In quolibet decanatu per capitulum loci ſub periculo animarum eligantur duo ſacerdotes, de quorum honeſtate & litteratura conſtiterit, quorum alteri, cui voluerint, quilibet ſacerdos de decanatu confeſſionem faciat.

De horis pſallendis, & de aliis articulis contingentibus eccleſias & earum miniſtros.

X I.

Statuimus, ut ſingulæ horæ canonicæ pſallantur, ut audito verbo ultimo verſus præcedentis D incipiatur ſequens. Ut nullus ſacerdos bis celebret in die, niſi in die natalis Domini, vel Reſurrectionis dominicæ, vel corporis ſepeliendi; & tunc calicis recentationem in prima celebratione non præſumat, antequam ſecundo celebret; ut in diebus dominicis & aliis feſtis præcipuis, in quibus non niſi ſemel celebrandum eſt, miſſa pro defunctis non celebretur, ſed miſſa de die. Ne ſacerdotes opera ſervilia & ordini incongrua faciant, nec cappas manicatas habeant, vel manicas laciatas, vel ſotulares laciatos, vel hujuſmodi. Nec ſacerdotes ad tabernas accedant, nec ſcotalla, vel hujuſmodi potantes faciant, nec in eccleſiis hujuſmodi potationes denuncientur. Ut nullus epiſtolam le- E gat in eccleſia, niſi fuerit ſubdiaconus, niſi cauſa neceſſitatis. Item nec ſacerdotes pro exequiis mortuorum aut benedictione nubentium, vel conſimilibus pecuniam exigant, vel extorqueant, contra formam concilii. Ut aqua benedicta pauperibus tantum ſcholaribus conferatur. Item in qualibet capella, quæ ſingulis ſeptimanis diebus pluribus vel die tantum una cantariam habet, proprium ornamentum habeat tam in libris, quam in veſtimentis, & ita muro, vel ſepe, vel foſſato circumdetur, ne ad eam pateat acceſſus animalium. Ne pallæ altaris etiam non benedictæ ad domos ornandas, vel

☞ thalamos nuptiales, vel ad alios usus commu-
nes tribuantur. Ne quis pannos chrismales in usus
ANNO CHRISTI 1229. communes, sed in tantum usus ecclesiasticos con-
vertat. Ne ligna ecclesiæ dedicatæ & dirutæ ad
usus communes applicentur. Ne candelæ bene-
dictæ in festo purificationis ad usus communes
expendantur; sed si oportuerit, primo liquefiat
cera, & sic expendatur. Ne cerei sophistici in
ecclesiis habeantur; sed si inventi fuerint, con-
fringantur; ut domus a cœmeteriis ejiciantur,
ut cœmeteria munda conserventur, nec placita
secularia in eis placitentur, sicut nec in eccle-
siis; nec fora venalium in ipsis exerceantur,
nisi in specialibus nundinis ecclesiæ. Ut in do-
minicis diebus mercata nullatenus exerceantur;
ut cantilenæ seculares, quamdiu corpora defun-
ctorum in domibus jacent, nec choreæ, nec lu-
ctæ in eisdem fiant. Ut nec choreæ nec luctæ
fiant prope cœmeterium, quamdiu matutinæ,
missa, & vesperæ cantentur. Ut laici non se-
deant in choro inter clericos, nec crucem, nec
cereum deferant in processionibus, nisi ex cau-
sa necessitatis. Ut cum bladium in autumno
collectum fuerit, solis debilibus & egenis perso-
nis spicas remanentes colligere liceat; & quili-
bet sacerdos illud denunciet in ecclesia; & si
opus fuerit, injungat parochianis suis in con-
fessionibus in Quadragesima. Item prohibemus
sub interminatione suspensionis, ne presbyteri
vel clerici in sacris ordinibus constituti, erra-
bundi sint de nocte per villas, vel per provin-
cias, nisi causa necessitatis oporteat infirmos
visitare. Item statuimus, ut rectores ecclesia-
rum capellanos suos annuos exhibeant, in equis
& victualibus, in eundo versus synodum & re-
deundo, & ne aliter inter eos conveniat. Item, ut
quilibet capellanus annuus honestam & competen-
tem habeat sustentationem, ad valentiam trium
marcarum ad minus, nisi fuerit ad mensam. Ne
mulieres cum peplis croceis admittantur ad
aquam benedictam, vel panem benedictum. Ut
sacerdos, quando negotia ecclesiæ parochianis
suis exponit, & contradictorem inveniat, qui
nolit cautionem præstare quod juri parebit in
capitulo suo loci, vel coram episcopo de eo,
quod objecit; habeat potestatem interdicendi ei
ingressum ecclesiæ, sed non relaxabitur, nisi
per episcopum, vel ejus officialem.

De excommunicatis & communicantibus cum eis.

XII.

Cum aliquis denunciatur excommunicatus,
tam decanus loci, quam capellanus, cujus pa-
rochianus est denunciatus, sub periculo animæ
suæ diligentem faciat inquisitionem de commu-
nicantibus cum excommunicato, & nomine eo-
rum episcopo vel ejus officiali denuncientur. Ut
quando pulsatur campana pro terra sancta in
celebratione missæ, quilibet hoc audiens extra
ecclesiam & intelligens, flexis genibus dicat ora-
tionem dominicam, scilicet "Pater noster, "
pro succursu terræ sanctæ.

De capellanis annuis & clericis notatis vitio incontinentiæ.

XIII.

Ut capellani annui amoveantur infra septen-
nium, nisi ex justa causa & rationabili; ut sa-
cerdotes annui ministrantes vitio incontinentiæ
notati chartas suas conficiant, quod de cætero
honestæ conversationis erunt, & caste vivent sub
ANNO CHRISTI 1229. pœna pecuniaria per cautionem fidejussoriam ad-
hibitam; ita videlicet, quod si de cetero super
eodem vitio convicti fuerint, vel quasi convicti,
in episcopatu non ministrent.

De fidei datione in contractu matrimoniali.

XIV.

Prohibemus sub pœna suspensionis, ne sacer-
dotes interfint fidei dationi etiam per verba de
præsenti factæ in contractu matrimoniali sine
denunciatione præmissa. Item, ut nec sacerdos
nec etiam laicus interfint fidei dationi factæ per
verba de futuro in contractu matrimoniali; quod
si interfint, tam fide obligati, quam illi, qui
interfuerunt fidei dationi, gravi pœna tam spi-
rituali, quam pecuniaria puniantur.

Qualiter decimæ garbarum solvendæ sunt.

XV.

Statuimus, ut nullæ garbæ de blado decimando
alicui pro servitio, vel aliquo alio modo
dentur, antequam decimentur; vel si datæ fue-
rint, sub interminatione anathematis computen-
tur. Si bladum detur ad metendum aliquibus
de alia parochia maxime ad garbam aliquotam,
quicquid de hoc provenit messoribus, sub inter-
minatione anathematis computetur, antequam
de campo asportetur. Quod si ad villam de-
beat, per dominum prædii ad villam deferatur,
& ibi decimetur. Ut nullus laicus ecclesiasticum
beneficium per se, vel per alium ad firmam re-
cipiat; vel decimas garbarum, antequam colle-
ctæ fuerint, emat. Ut de negotiatione vel arti-
ficio ecclesiæ illius parochiæ, in qua quis domi-
cilium habet, decimas det, licet in alia paro-
chia negotietur, vel artificio utatur.

De decimis provenientibus de nutrimentis animalium.

XVI.

Ne decimarum confusio provenientium de la-
na, & agnis, & caseis omnium ecclesiarum per-
sonis amodo contentionis occasionem generet,
cum consilio totius synodi nostræ in episcopatu
nostro statuimus, quod in quacunque parochia
per totum annum fuerit ovile ovium, licet
oves parochiæ vicinæ limites transeant ad pa-
scua quærenda, illi ecclesiæ integre reddatur
decima, ubi fuit earum ovile & remanentia.
Quod si oves ab una parochia in aliam ex toto
translatæ fuerint, & per aliquam partem anni
in ea moram fecerint, & per aliam in alia;
ecclesiæ, in quarum parochiis sic moram fece-
rint, secundum quantitatem temporis, & mo-
ræ, proventum decimationis percipiant tam de
lana, tam de agnis, quam caseis; ita scilicet
quod ecclesia illa, in cujus parochia major mo-
ra fuerit, uberius recipiat; illi autem, in cujus
parochia minorem moram fecerit, secundum
quantitatem temporis & moræ, sicut diximus,
minor portio decimæ remaneat. Similiter de
decimis, quæ ex vaccis proveniunt, statuendum
duximus, quod ubicunque fuerit earum recepta-
culum, licet in vicinis parochiis pascua quærant,

ibi

ibi tota remaneat decima, ubi fuerit earum domicilium & remanentia.

ANNO CHRISTI 1229.

De eccleſiis datis ad firmam ſine conſenſu epiſcopi.

XVII.

Statuimus, ut eccleſiæ certis perſonis deputatæ, nulli dentur ad firmam, niſi juſta cauſa ſubfuerit, & a ſuo epiſcopo approbata; & de ejus conſenſu alicui honeſtæ perſonæ detur ad firmam, de quo ſimiliter præſumi debeat, quod fructus eccleſiæ in bonos uſus convertat; ut decimæ fœni integre reddantur, vel decima pars prati in loco competenti, & ſine præjudicio eccleſiæ aſſignetur, niſi prius fuerit aſſignata. Statuimus, ut nullus fiat decanus, niſi habeat beneficium; ut nullus decanus habeat apparitorem, niſi fuerit clericus, & ad minus ordinatus in acolythum. Item cum perſona vel vicarius deceſſerit, omnia inſtrumenta ſua immobilia remaneant ſuo ſucceſſori. Item una menſa cum duobus tripodibus, & major, ſi plures fuerint inventæ. Item una arca, & major, ſi plures fuerint. Item una olla ærea, & major, ſi plures fuerint inventæ. Item una carecca, & melior, ſi plures fuerint inventæ. Item una canna, & major, ſi plures fuerint inventæ. Item unum dolium, & majus, ſi plura fuerint inventa. Ne terræ eccleſiarum dentur ad firmam laicis & liberis hominibus. Item cum perſona vel vicarius deceſſerit; non fiat diſtributio rerum ſuarum, antequam conſtiterit epiſcopo, vel ejus officiali, ipſum condidiſſe teſtamentum, & interim faciet decanus omnia bona ſua fideliter conſervari. Item ne perſonæ vel vicarii habentes loca, in quibus ædificare poſſint in feodo eccleſiaſtico, in laicali ædificare præſumant. Item cum perſona vel vicarius deceſſerit ante annunciationem beatæ Mariæ, omnes proventus, quos in terris eccleſiæ perſonaliter ſeminaverit, percipiet; ſi vero ad firmam dederit, nihil habebit. Prohibemus ſub interminatione anathematis, ne eccleſiaſtica perſona decimas ponat in laico feodo, cum habeat feodum eccleſiaſticum, in quo poſſit ponere. Prohibemus, ne Judæi libros vel veſtimenta vel alia ornamenta eccleſiaſtica loco pignoris vel alio modo recipiant; quod ſi fecerint niſi commoniti ea reſtituerint eccleſiis, de quibus ſurrepta fuerint, ſubtrahatur eis participium chriſtianorum, ſecundum tenorem concilii. Item prohibemus ſub interminatione anathematis, ne mulieres chriſtianæ nutriant pueros Judæorum, nec habeant Judæi ſervientes mulieres chriſtianas, quæ in hoſpitiis eorum pernoctent. Item ne chriſtiani accipiant pecuniam Judæorum ad deponendum in eccleſiis quaſi res proprias, ut magis ſalvo cuſtodiantur. Item ne chriſtiani accipiant pecuniam Judæorum, ad deponendum in eccleſiis, quaſi res proprias; ut magis ſcilicet mutuo præſtent denarios Judæis, ut eos tradant ad uſuram ſpe lucri recipiendi.

De clericis coronatis captis, ſive noti fuerint, ſive ignoti.

XVIII.

Item ſi clericus captus fuerit, habens coronam & tonſuram competentem, & litteratus fuerit, ſive notus fuerit, ſive ignotus, moneantur captores & detentores per decanum loci, ut eum libere & ſine difficultate recedere dimittant; niſi forte deprehenſus fuerit in manifeſto delicto; & tunc exigat eum decanus loci, ut ei cuſtodiendus dimittatur, auctoritate domini epiſcopi; quod ſi negatum fuerit, admonitione præmiſſa, eadem die excommunicentur nominatim. Et adeantur auctores captionis & detentionis & moneantur, ut clericum captum, ſicut prædictum eſt, faciant dimitti; quod ſi infra triduum non fecerint, ſive cives fuerint ſive burgenſes, civitas ſive burgum interdicto ſupponatur. Si vero per conſtabularium ſive caſtellanum captus fuerit, & detentus clericus prædicto modo; moneantur, ut ſupra dictum eſt de captoribus & detentoribus civitatis vel burgi; & eodem modo fiat executio ſententiæ contra eum. Et ſi neceſſe fuerit, adeatur vicecomes loci, vel ſi abſens fuerit, ipſe, qui vices ſuas in abſentia ſua ipſius gerit, & moneatur competenter, ut clericum prædictum prædicto modo faciat liberari. Quod ſi infra octo dies non fecerit, ſupponatur terra ejus interdicto. Si vero terram in epiſcopatu non habuerit, poſt 8. dies ſuſpendatur ab ingreſſu eccleſiæ; poſt 15. vero dies, dictus vicecomes, ſi in prædicta contumacia perſeveraverit, nominatim excommunicetur. Item, ſi rector eccleſiæ penſionarius decedat circa feſtum ſancti Michaelis, qui teneatur vel viris religioſis vel alii eccleſiaſticæ perſonæ in aliqua penſione ſolvenda, ſtatuimus, ut de bonis defuncti reſpondeatur ei, cui debetur penſio, uſque ad annunciationem beatæ Mariæ ſequentem; & ſucceſſor ejus ab illo termino de debita penſione reſpondeat.

ANNO CHRISTI 1229.

De cereo paſchali ad eccleſias præſentando & actis conſiſtorii.

XIX.

Ut poſt diem ſanctæ Trinitatis fiant minores cerei de cereo paſchali, qui cedant in uſus communes altarium & pauperum mortuorum. Ut nullus niſi ſacerdos admittatur ad aliquam eccleſiam, cujus æſtimatio non excedit v. marcas, ſed ad minus reſidentiam faciat in eadem eccleſia. Ut acta confecta in conſiſtorio epiſcopi communiter legantur, antequam recedat conſiſtorium.

De decimis agnorum, vellerum, & hujuſmodi aliis tangentibus clerum.

XX.

Ut autem in diœceſi noſtra uniformis ſit præſtatio decimarum agnorum & vellerum, & ut laicis ſubtrahatur occaſio malignandi; ſtatuimus, ut præſente rectore eccleſiæ vel ejus miniſtro fiat prædictorum decimatio; quod ſi laici ad hoc induci non poſſint, per cenſuram eccleſiaſticam ad hoc faciendum compellantur. Ut quilibet capellanus curam habens animarum ad ſynodum veniat, & ſupraſcriptas conſtitutiones ſecum deferat, & cum lectæ fuerint in ſynodo, de eiſdem diſtincte & aperte reſpondere, & cum requiſitus fuerit, eaſdem legere ſciat ſub pœna ſuſpenſionis. Ut rectores eccleſiarum, qui ſcienter faciunt ſacerdotes incontinentes deſervire eccleſiis ſuis, pœna puniantur canonica. Ut rectores eccleſiarum libros habeant emendatos, quoniam per falſos libros in eccleſia multa le-

guntur indecentia. Ut ſacerdotes moneant & efficaciter inducant parochianos ſuos, ut cru-
ANNO CHRISTI 1229. ces, ſigna victoriæ noſtræ, quæ pro pace vel pro defunctis aliquando fuerint electæ, & nunc jacent dirutæ, de novo erigantur, quoniam male credentes conjecturam capiunt confuſionis chriſtianorum præſentis, & futuræ. Ut ſacerdotes prædicent parochianis ſuis, ne contra apoſtolum obſervent tempora & momenta; nolunt enim matrimonia contrahere, niſi creſcente luna, nec introitum novæ domus ſolemnizare. Ut ſacerdotes non ſuſtineant in parochiis ſuis publicos fornicatores, vel aliquod mortale peccatum manifeſtum; quod ſi fecerint, puniantur B tanquam pro propriis peccatis. Idem fiat de apparitoribus decanorum. Ut ſacerdotes non admittant ad confeſſionem, magnates & eorum familias, in quorum capellis divina celebrent, cum nullam receperint curam animarum ab epiſcopo, nec ei vel ejus officiali fecerint obedientiam. Et multi tales ſunt irregulares, plures inhoneſti, quidam a non ſuis epiſcopis ordinati; plures nunquam ordinem ſacerdotalem receperunt. Ut ſacerdos vocatus ad infirmum, ut animæ ipſius conſulat, crucem ſecum deferre faciat, niſi loci remotio, vel alia juſta cau- C ſa impediat. Ut nullus archidiaconus vel decanus diſpenſet cum aliquo ſacerdote, qui ſuſpenſus, vel excommunicatus divina celebraverit. Ut publicæ concubinæ ſacerdotis vel miniſtrantis in ſacris ordinibus aqua benedicta & pane benedicto interdicantur, & pax in eccleſia non detur; & ſi impœnitens deceſſerit, eccleſiaſtica careat ſepultura. Si ſacerdos circa hoc negligens fuerit, & de negligentia convictus vel confeſſus, amplius in epiſcopatu non miniſtret. Ut quarta, quinta, & ſexta feria diligens fiat ordinatorum examinatio, & circa promovendos ad ſacros ordines inquiratur; ſi homicidæ vel D advocati in cauſa ſanguinis fuerint, vel executores ſervorum in publicis adminiſtrationibus, vel ſimoniaci, vel interventores ſimoniacarum pactionum; vel ſi furtive aliquem ordinem ſuſceperint; vel a ſchiſmaticis, vel damnatis, vel nominatim excommunicatis; ſi fuerint bigami; vel corruptarum mariti; vel Deo conſecratarum virginum violatores; ſi ſervorum filii; ſi a non ſuis epiſcopis præter ſuorum licentiam prælatorum fuerint ordinati. Ut clerici uxorati, coronati, & tonſurati a carcere liberentur per epi- E ſcopum, ſi in tali habitu capti fuerint. Ut forma baptizandi pueros tempore neceſſitatis talis ſit: " Baptizo te N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Vel Anglica vel Gallica aut alia verba dicantur æquipollentia; & poſtea non rebaptizetur ſolemniter; ſed ſi de A prædicta forma conſtiterit ſacerdoti, ſuppleatur quod ſolet adhiberi, poſtquam puer a fonte levatus eſt. Si autem dubitetur de forma baptiſmi, an ſit obſervata, baptizetur ſic: Si non es N. baptizatus, " Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. " Ut hi, qui decimas non ſolvunt, cum ſint excommunicati ab epiſcopo, non abſolvantur, niſi ab ipſo, in cujus ſententiam inciderunt, vel ab ejus pœnitentiario. Ut ii, qui decimam fœni ſolvere contradicunt, familiæ ſuæ interdicantur omnia ſacramenta eccleſiæ, præter baptiſmum parvulorum & extremam pœnitentiam. Ut ſervientes mercenarii non cogantur decimam partem mercedis dare, niſi deductis neceſſariis expenſis; ſed ter in anno cogatur unuſquiſque offerre obolum ad minus, ut hi, qui pecunia corrupti falſum dicunt teſtimonium, tanquam infames a teſtimonio repellantur, ſi ſuper hoc fuerint convicti, vel præ jure confeſſi; & hoc in ſingulis eccleſiis per ſacerdotes publice denuncietur. Et ſi vilis fuerit perſona, fuſtigetur; digniores vero perſonæ pro modo facultatum pecuniarie puniantur, ſecundum arbitrium ordinarii. Eandem pœnam ſtatuimus contra teſtium corruptores. Ut bona beneficiatorum inteſtatorum, per epiſcopum vel per ejus officialem pro animabus ipſorum diſtribuantur; bona vero miniſtrantium in ſacris ordinibus, ſi inteſtati deceſſerint, per archidiaconum, vel per ejus officialem; bona vero aliorum clericorum per perſonam, vel ejus capellanum. Si quis vero laicus inter vivos teſtamentum condiderit, & poſtea aliquo tempore morte præventus fuerit, nec teſtamentum ante mutaverit, per executores, vel per ordinarium loci, ſi deſint executores, diligens fiat teſtamenti executio; & executores negligentes canonice puniantur. Si quis autem D inteſtatus deceſſerit, dominus inteſtati habeat tantum, quod haberet, ſi teſtatus deceſſiſſet; & eccleſia loci ſimiliter. Reliqua vero bona ipſius defuncti ſecundum diſpoſitionem ordinarii pro anima ejus diſtribuantur, per viſum domini ſui, vel alicujus loco ſuo ad hoc deputati. Ut in ſingulis eccleſiis parochialibus, quarum parochia eſt diffuſa, duo ſint capellani ad minus; penſatis pariter magnitudine parochiæ, & eccleſiæ facultate; ne forte, quod abſit, ægrotante uno capellano, aut alias debilitato, parochianis infirmantibus, aut divinis non valentibus officiis intereſſe, officia debita ſubtrahantur, vel negentur eccleſiaſtica ſacramenta. Vacante eccleſia, terræ non jaceant incultæ, ſed per decanum loci excolantur, ſumptibus eiſdem refundendis a perſona futura &c.

ANNO CHRISTI 1229.

STA-

ANNO CHRISTI 1228.

STATUTA DOMINI * LUDOVICI REGIS.

Pro libertate eccleſiæ,

Ex editione Catelli & Ducheſn. & MS. Jac. Sirmondi.

LUDOVICUS DEI GRATIA Francorum rex, univerſis civibus Narbonenſibus, & aliis fidelibus ſuis per Narbonenſem diœceſim conſtitutis, ſalutem & dilectionem.

I. CUpientes in primis ætatis & regni noſtri primordiis, illi ſervire, a quo regnum recognoſcimus, & id quod ſumus: deſideramus ad honorem ipſius, qui nobis culmen dedit honoris, quod eccleſia Dei, quæ in partibus veſtris longo tempore fuit afflicta, & tribulationibus innumeris conquaſſata, in noſtro dominio honoretur, & feliciter gubernetur. Unde de magnorum & prudentum conſilio ſtatuimus, quod eccleſiæ, & viri eccleſiaſtici in terris conſtituti, prædictis libertatibus & immunitatibus utantur, quibus utitur eccleſia Gallicana, & eis plene gaudeant ſecundum conſuetudinem eccleſiæ memoratæ.

II. Et quia hæretici longo tempore virus ſuum in veſtris partibus effuderunt, eccleſiam matrem noſtram multipliciter maculantes: ad ipſorum extirpationem ſtatuimus, quod hæretici, qui a fide catholica deviant, quocumque nomine cenſeantur, poſtquam fuerint de hæreſi per epiſcopum loci, vel per aliam eccleſiaſticam perſonam, quæ poteſtatem habeat, condemnati, indilate animadverſione debita puniantur.

III. Ordinantes etiam, & firmiter decernentes, ne quis hæreticos receptare vel defenſare quomodolibet, aut ipſis favere aut credere quoquo modo præſumat. Et ſi aliquis contra prædicta facere præſumpſerit, nec ad teſtimonium, nec ad honorem aliquem de cetero admittatur; nec poſſit facere teſtamentum, nec ſucceſſionem alicujus hæreditatis habere. Omnia bona ipſius mobilia & immobilia, quæ ſint ipſo facto publicata, decernimus ad ipſum, vel ad poſteritatem ipſius, nullatenus reverſura.

IV. Statuimus etiam & mandamus, ut barones terræ, & bailivi noſtri, & alii ſubditi noſtri, præſentes & futuri, ſoliciti ſint & intenti terram purgare hæreticis & hæretica fœditate. Et præcipientes quod prædicti diligenter ipſos inveſtigare ſtudeant, & fideliter invenire; & cum eos invenerint, præſentent ſine moræ diſpendio perſonis eccleſiaſticis ſuperius memoratis; ut eis præſentibus de errore & hæreſi condemnatis, omni odio, prece, pretio, timore, gratia & amore poſtpoſitis, de ipſis feſtinate faciant quod debebunt.

V. Verum quia honorandi ſunt, & muneribus provocandi, qui ad inveniendum & capiendum hæreticos ſolicite diligentiam ſuam exercent: ſtatuimus, & volumus, & mandamus, ut bailivi noſtri in quorum bailiviis capti fuerint hæretici, pro quolibet hæretico, poſtquam fuerit de hæreſi condemnatus, uſque ad biennium ſolvant duas marchas integre capienti, poſt biennium autem unam.

VI. Sane quia Ruptarii ſolent devaſtare ac demoliri terram prædictam, & quietem eccleſiæ & eccleſiaſticorum virorum turbare: ſtatuimus, ut omnino Ruptariis illis expulſis, pax perpetuo ſervetur in terra: ad quam ſervandam dent omnes operam efficacem.

VII. Ad hæc, quia claves eccleſiæ conſueverunt in terra illa contemni: ſtatuimus, ut excommunicati vitentur, ſecundum canonicas ſanctiones: & ſi aliqui per annum contumaciter in excommunicatione perſtiterint, ex tunc temporaliter compellantur redire ad eccleſiaſticam unitatem: ut quos a malo non retrahit timor Dei, ſaltem pœna temporalis compellat.

VIII. Unde præcipimus quod bailivi noſtri omnia bona talium excommunicatorum mobilia & immobilia poſt annum capiant: nec eis aliquo modo reſtituant, donec prædicti abſoluti fuerint, & eccleſiæ ſatisfecerint: nec tunc etiam, niſi de noſtro ſpeciali mandato.

IX. Deoimæ ſane, quibus fuit eccleſia longo tempore per malitiam inhabitantium defraudata, ſtatuimus & ordinamus, quod reſtituantur eccleſiis, & amplius laici dacimas non detineant, ſed eccleſiam eas libere habere permittant.

X. Hæc ſtatuta inviolabiliter ſervari jubemus. Mandantes quod barones, & vaſſalli, & bonæ villæ, jurent iſta ſervare, bailivis noſtris ad hoc executoribus deputatis: qui infra menſem, poſtquam

fuerint

ANNO CHRISTI 1228.

fuerint in bailiviis conſtituti, publice, & in loco publico, & die ſolenni, jurent quod hæc ſervabunt, & facient ab omnibus bona fide ſervari. Quod ſi non fecerint, pœnam bonorum omnium, & corporis, poterunt formidare. Noveritis etiam quod iſta ſtatuta ſic volumus obſervari: quod etiam quando * frater noſter terram ipſam tenebit, jurabit hoc ſervare, & quod faciet a ſuis fidelibus obſervari. Ut autem hæc ſtatuta firma & inconcuſſa permaneant, ea ſigilli noſtri munimine fecimus communiri. Actum Pariſius anno gratiæ MCCXXVIII. menſe Aprili.

ANNO CHRISTI 1228.

Alfonſus comes Pictav.

G. C. Hæ Ludovici regis litteræ datæ ſunt non ad Narbonenſes tantum, ſed etiam a paribus ad Cadurcenſes, Rutenenſes, Aginnenſes, Arelatenſes, ut ex variis exemplaribus agnoviſſe ſe docet Catellus: addo ego, & ad Nemauſenſes, ut intelligo ex Sirmondi noſtri manuſcripto.

ANNO CHRISTI 1228. ſeu 1229.

CONSTITUTIONES ECCLESIÆ BARCHINONENSIS

Editæ per Johannem Sabinenſem A. S. L. Cardinalem & Legatum in Spania

Circa annum 1228. *ſeu* 1229.

Ex Manſi Suppl. To. II. pag. 959. Affert Mart. Anecdot. t. IV. p. 595.

VEnerabili in Chriſto patri epiſcopo & dilectis filiis capitulo Barchinonenſi Johannes ejuſdem permiſſione Sabinenſis epiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus, ſalutem in Domino.

Attendentes ad noſtram injunctam eccleſiam, viſitantes eam ex debito noſtræ legationis officio, & de ſtatu ipſius tam in ſpiritualibus quam in temporalibus ſollicite inquirentes, quædam invenimus corrigenda, ordinanda & reformanda; ſuper quibus ea ordinanda duximus quæ ſubjectis ſunt capitulis annotata.

I.

In primis igitur ſtatuimus, quod in noſtra eccleſia canonicorum quadrageſimus numerus obſervetur: & quod reſtitutis per nos ſacerdotibus ad poſſeſſionem quorumdam jurium vel conſuetudinum, propter quæ canonicos ſe eſſe dicebant, ſuper.... proprietatis eam pendebat, quia nimis erat numerus diminutus, quoſdam ordinandos in eccleſia noſtra decernimus canonicos, cum moderamine ſervato, quod prædictis presbyteris loca paterent, ſi forte per ipſos omnes vel aliquos ex ipſis per compoſitionem vel ſententiam in prædictum numerum venire contingeret; ſtatuentes nihilominus quod in omnem eventum prædictus canonicorum numerus integretur. Et quoniam in choro noſtro nec gradus nec ſedes conſuetudo rationabilis ordinabat; & ita ſtatuimus, quod archidiaconus qui major eſt in eccleſia, in dextris chori locum primum: decanus primum locum in ſiniſtris: & juxta archidiaconum cantor, & juxta decanum ſacriſta, juxta ſacriſtam præcentor locum habeat; & poſt iſtos, in utroque choro alii canonici ſecundum ordinem quem habuerint & prioritatem canonicationis ſuæ ſedes ordinarie ſervent. Circa ſedem epiſcopi in tertio choro, ſed de univerſis ſacerdotibus; alii ſex in appoſita parte chori ſiniſtri ſedes obtineant. Aliis enim loca indifferenter pateant ſacerdotibus & diaconis in utroque choro: ita videlicet quod in ſecundo & inferiori ordine ſacellorum, cum ipſa ſacella fieri contigerit, ſubdiaconi collocentur.

II.

De quotidianis diſtributionibus hic ſtatuimus obſervandum, quod quicumque ſive perſona, ſive ſimplex canonicus, aut ſacerdos ſeptimanarum vel altarium matutinis non interfuerit feſtivitatum, in conſtitutis ejuſdem Dei officiis & miſſæ non interfuerit, pane & vino de cœna privetur, niſi fuerit infirmus, aut de certo mandato negotiis eccleſiæ occupatus, & pœna per præpoſitos menſium & miniſterialem pro prædictis defectibus infligatur: hoc habito moderamine, quod pro defectu duarum noctium in ſeptimana prædictam pœnam ammonitus incurrat. Præcentor provideat & diſponat, ut in tabula pro ſeptimanis & ſolemnitatibus, deſcribantur officia ſingulorum; & ſeptimanas de miſſa, epiſtolam & evangelium presbyteris, & tam perſonis quam canonicis non presbyteris ſecundum ordines ſuos aſſignet. Et quicumque de miſſa majori defectum fecerit, duarum dierum rationem; quicumque in miſſa majori, in epiſtola & evangelio defectum fecerit, ejuſdem diei portionem amittat. In majori altari nullus miſſam celebret, qui non fuerit canonicus aut ad minus de noſtris ſacerdotibus, niſi cauſa reverentiæ ad hoc forſitan admittatur. Canonicus cui aſſignata fuerit ſeptimana de epiſtola vel de evangelio, per ſeipſum vel alium Canonicum in feſto IX. lectionum officium ſuum adimpleat. In profeſtis autem diebus eidem liceat honeſto vicario, qui non ſit canonicus, evangelium vel epiſtolam commendare. Quod ut melius valeat adimpleri, præcipimus, quod tam perſonæ quam ſimplices canonici ordines recipiant, quos dignitas & eccleſiæ neceſſitas requirit: videlicet ut decanus aſcendat ad ordinem ſacerdotii, & alii ſecundum ſuas dignitates & neceſſitatem eccleſiæ, ordines recipiant: & ad hoc in præſenti per certam perſonam, & in futuro pœna conſimili duximus compellendos in hoc præſenti ſtatuto, mandantes quod quicumque de præſentibus canonicis in minoribus ordinibus conſtitutus, in inſtanti jejunio quatuor temporum in ſubdiaconum non fuerit ordinatus, vocem non habeat in Capitulo, donec eumdem ordinem fuerit aſſecutus. Et ſi in ſequenti jejunio quatuor temporum ad eundem ordinem non acceſſerit; quouſque eumdem ordinem habeat, canonica portione privetur. Subdiaconus quoque ad recipiendum ordinem diaconi pœna conſimili compellatur. Abſentes vero cum ad eccleſiam redierint, ſimili modo & ordine, & pari pœna perſonis addicta, & per ſubtractionem omnium beneficiorum ſuorum promoveri cogantur.

III.

III.

Quicumque vero ex prædictis de injuncta sibi lectione vel responsorio in matutinis, vel alleluja in missa, defectum fecerit : qui per alium non procuravit adimpleri, de portione ejusdem diei in subtractionem quatuor denariorum puniatur.

IV.

Alii autem capellani in ecclesia nostra beneficiati, qui quotidianas portiones nobiscum non percipiunt, ad explendum debitum servitium nec non & officia, si qua eisdem in tabella fuerint assignata, per subtractionem alicujus portionis de suis beneficiis compellantur: & hoc moderamini nostro duximus relinquendum. Nullus ex eis qui chorum frequentat, dum divina celebrantur officia, ecclesiam vel claustrum processionis intret in habitu sæculari. Quod si quis fecerit, si quotidianam portionem recipiat, per duas dies privetur eadem. Si de capellanis fuerit, qui portionem non percipiat, per duos dies altaris sui beneficio sit privatus. De anniversariis quoque statuimus, quod qui officio non interfuerit, careat portione quæ ipsi competeret, nisi infirmitate, vel instructione, vel negotiis ecclesiæ fuerit excusatus.

V.

Peregrinantibus autem & studentibus de licentia capituli pœnas illas infligere non intendimus, quas per absentiam superius descripsimus infligendas.

VI.

Præterea cum in generali concilio fuerit constitutum, & a nobis in explendo concilio renovatum, quod in singulis cathedralibus ecclesiis sit unus magister, qui in grammatica doceat, & vos hoc salubre statutum observare neglexistis : quia necesse est, ut pœna statuta diligentiam introducat : nos super hoc articulo duximus statuendum, quod episcopus cum de exercitu Majoricarum redierit, indicto sibi post reditum duorum mensium spatio ad providendum de magistro, ex tunc quoties & quandocunque fuerit in ecclesia nostra de cetero magis defectus ; ipse episcopus a collatione beneficiorum & sacello suo, quod habet in ecclesia cathedrali, sit suspensus, donec patraverit quod sit de magistro provisum.

VII.

Constitutiones quasdam ecclesiæ nostræ instrumento firmatas publico nobis exhibitas, approbamus, confirmamus, & in perpetuum observari mandamus : videlicet quod si aliquis sacerdos vel clericus beneficium in ecclesia nostra adeptus fuerit ; ecclesiam quam extra tenuerit, vel beneficium dimittere compellatur; & quia nullus canonicus extra manens habeat capellaniam, præposituram, nec domos in ecclesia nostra, nisi fuerit assidue residens & de gremio ecclesiæ. ANNO CHRISTI 1228. seu 1229.

VIII.

Ceterum cum reverenda & honorabilis ecclesia vestra existat, & in habitu decenti vos oporteat in ecclesia deservire, & præbenda manualis ad victum nobis non sufficiat & vestitum; unde requirit æquitas, & hoc ipsum postulat necessitas, quod ecclesiæ vestræ beneficia nequaquam taliter dividantur, quod aliis inebriatis, alii esuriant, alii faleratis mulis incedant, & alii egeant ; propter quæ tam contra episcop, quam contra fratres suos aliqui scrupuloso corde non absque causa, & cum gravi scandalo moveantur. Quocirca in virtute obedientiæ, & sub obtestatione divini judicii præcipimus, ut episcopus, cum præposituras vel capellanias vacare contigerit, sic easdem dispensare satagat secundum ecclesiæ facultates decenter, ut relevetur cujuslibet canonica paupertas : ita videlicet quod magis digni & magis meriti in majoribus honorentur beneficiis, & non carnem, sed Deum habeat præ oculis, nec in aliquas personas tanta congerat beneficia, quod minus condigne aliorum tenuitas relevetur. Vacante autem in ecclesia vestra beneficio, districte & sub pœna excommunicationis prohibemus, ne quis illud beneficium dum vacaverit conveniat, per aliquam allegationem sibi vel alii obtinere attentet ; sed cum beneficium vacaverit, conveniat capitulum, & singulorum voluntates adunatas singulis, qui bona fide in eodem articulo consulent ecclesiæ suæ; & ille obtineat beneficium, in quem vota plurium concordaverint.

IX.

Sub pœna quoque excommunicationis districtius inhibemus, ne inter vos juramenta vel colligationes clandestinæ fiant, per quas indeterminate se quisque adstringat ad consentiendum in negotiis ecclesiæ voluntati alterius; ac communem utilitatem & honorem unusquisque magis attendat : quia magis Deo quam hominibus est placendum. Hanc igitur ordinationem meam sub pœna suspensionis & excommunicationis a vobis præcipimus inviolabiliter observari. Et venerabili patri archiepiscopo Terraconensi ejusdem ordinationis executionem duximus committendam. In virtute spiritus Sancti præcipientes eidem, ut omnia sua prædicta executioni mandare non omittat. Contravenientes, si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam compescendo. Acta sunt hæc anno Domini m..... nono VIII. cal. Octobris.

ANNO CHRISTI 1228.

CONCILIUM BITURICENSE

Menſe Novembr. ann. MCCXXVIII. celebratum, in quo Burdigalenſis archiepiſcopus ab officio metropolitani ſuſpenſus.

Hujus concilii notitiam habemus ex patriarchio Bituricenſi, ubi inter res geſtas Simonis de Soliaco archiepiſc. LXX. Anno, *inquit*, Dom. incarn. MCCXXVIII. convocavit concilium provinciale Bituris, in octavis B. Martini hiemalis : ad quod cum Burdegalenſis archiepiſcopus accedere curaſſet minime, eumdem de conſilio ſuorum ſuffraganeorum ſuſpendit ab officio metropolitani.

ANNO CHRISTI 1229.

CONCILIUM TOLOSANUM

Anno MCCXXIX. de inquirendis hæreticis, deque aliis eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus celebratum.

Res in hoc concilio geſtas ſic deſcribit Guillelmus de Podio Laurentii in Chronico cap. XL. Poſt pacem, *inquit*, Pariſius celebratam in fine anni, in ſequenti anno Domini 1229. menſe Julii, per magiſtrum Petrum de Collomedio, gerentem vices legati, fuit reconciliata civitas Toloſana, comite nondum reverſo de Francia: qui de voluntate propria remanſit in priſione regis Pariſius, donec muri Toloſæ corruiſſent, caſtra, & villæ, prout in pace fuerat ordinatum; & eſſet tradita filia ejus Joanna novem annos habens regiis nunciis Carcaſſonæ, quam poſtea duxit Alphonſus frater regis, comes Pictaviæ, in uxorem. Factus ergo miles comes a domino rege in feſto Pentecoſtes, mox impletis quæ pacta fuerant, ad propria eſt reverſus. Quem non poſt multos dies legatus ſequitur, præmiſſis ad terras, pro diruendis caſtris, cruceſignatis cum indulgentia infinitis, qui venturi erant cum armis, niſi pax interveniſſet. Idemque legatus ibidem Toloſæ poſt æſtatem concilium celebravit, cui interfuerunt Narbonenſis, Burdigalenſis, Auxitanenſis, archiepiſcopi, & epiſcopi multi, & alii prælati. Item adfuerunt comes Toloſanus & alii comites præter Fuxenſem, Barones, & ſeneſcallus Carcaſſonæ, & conſules Toloſani duo, unus de civitate, & alius de burgo, qui ſtatuta pacis in totius univerſitatis animam juraverunt, & tam comes, quam ceteri, illud approbaverunt, & fecerunt, & idem fecit poſtea tota terra. Ne autem videretur legatus, ſicut erat vir circumſpectus & providus, omittere aliqua de contingentibus: mandavit inquiſitionem fieri contra ſuſpectos de hæretica pravitate: fuitque in illo concilio Guillelmus de Solerio, qui fuerat hæreticus veſtitus, & ſponte ſua receſſerat ab hæreticis, reſtitutus ad famam, ut ejus teſtimonium valeret contra alios de quibus noverat veritatem. Quæ inquiſitio fuit ſic ordinata, ut ſinguli epiſcopi qui aderant, teſtes, quos producebat Toloſanus epiſcopus, examinarent, & eorum dicta in ſcriptis redacta eidem epiſcopo redderent conſervanda, & ſic poſſent multa brevi tempore expedire. Et vocatis & auditis prius, qui fideles reputabantur, & catholici, mox vocandis qui ſuſpecti erant aliquibus, in teſtimonium eſt proceſſum. Qui hoc præſentientes, ſe invicem, ne quicquam contra ſe dicerent, præcluſerunt. Quod ſatis patuit ex poſtfacto: nihil enim, vocati ad teſtimonium, fatebantur. Fuere autem quidam uſi conſilio ſaniori, qui primo ante alios venerunt, & legato ſe tunc ſubmiſerunt, ſeu ſubdiderunt, & ideo miſericordiam invenerunt: cujus ſe, qui dura cervice erant, reddiderunt indignos, & poſtea coacti & velut tracti venerunt, pœnitentias difficiles habuerunt. Fuere & alii, ſed pauci, qui dicebant ſe velle defendere in jure, petentes ſibi tradi nomina teſtium, qui depoſuerunt contra eos, quod poſſent eſſe inimici capitales, quibus credendum non fuerat. Et ſequuti ſunt legatum uſque ad Montem-peſſulanum, taliter inſiſtendo, Præſumenſque legatus, quod hoc proſequerentur, ut teſtes interficerent quos ſcirent depoſuiſſe ſpecialiter contra eos: caute eorum illuſit inſtantiam, & nomina omnium teſtium in inquiſitione tota excepta inde tantum eis tradidit intuenda, ſi forte ibi ſuos cognoſcerent inimicos. Qui videntes proinde circumventos, quibus nomina teſtium tradebantur, nec ob hoc noſſe poterant, quos ſuos dicerent inimicos, quando neſcirent, quod depoſuiſſent aliqui contra ſe, ab incœpto litigio quieverunt, legati ſe voluntati finaliter ſupponentes.

Addenda quoque hic concilii hujus decreta, quorum exemplar habemus Sirmondi noſtri manu deſcriptum: item alterum quod ex locupletiſſima ſua bibliotheca depromptum humaniſſime nobis conceſſit illuſtriſſimus abbas Tellerius, eruditiſſimus idem & eruditorum patronus. Eadem ante R. P. D. Lucas Dacherius edidit ſpicilegii ſui Tomo II. Ex tribus iis exemplis perfectius aliquid edere licebit.

Hæc ſunt ſtatuta in concilio apud Toloſam promulgata per dominum Romanum S. Angeli diaconum cardinalem, apoſtolicæ ſedis legatum, anno Domini MCCXXIX. menſe Novembri.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut in ſingulis locis ſacerdos unus & tres laici conſtituantur, qui diligenter inquirant hæreticos.*

2. *Ut*

2. *Ut idem faciant abbates exempti.*
3. *Ut domini locorum inquirant in hæreticos.*
4. *De pœna ejus qui in terra ſua permiſerit morari hæreticum.*
5. *De eo qui non eſt convictus quod ſciverit hæreticos eſſe in terra ſua.*
6. *Ut domus, in qua inventus fuerit hæreticus, diruatur; & fundus confiſcetur.*
7. *De bailivo qui non eſt contra hæreticos diligens.*
8. *Ut nemo puniatur tanquam credens, vel hæreticus: niſi talis per poteſtatem eccleſiaſticam judicatus.*
9. *Ut quilibet in terra alterius poſſit inquirere vel capere hæreticos.*
10. *Quomodo agendum cum hæreticis ſponte ad fidem reverſis.*
11. *Quomodo agendum cum hæreticis non ſponte, ſed timore converſis.*
12. *De juramento a ſingulis catholicis præſtando.*
13. *Ut ſinguli ter in anno confiteantur & communicent: alioqui ſuſpecti de hæreſi habeantur.*
14. *Ne laici habeant libros ſcripturæ, præter pſalterium, & Divinum officium: at eos libros ne habeant in vulgari lingua.*
15. *Quomodo agendum cum ægrotis infamatis de hæreſi, vel ſuſpicione notatis.*
16. *Ut teſtamenta ſint irrita, niſi fiant coram proprio presbytero, vel altero eccleſiaſtico.*
17. *Ne prælati, vel domini quivis, hæreticis aut de hæreſi diffamatis adminiſtrationem ullam committant: nec eos in ſua familia aut conſilio retineant.*
18. *Quinam habendi ſint diffamati.*
19. *De libertatibus eccleſiarum.*
20. *Ut clerici non tallientur.*
21. *Qui ſint immunes a pedagiis: & ne novæ exigantur.*
22. *Ut qui pedagia recipiunt, ſecuras vias præſtent.*
23. *Ut nihil exigant laici ab hominibus eccleſiarum & eccleſiaſticorum, niſi ab iis poſſeſſiones habeant.*
24. *Quid agendum ab eo qui clericum ceperit.*
25. *Ut omnes Dominicis & feſtis veniant ad eccleſiam: & de abſentium pœna.*
26. *Qui dies ſint feſtivi.*
27. *Quod feſtivis diebus feriandum eſt, & populo annunciandi ſunt die Dominico.*
28. *Ut omnes ab anno 14. jurent ſervare pacem.*
29. *De eo qui pacem fregerit.*
30. *Quid de illius bonis, perſonaque ipſa, ſi capiatur, agendum.*
31. *De pacis violatore, qui redire non vult ad mandatum.*
32. *De eo qui prædam abduxerit.*
33. *De eo qui de præda hujuſmodi emerit.*
34. *De vaſſallis vel hominibus inſurgentibus contra dominos.*
35. *Ut familiaritas vel treuga non habeatur cum fayditis.*
36. *Ut latrones & Ruptarios nemo recipiat.*
37. *Ut fiat ſacramentum contra inimicos fidei atque pacis, quorum aliqui nominatim deſignantur.*
38. *Ut nullæ conjurationes ſeu confratriæ fiant.*
39. *Ut nullus caſtrum vel villam furetur de his quæ tenentur ab eccleſia, vel a rege.*
40. *Ut nullus alterius bona per vim rapiat: ſed per judices repetat.*
41. *Ne caſtra de novo ædificentur: aut diruta reædificentur.*
42. *Ut mulieres quæ habent caſtra & munitiones, non nubant inimicis fidei & pacis.*
43. *Ut nullus judex a litigantibus quidquam quovis prætextu exigat.*
44. *Ut curia det pauperibus advocatum.*
45. *Ut hæc ſtatuta quater in anno parochianis exponantur.*

ANNO CHRISTI 1229.

PRÆFATIO.

LICET a diverſis apoſtolicæ ſedis legatis diverſa emanaverint inſtituta contra hæreticos, credentes, fautores, & receptatores hæreticorum, & ſuper pace conſervanda in Toloſana diœceſi, & Narbonenſi provincia, & circumadjacentibus diœceſibus, & terris vicinis, & ſuper aliis quæ ad bonum ſtatum terræ pertinere noſcuntur: nos tamen attendentes, terras prædictas, poſt longæ ac miſerabilis turbationis diſcrimina, nunc quaſi miraculoſe, pace, de aſſenſu & voluntate majorum, gaudere: ordinandum duximus & ſtatuendum de conſilio archiepiſcoporum, epiſcoporum, & prælatorum, & baronum, & militum, quæ ad purgationem hæreticæ pravitatis, conſervationem pacis, necnon & terræ quaſi neophytæ, novimus expedire.

CAPITULA.

I. Ut in ſingulis locis ſacerdos unus & tres laici conſtituantur, qui diligenter inquirant hæreticos.

Statuimus itaque, ut archiepiſcopi & epiſcopi in ſingulis parochiis, tam in civitatibus, quam extra, ſacerdotem unum, & duos vel tres bonæ opinionis laicos, vel plures, ſi opus fuerit, ſacramento conſtringant, qui diligenter, fideliter, & frequenter, inquirant hæreticos in eiſdem parochiis, domos ſingulas & cameras ſubterraneas aliqua ſuſpicione notabiles perſcrutando, & appenſa, ſeu adjuncta in ipſis tectis ædificia, ſeu quæcumque alia latibula, quæ omnia deſtrui præcipimus, perquirendo: & ſi quos invenerint hæreticos, credentes, fautores, & receptatores, ſeu defenſores eorum, adhibita cautela ne fugere poſſint, archiepiſcopo vel epiſcopo, dominis locorum, ſeu bailivis eorundem, cum omni feſtinantia ſtudeant intimare, ut animadverſione debita puniantur:

II. Ut idem faciant abbates exempti.

Hoc idem faciant abbates exempti in locis ſuis, quæ non ſunt ordinariis jure diœceſano ſubjecta.

III. Ut domini locorum inquirant in hæreticos.

Soliciti etiam ſint domini terrarum circa inquiſitionem hæreticorum in villis, domibus, & nemoribus faciendam: & circa hujuſmodi appenſa, adjuncta, ſeu ſubterranea laribula, deſtruenda.

ANNO CHRISTI 1229.

IV. De pœna ejus qui in terra ſua permiſerit morari hæreticum.

Statuimus etiam, ut quicumque in terra ſua de cetero permittet ſcienter morari hæreticum, ſive propter pecuniam, ſive propter aliam quamcumque cauſam, & fuerit inde confeſſus aut convictus: amittat in perpetuum terram ſuam, & corpus ſuum ſit in manu domini ad faciendum inde quod debebit.

V. De eo qui non eſt convictus quod ſciverit hæreticos eſſe in terra ſua.

Si autem de ſcientia convictus non fuerit, & probata fuerit negligentia diſſoluta, vel frequenter in terra ſua inveniantur hærerici, vel ſuper hoc ſit diffamatus, pœnis legitimis puniatur.

VI Ut domus in qua inventus fuerit hæreticus, diruatur, & funaus confiſcetur.

Illam autem domum in qua fuerit inventus hæreticus, diruendam decerni mus: & locus ipſe ſive fundus confiſcetur.

VII. De bailivo qui non eſt contra hæreticos diligens.

Bailivus vero qui ſemper eſt in terra reſidens, in loco contra quem præſumitur, niſi contra hæreticos valde ſolicitus inveniatur & diligens, bona ſua amittat, & de cetero, nec ibi, nec alibi conſtituatur bailivus.

VIII. Ut nemo puniatur tanquam credens, vel hæreticus, niſi talis per poteſtatem eccleſiaſticam judicatus,

Ne autem innocentes pro nocentibus puniantur, aut quibuslibet per aliquorum calumniam hæretica pravitas impingatur: ſtatuimus, ne aliquis ut credens vel hæreticus puniatur, niſi per epiſcopum loci, vel aliquam perſonam eccleſiaſticam, quæ poteſtatem habeat, fuerit credens vel hæreticus judicatus.

IX. Ut quilibet in terra alterius poſſit inquirere vel capere hæreticos.

Statuimus etiam, ut quilibet in terra alterius poſſit inquirere vel capere hæreticos, & bajlivi locorum teneantur eis præſtare auxilium & favorem: ita quod bajlivus regis, in terra comitis Toloſani & aliorum, hoc facere poſſit; & comes Toloſanus & alii, in terra regis.

X. Quomodo agendum cum hæreticis ſponte ad fidem reverſis.

Item ſtatuimus, ut ſi qui hæretici veſtiti, hæreſi ſponte dimiſſa fuerint ad catholicam fidem reverſi, ſuum recognoſcentes errorem, non remaneant in villa in qua fuerant antea converſati, ſi villa ſuſpecta de hæreſi habeatur: ſed collocentur in villa catholica, quæ nulla ſit hæreſis ſuſpicione notata. In deteſtatione quoque veteris erroris duas cruces portent de cetero altius præeminentes, alterius coloris quam ſint veſtes eorum, unam a dextris, & alteram a ſiniſtris. Nec propter cruces excuſetur aliquis, niſi habeat litteras ſui epiſcopi teſtimoniales de reconciliatione ipſius. Nec de cetero talibus officia publica comittantur: nec ad actus legitimos admittantur, niſi per dominum papam, vel per legatum ab ipſius latere deſtinatum, fuerint in integrum reſtituti, injuncta ſibi pœnitentia competenti.

XI. Quomodo agendum cum hæreticis non ſponte, ſed timore vel alia cauſa converſis.

Hæretici autem qui timore mortis, vel alia quacumque cauſa, dummodo non ſponte, redierint ad catholicam unitatem: ad agendam pœnitentiam per epiſcopum loci in muro cum tali includantur cautela, quod facultatem non habeant alios corrumpendi. Quibus ab illis qui bona eorum tenuerint, provideatur in neceſſariis ſecundum diſpoſitionem prælati: ſi vero bona non habuerint, eis provideatur per prælatum.

XII. De juramento a ſingulis catholicis præſtando.

Univerſi tam mares quam fœminæ, maſculi a XIV. anno & ſupra, fœminæ a XII. abjurent omnem hæreſim extollentem ſe adverſus ſanctam & catholicam Romanam eccleſiam, & fidem orthodoxam, quibuſcumque nominibus cenſeatur: jurent etiam, quod fidem catholicam, quam Romana eccleſia tenet & prædicat, ſervabunt, & hæreticos pro viribus perſequentur, & eos bona fide manifeſtabunt. Nomina autem omnium virorum ac mulierum in qualibet parochia conſcribantur, & omnes coram epiſcopo, vel coram bonis viris quibus hoc demandatum * fuerit, præſtent juramentum præmiſſum. Et ſi

* al. d daveri

quis

ANNO CHRISTI 1229.

quis abſens fuerit, & poſt reditum ejus infra xv. dies idem ſacramentum non præſtiterit, quod ex inſpectione nominum poterit apparere, ſuſpectus de hæreſi habeatur. Hujuſmodi autem juramentum ſingulis bienniis renovetur.

XIII. Ut ſinguli ter in anno confiteantur & communicent: alioqui ſuſpecti de hæreſi habeantur.

Omnes autem utriuſque ſexus, poſtquam ad annos diſcretionis advenerint, confeſſionem peccatorum faciant ter in anno proprio ſacerdoti, vel alii de voluntate ipſius, vel mandato, injunctam pœnitentiam & humiliter & pro viribus impleturi, & ter in anno, in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte, ſacramentum Euchariſtiæ cum omni reverentia ſuſcepturi; ita quod confeſſio communionem præcedat: niſi forte, ob aliquam cauſam rationabilem, ad tempus ab eius participatione abſtinuerint, de conſilio proprii ſacerdotis. Soliciti ſint itaque presbyteri circa iſta, ut ex nominum inſpectione cognoſcant, ſicut ſuperius eſt expreſſum, utrum ſint aliqui qui communicare ſubterfugiant. Nam ſi quis a communione, niſi de conſilio proprii ſacerdotis, abſtinuerit, ſuſpectus de hæreſi habeatur.

XIV. Ne laici habeant libros ſcripturæ, præter pſalterium, & Divinum officium: at eos libros ne habeant in vulgari lingua.

Prohibemus etiam, ne libros veteris teſtamenti aut novi, laici permittantur habere: niſi forte pſalterium, vel breviarium pro Divinis officiis, aut horas beatæ Mariæ aliquis ex devotione habere velit. Sed ne præmiſſos libros habeant in vulgari translatos, arctiſſime inhibemus.

XV. Quomodo agendum cum ægrotis infamatis de hæreſi, vel ſuſpicione notatis.

Statuimus etiam, quod quicumque fuerint infamati de hæreſi, vel ſuſpicione notati, officio medici de cetero non utantur. Cumque aliquem infirmum de manu presbyteri ſui ſacram communionem contigerit recepiſſe: adhibeatur ei diligens cuſtodia uſque ad diem obitus ſui vel convaleſcentiæ, ne hæreticus aut de hæreſi ſuſpectus ad ipſum infirmum poſſit habere acceſſum: cum ex acceſſu talium, nefanda intellexerimus & enormia pluries contigiſſe.

XVI. Ut teſtamenta fiant coram proprio presbytero, vel altero eccleſiaſtico.

Cum vero aliquis voluerit condere teſtamentum, hoc faciat ſub teſtimonio ſui presbyteri, vel alteris eccleſiaſticæ perſonæ, ſi proprius non poſſit haberi ſacerdos. adhibitis bonæ opinionis viris, quos ad hæc voluerit accerſiri. Et teſtamenta aliter facta vigorem non habeant, nec alicujus ſint momenti.

XVII. Ne hæreticis, aut de hæreſi diffamatis, adminiſtratio ulla comittatur: nec familia aut conſilio retineantur.

Inhibemus etiam, ne prælati, barones, milites, ſeu quicumque domini terrarum, hæreticis vel credentibus eorum bailivias ſeu adminiſtrationes ſuarum terrarum committant: ſed nec eos, aut etiam aliquos diffamatos de hæreſi, vel quos credunt de hoc eſſe ſuſpectos, in ſua familia vel ſuo conſilio habere vel retinere præſumant.

XVIII. Quinam habendi ſint diffamati.

Illos autem debent pro diffamatis habere, contra quos publica fama clamat, vel de quorum diffamatione apud bonos & graves coram epiſcopo loci legitime conſtiterit.

XIX. De libertatibus Eccleſiarum.

Omnia privilegia eccleſiarum & libertates earum, & religioſarum domorum inviolabiliter præcipimus cuſtodiri. Univerſi etiam de bonis & proventibus ſuis, non deductis expenſis, eccleſiis integre decimas & primitias ſolvere teneantur, præſcriptione, ſeu conſuetudine aliqua non obſtante. Nec quaſcumque exactiones laici exigere, vel extorquere præſumant.

XX. Ut clerici non tallientur.

Clerici quoque non talliabuntur occaſione etiam hæreditatis; etiamſi per ſucceſſionem eis obvenerit, niſi ſint mercatores, vel uxorati. Sed ſi per ſucceſſionem hæreditariam aliqua poſſeſſio feudalis, ſeu etiam cenſualis, ad eorum manus devenerit, penſiones & onera ipſi in poſterum annexa ſolvere teneantur: alias a talliis, & aliis exactionibus omnino liberi & immunes.

ANNO CHRISTI 1229.

XXI. Qui sint immunes a pedagiis: & ne nova exigantur.

Item præcipimus quod clerici & etiam religiosi, & quilibet peregrini & milites, cum rebus ipsorum, immunes sint ab omni pedagio, nisi fuerint mercatores. Sed nec ab ipsis, aut quibuscumque aliis personis, pedagia, quidagia, seu alias exactiones quascumque laici exigere vel extorquere præsumant: nisi ea quæ ab antiqua regum, vel imperatorum, vel principum concessione probaverint esse concessa, vel ex antiqua consuetudine introducta. Quod si acquiescere noluerint, per diœcesanum loci censura, qua convenit, desistere compellantur.

XXII. Ut qui pedagia recipiunt, securas vias præstent.

Hi autem qui pedagia recipiunt, taliter in districtu suo stratas studeant custodire, quod damnum aliquod transeuntes non sentiant, vel violentiam aliquorum. Et si forte aliqui in districtu eorum damnum incurrerint, dummodo non sit guerra communis, & de die viatores incedant, ipsi ad damni restitutionem integre teneantur, eos ad hoc per superiorem, si necesse fuerit, compellendo.

XXIII. Ut nihil exigant laici ab hominibus ecclesiarum & ecclesiasticorum, nisi ab iis possessiones habeant.

Homines autem ecclesiarum & ecclesiasticorum virorum, laici talliare, vel in eos exactiones aliquas facere non præsumant, nisi forte ab eis aliquas possessiones habere noscantur. Et tunc etiam temperate id faciant, considerato nihilo minus possessionum, quas ab eis tenent, valore. Ecclesiæ autem, & viri ecclesiastici, eodem jure uti possunt circa homines laicorum.

XXIV. Quid agendum de eo, qui clericum ceperit.

Si quis autem quemcumque clericum, etiamsi tantum primam tonsuram habuerit, pro quocumque crimine, vel alia qualibet causa captum detinuerit, hoc insinuet statim presbytero loci, ut per eum significetur episcopo, & requisitus ab episcopo, vel archidiacono seu mandato ipsorum, captum clericum sine dilatione restituat, ut per eum secundum juris exigentiam judicetur. Quod si facere distulerit, denuncietur excommunicatus: & per superiorem dominum, ipsum reddere compellatur.

ANNO CHRISTI 1229.

XXV. Ut omnes Dominicis & festis veniant ad ecclesiam: & de pœna absentium.

Item statuimus, ut parochiani, dominus & domina cujuslibet domus, Dominicis & festivis diebus in quibus ab operibus est cessandum, teneantur ad ecclesiam venire, audituri ibidem ex integro prædicationem, & Divinum officium: nec inde recessuri, donec Missa compleatur omnino. Quod si alter ipsorum absens fuerit extra villam, vel alia de causa rationabili præpeditus, alter saltem teneatur venire. Quod si non fecerint, dummodo sint in villa præsentes, nulla infirmitate seu aliqua rationabili causa detenti, XII. denarios Turonenses solvere quilibet teneatur, quorum medietas sit domini villæ, & alia sacerdotis & ecclesiæ. Sabbato etiam circa vesperam, ob reverentiam B. Mariæ virginis, ecclesias suas cum devotione visitent.

XXVI. Qui dies sint festivi.

Dies autem festivos dicimus, sicut in canone continentur, Natale Domini: sancti Stephani, sancti Joannis evangelistæ, sanctorum Innocentium, sancti Sylvestri, Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis beatæ Mariæ virginis, Pascha cum duobus diebus sequentibus, Rogationum tribus diebus, diem Pentecostes cum duobus diebus sequentibus: natale sancti Joannis Baptistæ, Inventionem & Exaltationem sanctæ Crucis, duodecim Apostolorum, sanctæ Mariæ Magdalenæ, sancti Laurentii, sancti Martini, sancti Nicolai, dedicationem sancti Michaelis, dedicationem cujuscumque ecclesiæ, & festivitatem cujuslibet Sancti in cujus honore constituta est ecclesia: item omnem Dominicam.

XXVII. Quod festivis diebus feriandum est: & populo annunciandi sunt die Dominico.

In his itaque diebus secundum canones, & antiquam consuetudinem, est ab omni opere feriandum, & in aliis festivitatibus pro locorum variis consuetudinibus, prout prælatus indixerit. Hujusmodi autem festivitates debent sacerdotes populo suo annunciare quolibet die Dominico in Missa.

XXVIII.

ANNO CHRISTI 1229.

XXVIII. Ut omnes ab anno XIV. *jurent ſervare pacem.*

De pace ſtatuimus & præcipimus, quod omnes quatuordecimo anno, & ſupra, jurent ſervare pacem. Et ſi quis monitus a diœceſano, vel per litteras, vel per nuncium ejus, infra xv. dies venire noluerit, ad id cogatur per cenſuram eccleſiaſticam. Et ipſe ſit extra pacem, & homines ſui, ſi ei fuerint. Nec aliquis qui ſit in pace, teneatur ei in aliquo reſpondere. Ipſe autem de conquerentibus reſpondere cogatur. Illud autem juramentum de conſervatione pacis, de triennio in triennium renovetur.

XXIX. De eo qui pacem fregerit.

Si aliquis pacem fregerit vel moverit guerram, niſi monitus infra xv. dies emendam & damna refundat, excommunicetur, & extra pacem ſit, & tota terra faciat ei & toti terræ ſuæ guerram. Et expugnetur ſive in caſtro, ſive in civitate, ſive in nemore, & homines ſui ſimiliter, niſi ipſum cum aliis impugnaverint, non obſtante fidelitate, quam ei primo fecerunt circa locum etiam, in quo ſe receptaverit: fiant ſtabilitates militum & peditum, & nec nocere poſſit aliis, nec alii ſibi prodeſſe, nec recipiantur ad pacem, niſi emendent, & reſarciant omnes expenſas & damna.

XXX. Quid de illius bonis, perſonaque ipſa, ſi capiatur, agendum.

Si vero capiatur, publicentur bona ipſius: & is, qui bona ejus habuerit, pro valore eorumdem bonorum damnum reſtituat, & de perſona ipſius faciat dominus ſuperior quod debebit. Si quis autem auxilium illi dederit, conſilium, vel favorem, vel ipſum receptaverit cum præda, vel etiam ſine præda: niſi monitus infra diem ſibi præfixum emendaverit, pœna ſimili puniatur. Conſanguinei & parentes ipſius teneantur jurare, quod ei non procurabunt auxilium vel favorem, ſed ei, ſicut & alii, facient vivam guerram. Quod ſi facere recuſaverint, in manu domini ſint ipſi, & bona ipſorum.

XXXI. De pacis violatore, qui redire non vult ad mandatum.

Si movens guerram, vel pacis violator ad mandatum redire noluerit, firmantia, vel ſacramentum ſolum non recipiatur ab ipſo: ſed pignora, vel obſides, vel propria perſona in bona cuſtodia teneatur, donec emendaverit competenter. Si vero aliqua ſunt caſtra vicina illi qui pacem fregerit, ſi illi qui pacis factum procurant, communire noluerint, contra illum ſine difficultate tradantur, & ipſi guerra finita in eodem ſtatu dominis reſtituere teneantur, donec emendaverit competenter. Hoc idem de caſtris paciariis erit obſervandum.

ANNO CHRISTI 1229.

XXXII. De eo qui prædam abduxerit.

Item ſi is qui guerram movet, damnum intulerit, vel prædam abduxerit: villæ vel caſtra per quorum territorium tranſitum fecerit, damna reſtituant, niſi pro poſſe eum arreſtaverint & prædam defenderint, vel clamaverint, & inſequuti fuerint bona fide.

XXXIII. De eo qui de præda hujuſmodi emerit.

Si vero de præda hujuſmodi ſcienter emerit quis, ei cujus eſt, prædam ſine pretio reſtituat, & tantundem domino pro emenda ſolvat.

XXXIV. De vaſſallis vel hominibus inſurgentibus contra dominos.

Si vaſſalli homines rebellaverint, vel inſurgere attentaverint contra dominos: pax adſiſtat dominis contra eos.

XXXV. Ut familiaritas vel treuga non habeatur cum faydits.

Item ſtatuimus ut aliquis amicitiam, familiaritatem, vel treugas non habeat cum faydits, vel aliis qui guerram moverunt: de bonis ſuis expenſas faciat contra illos, & damna data reſtituat, alias ad utilitatem domini puniendus.

XXXVI. Ut latrones & ruptarios nemo recipiat.

Nullus etiam latrones, ruptarios, vel lacinones accipiat, ſed ab omnibus abjiciantur: & ſi quis eos tenuerit, damna per eos illata reſtituat ad vocem ſimplicem conquerentis, & pacis reputetur infractor.

ANNO CHRISTI 1229.

XXXVII. Ut fiat ſacramentum contra inimicos fidei atque pacis, quorum aliqui nominatim deſignantur.

Præcipimus etiam quod quando aliquis guerram moverit, fiat contra eum ſacramentum de novo: quod qui procurare noluerit, fractor pacis reputetur: modo etiam expreſſe fiat ſacramentum contra inimicos fidei atque pacis. Videlicet Guillelmum dictum dominum de Petra pertuſa, Gauſerandum du. qui tenet Podium Laurentium, Raimundum de Mort. & excommunicentur, & perpetuo ſint exhæredati, nec abſolvi poſſint a ſententia, niſi per ſedem apoſtolicam, vel legatum de ejus latere deſtinatum.

XXXVIII. Ut nullæ conjurationes ſeu confratriæ fiant.

Inhibemus etiam ut barones, caſtellani, milites, cives burgenſes, ſeu etiam rurales, conjurationes, colligationes, confratrias, ſeu alias quaſcumque obligationes fide vel juramento, ſeu qualibet alia firmantia interpoſita, facere non præſumant. Quod ſi fecerint, baro in centum libris currentis monetæ puniatur, caſtellanus in ſexaginta, miles in quadraginta, civis vel burgenſis in viginti, & rurales in centum ſolidis. Si quæ vero conjurationes vel colligationes uſque nunc factæ ſunt, eas decernimus irritas & inanes: ſtatuentes, ut omnes abjurare teneantur eaſdem.

XXXIX. Ut nullus caſtrum vel villam furetur de his quæ ab eccleſia tenentur, & a rege.

Item nullus caſtrum vel villam furetur de his quæ ab eccleſia tenentur, & a rege. Quod qui fecerit, & bona ipſius omnia publicentur, & excommunicatus perpetuo habeatur, nec a ſententia poſſit abſolvi, niſi per dominum Papam, vel legatum de ipſius latere deſtinatum. Mittatur etiam ultra mare, ad terram propriam nullatenus reverſurus.

XL. Ut nullus, alterius bona per vim rapiat ſed per judices repetat.

Item ſtatuimus quod nullus aliqua occaſione alicujus bona per vim rapiat, vel pignora, nec vaſſallum, nec rem vaſſalli pro domino capiat: ſed ſi aliquid ſibi deberi credit per judices repetat. Si autem contra hoc aliquis fecerit, tanquam fractor pacis habeatur; & jus quod habebat, amittat. Si verum nullum jus habuerit, res pignoratas, & earum æſtimationem reſtituat: & in utroque caſu, videlicet ſi jus habeat vel non habeat, tantumdem domino pro emenda perſolvat.

ANNO CHRISTI 1229.

XLI. Ne caſtra de novo ædificentur ac diruta reædificentur.

Pro pace quoque melius conſervanda ſtatuimus quod caſtra non ædificentur de novo occaſione bovariæ, vel quacumque alia ratione, nec munitiones dirutæ reædificentur.

XLII. *Ut mulieres quæ habent caſtra & munitiones, non nubant inimicis fidei & pacis.*

Mulieres quoque viduæ, & mulieres hæredes nobiles, quæ munitiones habent vel caſtra, inimicis fidei & pacis ſcienter non nubant. Quod ſi fecerint, caſtra ipſa & munitiones a terrarum dominis occupentur: ad hæredes tamen ipſarum legitime reverſura.

XLIII. *Ut nullus judex a litigantibus quicquam quovis prætextu exigat.*

Nullus omnino judex occaſione expenſarum, ſeu prætextu alicujus conſuetudinis, pro juſtitia exhibenda aliquid a litigantibus exigere vel extorquere præſumat: ſed gratis omnibus juſtitia exhibeatur, poſtpoſita gratia, odio vel timore.

XLIV. *Ut curia det pauperibus advocatum.*

Si autem aliqui pauperes ſint, aut pro paupertate advocatum habere non poſſint, det ipſis curia advocatum, ſi cauſa indiguerit advocato.

XLV. *Ut hæc ſtatuta quater in anno parochianis exponantur.*

Hæc autem ſtatuta præcipimus per parochiales presbyteros parochianis diligenter exponi quater in anno, in Dominicis videlicet diebus, quæ jejunia quatuor temporum proxime ſubſequuntur.

CON-

ANNO CHRISTI 1229.

CONCILIUM ARAUSICANUM,

DE POENITENTIIS CONTRA SUSPECTOS

De hæreſi Albigenſi, a Romano S. Angeli diacono Card. S. A. L. ann. MCCXXIX. celebratum.

Guillelmus de Podio Laurentii ad ann. MCCXXIX. Legatus, *inquit*, Auraſiæ civitate Ciſalpina cum archiepiſcopis, & epiſcopis, & prælatis, ſuum concilium celebravit: & litteras pœnitentiarum quas ordinaverat contra ſuſpectos, quos Toloſæ per inquiſitionem invenerat, remiſit epiſcopo Toloſano de caſtro Mornais ubi erat. A Quas epiſcopus Toloſanus reverſus, vocatis eis in eccleſia S. Jacobi publicavit. Legatus autem repetens Romam, ſecum totam inquiſitionem aſportavit: ne forte ſi aliquando inventa fuiſſet in terra iſta a malevolis, in mortem teſtium, qui contra tales depoſuerant, redundaret.

CONCILIUM ILERDENSE,

Card. irre 3. Con- Hiſp. p.

PRÆSIDE JOANNE EPISCOPO SABINENSI

S. R. E. Cardinali, & Apoſtolicæ ſedis Legato anno Domini MCCXXIX.

ANno 1229. 4. Kal. Aprilis, Joannes epiſcopus Sabinenſis apoſtolicæ ſedis Legatus, provinciale Concilium celebravit apud Ilerdam, cui cum eo interfuerunt Sparagus Archiepiſcopus Tarraconenſis, Berengarius Epiſcopus Barcinonenſis, Guillelmus Gerundenſis, Guillelmus Vicenſis, Petrus Urgellenſis, Berengarius Ilerdenſis, Pontius Dertuſenſis, & Garcias Oſcenſis, cum pluribus Abbatibus, & aliis Eccleſiarum B Prælatis. In eo multa conſtituta ſunt ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentia; præcipue vero de vita & honeſtate Clericorum. Poſt habitum vero Concilium idem Legatus ſtatuta quædam edidit pro recta adminiſtratione Eccleſiæ Barcinonenſis. Rediens autem Romam ſecum duxit Raymundum de Penna forti, eumque de meliore nota commendavit Papæ Gregorio. *Baluzius lib.* 4. *Marcæ Hiſpan.*

CONCILIUM TURIASONENSE

IN ARAGONIA.

De diſſolvendo Jacobi regis & Eleonoræ matrimonio III. Kalend. Maii anno Domini MCCXXIX.

HOc *concilium Baronii continuator Spondanus, ſic deſcribit ex rerum Hiſpanicarum ſcriptoribus, ad annum MCCXXIX* Hoc item anno, *inquit*, Joannes monachus Cluniacenſis, natione Gallus, ex diœceſi Ambianenſi, nobili familia Halgrina, ex archiepiſcopo Biſuntino doctrina & virtutibus claro, creatus a Gregorio papa cardinalis epiſcopus Sabinenſis, & ſedis apoſtolicæ legatus in Hiſpanias miſſus, concilio Turiaſonenſe in regno Aragoniæ, ſub finem menſis Aprilis celebrato (cui interfuerunt Toletanus & Tarraconenſis archiepiſcopi, aliique epiſcopi) cauſa cognita conjugii Jacobi Aragoniæ regis, quod octo ante annis tenera admodum & impotenti adhuc ætate cum Leonora materterta Ferdinandi Caſtellæ regis natu multo grandiori inierat, authoritate apoſtolica diſſolvit, ob propinquitatem cognationis, cujus nulla facta gratia fuerat: ſive id expetente rege tædio hujuſmodi nuptiarum, ſive non nolente, ſane nequaquam contradicente, niſi quod cavit de legitimitate Alfonſi pueri, quem ex Leonora, bona utriuſque parentis fide, ſuſceperat, & in ſpem ſucceſſionis educabat. Sicque ſecundum regis voluntatem pronunciatum eſt, locum eſſe divortio, eoque non obſtante Alfonſum verum eſſe ac legitimum patris ſucceſſorem: ac Leonora ad ſuos remiſſa, oppidis dotalibus, quæ in Aragonia habebat, retentis, multaque ſupellectile, auro, gemmis, ac veſte pretioſa ſecum aſportata. Narrant hæc pluribus Surita, Gomeſius, Mariana, & alii rerum Aragonicarum & Hiſpanicarum ſcriptores. Cumque nihilo minus, poſt aliquot annos nonnulli prædictum Alfonſum in periculum ſucceſſionis adducere vellent, Gregorius pontifex ſententiam legati confirmans, eumdem Alfonſum authoritate apoſtolica legitimum eſſe ac regnandi capacem, ſemel iterumque declaravit, eo quod natus Jacobo fuiſſet, cum bona fide legitimum illud matrimonium ab omnibus credebatur. *Hactenus Spondanus.*

Hoc

ANNO CHRISTI 1229.

Hoc autem habet peculiare Hieronymus Surita in Indicibus rerum Aragon. quod exhibeat & orationem qua Alfonſi filii natales aſſeri rex Jacobus petiit, & inſtrumentum quo ſynodus conceſſit. Sic enim ille ad hunc annum. Cum filium, *inquit*, ex ea rex bona fide ſuſcepiſſet, antequam legatus ſententiam ferret, regem conceptis verbis, hac formula expreſſa atque conſtituta, ne a me „ ejus verba invertantur, ita præfatum compe- „ rio. Vobis, domine legate, & omnibus ar- „ chiepiſcopis, & aliis eccleſiaſticis perſonis, „ qui hic aſſiſtunt, necnon & nobilibus & po- „ pularibus innoteſcat, quod nos cariſſimæ uxo- „ ri noſtræ Eleonoræ per eccleſiam conjuncti fui- „ mus, & credidimus nos eidem legitime fuiſ- „ ſe conjunctos: & ex ea ſuſcepimus cariſſimum „ filium noſtrum domnum Alfonſum, quem „ nos arbitrantes legitimum, hæredem & ſuc- „ ceſſorem regni noſtri jampridem conſtituimus: „ & a vaſſallis & nobilibus regni noſtri eidem „ faciemus jurari & aſſecurari regnum noſtrum. „ Nunc autem coram vobis conſtituti, & ne- „ ſcientes quid ſuper noſtra conjunctione decer- „ nere proponatis, in præſentia veſtra & om- „ nium aſſiſtentium, quod de ſupradicto filio „ noſtro, ſicut prædictum eſt, fecimus, con- „ firmamus: & ſi legitimatione indigere aliqua- „ tenus videatur, nos authoritate & poteſtate „ regia legitimamus ad omnia, ad quæ legiti- „ mari poteſt authoritate regia: & hæredem, „ & ſucceſſorem regni noſtri conſtituimus & „ declaramus: & præcipimus quod ſicut ei juratum „ eſt regnum, tanquam verus hæres, poſt nos „ omnibus vaſſallis noſtris, & a toto regno in „ dominum recipiatur & regem. Petimus quo- „ que a vobis & ſupplicamus, domine legate, „ & ab omnibus archiepiſcopis qui hic præſen- „ tes ſunt, ut hoc factum noſtrum litterarum „ veſtrarum teſtimonio roboretis.

„ Nos igitur, inquit, legatus, ad inſtantiam „ prædicti regis, præſentibus annotari fecimus „ in teſtimonium veritatis. Hæc autem acta „ ſunt præſentibus domino R. Toletano archie- „ piſcopo, domino S. archiepiſcopo Tarraconen- „ ſi, & venerabilibus patribus Burgen. Calagur- „ ritanen. Segovien. Seguntinen. Oxomen. Iler- „ denſi, Oſcen. Tiraſonen. & Bajonen. epiſco- „ pis. Apud Tiraſonam III. Kal. Maii, anno „ Domini MCCXXIX.

Ex Card. de Aguirre pag. 493. Tom. 3. Conc. Hiſp. p. 491.

ACTA CONCILII TURIASONENSIS

IN CAUSSA DIVORTII

Facti inter Jacobum Regem Aragoniæ & Eleonoram Reginam, anno Domini MCCXXIX.

Ex Didaco Dormer in libro cui titulus: *Diſcurſos varios de Hiſtoria pag.* 54.

JOannes Dei gratia Sabinenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Fungentes in Hiſpania legationis officio, mandatum Domini Papæ recepimus ſub hac forma: Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri J. Epiſcopo Sabinenſi, Apoſtolicæ ſedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum Generale Concilium inhibitione copulæ conjugalis in tribus ultimis gradibus revocata, eam in aliis voluerit diſtricte ſervari; nec ſit deferendum homini contra Deum; fraternitati A tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad ſeparandum contractum conjunctionis illicitæ inter Regem & Reginam Aragonum, poſt idem Concilium ſubſecutæ, ſuper quo etiam jam dudum bonæ memoriæ H. Papa prædeceſſor noſter ſua ſcripta direxit, juxta ſtatuta procedas Concilii ſupradicti: non obſtantibus litteris hujuſmodi facto contrariis a ſede Apoſtolica impetratis: verum apud eundem Regem cures efficere, ut Reginæ pro ſuſtentatione ſua honeſtam proviſionem ſtudeat aſſignare; cum alias grave de ipſorum ſeparatione timeatur ſcandalum provenire. Datum Peruſii, VII. Id. Februarii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Nos igitur ad ſeparationem ejuſdem conjun- B ctionis, & Reginæ proviſionem, de utriuſque partis aſſenſu procedere cupientes, ipſos diligenter monuimus & induximus, ut benignum præſtent aſſenſum his, quæ ſalus animarum ſuarum, & regnorum tranquillitas requirebant: & ad hæc ipſorum conſentum obtinuimus: ſicut litterarum ſuarum ſigillis munitarum propriis ſubſcripta forma demonſtrat.

Notum ſit omnibus præſentes litteras inſpecturis, quod nos Jacobus Dei gratia Rex Arag. Comes Barchin. & dominus Montiſ-peſſulani, pro utilitate animæ propriæ, accepto ſalubri conſilio, venerabili in Chriſto patri J. Dei gratia Sabin. Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis Legato, præſtito juramento firmavimus quicquid ordinan- C dum duceret ſuper celebratione divortii inter nos & dominam A. Dei gratia Reginam Arag. Comitiſſam Barchin. & dominam Montis-peſſulani, chariſſimam uxorem noſtram; & ſuper arrhis quas eidem conceſſimus: & ſuper cuſtodia vel ſecuritate caſtrorum, videlicet de Daroca, & de Farizia, & de Uno-caſtello, nos ratum & firmum habere: & ordinationem ſuam inconcuſſam bona fide ſervare. Actum eſt hoc in præſentia venerabilis patris S. Tarraconenſis Archiepiſcopi, & Fratris P. Prioris prædicatorum Cæſar-auguſtæ, & Frarris R. Pœnitentiarii domini Legati, ann. Domini MCCXXVIII. XIII. Kalend. Aprilis.

Notum ſit omnibus præſentes litteras inſpe- D cturis, quod nos Al. Dei gratia Regina Arag. Comitiſſa Barchin. ac domina Montiſ-peſſulani, pro utilitate animæ propriæ, accepto ſalubri conſilio a venerabili in Chriſto Patre J. eodem, Sabin. Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis Legato præſtito juramento firmavimus quicquid ordinandum duceret ſuper celebratione divortii inter nos & dominum Jacobum illuſtrem Regem Arag. Comitem Barchin. & dominum Montiſ peſſulani, chariſſimum virum noſtrum, & ſuper arrhis quas idem Rex nobis conceſſit; & ſuper cuſtodia vel ſecuritate caſtrorum; videlicet, de Daroca, & de Ferizia, & de Uno-Caſtello, nos ra- E tum & firmum habere, & ordinationem ſuam inconcuſſam bona fide ſervare. Actum in præſentia venerabilis patris S. Tarraconen. Archiepiſcopi, & Fratris Petri Prioris fratrum Prædicatorum Cæſar-auguſtæ, Fratris R. Pœnitentiarii domini Legati, & G. de Alma-guere domini Papæ ſubdiaconi, XVII. Kalend. Aprilis, anno Domini MCCXXVIII. in Eccleſia Sancti Joannis in domo hoſpitalis Cæſar-auguſtæ.

Nos igitur die partibus aſſignata apud Tyraſonam, & quia arduum erat negotium, vocatis ad eundem locum venerabilibus Patribus Toletano & Tarraconenſi Archiepiſcopis, & multis Epiſcopis de Caſtella & de Aragonia, ipſorum, & aliorum prudentum habito conſilio, partibus com-

comparentibus coram nobis, de separatione ipsius conjunctionis pronunciavimus in hunc modum.

Nos Joannes Dei gratia Sabin. Episcopus, Apostolicæ sedis Legatus, invenientes inter J. illustrem Regem Arag. & dominam Al. illustrem Reginam, consanguinitatem adeo notoriam, quod nec erat locus inficiationi, nec poterat aliqua tergiversatione celari; habito diligenti consilio & tractatu cum venerabilibus Patribus Archiepiscopis & Episcopis præsentibus utriusque regni, necnon & aliis prudentibus viris, definitive pronunciamus inter dictum J. illustrem Regem Arag. & dominam Al. illustrem Reginam, quia consanguinei sunt in tertio gradu, matrimonium non tenere, inter eosdem divortii sententiam pronunciantes.

De provisione autem dominæ Reginæ ordinavimus in hunc modum. Universa & singula, quæ dominus Jacobus Dei gratia illustris Rex Arag. nomine arrharum, vel nomine juris sponsalitiorum dominæ Reginæ Alienoræ filiæ domini Alphonsi quondam illustris Regis Castellæ, concessisse legitur in charta de ipsorum conjunctione confecta cum pleno segnorivo, & integritate omnium jurium, sicut eadem omnia ibidem legitur habitura, si prædicto Rege præmortuo ipsa remansisset superstes: necnon & Fariziam, quæ gratia regalis munificentiæ eidem Reginæ cum suis accrevit pertinentiis, ab hac die in antea prædicta domina, non nomine arrharum, vel sponsalitiorum, sed nomine provisionis & gratiæ, omnibus diebus quibus in sæculo vixerit, possideat & teneat pacifice & quiete: & dominus Rex eadem ei deliberet, vel excambium ipsi Reginæ gratum & acceptum. Circa custodiam castrorum de Catalonia nihil duximus immutandum: castra vero de Daroca, & de Farizia, & de Uno-castro, Regina tradat custodienda & tenenda de manu sua viris generosis & naturalibus de regno Aragoniæ, qui faciant homagium & fidelitatem Regi, quod post mortem ipsius Reginæ reddent castra & villas Regi si vixerit, vel ejus hæredi, qui regnabit in Aragonia.

Et Regina possit eos mutare quandocumque & quotiescumque sibi placuerit: dummodo illi qui substituentur, faciant Regi homagium & fidelitatem de Castris reddendis, sicut superius continetur: & in tali mutatione ille qui castrum custodit, non antea exeat a custodia castri, quam ille intraverit qui debet ei succedere: & si forte aliquis decedat de illis, quorum custodiæ commissa fuerunt castra prædicta; illi qui ex parte ipsius in castro fuerint, nemini castrum reddant, nisi illi nobili, quem Regina defuncto substituet prædicto modo, & ad hoc ipsi per juramentum & homagium ab ipso nobili astringantur. De aliis tribus castris, scilicet de Epila, de Barbastro, & de Pina, Regina unum quod elegerit, habeat in manu sua & custodia, & duo tradat custodiæ aliquorum nobilium & naturalium de Aragonia, secundum illam formam quæ de Daroca, Farizia, & de Uno-castro superius est expressa.

Si autem prædicta Regina nupserit, nullum castrum in custodia sua retineat; Adjicimus quoque, quod si Rex abstulerit, vel auferri fecerit Reginæ provisionem quam ei facimus, ipse, & omnes consiliarii & coadjutores ejus, ipso facto sint excommunicati: & præcipimus domino Tarraconensi Archiepiscopo, ut loca in quibus Rex fuerit, tali supponantur interdicto, quod præter pœnitentiam, viaticum, & baptisma, nullum ibi sacramentum celebretur: & illi nobiles qui tenuerint castra in custodia, ea teneantur statim reddere Reginæ, vel ejus mandato: nisi forte ipsa Regina manu armata regnum Aragoniæ per se vel per suos invasisset. ANNO CHRISTI 1229.

Præterea si Rex auferat vel subtrahat Reginæ aliquod de castris Aragoniæ per vim, vel per quodcumque ingenium, ipse, & consiliarii, & coadjutores ejus excommunicati sint ipso facto: & statim illi nobiles, qui alia castra tenuerint, eadem teneantur reddere Reginæ; & ipsa nequaquam de cetero teneatur dare custodienda naturalibus de Aragonia, nisi voluerit. Si vero Regina per vim, vel per aliquod ingenium, contra voluntatem Regis aliquod de prædictis castris Aragon, de manu naturalium de Aragonia abstraxerit, vel in manu sua retineat, vel aliis tradat, qui non sint naturales de Aragonia; ipsa, & omnes coadjutores, & consiliarii ejus excommunicati sint ipso facto, & omnis locus, ad quem pervenerit, interdicto simili subjaceat supradicto. Et alii nobiles, qui alia castra tenuerint, reddant fortericias Regi Aragonum, ut de ipsis faciat suam voluntatem. Ad hoc si Regina quocumque tempore fecerit, quod aliquid de his quæ in provisione a nobis sibi sunt assignata, alienetur a regno Aragonum; ipsa ex tunc sit excommunicata, & quicumque ab ea receperit sit excommunicatus.

Retinemus autem nobis declarationem & interpretationem omnium prædictorum, si super eis aliqua dubitatio emerserit in futurum. Hæc autem omnia ab utraque parte præcipimus firmiter observari, sub pœna excommunicationis, & sub religione præstiti juramenti: ita quoque quod si Rex non servaverit, sit excommunicatus & perjurus; & si domina Regina non servaverit, sit excommunicata similiter & perjura. Actum apud Tyrasonam anno Domini MCCXXIX. tertio Kalendas Maji, præsentibus venerabilibus Patribus domino Toletano Tarracon. Archiepiscopis, Burgensi, Calagurritanensi, Segobiensi, Seguntinensi, Oxomensi, Bajonensi, Tirasonensi, Oscensi, & Ilerdensi Episcopis.

Pronunciata vero provisione Reginæ, Rex in continenti petiit interpretationem & declarationem super quibusdam articulis prænotatis; quærens certificari, utrum nostra esset intentio aliud jus, vel plenius jus, sive aliud vel majus signorivum ex nostra provisione conferre Reginæ, quam ipsa haberet, si jure arrharum vel sponsalitiorum possideret, præcipue si ipsa nuberet, & si Rex faciens exercitum, maxime contra Mauros, vel alias pro defensione regni sui, homines de provisione Reginæ vellet educere cum aliis hominibus suis in exercitum. Quas dubitationes taliter duximus declarandas. Quod in his articulis, scilicet de caussamento, & de exercitu, nostra fuit intentio .... & consuetudines regni Arag. de arrhis vel sponsalitiis debere observari.

Super eo quoque verbo, quod præmissum est, omnibus diebus quibus in sæculo vixerit, licet declaratione non indigeat, cum satis sit clarum; quia tamen petiit Rex amplius declarari, respondemus, quod pro *vivere in sæculo* intellexisse, vivere in conversatione & habitu sæculari. Super illo etiam verbo quod præmisimus, quod Regina tradat castra in custodiam nobilium, qui sint generosi & naturales de Aragonia, quæ-

ANNO CHRISTI 1229.

sivit Rex, utrum intelligeremus, quod quibuscumque generosis naturalibus de Aragonia, etiam inimicis Regis vel regni, posset Regina prædicta castra tradere. Ad quod respondemus, quod non intelleximus, nec voluimus, quod castra Aragoniæ darentur in custodiam aliquibus, qui sint inimici Regis vel regni, sive expediti a regno.

Datum apud Tutelam in crastino Apostolorum Philippi & Jacobi.

☞ MINDENSIS ECCLESIÆ STATUTA

ANNO CHRISTI MCCXXX. NON. DECEMBRIS.

Universis hanc paginam inspecturis Frater Joannes ordinis Prædicatorum Domini Papæ pœnitentiarius, salutem in Christo Jesu.

Affert P. Harthzeim ad tom. IV. Concil. German. pag. 657.

AD Mindensem ecclesiam a venerabili P. Ottone S. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali, sedis apostolicæ legato, ad exequendum ibidem visitationis vel inquisitionis officium destinati, quædam in ea duximus salubriter ordinanda, quæ statuta & aliis ammonitis dignum duximus stabilire.

Inprimis igitur statuimus, ut decem obedientiæ, & octo decimæ, sicut sunt distinctæ per præpositum, custodem, scholasticum, cantorem B. & F. canonicos Mindenses, auctoritate præcedente Episcopi & capituli, & approbatione postmodum subsecuta, perpetuo sic maneant inconvulsæ; hoc ipsum de bannis volumus observari, qui dictæ visitationis tempore de consensu ejusdem Episcopi & capituli in quinque archidiaconatus rationabiliter sunt distincti, exceptis illis prælaturis ecclesiæ sunt annexi.

II. Statuimus insuper, quod excepta obedientia Hemmincheren. &c. quæ præposituræ perpetuo est annexa, ceteræ novem semper superioribus post decanum secundum ordinem assignentur: Si autem aliquem illorum novem contingit cedere vel decedere, vel obedientiam perdere, quolibet justo modo, ipso jure, succedat in ea, qui priorem locum inter illos, qui decimas habent, noscitur obtinere, quæ & de non habentibus decimas, & illis qui post eos inferiores fuerint, volumus observari. Id quod vacante obedientia successor a Decano vel præposito, si decima illa fuerit, sine omni contradictione incontinenti debeat investiri, hominio a recipiente requisito nullatenus aut recepto.

III. Statuimus etiam quod nulla istarum obedientiarum, vel decimarum, vel duobus vel pluribus assignetur, sed uni tantum, & per ordinem simpliciter atque pure, & qui vacantem obedientiam vel decimam infra tres dies * voluerit acceptare, sibi imputet, nullam postmodum habiturus: præstabit autem obedientiarius juramentum de indemnitate obedientiæ, & fideli amministratione præbendæ, & quod eam de pinguibus possessionibus sive obedientiis expediat & persolvat, etsi damnum in aliquibus sustineat, dummodo possessione vel fructu penitus non privetur. Tunc vero supercrescentes fructus in usus suos poterit convertere, cum præbenda fratrum fuerit totaliter expedita.

* f. noluerit

IV. Item statuimus, ut numerus viginti quatuor canonicorum majorum inviolabiliter observetur. Ita quod nullus, nisi vacante præbenda, quavis astutia eligatur ibidem aliquatenus nisi unus: Quod si una vacante plures fuerint electi, votis fratrum in plures divisis, ille præbendam obtineat, quem sententia ab ordinario promulgata dictaverit obtinere, vel qui solus remanserit, cedentibus aliis sine lite, omni pactione, omni arbitrio, & quovis alio modo penitus relegatis.

V. Item nullus eligatur ad præbendam minor quatuordecim annis, nec in præpositum vel decanum seu ad alias dignitates ejusdem ecclesiæ aliquis assumatur, nisi ad minus viginti quinque annorum existat. Ut autem præmissa capitula firmius observentur, Præpositus, decanus & capitulum Mindense nostro inducti consilio ad perpetuam eorum observantiam se coram nobis corporaliter juramento præstito astrinxerunt.

VI. Post hæc autem, quæ juramento firmata sunt, ut superius est præmissum, quædam alia, quæ sequuntur duximus statuenda; videlicet, ut nemo deinceps canonicus in ecclesia Mindensi emancipetur, vel installetur; nisi prius prænotata capitula & alias consuetudines ecclesiæ Mindensis se juret inviolabiliter observaturum.

VII. Item statuimus de archidiaconatibus, ut præter illos, qui dignitatibus sunt annexi, quinque alii non pravis sed viris prudentibus & fidelibus ecclesiæ Mindensis canonicis conferantur, qui archidiaconatus suos visitent per seipsos & ecclesias cum vacaverint dignis conferant sine pretio dato, quovis ingenio spectato.

VIII. Item de præposituris S. Martini, e S. Joannis Mindensis duximus observandum, videlicet ut nullis nisi discretis majoris ecclesiæ canonicis conferantur.

IX. Item omnes residentiam faciant, vel pœnam a nobis contra absentes statuta incurrant, scilicet, ut tempore absentiæ fructus præbendæ non habeant, sed decanus & celerarius colligant ad usus capituli bona fide, nisi causa studii aut peregrinationis, vel ecclesiæ negotii, aut sui officii ad Mindensem ecclesiam pertinentis, sive infirmitatis causa, ex indulgentia decani, vel totius capituli ex probabili causa, sive solius decani juxta modum hactenus observatum, alicujus absentia valeat rationabiliter excusari.

X. Item statuimus, ut nullus canonicorum sive de anno gratiæ, sive de bonis in ecclesia acquisitis, concubinæ, aut filiis suis possit ullo modo condere testamentum. Et si fecerit, ecclesiastica careat sepultura, & testamentum omnino, irritum reputetur,

XI. Legatum quoque per manum decani, scholastici, cellerarii, qui pro tempore fuerint, in communes usus capituli redigatur,

XII. Item statuimus, ut si quis canonicorum vel vicariorum chori de cetero cohabitare præsumpserit concubinæ, vel extra domum eam publice procurare, si post trinam monitionem decani, vel alicujus canonici infra octo dies in capitulo factam non resipuerit, præbenda ipsius & quidquid a Mindensi ecclesia in beneficio obtine-

tinebat per manum decani & cellerarii ad communes usus capituli fideliter colligatur; ille vero ab ingressu ecclesiæ, officioque divino interim sit suspensus, quoadusque vitium postpositum suprædictum, & de culpa sua coram decano & capitulo condignam susceperit pœnam manifeste; pœna simili puniendis, qui præfatum manutenere præsumpserint testamentum.

XIII. Item statuimus, quod præcipue in choro, refectorio, & dormitorio, honeste, modeste & disciplinate se habeant; qui autem aliter se habeant a Decano pro qualitate commissi graviter puniantur.

XIV. Ordinavimus etiam & statuimus, ut idem decanus in iis quæ ad præbendas & obedientias, & ad servitium pertinent, & ad ecclesiasticam disciplinam, compellendi, coarctandi, puniendi plenariam habeat potestatem. Qui si fuerit negligens & remissus, præter cælestem vindictam, qua Eli percussus fuit, depositionis pœnam poterit formidare.

Acta sunt hæc A. D. 1230. non. Decembr.

ANNO CHRISTI 1230.

CONCILIUM TARRACONENSE

Præside Asparago Archiepiscopo Tarraconensi,

Celebratum anno Domini MCCXXX.

ANno Domini MCCXXX. Kalendis Maji, Sparagus, Archiepiscopus Tarraconensis Concilium celebravit in Ecclesia sua, cujus pauca admodum statuta ad nos pervenerunt. Ei autem interfuerunt cum Archiepiscopo Guillelmus Vicensis Episcopus, Pontius Dertusensis, Garcias Oscensis, Berengarius Barcinonensis, & procuratores aliorum Episcoporum provinciæ Tarraconensis. Baluzius lib. 4. *Marcæ Hispan.*

CONCILIUM PROVINCIALE

Celebratum Rotomagi anno gratiæ MCCXXXI.

sub Mauricio Archiepiscopo et ejus suffraganeis,

De disciplina Ecclesiastica & morum reformatione.

Ex codice S. Michaelis in periculo maris ante annos quadringentos scripto.

ANNO CHRISTI 1231.

I.

STatuimus ut Prior non conventualis ultra summam sexaginta solid. ab aliquo sine licentia Abbatis sui, vel Episcopi, si remotus fuerit Abbas, mutuo pecuniam non accipiat: quod si forte fecerit, abjiciatur a prioratu, nec denuo prioratum valeat adipisci, quousque per Provinciale Concilium fuerit restitutus. Nisi forte prioratus ita abundet in reditibus quod Priori ultra dictam summam accipere mutuo sit necesse; & tunc ultra summam centum solid. accipere non præsumat. Eidem pœnæ subjaceat Prior, qui quantamcumque summam pecuniæ mutuo receperit a Judæis. Abbas autem, qui sine licentia Episcopi sui pecuniam a Judæo receperit mutuo suspendatur; nec nisi per Provinciale Concilium relaxetur.

II.

Statuimus etiam ut Abbates, & Priores, & obedientiarii de singulis proventibus, & reditibus, & expensis singulis annis diligenter computent in Capitulo quater in anno ad minus, & status tam abbatiarum, quam prioratuum a claustralibus cognoscatur, & computa redigantur in scriptis, ita quod Conventus penes se retineat unum scriptum, & Abbas aliud.

III.

Nullus Abbas mutuo recipiat pecuniam sine Capituli sui, vel majoris & sanioris partis Capituli licentia, nec ultra summam ab Episcopo suo taxandam secundum Monasterii sui facultates: qui contra fecerit, per Episcopum suum puniatur.

IV.

Propter scandala quæ ex Monialium conversatione proveniunt, statuimus de Monialibus nigris, ne aliquod depositum recipiant in domibus suis ab aliquibus personis, maxime arcas clericorum, vel aliorum laicorum causa custodiæ, apud se minime deponi permittant. Pueri, vel puellæ, qui ibi solent nutriri & instrui, penitus repellantur. Omnes communiter comedant in Refectorio, & in Dormitorio dormiant solitarie. Cameræ Monialium omnes destruantur, nisi aliqua per inspectionem Episcopi integra retineatur ad infirmariam faciendam, vel alia de causa, quæ Episcopo esse necessaria videatur. Item Moniales nullatenus exire permittantur, vel extra pernoctare, nisi forte ex magna causa, & raro; & Abbatissis injungatur ne aliter egredi permittant Moniales. Et si aliquando Abbatissa ex justa causa alicui permittat, eidem injungatur quod sine mora revertatur, & det ei sociam, non ad voluntatem suam, sed quam viderit expedire. Ostia suspecta & superflua obstruantur. Circa hoc autem Episcopi adhibeant diligentiam & curam per se & per ministros suos, & vitas & conversationes earum taliter restringant, quod per eorum diligentiam scandala, quæ de earum vita in præsenti proveniunt, sopiantur.

ANNO CHRISTI 1231.

V.

Statuimus ut omnes Judices, tam ordinarii, quam ab Ordinario delegati, temperent se & refrænent a generalibus excommunicationibus, nec in generali participantes excommunicent, ubi communicaverunt in crimine delinquenti.

VI.

Statuimus ut in locis sive prioratibus ubi congregatio conventualis solet esse, si facultates ecclesiæ suppetant, illius conventus restauretur ibidem.

VII.

Monemus abbates & priores conventuales quod tot factores in abbatiis & prioratibus suis instituant, si ad hoc facultates eorum sufficiant, quot ibi solent deservire; & ne pensionem, nec censum ab eis exigant, quam non solent exigere ab antiquo, nisi forte alicui ex justa causa a suo Episcopo permittatur.

VIII.

Statuimus quod clerici ribaudi, maxime qui dicuntur de familia Goliæ, per Episcopos, Archidiaconos, Officiales, & Decanos Christianitatis tonderi præcipiantur, vel etiam radi, ita quod eis tonsura non remaneat clericalis; ita tamen quod sine scandalo & periculo ista fiant.

IX.

Statuimus ut ille ad quem unius vel plurium Judicum mandatum dirigitur, sive de citatione facienda, sive de aliquo alio faciendo, non faciat quod mandant, nisi in ipso mandato contineantur expresse, & designentur nomina Judicum, locorum, diœcesis, & personarum, vel cujus auctoritate procedit authenticum, & nisi exhibeatur authenticum transcriptum sub sigillis authenticis & notis; & ne citatores a Judicibus contra prædictam formam mandatum eorum exequi compellantur, alioquin ad Sedem Apostolicam appellent.

X.

Prohibemus ne aliquis clericus ab aliquo quam suo Episcopo se faciat ordinari, nisi super hoc Diœcesani sui litteras habuerit speciales vel licentiam.

XI.

Præcipimus ut concubinæ presbyterorum, quæ super hoc de cetero fuerint confessæ, vel convictæ, vel diffamatæ, vel super hoc non poterunt se purgare, publice in ecclesia die Dominico, vel alio solemni die, coram populo tondeantur, alias pœnitentiam competentem pro peccato hujusmodi suscepturæ; & si quæ fuerint inventæ rebelles, per excommunicationis sententiam ad hoc, si necesse fuerit compellantur.

XII.

Nullus audeat missam bis in die celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate, scilicet pro humano * corpore, in die Dominico, vel alio solemni, in die Natalis Domini, in die Paschæ; & hoc ubi non est nisi unus sacerdos. Celebraturus quoque Missam secundam vinum perfusionis non sumat, sed ministro habenti bonam conscientiam conferat.

* humando

XIII.

Prohibemus ne aliquis Archidiaconus, seu Decanus ruralis, sive monachus, vel quicumque alius, cognoscat de causis matrimonialibus, nisi super hoc privilegium apostolicæ sedis habeat, vel ab antiquo sic fuerit consuetum: sed cum in eorum auditorio talis quæstio devenerit, eam Episcopo loci, vel ejus Officiali, sine moræ dispendio studeant nunciare, partes ad ipsorum examen competenti termino remittentes.

ANNO CHRISTI 1231.

XIV.

Prohibeant sacerdotes sub pœna excommunicationis choreas duci in cimiterio, vel in ecclesiis: moneant etiam ne alibi fiant.

XV.

Prohibeant similiter ne vigiliæ fiant in ecclesiis nisi in festo illius ecclesiæ Sancti.

XVI.

Nullus laicus de novo in cimiterio ædificare permittatur, nec domus aliqua si destructa fuerit, per annum & diem durante ruina, reædificetur ibidem; nec fimus, vel immunditiæ aliquæ in cimiterio adunentur.

XVII.

Clerici beneficiati, seu in sacris Ordinibus constituti, non sint advocati pro pretio, seu in fraude pretii in curia laicali, nec loco laicorum curiam teneant, nec balliis illorum, seu aliorum illicitis præficiantur.

XVIII.

Nullus non sacerdos curam animarum habens, Ecclesiam ad firmam recipiat; nec etiam sacerdos curam animarum habens, nisi habeat perpetuum vicarium, in quo casu non recipiat nisi de Episcopi sui licentia speciali.

XIX.

Statuimus quod condonati cujuslibet domus religiosæ aliquod signum in eminenti portent, ad arbitrium Episcopi; & religioni congrua indumenta: ut per hoc distinguantur ab aliis; & sicut religiosi ab Ecclesia defendantur; & ad hoc faciendum per suos presbyteros compellantur.

XX.

Districte præcipitur ne Sacerdotes magnos cultellos cum cupisde, enses, gladios, vel lanceas portent; nec clerici Sacerdotum, vel alii in sacris Ordinibus constituti, nisi justa causa timoris.

XXI.

Præcipimus ne laici testamenta sua ordinent per manum laicalem, & ipsis prohibeant frequenter sacerdotes ne testamenta sua faciant, nisi in necessitate, sine præsentia Sacerdotis, maxime cum in Normania talis consuetudo existat.

XXII.

Jurabunt Officiales, & qui demandatam ab Episcopis, vel Officialibus jurisdictionem suscipiunt, quod munus & donum non recipiant, nisi exenia tam modica propter quæ præsumi non debeat quod Judicum animus a tramite justitiæ debeat deviare: nec exenia hujusmodi frequenter recipiant ab eodem.

XXIII.

Inhibemus ne monachi, vel aliæ personæ ecclesiasticæ in causis quæ tantum consueverunt tractari in foro Ecclesiæ, deponant querimoniam coram Judice sæculari, nisi ab Episcopo suo super hoc licentiam habuerint specialem.

XXIV.

Statuimus ut decanatus ab Episcopis, vel Archidiaconis non vendantur, seu ad firmam tradantur, sed gratis de cetero concedantur; ita quod de emendis superioribus jurati fideliter respondebunt, deductis propriis expensis, quas ipsi Decani necessario facient propter officium decanatus.

XXV.

Firmiter inhibemus quod si partes litigantes coram Episcopis, seu Archidiaconis, vel Decanis ruralibus, transigant vel componant, neutra pars

pars prætextu alicujus consuetudinis emerdam Judicium propter hoc persolvere minime teneatur.

XXVI.

Item præcipimus quod causæ ecclesiasticæ coram Decanis ruralibus, & coram quocumque Judice ecclesiastico secundum jura ecclesiastica tractentur, & non per modum curiæ sæcularis.

XXVII.

Qui cruce signati sunt, ultra annum & diem ab Ecclesia nullatenus defendantur, nisi pro speciali mandato sedis Apostolicæ vel Legati passagium interdicatur vel in diem prorogetur, vel ex alia justa causa & evidenti eos oporteat remanere: hoc idem & de cruce signandis statuimus observandum.

XXVIII.

Volumus & præcipimus quod Judices sæculares qui clericos in aliquo facinore deprehensos carceri mancipatos, si ab ecclesiastico Judice requisiti eos reddere contradicant, extunc excommunicati a summo Judice promulgentur; nec in ipsis capiendis amplius violentia capientium extendatur, quam defensio vel rebellio exegerit clericorum: & cum cantos eos tenuerint, ecclesiastico Judici, scilicet Episcopo, vel Officiali, seu Archidiacono, vel Decano loci sine moræ dispendio denunciare procurent.

XXIX.

Præcipimus ut clerici qui habent perpetuos vicarios in ecclesiis suis, si sint docibiles, studeant principaliter in Theologia, nisi justa & rationabili causa Episcopus suus cum eis aliter duxerit dispensandum; & nisi sint in sacris Ordinibus constituti, ad sacros Ordines promoveantur. Illi autem de quibus merito præsumendum sit quod in studio proficere non debeant, ordinentur, & in suis ecclesiis deserviant in ordine Sacerdotali, si de eorum & vicariorum extiterit voluntate, vel alibi in eodem ordine Domino studeant deservire.

XXX.

Statuimus quod Vicario perpetuo cedente vel decedente, Vicaria accrescat personatui, & extunc Persona illius ecclesiæ non per Vicarium, sed per seipsum illi ecclesiæ deserviat in ordine quem ipsius ecclesiæ cura requirit.

XXXI.

Statuimus etiam quod quando ecclesia vacaverit, si talis sit ecclesia quod officiari possit per unum Sacerdotem & clericum, ille qui tempore vacationis deserviet illi ecclesiæ, habeat quindecim libras Turon. ad minus per annum. Si vero talis sit quod duorum indigeat officio sacerdotum, viginti duas libras Turon. & dimidiam habeant per annum de proventibus ejusdem ecclesiæ.

XXXII.

Statuimus etiam quod illud idem in ecclesiis non vacantibus observetur, cum forte Personæ earumdem absentes fuerint de Episcoporum suorum licentia speciali. Hoc idem intelligimus de omnibus ecclesiis ubi Vicarius fuerit institutus

XXXIII.

Præcipimus quod Personæ ecclesiarum parrochialium qui habent redditus abundantes, domos in solo ecclesiastico ædificare studeant competentes: Vicarii vero perpetui, quibus ad hoc omnino non suppetunt facultates, pro posse suo ad hoc laborent, ut a Personis suis juventur secundum portionem quam in eisdem percipiunt annuatim: si vero terram non habeant ubi Vicarius sive Persona ædificare possit commode, Patronus clericus, qui in eadem ecclesia aliquam partem percipiet Decimarum, seu proventuum aliorum, si ad hoc faciendum terram habeat congruentem, ad ædificium construendum dare quantum opus fuerit compellatur.

XXXIV.

Nullus Diaconus Eucharistiam det infirmis, vel confessiones audiat, vel baptizet, nisi cum Sacerdos absens fuerit, ita quod ejus adventus commode expectari non possit, vel idem Presbyter gravi infirmitate, vel alio inevitabili impedimento fuerit impeditus.

XXXV.

Prohibemus districte, ne Presbyteri seu Priores forenses mulieres aliquas habeant in suis domibus residentes, nisi matrem, vel aliam quæ tantæ sit ætatis, quod suspicio mala de ea non possit suboriri.

XXXVI.

Prohibemus etiam ne Sacerdotes in generali excommunicent, nisi pro furtis & depositis in eadem parrochia, & tunc trina vocatione * præmissa.

* monitione

XXXVII.

Omnes Monachi qui solitarie vivunt in aliquibus locis, ad claustrum a suis Abbatibus revocentur, nisi Prioratus sic abundet quod sufficiat ad duos Monachos sustentandos: & in hoc casu Abbates duos Monachos ibidem ponere compellantur.

XXXVIII.

Statutum ab Abbatibus Nigri Ordinis, & in eorum Concilio super esu carnium & jejuniis promulgatum confirmamus, & præcipimus observari.

XXXIX.

Monachi vestes non deferant sumptuosas, sed viles, secundum quod in eorum Regula continetur: & hoc Episcopi præcipiant Abbatibus in Diœcesi sua constitutis ut Monachos suos ad id faciendum compellant, & ipsi in se studeant observare. Episcopi, ut Moniales vivant sine proprio curam adhibeant diligenter, & ne se possint excusare prætextu alicujus paupertatis.

XL.

Statuimus, ne aliquis Monachus det aliquid Abbati suo pro Prioratu habendo, & propter hoc Abbas recipere non præsumat.

XLI.

Monachos ad istitutionem aliquam Prioratum non habentem nec aliquid aliud ad firmam ab Abbate recipere, vel a quolibet alio prohibemus.

XLII.

Nullus Abbas Nigri Ordinis Monachum recipiat Cisterciensis Ordinis, qui professionem fecerit in Ordine memorato.

XLIII.

Statuimus ut antiquæ pensiones quæ Prioratibus Monasteriis solvebantur, quatenus per Abbatem vel Monasterium a quadraginta annis, & infra, fuerint augmentatæ, vel de novo impositæ, penitus revocentur: & easdem augmentari de cetero prohibemus.

XLIV.

Auctoritate hujus Provincialis Concilii prohibemus ne Clerici beneficiati, seu Presbyteri, vel aliqui Religiosi, aliquam exerceant negotiationem; si quis autem contra tale præsumpserit, secundum qualitatem delicti puniatur.

XLV.

Jurabit autem unusquisque advocatus se fideliter facturum officium suum, & quod injustas cau-

ANNO CHRISTI 1231.

causas, seu desperatas contra conscientiam suam non sustinebit, nec instrumenta partis suæ subtrahet, vel subtrahi faciet; nec exceptionibus falsis, quod sciat, seu per malitiam excogitatis utetur; nec procurabit quod falsitates vel subreptiones, seu falsa instrumenta in causa sua producantur; & quod causam clientuli sui, quantum credet quod faciat ad utilitatem ipsius clientuli, non prorogabit; & quod de eis quæ in curia facta fuerint, de quibus a Judicibus requisitus fuerit, veritatem secundum credulitatem suam non tacebit; & quodsi se crediderit causæ suæ insufficientem, cum Procuratoribus consilium habebit; & quod libellum & acta in causis susceptis fideliter pro posse suo conficiet manu propria, vel ea, si scribere nesciverit, vel noluerit, scribi faciet.

XLVI.

Nullus Monachus, seu Canonicus Regularis jus patronatus, vel Decimam a laico accipere seu possessionem alicujus ecclesiæ auctoritate propria intrare præsumat; nec Canonicum ibi ponat, ubi esse consueverit Presbyter sæcularis, nisi de Diœcesani sui licentia speciali.

XLVII.

Cum contingat interdum quasdam excommunicationes generales ab Abbatibus in suo Monasterio promulgari; sicut evenit aliquando quod Abbas excommunicat omnes illos qui in claustro alios fuerint allocuti, vel qui sine licentia Monasterium exierit, vel consilia fecerit; in quibus Monachi facile transgressores existunt; propter quod etiam frequenter accidit quod multi Monachi in excommunicationem decidunt, necnon aliquoties irregularitates incurrant: statuimus ut nullus Abbas de cetero, inconsulto Diœcesano suo, tales excommunicationes generales promulgare præsumat.

XLVIII.

Aliqua causa necessaria moti, infra decimum octavum annum aliquem in Monachum recipi prohibemus.

XLIX.

Præcipimus ut, juxta Statuta Generalis Concilii, Judæi omnes propter qualitatem habitus a Christianis disjungantur, & signa deferre manifesta in pectore compellantur: Christiani vero, sive Christianæ eisdem non serviant; & ad hoc per censuram ecclesiasticam compellantur.

Observationes.

Concilii hujus canones viginti, scilicet 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 21. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 49. 50 51. monasticum ordinem spectant, eoque collineant singuli, si forte postrema duo excipias, ut *in omnibus omnes magistram sequantur* S. Benedicti *Regulam, neque ab ea temere devietur*. Regulæ cap. 3.

Can. 8. Idem statuit Conc. Prov. Turon. eodem anno 1231. apud Castrum Gonterii c. 21. quod jam in Senon. Concilio sub Galtero Archiepiscopo circa annum 920. verbis omnino iisdem fuerat constitutum, cap. 13. De Ribaldis vide Cangii Glossarium. Ad mentem Concilii nostri ii solum notari videntur, qui absque legitima probatione, immo nonnunquam absque ordinatione, clericorum vestes, tonsuram, & officium usurpabant, ac de cetero proprio indulgebant genio, gulæ, & aliis quæ reticere præstat. Episcopis insuper subesse vel ullatenus parere præfracte renuebant, ut videlicet illorum censuram declinarent. Goliardi, vere filii Belial & absque jugo, in Episcopos palam insurgere, ipsos appetere probris, convitiis, subsannationibus, ac religiosa quæque in derisum vertere gloriabantur. In eam poruperant insaniam ut se de familia Goliæ inscriberent, quasi terribiliores futuri Episcopis, quam giganteus ille Goliath Israeliticis legionibus. Illorum antesignanus fuit Gualterius Mapes Anglus, qui sub Henrico II. vixit: de illo Baleus de scriptoribus Britann. centur. 3. Silvester Giraldus in speculo cap. 16. Mappum sic adumbrat. *Parasitus quidam, Golias nomine, nostris diebus gulositate pariter & ditacitate famosissimus: qui Gulias meritus, quia gulæ & crapulæ per omnia deditus, dici potuit; litteratus tamen affatim, sed non bene morigeratus, nec disciplinis informatus.*

Can. 19. V. Conc. Rotom. an. 1048. c. 9. & ann. 1189. c. 7.

11. Per omnes ecclesiæ ætates interdictæ fuerunt clericis concubinæ; hic infligenda concubinis pœna præscribitur. V. Conc. Oxon. an. 1222.

12. Per priora sex ecclesiæ secula Missam quotidie celebrare non solitos fuisse sacerdotes; at per seculum septimum viros haud paucos rem sacram quotidie frequentasse observat Mabillonius *Præfat. in acta Sanctorum sec. 2. Bened. §. IV. observatione 1.*

Postea usus obtinuit, ut unus sacerdos plures Missas uno die celebraret, quod quidem ob penuriam Sacerdotum Concilium Emeritense æra 704. seu anno Christi 666. collectum permiserat fieri per singulas quæ uni Presbytero commissæ erant parochias *pro diebus Dominicis c. 19.* Tempore procedente, quod necessitate admissum est in usum cessit, adeo ut Leo Papa *una* die 7. *vel* 9. *Missarum solemnia* celebrasse dicatur apud Walafridum Strabum *de reb. eccles. c. 22.* Eadgarus Rex in canonibus anno 967. conditis c. 37. *Nullus Sacerdos Missam sæpius in uno die celebret quam ter ad summum.*

Plures Missas etiam seculo XI. peragebant Sacerdotes, testante Petro Damiani lib. 3. ep. 9. At unicam, exceptis casibus in canone annotatis, uno die Missam celebrandam legimus in excerptionibus Egberti Cantuariensis Episcopi anno 745. e dictis & canonibus sanctorum Patrum concinnatis. *Sufficit sacerdoti unam Missam in una die celebrare, quia Christus semel passus est, & totum Mundum redemit. In Levitico quoque scriptum est non debere Aaron ingredi assidue interius in sanctuarium.*

Idem circa annum 1065. statuit Alexander II. apud Gratianum *cap.* Sufficit. *de consecrat. dist.* 1. Idem circa an. 1200. Odo de Soliaco Paris. Episcopus: anno 1222. Conc. Oxoniense c. 6.

14. Conc. Laodic. c. 53. *Non oportet Christianos ad nuptias venientes tripudiare vel saltare, sed caste cœnare vel prandere, sicut decet christianos.* Capitularia Caroli M. & Ludovici Pii ab Ansegiso Abbate collecta lib. 6. c. 196. *Quando populus ad ecclesiam venerit, tam per dies Dominicos, quam & per solemnitates sanctorum, aliud non ibi agat nisi quod ad Dei pertinet servitium. Illas vero balationes & saltationes, canticaque turpia ac luxuriosa, & illa lusa diabolica non faciat nec in plateis, nec in domibus, neque in ullo loco; quia hæc de paganorum consuetudine remanserunt, & qui ipsa fecerit canonicam sententiam accipiat.*

17. Id non patiebatur Gregorius M. epist. 10. libri 10. ind. III. Plura in hanc rem collegit Espencæus lib. 2. digressionum in Timotheum cap. 8. & 10.

18. Id fusius ac dilucidius expositum vide in Conc. London. an. 1237. cap. 7. 8. 9.

20. Idem vetat Conc. Meldense an. 845. c. 37. quod refertur *Causa* 23. *qu.* 8. *cap.* Quicumque ex clero.

21. Alexander III. in Append. Concilii Lateran. III. parte ultima cap. 20. Conc. Narbon. an. 1227. c. 5. atque iisdem cum Narbonensi verbis Conc. Biterrense an. 1246. c. 44. Tolosan. an. 1229. c. 16. Albiense an. 1254. c. 37. *Inhærentes Tolosano Concilio, an.* 1229. *volumus & præcipimus, ut testamentum vel ultima voluntas cujusque in præsentia semper catholicorum virorum, & parochialis sacerdotis, vel alterius personæ Ecclesiasticæ de voluntate parochialis presbyteri locum ejus tenentis, condatur: præsertim ut idem sacerdos vel locum ejus tenens, valeat de ipso testatore laudabile testimonium perhibere, & ne de ipso aliqua infidelitatis suspicio habeatur: & maxime ut ea quæ in pias causas reliquerit, sine fraude fidelius & citius persolvantur. Quod si testator vocare, ut diximus, parochialem sacerdotem & viros Ecclesiasticos contempserit, careat ecclesiastica sepultura, donec de hujusmodi mandati contemptu, qui eo tempore præsumitur, nisi eos vocaverit cum effectu, ecclesiæ satisfactum fuerit competenter.* Consuetudo Norman. cui pleræque Galliæ Provinciarum consuetudines concordant, sic habet art. 412. *Tout testament doit être passé par devant le Curé ou Vicaire, Notaire ou Tabellion, en la presence de deux temoins idoines, âgez de vingt ans accomplit & non legataires.*

23. Idem vetuere antiqua Galliæ Concilia, Aurelian. IV. an. 541. c. 20. Matiscon. II. an. 585. c. 10. &c.

24. Conc. Paris. an. 1212. c. 14. *Inhibemus ne decanatus rurales ad tempus vel in perpetuum pro pecunia vel aliquo pretio alicui conferantur, sicut statutum est in Concilio Lateran. & Turon. eos qui contra venerint decernentes, præter pœnas in Conciliis comprehensas, juxta Prælatorum arbitrium, gravi pœna plectendos.*

26. In ecclesiasticis causis coram Judice ecclesiastico idem nunc servatur procedendi modus ac in secularibus Curiis. Id quippe sancitum est a Ludovico XIV. Regii codicis ann. 1667. tit. 1. art. 1.

28. In discutiendis Clericorum facinoribus varius fuit regios inter & ecclesiasticos judices agendi modus: jam Ludovici XIV. edictis an. 1678. & 1684. utrique obsequuntur.

30. Scilicet, cum ex iis qui parochialium ecclesiarum titulos adepti fuerant plerique ad sacerdotium promoveri, atque in parochiis suis residere nollem; ad regimen animarum divina ministranda conductitios sacerdotes advocabant. At, hi, duodecimo maxime seculo, ex temporariis cœperunt in per-

ANNO CHRISTI 1231.

ANNO CHRISTI 1231.

perpetuos vicarios assurgere, acceptis nimirum præsentationibus a patronis, quorum honor ea ratione in duplum ampliabatur; annuentibus quoque Episcopis, ut circa animarum curam sollicitiores fierent, quas jam, non ut alienas, sed veluti proprias ex Episcopali institutione susceperant. Hinc personas inter & vicarios contentiones emergebant, quas, assignata sua cuique ipsorum portione, sedare conabantur Episcopi. Tandem vero Concilii nostri Antistites, inutiles soloque nomine ministros resecare statuerunt: ut videlicet, his qui retenebant cedentibus, vel decedentibus, unicus uni ecclesiæ sacerdos deinceps ordinaretur, nec tamen ex integro prævaluerunt, cum atque modo nonnulli permanserint personatus, sed pauciſſimi.

31. Tunc argenti libræ tres, quarum quælibet constabat solidis 20. singuli vero solidi 12 denariis, pendebant argenti uncias 8. cum dimidia cum grossi tertia parte, seu marcham unam cum grossis 4. & tertia parte. Igitur 15. argenti libræ pendebant marchas 5. cum tertia parte: quarum valor monetæ nostræ valori comparatus erit 160. lib. si argenti nostri marchæ unius valor sit 30. libræ.

34. Non idem semper usus ecclesiæ hac in re fuit. Primo etenim ecclesiæ surgentis initio, Baptismum a diaconis ritu solemni collatum fuisse patet ex facto Philippi Act. 8. Eunuchum Reginæ Candacis in fonte baptizantis. 2. Primis ecclesiæ seculis, immo & ipsorum etiam desinentium Apostolorum tempore, soli Episcopi facti sunt ordinarii Baptismatis ministri, nec nisi de eorum concessu presbyteris licuit & diaconis, adeo ut hi solum essent ministri ejus extraordinarii. S. Ignatius ep. ad Smyrnenses: *Non licet absque Episcopo baptizare*: & Tertull. de Bapt. c. 17. *Dandi quidem baptismi habet jus summus sacerdos: debinc presbyteri & diaconi, non tamen absque Episcopi auctoritate.* 3. Aucto deinde fidelium numero, presbyteris etiam & diaconis, tanquam ministris ordinariis, fuit id muneris concessum. Hieron. dial. adversus Luciferianos: *Non quidem abnuo hanc esse ecclesiæ consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per presbyteros & diaconos baptizati sunt, Episcopus manum impositurus excurrat.* Et paulo infra: *Qui in vinculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros & diaconos baptizati dormierunt.* In eo tamen cautio duplex observata est. Prima, ut tum diaconis coram presbytero, tum presbyteris coram Episcopo, nisi eo permittente, baptizare non liceret. Secunda, quod semper Episcopus præcipuam baptizandi auctoritatem retineret ac exerceret, nempe in ipsa in qua sedebat civitate, presbyteris & diaconis in minoribus urbibus ac vicis baptizantibus. 4. Crescente adhuc in dies magis ac magis fidelium numero, presbyteri quilibet curam gerentes animarum evaserunt in ordinarios Baptismi, etiam solemnis, ministros. Sed & diaconum Baptismi, etiam solemnis, ministrum esse, saltem extraordinarium, scilicet ex parochi vel Episcopi sui consensu, liquet ex eo quod alioqui frustra in ejus ordinatione diceretur: *Diaconum oportet baptizare & prædicare.*

De Diaconorum partibus in pœnitentiæ ministerio. 1. Canon 2. Conc. I. Tolet. diaconos, si forte ante ordinem suum pœnitentiam egisse deprehenderentur, jubet ab subdiaconorum classem removeri: idque de eis eventum ait ut *ultra non manum imponant.* Hæc autem impositio manus non alio videtur posse referri quam ad pœnitentium reconciliationem. 2. Conc. Eliber. c. 32. ait *non esse presbyterorum aut diaconorum communionem præstare pœnitentibus, nisi eis jusserit Episcopus.* Ubi communionis nomine ipsa intelligitur absolutio, pro vulgari antiquorum loquendi ratione. Idque facilius suadebitur, si ratio habeatur 77. canonis, in quo patet diaconos tunc temporis quibusdam regendis extra urbes ecclesiis solos præfuisse. 3. Planum est tunc fuisse Galliarum, Angliæ, Germaniæ & Italiæ usum, ut, ubi presbyter non esset ad manum, diaconus solus præstaret pœnitentium reconciliationem.

A Nam Alcuinus *de divinis Officiis in capite jejunii*, Rituale Egberti Archiepiscopi Cantuar. & antiquus Ordo Romanus volunt ut, cum claves pœnitentiæ soli Episcopo & presbytero commissæ sint, nihilominus tamen tunc temporis *diaconus suscipiat pœnitentem ac det sanctam communionem*: aut, ut loquitur Stephanus Eduensis cap. 8. de ordinatione diaconorum, *delicta pœnitentium misericorditer suscipiat*: aut, ut loquitur Conc. Eborac. an. 1194. *pœnitentia confitenti imponat.* 4. pro Africa, S. Cyprianus ep. 13. ad presbyteros diaconosque suos, occasione lapsorum qui reconciliationem efflagitabant, sic statuit: *Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel, si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis imposita in pœnitentiam, ad Dominum veniant cum pace quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt.*

Permissa quoque fuit olim Diaconis Eucharistiæ administratio. S. Justin. apolog. v. in fine: *Qui apud nos vocantur Diaconi atque ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam & ad absentes perferunt.* Non tamen diu viguit illa consuetudo, ut Christi corpus diaconi ministrarent, nisi hoc illis, urgente aliqua necessitate, concederetur. Conc. Carthag. IV. c. 38. *Ut diaconus præsente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* At Calicis dispensationem diaconis prohibitam non legimus.

35. Id passim post Nicænum I. œcumenicum vetant Conciliorum canones.

36. *Trina monitione præmissa.* Illo scilicet inquirendi modo qui vulgo dicitur Monitorium.

46. Vid not. ad tertium canonem Concilii Rotom. an. 1128. necnon an. 1129. Can. 20. & 27.

48. Non una fuit semper lex de necessaria ad monasticam professionem ætate. Præfinita olim erat, puellis maxime, maturior ætas, scilicet annorum 25. V. Concil. Turon. III. an. 813. can. 28. Capitulare I. Ludovici Pii Imperat. cap. 20. ubi veterum Conciliorum in hanc rem afferuntur canones. Trium ordinum Conventus Aurelian. sub Carolo IX. Franc. Rege art. 19. sic statuit. *Defendons aux peres & meres, tuteurs & parens de permettre a leurs enfans, ou pupils faire profession de Religieux ou Religieuses, qu'ils n'ayent, sçavior les mâles XXV. ans, & les filles XX. ans.* Attamen paucis post annis in Blesensi Conventu sub Henrico III. art. 28. probata fuit annorum sexdecim ætas; quam religiosæ professioni præfinierat Tridentina Synodus Sess. 25. De Regularib. cap. 15. Nec recens videri debet de annorum 16. aut 18. ad religiosam professionem sufficienti ætate constitutio; provectiorem enim ætatem in virginibus conferendis non exigit Basilius magnus in canonica ad Amphilochium epistola can. 18. & Conc. Cp. in Trullo an. 692. can. 40. jubet ut ex præscripto Basilii Virgines nullæ ante XVIII. annum velentur.

49. Conc. Lateran. IV. c. 68. *In nonnullis provinciis a Christianis Judæos seu Saracenos habitus distinguit diversitas: sed in quibusdam sic quædam inolevit confusio, ut nulla differentia discernantur. Unde contingit interdum, quod per errorem Christiani Judæorum seu Saracenorum, & Judæi seu Saraceni Christianorum mulieribus commisceantur. Ne igitur tam damnatæ commixtionis excessus, per velamentum erroris hujusmodi, excusationis ulterius possint habere diffugium: statuimus ut tales utriusque sexus, in omni Christianorum provincia, & omni tempore, qualitate habitus publice ab aliis populis distinguantur; cum etiam per Mosen* * *hoc ipsum eis legatur injunctum.*

* *Levit. 19.*

☞ SYNODUS REMENSIS.

APUD S. QUINTINUM ANNO MCCXXXI.

In causa Capituli S. Donatiani Brugensis, contra Comitem Flandriæ, de reparanda injuria illata Clericis S. Donatiani.

CONCILII SYNODICA

Henricus Dei gratia Remensis Archiepiscopus, cæterique Remensis Ecclesiæ suffraganei, in Provinciali Concilio apud Divum Quintinum congregati, dilectis Filiis Decano, & Simoni de Clattre Canonico Tornacensi, salutem in Domino.

VEnientes ad nos dilecti filii Nuncii dilectorum filiorum Præpositi Decani & Capituli Brugensis, nobis humiliter supplicarunt, ut cum ipsi causam habeant contra Virum nobilem Comitem Flandriæ, & merito sibi timere debeant, eos assecurari faceremus, & injuriam, quæ Magistro B. eorum Scholastico, ac Wilhelmo Clerico in captione eorum fuit irrogata, faceremus in honorem Dei, & sanctæ Ecclesiæ emendari.

Vobis igitur authoritate nostra, totiusque Concilii mandamus, quatenus ad Dominum Comitem personaliter accedentes, eidem præcipiatis,

tis, ut injuriam dictis clericis illatam infra men- A
sem post monitionem vestram faciat emendari. ANNO CHRISTI 1231.

Quod si infra dictum terminum non fecerit, ab ipso juramentum exigatis, quod bona fide diligentiam, & sollicitudinem, quam citius poterit, adhibebit, in dicta injuria emendanda. Injungentes eidem, ut dictos Præpositum, Decanum, & Capitulum, homines, res, & familias eorumdem de se & suis bona fide, & legitime assecuret. Si vero præmissa, aut aliquid præmissorum facere noluerit, ipsum ad ea facienda per Censuram Ecclesiasticam compellatis. ANNO CHRISTI 1231.

Datum ad sanctum Quintinum Anno Domini Millesimo ducentesimo tricesimo primo.

CONCILIUM APUD CASTRUM GONTERII

A Turonensi archiepiscopo & suffraganeis celebratum anno Domini MCCXXXI.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De matrimoniis clandestinis.*
2. *Ne archipresbyteri de causis matrimonialibus cognoscant.*
3. *De modo instituendi rectores ecclesiarum, & de juramento ipsorum.*
4. *De residentia rectorum.*
5. *De capellano ecclesiæ ad firmam traditæ.*
6. *Ut statuatur numerus canonicorum.*
7. *Ne quis instituatur in cathedrali ad vacaturam.*
8. *Ut consuetudines cathedralium redigantur in scriptis.*
9. *De pœna participantium cum excommunicatis.*
10. *Ne fiant excommunicationes in generali.*
11. *Ne clericus tributarium se faciat personæ sæculari.*
12. *Ne archidiaconi & inferiores prælati, extra civitatem officiales habeant.*
13. *De procurationibus.*
14. *Ne prælati a firmariis pecuniam exigant.*
15. *De pœna patroni illitteratum præsentantis.*
16. *Ne ecclesia conferatur ignoranti linguam loci.*
17. *Ne tutela vel cura minorum vendatur.*
18. *De executione officii sacerdotis.*
19. *Ne laici actiones clericis cedant.*
20. *De clericis delinquentibus puniendis.*
21. *De Goliardis.*
22. *De crucesignatis enormis delicti reis.*
23. *De tyrannis qui per viles personas ecclesiasticorum bona deprædantur.*
24. *De silentio & signis monachorum.*
25. *De monachis quindecim annorum.*
26. *Ne monachi proprium habeant.*
27. *De esu carnium, quod ad regulares attinet.*
28. *Ne abbas sine monacho, monachus sine famulo.*
29. *Ne monachi sint solitarii.*
30. *De usurariis.*
31. *De Judæis.*
32. *Iterum de Judæis.*
33. *Ne testimonia Judæorum contra Christianos admittantur.*
34. *De sponsalibus & matrimonialibus.*
35. *De juramento judicum.*
36. *De juramento advocatorum.*
37. *Ut pareatur statutis concilii Vallis Guidonis.*

CAPITULA.

I. De matrimoniis clandestinis.

NOs intimo mentis desiderio corrigere cupientes ea, quæ correctione legitima circa personas ecclesiasticas infra Turonensem provinciam novimus indigere: convocatis nostris provincialibus, & aliis ecclesiasticis personis jurisdictionem habentibus, apud Castrum Gonterii, statuimus ut prælati cum maturitate & consilio petitorum procedant, & quod matrimonia clam contracta * nullatenus sustineant timore vel amore; sed ad illa dirimenda, omni dilatione & excusatione exclusis, procedant. B C * al. tra

II. Ne archipresbyteri de causis matrimonialibus cognoscant.

Inhibemus ne archipresbyteri vel rurales decani, authoritate propria de causis matrimonii de cetero cognoscant.

III. De modo instituendi rectores ecclesiarum & de juramento ipsorum.

Statuimus etiam, ut personæ ecclesiasticæ in ecclesiis parochialibus instituendæ, cum sequenti solemnitate instituantur. Primo vacante ecclesia infra tempus a jure statutum, instituendus a patrono clerico vel laico, archidiacono vel rurali decano præsentetur, & postea diœcesano, vel alii jus episcopale habenti: quia antequam tradat instituendæ personæ curam animarum, ab eadem prius recipiat juramentum quod nihil promisit, vel dedit, nec alius pro eo quod sciat, pro illo beneficio obtinendo: & si sciret quod aliquid esset datum vel promissum, dimitteret. His expletis diœcesanus, vel alius jus episcopale habens, tradat eidem curam animarum, si alias idoneus habeatur: qua tradita, iterum jurabit, quod diœcesano, & aliis magistris suis obediens erit, & ad mandatum suum se faciet ordinari, & jura ecclesiæ defendet, & alienata revocabit bona fide. Et si ista forma fuit omissa, institutio fiat irrita, & ecclesia pro vacante habeatur. D E

ANNO CHRISTI 1231.

IV. De residentia rectorum.

Item statuimus quod diœcesani compellant omnes clericos ecclesias habentes, quibus est cura animarum annexa, quod ipsi deserviant in eis personaliter in ordine competenti: nisi cum quibus episcopi duxerint ex causa rationabili & evidenti dispensandum.

V. De capellano ecclesiæ ad firmam traditæ.

Item si aliqua necessitate contingat, quod aliqua ecclesia alicui tradatur ad firmam, talis portio fructuum ecclesiæ reservetur capellano, quod ex eo valeat sustentari.

VI. Ut statuatur numerus canonicorum.

Item statuimus quod ubi non est certus numerus canonicorum, statuatur, ne fiat ecclesiarum sectio, vel præbendarum, sed cum integritate conferantur.

VII. Ne quis instituatur in cathedrali ad vacaturam.

Nec aliquis de cetero in ecclesia cathedrali instituatur ad vacaturam præbendam: etiam instituti, ne spe sua defraudentur, primo vacaturas obtineant. Et si contra hoc factum fuerit, id decernimus non tenere.

VIII. Ut consuetudines cathedralium redigantur in scriptis.

Insuper præcipimus ut consuetudines cathedralium ecclesiarum redigantur in scriptis, ne valeant ignorari.

IX. De pœna participantium cum excommunicatis.

Statuimus ut injungantur sacerdotibus, ut si viderint aliquem communicantem cum excommunicatis in domo, vel mensa, vel commerciis, vel fabulando, ipsum moneant ut desistat: & si desistere noluerit, monitus ab ingressu ecclesiæ arceatur: nec possit, nisi per diœcesanum, vel ejus mandatum, interdicti sententia relaxari.

X. Ne fiant excommunicationes in generali.

Item omnes tam ordinarii, quam delegati, a generalibus excommunicationibus se temperent, & refrænent: nec participantes cum excommunicatis in generali sententia excommunicationis percellant.

ANNO CHRISTI 1231.

XI. Ne clericus se tributarium faciat personæ sæculari.

Præcipimus ne quis sacerdos, vel aliqua alia ecclesiastica persona, sæcularibus personis tributarium se constituat. Et si fecerit, a diœcesano ab officio & beneficio suspendatur: nec prius relaxetur sententia, nisi soluta marcha argenti, fabricæ cathedralis ecclesiæ deputanda.

XII. Ne archidiaconi & inferiores prælati, extra civitatem officiales habeant.

Item ne archidiaconi, archipresbyteri, & alii jurisdictionem ecclesiasticam habentes, extra civitatem officiales habeant: sed extra civitatem in personis propriis officium suum fideliter expleant. Et si aliquis processus fuerit coram talibus officialibus habitus, quod fieri prohibemus, illum decernimus non tenere.

XIII. De procurationibus.

Inhibemus etiam, ne prælati, & alii jurisdictionem habentes, in pecunia numerata procurationes accipiant contra statuta concilii generalis.

XIV. Ne prælati a firmariis pecuniam exigant.

Item cum a radice cupiditatis procedat, quod prælati ecclesiarum a firmariis ponendis in ecclesiis pecuniam exigant aut extorqueant, prohibemus ne de cetero fiat. Et si quis contra hoc venire præsumpserit, & de hoc constare poterit, duplum extortæ pecuniæ restituere matrici ecclesiæ compellatur.

XV. De pœna patroni illiteratum præsentantis.

Item accidit interdum, quod patroni ecclesiarum tam clerici, quam laici, præsentant illiteratos ad regimen animarum: quod fieri prohibemus. Et si quis patronus contra hanc inhibitionem venire præsumpserit, jure careat præsentandi illa vice.

XVI. Ne ecclesia conferatur ignoranti linguam loci.

Item prohibemus ne quis instituatur in

ANNO CHRISTI 1231.

in aliqua ecclesia, cui sit cura animarum annexa, nisi loci illius loquatur & intelligat idioma: & si contra præsumptum fuerit, & institutus privetur beneficio, & instituentes potestate instituendi careant illa vice.

XVII. Ne tutela vel cura minorum vendatur.

Item quia in aliquibus partibus provinciæ, abutuntur vendendo tutelas, vel curas minorum, in enorme præjudicium pupillorum, hoc fieri prohibemus, nisi per se, vel per idoneas personas tutelas vel curas gerant, & minoribus de proventibus necessaria subministrent.

XVIII. De executione officii sacerdotis.

Item præcipimus quod nullus sacerdos recipiatur ad executionem ordinis sui sine licentia episcopi sui, vel nisi alias constet de canonica ordinatione ipsius.

XIX. Ne laici clericis actiones cedant.

Item quia per excogitatam malitiam laici cedunt actiones suas clericis, ut jurisdictio sæcularis ad jurisdictionem ecclesiasticam transferatur; hoc fieri prohibemus, nisi in casibus a jure concessis. Et si contra factum fuerit, clericus ab agendo repellatur. Et sub pœna eadem prohibemus, ne actiones vendantur.

XX. De clericis delinquentibus puniendis.

Item ne facilitas veniæ delinquendi præbeat incrementum: præcipimus, quod clerici in enormi delicto deprehensi, reddantur diœcesano. Et si convicti fuerint vel confessi coram eodem de crimine, & tale fuerit delictum propter quod debeant degradari ab episcopo, degradentur. Et si postea incorrigibiles apparuerint, ab ecclesia nullatenus defendantur.

XXI. de Goliardis.

Item in concilio provinciali statuimus quod clerici ribaldi, maxime qui Goliardi nuncupantur, per episcopos & alios ecclesiæ prælatos, præcipiantur tonderi vel etiam radi: ita quod non remaneat in eis clericalis tonsura: ita tamen quod ista sine scandalo, & periculo fiant.

XXII. De crucesignatis enormis delicti reis.

Statuimus etiam quod crucesignati, homicidio, vel alio enormi delicto deprehensi, vel alias coram judice ecclesiastico convicti legitime, signo crucis & aliis privilegiis, tunc crucesignatis competentibus, per judicem ecclesiasticum exuantur. Si autem alias inventi fuerint delinquentes secundum quantitatem criminis a judice ecclesiastico puniantur.

XXIII. De tyrannis qui per viles personas ecclesiasticorum bona deprædantur.

Item quia nonnulli tyranni, per viles & abjectas personas, quæ non sunt solvendo, ecclesiasticas personas capiunt & redimunt, & bona ipsorum & hominum suorum deprædari faciunt & comburi, sic tacite faciendo ne videantur fecisse: statuimus ut ipsis tyrannis, si de hoc suspecti fuerint, vel diffamati, eisdem a diœcesano episcopo purgatio * indicetur, quam si subire noluerint, vel si purgari non possint, pro convictis habeantur; & juramento passorum damna cum taxatione judicis credatur.

* Forte dicatur

XXIV. De silentio & signis monachorum.

Circa religiosos authoritate provincialis concilii duximus statuendum, quod silentium observent. Et abbates provideant ut monachi sibi subditi sciant * signa facere. Et omnes religiosi, cujuslibet sint ordinis, vestibus & calceamentis suo ordini competentibus, quantum potest fieri, uniformibus utantur. Et si abbas vel abbatissa hoc incorrectum dimiserint, superioris arbitrio puniantur.

* Loquetur mo[illegible] per sign[illegible] silentiu[illegible] violare[illegible] erantqu[illegible] ria con[illegible] ta, quibu[illegible] varias [illegible] primere[illegible]

XXV. De monachis quindecim annorum.

Item monachi qui non attingunt quindecim annos, in prioratibus, nisi conventualibus, nullatenus ponantur.

XXVI. Ne monachi proprium habeant.

Item inhibemus, ne monachi, nisi sint in administratione constituti, habeant sub alio colore aliquam possessionem, vel aliquam proprietatem, etiam de licentia abbatum; cum licentia abbatis in hoc eis non valeat suffragari. Quod si abbates contra nostram prohibitionem fecerint, per superiorem gravissime puniantur.

XXVII. De esu carnium, quod ad regulares attinet.

Item præcipimus quod monachi & alii re-

religiosi regularem observantiam quantum ad esum carnium observent.

XXVIII. Ne abbas sine monacho, monachus sine famulo.

Item præcipimus ne abbas sine monacho, nec monachus sine famulo audeant equitare.

XXIX. Ne monachi sint solitarii.

Item ne monachi solitarii sint in prioratibus, sed de duobus solitariis fiat prioratus: vel ad monasteria redigantur, in quibus expleant illud officium, quod pro patronis in locis solitariis facere tenebantur. Et per diœcesanum, patroni ut in hoc consentiant, propter mala quæ inde proveniunt, efficaciter inducantur.

XXX. De usurariis.

Item, cum sit detestabile vitium usurarum: præcipimus quod sacerdotes parochiales singulis diebus Dominicis sub pœna excommunicationis inhibeant in ecclesiis suis, ne quis per se, vel interpositam personam, usuras exercere præsumat. Et si aliquis super hoc suspectus fuerit aut inventus, compellatur usuras publice abjurare: & post abjurationem, si super hoc fuerit diffamatus, purgatio eidem super hoc indicatur. Quod si in purgatione defecerit, fidelium communione privetur: donec sic exorta restituerit, & ecclesiæ satisfecerit. Et si ita decesserit, ecclesiastica careat sepultura.

XXXI. De Judæis.

Item districtius inhibemus ne Judæi efficiantur bailivi, nec eis contra fideles aliqua districtio committatur. Et si contra hoc factum fuerit, delinquentes ad desistendum per censuram ecclesiasticam compellantur.

XXXII. Iterum de Judæis.

Coerceantur etiam Judæi, ne quid faciant, vel dicant in contemptum fidei Christianæ, & blasphemiam Salvatoris. Et si contra hoc factum fuerit, & coram judice ecclesiastico convicti fuerint, vel confessi: quousque ecclesiæ satisfecerint competenter, a fidelium communione priventur.

XXXIII. Ne testimonia Judæorum contra Christianos admittantur.

Quia novimus quod de testimoniis Judæorum contra Christianos proveniunt multa mala: prohibemus districtius, ne testimonia Judæorum contra Christianos admittantur de cetero. Et judex secularis per diœcesanum ad statutum hujusmodi observandum per censuram ecclesiasticam compellatur. ANNO CHRISTI 1231.

XXXIV. De sponsalibus, & matrimonialibus.

Quia vero per matrimonia clam contracta, multa pericula & incommoda semper evenire contingit: sub pœna excommunicationis firmiter inhibemus, ne qui de cetero contrahant per verba de præsenti, nisi prius banna in ecclesia more solito præmittantur. Contracturi tamen, vel præsentes matrimonium proloquentes, per arrhas sponsalitias, vel alias solicite taliter poterunt obligari, quod compelli poterunt, si ecclesia consensit, ad matrimonium in facie ecclesiæ consummandum. Quod si contra præscriptum modum factum fuerit: tam hæredes, quam illi, quorum consilio id fuerit attentatum, præstent emendam, quam superior duxerit inducendam.

XXXV. De juramento judicum.

Authoritate concilii provincialis duximus statuendum, quod officiales, & alii demandatam jurisdictionem habentes, in institutione sua jurent, quod turpia munera non recipient, & quod causas bona fide audient & decident.

XXXVI. De juramento advocatorum.

Item advocati qui de consuetudine salarium receperint: nisi jurati, de cetero nullatenus admittantur. Forma juramenti talis existat. Quod non fovebunt injustas causas scienter, neque proponent dilatorias, vel peremptorias malitiose per calumniæ, vel de veritate dicenda, sacramentum: neque instruent partem suam ad respondendum vel proponendum malitiose, nec post publicatas attestationes, vel in quacumque parte litis: neque ante juramentum testes subornabunt, vel facient subornari: neque permittent quod pars sua falsos testes producat; & si hoc sciverint, curiæ revelabunt: & quod in memoriis faciendis convenient bona fide, nec recedent a curia malitiose, donec memoriale sit confectum, & coram judice concessum: & quod partes quam citius poterunt, expedient bona fide: nec onerabunt judicem interlocutoriis, credentes ipsos succumbere in eisdem: & quod honorem

ANNO CHRISTI 1231.

rem ſervabunt curiæ, nec aliquam falſitatem in curia perpetrabunt.

XXXVII Ut pareatur ſtatutis concilii Vallis Guidonis.

Præcipimus quod concilium quod apud Vallem Guidonis provida fuit deliberatione ſtatutum, inviolabiliter obſervetur.

Actum apud Caſtrum Gonterii anno Domini mileſimo ducenteſimo triceſimo primo.

SYNODUS DIOECESANA TREVIRENSIS

Anno Christi MCCXXXI.

A Theodorico II. Archiepiſcopo celebrata adverſus enaſcentes undique hæreſes.

Ex Harthzeim Conc. Germ. tom. III. pag. 539.

Anno Domini MCCXXXI. in ipſa Civitate Treviri tres eſſe ſcholas hæreticorum deprehenſum. Et plures erant eorum ſectæ, & multi eorum inſtructi erant ſcripturis Sanctis, quas habebant in Theutonicum translatas. Et alli quidem baptiſma iterabant; alii corpus Domini non credebant; alii corpus Domini a malis Sacerdotibus non poſſe confici dicebant; alii corpus Domini indifferenter a viro, & muliere, ordinato, in Schutella, & calice, & ubique locorum poſſe confici dicebant; alii Confirmationem, & Unctionem ſuperfluam judicabant; alii Summo Pontifici, Clero, & Religioni derogabant; alii defunctis ſuffragia Eccleſiæ prodeſſe negabant; alii matres proprias conſanguinitatem, quæ ibi erat, XVIII. denariis redimentes in conjugium ſumebant; alii pallidum hominem ante, & cattum retro oſculabantur; alii dies omnes æquipendentes feriari & jejunare nolebant, unde & diebus feſtivis operabantur, & in Paraſceve carnes manducabant.

Super his Theodoricus Archiepiſcopus Synodum tenuit, & quia invenit eſſe inter illos, qui haberent Epiſcopum, quem cognominaſſent ſecundum ſuum nomen Theodoricum, & idem alibi feciſſent de Epiſcopis aliorum locorum; itemque haberent communiter Papam, nomine Gregorium; ut ſi interrogarentur de fide, eam fidem ſe habere dicerent, quam habet Papa, & ille Epiſcopus eos nominatim nominantes, & ſuos intendentes hoc Archiepiſcopus publice enunciavit

In eadem Synodo tres hæretici exuſti ſunt, & una mulier Luckardis, quæ incredibili lamentatione lugebat Luciferum de Cœlo injuſte extruſum, quem volebat denuo relocare in Cœlum.

Item in eadem Synodo Archiepiſcopus excommunicavit falſatores monetarum, tam jubentes, quam facientes.

Hæc ex codice MS. veſtuto Cœnobii Tholegenſis deſcripta Praga ad me miſit Celſiſſimus Pragenſis.

Plane concordant geſta Treverorum Illuſtriſſimi Honthemii Prodromii volumine II. *pag.* 796.

Ex Martene tom. IV. veterum monumentorum pag. 244.

Browerus lib. XV. annal. Trevirenſium eandem Synodum recenſent.

CONCILIUM LONDINENSE

In quo quidam in Romanos Clericos inſultus perpetrantes excommunicatione feriuntur.

Ex Spondano in Annal. ad an. 1231. n. 7.

Anno Chriſti 1231. in Anglia commiſſum eſt a nonnullis conjuratis tam clericis, quam Laicis indignum facinus contra Romanos Clericos, qui beneficia eccleſiaſtica, aliave, bona in eo regno poſſidebant; ut ſcilicet prætextu gravaminum ab iis obvenientium univerſo regno & eccleſiæ Angliæ, adulterinarum auctoritate litterarum regiarum, omnes ipſorum reditus ac proventus occupari mandarint, ac diſtrahi ab hominibus armatis & perſonatis: præter injurias Romanis clericis qui aderant, illatas, in quos violentas manus injecerunt, & minas incendii bonorum intentatas quibuſcumque Anglis hujuſmodi violentiis adverſari & repugnare audentibus. Quæ cum innotuiſſent primo Epiſcopo Londonienſi, deinde etiam Gregorio ſummo Pontifici, Epiſcopus quidem convocatis aliis decem epiſcopis, prædones iſtos anathemate percuſſit. Pontifex autem litteris Regem arguens, quod talia ſcelera fieri permitteret, pœna excommunicationis in ejus perſonam, & interdicti in Regnum, omnino juſſit eorum auctores inquirere ac ſevere punire: pariterque epiſcopis præcepit eos tamdiu denunciare excommunicatos, quouſque Romam accederent abſolvendi. Quod tam Rex, quam Epiſcopi præſtiterunt: multis a Rege carceri mancipatis, ac præcipuo auctore Romam tranſmiſſo. Quæ ut ſe habuerint, narrat pluribus Pariſius hoc anno, & ſequenti. *Hæc Spondanus.*

ANNO CHRISTI 1231.

☞ TREVIRENSIS SYNODUS.

In cauſa hæreticorum tunc Germaniam infeſtantium.

ANNO 1231. CIRCITER HABITA.

Manſi To. II. 8.

Concilii nomen & acta unus ſuppeditat anonymus ſcriptor rerum ſub archiepiſcopis Trevirenſibus geſtarum, vulgatus a Martene Vet. Monum. tom. IV. pag. 244. his verbis: Eo tempore Trevirorum archiepiſcopus (Theodoricus) ſynodum tenuit, in qua ipſe publice enunciavit hæreticos in ſua diœceſi habere epiſcopum, quem cognominaſſent ſecundum ſuum nomen Theodoricum, & idem alibi feciſſe de epiſcopis locorum; itemque habere eos communiter papam, quem ſecundum catholicæ eccleſiæ epiſcopum, nuncuparent Gregorium, ut ſi interrogarentur de fide, eam fidem ſe habere dicerent, quam haberet papa Gregorius, & ille epiſcopus ſic nominatus, noſtrum nominantes, & ſuum intendentes. In eadem ſynodo tres fuerunt hæretici præſentati, quorum duo ſunt dimiſſi, unus exuſtus. In eadem ſynodo archiepiſcopus excommunicavit omnes falſatores monetarum, tam ſumentes, quam facientes.

ANNO CHRISTI 1232.

☞ CONSTITUTIONES BONFILII SENENSIS EPISCOPI.

ANNO 1232. DATÆ.

IN nomine Domini amen. Anno Domini 1232. die 3. Idus Martii Indictione... Nos Bonfilius Dei gratia humilis Senenſis epiſcopus. In primo ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes prælatos, & ſacerdotes in officiis, & eundo per civitatem habeant, & deferant ſuperna indumenta clauſa. Item ſtatuimus, & ordinamus, quod alii clerici, qui ſunt canonici in plebibus, & in capellis, civitatis habeant in officiis veſtimenta ſuperna clauſa. Item ſtatuimus, quod ſervitores in plebibus, in canonicis, & in capellis civitatis habeant in officiis veſtimenta ſuperna clauſa. Item ſtatuimus, quod ſervitores in plebibus, in canonicis, & in capellis civitatis habeant tonſuram clericalem, & quando ſerviunt altari, videlicet cum legunt epiſtolas, offerunt calicem, & dant incenſum, habeant cappam, vel cottam. Item ſtatuimus, quod in plebibus, canonicis, & capellis civitatis in Matutinis, in Miſſis, & in Veſperis, ſcilicet quando fuerit ibi populus ſolemniter, quicunque inceperit officium, habeat cottam, vel cappam, vel camiſiam, vel ghramellum clauſum ſuperius; & hæc præcipimus ſub pœna lati interdicti obſervari. Alii habeant veſtimenta ſuperiora clauſa cum pellibus affiblatis, ut deportent tam in eccleſia, quam in clauſtro, & refectorio, & ad legendum epiſtol. vel lectionem, vel ad ſerviendum altari in plebibus, canonicis, vel capellis civitatis, niſi ſic tonſuratus in cappa, vel corta nullus accedat. Item nullus prælatus de civitate recipiat aliquam in oblatam, vel converſam ſine concurrentia epiſcopi de acceptatione; de quibus ſuſpicio eſt, vel oriri poteſt, non moveant de toto cimiterio, & circuitu eccleſiæ, ſed illas, ex quibus filios, vel filium procreaverint, removeant de tota parochia; alias vero mulieres nullo modo admittant ad ſervitia ſua in domibus ſuis, niſi in valida, ſive gravi infirmitate.

Item præcipimus, quod nullus clericus portet veſtem de viridi panno, vel rubro.

Item præcipimus, quod nullus clericus neget hoſpitalitatem pauperibus ſecundum facultates ſuæ eccleſiæ.

Item præcipimus, quod nullus clericus recipiat Tutelam, vel curam, nec interſit choreis, vel commixtionibus nuptiarum.

Item præcipimus, quod nullus Clericus ludat ad Tabulas, vel quoquomodo cum taxillis, vel ad cavos in plateis, vel in viis publicis, & qui contra fecerit, ſit interdictus; & ſi perſeveraverit, excommunicatus.

Item præcipimus, quod nullus clericus portet arma mortifera, nec etiam arma defenſionis ſine licentia ſui epiſcopi; & quod nullus clericus ſine juſta & rationabili cauſa ſit nocturnus; & quod nullus clericus fidejubeat pro aliquo ſine licentia epiſcopi.

Item præcipimus, quod nullus clericus intret tabernam, vel loca ſuſpecta, unde honeſtati clericali poſſit rationabiliter detrahi.

Item præcipimus, quod nullus clericus faciat compatrignum ſine licentia ſpeciali ſui epiſcopi.

Item præcipimus, quod nullus Sacerdos recipiat aliquam mulierem ad confeſſionem, niſi in loco publico in eccleſia; & quod non plures ſimul, ſed ſingulariter audiat quamlibet, & examinet diligenter.

Item ſtatuimus, quod omnes clerici, & præcipue qui ſunt in ſacris ordinibus conſtituti, tonſiones, & Coronas ſuis ordinibus deferant competentes.

Item ſtatuimus, quod nullus clericus patiatur joculatores tempore officii in eccleſia joculari, nec cum Clericis in menſa comedere.

Item præcipimus in virtute obedientiæ plebanis, & prioribus, qui habent capellanos publice tenentes focarias, ut infra quindecim dies poſtquam ſancitum denunciare nobis, & ſi poſt trinam admonitionem eas non rejecerint, ab eccleſia ejiciemus eos.

Item præcipimus, quod nullus prælatus retineat clericum alterius epiſcopatus ſine litteris epiſcopatus, ſive litteris commendatitiis.

Item præcipimus quod nullus clericus .... vadat niſi invitatus.

Item præcipimus, quod nullus Clericus aliquas divinationes faciat.

Item præcipimus, quod Sacerdos ad minus addi-

☞ addiſcat . . . . . peccata mortalia & modum pœnitentiæ, ut ſciat diſcernere inter . . . . lepram, & lepram, & ſolvere, ac ligare. ANNO CHRISTI 1232.

Item ſtatuimus, quod altaris veſtimenta ſint munda, & pallæ, & corporalia ſaltem bis in anno laventur, & corpus . . . . & tuto loco ponatur, & non ſub . . . . ſed publice cum reverentia deportetur ad communicandos infirmos.

Item præcipimus, quod prælati libros habeant competentes, & alios circa cultum altaris, & ornatum eccleſiæ prius . . . . quam corporum ſuorum vel aliarum . . . . . ut Deo qui totum dat, ſaltem aliqua pars reddatur.

Item præcipimus, ut Sacramentum . . . . . Chriſti, Redemptoris noſtri immediate conficiatur altaris: nam Chriſtus pro toto oblatus eſt Mundo. Ad quod Sacramentum conſulimus, ut quiquam Sacerdos, etſi minus dignus, non tamen indignus accedat, quia Dominus eſt. ANNO CHRISTI 1232.

Item præcipimus, quod Sacerdotes . . . .

Item præcipimus, quod nullus Sacerdos, vel clericus loquatur cum . . . ſuper altare, vel circa, nec . . . .

Item præcipimus, quod nullus clericus . . .

Item præcipimus, quod nullus prælatus faciat aliquam venditionem alicujus poſſeſſionis ſine licentia epiſcopi.

Item præcipimus, quod nullus clericus faciat aliquam relationem ſuper vulneribus alicujus, vel . . .

☞ GRÆCORUM CONCILIUM

Præside Germano II. Patriarcha

Anno 1232. habitum.

Sigillum ſanctiſſimi & œcumenici patriarchæ, Domini Germani, de paralauris patriarchalium monaſteriorum, ad quem pertinere debeant; factum menſe Junio indictionis, & inſinuatum ſecreto ſacri chartophylacii.

Σιλλίγιν τῦ παναγιωτάτυ κ) οἰκυμ μικῦ παξ ιάρχυ κυείυ Γερμανῦ, ἐπὶ τοῖς παραλαυρίοις τῶν πατριαρχικῶν μονῶν, τίνι ἂν διαφέρειν ὀφείλυσι. γεγονὸς κατὰ μῆνα Ἰούνιον τῆς ἐπινεμήσεως κ) κατυ ρωθὲν τῷ σεκρέτῳ τῦ ἱερῦ χαρτοφιλακίυ.

Ex Jure Græc. Rom. Leunc. t. 1. lib. III, p. 235.

QUæ de patriarchalibus ſtauropegiis metropolitanorum per diverſas provincias archiepiſcoporum, & epiſcoporum noſtræ adminiſtrationis fixis, definita & diſpoſita ſunt, actis ſynodalibus ſanctiſſimi illius inter patriarchas domini Germani: (quorum alia quidem XXVII. menſis Novembris, alia autem VIII. Januarii, ejuſdem Indictionis, novit facta) bene & pie habere cogitans mediocritas noſtra, definit; immutabile, inviolatumque ſervari unumquodque eorum capitum, quæ illis actis comprehenſa ſunt, alias ubique, & maxime de ipſa provincia Naupacti, ut patriarchalis nominis relatio, in illis ſolis obtineat & clarius exprimatur, in quibus extructio per patriarchalia crucifixa facta fuerat ſive monaſteria ſint, ſive eccleſiæ catholicæ, ſive oratoria: Et in hujuſmodi nihil ſit commune regionis antiſtiti, ſive ad ſacrorum confectionem, ſive ad præfecti deſignationem, ſive ad animalium peccatorum inquiſitionem, neque aliud quidquam uſque ad canonicarum illationum exactionem. Etenim qui in his conſecrationem ſortiuntur, patriarchales erunt & nominabuntur, & patriarchalium jurium exharco ſubjicientur, eique ſolita canonica perſolvent. Ipſe autem exharcus eos, qui ſacris in poſterum initiabuntur, per gradus ſingulos ad id promovebit, cum legitimis tam vitæ, quam ætatis ipſorum teſtimoniis; & alia omni regulari obſervatione. Præterea nuptialibus præerit contractibus permittendis aut vetandis. Et ratiociniorum ſuſceptores Spiritales patres in patriarchalibus juribus aſſidentes, ab eo probabuntur, ac veniam accipient. Ubi autem patriarchale ſtauropegium præſtructum non fuerit, regionis antiſtes illius poteſtatem habebit: ſive monaſterii ſuburbanum ſit, ſive paralaurium, ſive domus oratoria. Et illius erit relatio, ſigillum, inquiſitio, proventus canonicorum, ordinationes.

ΤΑ περὶ τῶν πατριαρχικῶν ſαυροτηγίων τῆ κατὰ διαφόρυς ἐπαρχίας μητροπολιτῶν, ἀρχιεπισκόπων τε κ) ἐπισκόπων τῆς ἐφ' ἡμᾶς διοικήσεως πεπηγότων, ὡρισμένα τε κ) τετυπωμένα δι' ὑπομνημάτων συνοδικῶν τῦ ἐν παξιάρχαις ἐκείνυ ἁγιωτάτυ κυείυ Γερμανῦ, ὧν τὸ μὲν κζ τῦ Νοεμβρίυ μηνός, θάτερον δὲ ἡ η τῦ Ἰανυαρίυ, τῆς αὐτῆς ἐπινεμήσεως, οἶδε γεγραμμένα καλῶς κ) θεοφιλῶς ἔχειν κατανοήσασα ἡ μεξιότης ἡμῶν, ἀμετάθετον καὶ ἀπαράβατον διορίζεται σωτηρεῖσθαι τὸ καθ' ἓν ἕκασον τῆ ἐν τοῖς αὐτοῖς ὑπομνήμασι διειλημμένων κεφαλαίων, ἀλλαχόσε φαντιχῆ, κ) δὴ κ) ἐπ' αὐτῆς τῆς ἐπαρχίας Ναυπάκτυ. ὥστε τιὼ ἀναφορὰν τῦ πατριαρχικῦ ὀνόματος ἐν ἐκείνοις μόνοις καὶ κρατεῖν καὶ ἐκπεφωνῆσθαι ξανόπερον, ἐν οἷς ἡ ἀνέγερσις δι' ſαυροπηγίων παξιαρχικῶν ἐγεγόνει, κἂν μοναστήρια ὦσι, κἂν ἐκκλησίαι καθολικαὶ, κἂν εὐκτήριοι οἶκοι. κἂν τοῖς τοιούτοις μηδὲν εἶναι μεθεκτὸν τῷ κατὰ χώραν ἀρχιερεῖ, εἴτε εἰς ἱεροστοιχίαν, εἴτε εἰς ἡγυμένου σφραγίδα, εἴτε εἰς ψυχικῶν σφαλμάτων ἀνάκρισιν, μήδὲ ἄλλο μηδὲν ὁτιῶν, μέχρι κ) τῆς τῶν κανονικῶν εἰσφορῶν ἀπαιτήσεως. κ) γὰρ οἱ ἱεροῦσθαι λαχόντες ἐν τούτοις, πατριαρχικοὶ κ) ἔσονται κ) ὀνομασθήσονται, κ) τῷ τῆ πατριαρχικῶν δικαίων ἐξάρχῳ ὑποκείσονται, κ) τὰ συνήθη κανονικὰ πρὸς αὐτὸν ἀποτίσουσι. ὁ δὲ αὐτὸς ἔξαρχος κ) τοὺς ἐξῆς ἱερᾶσθαι μέλλοντας δι' τῆ κατὰ μέρος βαθμῶν εἰς τοῦτ' αὐτὸ προβιβάσει, μετὰ τῆ νενομισμένων μαρτυριῶν τῦ τε βίυ κ) τῆς ἡλικίας αὐτῶν, κ) πάσης ἑτέρας κανονικῆς διαπατρήσεως. ἔτι γε μὴν κ) τὴ τῆ γαμικῶν συναλλαγμάτων ἐπισκόπησιν προξοπῆ κ) ἀπροξοπῆ. κ) οἱ τῆ λογισμῶν τε ἀνάδοχοι πνευματικοὶ πατέρες, οἱ ἐν τοῖς πατριαρχικοῖς δικαίοις προσκαθήμενοι, παρ' αὐτῦ κ) δοκιμασθήσονται, καὶ τὸ ἐν-

δό-

ANNO CHRISTI 1232.

☞ δόσιμον λήψονται. ἔνθα δὲ μὴ κατεβλήθη πατριαρχικὸν σταυροπήγιον, ὁ κατὰ χώραν ἀρχιερεὺς ἐκεῖσε ἐξουσιάσει. κἂν προάστειον ᾖ μοναστηρίου, κἂν παραλαύριον, κἂν οἶκος εὐκτήριος. καὶ αὐτοῦ ἔσται ἡ ἀναφορὰ, ἡ σφραγὶς, ἡ ἐξέτασις, ἡ πρόσοδος τῶν κανονικῶν, αἱ χειροτονίαι, ἡ ἔνδοσις καὶ ἡ κώλυσις τῶν συναλλαγμάτων. Εἴτι ἄλλο προνόμιον ἐπισκοπικὸν, κἂν τί που ἴσως ὁ χρόνος διέκοψε καὶ ἀφείλετο, προφάσει τῶν πρωτοτύπων, καὶ αὐτοῖς ὑποκείμενα, πατριαρχικὰ λογίζεσθαι κἀκεῖνα πεποίηκε τὰ μηδὲ τὴν ἀρχὴν ἐσχηκότα πατριαρχικὸν σταυροπήγιον. ἀλλ' ἡ μετριότης ἡμῶν τοῖς ἐγχωρίοις ἀρχιερεῦσι τῶν τοιούτων παραχωρεῖ. κἂν γὰρ ἐξόχως ἀντέχηται τῶν ὅσα τῇ πατριαρχικῇ προσήρμοσεν ἐξουσίᾳ, ἀλλ' οὐχὶ καὶ τῶν ἀλλοτρίων ἐρᾷ, ὥστε τὰ μηδὲν αὐτῇ προσήκοντα σφετερίζεσθαι. ὑποτιθέαμεν δὲ τοῖς ἐγχωρίοις ἀρχιερεῦσι κἀκείνους, οἵ τινες πρὸ τῆς ἀνεγέρσεως τῶν ἐπὶ σταυροπηγίοις πατριαρχικοῖς προῳκοδομημένων, ἢ καὶ μετὰ τοῦτο οἰκοδομηθησομένων θείω σηκῶν, τὸν τόπον κατῴκησαν, ἢ καὶ ὕστερον κατοικήσαντες, ἀπὸ τῶν ἰθαγενῶν καὶ ἐγχωρίων εὑρίσκονται ὄντες. ὥστε καὶ τοὺς τοιούτους τῷ κατὰ χώραν ὑποκεῖσθαι ἀρχιερεῖ, εἰς πᾶσαν ἐπισκοπικὴν διεξαγωγήν. περὶ μέντοι τῶν ἐξ ἀλλοδαπῆς ἐληλυθότων καὶ ἐλευσομένων πρὸ τῆς πήξεως τοῦ σταυροπηγίου, καὶ μετὰ τοῦτο, κἀκεῖσε τὴν οἴκησιν ποιουμένων, οὐδεὶς ἀντερεῖ τῷ τῶν πατριαρχικῶν δικαίων ἐξάρχῳ, ὡς δῆθεν οὐκ αὐτῷ προσηκόντων. ἀναμφίλογος γὰρ ἔσται καὶ αὐτῶν ἔξαρχος ὁ τοιοῦτος. ἐπιγνωσθήτω τοίνυν ὁ παρὼν ὁρισμὸς τῆς ἡμῶν μετριότητος τῷ σεκρέτῳ τοῦ ἱεροῦ χαρτοφυλακίου. καὶ ἀντιγραφήτω τῷ ἀπὸ τοῦ μέρους τῆς ἐπισκοπῆς Ἄρτης αἰτησαμένῳ, καὶ πορισαμένῳ αὐτὸν ἐπὶ τῷ ἐμφανισθῆναι καὶ τῷ ἱερωτάτῳ μητροπολίτῃ Ναυπάκτου, εἰς εἴδησιν. Εἶχε τό, Μηνὶ Ἰουνίῳ, ἐπινεμήσεως ε, διὰ τῆς πατριαρχικῆς καὶ θείας χειρός. ἀπῃώρητο δὲ καὶ κάτωθεν μολιβδίνη βοῦλλα, ἔχουσα ἐν μὲν τῷ ἑνὶ μέρει τὴν ὑπεραγίαν θεοτόκον, παλάμαις φέρουσαν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ γράμματα ταῦτα, Γερμανὸς ἐλέῳ Θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως, νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης.

A venia & prohibitio contractuum, etsi si quod sit aliud episcopale privilegium. Sicuti etiam forte tempus interruperit & abstulerit, occasione archetyporum, & ipsis subjecta fecerit, ut censerentur patriarchalia, quæ ab initio patriarchicum non habuere stauropegium. Sed mediocritas nostra regionum antistitibus talium jure cedit. Etsi enim studiose amplectatur, quæcumque patriarchali conveniunt potestati, aliena tamen non appetit, ut quæ ad eam non pertinent, sibi vendicet. Subjicimus autem locorum antistitibus & illos, qui ante extructionem divinorum templorum, quæ sub B patriarchalibus crucibus præædificata sunt, vel postea ædificabuntur, locum inhabitarunt; aut qui cum posterius inhabitarint, ab indigenis vel incolis originem ducere reperiuntur: ut regionis antistiti tales subjiciantur, in omnem episcopalem sollicitudinem. De iis tamen, qui ex aliena regione venerunt, aut venturi sunt ante fixionem stauropegii, & postea illic domicilium collocarunt, nemo repugnabit, quin ad patriarchalium jurium exharcum prorsus pertineant. Indubitatus enim & eorum talis erit exharcus. Innotescat ergo C præsens nostræ moderationis definitio secreto sacri chartophylacii, & rescribatur ei, qui a parte episcopatus Artæ postulavit eam, & exhibuit, ut intimetur notitiæ Sacratissimi metropolitani Naupacti. Habuit subscriptum, mense junio, indictionis 5. patriarchali & divina manu. Pendebat autem inferne plumbea bulla, habens ex una parte sanctissimam Deiparam, in ulnis gestantem dominum nostrum Jesum Christum, ex altera autem has litteras: Germanus Dei miseratione archiepiscopus Constantinopoleos, novæ Romæ, & œcumenicus patriarcha.

D

Ἕτερον τοῦ αὐτοῦ.

Τὰ κατὰ συναρπαγὴν λαβόντα σύμπηξιν, οὔθ' ὁ καιρὸς περιτρέχει ἀπερικλόνητα, καὶ αὐτοὶ δὲ οἱ τῆς αὐτοῦ σημπήξεως αἴτιοι τὴν ἀνατροπὴν αὐτῶν τελεσιουργοῦσι προφθάνοντες. προβαίνει τι καὶ παρ' ἡμῖν τοιοῦτον τρόπον, καὶ ταχέως ἡ μετριότης ἡμῶν τὴν αὐτοῦ ποιεῖται διόρθωσιν. Ἐν τῇ χώρᾳ τῆς Παφλαγονίας, πατριαρχικαὶ μοναὶ σποράδην διάκεινται, ταῖς μοναῖς ὑπόκεινται καὶ προάστεια, χωρία τε ὁμοῦ καὶ ἀγρίδια. λαὸς τοῖς κτήμασι διάφορος E κατοικεῖ. περὶ τούτων, ἐπὶ τῆς καθ' ἡμᾶς συνόδου, γεγενημένης πρό τινος καιροῦ συζητήσεως, ὁπότερον ἄρα εἶναι δεῖ τὸν τῆς αὐτῶν διεξαγωγῆς ἀντιποιησόμενον. εἴτε τὸν κατὰ χώραν ἀρχιερέα (ὅτι τῆς ἐνορίας τούτου μέρος τυγχάνουσιν) εἴτε τὸν ἀπὸ τῆς πατριαρχικῆς ἐξουσίας ἀποστελλόμενον ἔξαρχον, ὅτι ταῖς μοναῖς, ἃς ἐτάχθη διέπειν, τυγχάνουσιν ὑποκείμενα. ἔλαθε πῶς καὶ τῇ τοῦ πατριαρχικοῦ ἐξάρχου ἐπικυρώθησαν διεξαγωγῇ. τῇ προσκυρώσει ταύτῃ καὶ πρᾶξις ἐπηκολούθησεν, ἐκφωνοῦσα καὶ ἀφορισμὸν, ὅτι τὴν τῶν διειλεγμένων ταύτῃ βεβαίωσιν. τὴν σήμερον δὲ ὑπὸ ἀκριβεστέραν πεσούσης τῆς ὑποθέσεως βάσανον, εἶχε μὲν καὶ

Aliud de eodem.

Quæ per vim affixionem ceperunt, nec tempus percurrit inconcussa, & qui ipsorum affixionis sunt auctores, eversionem tandem eorum perficiunt. Accidit quidpiam apud nos hujusmodi, cujus correctionem mediocritas nostra celeriter facit. In regione Paphlagoniæ, patriarchalia monasteria sparsim sita sunt: monasteriis subjiciuntur & suburbana, prædiaque, simul & agelli populus multiplex possessiones incolit. De his in synodo, quæ sub nobis habita, cum ante aliquod tempus facta esset quæstio, uter administrationem eorum vindicare sibi deberet, isne qui est regionis antistes (quod diœceseos ei pars sit) an qui a patriarchali potestate mittitur exarchus, quod subjecta sint monasteriis, quæ ab ipso gubernari statutum est: incertum erat, quomodo patriarchalis exarchi administrationi attributa essent. Attributionem hanc actio subsecuta est, pronuncians & exterminationem ad ea quæ tractata sunt, confirmanda. Hodie autem incidente Causa in exactiorem disquisitionem potuit quidem mediocritas nostra rei absurditatem ex eo perspicere, indeque ejus emendationi statim annuit: cognoscens, exharcum jus acquisisse patriarchale,

in

in iis quæ sub crucibus patriarchalibus fundamentum habuerunt. Sive monasteria sint, sive oratoria. Sed & invenit veterem actionem Synodalem sub patriarchatu beati illius domini Germani factam, idem negotium plurimi facientem constituentemque, (si paucis verbis dicendum sit) patriarchalium monasteriorum, quæ ubique sunt, exarchos non habere licentiam vindicandi sibi prædia his subjecta, aut qui in iis est populum, aut oratoria, quæ patriarchales cruces sortita non sunt: Sed neque suscipiendi eos, qui illinc consecrandi sunt, & ut proprios ad Sacerdotii dignitatem provehendi: Sed ab iis omnino abstinere, ut a regionis episcopo administrentur. Et secuta est actionem. Eademque & ipsa, cum assidente fraternitate, in præsente causa pronunciavit, dicens: non esse consentaneum, ut Episcopus a proprio expellatur populo, eo quod patriarchalibus monasteriis, quibus adhærent prædia, vel suburbana subjecta sint; Sed nec a suis oratoriis, nisi sub patriarchalibus stauropegiis & ipsa fundata sint, sive etiam paralauria forte sint aut metochia. Quamobrem prædictam illam actionem inde Synodaliter abrogans, quæ in ea comprehensa sunt, omni modo cessare constituit, & quam pronuntiavit excommunicat. vinculum solvit. Paphlagoniæ igitur antistites hæc prædia & suburbana sine interruptione gubernabunt, illa utique quæ non sub stauropegiis patriarchalibus extructa sunt. Inveniuntur quidem & aliqua ejusmodi, cum iis autem & oratoria patriarchalibus his monasteriis subjecta; nisi sint quibus patriarchicæ cruces fundamentum præstiterint. Etenim & ab his debent quæ sunt suæ pastionis transferre, & patriarchali exarco transitum ad ea concedere. Qui autem ea sic regere probabuntur, neque ab iis, qui patriarchalibus monasteriis præsunt, turbabuntur, neque a patriarchicæ potestatis metochiis. Debent enim iis, quæ definita sunt, acquiescere, nec nullo modo conari cuiquam antistitum parti molesti esse, ob administrationem & curam prædictorum prædiorum, & eorum, qui in his sedes collocarunt: præterea etiam oratoriorum, metochiorum, & paralauriorum, quæ sub patriarchalibus stauropegiis extructionem non ceperunt.

A αὐτόθεν ἡ μεγιότης ἡμῶν κατανοεῖν τὸ τοῦ πράγματος ἄτοπον, κἀντεῦθεν τῇ ἐπιδιορθώσει τούτου παραυτίκα ἐπενδοῦσα, ἐπ' ἐκείνοις διαγινώσκουσα τὴν πατριαρχικὸν κεκτῆσθαι δίκαιον ἔξαρχον, ὅσα ἐπὶ σταυροπηγίοις πατριαρχικοῖς τὴν βάσιν ἐσχήκασιν, εἴτε μοναστήρια εἰσὶν, εἴτε εὐκτήρια. εὕρηκε δὲ καὶ πρᾶξιν συνοδικὴν παλαιὰν ἐπὶ τῆς πατριαρχείας τοῦ μακαρίτου ἐκείνου κυρίου Γερμανοῦ γεγενημένην, τὴν αὐτὴν περὶ πολλοῦ ποιοῦσαν ὑπόθεσιν. καὶ διαταττομένην (εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν) μὴ ἔχειν ἐξουσίαν τοὺς τῶν ἑκασταχοῦ πατριαρχικῶν μονῶν ἐξάρχοντας, ὑποποιεῖσθαι καὶ τὰ ὑποβεβλημένα ταύταις χωρία, ἢ τὸν ἐν τούτοις λαὸν, ἢ τὰ εὐκτήρια, ὅσα μὴ σταυροπηγίων πατριαρχικῶν ἠμοιρήκασιν. ἀλλὰ
B μηδὲ τοὺς ἐκεῖθεν ἱερᾶσθαι μέλλοντας ἀναδέχεσθαι, καὶ ὡς ἰδίους πρὸς τὸ τῆς ἱερωσύνης ἀνάγειν ἀξίωμα. ἀλλὰ ἀπέχειν πάντη αὐτῶν, ὡς παρὰ τοῦ ἐπισκόπου τῆς χώρας διέποιντο. καὶ ἠκολούθησε τῇ πράξει. καὶ τὰ αὐτὰ καὶ αὐτὴ μετὰ τῆς συνεδριαζούσης αὐτῇ ἀδελφότητος πρὸς τὴν ὑπόθεσιν ἀπεφήνατο, μὴ δέον εἶναι εἰποῦσα, ἀπωθεῖσθαι τοῦ ἰδίου λαοῦ τὸν ἐπίσκοπον, προφάσει τοῦ πατριαρχικαῖς μοναῖς ὑποκεῖσθαι τὰ χωρία, ἢ τὰ προάστεια ἔνθα προσκάθηνται. ἀλλὰ μηδὲ τῶν ἐν αὐτοῖς εὐκτηρίων, ἐὰν μὴ ἐπὶ σταυροπηγίοις πατριαρχικοῖς καὶ αὐτὰ ἐφηδράσθησαν κἂν καὶ παραλαύρια τυχὸν τυγχάνουσι τῶν μονῶν, ἢ μετόχια. Ὅθεν καὶ τὴν
C εἰρημένην πρᾶξιν ἀπεντεῦθεν συνοδικῶς ἀκυρώσασα, ἀπραξίαν τε παντελῆ τῶν ἐν αὐτῇ διειλημμένων κατεψηφίσατο, καὶ τῷ ἀφορισμῷ δὲ λύσιν ἐπήγαγεν, ὃν ἐκφωνοῦσα ἐτύγχανεν. ἔσονται οὖν οἱ κατὰ τὴν Παφλαγονίαν ἔτι ἀρχιερεῖς τὰ χωρία ταῦτα καὶ τὰ προάστεια ἀπερικόπως διέποντες. ἐκεῖνα μέντοιγε ὅσα μὴ ἐπὶ σταυροπηγίοις πατριαρχικοῖς συνῳκίσθησαν. εὑρίσκονται μὲν καὶ τινά που τοιαῦτα, σὺν αὐτοῖς δὲ καὶ τὰ ὑποτεθειμένα τοῖς πατριαρχικοῖς μοναστηρίοις τούτοις εὐκτήρια. πλὴν εἰ μὴ εἰσι καὶ αὐτῶν πατριαρχικὰ ὑποβέβληνται σταυροπήγια. κἂν τούτων γὰρ ὀφείλουσι τὰ τῆς ἑαυτῶν μεταίρειν ποιμάνσεως, καὶ τῷ πατριαρχικῷ ἐξάρχῳ τῆς
D εἰς τὰ τοιαῦτα παρόδου παραχωρεῖν. διέπειν δὲ οὕτω ταῦτα δικαιωθέντες, οὔτε παρὰ τῶν τοῖς πατριαρχικοῖς μοναστηρίοις ἡγουμενευόντων εἰς τοῦτο ἐνοχληθήσεται, οὔτε παρὰ τῶν τῆς πατριαρχικῆς ἐξουσίας ὄντων μετοχίων· ὀφείλουσι γὰρ οἱ τοιοῦτοι τοῖς ὡρισμένοις ἐμμένειν, καὶ μηδόλως πειρᾶσθαι τινὶ τοῦ μέρους τῶν ἀρχιερέων παρενοχλεῖν, ἐπὶ τῇ διεξαγωγῇ καὶ ποιμάνσει τῶν εἰρημένων χωρίων, καὶ τῶν ἐν τούτοις προσκαθημένων. πρὸς δὲ καὶ τῶν εὐκτηρίων, μετοχίων τε καὶ παραλαυρίων, ὅσα μὴ ἐπὶ σταυροπηγίοις πατριαρχικοῖς εἰλήφασι τὴν ἀνέγερσιν.

CONCILIA QUÆDAM

IN CAUSA MILONIS EPISCOPI BELLOVACENSIS,

Apud S. Quintinum, Noviomi, Lauduni, celebrata an. MCCXXXII. & MCCXXXIII.

SPondanus *Baronianæ continuationis tomo I. ad annum MCCXXXI* Hoc, *inquit*, anno celebratum est concilium provinciæ Remensis apud S. Quintinum Veromanduæ ab Henrico de Branna archiepiscopo, in causa episcopi Belovacensis: cujus jura rex Ludovicus, seu ejus ministri usurpaverant, & damna non pauca tam ipsi, quam incolis Belvacensibus intulerant. Pro quo patres concilii nonnullos episcopos ad regem destinarunt, rogatum, ut episcopum in integrum resti-

restitueret. *Quæ profitetur Spondanus a se petita ex schedis quibusdam sibi a Sirmondo nostro communicatis. Addit Hemeræus in Augusta Veromanduorum:* Statutum fuisse, ut nisi satisfactum esset vexati præsulis petitioni, intra XL. dies, interdicti per diœcesim suam publicandi facultas oppresso præsuli, concilii authoritate concederetur, & eo ad episcopos rescribente de interdicto per episcopatum suum promulgato, simili quoque cessatione res sacras per suas illi diœceses suspenderent; prius tamen vel episcopi, vel ipse Remorum archipræsul, regem ad procurandam reparationem jacturarum, quas tulisset Milo de Nantolio Bellovacensis præsul, altera postulatione supplicationeque adhortarentur.

G. C. Quod autem anno MCCXXXI. hoc concilium assignent tum Spondanus, tum Hemeræus, parum probabile videtur: cum in instrumento inquisitionis hac de re factæ anno MCCXXXV. editæ a Louvetio in histor. Bellovac. testes omnes dicant seditionem Bellovacensem, quæ occasionem his conciliis præbuit, accidisse anno MCCXXXII. Qui conciliari ista possunt? Neutiquam certe, nisi dicamus, alios secutos esse Romanam anni rationem, alios Gallicanam: In Galliis enim (ubi annorum initium ducebatur a festo Incarnationis, aut Paschæ) adhuc labebatur annus MCCXXXI. tempore hujus concilii; quod celebratum esse oportuit post paulo quam Bellovacum Rex ingressus est, ut a seditiosis pœnas repeteret: quod pridie Purificationis B. Virginis factum esse, discimus ex inquisitione cujus ante mentionem feci.

Aliud mirari subit, quod in illa inquisitione, nulla sit mentio Quintinopolitani hujus concilii, in qua tamen, accurata & minutissima omnium narratio fit a testibus: sed statim a Noviomensi ducatur initium. Hinc suspectum mihi haberetur primum istud hac in causa concilium, nisi Sirmondinarum schedarum ex Remensi tabulario excerptarum fide muniretur.

In inquisitione supra memorata, habetur Noviomensis concilii descriptio, in octavi testis responsione, hæc in verba: Petrus archidiaconus dicit, &c. Item fuit præsens apud Noviomum in concilio provinciali congregato anno Domini MCCXXXII. prima septimana quadragesimæ, ubi episcopus proposuit querimoniam de domino rege super injuriis quas ei intulerat & inferri fecerat, in hunc modum per officialem suum. Vobis, sancti patres, significat episcopus vester Belvacensis, quod cum justitia & jurisdictio villæ Belvacensis ad episcopum pertineat, & causam habeat in singulos & omnes de Belvaco, & ea fuerit usus ipse, & prædecessores sui pacifice: dominus rex per occasionem cujusdam forefacti sibi commissi, venit ad villam Belvacensem cum armis & communiis plurimis, & post supplicationes & admonitiones ab episcopo sibi factas, bannum suum in villa sua fecit proclamari, homines capi, domos dirui usque ad mille quinquentas, alios ebannivit. Et in recessu suo cum peteret ab episcopo pro procurationibus quinque dierum octoginta libras Parisienses: dixit episcopus, quod res insolita & nova petebatur, brevem diem petens a domino rege, ut deliberaret super hæc cum capitulo suo. Attamen dominus rex ullam diem noluit illi dare, sed omnia pertinentia ad domum episcopi saisivit, & sic recessit, custodibus in villa & domibus episcopi relictis. Quare petit a sancta synodo consilium & auxilium impertiri sibi & ecclesiæ. Postmodum exivit episcopus cum consilio. Et concilium, deliberato consilio, ordinavit mittere tres episcopos, scilicet Suessionensem, Laudunensem, & Catalaunensem, ad inquirendum de injuriis, quas dicebat episcopus sibi esse illatas, ut postea dictum est illi. Et vidit litteras archiepiscopi & episcoporum, in quibus continebatur, quod illi tres inquirerent authoritate concilii, de justitia ecclesiæ Belvacensis.

Et illi tres venerunt Belvacum, & denunciarunt episcopo Belvacensi, & illis qui ex parte domini regis, quod venerant ad inquirendum ex parte concilii, de justitia ecclesiæ Belvacensis, & injuriis quas dominus episcopus sibi inferri dicebat: & dicti episcopi inquisiverunt. *Hæc de Noviomensi concilio testis octavus in illa inquisitione. Primus autem testis ait, decretum fuisse a concilio, non ut statim irent Bellovacum episcopi illi tres inquisituri; sed* mitterentur ad regem, ut monerent eum ex parte concilii, quod hoc emendaret: & si non emendaret, ipsi tres episcopi accederent ad villam Belvacensem ad inquisitionem faciendam. *De iniuriis autem quas sibi factas episcopus conquestus est in concilio, hoc addit tertius testis:* Quod duo servientes regii, Durandus de Senonensi, & Christianus Parisiensis, remanserunt in domo episcopi, & saisiverunt domum & vina, & recipiebant reditum episcopi: & fecit Petrus de Halla vendi vina; & quando episcopus veniebat Belvacum, manebat in domo thesaurarii.

Pergit inquisitio. Fuit etiam præsens idem testis (*octavus*) in septimana ante Ramos palmarum, apud Laudunum, ubi congregatum concilium erat: & ibi relata fuit inquisitio: *facta scilicet Bellovaci a tribus episcopis. Primus autem testis:* Inquisitione, *inquit*, facta retulerunt eam ad concilium quod indictum erat. Et ibi ordinatum fuit, quod iterum moneretur rex, & iterum. Et scit quod tunc archiepiscopus & episcopi venerunt ad regem monendum, & scit quod bis monitus fuit. *Episcopos ad regem missos nominat Spondanus ex Sirmondinis schedis*, Gothofridum Laudunensem, Gothofridum Cameracensem, Azonem Atrebatensem.

Eodem anno, *inquit Hemeræus*, Henricus archipræsul convocat suffiaganeos eodem loci (*apud S. Quintinum, ubi prius habitam eodem anno synodum ait*) tertio concilio celebrando die sabbati ante Nativitatem B. Mariæ virginis, quo constitutum interdictum est, conspirantibus omnium animis in eam voluntatem, ut sociatis affectibus & auxiliis, commune negotium promoveretur. *Henricus Spondanus Sabbato, non ante Nativitatem B. Virginis, sed post eandem assignat hoc concilium; ubi* promiserunt, *ait*, inter se, & sese, ut loquuntur acta, obligaverunt pro honore Dei & ecclesiarum libertatibus conservandis, ad hoc quod irent omnes Romam in propriis personis, si archiepiscopo videretur expedire, vel illi quos ad hoc eligeret; vel ipsemet archiepiscopus, si episcopis expediens videretur: & qui irent, expensas facerent de communi omnium. Sed capitula, *inquit ibidem Hemeræus*, suis episcopis obmurmuravere, questa se ad synodos non vocata, palamque vociferata nullius authoritatis & virium futuras sanctiones, quas de cessatione Divinorum per Remensem provinciam promulganda, ne quidem invitatis summonitisque capitulis, episcopi statuissent. Eaque in obnunciatione palma constantis & imperterriti animi, vel etiam ad episcoporum minas, M. Simoni de Arceja decano Ambianensi tributa est. Hac occasione captata, rescripsit Ludovicus ad eadem capitula de interdicto non admittendo. Factumque ut querimoniæ capitulorum augescentes, materiam præbuerint quarto concilio Sanquintini congregando ad diem Dominicam ante natalem Domini ejusdem anni. Cujus authoritati nemo ut in posterum adversaretur, visum est ad illud quoque capitula cathedralium ecclesiarum evocanda. Ista

ANNO CHRISTI 1232. & 1233.

Concil. Laudunense. 1232.

Concil. Quintin. 1233.

S. Quintin eod. an.

ANNO CHRISTI 1232.

autem ſynodo, ſuadente eodem decano, revocatum interdictum eſt, cui provinciam Remenſem epiſcopi capitulis inconſultis ſubdidiſſent: concluſumque, nihil deinceps ab epiſcopis ſtatui decernique poſſe, ſine conſenſu capitulorum eorumdem: haberique eam ob cauſam ſubventraneas & irritas ſanctiones præcedentium ſynodorum, quas nullo ſuo ſuffragio capitula probaviſſent. His indignatum frementemque Milonem, & acerba oratione in obnunciatores incurſantem, Petrus de Collemedio præpoſitus Audomarenſis flexit oratione.

Hac de re octavus teſtis, in inquiſitione de qua ſupra ſum locutus: Item fuit præſens, *inquit*, apud S. Quintinum in concilio ibidem aggregato ante natale Domini, ubi epiſcopus Belvacenſis eadem Dominica tertia, hora veſpertina, quia intellexit quod interdictum poſitum pro eccleſia Belvacenſi idem archiepiſcopus relaxare volebat, appellavit ne dictum interdictum, quod pro ſe & eccleſia ſua fuerat poſitum, nulla ſibi facta ſatisfactione relaxaretur. Et hæc appellatio facta fuit in concilio coram archiepiſcopo, & epiſcopis Silvanectenſi, Cameracenſi, Tornacenſi, Atrebatenſi, Morinenſi, & aliis: exceptis Laudunenſi & Noviomenſi.

In ſequenti die Lunæ vel die Martis fuerunt congregati omnes epiſcopi, & capitula: & ſurrexit M. Simon de Arceja, & propoſuit ex parte capitulorum, ut dicebat, in pleno concilio prædictas cauſas (*quarum præcipua erat, quod capitula vocata non eſſent*), & quaſdam alias, inter quas fuit, quod negotium Belvacenſe tempore mandati facti ab archiepiſcopo de ponendo interdicto, relatum fuit ad curiam: & dicebat quod archiepiſcopus in concilium ulterius ſe intromittere non debebat.

Item fuit præſens, ubi dominus Sueſſionenſis ex parte domini archiepiſcopi & epiſcoporum qui erant de concilio, poſt appellationem epiſcopi relaxarunt interdictum poſitum pro eccleſia Belvacenſi. Et hoc factum fuit die Lunæ vel Martis poſt Dominicam ante natale Domini, MCCXXXIII. Et die Dominica præcedenti appellavit idem epiſcopus.

Item dicit quod appellavit Simon de Arceja pro capitulis cathedralium eccleſiarum provinciæ Remenſis, apud S. Quintinum, ubi erat concilium provinciale congregatum die Dominica proxima ante feſtum natalis Domini: ubi ſuffraganei archiepiſcopi Remenſis, exceptis archiepiſcopo, epiſcopo Sueſſionenſi, & Cameracenſi, dixerunt quod male poſuerant interdictum in ſuas diœceſes: & melius volebant revocare per ſe, quam revocaretur per ſuperiorem. Et epiſcopus Catalaunenſis pro ſe ac pro aliis dixit, quod ipſi revocarent interdictum: & ne archiepiſcopus nomine ſuo, vel authoritate concilii, in aliqua re contra eos procederet, appellabat pro ſe ac pro aliis ad dominum papam.

Poſt hæc verba ex parte domini epiſcopi Belvacenſis fuit propoſitum ſic: „ Domine archiepiſcope, vos ſcitis quod authoritate concilii „ vos & ſuffraganei veſtri poſuiſtis interdictum „ in veſtras diœceſes pro injuriis eccleſiæ Belvacenſi irrogatis: de quibus in nullo adhuc „ ſatisfactum eſt. Et bene ſcitis quod mea intereſt ne revocetur ante ſatisfactionem. Et quia „ de conſenſu veſtro & ſuffraganeorum veſtrorum fuit poſitum, appello, ne revocetur, ad „ dominum papam, me & eccleſiam meam & „ proceſſum meum protectioni domini papæ ſupponens.

Quæ appellatio non probibuit, ut ante vidiſti, qui ſolverentur interdictum.

ANNO CHRISTI 1232. Ex Martene Theſ. Anec. Tom. IV. p. 81.

VARIA CONCILIA

Celebrata in cauſa quæ vertebatur inter epiſcopum Bellovacenſem & regem.

Ex membrana Belvacenſi,

PRimum concilium celebratum fuit apud Noviomum prima ſeptimana XL. anno Domini MCCXXXII. ad quod concilium epiſcopus Bellovacenſis detulit querimoniam ſuper injuriis illatis ſibi a rege: & exinde concilium miſit ad inquirendum de injuriis memoratis tres epiſcopos; prout probatur in carta ſigillata ſex epiſcoporum, ſignata prout continetur in inſtrumento ſigillato magiſtri Petri.

Secundum concilium celebratum fuit apud Laudunum eadem XL. poſt *Lætare Jeruſalem*, ad quod relata fuit inquiſitio facta ſuper injuriis memoratis ab epiſcopis: & exinde tres epiſcopi miſſi fuerunt ad monendum dominum regem ſuper ipſis injuriis, prout continetur in tranſcripto ſigillato ſigillo magiſtri Petri XI. †. & in litteris ſigillatis ſigillo duorum epiſcoporum ſignatis †. C.

Tertium concilium celebratum fuit circa Aſcenſionem Domini MCCXXXIII. & ex illo miſſus fuit dominus archiepiſcopus cum duobus epiſcopis ad monendum dominum regem iterum, prout continetur in litteris ſigillatis ſigillo ipſius archiepiſcopi, & duorum epiſcoporum ſignatis per D. & notandum quod more Gallicano mutatur annus in Domin. Annunciatione dominica.

Quartum concilium celebratum fuit apud Silvanectum ubi fuit . . . . inter archiepiſcopum & epiſcopos, quod ſi dominus rex infra ſubſequentes vindemias non reſtituiſſet epiſcopum & eccleſiam Belvacenſem; ex tunc provincia interdicatur: & ex illo omnes, ſicut ibi erant, acceſſerunt ad regem, & monuerunt eum ſuper injuriis memoratis eodem anno, prout continetur in tranſcripto ſigillato ſigillo magiſtri Petri XIV. XV. f.

Quintum concilium celebratum fuit eodem anno apud S. Quintinum, in quo firmiter omnes & ſinguli promiſerunt, quod niſi dominus rex emendaret ſe erga eccleſiam Belvacenſem * . . . . omnium Sanctorum in provincia Rhemenſi poneretur interdictum: & dederunt poteſtatem auctoritate concilii archiepiſcopo dictandi formam interdicti: & ſecundum formam ab ipſo dictatam, ſicut ipſe poneret in ſua diœceſi interdictum, ita ipſi ponerent in ſuis diœceſibus, & facerent obſervari, prout continetur.

Item cum totum ſpatium a concilio determinatum tranſcurriſſet, & dominus rex in nullo ſe emendaſſet erga epiſcopum & eccleſiam Belvacenſem: tandem eodem anno in craſtino S. Martini hyemalis venit dominus archiepiſcopus cum Sueſſionenſi, Catalaunenſi, Sylvanectenſi, Cameracenſi epiſcopis, apud Bellum-montem, ubi erat dominus rex, & habito tractatu de . . . . . provenire non poſſet, de conſilio dictorum epiſcoporum authoritate ſibi conceſſa a concilio, dictavit formam interdicti, & poſuit interdictum in ſua diœceſi, & ſecundum eamdem formam mandavit aliis epiſcopis quod ponerent: qui poſuerunt, ſervaverunt, & fece-

fecerunt observari, excepto Noviomensi, prout continetur in prædicto transcripto sigillato sigillo Magistri P. XIX. & XX. †.

Sextum concilium celebratum fuit eodem anno apud S. Quintinum dominica in natali Domini, ubi spreta appellatione episcopi Belvacensis, revocaverunt interdictum pro ipso & ecclesia sua latum, prout continetur in prædicto transcripto sigillato sigillo Magistri P. & in litteris sigillatis sigillis quatuor episcoporum quæ incipiunt *Coram vobis signatis* P. S.

ANNO CHRISTI 1231.

☞ AD CONCILIA IN CAUSA BELVACENSIS ECCLESIÆ

ANNO CHRISTI 1233.

Anno 1233. *habita*

DISQUISITIO COLLECTORIS ET ADDITIO.

BElvacensem ecclesiam injuriam quamdam passam a regiis ministris ex synodis in ea causa habitis, allatisque a Labbeo cum ad ditamento Veneti collectoris exploratum est; cum tamen circa annum, quo concilia illa convenerunt, dissidium aliquod inter scriptores intercesserit, ego in meis ad Raynaldum animadversionibus ita rem totam expedii ad annum 1231.

Illustrissimus Spondanus anno huic assignat exordium conciliorum in controversia Belvacensis ecclesiæ, quam totam ille num. VIII. & IX. prosequitur. Sed viro docto fucum fecit concilium quoddam apud S. Quintinum hoc anno, mense augusto habitum, quodque ex Sirmondi schedis deprompsit, & reliquorum conciliorum in causa Belvacensi primum male statuit. At cum tandem ex iisdem Sirmondi schedis concilium illud, P. Harduino edente, prodierit; intellexerunt eruditi, nullam in eo mentionem causæ Belvacensis injici; & suspicio Cossartii in adnotatione ad concilium istud, solido niti fundamento agnita est. Serius igitur, quam hucusque factum sit, consignari exordium conciliorum in celebri hoc dissidio oportet. P. Martene Anecdot. tom. IV. pag. 181. ex veteri membrana Belvacensi, primum concilium, quo agitari hæc cœperunt, Noviomense recte statuit; sed cum illud primæ dominicæ quadragesimæ anni 1232. assignat, profecto errat. Igitur nonnisi anno 1233. dissidium istud cœpit, agitatumque fuit primo quidem in concilio Noviomensi eodem anno 1233. celebrato, ac dein in aliis quatuor eodem pariter anno 1233. coactis. Id ego antequam demonstro, controversiæ hujus historiam paucis expono. Causam illius pandit Albericus ad an. 1233. notans: *Rex Ludovicus de civitate Belvacensi sibi resistente, in qua facta fuit enormis dissensio inter divites & plebejos, ita se vindicavit, quod mille quingentos de mediocribus civitatis comprehensos, Parisios & alibi adduci fecit, & carceri mancipari.* Hæc omnia fusius narrantur in Synodica Patrum Synodi Sanquintiniani hoc anno decembri mense habiti ad Gregorium papam, de qua infra, in qua pariter rex veniisse Bellovacum asseritur *circa festum purificationis Beatæ Mariæ Virginis nuper ante præteritum*. Quibus verbis legendis in epistola data mense decembri anni 1233. fides astruitur chronologiæ Alberici, qui gesta hæc anno 1233. asserit. Ex iis pariter litteris intelligimus, male habitum a rege episcopum Belvacensem, qui ex veteri privilegio jus sibi plenum in tota diœcesi vindicans, ne quid ecclesiæ suæ injuriæ irrogaretur, instabat. Violentiam passus Belvacensis ad concilium provinciæ suæ ab Henrico Remensi archiepiscopo Noviomi prima dominica quadragesimæ convocatum causam detulit, a quo episcopi tres, Suessionensis, Laudunensis, Catalaunensis delecti, ut rem totam sedulo perquirerent, & ad aliud concilium ab iisdem episcopis post menses aliquot agendum referrent. Auditi sunt a concilio Lauduni celebrato dominica *Lætare*, idest quarta quadragesimæ; & ex illorum relatione justitia Belvacensis comperta, regi supplicarunt patres, ut tandem injuriam ecclesiæ repararet. Quo negante, patres illi in Silvanectensi urbe iterum in concilium coeuntes, statuerunt in sua singuli diœcesi interdictum promulgare, nisi rex ad definitum tempus resipuisset. Quo nihilo secius recusante; patres illi, nempe Remensis, Suessionensis, Catalaunensis, Noviomensis, Tornacensis, Atrebatensis, Belvacensis, Morinensis, absentiam suam per litteras excusantibus Ambianensi, Silvanectensi, & Cameracensi; Laudunensi vero Romam ad negotia profecto; apud S. Quintinum concilium aliud egerunt, quod cœptum sabbato ante Nativitatem B. M. ex actis inquisitionis in ea causa factæ, & a Lovetio in historia Belvac. vulgatis, eruitur. Censuerunt monendum iterum regem, eoque parere nolente interdictum promulgandum. Reipsa vero promulgatum fuit a singulis post festum S. Martini, uno excepto Noviomensi, qui synodo obsequi recusavit. Rex in eo statu perseveravit usque ad dominicam ante natalem Domini; qua patres iterum coiverunt ad S. Quintinum, ibique de servando interdicto tractatum est, variatisque sententiis, tandem, renitente licet Belvacensi & appellationem ad pontificem interponente, statutum est, ut archiepiscopus Remensis, quamvis reluctans & invitus, interdictum latum suspenderet. His peractis, idem archiepiscopus suo cæterorumque patrum nomine Synodicam ad pontificem scripsit, in qua totius historiæ causam natrat. Has litteras vulgavit P. Martene Anecdot. tom. I. col. 976. signanturque *apud S. Quintinum dominica ante natale Domini* MCCXXXIII. Ex hac narratione, quam summa fide ex iisdem litteris expressi, intelligimus, quinque illa concilia, quæ vulgo hucusque chronologi in annos distribuerunt duos, uno eodemque anno 1233. celebrata fuisse, cum uno eodemque anno isto injuriæ Belvacensi ecclesiæ irrogatæ sint, ut non ex Alberico tantum, sed ex synodica etiam constat. In ea enim patres affirmant, regem Galliarum Bellovacum venisse *circa festum Purificationis nuper ante præteritum*. Sicut & primum in ea causa concilium Noviomense coivisse *præterita prima septimana quadragesimæ*. Cum autem ex veteri stylo hebdomada illa nondum annus 1233. incepisset; hinc factum est, ut coæva quædam documenta con-

☞ concilium hoc & sequens Laudunense ad annum superiorem 1232. referant.

ANNO CHRISTI 1233.

Vetus membrana Belvacensis a Martene Anecdot. tom. IV. col. 181. sextum aliud concilium hoc anno eadem de causa celebratum reliquis accenset, quod inter Laudunense, & Silvanectense medium interponit, in loco incerto habitum circa ascensionem Domini, cujus destinatione archiepiscopus cum duobus episcopis ad regem monendum ablegatos statuit. Sed cum de hoc concilio nihil in eadem synodica, in qua reliqua diligenter adnotantur; & ex ejusdem synodicæ auctoritate constet tres episcopos ad regem ablegatos fuisse a patribus Laudunensibus; hinc concilii hujus assertor falsi convincitur. Quem vero exitum causa ista apud pontificem sortita fuerit, legas apud Raynaldum ad A. 1236. 37.

Præter ea, quæ in illis meis ad Raynaldum notis differenda duxi, addam hic synodicam concilii ad S. Quintinum, quam omnium patrum nomine Henricus Remensis archiepiscopus ad pontificem Gregorium IX. scripsit, vulgatam a Mart. Anec. t. 2. p. 975.

Sanctissimo patri ac domino Gregorio Dei gratia summo Pontifici, H. Dei permissione Remensis ecclesiæ minister humilis, ceterique Remensis ecclesiæ suffraganei, quorum sigilla inferius apponuntur, devotissima pedum oscula beatorum.

Rem flebilem & miseratione condignam, præsentibus lacrymabilibus litteris, paternitati vestræ duximus intimandam, ut rei veritate plenius intellecta, apponere concilium acceleratum dignetur. In præterita siquidem prima septimana quadragesimæ nobis, totique provinciali concilio apud Noviomum congregato, fuit ex parte episcopi & ecclesiæ Belvacensis, gravis expositа contra dominum regem querimonia, videlicet quod cum episcopus Belvacensis, ejusque prædecessores in civitate Belvacensi, & in singulis, & in omnibus hominibus civitatis omnem jurisdictionem habeat, prout apparet ex charta bonæ memoriæ Ludovici quondam regis Francorum, & ea usus fuisset publice, ac manifeste ipse & prædecessores sui per se, ac per ballivos suos hactenus pacifice & quiete; dominus rex circa festum Purificationis beatæ Virginis nuper ante præteritum, occasione cujusdam maleficii a quibusdam hominibus civitatis ibidem perpetrati, cum multis communiis ad civitatem Belvacensem accedens, licet idem episcopus paratus esset dictum maleficium facere per ballivos suos juxta facinoris qualitatem puniri; post multas supplicationes & monitiones eidem domino regi ab episcopo factas, ne idem rex episcopum & ecclesiam suam justitia & jurisdictione ad ipsum plenius pertinente quam hactenus pacifice possederat spoliaret, homines civitatis mille quingentos, & plures capi fecit, & alios exbannivit, domos dirui fecit, catalla hominum episcopi publicavit, eumdem episcopum jurisdictione & justitia spoliando, ibique per quinque dies existens sibi expensas quinque dierum usque ad octingentas libras Parisienses ab eodem episcopo persolvi petit. Et licet episcopus brevem diem peteret tamquam de re gravi & penitus inaudita, ut super hoc cum suo capitulo pertractaret; Idem tamen dominus rex hoc facere denegans, eundem episcopum civitate, reditibus & proventibus ad ipsam ecclesiam spectantibus, exceptis paucis mobilibus, spoliavit: quare petebat idem episcopus pro se & ecclesia sua a nobis, & toto concilio, quatenus super his consilium apponere curaremus. Unde nos tractatu habito diligenti, licet factum esset notorium, tamen tres episcopi nostri, videlicet Suessionensis, Laudunensis, & Catalaunensis episcopi, auctoritate concilii, ad dominum regem, & civitatem Belvacensem, ut & ipsi regi denuntiarent, quod Belvacensem urbem accedebant, ad inquirendum ex abundanti de justitia, & usu & spoliatione episcopi Belvacensis, expositа certa die, & ibidem inquirerent de omnibus diligenter, destinati fuerunt. Qui vocatis illis qui erant ex parte regis in civitate, & civibus in communia tunc administrantibus, mandatum sibi injunctum fideliter adimplentes, inquisitionem nobis, & concilio apud Laudunum circa Dominicam qua cantatur *Lætare Jerusalem* congregato, sub sigillis propriis reportarunt. Unde rei evidentiam attendentes, nihilominus episcoporum relationem considerantes, vidimus quod dominus rex, prædictis omnibus, contra justitiam spoliaverat episcopum & ecclesiam Belvacensem: propter quod tres episcopi missi fuerunt ad dominum regem monendum ex parte concilii, quod episcopum & ecclesiam restituere dignaretur: quod ipse monitus facere recusavit. Verum cum postmodum eidem domino regi fuisset per nos ipsos supplicatum pluries, quod misereretur ecclesiæ memoratæ, ipsum auctoritate concilii monuimus, & monere fecimus iterum atque iterum, quod episcopum & ecclesiam restitueret supradictam: quod cum facere noluisset, tandem in concilio apud Silvanectensem urbem postmodum congregato inter archiepiscopum & suffraganeos Remensis ecclesiæ, conductum extitit, & firmiter promissum a singulis episcopis, quod si dominus rex infra vindemias nuper præteritas episcopum & ecclesiam non restituisset eamdem, ex tunc provincia interdiceretur. Et exinde sicut eramus ibi ad dominum regem accessimus, & ipsum omnes monuimus, ut eumdem episcopum & ecclesiam restituere dignaretur: & cum nec monitiones, nec supplicationes aliquas exaudiret; tandem in concilio apud S. Quintinum congregato, præsentes Suessionensis, Catalaunensis, Noviomensis, Tornacensis, Atrebatensis, Belvacensis, Morinensis, & aliis tribus, videlicet Ambianensi, Sylvanectensi, & Cameracensi litteratorie excusatis, & Laudunensi absente, qui curiam Romanam adierat pro negotiis suis procurandis, firmiter promiserunt omnes & singuli, quod nisi dominus rex se emendaret erga ecclesiam Belvacensem post octavam omnium sanctorum, in provincia Remensi poneretur interdictum: dantes mihi archiepiscopo potestatem auctoritate totius concilii dictandi formam interdicti, & secundum formam a me dictatam, ipsi ad mandatum meum in suis diœcesibus ponerent interdictum, & facerent observari, sicut ego in mea diœcesi ponerem interdictum. Et cum interim plures dies ad tractandum de pace fuissent a domino rege & eodem episcopo recepti, tandem apud Bellum-montem in crastino S. Martini hyemalis interfuimus ego, & Suessionensis, Cathalaunensis, Sylvanectensis, & Cameracensis episcopi, ubi habito tractatu de pace utrimque, tandem non potuit provenire. Unde habito tractatu cum prædictis fratribus, qui ibi aderant, quia rex se non emendaverat erga episcopum & ecclesiam Belvacensem, ex potestate quam auctoritate concilii habebam, interdictum

ANNO CHRISTI 1233.

ctum in diœcesi mea ponens, auctoritate prædicta mandavi singulis suffraganeis Remensis ecclesiæ, ut interdictum ponerent in hunc modum : „ Auctoritate totius concilii & nostra, „ districte, & in virtute obedientiæ vobis præ„ cipiendo mandamus, quatenus in diœcesi ve„ stra auctoritate propria generalis interdicti „ sententia proferatur : ita tamen quod sub„ missa voce , clausis januis, divina celebren„ tur , exclusis interdictis, & nominatim ex„ communicatis : sepultura ecclesiastica penitus „ denegetur , nisi personis ecclesiasticis & „ familiis eorumdem : alia autem ecclesia„ stica sacramenta exhibeantur , nisi sint no„ minatim excommunicati , vel alias interdi„ cti . Ista vero sententia feria IV. ante fe„ stum beati Andreæ apostoli publicetur : ita „ quod ex tunc firmiter observetur . Si quis „ autem dictam sententiam noluerit observare, „ ex tunc infra triduum noverit se suspensum. „ Verum ne popularium animus indurescat , „ vobis præmissa auctoritate firmiter injungi„ mus , quatenus vestris subditis præcipiatis, „ ut ipsi quolibet mense prima sexta feria „ mensis ad processionem conveniant , & ibi„ dem fiat sermo & speciales preces pro pace „ regni & ecclesiæ reformanda. „ Qui omnes interdictum ponentes, excepto Noviomensi, qui voluntate propria ductus , contra promissum suum veniens, mandato sibi facto noluit obedire, ipsum interdictum ad mandatum meum mihi auctoritate concilii ab eis concessum auctoritate sua posuerunt , servaverunt & præceperunt in suis diœcesibus observari . Verum quia capitula cathedralium ecclesiarum Remensis provinciæ contra interdictum quibusdam expressis causis , sedem apostolicam appellarant, feci concilium convocari apud S. Quintinum die Dominica ante natale Domini : ibique cum sperarem de capitulor. & episcopi Noviomensis animadversione tractare, quidam de coepiscopis nostris , licet interdictum posuissent & servassent, & a suis subditis præcepissent observari, ad retractationem interdicti cœperunt instare, ANNO CHRISTI 1233. lic t litteræ sanctitatis vestræ ad ipsos directæ, ex quibus ad jus & justitiam ecclesiæ conservandam debuerunt unanimiter effici fortiores, exhibitæ & perlectæ fuissent ibidem , quasdam occasiones prætendentes : quod præsentiens episcopus Belvacensis, coram nobis & concilio ne interdictum pro se & ecclesia sua latum, & ab ipsis observatum , nulla sibi & ecclesiæ suæ a domino rege satisfactione facta vel restitutione revocaretur vel relaxaretur, sedem apostolicam appellavit , se & ecclesiam suam , & interdictum pro ecclesia sua latum, & statum in quo erat negotium sub domini papæ protectione ponendo. Cathalaunensis tamen episcopus post appellationem Belvacensis pro se, Ambianensi, Sylvanectensi , & Attrebatensi episcopis pro suæ voluntatis arbitrio coram nobis & coepiscopis proposuit quod interdictum relaxarent prædictum ; & ne propter hoc contra ipsos procederem inali quo, in vocem appellationis prorupit , spreta appellatione a Belvacensi episcopo antefacta ; & cum nobis inter has angustias positis, quidam alii episcopi adhærerent, eisdem nunc post multos tractatus . . . eum temperamento interdicti, vel alio modo possemus eos ad unitatem reducere, tandem eorum instantia devicti, dictum relaxavimus interdictum. Unde sanctitati vestræ humiliter supplicamus, quatenus desolationi Belvacensis ecclesiæ, quæ in partibus nostris manifesta est , paterno compatientes affectu, cleri remedio salubriter dignemini providere, scientes pro certo, quod non potest oppressioni dictæ ecclesiæ, nisi per supremum vestræ Sanctitatis remedium subveniri.

Actum apud S. Quintinum Dominica ante natale Domini, an. Dom. MCCXXXIII.

ANNO CHRISTI 1231.

CONCILIUM PROVINCIALE

SANCTÆ ECCLESIÆ REMENSIS

Habitum apud S. Quintinum Veromanduæ, a reverendo Patre domino Henrico de Brema archiepiscopo Remensi, Anno MCCXXXI.

Henricus Dei gratia Remensis archiepiscopus, ceterique Remensis ecclesiæ suffraganei, apud S. Quintinum Veromanduæ in concilio congregati, omnibus hæc visuris, in Domino salutem.

SCriptum est quod alter debet alterius onera portare, & quod frater fratrem adjuvans ambo in benedictione erunt. Ut ergo primum concilium impleamus, & simus benedictionis participes, & legem Domini impleamus, attendentes quod laicæ personæ dignitatem ecclesiarum vilipendunt, & honorem debitum ipsis episcopis non impendunt ; immo dum se volunt murum opponere pro defendenda ecclesiæ libertate, plerumque a laicis diffidantur, nec assecurari valeant. Ne vilescat tantæ dignitatis ordo, fuit in dicto concilio ordinatum : Quod si episcopus diffiduciatus fuerit a quocumque, vel consilium suum, vel familia sua, contra diffidentem taliter procedetur. Diffidens monebitur ab episcopo de cujus fuerit diœcesi, & assecuret episcopi familiam & consilium suum; quod si facere noluerit, excommunicabitur monitione præmissa. Quo excommunicato ostendet episcopus illi domino, sub cujus potestate & dominio erat diffidens, & ut episcopum, consilium & familiam a diffidente legitime faciat assecurari. Quod si facere noluerit , similiter excommunicabitur monitione præmissa, & terra ejus supponetur interdicto; & modus ipse observabitur gradatim usque ad principes & barones. Cum vero princeps vel baro excommunicatus fuerit pro defectu, & terra ejus supposita interdicto ; episcopus præmissus domino regi præmissa faciet demonstrari, supplicando eidem ut eum assecurari, faciat , consilium & familiam & res suas quamdiu voluerit, ubi voluerit stare juri. Si autem assecurationem modo prædicto a rege, quod absit, obtinere non possit, elapsis quadraginta diebus episcopus in potestate habebit pro suo periculo cessare in episcopatu suo a divinis: & si petierit ab archiepiscopo suo & cœpiscopis suis ejus-

ANNO CHRISTI 1231.

ejuſdem provinciæ, ut cum ipſo plorent ſuæ tribulationis participes, ſtatim ſuæ petitioni non acquieſcent; immo dominus metropolitanus per ſe vel epiſcopos ſuos querimoniam ſui fratris epiſcopi domino regi humiliter demonſtrabit, ſupplicando & requirendo propenſius ut dictum epiſcopi aſſecurari faciat pro jus faciendo, ubi debuerit, & illatum dedecus emendari. Quod ſi ſorte non potuerit obtineri, archiepiſcopus & ſui epiſcopi petitionem * dicti Domini non poterunt non audire: immo ipſo ceſſante omnes alii ceſſabunt, & facient ceſſari epiſcopatus ſuos, nec reſument organa, quoaduſque ad honorem Dei & eccleſiæ aſſecuratio facta fuerit cum emenda. Datum in dicto concilio, anno Domini MCCXXXI. menſe Auguſto.

* *Sirmundus in apographo admonet hic mendum ſubeſſe.*

Atteſtatio admonitionis factæ domino regi auctoritate concilii a dominis epiſcopis Laudunenſi, Cameracenſi, & Atrebatenſi, anno MCCXXXI. Dominica in Paſſione.

* *Gaufridus* * *Axo*

Gaufridus Dei gratia Laudunenſis, * G. Cameracenſis * A. Atrebatenſis epiſcopi; univerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. A venerabili patre Henrico Dei gratia Remenſi archiepiſcopo totoque concilio apud Laudunum congregato, ad dominum regem miſſi, ut ipſum pro domino epiſcopo Bellovacenſi ejuſque eccleſia ipſius auctoritate concilii ſuper certis articulis moneremus; eum coram probis viris monuimus ſub hac forma. Vobis domine nos ſupplicamus, requirimus, & totius concilii auctoritate monemus, quatenus cum dominum Bellovacenſem diſſeſinaveritis in pluribus, de juſtitia Bellovacenſi quam habet in ſingulos & communia communiter & aperte ipſum ad juſtitiam reſtituatis eumdem. Item cum res damnatorum, & eorum qui deficiunt de veniendo ad jus coram eo ſint epiſcopi memorati; monemus vos auctoritate prædicta, ut damna quæ habuit in deſtructione domorum & catallorum quæ erant in domibus, eidem reſtitui faciatis: bannitos quoſque quos ebanniviſtis auctoritate veſtra, revocetis & revocari faciatis. Monemus etiam eadem auctoritate, ut homines Bellovacenſes, quos capi feciſtis, ſibi reſtituatis; & ut regalia quæ tenetis, & quibus ipſum diſſaiviſtis, reſtituatis eidem. In quarum monitionum teſtimonium præſentem paginam ſigillis noſtris fecimus communiri. Datum Paſciaci, anno Domini MCCXXXII. Dominica in Paſſione.

Promiſſio facta inter congregatos in Concilio provinciali eccleſiæ Remenſis apud ſanctum Quintinum, pro defenſione libertatum eccleſiæ.

Henricus de Brenna Dei gratia Remenſis archiepiſcopus, ceterique ſuffraganei Remenſis eccleſiæ, in concilio apud ſanctum Quintinum congregati, omnibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. Noveritis nos ad invicem obligaſſe pro honore Dei & eccleſiarum noſtrarum libertatibus conſervandis, ad hoc quod nos ibimus omnes Romam in propriis perſonis, ſi domino archiepiſcopo videbitur expedire, vel illi quos ad hoc elegerit: vel ipſemet dominus archiepiſcopus ibit, ſi nobis epiſcopis expediens: & illi quos eliget ſecum ibunt, nec poterunt refutare. Nos autem, vel illi epiſcopi qui ibunt ad curiam Romanam, expenſas faciemus, & ſumptus de communi omnium, ſecundum quod a nobis fuerit ordinatum. Hæc autem omnia in verbo veritatis nos firmiter promittimus impleturos. Actum anno Domini MCCXXXIII. ſabbato poſt Nativitatem beatæ Mariæ.

ANNO CHRISTI 1231.

Alia promiſſio.

Jacobus Dei gratia Sueſſionenſis epiſcopus, ceterique Remenſis eccleſiæ ſuffraganei, in concilio apud ſanctum Quintinum congregati, omnibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. Noveritis quod dominus Remenſis ad preces noſtras tenetur mittere nuncios ſolemnes ad curiam Romanam pro noſtrarum eccleſiarum libertatibus conſervandis. Nos autem ſolvemus expenſas & ſumptus eorumdem nunciorum, ſecundum quod ab ipſo bona fide fuerit ordinatum: & ut ad ſolvendam ſummam nobis impoſitam nos poſſit compellere, eidem conceſſimus poteſtatem. Actum anno Domini MCCXXXIII. ſabbato poſt Nativitatem beatæ Mariæ Virginis.

Litteræ ſancti Ludoviei regis Capitulo Laudunenſi directæ, contra epiſcopos de interdicto facto ſeu faciendo conquerentis, anno MCCXXXIII. menſe Decembri.

LUdovicus Dei gratia Francorum rex, dilectis ſuis decano & capitulo Laudunenſi, ſalutem & dilectionem. Quod epiſcopus Belvacenſis in baronia & fide homagii ligii teneat quod habet apud Bellovacum, & quod Par ſit ex eo Franciæ, vos credimus non latere, vel pauciſſimos ignorare circa factum illud quid contigerit. Siquidem Bellovaci ubi diabolica rabies in ſtragem hominum ita horribiliter ebulliit, & in damnum villæ & perſonarum deteſtabilius & horribilius & inæſtimabiliter ebulliiſſet, niſi providente Domino regale oppoſuiſſemus remedium. Qualiter ſit proceſſum, & quomodo de facto illo, ſi ipſe epiſcopus ſit inculpabilis novit Deus, erga ipſum nos habuerimus: & qualiter in principio & poſtea frequentiſſime in curia noſtra jus obtulerimus eidem, prout debuiſſemus & per quos debuiſſemus ſine omni ſubterfugio faciendum, vellemus vos & univerſos & ſingulos ſeriatim per ſingula ſcire. Unde quamplurimum admiratur, quod ſuffraganei Remenſis provinciæ nobis a nullo in jure deficientibus tanta contra nos malitia acquieverint quorumdam deſideriis, quod in noſtrum atque regni noſtri præjudicium interdicti ſui præcipitantes ſententiam, ita contra nos & jus noſtrum perperam proceſſerunt: & utinam quo zelo, qua affectione moveantur eorum aliqui in hoc facto, bene attenderitis ſinguli atque omnes. In quo tamen vos, qui ſaniori ducti eſtis conſilio, jura noſtra ita opprimere non duxiſtis; ſed regio juri favorabiles, & eorum injuriis contrarios vos geſſiſtis: ex quo vobis & eccleſiæ noſtræ regalem gratiam merito obtinuiſſe debeatis. Rogamus igitur univerſalitatem veſtram, & eo amore quo nobis & regno noſtro tenemini exhortamur, ut viam iſtam conſervandi jura regia qua incedere cœpiſtis, conſtanter atque viriliter teneatis: juris noſtri obſervationi taliter ac tanta ſolicitudine inſiſtentes; quod in hoc & in aliis, dona veſtra diligere, & jura veſtra conſervare merito debeamus. Scientes quod pro facto ipſo paramus nuncios providos & diſcretos incunctanter ad cu-

curiam Romanam deſtinandos, ne procedat in tantum regni noſtri detrimentum iſta malitia, prout aliqui contra nos conceperunt. Actum Compendii, anno Domini MCCXXXIII. menſe Decembri.

Controverſia inter epiſcopos Remenſis provinciæ & Capitula cathedralia in interdicto facto ſeu faciendo, concordata in Concilio provinciali apud S. Quintinum, anno MCCXXXIII.

HEnricus de Brenna Dei gratia Remenſis archiepiſcopus, ceterique eccleſiæ ſuffraganei, in concilio apud ſanctum Quintinum Dominica qua cantatur *Circumdederunt me*, congregati, quorum ſigilla præſentibus litteris inferius ſunt appoſita, univerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. Noverint univerſi, quod cum venerabilis pater Henricus Remenſis archiepiſcopus auctoritate concilii & ſua ſuis dediſſet litteris in mandatis, quod quilibet noſtrum auctoritate propria in ſua diœceſi generalem interdicti ſententiam ſimiliter promulgaret, tandem ſuper interdicto dicto inter nos & Capitula cathedralia Remenſis provinciæ contentione ſuborta, pro bono pacis tam nos quam prædicta Capitula, inter nos convenimus, ut in eo ſtatu ſimus quantum ad effectum juris tam nos quam prædicta Capitula, in quo eramus antequam de ferenda prædicta ſententia aliquod emanaſſet mandatum: & perinde ſit quantum ad juris effectum, ac ſi nunquam de dicto interdicto aliquid eſſet dictum vel factum, & ac ſi nunquam ſuper dicto interdicto inter nos & Capitula jam dicta ſuborta fuiſſet contentio vel diſcordia. Et inſuper quod pro infecto habeatur quantum ad effectum juris omne quod ex eo vel ob id ſecutum eſt, vel ſequi poſſit. Ita tamen quod per hoc nihil juris nobis vel ipſis Capitulis, quantum ad poſſeſſionem vel proprietatem acquiratur, nec aliquod præjudicium nobis vel ipſis Capitulis, vel eorum ſingulis, vel aliquibus perſonis de ipſis Capitulis, vel ad ipſa Capitula pertinentibus, quantum ad poſſeſſionem vel proprietatem in poſterum generetur. Actum anno Domini MCCXXXIII. Dominica in qua cantatur, *Circumdederunt me*. ANNO CHRISTI 1232.

Litteræ excuſationis epiſcopi Morinenſis, excuſantis ſe a comparitione Concilii indicti.

REverendo patri ac domino Henrico Dei gratia Remenſi archiepiſcopo, & venerabilibus patribus ſuffraganeis P. miſeratione divina Morinenſis eccleſiæ miniſter humilis ſalutem & obedientiam tam debitam quam devotam & paratam ad beneplaciti voluntatem. Noveritis quod gravi corporis infirmitate detentus, ad diem adſignatam ad octavas Paſchæ ſuper negotio domini Belvacenſis epiſcopi accedere nequeo, nec etiam intereſſe. Verumtamen infirmitas iſta non de novo, ſed Dominica qua cantatur *Iſti ſunt dies*, me occupavit, & continue poſtea tenuit & adhuc tenet. Itaque ſolemnitates eccleſiæ in cœna Domini & in diebus Paſchalibus non potui celebrare. Supplico igitur humiliter & devote, quatenus impotentiam meam excuſatam habere dignemini: in hac parte nihilominus exorando, ut timor divinus timori hominis præponatur, & libertas ſanctæ eccleſiæ in dicto negotio, & etiam rigor juſtitiæ adeo obſervetur; quod ſi fiat beneplacitum hominum, voluntati divinæ nullatenus obnitetur. Nolo tamen quod mihi imponatur Minervam velle inſtruere, vel verbum illud ſit objectum, videar quaſi in mare fundere aquas; ſed intendo oſtendere, quantum habeo deſiderium & ardorem animi quod honor Dei & eccleſiæ penitus obſervetur. Paratus ſiquidem ſum & ſemper ero auxilio exponere me vobiſcum, in carceres ire propter iſtud negotium, & in mortem prout veſtræ paternitatis diſcretio provida viderit expedire. Quidquid autem ſuper hoc duxeritis injungendum, ſignificare. Datum anno MCCXXXIII, feria tertia poſt diem Paſchæ.

CONVENTUS MELODUNENSIS

ANNI MCCXXXII.

In quo expoſtulatum cum comite Toloſano de pace Pariſienſi anni MCCXXVIII. male obſervata.

COnventum hunc nobis indicat *Guillelmus de Podio Laurentii ad ann. MCCXXXII.* Habens, *inquit*, comes quandoque latera Aquilonis circa ſe, idem ex calido reddebatur tepidus & remiſſus, ut minus inveniretur fervens in negotio pacis & fidei proſequendo. Super quo dictus legatus, vocatis ſecum venerabili archiepiſcopo Narbonenſi, & quibuſdam ſuis epiſcopis ſuffraganeis, ipſum vocatum a rege coram eo convenit ſuper pluribus articulis in pace Pariſienſi expreſſis, minus vere, ſicut decuerat atque debuerat, obſervatis. Fuitque ordinatum finaliter, quod idem comes omnia emendaret ad cognitionem epiſcopi Toloſani, & unius militis, quem Rex ad hæc tractanda & agenda cum eodem epiſcopo deſtinaret. Solutoque colloquio apud Melodunum habito, epiſcopus præveniens, reformationis articulos ordinavit. miſſuſque eſt poſt eum dominus Ægidius de Flagiaco, miles providus & diſcretus: qui in veniendo tranſivit per Provinciam, viſurus mandato regis primogenitam comitis, futuram conjugem ipſius regis. Et cum veniſſet Toloſam, expoſiti ſunt omnes articuli comiti Toloſano, ex quibus comes formavit ſtatuta ſua, & ea in præſentia legati & plurium, in clauſtro S. Stephani Toloſæ in communi colloquio publicavit. Et hæc * acta ſunt anno Domini MCCXXXIII. *Statutorum autem iſtorum exemplum ſubjicio.*

STA-

ANNO CHRISTI 1233

STATUTA RAIMUNDI COMITIS TOLOSANI

Super hæresi Albigensi, & aliis capitibus, promulgata anno Dom. MCCXXXIII.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ad exaltationem fidei Christianæ, & ad extirpandam hæreticam pravitatem, & ad conservationem pacis, & ad bonum statum totius terræ conservandum, & in melius reformandum. Nos Raimundus Dei gratia comes Tolosæ, de consilio & assensu episcoporum, & aliorum prælatorum, comitum & baronum, militum & plurium aliorum virorum prudentum terræ nostræ, matura deliberatione habita, & diligenti studio præcedente, hæc statuta salubria in terra nostrorum duximus ordinanda: cum sit de nostro firmo proposito, ut terram nostram, & subditorum nostrorum, purgemus hæretica pravitate, & ad hoc tam curiose quam fideliter intendere proponamus.

Statuimus, ut in persequendis, inquirendis, capiendis, & puniendis hæreticis, omnes barones, milites, bailivi, & ceteri homines nostri, curam vigilem & solicitudinem adhibeant diligenter, sicut a nobis pace facta Parisius est promissum.

Item statuimus, ut sine dilatione fiat legitima inquisitio contra illos qui persecutores hæreticorum interfecerunt, vel forte, quod absit, interficient in futurum: & contra omnes villas & homines terræ nostræ de nostro districtu, qui illorum interfectioni consenserunt, vel forte consentirent in futurum. De omnibus illis tam hominibus quam villis debita justitia fiat, & hoc tam per nos quam per barones & bajulos nostros volumus fideliter observari.

Item statuimus, quod ubicumque in terra nostra seu districtu nostro hæretici inventi fuerint, in civitatibus, castris & villis intus, vel extra in tenementis, homines illius civitatis, villæ, seu castri, in qua, vel in quo, vel in cujus tenemento inventi fuerint, solvant marchas illis, qui hæreticos ceperint; scilicet pro singulis hæreticis marcham unam.

Item statuimus, quod seneschalli vel bailivi suspecti in fide non instituantur: & si forte eos constitui contigerit, sine dilatione removeantur.

Item statuimus, quod omnes domos in quibus, a tempore pacis factæ Parisius, hæreticus inventus fuerit, vivus, vel sepultus, sciente & consentiente domino domus, existente legitimæ ætatis, vel in eis prædicaverit, diruantur: & bona omnia tunc ibidem inhabitantium confiscentur, nisi suam innocentiam & justam ignorantiam probare potuerint manifeste: in ipsis inhabitantes capiantur, pœna legitima puniendi: & omnes cabanæ suspectæ a communi habitatione castrorum remotæ, & speluncæ inforciatæ; & clusella in locis suspectis & diffamatis destruantur vel obturentur. Nullusque de cetero in prædictis locis audeat tales facere mansiones, aut in eisdem habitare; in quibus si quis fuerit deprehensus post edictum nostrum, omnia ipsius bona mobilia confiscentur; domini vero castrorum, in quorum dominio post edictum nostrum tales mansiones contigerit inveniri, in viginti quinque libris Tolosani puniantur.

Item statuimus, quod omnes hæreditates eorum qui hæreticos se fecerunt, vel facient in futurum, confiscentur & occupentur: sic quod ad liberos eorum vel ad alios successores qui ab intestato ei deberent succedere, si fuissent orthodoxæ fidei, per venditionem aut donationem, aut alio modo, bona prædicta non valeant pervenire. Et si talibus prædicta bona reddita fuerint, vel ab eisdem aliter detineantur, ab ipsis penitus auferantur. Domus autem illorum qui a tempore dictæ pacis hæretici facti sunt, vel de cetero fient, quas ipsi eo tempore inhabitabunt, sine omni misericordia destruantur.

Item statuimus, quod omnes qui villas vel domos, vel clusella, vel nemora, inquisitoribus hæreticorum prohibuerint, vel hæreticos inventos defenderint, vel captos abstulerint, vel ipsis inquisitoribus auxilium in capiendis hæreticis præstare noluerint, cum inde ab ipsis super his fuerint requisiti, vel clamantibus non succurrerint, vel in custodiendis quos receperint, auxilium non ministraverint postulatum, aut in commenda sua receptos abire permiserint, maxime si fuerint de hæresi suspecti: tales qui potestatem habent custodiendi, per omnium bonorum suorum confiscationem puniantur. Et nihilo minus personæ eorum aliis pœnis legitimis subjiciantur.

Item statuimus, quod si qui de hæresi suspecti fuerint inventi, jurent pacem & fidem catholicam, omnem hæresim abjurantes. Et si fidem catholicam jurare noluerint, & hæresim abjurare, pœna contra hæreticos edita puniantur: si vero, post sacramentum præstitum, receptores, fautores, consiliatores hæreticorum, vel in aliquo cum ipsis participantes inventi fuerint, pœna simili puniantur.

Item statuimus, quod si quis post mortem detectus fuerit fuisse hæreticus, & coram episcopo loci probatum fuerit legitime, bona illius omnia confiscentur, & domus illorum, qui post pacem factam Parisius hæretici facti sunt, vel in posterum fient, in quibus habitabant, vel habitabunt, diruantur.

Item statuimus, quod bona eorum qui fuerunt hæretici vestiti, licet recesserint sponte ab hæreticorum observantia, nisi de reconciliatione sua litteras testimoniales ostenderint, vel per alias personas catholicas & honestas illud ostenderint, vel probaverint, confiscentur. Et etiamsi de reconciliatione constiterit, nisi cruces super hoc a suo episcopo admoniti ad portandum assumpserint, aut assumptas authoritate sua propria deposuerint, aut cum exterius super vestes, extraque partem pectoris anterius prominentes portare debeant, eas celare intra vestes deprehensi fuerint, pœna simili puniantur, & tamen sive bona habuerint, sive non, ad hoc modo debito compellantur.

Item statuimus, quia intelleximus quod credentes hæreticorum, cum proponunt se facere se-

secundum eorum ritum detestabilem hæreticos perfectos, ante præcedens tempus possessiones suas, & hæreditates in fraudem fisci vendunt, vel donant, vel pignori obligant, aut modis alienant aliis: hujusmodi contractibus irritis non obstantibus prædicta bona confiscentur, si consideratis circumstantiis dictorum contractuum & ipsorum contrahentium, nobis fuerit visum, eos in quos dicta bona translata fuerint, fraudis participes extitisse.

Item quia intelleximus quod credentes quidam sub specie mercaturæ vel peregrinationis, transferunt se ad hæreticos, ut sub tali absentia eludant fiscum, & ei subtrahant bona sua: si coram episcopo loci, qui super hoc propinquos, vel eos qui bona hujusmodi absentium tenent, monuerit, requisierit, & ab eisdem propinquis, vel tenentibus bona eorum infra annum, computandum a tempore monitionis ejusdem episcopi, probatum non fuit legitime, illos absentes justa causa & rationabili abfuisse, & tamen abesse: statuimus, ut si alias suspecti fuerint, contra ipsos tanquam contra hæreticos præsumatur, & eorum bona confiscentur. Si vero ipsi vel successores eorum, vel qui bona eorum tenent post confiscationem bonorum, vel ante justam & probabilem causam suæ absentiæ, ultra prædictum tempus probare potuerint; bona illa eis legitime relinquantur vel restituantur.

Item quia nolumus quod claves ecclesiæ contemnantur in terra nostra: statuimus, ut si quis in excommunicatione permanserit per annum contumaciter, per occupationem bonorum redire ad sinum sanctæ matris ecclesiæ sic compellatur, sicut in pace facta Parisius plenius continetur.

Item statuimus, ut tranquillitas pacis in terra nostra plene & inviolabiliter observetur, & quod ruptarii, fayditi, prædones, latrunculi & statores, a tota terra nostra expellantur, & receptatores eorumdem animadversione debita puniantur.

Item statuimus, quod quicumque pacem de cetero violaverit, si monitus a nobis vel per certum nuncium nostrum, non emendaverit, infra terminum sibi assignatum omnia bona ipsius occupentur. Nos enim bona illa, quæ a nobis tenebunt, occupabimus, & episcopos, & prælatos terræ nostræ in feudis eorum similiter occupandis juvabimus bona fide, cum ab eis fuerimus requisiti. Quæ bona tamdiu detineantur, quousque de fractura pacis & damnis datis sit nobis, & damnum * passis, plenarie satisfactum, & persona violatoris nihilo minus animadversione debita puniatur. Et quicumque violatores pacis receptaverit, in castro, vel in domo, vel in villa cum ipsa præda, postquam fuerit eis denunciatum, vel eis equitaturas, vel alia necessaria ministraverit, vel eisdem prædam, aut aliam capturam præparaverit, vel machinatus fuerit, pœna simili puniatur.

Item statuimus, quod occulta & clandestina maleficia, de communitate castrorum, civitatum & villarum, in quibus vel in eis, vel in earum tenementis fuerint perpetrata, de nocte vel de die * occulte, sive per incendium, sive per incisionem arborum aut vinearum, vel segetum, vel occisionem animalium, vel effusionem liquidorum, vel dispersionem aridorum, aut alio modo, exceptis furtis, damna passis resarciantur, damni æstimatione declaranda per sacramentum illius qui passus est damnum, taxatione legitima præcedente. Per hoc enim & voluntas nocendi plurimum refrænabitur, & cujuslibet loci universitas majori solicitudine tales maleficos persequetur, & quod super hujusmodi maleficis fiat inquisitio diligens sine mora; & reperti, pœna violatorum pacis, & aliis pœnis legitimis torqueantur. ANNO CHRISTI 1233.

Item statuimus, ut nullus sit tantæ temeritatis, quod domos religiosas, & præcipue Cistercienses ordinis, offendat in aliquo, in rebus vel personis, palam, vel occulte. Et si qui contra hoc fecerit, bona ipsius occupentur, de quibus passis damna plenarie satisfiet: & persona ipsius animadversione debita puniatur. Volentes & mandantes, contra hujusmodi maleficos diligentem ac pervigilem, celeremque inquisitionem fieri, non observata nimia juris subtilitate. Et reperti seu convicti in hujusmodi maleficiis, prout culpæ enormitas exegerit, puniantur, ut alii exemplo perterriti contra domos religiosas delicta similia committere perhorrescant.

Item statuimus, ne barones, milites, & alii homines nostri, abbatias, grangias, & alias domos religiosas nimia importunitate albergandi opprimere præsumant. Et si quis contra voluntatem custodum nostrorum, quos in singulis domibus, ad requisitionem ipsarum, ponemus ibi continue moraturos, qui jurati nobis suo ministerio, authoritate nostra hujusmodi albergatores repriment importunos, & domos prædictas qui albergaverit; si eques, in quinque solidis Tolosanis; si pedes, in duobus solidis, puniantur. Volentes ut custodes, hujusmodi transgressores sub juramento prædicto denuncient nominatim.

Item, quia sicut intelleximus tanta est quorundam malignitas & insolentia, quod licet ipsi latrones foveant & raptores, nequaquam a vicinis suis qui bene noverint eos, manifeste istud eis improperari audeat vel opponi, nisi forte illorum aliqui in se iras exacuant speciales: nos illorum malitiam reprimendam ducentes, studio cautiore statuimus, quod contra aliquem baronem, militem, aut quemlibet alium qui publica fama laboraverit, quod ipse sit receptator aut quidator, adjutor vel consiliator latronum aut prædonum, aut aliorum maleficorum, de quorum maleficiis solent aliquas accipere portiones, contra tales inquisitio fiat. Et si probatum fuerit legitime contra ipsos, tanquam convicti de maleficiis, pœna contra violatores pacis supra edita puniantur.

Item statuimus, ne aliquis authoritate propria audeat pignorare, vel marcham facere; & si quis contra fecerit, compellatur inconstinenti pignorator restituere pignus, & resarcire damnum pignorato, quod sacramento pignorari declaretur, taxatione legitima præcedente.

Item statuimus, ne in terra nostra, nova instituantur pedagia; & omnia a triginta annis citra instituta removeantur.

Hæc autem omnia statuta præmissa facimus, sine præjudicio domini regis Franciæ, & ecclesiæ, & salva pace Parisiensi. Acta sunt hæc Tolosæ duodecimo Kal. Martii, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio. Et ut hæc prædicta semper inviolabiliter observentur, & robur habeant plenissimæ firmitatis, præsentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari.

ANNO CHRISTI 1233.

CONCILIUM BITERRENSE,

A VALTHERO EPISCOPO TORNACENSI

Sedis Apostolicæ legato celebratum anno Domini MCCXXXIII.

Guillelmi de Podio Laurentii chronicon, ad ann. MCCXXXIII. Circa illud tempus, *inquit*, dominus legatus apud Biterrim concilium celebravit. *Hujus concilii statuta, in Gallicam linguam conversa, ediderat olim Arnaldus Sorbinus Nivernensis episcopus: Latinis vocibus omissis. Ego, prout concepta primum fuerant, Latine repræsento ex codice, Sirmondi nostri manu descripto.*

STATUTA

CONCILII BITERRENSIS,

Facta per Dominum Tornacensem.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut hæretici, & eorum fautores, singulis Dominicis excommunicentur.*
2. *Ut possit quilibet & ubilibet capere hæreticum.*
3. *Ne fautores hæreticorum emant bailivas.*
4. *De hæreticis conversis, qui duas cruces prominentes non tulerint.*
5. *De suspectis qui diebus festis ad ecclesiam non veniunt.*
6. *Quales admittantur ad sacros ordines.*
7. *Quales admittantur ad tonsuram.*
8. *Ut episcopi cautionem simoniacam non exigant ab iis, quos promovent ad sacros ordines.*
9. *Ut archidiaconi habeant zelum animarum, & prædicare sciant.*
10. *De legendis constitutionibus.*
11. *De patronis ecclesiarum.*
12. *De beneficiis quæ curam habent animarum.*
13. *De vita & honestate clericorum.*
14. *De observantia regularium.*
15. *De vestibus abbatum & monachorum.*
16. *De vestibus canonicorum regularium.*
17. *De custodia claustri.*
18. *Ut fiat lectio ad mensam, & quotidie capitulum teneatur.*
19. *Ne exeant vel vagentur sine licentia.*
20. *Ut mandatum fiat pauperibus.*
21. *Ut in monasteriis sint magistri, qui grammaticam doceant minores.*
22. *De non conferendis beneficiis in laicos.*
23. *Ut vina non vendantur, & personæ turpes non introducantur infra ambitum monasterii*
24. *Ut laici non admittantur ad præbendas.*
25. *Ut nullus monachus sit solus in prioratu.*
26. *Ut renovetur juramentum de pace servanda.*

PRÆFATIO.

QUoniam statuta salubria per dominum Romanum apostolicæ sedis legatum, & ceteros legatos, super negotio fidei ac pacis, authoritate apostolica diversis temporibus edita A sufficere credimus; dum tamen fuerint observata, quæ inferius duximus subscribenda ad præsens; non intendimus omnino super his novos canones edere, sed eorum transgressores canonice puniantur.

CAPITULA.

I. Ut hæretici & eorum fautores singulis Dominicis excommunicentur.

Præcipimus itaque, ut hæretici & B eorum credentes, fautores, eorum receptatores & defensores, singulis diebus Dominicis excommunicentur. Et si quis prædictorum credentium, fautorum, receptatorum, & defensorum personaliter monitus, & excommunicatus nominatim, infra quadraginta dies resipiscere noluerit, sed in eorum defensione perstiterit, vel inquisitionem eorum impedierit, pro hæretico habeatur: cum perseverantia & defensio erC roris in talibus hominem faciat hæreticum judicari.

II. Ut possit quilibet, & ubilibet capere hæreticum.

Præcipimus etiam ut quilibet privatus in terra cujuslibet possit inquirere & capere hæreticum, & captum, necesse habeat episcopo ostendere, vel baculo D ipsius episcopi præsentare: nec ipsum præsumat aliquis impedire, sed in captione quilibet Christianus præstet ei auxilium & favorem.

III. Ne fautores hæreticorum emant bailivas.

Intelleximus quod quidam credentes & fautores hæreticorum, seu defensores eorum, pro majori summa emunt bailivas dominorum, ut sub alis eorum E bailivorum hæretici libere valeant egredi, vel ingredi, & impune fidem catholicam violare. Quare districtius inhibemus, ne talia dominis de cetero attententur. Quod si attentaverint, & admoniti ab episcopo non emendaverint, cum nota infamiæ, quam se noverint incurrisse, excommunicationis gladio feriantur.

IV. De

IV. De hæreticis converſis, qui duas cruces prominentes non tulerint.

Item reconciliati de hæreſi, qui duas cruces prominentes, ad mandatum epiſcopi portare noluerint, pro hæreticis habeantur, & bona eorum confiſcentur.

V. De ſuſpectis qui diebus feſtis ad eccleſiam non veniunt.

Item cum ſinguli parochiani in diebus feſtis venire ad eccleſiam teneantur ſub pœna in Toloſano concilio promulgata: neceſſe eſt, ut ſacerdotes erga omnes ſuſpectos de hæreſi, quos per ſcripturam, & ex nomine cognoſcere debent, niſi illi eccleſiam frequentent ſtatutis diebus, ſine remedio pœnam levent, & in vita & in morte ſtatuta contra hujuſmodi promulgata, ut pupillam oculi conſervent. Quod ſi ſacerdos eorum tranſgreſſor fuerit deprehenſus, ab officio & beneficio ſuſpendatur, privandus eodem, ſi competenter monitus fuerit negligens & remiſſus. Quod ſi ſacerdos ſe inſufficientem cognoverit ad exequendum, quod de hæreticis eſt ſtatutum: epiſcopo ſuo denunciet, quicquid inquirere poterit, ut ita ſe a culpa liberet & a pœna. Dominus autem requiret de manibus epiſcoporum ſanguinem pereuntium, ſi eis non adhibuerint vigilantiam paſtoralem.

VI. Quales admittantur ad ſacros ordines.

Quia penitus indigni ad dignitatem ſacrorum ordinum, contra canonicas ſanctiones in partibus hujus legationis hactenus ſunt admiſſi: præcipimus ut quilibet ordinandus examinetur, de vita & de ſcientia & moribus diligenter: & ſine titulo patrimoniali centum ſolidorum Turonenſium ad minus * eccleſiaſtico beneficio competenti, ſicut in jure canonico cautum eſt, ordinandus de cetero nullatenus admittatur.

VII. Quales admittantur ad tonſuram.

Quia etiam ad primam tonſuram non eſſet admittendus quiſquam, niſi ſciret diſtincte legere, & niſi de utero libero, & legitimo matrimonio procederet, juxta illud: De utero novi te: non ingredietur manſer, hoc eſt de ſcorto natus, in eccleſiam domini Dei: ſtatuimus & firmiter præcipimus & mandamus, ut nullus etiam ad primam tonſuram de cetero admittatur, niſi ſciat legere & cantare, & de libero utero & legitimo matrimonio ſit procreatus: niſi ex cauſa viſum fuerit epiſcopo loci ſuper procreatis ex contubernio diſpenſandum. ANNO CHRISTI 1233.

VIII. Ut epiſcopi cautionem ſimoniacam non exigant ab iis quos promovent ad ſacros ordines.

Ad abolendam etiam ſimoniæ corruptelam, quæ in his partibus inolevit, videlicet quod epiſcopi clericos ad ſacros ordines promovendos nolunt aliquatenus promovere, niſi prius præſtito juramento, vel alia cautione, quod ratione tituli patrimonialis, vel alterius minus idonei, ipſos, vel eorum non impediant ſucceſſores: diſtrictim inhibemus ne talia præſumant de cetero attentare. Quod ſi fecerint, a celebratione ordinis noverint ſe ſuſpenſos: quia ſanctius eſt in ordine ſacerdotii, paucos quam multos malos habere miniſtros, ſicut eſt in Lateranenſi concilio conſtitutum.

IX. Ut archidiaconi habeant zelum animarum, & prædicare ſciant.

Præcipimus ut tam epiſcopi, quam alii, præficiant tales archidiaconos, qui zelum animarum habentes, ſufficiant prædicare clero & populo verbum Dei.

X. De legendis conſtitutionibus.

Legantur conſtitutiones contra injuſte excommunicantes, ſcilicet: *Sacro approbante concilio*: &: *Sub interminatione Divini judicii*. Sicut ſcribit nobis dominus papa: Ubi non eſt gubernatio, populus corruet, & eccleſia ſine rectore pervia eſt in temporalibus & ſpiritualibus detrimentis. Concil. Later. c. 47. Ibid. c. 49.

XI. De patronis eccleſiarum.

Unde omnibus religioſis, capitulis, & aliis perſonis, qui tenent eccleſias parochiales, ad eorum donationes ſpectantes, auctoritate qua fungimur diſtricte præcipimus, quatenus uſque ad feſtum omnium Sanctorum proxime venturum, ſuis diœceſanis epiſcopis rectores, ſeu perpetuos vicarios, & idoneos vita & ſcientia, ad eaſdem eccleſias repræſentent, ut ab eis curam recipiant animarum: congrua tamen prius ipſis quæ ſibi ſufficiat, & in ſuis aſſignata de ipſarum proventibus portione, juxta canonum ſanctiones, quam portionem debeat & poſſit diœceſanus epiſcopus merito approbare. Quod ſi forte infra præſcri-

ANNO CHRISTI 1233.

scriptum tempus, in auditum nostrum executioni distulerint demandare: diœcesanis episcopis in virtute obedientiæ præcipimus, ut sine dilatione vice nostra fideliter exequantur, contradictores & rebelles, &c. Quod si id episcopi efficere neglexerint, per mensem ab ingressu ecclesiæ noverint se suspensos. Si vero episcopi tales ecclesias habuerint, & infra præscriptum tempus perpetuos vicarios non instituerint: in eisdem donationi nostræ dictas ecclesias reservamus.

XII. De beneficiis quæ curam habent animarum.

Quicumque habent curam animarum, ad ordinem sacerdotum promoveantur, ubi citius poterunt commode promoveri. Et qui ordines tempore congruo recipere detrectaverint, ad hoc per subtractionem beneficii compellantur: ut qui honorem refugerint appetere, mittantur ad quæstum. Quod si ecclesia parochialis præbendæ vel dignitati sit annexa: necesse habet (quod oportet in majori ecclesia deservire) vicarium perpetuum & idoneum in parochiali ecclesia præsentare episcopo, qui congruam habeat de parochiali ecclesia portionem: Quod si facere neglexerit, elapsis sex mensibus institutione dictæ ecclesiæ ea vice noverit se privatum. Volumus igitur & districte præcipimus, ut quælibet parochialis ecclesia proprium habeat & perpetuum sacerdotem, qui personaliter deserviat in eadem. Ita quod unica persona una parochiali ecclesia sit contenta: statutum concilii recolens, quo cavetur, ut quicumque receperit beneficium habens curam animarum vel residentiam annexam; si prius tale beneficium obtinebat, eo sit ipso jure privatus; & si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur. Quapropter donationes beneficiorum sic vacantium nostræ specialiter donationi reservamus.

Later. IV. c. 29.

XIII. De vita & honestate clericorum.

Circa clericos vero sæculares præcipimus observari constitutiones de vita & onestate clericorum, editas in concilio generali, quæ sic incipiunt: *Clerici: Acrapula*. Adjicimus etiam & districtius inhibemus, ne aliqui clerici, qui volunt gaudere privilegio clericali, cultellos acutos, enses vel lanceas deferre præsumant, vel armis impugnativis, quibus vis infertur, non utantur: nisi forte tempore guerræ. Inhibemus, ne aliqui canonici sæculares stallum in choro, vel vocem habeant in capitulo, nisi fuerint in sacris ordinibus constituti, nisi ex causa cum eis ab episcopo fuerit dispensatum.

Ibid. c. 15. & 16.

XIV. De observantia regularium.

Tria sunt de substantia regularis professionis, scilicet, abdicatio proprietatis, continentia carnis, obedientia regularis. In his tribus & ceteris observantiis, per quæ conservatur ordo & disciplina regularis, tam monachi, quam canonici regulares, & moniales, in silentio, & in parcitate cibi, professione facienda, infirmaria, in eleemosynis, hospitalitate, & aliis suam magistram sequantur regulam, secundum quam vivere sunt professi, & sine cujus observatione non sunt in statu vel ordine salvandorum. Verum quia de proprietate & veste prædictorum est scandalum in clero & populo: breviter tangimus, quæ de proprietatibus a domino Innocentio sunt statuta. Prohibemus itaque in virtute obedientiæ sub obtestatione Divini judicii, ne aliquis religiosorum proprium possideat. Sed si quis aliquid habeat proprium, in continenti resignet. Si vero posthæc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari admonitione præmissa, de monasterio expellatur: nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte ipsa: cum ea in signum prædonis, secundum statuta beati Gregorii, extra monasteria subterretur. Nec etiam * temperet abbas, vel aliquis superior, * qui super habenda proprietate possit cum aliquo monacho vel regulari canonico dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus pontifex possit * indulgentiam indulgere. Immo tales in præcipuis festivitatibus excommunicationis vinculo innodentur. Quod si abbas, vel alii superiores, in his corrigendis negligentior extiterit: correctio ad episcopum devolvatur, abbatibus nihilo minus de negligentia puniendis.

* al. [illegible]
* al. [illegible]
* al. [illegible]tiam.

XV. De vestibus abbatum & monachorum.

Abbas & monachi secundum regulam B. Benedicti vestes habeant, de quarum cosore aut grossitudine non causentur: sed quales inveniri possunt in provincia in qua habitant, aut quod vilius potest comparari.

XVI. De

ANNO CHRISTI 1233.

XVI. De vestibus canonicorum regularium.

Canonicis etiam regularibus prohibemus, ne sit eorum habitus notabilis vel reprehensibilis, nec affectent vestibus placere, sed moribus. Secundum statuta concilii 1 Avenionensis & 2 Montispessulani, cappis, tunicis, & palliis, caligis de aliqua bruneta, clara, vel nigra, nec etiam stamine forti, vel alio colorato panno, seu sumptuoso, vel aliquo serico de cetero non utantur ne sordes animo contrahat pretiosæ vestis nimius appetitus, nec accipiant monachi vel alii clerici regulares a suo majore, vel aliquo alio, aliquam pro vestibus pecuniæ quantitatem, quia ex hoc datur eis materia proprium retinendi: sed omnes tam majores, quam inferiores de ecclesiæ vestiario vestiantur.

XVII. De custodia claustri.

Claustrum quoque diligenter observetur ut claudatur, ut re & nomine claustrum valeat appellari. Nec milites vel etiam laici claustrum vel officinas monasterii introeant, nisi causa exequiarum, & in processionibus: & hoc, si fieri consuevit, vel necessitate alia evidenti.

XVIII. Ut fiat lectio ad mensam, & quotidie capitulum teneatur.

Illud etiam expressius duximus exprimendum & statuendum, quod omnes regulares infra monasterium habeant & audiant lectiones ad mensam. Item præcipimus, quod in claustris regularium, singulis diebus capitulum teneatur, ubi supra excessibus fiat proclamatio & correctio regularis: & in conventualibus ecclesiis, & præcipuis festivitatibus, fiat sermo.

XIX. Ne exeant vel vagentur sine licentia.

Omnes etiam qui non habent officium speciale, vel necessitatem aliam, ab hora capituli usque ad Tertiam, sedeant in claustro aspicientes quæ in regula legenda sunt vel cantanda: nec exeant vel vagentur, sine sui majoris licentia speciali.

XX. Ut mandatum fiat pauperibus.

Item consulimus ut mandatum pauperibus, saltem in hebdomada, semel fiat, sicut in monasteriis ordinatis fieri quotidie consuetum est.

I. Ut in monasteriis sint magistri, qui grammaticam doceant minores.

Quia vero cæcitas ignorantiæ in istis partibus nimium prævaluit, statuimus ut singulis monasteriis conventualibus abbates, priores, & præpositi conventuales, infra sepia monasterii teneant magistrum ex suis, vel alium clericum sæcularem, qui minores, & alios indoctos in grammatica valeat edocere.

XXII. De non conferendis beneficiis in laicos.

Quidam etiam, ut intelleximus, se & sua conferunt monasteriis, sub spe ut ipsis postmodum ecclesiastica beneficia conferantur: quod omnino damnabile est propter maculam simoniæ: & tales beneficio privandos decernimus, quod pro pecunia sunt adepti. Taliter vero beneficia conferentes, illa vice donandi potestate priventur, & ad diœcesanum episcopum donatio eorum devolvatur. Nec ipsi tales recipiant ad curam animarum. Neque abbas, nec prior, nec monachus alterius monasterii teneat prioratum: nisi per electionem canonicam ad conventualem prioratum, in quo professus non fuit, fuerit advocatus.

XXIII. Ut vina non vendantur, & persona turpes non introducantur infra ambitum monasterii.

De his quæ vidimus & audivimus, testimonium perhibemus, scilicet quod quidam monachi, & maxime exempti intra fines legationis nostiæ, ecclesiæ cujuidam libertatis infra ambitum monasterii faciunt, certis temporibus anni vendi vina sua, & pro medio quæstu & turpi introducunt, vel introduci permittunt, personas turpes & inhonestas, vel histriones, jaculatores, talorum lusores, & etiam publicas mererrices. Quod de cetero nusquam fiat, ab aliquibus exemptis personis, vel aliis arctius inhibemus. Quod si hujusmodi personas inhonestas introduxerint, vel lusores talorum, aut potatores nomen Dei blasphemantes introduci permiserint, illi qui monasterii exteriora ministrant officia, ab ingressu ecclesiæ noverint se suspensos, maxime cum libertate sua libere uti possint, absque abusu & introductione talium personarum.

XXIV. Ut laici non admittantur ad prebendas.

Districtius quoque mandamus, quod in nulla ecclesia laici recipiantur, in do-

donatos ad præbendam panis & vini. De quorum turpi converſatione ſcandalum generetur. Quod ſi qui tales recepti inventi fuerint fornicatores, adulteri, & alias criminoſi, poſt monitionem competentem, niſi exceſſus ſuos correxerint, perpetuo beneficio careant memorato.

ANNO CHRISTI 1233.

XXV. Ut nullus monachus ſit ſolus in prioratu.

Quia parum eſt promulgari ſtatuta, niſi ad obſervationem eorum arceantur improvidi tranſgreſſores, cum ſit cautum ut nullus monachus in prioratu ſolus exiſtat, ſed tres vel quatuor infimul commorentur, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in terris tuæ legationi commiſſis facias firmiter obſervari contradictores, &c. Hujus igitur auctoritate mandati præcipimus, ut nullus monachus in aliquo prioratu ſolus exiſtat: ſed tres vel quatuor ibidem commorentur. Nolumus autem quod pravi monachi ſint de illis tribus vel quatuor monachis, qui debent in prioratu commorari, ſed in clauſtro mittantur, & diſciplinis regularibus inſtruantur.

ANNO CHRISTI 1233.

XXVI. Ut renovetur juramentum de pace ſervanda.

Item præcipimus & mandamus, ut a decimo quarto anno, & ſupra, ad pacem ſervandam & cuſtodiendam compellantur de novo jurare: archiepiſcopis & epiſcopis, & aliis prælatis, injungentes expreſſe, ut ubi expediens fuerit, violatores & fractores pacis, & raptores & conſpiratores, etiam ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, excommunicari faciant publice in eccleſia.

CONCILIUM NYMPHÆÆ IN BITHYNIA.

Ubi actum fruſtra de concordia Græcorum cum Latinis, menſe April. MCCXXXIII.

An. 1234. *Anno Dom. MCCXXXIII. Miſſi ſunt a Gregorio pontifice ad C. P. patriarcham apocriſarii quatuor, duo ex ordine Prædicatorum, Hugo & Petrus; totidem ex Minorum familia, Aymo & Radulfus: qui de concilianda utraque eccleſia ſerio agerent. Hi poſt diſceptationes aliquot, de proceſſione Spiritus ſancti, deque azymo, Nicææ cum Græcis habitas, Conſtantinopolim diſceſſerunt, expectaturi quod Patriarcha C. P. ſtatueret in ſynodo cum Jeroſolymitano, Antiocheno, & Alexandrino, quos evocaverat, cum non ſua tantum, ſed illorum etiam res ageretur. Invitati ſunt deinde apocriſarii, ad eamdem ſynodum Leſcharæ primum, deinde Nymphææ ad Pontum Euxinum in Bithynia indictam: eoque, cum ſæpe recuſaſſent, tandem multorum, ac præſertim Imperatoris rogatu, profecti ſunt. Quæ fuſe omnia narrantur a Vadingo in Annalibus Minorum, accepta ex Centii Camerarii codice Vaticano.*

☞ Hic Labbeus narranda aſſumit Concilii hujus acta in epitomen redacta a Cencio Camerario; cum vero modo Acta illa integriora relata ſint & vulgata a PP. Prædicatoribus amotis iis quæ ſunt apud Labbeum, illa ſubſtituimus quæ ibidem leguntur; ea vero antequam proferam addenda cenſeo nonnulla quæ in meo ſupplemento præmiſi Tom. II. pag. 995.

IN hac ſynodo *Nymphæa in Bithynia habita* Græci confeſſionis ſuæ epitomen, ante Latinos pontificis apocriſarios pronunciarunt, ſpondentes ſe latius illam expoſituros, ſiquidem id Latini exegiſſent. An reipſa Latini popoſcerint, ignoratur; hanc tamen latiorem expoſitionem contineri credo in MS. codice bibliothecæ Grecæ deſcripto a Lambecio tom. III. pag. 118. Nam ibi ſe nactum affirmat ἔκθεσιν apocriſiariorum Gregorii IX. papæ, quæ extat apud Labbeum tom. XIII. pag. 1231. edit. Ven. cui adjuncta eſt reſponſio Germani II. patriarchæ CP. & ſynodi ab eo habitæ, cujus hic titulus ἀπάντησις, πρὸς τὴν ὁμολογίαν τοῦ πάπα καὶ πρὸς τὰς ὑπ' ἐκείνου ταλέντας φεκνυρίους (Fratres minores) καὶ λοιπὰς περὶ τεκπορεύβεως, τοῦ ἁγίου πνευματ☉. Incipit vero ἔιπατε ημῖν ὦ τιμιώτατοι τοῦ ἁγιωτάτου πάπα ἀποκρισιάριοι. Ex quo exordio intelligimus, aliam plane eſſe reſponſionem iſtam ab ea, quæ in actis concilii Nymphææ recitatur.

His præmiſſis, modo acta ipſa concilii ad Nymphæam hic referenda ſuſcipio, quæ Labbeus refecta & minus emendata dedit; nunc vero cura PP. Quieti, & Eccardf in bibliotheca Scriptor. Ord. Prædic. tom. I. in fin. correctiora habentur; eademque me ratio perſuaſit, ut hanc telam retexendam ſuſciperem. Integram vero narrationem, & ſi longiuſculam, nec totam concilio dicatam, ideo referendam cenſui, quod ea quæ concilio præmittuntur, quamvis concilium non ſunt, exhibent tamen exordia diſputationis longius in concilio productæ, adeoque inter acta prævia ad concilium opportune darentur. Ex actis hiſce præviis, quæ fuerit Græcorum ejus ævi indoles litteraturæ diſcimus, tum & facile noſcent lectores apocriſiarios hoſce pontificis acutiores fuiſſe dialecticos, ſed hebetiores interpretes, cum in verſione ſcripti illius Græci, quam exhibent, plus nimis ſæpe vel ſenſum Græci ſcripti non penetrent, vel ineptiſſime reddant.

ACTA

ANNO CHRISTI 1234.

ACTA CONCILII

Primo apud Nicæam, tum apud Naympham habiti

Ex codice MS. 250. & amplius annorum in gymnasio Navarreo servato.

ANno Domini 1233. mense Januario nos de ordine fratrum Prædicatorum F. Hugo & F. Petrus: de ordine F. Minorum F. Aymo & F. Rodulphus nuncii domini papæ missi ad imperatorem & patriarcham Græcorum intravimus sub cœna, dominica prima post octavam Epiphaniæ hora quasi vespertina: sed antequam civitatem intraremus, plures nuncii imperatoris ab ipso transmissi nobis frequenter occurrerunt ex parte dicti imperatoris nos salutantes, & lætitiam cordis ejus de adventu nostro nobis notificantes: sed & nuncii ipsius patriarchæ plures nobis honorifice occurrerunt: & tandem ipsi canonici ecclesiæ majoris nobis longe a civitate occurrentes cum gaudio susceperunt, & unanimiter omnes cum honore & reverentia in civitatem introduxerunt. Et cum peteremus nos duci ad majorem ecclesiam causa orationis, duxerunt nos ad aliam ecclesiam, ubi primum celebratum fuit concilium, ostendentes nobis SS. patres, qui eidem concilio interfuerunt, in parietibus depictos. Deinde post multum civitatis circuitum ad hospitium, quod dominus imperator nobis honorifice præparari fecerat, comitantibus clericis, & multitudine populosa deduxerunt. In quo hospitio, quasi homines fatigati solita necessitatibus corporalibus præparata invenimus. Secunda autem feria proxima sequenti vocavit nos dominus patriarcha; qui comparentes coram ipso, & clero suo congregato, primo ipsum patriarcham ex parte domini papæ salutavimus, deinde ex parte nostra. Enumeratis postmodum, more nostro, causis, & pro honoribus, & beneficiis nobis ab ipso collatis gratiarum actionibus exhibitis, litteras domini papæ eidem porreximus, qui receptis litteris bullam obsculatus est, & respiciens clerum suum adjecit. πέτρος παῦλος Consequenter talem nobis fecit quæstionem: utrum essemus legati domini papæ, & honorem legatis debitum vellemus recipere. Ad quam respondimus protestantes nos simplices nuncios esse, & honorem legatorum nolle recipere. Considerantes autem tantam cleri multitudinem, volentes evitare eorum astutias consuetas & fallacias, iterum cum protestatione diximus, nos non ad concilium, sed ad ipsum patriarcham esse destinatos. Nobis autem renuentibus oblatum honorem, magnam reverentiam & honorem etiam minimo nuncio domini papæ exhibendum esse protestatus est. Dum autem plurima verba ex utraque parte proferrentur in medio; tandem valedicto ei ad supradictum hospitium nostrum honorifice a clero suo sumus reducti. Tertia autem feria, hora competenti & congrua nuncios imperiales recepimus, ut coram dicto imperatore compareremus. Nobis igitur coram eo comparentibus, ut decebat, eum salutavimus, & exhibitis gratiarum actionibus pro beneficiis & honoribus nobis collatis amicabiliter fuimus recepti, & invento ibidem patriarcha cum clero suo exposuimus causam adventus nostri & negotium, addentes patriarcham litteras recepisse ista plenius continentes. Deinde proposita est quæstio de potestate nostra; ad quam sic respondimus: *potestatem nostram tenor litterarum domini papæ vobis satis notificavit; & hoc addimus quod quidquid super isto negotio benefecerimus, ratum habebit, & gratum ecclesia Romana.* Dixerunt: *igitur procedamus in negotio.* Et cum multæ propositæ fuissent rationes hinc inde, utrum ipsi vel nos inciperemus quæstionem, diximus: *non missi sumus ad disputandum vobiscum super aliquo articulo fidei, de quo ambigat ecclesia Romana vel nos; sed ut vobiscum amicabilem collationem habeamus super dubitabilibus vestris. Igitur vestrum erit illa ostendere.* Ad quod ita responderunt: *vos dicatis, quæ sunt illa?* Considerantes itaque quod tempus moliebantur redimere, respondimus: *licet nostrum non sit vestras quæstiones proponere in medium; tamen, ne tempus inutiliter consumamus, hoc est de quo supra modum miratur ecclesia Romana, cum verum sit & omnibus constet ecclesiam Græcorum sicut ceteræ nationes christianorum per universum mundum longe lateque diffusæ, aliquando fuisse subjectam, quæ fuit ratio vel quæ causa, quare se subtraxit obedientiæ ecclesiæ Romanæ?* Nec ad istam voluerunt respondere; sed ut nos causam ostenderemus, rogabant. Nos vero videntes suas cavillationes, quoniam Græci similitudinibus applaudunt, tale exemplum in medio proposuimus: *ecce creditor & debitor, qui subtrahit creditori; quis horum redditurus est rationem alii, quare non est solutum.* Hac tandem similitudine confusi, habito consilio tale dederunt responsum: *dicimus quod duæ sunt causæ: una est de processione Spiritus S., alia de sacramento Altaris.* Ad hoc respondimus sic: *si istæ sunt causæ & non aliæ; quare vos subtraxistis ab obedientia ecclesiæ Romanæ, videamus si hæc sunt vel debeant esse sufficientes causæ tantæ inobedientiæ.* Et addimus: *quoniam ardua est ista materia, & ad illam non poterit nostra parvitas, nisi sua inclinetur majestas, crastina die vacabimus orationibus & missarum solemniis, invocantes Spiritum S. ut se ipsum per gratiam mentibus nostris infundat, & suæ processionis veritatem nobis manifestet. Sed quia locum & oratorium vel ecclesiam non habemus, rogamus dominum patriarcham, ut nobis assignet oratorium.* Et assignavit nobis ecclesiam satis aptam juxta domum nostram. Mane autem facto, cum in dicta ecclesia celebraremus divina, convenerunt Latini, Francigenæ, Anglici, & diversæ nationes, ut divina audirent mysteria. Finita autem missa, & divinis rite peractis, advenit ad nos quidam Latinus ejulans & flens, dicens, papatem suum eum suppositisse sententiæ, quia missæ nostræ interfuisset. Quo audito doluimus. Inito consilio, duos de fratribus nostris ad patriarcham transmisimus, illud tam abominabile factum in injuriam totius ecclesiæ Dei illatum ostendentes. Quod audiens patriarcha, dissimulare magis voluit, quam reprehendere. Attamen videns, quod pro multa injuria illud reputaremus factum, cum cæteris papatibus illum papatem ad nos transmisit, qui di-

dictum papatem indumentis suis sacerdotalibus ipsum spoliaverunt, & ita spoliatum per villam usque ad domum patriarchæ iterum deduxerunt. ANNO CHRISTI 1234. Et quia confessi fuerunt alii ex simplicitate, non ex malitia hoc illum fecisse, ne immisericordes videremur in principio, rogavimus ipsum patriarcham, ut hac pœna contentus, dicti papatis parceret simplicitati. Hujus rei in causa quinta feria cum in palatio imperiali conveniremus ad disputandum, voluimus primo agere de sacramento altaris, ut sciremus quid sentirent de nostro sacramento. At illi volentes, pertinaciter institerunt, ut prius ageremus de processione Spiritus sancti. Sic incoata est collatio. Illis quærentibus *utrum velimus opponere an respondere*. Diximus: *vestrum erit ambiguitates vestras circa hunc articulum proponere; nostrum erit de ambigua respondere*. Ad hæc patriarcha: *& vos audietis*. Surgens igitur Cartophylax eorum in medio, qui ecclesiæ patriarchalis his diebus erat thesaurarius, & mandato tam patriarchæ, quam imperatoris ita loqui exorsus est: *creditis unum Deum esse in tribus personis?* Respondimus: *credimus*. Et subjunxit: *creditis Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum a Patre procedentem?* Respondimus: *credimus, & dicitis vos, ita*. Ad hæc ille, sicut videbatur miræ simplicitatis, elevatis manibus ad cœlum cœpit grandi voce Deum benedicere, & cum secundo, ac tertio eadem verba replicasset, nobis idem responsum iterantibus, adjunxit: *hic nullam inter vos & nos invenimus controversiam; super omnia benedictus Deus*. Ad hoc cœpimus hoc modo respondere: *si in isto articulo non invenitis discordiam inter ecclesiam Romanam & Græcam, & per gratiam Dei in Sacramento Altaris non credimus invenire discordiam, & aliæ causæ non fuerunt schismatis ut istæ: igitur sine causa facta est schismatica, & injuste & sine causa se subtraxit obedientiæ ecclesiæ Romanæ ecclesia Græcorum*. Post hæc verba habito consilio sapientum dixit imperator: *audivimus, quod vos dicitis sicut nos; sed quærit dominus patriarcha, si vos plus aliquid dicitis; quia audivimus, quod vos addidistis aliquid symbolo compositio a SS. patribus in concilio: & prohibuerunt sub anathemate, quod nemo auderet aliquid addere vel mutare vel litteram vel syllabam vel dictionem*. Ad quos nos: *ostendat nobis dominus patriarcha illud scriptum*. Tunc respondit patriarcha & dixit: *rogo charitatem vestram, ut hodie ambo parcatis mihi, quia fatigatus sum, & infirmus: cras, Deo volente, convalescam & ostendam vobis illud quod promisi*: & sic ab invicem, recessimus. Sexta feria, hora quasi matura, missa celebrata, & eis quæ ad horam spectabant rite peractis, accessimus ad disputandum. In cujus principio petivimus ut patriarcha suum solveret promissum. Qui præcepit cuidam de sapientibus suis, ut Cyrilli epistolam ad Joannem Antiochenum patriarcham legeret, cujus initium est: *lætentur Cœli & exultet terra &c.* & circa medium epistolæ incepit legere. Tenor vero lectionis talis erat: *De Dei & genitrice Virgine qualiter & sapimus & dicimus, modoque (*) annatione unigeniti filii Dei necessario non (*) non in adjectandis parte, sed in certitudinis specie, ut uperius ex divinis scripturis ex traditioneque SS. patrum accipientes habuimus, breviter dicemus, nihil omnino addentes SS. patrum, quæ in Nicæna synodo edita, fidei: sicut enim prædiximus ad omnes sufficere, & pietatis cognitionem, & omnis hæreticæ malæ opinionis reprobationem. Hic dicitur quod non est addendum symbolo SS. patrum edito Nicææ. Quare ergo addidistis?* Ad quod respondimus hoc modo: *Non dicit hic Cyrillus quod nemo addat: sed dicit: Breviter dicemus nihil fidei patrum editæ (in) synodo Nicææ addentes. Neque per istam authoritatem habemus, quod nobis non licuit addere, nec patriarcha persolvit quod promisit*. His dictis institerunt acrius ad probandum propositum, & resolventes in ea epistola, post non multa cœperunt legere, cujus lectionis talis fuit sententia. *Nullo autem modo moveri ab aliquibus definitam fidem, id est fidei symbolum, quod a SS. nostris patribus, qui in Nicæa convenerunt, pro tempore, nequidem permittimus nobismet vel aliis vel dictionem mutare eorum quæ ibi sunt posita, vel unam transgredi syllabam, memores illius qui dixit: Ne transgredereris terminos sempiternos, quos constituerunt patres tui. Non enim erant episcopi qui loquebantur, sed Spiritus Dei & Patris, qui procedit olim ex ipso. Est autem non alienus a Filio secundum essentiæ rationem. Ecce dicit quod nec sibi nec alicui licuit mutare vel transgredi dictionem vel syllabam de his quæ in Nicæno ponebantur symbolo*. Ad quod tale dedimus responsum. *De illa fide nihil mutamus, nec transgressi sumus, nec syllabam, nec jota unum. Ista authoritas pro nobis est, & contra vos, qui dicitis quod Spiritus S. non procedit a Filio, quod nusquam dictum a SS. vestris vel quoquam invenitis. Item nec aliquid addere symbolo Nicæno prohibuit*. Videntes igitur quod non poterant suum ostendere propositum, talem nobis fecerunt quæstionem: *Quærimus si vos aliquid addidistis symbolo*. Diximus nos; *Legatur symbolum & scietis*. Et cœpit quidam legere symbolum CPtanum, quod erat factum in secundo concilio. Nos vero cogitantes rationem nostræ additionis de suo ore extrahere, diximus: *Prius erat editum symbolum Nicænum, & illi dixistis nihil esse addendum, & B. Cyrillus non fuit ausus addere, & prohibuit, ut nullus dictionem vel syllabam mutaret, aut transgrederetur. Igitur volumus illud prius audire*. Ipsis autem renitentibus quantum poterant, ad nostram instantiam tandem lectum est primo illud Nicænum, in quo totum symbolum plenarie continebatur usque ad hunc locum: *Credo in Spiritum S.*, & de sequentibus videlicet ut in illo continetur. Quo perlecto, legitur CPtanum, in quo fuerunt superaddita, quæ defuerunt primo symbolo. Nos agnoscentes secundam synodum addidisse Nicæno symbolo, talem fecimus quæstionem: *Si verum est, quod verum dicitis, quod SS. vestri prohibuerunt quod nullus adderet symbolo Nicæno, nec mutaret, nec transgrederetur aliquid; quis addidit aut ausus fuit addere ea quæ sunt appositia symbolo Nicæno in symbolo CPtano?* Ipsi vero timentes respondere ad istam quæstionem, nitebantur ad alia divertere. Et nos tanto magis institimus quæstioni. Unde tandem post multa consilia & subterfugia propulsi responderunt, *quod non fuerat illud additio, sed veritatis expressio*. Deinde interrogantibus nobis, *utrum aliud esset symbolum a primo propter illam expressionem?* Responderunt, *quod inde fuit symbolum non mutatum, quia veritatis expressio non facit aliud symbolum, neque mutat, neque facit additionem symbolo*. Et jam dictis habuimus nostram conclusionem ad nostrum negotium, & dictum confirmandum, quia illa appositio, quam dicunt nos fecisse, scilicet *Filioque*, non est additio aliqua nec

mu-

ANNO CHR 123

Ibid. p.

tom. 3. Conc. p. 1107.

* leg. incarnationis.

* non quasi aliquid adjicientes, sed ex plenæ persuasionis evidentia, ut ab initio.

mutatio ſymboli, nec facit aliud aliquod ſymbolum, hoc probato tantum quod eſſet verum quod appoſitum eſt. Inſtiterunt igitur *quid addidiſſemus ſymbolo?* Et licet potuiſſemus reſpondiſſe bene & vere, *nihil addidimus* ſecundum rationem quam nobis dederant; ad cautelam tamen reſpondimus hoc modo: *quærimus an licitum ſit nobis credere, quod eſt de neceſſitate fidei?* Reſponderunt: *licet. Et quod licitum eſt nobis credere, numquid licitum eſt nobis ſcribere? Licet*, reſponderunt. *Item quod licitum eſt credere & ſcribere, nonne licitum eſt cantare & prædicare?* Reſponderunt: *licitum eſt. Sed Spiritum S. procedere a Filio, eſt de veritate fidei; ergo nobis licet illud credere, ſcribere, cantare, & prædicare. Propterea nos credimus, & cantamus in ſymbolo, qui a Patre Filioque procedit, & ideo prædicamus.* Ad hoc reſponderunt: *probate quod ſit verum.* Reſpondimus: *SS. veſtri illud probent. Audiamus B. Cyrillum in primo ſermone de latria, ubi ita dicit: Spiritus S. nullo modo mutabilis eſt: quod ſi mutabile, quod infirmitatis eſt, ipſa macula in divinam redundaret naturam, cum ſit Dei Patris, & utique Filii, qui ſubſtantialiter ex ambobus profunditur.* Idem in epiſtola ad Neſtorium, quæ ſic incipit: *Salvatore noſtro dicente &c. Et ſi eſt in hypoſtaſi Spiritus propria, & intelligitur per ſe ſecundum quod Spiritus eſt, & non Filius; non eſt tamen alienus ab eo. Spiritus enim veritatis nominatus eſt, & eſt Chriſtus veritas & profunditur ab eo, quemadmodum a Deo Patre.* Ad iſtas authoritates reſponderunt, quod profundi non eſt procedere. Sed B. Cyrillus ipſos redarguit, dicens. *Quid autem ſit profundi.* Nam idem Cyrillus in expoſitione ſymboli Nicæni: *Tranſeuntes de Chriſto ſermonem ter BB. Patres S. Spiritus memoriam faciunt. Credere enim dixerunt tamquam in Deum Patrem & Filium; conſubſtantialis eſt enim ei & profunditur;* id eſt, procedit. Item Athanaſius in editione fidei, cujus initium eſt. *Credo in unum ingenitum Deum*, in fine ſic ait: *Spiritus autem S. proceſſura ens Patris, & ferentis Filii, per quem implevit omnia.* His autem auctoritatibus manifeſte dicitur, quod Spiritus S. ſit a Filio, ſicut a Patre, & ſic terminata eſt collatio ſexta feria. Sabbato diſtulerunt diſputationem uſque poſt prandium, quia ſabbatizant more Judæorum: unde poſtquam comederant & biberant, miſſis ad nos nunciis imperialibus convocaverunt nos ad diſputationem. Et cogitantes quod ſexta feria multas habuimus auctoritates Sanctorum; & copioſam multitudinem librorum Græcorum, quam nobiſcum de CPli detuleramus, machinati ſunt, quomodo poſſent nos paucis quæſtionibus confundere aut verbis capere. Non enim curabant multum niti ad ſatisfactionem veritatis. Unde congregatis partibus utriſque ſurrexit quidam magnus philoſophus, facto magno prologo prolixo, tandem ad id quod intenderat perveniens in hæc verba prorupit: *Vos venerabiles apocriſarii ſanctiſſimi papæ veteris Romæ, ſcimus quod viri ſancti & litterati eſtis, & pacem & veritatem diligitis, & non pudet catholicum quempiam confiteri fidem ſuam. Dicite nobis quis appoſuit, & quando & ubi, & qua de cauſa fuit appoſitum, quod vos dicitis, in ſymbolo, ſcilicet* (Filioque.) Et nos cognoſcentes aſtutiam eorum, cum crederent nos ad has quæſtiones nec ſcire nec poſſe reſpondere, cogitabant coram omni multitudine nos confundere, & ſic pateret omnibus eos viciſſe. Quæſtionem quam ferant, retorſimus ſuper eos hoc modo: *Dixiſtis, & bene, quod catholicum non decet fidem abſcondere, ſed palam confiteri quod credit. Ergo ſi creditis, quod non a Filio procedat Spiritus, tenemini nobis quærentibus confiteri. Quærimus igitur, ſi creditis & dicitis quod non a Filio?* Reſponderunt: *Non credimus quod a Filio.* Et nos *hoc non quærimus, ſed ſi creditis & dicitis quod non a Filio?* Et cum hoc nollent manifeſte confiteri, erant de verbo ſuo redarguti, quia quod credebant, non erant auſi confiteri. Inſtiterunt ergo quæſtioni ſuæ, ut reſponderemus. Nos videntes quod nox erat, tantam quæſtionem inchoare credebamus non eſſe bonum. Propoſuimus diſſimulare, & non tunc reſpondere. At ipſi inſtiterunt, accendentes cereos & lucernas per palatium, nitebantur noctem in diem convertere. Nos igitur videntes omnium communem inſtantiam, tale dedimus reſponſum: *Ut ſciatis quod fides eccleſiæ Romanæ non quærit ſubterfugium, nec per altercationem pudeat nos fidem noſtram confiteri, hoc modo ad veſtras quæſtiones reſpondemus. Prima quæſtio veſtra fuit, quis appoſuit & dixit primo; Dicimus quod Chriſtus. Ubi? In evangelio, quando ait, cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quare? Propter inſtructionem piorum & confuſionem hæreticorum; qui hunc articulum negaturi erant, & quicunque iſtam fidem non habent, in via perditionis ſunt. Et quod hoc ſit verum, quod diximus, probamus per evangelium, per epiſtolas Pauli, per Hagiographa ſanctorum veſtrorum, per noſtros, ſi illos admittere velletis, ut Auguſtinum, Gregorium, Hieronymum, Ambroſium, Hilarium, & plures alios.* His dictis obſtupuerunt omnes. Et omnibus tacentibus dixit imperator Græce καλῶς. Et adjunxit poſt conſilium longum habitum cum ſuis ſapientibus. *Oſtendite nobis ubi in evangelio dicitur illud, quod Spiritus S. ſcilicet procedit a Filio:* & revolvens biblia, unus cœpit legere illud Joannis: *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et adjecit, *cum dixit Spiritus veritatis, dixit quod Spiritus S. a veritate procedit, & hoc voluimus probare.* Introduxerunt ibi quemdam philoſophum cauſa reſpondendi, ut noſtras impediret hoc modo: *Spiritus, prout in hoc loco ſumitur, pro quo Spiritu ſupponitur?* Reſpondit: *Pro Spiritu S.* Item *veritatis*, prout hic ſumitur, *pro qua veritate, vel pro Chriſto, vel non?* Reſpondit. *Multiplex eſt veritas, alia complexorum, alia incomplexorum &c.* Et vos dicitis, *quod veritas, prout hoc loco ſumitur, dicitur multiplex, vel eſt multiplex vel non?* Ex tunc reſpondit: *Non:* At nos, *vel ſupponit Chriſtum vel non?* Reſpondit: *Non.* Et nos contra: *vel veritas prout hic ponitur, ſupponit veritatem creatam vel increatam?* At ille: *Creatam.* Et nos diximus: *Ergo creatura eſt.* Et adjecimus: *Ex hoc ſequitur hæreſis Macedonii damnata in ſecundo concilio.* Et territus coepit concedere veritatem, dicens: *Spiritus veritatis, ideſt Spiritus S. qui eſt Spiritus Chriſti.* Et nos: *Spiritus S. eſt & dicitur Spiritus Chriſti Filii Dei, ut vos profitemini; quærimus qua de cauſa?* At conſilio habito reſponderunt, *quia ejuſdem ſubſtantiæ eſt cum Filio.* Ad hoc diximus: *Si hæc ſufficiens ratio & recta, quod Spiritus S. dicatur Spiritus Filii, quia conſubſtantialis ei; ſed Pater eſt conſubſtantialis Filio. Eſt ergo Pater, & etiam debet dici Spiritus Filii; quod falſum eſt. Ergo primum, unde illud ſequitur, ſcilicet quod hæc eſt cauſa quod dicitur Spiritus Filii,*

ANNO CHRISTI 1234.

☞ *lii, quia consubstantialis*. Et his dictis ab invicem discessimus. Jam credimus, quod venerat fere secunda feria secundæ hebdomadæ, mane accessimus ad disputationem ad palatium imperatoris, & incipientes disputationem contra philosophos suos, corripuit imperator dicens: *Vestrum est simpliciter scire philosophiam, monstrare veritatem quæstionis, nec vestrum est syllogistice procedere. Ex tali enim disputatione oriuntur contentiones & lites: melius est ut simpliciter procedatis.* Cui taliter respondimus: *Quando, ut dixit Apostolus, servum Dei non oportet litigare, nobis plus placet veritatem simpliciter monstrare, quam ad lites vel obviationes * contemnere: & dicere possumus cum apostolo: Stulti facti sumus, vos coegistis nos; quoniam respondentes non simplices, sed multiplices & sophisticos dedistis. Sed ex quo vestra deposcit intentio, ut simpliciter veritatem cognoscatis, omnibus facillime & breviter quasi demonstrando manifestabimus.* Et respondit imperator Græce, Καλῶς, quod interpretatur *bonum est. Quæsivimus nos heri a vestris philosophis, quare Spiritus S. dicitur Spiritus Filii ab æterno? Ad quam quæstionem tres tantum videntur causæ posse assignari, vel quia ejusdem substantiæ, ut ipse vester sapiens respondit, vel quia mittit Filius Spiritum in creaturas, vel quia procedit ab eo. Quod non sit Spiritus Filii ab æterno, quia consubstantialis videtur, quia simili ratione esset Pater Spiritus Filii, quoniam est ei consubstantialis. Item nec quia mittit eum in creaturas, quoniam Spiritus S. erat Filii ab æterno: sed ab æterno non misit Filius Spiritum in creaturas. Restat igitur tertia ratio quod procedit a Filio. Ideo dicitur vere Spiritus Filii.* Quam rationem cum audissent, petierunt, ut copia hujus rationis in scriptis daretur, quam primo datam in Latino, in Græco petierunt sibi transferri; & factum est ita; petierunt postmodum inducias deliberandi super hac ratione, & habuerunt hac & tertia feria inducias. Circa horam vespertinam tertiæ feriæ missum est pro nobis, ut iremus ad domum patriarchæ, & accessimus. At ubi venissemus clero suo adunato, præcipit adduci scriptum magnum, & prolixum, in quo dixit contineri tenorem suæ responsionis ad nostram opinionem. Nos vero cognoscentes, quia simplicem rationem communiter loquentes proposueramus, & quod contra nos scriberent, sed quod non simpliciter veritati agnitæ acquiescerent: ex quo cognovimus illo malitiose procedere, voluimus rescriptum suum audire, in quo multas cautas audivimus, & falsa & mendacia, & multa puerilia, quæ sine admiratione audire non poteramus, quia plus erant ridiculosa, quam vera. Habito ergo consilio inter nos, utrum illud tam ridiculosum scriptum reciperemus, vel sine consilio scripti in crastino ad suum scriptum, prout decuit responderemus; quia etiam tunc eramus ad ea, quæ coram nobis recitaverant, parati respondere; tunc potius ad confusionem (ipsorum) quam ad nostrum solatium, quia nobis suum scriptum obtulerant, proposuimus accipere. At illi considerantes, quod eorum scripturam parvipenderamus, dixerunt: *Recedatis cum gratia Dei, & mittemus incontinenti scriptum post vos.* Nobis itaque recedentibus, inierunt consilium, ut scriptum novum componerent, & mutatis pro majori parte his quæ erant in primo scripto, nova & alia a recitatis paulo ante consilio suorum sapientum scripserunt, & tantam moram protraxerunt in scripturæ

ANNO CHRISTI 1234.

* forte contendere.

mutatione, ut quando debuimus lectos ingredi, scriptum nobis transmiterunt, & (quia) tempus noctis transierat, translationi supersedimus usque in crastinum. Quarta vero feria, missa celebrata, & officio nostro rite peracto, curam dedimus, ut litteræ de Græco in Latinum transferrentur. Interim misit ad nos patriarcha, ut parceremus ei, quia multum distemperatus erat, nec poterat illa die accedere ad disputationem. Deinde excusavit se imperator nuntiis tranmissis, quod non miserat pro nobis, quia patriarcha non poterat interesse. Sed postquam comederant, misit ad nos imperator, ut ad domum patriarchæ causa disputationis accederemus. Convenientibus itaque nobis ad domum patriarchæ, fuit quæstio prima, *an rescriptum suum vidissemus?* Et coram omnibus dolum, quem moliti fuerant, circa illud scriptum recitavimus, nec dum scriptam translationem asseruimus, ut verum fuit. Tamen diximus, quia noluimus tempus circa illud scriptum consumere: *Legatur scriptum coram nobis, & responsum dabimus.* Surgens unus philosophorum suorum cœpit legere, cujus principium tale erat, quod continebat falsum. Deinde aliud falsum adjunxit. Tertio, hæresim induxit, quod Christus non fuit ab æterno, nisi quod dictus est rex ab æterno. Quarto de ratione quam posueramus ad probandum Spiritum esse a Filio, finxerunt falsum syllogismum illum, cum tamen non fuit nostræ intentionis dare syllogice, ut ipsum scriptum satis probavit, quod eis dedimus, licet possemus, si esset nostra voluntas, bonum formasse syllogismum de illa ratione. Sed intendebamus simplicem & laicalem rationem componere. Tenor scripti talis erat.

ANNO CHRISTI 1234.

Scriptum Græcorum.

„ Problema nobis, honorabiles legati sanctissimi papæ, vos proposuistis, habens ita „ in dictionibus: Propter quid Spiritus S. dicitur Spiritus Christi ab æterno, tres tantum „ dici possunt causæ. Prima quod consubstantialis est Christo. Secunda quia mittitur ab „ ipso in creaturas. Tertia quia procedit ab „ ipso. Quod autem prima causa non sit sufficiens patet, quoniam ex ipsa sequitur Patrem Spiritum Filii esse, quia consubstantialis est Filio. Quod autem secunda causa „ non est vera, manifestum, quia Spiritus sanctus est Spiritus Christi ab æterno: non „ fuit missus autem ab æterno in creaturas: „ ergo hæc non est causa quod dicitur Spiritus „ Christi. Restat ergo quod tertia causa est, „ quod dicitur Spiritus Christi, quia procedit „ ex ipso. Ad quod ita respondemus.

„ Omne principium sive theologicum sive „ philosophicum, sive mathematicum, sive „ cujuscumque scientiæ vel artis non eget demonstratione. Commune enim verbum est „ & universale, quod indemonstrabilia princi„ pia. Principii enim principium quærens, „ finem non inveniet. Principum enim ortho„ doxorum Christianorum fuei, & maxime „ quantum attinet circa veritatem theologicam „ a Deo dicta sunt verba Christi, ex quibus „ docti sumus credere in Patrem, Filium & „ Spiritum sanctum: & de Filio quidem, qui „ habet esse a Patre, & nomen filiationis, re„ stat ur. De spiritu autem, quod non est di„ ctio habitudinalis, docuit nos Christus sine „ syllogismo, unde habet existentiam, dicens, „ *Spiritus veritatis qui a patre procedit.* Dixit „ Christus *Spiritus veritatis*, & recipio sine

„ syl-

„ ſyllogiſmo, quod eſt Spiritus S. veritatis, A
„ ſcilicet Chriſti. Dixit quod *Spiritus ex Patre procedit*: & recipio ſine ſyllogiſmo, quod
„ a Patre habet exiſtentiam. Prædiximus enim
„ quod principia indemonſtrabilia ſunt. Hoc dogma & apoſtolus, & omnes ſanctæ ſynodi
„ ſine tranſgreſſione conſervaverunt uſque ad
„ finem, & nos in baptiſmo taliter credere
„ promiſimus Chriſto, & hanc confeſſionem
„ ante tribunal Chriſti exquirimur, ſi ſine
„ tranſgreſſione ſervavimus.

„ Ad veſtræ autem ſapientiæ probleuma ſic
„ obviavimus. Dediſtis hanc cauſam, quod
„ Spiritus ſanctus dicitur Spiritus Chriſti ab
„ æterno. Dicimus ergo in primis: qualis ſcri-
„ ptura nominavit Spiritum S. Spiritum Chri- B
„ ſti ab æterno? Spiritum enim Chriſti novi-
„ mus divinam ſcripturam dicentem, ſed non
„ cum additione, ſicut vos dixiſtis, *Spiritus*
„ *Chriſti ab æterno*: neque enim Chriſtus ſe-
„ cundum quod Chriſtus comprincipatum ha-
„ bet Patri & Spiritui, ſed ſecundum ſolam
„ deitatem Spiritus quidem ante ſæcula, un-
„ ctio vero recens, ſicut Chriſtus in ſemetipſo
„ recipiens illud Iſaiæ dixit, " *Spiritus Domini*
ſuper me, propter quod unxit me. Eſto autem
ad gratiam veſtram, & hoc vocari Spiritum
ſanctum ab æterno. Verumtamen etſi hoc dicatur, ſic dici poteſt, ſicuti intelligitur rex ante
ſæcula, nondum ſuper quæ regnaret introductis, & conditor ante ſæcula, nondum quæ C
condita ſunt factis, & beneficator, nondum
quibus benefaceret exiſtentibus. Sic dicatur &
Spiritus Chriſti propter antiquum conſilium &
ante ſæculare ejus, quæ in carne diſpenſationis, ſecundum quam Emmanuel unctus eſt Spiritu. Dixiſtis quod tamen tres poſſunt dici cauſæ. Prima quidem quia conſubſtantialis eſt
Chriſto: &dejicientes, ut videbatur, deſtruxiſtis, dicentes hoc, quod hæc cauſa non eſt ſufficiens; quoniam ex hoc ſequitur Patrem eſſe
ſpiritum Filii, quia conſubſtantialis eſt Filio,
& cauſa iſta ſive ratio quod Spiritus dicitur
Filii pro eo quod eſt conſubſtantialis ei, non
eſt verbum noſtrum, ſed Sanctorum & Deum
portantium Patrum. Magnus enim Baſilius in D
VIII. capitulo ejus qui ad Amphilochium ipſius
eſt ſermonis, dicit ſic: *Spiritus Chriſti dicitur*
ſicut appropriatus ſeu familiaris ſecundum naturam ei. Beatus Cyrillus in expoſitione evangelii, ſecundum Joannem dicit: *Quomodo ergo*
qui ex Patre procedit, Spiritus veritatis exiſtit?
Propter ſimilitudinem, & ſubſtantiæ identitatem,
ita ut veritas ſit & vocetur ipſe, inceptionem
habens erit. Et ſanctus idem in expoſitione
evangelii dicti, *cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem; Spiritum quidem veritatis vocat paracletum, hoc eſt ſui: ipſe*
enim veritas, ut cognoſcamus quod non alienus
ab unigeniti ſubſtantia ſanctus eſt Spiritus, nec E
alter ab ipſo ſecundum eam, quæ eſt in ſubſtantialitate, rationem. Sanctus Baſilius ex ea quæ
ad Gregorium fratrem epiſtola dicit: *qui Spiritum ſolum dixit, comprehendit in hac confeſſione, & ut illud cujus eſt Spiritus, Chriſti enim; & eum ex quo, ex Deo enim: ſecundum quod*
dicit apoſtolus, videte quomodo in filio tantum
eſt. „ Ex quo multis quidem & aliis abundan-
„ tes ad hoc teſtimoniis incontradicibilibus pro-
„ pter brevitatem ipſa pertranſimus. Hæc qui-
„ dem reſpondimus theologice ſanctorum Pa-
„ trum teſtimoniis magis omni uſi ſyllogiſti-
„ ca demonſtratione, non egentibus multa

„ diſquiſitione, verba enim hæc ſciſſim con-
„ ſiſtunt.

„ Dicamus autem & ſecundum methodum, ANNO CHRISTI 1234.
„ quæ evacuatur Spiritu, quam quidam pro-
„ mittentes circa fidem naufragaverunt, ſicut
„ dicit apoſtolus. Dixiſtis quod ex dicendo
„ propter hoc dicitur Spiritus Chriſti Spiritus
„ Sanctus, propter conſubſtantiale, ſequitur eſſe
„ Patrem Spiritum Filii, quoniam conſubſtan-
„ tialis eſt Filio, ſic ſyllogizantes: *Spiritus*
eſt Filii Spiritus propter conſubſtantiale: pater
eſt Filio conſubſtantialis; pater ergo eſt Spiritus
Filii propter conſubſtantiale: Siquidem habet
„ quid apparentis ſyllogiſmi. Audiatis autem
„ & qualiter habet naturam iſte ſyllogiſmus,
„ ſi penitus iſte ſyllogiſmus convenit vocari
„ eum. Primum quidem figuraſtis veſtrum hunc
„ ſyllogiſmum in ſecunda figura ex ſimilis figu-
„ ræ propoſitionibus, & in nullo quidem mo-
„ do hujus figuræ debent habere propoſitiones
„ ſimilem figuram: ſed ex neceſſitate una pro-
„ poſitio ſeu præmiſſa affirmativa debet eſſe,
„ altera autem negativa in ſecunda figura.
„ Deinde diſcerpſiſtis prædicatum in majori
„ propoſitione: dicentes enim Spiritus Filii
„ Spiritus & conſubſtantialis in majori propo-
„ ſitione, * primum terminum dimittentes præ- * in minori propoſitione
„ dicati, hoc eſt Spiritus reliquum accepiſtis:
„ hæc quidem in propoſitionibus fallaciæ. In
„ concluſione vero, quod ex neceſſitate ex po-
„ ſitis propoſitionibus colligitur, inconveniens
„ dimittitis, ſed Spiritus Pater eſt prædicatum
„ totum concluſionem feciſtis. Itaque qui vi-
„ detur ſyllogiſmus non ſolum non eſt in ve-
„ ritate ſyllogiſmus; ſed neque ſecundum quid
„ ſimilis eſt ſyllogiſmo. Item ſi non dicimus
„ hoc eſſe ſyllogiſmum, ſed ſolum converſio-
„ nem: dicimus quod falſa eſt converſio, &
„ logicis methodis inconveniens. Neque enim
„ ſi Spiritus conſubſtantialis Filio, & quod con-
„ ſubſtantiale Filio erit Spiritus ejus. Hæc
„ enim converſio in æquipollentibus ſolis &
„ principiis poteſt fieri. In quibus autem hoc
„ quidem generalius, hoc autem proprium ne-
„ quaquam. Et Spiritus quidem non idem
„ ſignificat conſubſtantiali ſecundum numerum,
„ neque proprium eſt Spiritui conſubſtantiale
„ ut & converti poſſit; hoc enim rem ſignifi-
„ cat, hoc eſt eſſentiæ identitatem; hoc vero
„ perſonam & hipoſtaſim. Et quidem eſt com-
„ mune trium, hoc autem proprium unius
„ trium. Dicitur enim & pater conſubſtantia-
„ lis Filio & Spiritui, & Filius Patri & Spi-
„ ritui, & Spiritus iterum conſubſtantialis Pa-
„ tri & Filio: & quidem habitudinem deno-
„ tat conſubſtantialem, hoc vero abſolute di-
„ citur: & hoc quidem antecedentis ordinem
„ habet, hoc vero conſequentis. Si enim Spi-
„ ritus Chriſti & conſubſtantialis ei, non qui-
„ dem ſi conſubſtantialis & Spiritus. Didici-
„ mus autem de eis quæ ſic dicuntur, quod
„ ſi antecedens & conſequens, omnino non
„ quidem ſi conſequens & antecedens. Si enim
„ homo & animal, non autem ſi animal, jam
„ & homo. Itaque ſi falſa ratio iſta redar-
„ guitur, manifeſtum quod vera eſt quæ di-
„ cit quod Spiritus Chriſti eſt ut conſubſtan-
„ tialis ei.

„ Sed videamus & cauſam propter quam di-
„ cit ſapientia veſtra Spiritum ſanctum vocari
„ Spiritum Chriſti; quæ autem hoc prætendit, videlicet Spiritum ex Filio. Audite igi-
„ tur, ſi propter hoc Spiritus S. Spiritus Chri-

ANNO CHRISTI 1234.

„ sti nominatur, quia procedit ex ipso. Si
„ omne quod Spiritus alicujus dicitur procedit
„ ex ipso, erunt secundum hanc rationem pro-
„ pheratum Spiritus ex ipsis prophetis existen-
„ tiam habentes. Item & hoc dicimus, quod
„ non solum propter consubstantiale dicitur
„ Spiritus Filii, sicut etiam Patres docuerunt,
„ sed & propter administrationem spiritualium
„ carismatum, quam administrationem homo
„ factus unigenitus effudit in omnes fideles,
„ sicut primus apostolorum Petrus ait de Chri-
„ sto, dicens: *dextra igitur Dei sublimatus pro-*
missionemque S. Spiritus accipiens a Patre effudit
ipsum, quem vos & videtis & auditis. Concordat
„ huic & apex apostolorum Paulus scribens ad Ti-
„ tum discipulum: *salvavit nos Deus per lavacrum*
regenerationis & renovationis Spiritus S. quem
effudit in nos abunde per Jesum Christum Domi-
num nostrum. Dicitur & iterum Spiritus Chri-
„ sti unctio; unxit enim eum Pater Spiritu
„ Sancto secundum carnem; Dicitur & iterum
„ Spiritus Christi, quia inerat semper Christo
„ non ut ἐνεργων . . . . . ideest inoperans, sed
„ ut cohonorabilis testimonium reddens secun-
„ dum theologicam vocem. In veteri enim to-
„ ta divinitus inspirata scriptura non invenitur
„ Spiritus S. nominatus Spiritus Christi. Cum
„ autem homo factus est unigenitus unctus Spi-
„ ritu S. & quando hunc effudit ad fideles,
„ tunc est Spiritus vocatus Christi. Adhuc di-
„ cimus quod si Spiritus S. Spiritus Christi di-
„ ctus est, eo quod procedere ex ipso intelli-
„ gatur dici, multa accedunt inconvenientia
„ manifeste hinc. Oportet autem præcipere
* ἀξίωμα „ quædam propter explanationem. * Dignitas
„ est communis & confessio apud theologos,
„ quod in sancta & supereſſentiali trinitate aliæ
„ quidem sunt naturales proprietates, aliæ ve-
„ ro hypostaticæ & personales: & naturales
„ quidem communiter insunt & ex æquo tri-
„ bus hypostasibus, & nullam secundum istas
„ habent differentiam vel divisionem. Hypo-
„ staticæ vero proprie & separatim unicuique
„ secundum quos & discernuntur hypostases,
„ & in numerum & indivisionem veniunt: &
„ quia processio modus est existentiæ, manife-
„ stum est hinc quod proprietas hypostatica est
„ processio. Si enim naturalis communis est
„ trium hypostaseon, & erunt omnes proces-
„ sibiles: sed hoc inconveniens & theologicis
„ cum conceptis repugnans: non ergo natu-
„ ralis proprietas procedere; Hypostatica igi-
„ tur & unius trium. Constat ergo quod Spi-
„ ritus. Hinc etenim theologica eruditio sepa-
„ rat procedere. Quoniam ergo processio ha-
„ bitudo est inter procedentem & quo proce-
„ dit, considerata sicut & generatio inter ge-
„ neratum & generantem: si procedere uni,
„ manifestum quod & mittere uni erit. Est
„ autem procedere unius solius Spiritus: ma-
„ nifestum quod & mittere unius, & vel Pa-
„ tris erit hoc, vel Filii, & non duorum. Sed
„ a sacris evangeliis a Patre eum procedere
„ docemur. Ex hoc ergo solo processionem
„ habet Spiritus. Si autem & ex Filio com-
„ municatur proprietas, & non jam hypostati-
„ ca potest esse; sed in naturalem trasfertur
„ & communem: & manifestum quod conve-
„ niet & tribus, quod impossibile ostensum est.
„ Et adhuc si ex Patre Spiritus & Filio. Pa-
„ ter simul & Filius in unam reducentur per-
„ sonam, vel ipse Spiritus non unus numero,
„ sed in dualitatem dividetur personarum. Si
„ enim unus quidem & simplex Spiritus. Si
„ ex uno, igitur numero. Item si altera ab
„ invicem emittentia & differentia secundum
„ hypostaticas proprietates; altera etiam omni-
„ no emittetur numero differentia, & duo
„ erunt Spiritus: hic quidem ex Patre: hic
„ vero ex Filio proveniens. *Iterum hæc theo-*
logisarunt. * Dignitas est quod sancta Tri-
„ nitas unitas est simul & Trinitas: & non
„ prius quidem unitas, deinde dualitas, & post
„ hæc Trinitas. Dicente igitur vestra honori-
„ ficentia duo principia Patrem & Filium con-
„ substantialis eis Spiritus sanctus, alterius
„ egebunt alicujus ante ipsa principii duo con-
„ gregantis in unum. Omnem enim dualitatem
„ unitas de necessitate præcedit, & quatuor
„ erunt secundum vestram theologiam condei-
„ tas. Sicut enim nos Græci dicimus princi-
„ pium primum pater, & duorum consubstan-
„ tialium principium existens, & unitas exi-
„ stens ejus quæ ex ipsa dualitas unitiva, &
„ non eget alicujus alterius, eo quod non
„ quæratur unitatis initialius. Sic autem
„ vos dicitis duale ponentes principium, ne-
„ cesse est ante ipsum alterum aliquid præce-
„ dere singulare. Item natura unitas ante dua-
„ litatem, dualitatem vero præcedere unita-
„ tem, & hoc simplicem contra naturam &
„ impossibile: & si hoc quod secundum na-
„ turam bonum omnino, & utique quod con-
„ tra naturam similiter malum.

* axioma

Imperator vero ex quo audivit ipsos non posse scripta sua defendere, volens illorum protegere turpitudinem: inquit: *dimittatur illud scriptum, quia non generat nisi contentionem. Procedamus in quæstione vestra, & ostendatis per Sanctorum scripta, hæc esse vera quæ vos dicitis*. „ Et continuo unus de Fratribus nostris, „ cui dominus dederat gratiam in litteratura „ Græcorum, revolvit librum beati Cyrilli de „ IX. anathematismo, & incepit Græce lege- „ re. Cujus lectionis talis erat series: dicit B. „ Cyrillus. Si quis dicit unum Dominum Je- „ sum Christum clarificari a Spiritu, tamquam „ aliena virtute, quasi ipso utentem, & ab „ ipso accipientem operari posse contra Spiri- „ tus immundos, & implere in homines divi- „ na signa, & non magis proprium Spiritum „ ejus dicit, per quem operatus est divina „ signa, anathema sit. Idem sequenter hæc „ verba apertius exponens ait. Homo fa- „ ctus unigenitum Dei verbum remansit, & „ sic Deus omnia existens quæcumque Pater, „ excepto solo esse Patris, & proprium habens „ qui ex ipso, (est) & essentialiter in natura „ ei Spiritum S. operatur divina miracula. „ *In hac auctoritate Cyrilli dicitur Spiritum S.* „ *proprium Spiritum Filii, quod est ex Filio* „ *substantialiter: sed non potest esse Spiritus a* „ *Filio substantialiter, nisi nascendo vel proceden-* „ *do, quia non sunt plures modi in Trinitate* „ *essendi unam personam ex altera. Sed non po-* „ *test esse ex eo per generationem, quia tunc es-* „ *sent duo Patres, & duo Filii in Trinitate.* „ *Restat igitur quod sit ex eo per processionem.* „ *Et dicit Cyrillus quod qui hoc non credunt,* „ *sunt anathemata*. Confusi ergo ex hac au-
thoritate non habentes quid hic reprehende-
rent, dixerunt *lege consequenter. Audietis quid Sanctus objicit ei*: & introduxerunt quemdam
hæreticum Theodoritum nomine, qui damna-
tus fuerat in V. concilio, qui contradicebat
quasi hæreticus viro Sancto dicens. Cyrillus,

qui

qui dicit Spiritum S. proprium Spiritum Filii, non tantum homines, sed ipsa Serafim & ipsum Deum blasphemavit. Ad cujus verba beatus Cyrillus respondet dicens: ecce qualiter locutus est, qui nihil nisi accusare novit. Et iterum quid prius dixerat replicavit. Et cum non haberent, quod possent de jure contradicere, cœpit eos excusare imperator dicens: *ibi locutus est Cyrillus contra hæreticum, & ideo locutus est largius quam jus erat.* Ad quod respondimus: *nunquam propter hæreticum mentitus est B. Cyrillus.* Respondit: *non* Ergo *Spiritus S. procedit a Filio ut ipse dicit, & qui hanc non credit anathema est.* Et his dictis ab invicem recessimus.

Quinta feria illis nitentibus palliare suam confusionem, & excusationem molientes in peccatis, respondimus nos amodo cum eis nolle super hoc articulo disputare, quia rationes manifestas & sanctorum ostendimus auctoritates, in quibus sufficienter manifestatur veritas hujus quæstionis: *& si veritati manifestæ non velitis acquiescere, quod ultra poterimus vobis ostendere cui fidem velitis adhibere? & dominus imperator in crastino est de civitate ista recessurus; volumus coram præsentia sua agere de secunda causa, quam dedistis, inobedientiæ.* Tandem, licet inviti, quodammodo consenserunt, ut ageremus de sacramento altaris. Et dixerunt: *Dicatis vos.* Quibus nos ita respondimus. *Ex quo vobis placet; quod nos opponamus, C dicemus incipientes hoc modo: Audivimus a vobis, quod vobis videtur valde tædiosum disputare sylogistice vel philosophice: nec mirum, quia multoties generat scrupulosas conscientias. Censuimus igitur in tanto sacramento simpliciter, tamen veraciter & fideliter veritatem discutere. Idem in principio parvulam quæstionem faciemus vobis, in qua confestim veritas apparebit, si bene responderitis.* Et responderunt: *valde placet nobis modus ille. Dicatis.* Sed volentes nos ad alias quæstiones de azymo & fermentato transferre, in nugis & truffis tempus usque ad horam prandii deduxerunt. Tandem dixit patriarcha: *Ostendite nobis quomodo, & in qua materia vos faciatis, & respondebimus vobis.* Nobis igitur D modum & materiam ostendentibus, petiit inducias usque post prandium. Convenientibus iterum nobis ad disputationem post prandium, respondit dicens. *Arduæ sunt istæ quæstiones. Habemus fratres nostros patriarcham Hierosolymitanum, Alexandrinum, Antiochenum, sine quorum consilio non est nobis fas ad ista respondere. Convocabimus concilium usque ad medium Martii. Rogamus vos ut intersitis illi concilio, & audietis quid responsum vobis super his quæ nobis proposuistis.* Ad hæc respondebimus hoc modo: *satis vobis notificavimus, quod ad nullum concilium vel patriarcham alium a vobis misit nos dominus papa, cujus sanctitatis nos servi sumus. Ideo nec audemus, nec volumus nos E ad aliqua supra mandatum suum extendere, quæ sint in præjudicium sanctitatis suæ, vel Romanæ ecclesiæ. Hoc tamen consulimus vobis, & convocatis fratribus vestris bonum & efficax, & maturum habeatis consilium de pace & reformatione ecclesiæ. Et ideo nobis Constantinopolim scribetis: ibidem nos credimus commorari ad petitionem vestram usque ad medium martium, & expectabimus vestrum responsum, ut sciamus quid certum possimus de isto negotio illi qui nos misit renunciare: & talia det nobis renuncianda Deus, quod sit ad gloriam sui nominis, & communem læti-*

ANNO CHRISTI 1234.

tiam utriusque ecclesiæ, & sit in omnibus & per omnia benedictus Deus. Et sic recessimus ab invicem. Sexta autem feria, celebrata missa, accessimus ad curiam, ut licentiam acciperemus ab imperatore, quoniam mane erat recessurus, & inventis simul imperatore & patriarcha, cœpit imperator conferre nobiscum, *sub qua forma posset patriarcha, & ecclesia Græcorum reconciliari ecclesiæ Romanæ?* Ad quod tale dedimus responsum: *Hoc modo posset reconciliari, si crederet hoc quod credit ecclesia Romana, & prædicaret. Utrum cantaret, vel non, non faceret magnam vim, credimus, ecclesia Romana, & obediret ei eodem modo, & in illis in quibus obedivit ante schisma.* Et adjecit imperator: *si dominus patriarcha velit obedire ecclesiæ Romanæ, restituet ei dominus papa jus suum?* Ad hoc respondimus hoc modo: *si patriarcha obedientiam, & ea quæ matri suæ debet, solvat*: credimus quod misericordiam majorem inveniet, quam credit, coram domino papa & tota ecclesia Romana. Et assumta licentia recessimus a Nicæa, & venimus Constantinopolim.

Circa medium vero martii misit nobis patriarcha nuncium unum cum litteris suis, rogans ut accederemus ad Lycharam quamdam Vatacii: ibi enim promisit coadunare prælatos & patritios, & convocare concilium. Et quasi in memoria conventionis factæ inter nos inesse omnimodo suppositit in litteris suis, quod illuc eramus venturi. Nos itaque admirantes de tali mandato, rescripsimus quod super hoc admirati sumus quamplurimum, cum in hoc tempore suum expectavimus responsum, & modo dicit se vocaturum prælatos ad concilium, & nos roget ad suum concilium venire. Verumtamen ne labor noster fiat infructuosus, & quia charitas Dei compellit nos, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, & communem utilitatem præponit propriæ, præter nostrum commodum usque ad exitum martii iterum expectabimus. Ipsum igitur, quantum potuimus, rogavimus, ut quam citius posset, faceret quæ facturus erat. In exitu martii rescripsit nobis dicens, quod litteras receperat, sed præ dolore cordis vix eas audire poterat, quia cor ejus tenor earum tristitia repleverat. Et quia Nicææ solus erat, nil poterat nobis respondere: quia compositio pacis, reformatio, & fidei nostræ discussio ad omnes universaliter spectat, sed nunc credebam cum illis, unaque vobiscum ista omnia tractare. Quod si ita recesseritis, videbitur nobis quod non venistis pro pace, sed ut tentaretis nos. Scripsit etiam fratribus nostris scilicet fratri Benedicto ministro Romano, & fratri Jacobo de Russano, qui tunc aderant Constantinopoli, ut nobis omnino suggererent, quod intendebat, promittens quod si veniremus ad concilium, cum magna lætitia rediremus ad curiam. Insuper & ab imperatore litteras accepimus, qui petiit, ut modis omnibus accederemus ad eum apud Lescharam, quia navem paraverat pro nobis, & omnia necessaria ad transitum nostrum & nunciorum suorum, quos destinaturus erat ad præsentiam domini papæ. Præterea terra Constantinopolis quasi destituta fuit omni præsidio. Dominus Joannes imperator pauper erat. Milites stipendiarii omnes recesserunt. Naves Venetorum, Pisanorum, Anconitarum, & aliarum nationum paratæ fuerunt ad recedendum, & quædam vero jam recesserant. Considerantes ergo terram desolatam timuimus

peri-

periculum, quia in medio inimicorum terra illa sita est. Arsanus rex Bachtrorum ab Aquilone : Vatacius ab Oriente, & Meridie. Suanuel circumdat eam ab Occidente : & ideo proposuimus tractare de treughis inter imperatorem CPtanum, & Vatacium usque ad annum. His causis compulsi redire ad terram Vatacii fuit omnibus voluntas. Verumtamen ne talia nostra tantum attentare videremur voluntate, capitulum S. Sophiæ, prælatos terræ, nec non & ipsum imperatorem super hoc consuluimus negotio, qui omnes unanimiter id nobis consuluerunt. Igitur tertia Dominica in Quadragesima, scilicet ultima Dominica Martii, arripuimus iter versus *Lesebara*, & post transitum maris venimus feria secunda in locum *Chalongorum* super mare situm : a quo loco duo paria litterarum per diversos Nuncios Nicæam ad patriarcham destinavimus, rogantes ut acceleraret ad locum supradictum, quia ibidem paratos nos inveniret, sicut litteris suis nobis supplicaverat. Profecti inde præmisimus nuncium cum litteris nostris ad imperatorem, significantes ei adventum nostrum. Itaque Dominica *Lætare Hierusalem* fuimus apud *Lupadium* : & recedentes inde feria secunda venimus λέσχεραν, & quia locus ille fuit assignatus nobis tam ab imperatore quam a patriarcha, fecimus ibidem moram. Sed cum annunciatum fuerat imperatori de adventu nostro, festinanter misit ad nos nuncium suum, qui venit ad nos quinta feria ad vesperam, deferens nobis litteras imperatoris deprecatorias, ut apud *Nympham* veniremus quia ibi nos * expectavit. Sed quia nullos certos rumores de patriarcha vel aliis prælatis audiveramus, respondimus, quod super hoc ei respondere non poteramus, priusquam nuncium patriarchæ reciperemus. Sabbato sequenti venit pater cum litteris ipsius, in quibus nobis significavit suum adventum, & supplicavit, ut præcederemus eum apud *Nympham*, & ipse expediret se & statim sequeretur nos. Profecti igitur a λέσχερα Dominica in Passione, quarta feria venimus Nympham : ibi reperto imperatore expectavimus adventum patriarchæ, qui in quinta feria intravit *Nympham* circa horam vespertinam. Sexta feria post prandium accessimus ad eum, rogantes quod, quam cito posset, expediret negotium nostrum. Qui respondit ; *Paratus sum, & ecce prælati, qui convenerunt, similiter desiderant expediri, & in diebus istis solemnibus possent in ecclesiis suis esse.* Et nos, quasi pro rato habentes verbum tanti viri, læti ad nostrum redivimus.

ANNO CHRISTI 1234.

* expectabit

Secunda feria post Dominicam Palmarum expectavimus, ut mitteretur pro nobis. Sed cum non mitteretur pro nobis, transmisimus duos fratres nostros ad patriarcham, cognoscere volentes, quare non misisset pro nobis. Qui respondit eis, quod nondum convenerant prælati sui. Fratres, considerantes quod protrahere intendebat negotium, acrius instabant, ut expediret nos : Quamobrem motus contra fratres, ait : *Miramur de fratribus, cum triginta capitula habeamus contra vos, & vos vultis in momento expediri ; & subjunxit : veniant fratres, si voluerint, & habebunt disputationem.* Quod postquam audissemus accessimus ad imperatorem narrando ei singula per ordinem, credentes ut illos compelleret solvere promissum suum. Qui cœpit a principio excusare prælatos, quia non convenerant, quia a remotis quidam venturi erant, & patriarcha Antiochenus nondum venerat : *Præterea tempus est orationis & magnæ afflictionis, non debetis mirari, si tedeat eos in hoc tempore interesse disputationi.* Et post multa dixit : *Rogo vos ut sustineatis usque post festum Paschæ. Interim congregabuntur prælati patriarchæ. Itaque secunda feria vobis respondebunt*, & sic obtinuit a nobis inducias. Transactis illis diebus, secunda feria post Pascha congregati sunt prælati post prandium in hospitio patriarchæ, & missis ad nos nunciis suis convocaverunt nos. At ubi inter eos convenissemus, ait patriarcha : *Notum est nobis, quod Nicææ habuimus disputationem de Spiritu sancto, sed tunc solus eram. Prælati nostri, qui jam præsentes sunt, libenter audirent, quomodo fuit processum in quæstione illa.* Ex cujus verbis cognovimus, quod dissimulavit respondere ad quæstionem nostram, volens nos iterum ad quæstionem de Spiritu sancto reducere. Tunc cœpimus narrare causam viæ nostræ ; & quomodo Nicææ fuit disputatum, & quomodo promiserat patriarcha se missurum nobis circa medium martii responsum de quæstione facta eidem de nostro sacramento, & quoties mutavit conditiones nostras : & tunc coram illis comparere voluimus, nulla promissione compellente vel præcepto superiorum, sed sola gratia & amore pacis & concordiæ voluimus, & promissionis patriarchæ, qui litteris suis nobis significavit, quod si veniremus, lætos ad eum, qui nos misit, faceret redire. Spe igitur tanti boni & caritate fraterna devicti non maris pericula, non laborem corporum, non tædium longæ viæ curabamus, nec temporis jacturam, sed per multas carnis molestias potius voluimus vestræ obtemperare voluntati, quam nostræ satisfacere utilitati : *accessimus ut audiamus vestram responsionem.* Et dixerunt : *non interfuimus quæstioni. Non audivimus.* Et respondimus : *hæc fuit quæstio, & eandem quærimus a vobis : utrum possimus conficere corpus Christi in axymo vel non ?* Qui responderunt : *super duobus erat quæstio inter nos & vos. Scilicet de processione Spiritus S., & de corpore Christi. Primo igitur tractemus coram toto concilio de processione Spiritus S., quia quæstio illa præcessit aliam, & sic respondebimus vobis ad utramque quæstionem.* Ad quod respondimus : *Vos ad quæstionem de processione Spiritus S. respondistis, & quomodo processum sit in illa quæstione, nos bene novimus : sed de corpore Christi fuit quæsitum, & fuit nondum ad hoc responsum. Ideo nunc a toto concilio responsionem quærimur.* At ipsi subterfugia quærentes, ne ad prædictam quæstionem responderent, dixerunt sic : *confunderetur ordo theologiæ, nisi prius tractaretur de illo, quod altioris est negotii.* Et respondimus : *Ordinem quem vos quæritis, tenuimus in disputatione, quæ facta est Nicææ, quando oportuit de utraque parte disputare ; sed modo responsum tantum de causa secunda audire venimus ; unde rationem vestram, quam dicitis, de ordine causarum non curamus.* Cum igitur eamdem rationem pluries replicassent, accessit quidam philosophorum suorum habitu Calogerus & dixit : *Deus sine principio & ab æterno fuit, unus in essentia, trinus in personis : caro Christi incœpit a tempore, & habuit principium. Et quod sine principio est, prius est ; & quod a tempore posterius. Prius igitur debet venire in quæstionem de Spiritu sancto, qui est æternus, quam de corpore Christi qui fuit ex tempore. Ordo enim iste naturalis est. Et si hunc ordinem non servabimus,*

ANNO CHRISTI 1234.

bimus, in ordine peccabimus. Ad quod respondimus : *Quod in corpore Christi, de quo loquimur, est ipsa Deitas. Est enim ibi vera Deitas, & vera humanitas. Unde agendo de corpore Christi Domini, sicut nos quærimus, de utroque agimus ita. Item talis est ordo in evangelio; quia Matthæus incipit ab incarnatione Christi : & in fine sui evangelii agit de Trinitate dicens : Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Et iste est ordo, quem nos quærimus.* Et his dictis tacuit ille philosophus, & ultra non comparuit. Demum locutus est patriarcha dicens : *Ex quo compellitis nos, scribemus responsionem nostram ad utramque quæstionem, & dabimus vobis.* Nos igitur attendentes, quod ad quæstionem nolunt respondere, sed dissimulando præterire, & scripto suo palliare, respondimus : *Non curamus de scripto vestro, ex quo præsentes sumus. Viva voce respondeatis; scriptura enim fit pro absentibus, & non præsentibus. Cum igitur præsentes sumus quasi præsentibus respondeatis.* Ad quod patriarcha : *Si volueritis ordinem & seriem totius disputationis, quæ facta fuit Nicææ coram omne consilio recitare, ita respondimus vobis ad quæstionem vestram.* Cui ita respondimus : *respondebitis nobis ad quæstionem hanc, utrum possimus conficere corpus Christi in azymis vel non. Et satisfacto nobis super hac quæstione, processum & seriem quæstionis de Spiritu sancto recitabimus vobis, & respondebimus ad omnia dubitabilia, quæ veniunt in quæstione.* Et surgens patriarcha cum aliis prælatis secessit in locum unum, ut haberet consilium. Et reversi responderunt : *Petimus inducias usque ad quartam feriam, & tunc respondebimus vobis, sicut promisimus.* Et quia sæpe inveneramus eos mendaces, ne deciperent nos, diximus : *Ne verba ista & conventionem in ventum proferamus, ecce conditionem nostram repetimus;* & repetitam iterum confirmaverunt, & sic ab invicem recessimus.

Quarta feria circa horam primam accessimus ad dominum patriarcham, ubi concilium convenerat : & cum essemus in medio concilii, archiepiscop. de Samastria in Paphlagonia ita exorsus est loqui : *Notum est nobis*, venerabiles apocrisarii domini papæ, *quomodo litteras his diebus SS. papa per vos transmisit domino patriarchæ, quarum tenore audito non modicum mirati sumus de quodam verbo, quod ponit in fine litterarum. Ex quo verbo videtur nobis quod velit innuere sacramentum nostrum in fermentato, & sacramentum vestrum in azymo duo esse sacramenta. Dicit enim sacramentum nostrum & vestrum significari per duos discipulos currentes simul ad monumentum, dicens :* „ Græcus ad fidem „ cum discipulo juniore præcurrens, & tantæ „ gratiæ non ingratus illi dignationi, qua Deus „ naturæ compassus humanæ, homo voluit esse „ passibilis, eligens quotidie reminisci, hostiam „ offerre constituit fermentatam. Latinus vero „ qui cum Petro seniore secutus litteræ monu„ mentum, de qua procedit spiritualis sensus, „ prior introivit, & linteamina posita, quæ sa„ crosanctum corpus, quod ecclesia signat, in„ volverant, separatumque sudarium, quod fue„ rat super caput, aspexit, sacramentum glo„ rificati corporis celebrare mirificentius in azy„ mis sinceritatis elegit. „ *Ex his verbis videtur nobis, quod dominus papa velit innuere duas traditiones. Quærimus igitur a vobis, si hæc est fides vestra, quod in illis discipulis significentur duæ traditiones in sacramento Græcorum & Latinorum.* Nos vero perpendentes eorum versutiam, quod proposuerant, quoquomodo suoterfugere responsionem, & ita occasione litterarum mittere nos ad alias quæstiones, breviter respondemus : *Verum est, quod litteras domini papæ tuimus, & quæ in dictis litteris scripta sunt dubitationem quæstionis vestræ, si diligenter illis scriptis velitis intendere, eleganter dissolvunt. Sed quia scriptum est in jure.* Ejus est interprætari, cuius est condere; *litteras domini papæ non est nostrum interprætari. Sed si aliquid ambiguum vobis sit in litteris domini papæ, scribatis, & ipse vobis interprætabitur.* Et ipsi responderunt : *Imo vos qui nuncii estis, debetis interprætari.* Cœperunt igitur gravius insistere, & multocies eandem quæstionem replicare : & nos eandem responsionem reiterare. Tempore igitur consumpto in istis nugis, & trusis usque ad horam sextam, tædio affecti sumus, & præ cordis angustia non volentes eorum sustinere malitiam, respondimus eis : *Videmus, quod tempus redimitis, & subterfugere quæstionem nostram nitimini, & fidem vestram confiteri non audetis. Amodo aperto ore cor nostrum patebit ad vos, & notificabimus vobis, quidquid sentimus de vobis. Jam perpendimus, quod male sentitis de sacramento nostro in azymo, primo per scripta vestra, quæ plena sunt hac hæresi. Secundo quia ad quæstionem factam de sacramento non audetis respondere, ne pateat hæresis vestra. Tertio, quia facta vestra illud probant. Abluitis enim altaria vestra posiquam celebravit Latinus in eis. Quarto, quia Latinos venientes ad sacramenta vestra compellitis apostatare & abjurare sacramenta ecclesiæ Romanæ. Quinto, quia dominum papam ejecistis diptychis vestris. Sed scimus, quod nullum ejecistis nisi excommunicatum vel hæreticum. Ergo habetis eum excommunicatum vel hæreticum. Sexto quia semel in anno excommunicatis eum, ut nobis retulerunt quidam, qui audierunt,* Surrexit igitur Chartophylax in medio concilio, & ait : *Quod dicitis, quod dominum papam excommunic. dicimus quod falsum est : & quicumque dicit istud, exeat aut mala patiatur. De aliis quæ facimus non miremini : quia Latini vestri cum cœpissent Cpim, fregerunt ecclesias, diruerunt altaria, auro & argento sublato, reliquias Sanctorum projecerunt in mare, εἰκονας sanctas conculcaverunt, & de ecclesiis stabula jumentorum fecerunt : ita ut impletum videretur illud : Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt &c.* Et his dictis, ait patriarcha. *Si miramini, quod papam ejicimus de dyptichis nostris, quæro quare me ejecit de suis dyptichis?* & incipientes respondere ad ultimo objectum, diximus : Dominum papam nunquam te ejecit de suis dyptichis, *quia tu nunquam eras. Sed si de prædecessoribus vestris quæratis, vos legatis, utrum papa vos prius, quam vos eum, ejecerit.* Nec ad hoc aliquid responderunt. *Ad alia quæ imponitis ecclesiæ Romanæ, nihil imponitis, quia non fuerunt hæc facta consensu vel præcepto ecclesiæ Romanæ. Sed hæc, si fuerunt facta, fecerunt viri laici, peccatores, excommunicati, propria auctoritate talia præsumentes : nec imputandum est toti ecclesiæ, quod a quibusdam iniquis est præsumptum. Sed quæ dicimus de vobis vera sunt, & hæc verbo & opere testificamur. Et ista faciunt primo vestri patriarchæ & archiepiscopi, episcopi, & cæteri vestræ ecclesiæ prælati. Hæc facitis, & hoc dicetis fieri. Nunc jam excusationem non habetis in peccatis vestris. Et tot quia abomi-*

ANNO CHRISTI 1234.

☞ *abominabilia invenimus apud vos, nec aliquam voluntatem emendandi, quod hactenus erratum est: ecce nos revertimur ad eum qui nos misit;* & sic recessimus a concilio. Eadem die post prandium accessimus ad imperatorem, referentes ei omnia secundum ordinem quæ facta sunt prævia veritate. Quibus relatis postulavimus, ut conductum extra terram suam nobis concederet. Tunc imperator velut eloquens homo astutus, & providus in agendis, modestus in verbis, cœpit suos mirabiliter excusare, & emendationem promittere: addens, quod si coram eo fuisset disputatio, non fuisset ventum ad verba contumeliæ: *Nec volo quod ita discordes recedatis. Volo audire vos, & illos super quæstione vestra: & peracto negocio cum pace & amore revertimini. Et ecce galeæ meæ paratæ sunt ut reducant vos in Apuliam cum nunciis meis, quos missurus sum vobiscum ad SS. papam. Intendo enim, ut decet, D. Papam quam plurimum venerari nunciis, muneribus & obsequiis: quia volo quod habeat me amicum, & familiarem, & filium sanctitatis suæ.* Ad hoc respondimus: *Domine, nolumus amodo vobis celare veritatem. Scriptum est. Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus: primo inquit ad Abel, deinde ad munera. Quia Dominus non acceptat homines propter munera, sed munera propter homines. Item scimus, quod dominus papa non acceptabit vos propter munera: sed cum acceptus eritis per unitatem fidei, tunc accepta erunt & vestra munera. Non credatis dominum papam vos recipere velle in amicum & filium, nisi prius fuerit pax in fide & unitas. Si enim totum aurum vestrum & argentum daretis, non vos reciperet in filium vel amicum, quandiu estis contrarius fidei ecclesiæ Romanæ. Quomodo ergo possemus nos nuncios vestros ad curiam ducere, cum non auderemus eos domino papæ præsentare. Imo forte si venirent, oporteret nos stare contra eos coram Domino nostro.* Tunc imperator mœstitiam vultu prætendens, sic ait: *Vidi quod Emmanuel imperator, Theodorus, & plures alii imperatores amicitiam habebant cum ipso, durante schismate. Veruntamen si vos prohibeatis, quod non mittam nuncios meos, non mittam.* Ad hæc respondimus: *Nec prohibemus nec monemus. Sed hoc scitote, quod nuncios vestros nisi sub spe pacis non ducemus.* Et rursum imper. *Si non vultis ducere, nolo mittere, quia nolo homines meos, nec naves, nec res exponere inimicis.* Et adjunxit: *Duravit schisma, jam fere CCC. annis, & quod diu duravit non poterit in tam brevi tempore dissolvi. Expectate. Cras loquar prælatis, & rogabo eos, ut respondeant vobis ad quæstionem vestram.* Et recessimus ab eo.

ANNO CHRISTI 1234.

Feria quinta post horam vespertinam misit imperator nuncium suum ad nos rogans, ut in crastino, scilicet sexta feria, essemus coram eo; & assensimus. Recedente nuncio imperatoris, venit nuncius patriarchæ rogans ut in crastino die essemus coram eo in palatio imperatoris. Et respondimus: *Cras erimus coram imperatore. Si venerit, illuc nos inveniet.* Feria sexta mane accessimus ad palatium imperatoris, ubi concilium convenerat. Et primo exorsus est loqui imperator, dicens, quod si promisissent nobis prælati respondere, non tamen fuit mirum si ambiguitates, quas habebant super litteras domini papæ, prius vellent sibi dilucidari. Ad quod respondimus. *Diximus, & adhuc dicimus, quod postquam satisfecerint nobis de quæstione nostra, non solum ad illam ambiguitatem, sed ad omnia alia ambigua, quæ in quæstionem veniunt, parati sumus respondere.* Habito ergo consilio cum imperatore & cæteris prælatis respondit patriarcha, primo: *Et nos respondebimus vobis.* Deinde archiepiscopus Samastriæ hoc modo cœpit loqui: *Vos quæritis si corpus Christi potest confici in azymo. Et respondemus quod hoc est impossibile.* Volentes igitur perfecte suam intentionem audire. Quæsivimus: *Si istud diceret, non posse fieri, id est quia de jure non potest, vel quia nullo modo posset fieri.* Et responderunt: *Imo quia nullo modo potest fieri. Quia scimus quod Dominus fecit in fermentato, & ita tradidit apostolis. Unde apostolus ad Corinth. I. XI:* Ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit ἄρτον &c. *Petrus & cæteri apostoli, sicut acceperunt a Domino, & in eadem forma quatuor ecclesiis patriarchalibus tradiderunt. Unde Petrus ita tradidit ecclesiæ Antiochenæ; Joannes et angelista ecclesiis, quæ fuerunt in Asia; Andreas ecclesiis, quæ fuerunt in Achaia: Jacobus autem Hierosolymitanis; & ita B. Petrus tradidit B. Clementi, & ita fuit primo celebratum in ecclesia Romana, ut credimus. Propter hoc dicimus, quod non potest fieri in alio pane, hoc est in pane alterius qualitatis, quam in illo in quo tradidit Jesus, hoc est in fermentato.* Nos audientes hanc hæresim, quæsivimus sigillatim ab unoquoque: primo, a patriarcha Nicææ: secundo ab Antiocheno: deinde a singulis prælatis, si hæc esset fides? & istud crederent? & responderunt sigillatim. *Hæc est fides nostra, & hoc credimus.* Deinde adjunximus: *Istam fidem vestram petimus ut scribatis, & in scripto nobis tradatis.* Respondit patriarcha Nicææ: *Et vos scribatis nobis quod Spiritus sanctus procedit a Filio, & qui discredit hoc, in via perditionis est:* Et concessimus. Datæ igitur fuerunt induciæ usque in crastinum, ut illa die scriberentur chartæ ex utraque parte; & sic recessimus. Sabbato post prandium convocati fuimus ad concilium, & oblatæ sunt chartæ ex utraque parte. Obtulerunt ergo nobis chartam suam primo, cujus tenor talis erat:

ANNO CHRISTI 1234.

Charta Græcorum oblata apocrisariis domini papæ.

„ Quæsiverunt a nobis honorabilissimi apo-
„ crisarii sanctissimi papæ antiquioris Romæ si
„ possunt conficere ἀναίμακτον (*) hoc est sa-
„ crificium corporis Christi in azymis? Et respon-
„ dimus impossibile esse hoc hominibus volen-
„ tibus sequi novam gratiam, propter eam,
„ quæ (*) a principio, traditionem salvatoris
„ (*). Tradidit enim sanctis suis discipulis &
„ apostolis per fermentatum panem secundum
„ tenorem evangeliorum. Tradiderunt autem
„ & ipsi hujusmodi mysterium, quare (*) &
„ ipsum acceperunt secundum sermonem ma-
„ gni (*) Pauli scribentis ad Corinthios sic:
„ *Fratres ego accepi a Domino quod & tradidi*
„ *vobis; quia Dominus Jesus, in qua nocte tra-*
„ *debatur, accepit ἄρτον & gratias agens fregit,*
„ *& dixit: accipite & comedite, hoc est corpus*
„ *meum, quod pro vobis frangitur, hoc facite in*
„ *meam commemorationem. Similiter & calicem*
„ *postquam cœnavit dicens: hic calix novum te-*
„ *stamentum est in sanguine meo: hoc facite, quo-*
„ *tiescunque bibetis, in meam commemorationem.*
„ *Quotiescumque comederitis panem hunc, & cali-*
„ *cem bibetis; mortem Domini annunciabitis.*

Legitu
iam in
beo, e
hic da
variant
(*) i. c
cruentu
Lab. A
maton
(*) qua
(*) Salv
tradidi
enim
(*) qua
(*) ma,

„ Quia

„ Quia ergo sic & nos accepimus a bonæ fa-
„ mæ apostolis, sicut & ipsi acceperunt a Chri-
„ sto; & sic tenent quatuor evangelicæ *diœ-
„ ceses orbis usque nunc, æstimamus autem,
„ quod & diœcesis antiquioris Romæ & sic ac-
„ cepit, & tenebit. Propter hoc dicimus quod
„ non potest consummari sacrificium per azy-
„ ma, aut azymo parte * existente ejus, quia
„ typus cessavit legalis servituris. Et hæc qui-
„ dem scripsimus quasi in compendio, secun-
„ dum apocrisariorum voluntatem, non pa-
„ tientium audire latius. Si autem quærentur
„ a nobis auctoritates & probationes sermonis
„ nostri, tunc dilatabimus, & a vetери & à no-
„ vo testamento. Mense Aprili indict. VII.
„ *Carthophylax sanctissimæ magnæ Dei ecclesiæ*
„ *Constantinopolis, ex præcepto Sanctissimorum*
„ *patriarcharum universalis Constantinopolitanæ*,
„ *magnæ Antiochenæ, & eorum qui cum eis ade-*
„ *rant, præsulum subscripsi.*

Et statim in pleno concilio perlectam chartam tradiderunt nobis in testimonium fidei suæ. Deinde protulimus chartam nostram, & fecimus legi in pleno concilio, cujus chartæ tenor talis erat.

Charta apocrisariorum D. papæ.

In nomine Domini amen.

„ Pater est plenus Deo in se: Filius plenus
„ Deus ex patre genitus, Spiritus sanctus Deus
„ a Patre Filioque procedens, & Spiritus san-
„ ctus procedit a Filio immediate, a Patre ve-
„ ro mediante Filio, Quod enim Spiritus san-
„ ctus procedit a Filio, hoc habet Filius a Pa-
„ tre. Ideo qui credit quod Spiritus sanctus
„ non procedit a Filio in via perditionis est.
„ Unde Sanctus Athanasius cum in partibus oc-
„ cidentalibus exularet, in editione fidei, quam
„ Latinis verbis expressit, sic ait: *Pater a nul-*
„ *lo est nec factus, nec creatus, nec genitus. Fi-*
„ *lius a Patre solo est, nec factus, nec creatus,*
„ *sed genitus. Spiritus sanctus a Patre & Fi-*
„ *lio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed*
„ *procedens.* Et ipse idem S. Athanasius in edi-
„ tione fidei, quam verbis Græcis expressit,
„ dicit: *Spiritus autem sanctus ens processura*
„ *Patris, & ferentis Filii per quem implevit*
„ *omnia.* Unde & B. Gregorius qui merito
„ θαυματέργ@ dicitur, Neocesareæ episcopus
„ in editione suæ fidei, quam per revelatio-
„ nem a B. Joanne evangelista Dei genitrice
„ mediante habuit, sic aperte proclamans ait:
„ *Unus Deus Pater Verbi viventis, & sapientiæ*
„ *subsistentis & virtutis & characteris æterni, per-*
„ *fectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti.* De
„ Filio deinde sic dicit: *Unus Dominus, solus ex*
„ *solo, Deus ex Deo character & imago divini-*
„ *tatis, sermo efficax.* Hic de Filio loquens di-
„ cit: *Solus ex solo*; non ergo Spiritus S. ex
„ solo. Igitur ex Patre &, alio; cum sit ab
„ aliquo. Cum autem dicitur a Patre & Fi-
„ lio, non dicitur ex alio secundum essentiam,
„ sed secundum hypostasim. Quod autem Spi-
„ ritus sanctus ex Filio sit immediate, a Patre
„ autem mediante Filio testatur Gregorius Nys-
„ senæ civitatis episcopus sic dicens: *Incommu-*
„ *tabile naturæ confitentes, eam quæ secundum*
„ *causativum & causatum differentiam non ne-*
„ *gamus, in quo solo discerni alterum ab altero*
„ *comprehendimus: hoc quidem causativum crede-*
„ *re esse: hoc vero ex causativo, & ejus quod*
„ *ex causa est.* Rursus aliam differentiam in-
„ telligimus. Hoc quidem proxime est ex pri-
„ mo, hoc autem per eum qui proxime est. Ex
„ primo igitur, si ejus, quod est causa est differe-
„ rentia, quod hoc quidem proxime de pri-
„ mo, hoc autem per eum qui proxime de
„ primo. Cum illud quo aliqua differunt, im-
„ possibile sit utrique convenire: proxime esse
„ ex primo vel tantum Filio, vel tantum Spi-
„ ritui sancto convenire necesse est. Dicunt
„ autem Sancti, quod inter Patrem & Filium
„ nihil est medium. Solus ergo Filius a Patre
„ proxime est. Ergo Spiritus S. a Patre non
„ est proxime. Est autem communis animi
„ conceptio, quod quidquid est ab aliquo, ab
„ alio est proprie proxime. Cum ergo Spiritus
„ sanctus sit ab aliquo, ab aliquo est proxime:
„ sed non est a Patre proxime, ut jam osten-
„ sum est. Igitur a Filio est proxime. Istos
„ igitur SS. Patres, nec non & B. Ambro-
„ sium Mediolanensem archiepiscopum, & B.
„ Augustinum Hipponensis civitatis episcopum,
„ S. quoque Hieronymum fortissimum hæreti-
„ cæ pravitatis impugnatorem sequens B. Cy-
„ rillus, & cum ipso tota S. universalis syno-
„ dus scriptum vobis reliquit evidentissime Spi-
„ ritum esse a Filio. Unde catholicus non est,
„ sed a fide deviat, qui verbis ejus repugnat.
„ Dicit enim evidentissime in suo ad imperato-
„ rem Theodosium de recta fide prosphoniti-
„ co, Spiritum esse a Filio per hæc verba:
Et quidem unum dicens non adfuturum & viden-
dum ipsum ait, baptizare in igne & Spiritu S.
non alienum baptizatis immittentem Spiritum ad
modum servi & ministrative, sed, ut dictum,
secundum naturam cum potestate summa, qui ex
ipso est, & proprius ejus. „ Quid hoc testimo-
„ nio manifestius? hic enim manifeste de Fi-
„ lio dicit, quod Spiritum sanctum immittit
„ baptizatis, qui ex ipso est & proprius ejus.
„ Et hoc idem & per eadem verba Hermiæ
„ scribit idem B. Cyrillus in sermone ad eun-
„ dem Hermiam, cujus titulus est, " *de ma-*
natione unigeniti, & quod Christus unus Deus &
dominus secundum scripturas. „ Et ipse idem
„ Cyrillus in expositione IX. anathematismi,
„ hoc idem dicit. In nono ejus anathematis-
„ mo, proprium esse Filii Spiritum dicens,
„ cum eundem anathematismum exponeret,
„ quo sensu esse proprium Spiritum ejus dixe-
„ rat, aperuit dicens: " *homo factus unigeni-*
tum Dei Verbum manst, & sic Deus omnia exi-
stens quæcumque & Pater, excepto solo esse Pa-
tris, & proprium habens qui ex ipso essentialiter
in natura ei Spiritum sanctum &c. „ Hic ite-
„ rum Spiritum sanctum ex Filio esse dicit
„ sanctus pater. Non debet autem alicui esse
„ dubium, quin sensum illum hic aperuerit
„ sanctus, quem habebat, cum anathematis-
„ mum addidit. Anathematismum istum cum
„ omnibus aliis anathematismis recipit tertia
„ sancta & universalis Synodus eo sensu quo
„ sanctus ediderat. Constat autem sanctos Pa-
„ tres, in sancta prædicta Synodo congrega-
„ tos, totam tertiam prædicti patris epistolam
„ ad impium Nestorium Constantinopolitanæ
„ civitatis episcopum sine aliquo hæsitationis
„ scrupulo recepisse. Nulli autem dubium, quin
„ prædictæ epistolæ extrema pars contineat
„ prædictos anathematismos XII. Si quis au-
„ tem allegare conetur Theodoriti Cyrii epi-
„ scopi verba impiissima, quæ contra prædi-
„ cta B. Patris XII. capitula oblatrator effudit
„ impu-

ANNO CHRISTI 1334

ANNO CHRISTI 1234.

„ impudentissimus, sciat quintam sanctam & „ universalem Synodum anathematizasse prædi- „ cti Theodoritis latratos, qui juxta B. Cyril- „ li verba, quibus dicto Theodorito respondit, „ *tantum novit accusare*. Dicit enim quinta „ sancta & universalis Synodus gesto octavo, sic: *Condemnamus & anathematizamus cum omnibus aliis hæreticis condemnatis & anathematizatis a dictis quatuor Synodis, & a sancta catholica ecclesia Theodorum, qui fuit Mopsuestiæ episcopus & impia ejus scripta, & quæ impie scripta sunt a Theodorito contra rectam fidem & XII. capitula ejus, quæ in sancti Cyrilli & eam quæ in Epheso scriptam factam synodum, & quæcunque pro defensione Theodoriti & Nestorii ab ipso scripta sunt*. „ Ex his patet, quod ea quæ Theodo- „ ritus contra XII. capitula Cyrilli scripsit, „ nefaria sunt & impietate plena; & qui ea „ ut vera allegaverit, fidei est inimicus. Scri- „ bit enim B. Cyrillus ad Acacium Melitenem „ sem episcopum post unionem ecclesiarum, sic „ dicens: " *Quæ autem scripsimus recte contra Nestorii blasfemias nullus nos persuadebit sermo, quod non bene facta sint, dicere*. „ Et ad Do- „ natum * ministrum suum scribit, sic dicens: *Scripsimus enim recte quæ scripsimus, recte immaculatæ advocantes fidei, & nihil omnino priorum negamus. Non enim dictum est quicquam, quemadmodum ajunt, insscie; sed rectitudinem habentia ubique omnia, & veritatis virtuti convenientia*. „ Ex his evidentissimum est, B. Cy- „ rillum nihil negasse eorum quæ dixerat, sed „ eodem sensu, quo ea dixerat, sine correctio- „ nis nota credidisse. Nec quidem solus corri- „ gere potuisset, etiamsi voluisset, quod absit „ a sancto, quod sancta Synodus sine omni „ ambiguitatis scrupulo confidentissime recepit. „ Recipit autem ut dictum est, eo sensu quo „ ipse edidit. Unde juste in anathematismum „ cadit, qui nonum sancti Patris capitulum eo „ sensu, quo ipse edidit, cum sancta synodo „ recipere renuerit. Hanc enim S. synodum „ omnes S. Patres, qui in subsequentibus sy- „ nodis fuerunt, venerati sunt, & eadem cre- „ diderunt, quæ & ipse. Sed & SS. Patres, „ qui eam præcesserunt, eadem quæ & ipsa „ sapuerunt.

* pessime redit il ud Græcum Δυναστου ἐπισκοπου *Dynaston episcopum*.

Perlecto scripto tradimus patriarchæ Nicææ, & omnibus audientibus diximus: *dedistis nobis scriptum vestrum, quod continet hæresim, & hoc scitote, quod quicunque credit hoc, quod scriptum est in charta vestra, pro hæretico habet talem ecclesia Romana. Veruntamen quia defensio hæresis facit hæreticum, volumus scire, quare ita dicitis. Duæ enim possunt esse causæ quia ista dicatis, ignorantia vel malitia. Ideo parati sumus ostendere veritatem vobis, ostendentes vos fabricatores mendacii, ut visa veritate cesset hæresis, quam dicitis, & revocetur: vel si non, sciamus hoc jam dictum esse ex malitia, & vos esse hæreticos. Sed quia judices non habemus, producantur libri, & judicent inter nos & vos, scilicet vetus testamentum & novum, & scripta sanctorum*. Et, quod mirabile est dictu, cum libri quærerentur inter omnes, unum vetus testamentum & novum non poterat inveniri. Volentes igitur eos ostendere fuisse in omnibus mentitos, quæsivimus, *quare dicerent Dominum corpus suum feciisse in fermentato?* Et responderunt: *Quia habemus in evangelio, quod accepit Dominus* ἄρτον, *fregit* &c. *Et addimus* ἄρτον, *quod dicit panem perfectum, panem levatum, panem fermentatum*. Et quæsivimus, *si ubicunque* ἄρτον *supponit pro fermentato*. Et responderunt *non. Quia quandoque ponitur* ἄρτον *per se, quandoque ponitur cum adjuncto, Quandocunque per se ponitur, supponit fermentum. Quando cum adjuncto ut Levitici 7.* ἄρτον *azymon, & est quasi oppositio in adjuncto, ut cum dicitur homo mortuus*. Et nos iterum quæsivimus: *Si* ἄρτον *per se positum semper supponat fermentatum?* Responderunt quod *non. Nam quandoque per se posito tenetur proprie, & tunc semper tenetur pro fermentato. Quandoque improprie, & tunc supponit pro azymo*. Tunc diximus: *ergo* ἄρτον *per se positum communiter tenetur, nec semper pro fermentato, nec semper pro azymo; sed quandoque pro hoc, quandoque pro hoc. Ergo* ἄρτον *per se positum panem supponit nec specificat. Ergo de evangelio quod dicitur, tantum tenetur pro nobis, quam pro vobis. Et hoc est quod nostra evangelia dicunt panem ubi vos habetis* ἄρτον. *Item invenimus in Levitico 7. ubi agitur de lege hostiæ pacificorum* ἄρτον *azymum, &* ἄρτον *fermentatum secundum litteram Græcorum. Cum ergo azymum & fermentatum sint differentiæ specificæ, cujus dictionis* ἄρτον *per se positum utrique convenit communiter, & æque proprie utrique. Non enim genus magis vel minus proprie prædicatur de prima sua specie, quam de alia. Ergo vestra distinctio, quam feciistis, de proprie & improprie nulla fuit. Igitur in Evangelio ubi dicitur*, accepit Jesus ἄρτον, *pro pane supponit, nullum panem specificando. Item improbata ratione vestra, quam putabatis habere pro hac dictione* ἄρτον, *probamus per evangelium, quod Dominus corpus suum fecit in azymo, & non in fermentato. Legitur in evangelio Matthæi*: Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha? *Quæsivimus ergo ab eis: quæ fuit prima dies azymorum, de qua ibi loquitur*. Et dixerunt expositionem Joannis Chrysostomi: *Id est, prima dies ante azyma*. Et nos illis: *Dicit tibi Joannes Chrysostomus*: priori die ante azyma venerunt discipuli ad Jesum, in cujus vespera immolabatur pascha. *Ergo in illa vespera erat pascha azymorum Judæorum. Et fuit prohibitum Judæis ut fermentum vel fermentatum non esset in domibus illorum, vel in omnibus terminis. Ita enim legitur in Exodi XII.* Septem diebus azyma comedetis. A prima die non erit fermentum in domibus vestris. Quicumque comederitis fermentatum, peribit anima illa de Israel, a prima die usque ad septimam diem. *Ergo Christus pascha suum fecit in azymo, quia legem observavit usque ad ultimum vitæ suæ, ut dicit Chrysostomus & Epiphanius. Fecit ergo corpus suum de illo pane quem habuit Et non habuit nisi azymum. Ergo fecit corpus suum de azymo. Si igitur vestra ratio est vera, quam scripsistis, quod non potest confici corpus Christi nisi in illo pane, in quo Dominus fecit, & Dominus fecit in azymo, secundum quod probatum est. Ergo non potestis facere de fermentato. Et tamen hoc non dicimus. Ut autem cognoscatis veritatem, quam hactenus vos dissimulastis, hoc quod dicimus, aperte in scriptis sanctorum vestrorum ostendimus*. Sed quia libros præsentes non habuimus, auctoritates manifestas audire renuerunt. Auctoritates autem probantes hoc, quod dicimus, erant istæ. Joannes Chrysostomus super Matthæum Homilia LXXXI. tractans hæc verba. *Prima die azymorum venerunt discipuli ad Jesum &c.* „ In principio Homiliæ sic „ ait:

Deest hic subscriptio nunciorum quæ refertur ab Wadingho & in conciliis generalibus.

Hæc pariter quæ deinceps sequuntur extant apud Labbeum sed plurimum contracta.

„ ait: Primam azymorum eam quæ ante azy-
„ ma dicunt. Consueverunt enim semper a
„ vespera numerare diem, & eam commemo-
„ morat, in cujus vespera pascha erat immo-
„ landum. Quinta enim sabbati acceperunt.
„ Et hanc quidem hic eam quæ ante azyma
„ erat vocat ipse dicens, in qua accesserunt.
„ Ille vero sic ait: " *venit dies azymorum, in quo oportebat immolari pascha*. Venit, hoc (est) in januis erat vesperum. Constat commemorans illam, a vespere enim incipiebant. Propter quod unusquisque addit: *Quando immolabatur pascha*. Item quod Jesus observavit legem in cœna, & ritum judæorum probat idem Chrysostomus consequenter in eadem Homilia dicens. „ Propter quod autem pascha confirma-
„ bat per omnia ostendens usque ad ultimum
„ diem quod non est contrarius legi: Item
„ idem Chrysostomus super Matthæum LXXXII.
„ Homilia sic ait: Quod autem tempus paschæ
„ mysterium consummabat istud, ut dicas un-
„ dique & veteris testamenti ipsum esse legis-
„ latorem, & quæ in illo propter hæc figu-
„ rata.

„ Propter hoc ubi figura, veritatem impo-
„ nit. Vespere autem impletionis tempus argu-
„ mentum erat, & quæ ad ipsum de cætero
„ veniunt, finem respiciunt. Item B. Epipha-
„ nius Cypri in libro qui παναρίων vocatur,
„ ubi loquitur contra Ebionitas, ultra medium
„ sermonis sic ait: Quomodo carnium come-
„ stione non statim eorum dementia redargue-
„ tur? Primo domino comedente Pascha Ju-
„ dæorum. Pascha autem Judæorum erat ovis
„ & azyma. Carnes ovis assæ. Igitur come-
„ stæ. Sic discipuli sui ei dicunt: " *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Idem in eodem contra Marceonitas, in redargutione LXV. de littera Evangelii. Quæ redargutio sic incipit. *Nubem sagittarum contra te &c.* sic dicit:
„ contra te, o Marcio, induxisti multis modis
„ redargutionem. Magis autem ab ipsa verita-
„ te coactus. " Pascha enim antiquum nihil aliud erat, quam ovis immolatio, & carnium comestio, animatorumque perceptio cum azymis. „ Et post pauca. Quam enim tu detesta-
„ ris carnium comestionem, dominus Jesus cum
„ suis discipulis comedit, faciens Pascha quod
„ secundum legem. Et non dicis quod factu-
„ rus erat mysterium hoc prænominatum di-
„ cens: *Volo vobiscum comedere Pascha*. Ut enim
„ per communem modum confundat te veri-
„ tas, non in principio facit mysterium, ut
„ non neges, sed ait, postquam cœnassent,
„ accipiens hæc & hæc, dixit hoc est & hoc
„ & hoc: Et non reliquit locum malignitati.
„ Ostendit enim quod postquam comedit Pa-
„ scha Judæorum, & postquam cœnavit, venit
„ ad mysterium. " Renuentibus illis audire auctoritates sanctorum, cœperunt nobis opponere de Evangelio Joannis. *Non intraverunt* prætorium Judæi ne contaminarentur, sed manducarent Pascha. Quibus respondimus, quod non est credendum Joannem dixisse contrarium aliis evangelistis. Ad quorum quæstionem ita respondimus; *Ut comederent Pascha*, idest cibos Paschales. Sic enim legimus in veteri testamento Pascha fuisse vocatum; & hoc erat dictum Luna XV. Et quia jam magna pars noctis transierat, de voluntate Imperatoris recessimus ab invicem. Cessavimus ergo Dominica & secunda feria & tertia & quarta a disputatione; mirantes quod expectarent, misimus ad

A Imperatorem, ut impetraremus licentiam recedendi. Ipse vero per nuncium transmissum cœpit nos tentare, *si aliqua compositione mediante posset fieri pax inter ecclesiam Romanam & Græcorum*. Nuncio vero ad nos transmisso ita respondimus: *Cum fuerimus coram Imperatore, & de istis nobis locutus fuerit, scimus quid respondebimus ei*. Accersitis nobis in crastino ad palatium Imperatoris, dixit imperator. *Consuetudo regum & principum est, cum discordia fuerit inter eos super castris aut provinciis, ut quilibet de eo quod dixit jus suum, aliquid dimittat, ut sic pervenire possit per medium ad pacem. Sic mihi videtur quod debeat fieri inter vestram ecclesiam & nostram. Duo enim sunt inter nos & vos. Pri-*
B *mum de processione Spiritus sancti. Secundum de Corpore Christi. Si igitur velitis pacem: vos dimittatis unum de duobus his. Nos venerabimur & gratum habebimus sanctum sacramentum vestrum. Vos autem dimittatis simbolum vestrum nobis, & dicatis nobiscum, sicut nos dicimus, sicut constitutum habemus a sanctis Patribus in conciliis suis. Et huc quod vos superaddidistis non dicatis ulterius, quod scandalum est nobis*. Et nos ad hoc respondimus: *Hoc scitote quod dominus Papa & ecclesia Romana non dimittent unum jota de fide sua, nec aliquid de hoc, quod dicitur in symbolo nostro*. Et ait Imperator: *Quomodo ergo poterimus facere pacem?* & respondimus: *Si modum vultis scire, breviter dicimus vobis*.
C *De corpore Christi ita dicimus, quod oportebit vos firmiter credere, & aliis prædicare quod corpus Christi confici potest ita in azymo, sicut in fermentato. Et omnes libri, quos vestri scripserunt contra fidem, damnentur & comburantur. De Spiritu Sancto ita dicimus, quod oportebit vos credere Spiritum Sanctum procedere a Filio sicut a Patre. Et istud necesse est, quod prædicetur in populo. Quod autem cantetur istud in symbolo vestro, nisi volueritis, non compellet vos D. Papa, condemnatis & combustis omnibus libris, qui huic capitulo sunt contrarii*. Quod audiens Imperator graviter tulit & ait: *Jam non audio formam pacis*: & ideo convocatis prælatis annunciavit eis, quæ audivit a nobis. Quod cum
D audissent, indignati sunt, & conversi in seditionem contra nos, ut credimus, cogitaverunt quomodo nos dolo confunderent. Et mittentes ad nos feria quarta, hora quasi vespertina rogaverunt nos diligenter, ut quinta feria mane accederemus ad concilium: & sic salutato concilio & soluto cum pace & amore recederemus ab invicem. Mane autem facto accessimus ad concilium, & invenimus omnes ibidem congregatos, & cum eis multitudinem copiosam plebis, & apertis januis sedit concilium in atrio patriarchæ. Nobis autem residentibus inter cæteros dixit patriarcha: *Dum spes fuerat pacis, pacifice locuti fuimus; sed ex quo cognoscimus, quod frustrati sumus spe nostra, rogamus vos*
E *quod pacifice audiatis nos, & ista sola dicta consummabit negotium*. Deinde subjunxit: *Dedistis nobis in scriptis fidem Romanæ ecclesiæ, & inspeximus, & illam voluimus per provincias nostras & gentes & nationes promulgare, & quia ignota est nobis, voluimus quod omnes audient, & cognoscant fidem Romanæ ecclesiæ. Placet ne vobis hoc?* Et respondimus: *Placet. Hæc enim voluntas nostra, quod vos & omnes quotquot sunt in ecclesia orientali sciant & cognoscant, & fideliter teneant fidem Romanæ ecclesiæ, quam vobis scripto tradidimus*. Et his dictis obmutuit. Surrexit ergo unus in medio concilii habens charANNO CHRISTI 1234.

tam magnam, & incepit legere chartam, cujus principium tale erat: „ Dederunt nobis in „ ſcriptis venerabiles apocriſarii ſanctiſſimi pa- „ pe veteris Romanæ, quod Pater eſt plenus „ Deus in ſe · Filius plenus Deus a Patre genitus, Spiritus S. a Patre Filioque procedens „ &c. “ ut in præcedenti ſcripto continetur: „ Et qui iſtud non credit, in via perditionis „ eſt. Ad hoc reſpondimus, quod falſum eſt. Et lecto ſcripto noſtro inventum eſt nos ſcripſiſſe: *Qui credit Spiritum S. non procedere a Filio in via perditionis eſt.* Nec fuit inter eos, qui dictamen verborum iſtorum intelligeret. Deinde introduxerunt auctoritates pro confirmatione ſuæ fidei, quarum una fere fuit ſumma, quod Spiritus S. procedit a Patre. Inter multas tamen introduxerunt auctoritates pro confirmatione ſuæ fidei Damaſi Papæ, qui dicebat: *Quicumque non credit Spiritum S. eſſe proprie a Patre, anathema ſit.* Ad quod reſpondimus: *Nos credimus Spiritum S. eſſe a Patre proprie, & qui hoc non credit, anathematizetur. Dicimus etiam Spiritum S. eſſe a Filio proprie, ſicut dicit B. Cyrillus: & qui iſtud non credit, ſimiliter anathematizetur.* Item introduxerunt aliam auctoritatem, quæ, ſi bene recolo, fuit B. Baſilii, cujus ſumma talis erat, *quod Spiritus S. fluit a Patre & non aliunde.* Ad quod reſpondimus: *Quod hoc eſt veritas, quod Spiritus S. a Patre eſt, & non aliunde, Hoc eſt non de alia ſubſtantia, quam de ſubſtantia Patris.* Introduxerunt & multas alias, ſed iſtæ plus videbantur eſſe contra nos. Conſiderantes igitur quod nihil profecerant, patriarcha manu & verbo ſilentium indicens, quia rumor magnus erat in populo, cogitaverat, ut credimus nos, facto ſilentio commovere contra nos populum. Nos ideo caventes nobis, fraudem ſuam gratia Dei in capita ſua retorſimus. Nam facto ſilentio & attendente diligenter univerſo populo diximus: *Creditis Spiritum S. procedere a Filio vel non?* Reſpondit patriarcha: *Nos credimus quod non procedit a Filio.* Et ſubjunximus: *Sed B. Cyrillus, qui præfuit tertio concilio anathematizavit omnes illos, qui hoc non credunt. Ergo vos eſtis anathematizati. Item vos creditis & dicitis, quod corpus Chriſti non poteſt confici in azymo. Et hoc eſt hæreticum. Ergo vos eſtis hæretici. Quia invenimus vos hæreticos & excommunicatos, pro hæreticis & excommunicatis vos relinquimus.* Et his dictis receſſimus a concilio, ipſis exclamantibus poſt nos: *Imo vos eſtis hæretici.* Condiximus igitur inter nos, nos non comeſturos illa die priuſquam licentiam haberemus ab imperatore recedendi. Et obtinuimus: vultum tamen turbatum & commotum oſtendit nobis imperator, quaſi contriſtatus fuiſſet, quod diſcordes receſſeramus ab invicem. Factum eſt autem ut licentia accepta ab ipſo imperatore mane ſabbati receſſimus a Nympha, & continuantibus nobis dieas noſtras venimus Dominica uſque ad villam quæ dicitur *Calamus*. Et cum eſſet hora completorii venit nuncius imperatoris Vatacii, venit & alius nuncius ex parte concilii: & ſalutatis nobis, ait nuncius imperatoris: *Salutat vos dominus meus, & familiariter nobis conqueritur de vobis, quod inſalutato patriarcha & concilio, ita ſubito receſſiſtis, & quod non declinaſtis ad dominum patriarcham & cæteros præiatos, ut accepta licentia & benedictione ab eis cum gratia omnium & bona voluntate receſſiſſetis.* Ad hoc reſpondimus: *Dominus ſalvet & cuſtodiat ad bonum eccleſiæ ſuæ dominum imperatorem: nec oportuit eum mirari, nec conqueri de nobis. Nam ſatis fecimus cum eo, & cum ejus licentia & gratia receſſimus. De licentia & benedictione patriarchæ vel concilii non curamus: ipſe enim novit cauſas. Unde non credimus nos aliquid contra Deum vel hominem in hoc deliquiſſe.* Deinde locutus nuncius concilii, & replicans eadem verba, quæ dixerat alter, ſubjunxit: *Ecce Spiritum veſtrum, quod dediſtis concilio, remittit vobis dominus meus patriarcha cum toto concilio, rogans vos & deprecans ſcriptum, quod dedit vobis dominus meus patriarcha, de azymo remittatis ei. Præterea mittit vobis literas ſuas, quas rogat, ut deferatis ſanctiſſimo papæ. Mittit etiam vobis totum concilium fidem quam tenet & credit & prædicat de proceſſione Spiritus S., & hanc fidem referatis ad præſentiam domini papæ.* Ad hoc reſpondimus: *Chartam quam concilio obtulimus, ideo dedimus ut haberent omnes ſpeculum fidei Romanæ eccleſiæ, ut his quæ ibidem ſcripta ſunt diligenter inſpectis corde credant & ore profiteantur & aliis prædicent, & idem dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata; & ideo iſtud ſcriptum recipere noluimus, ſed pro ſpeculo illis relinquimus. Similiter ſcriptum quod nobis dederunt, noſtrum eſt, & ſpeculum vel potius ſcandalum fidei ſuæ; & ideo reddere vobis nolumus, ſed domino papæ & eccleſiæ illud offeremus in teſtimonium fidei, imo potius perfidiæ eccleſiæ Græcorum, niſi, ſicut ſupra dictum eſt, illud revocaveritis aſſenſu totius concilii.* Omiſſa igitur contentione nocte illa receſſerunt a nobis. Et mane iterum acceſſerunt, & dicta verba iterum replicantes, minati ſunt, quod niſi gratis daremus, afferre nobis de terra non permitterent. Et in talibus detinuerunt nos uſque ad horam tertiam diei. Tandem poſt longa certamina & contentiones multas ita reſpondimus: *In terra veſtra ſumus: auferre nobis poteritis, quod petiſtis: gratis autem habere non poteritis.* Et his dictis receſſerunt. Tempus erat prandendi. Prandentibus igitur illis & nobis, habuimus conſilium quid faceremus. Et convocato illo milite, qui venerat ex parte imperatoris, quæſivimus ab eo, *Si ex præcepto imperatoris habuiſſet iter noſtrum impedire, aut non?* Et reſpondit. *Abſit hoc a me vel a domino meo, imo potius veni iter veſtrum expedire.* Et nos audientes hoc convocatis nunciis, quos nobiſcum miſerat Vatacius, præcepimus eis, ut equitaturas præpararent, quia receſſuri eramus. Qui præparaverunt. Quod cum audiſſet Chartophylax, qui venerat ex parte concilii, acceſſit & præpoſita admonitione de chartha reddenda, ſententiam excommunicationis tulit in nuncios noſtros, ſi nobis ulterius in aliquo deſervirent. Quod audientes nuncii honeribus librorum noſtrorum depoſitis, ceſſaverunt miniſtrare nobis. Accepimus ergo libros noſtros portabiles, & commiſſis aliis libris dicto militi imperatoris in cuſtodiam receſſimus pedes ſoli. Erat autem deſerta & invia, & diſtabat a mari Conſtantinopolis fere per ſex dieas. De Dei autem gratia confiſi, proceſſimus viam noſtram imperterriti. Inde vero miſerunt nuncios poſt nos, denunciantes nobis difficultatem & impoſſibilitatem itinerum, & corporum pericula, juramento afferentes, quod ſcilicet in montanis & in nemoribus erant nobis inſidiantes ruſtici, qui nos occiderent, ſi ſine ductore ulterius procederemus. Verumtamen nec inde conterriti deſtitimus ab incepto

iti-

ANNO CHRISTI 1234.

ANNO CHRIS 1234

non

☞ itinere. Transivimus ergo vel sex vel septem milliaria, sed mox subsecutus est dictus miles imperatoris. Et cum veniſſet ad nos, descendens de equo humiliavit se ante pedes nostros, deprecans & exorans ut ad casale, de quo veneramus, reverteremur, & sententiam latam faceret revocari, & quæcunque essent dicta vel facta contra nos, faceret emendari. Ex omni ergo nostrum voluntate, divertimus ad quoddam casale ibi propinquum, & remisimus fratres pro libris; qui cum veniſſent ad casale, ubi libri dimissi fuerant, accessit Chartophylax, & perscrutatus est omnes libros, & omnes sarcinas nostras, nec non & ipsos fratres apprehendit, & seorsum duxit eos in cameram, & chordis laxatis tandem invenit chartam, & accipiens eam dixit: *habeo quod quæsivi*. Interpretationem tamen illius chartæ, prius facta translatione, nobis reservavimus.

ANNO CHRISTI 1233.

EPISTOLA, SEU PROFESSIO patriarchæ Nicæni, & universæ synodi Nymphææ Græcorum, missa ad Sanctiſſimum D. Gregorium IX. (a)

CRedimus in unam Deitatem, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu sancto adoratur & glorificatur ab omni creatura; imprincipiatam, quantum ad temporale initium; increatam, creaturarum omnium factricem; omnipotentem, super omnia potestatem habentem, & sine fine. Confitemur principium naturale Patrem Filii, & Spiritus sancti: a quo Patre ante omnia sæcula impassibiliter & influxibiliter (b) illuxerunt Filius & Spiritus sanctus, non hoc prius, & illud posterius, sed simul Pater, simul Filius, & simul Spiritus sanctus, æquali honore Filio & Spiritu (c) a Patre procedentibus, Filio quidem nascendo, Spiritu autem sancto procedendo. Neque enim sunt in Trinitate duo fontes, aut duæ radices, aut duo principia, ne & duos Deos confiteamur. Quod vero propter hoc nobis unus Deus est, (d) quidquid adoratur: quia solus Pater est principium, & fons, & radix Filii, & Spiritus, testes omni exceptione majores sunt duo magna luminaria, sanctus Gregorius Thaumaturgus, & Gregorius Theologus. Quod autem solus Pater principium, & radix, & fons Filii & Spiritus sit, testes absque exceptione sunt prædicti sancti, ac magnus Athanasius, & totum Nicænum generale primum concilium, & Joannes Chrysostomus, & maxime præ his omnibus, qui revelationes cœlestes vidit, magnus Dionysius, qui os Pauli factus est, quemadmodum Paulus Christi: quorum testimonia ita se habent. Sancti Dionysii ex epistola super Divinis nominibus edita. Est autem & discretio in superſubstantialibus theologiis non sola quam dixi, quod secundum ipsam unionem inconjuncte conjuncta est, & inconfuse una quæque thearchicarum * (*a theos & archi quod est principium, vel archos quod est princeps*,) hypostaseon (*id est, unaquæque Deitatis subſtantia*.) Sed quod in ea, quæ in superſubstantiali theogonia (*id est, a theos, quod est Deus, & gonos quod est semen; id est, Divinum seminium*) sunt, non convertuntur ad invicem. Solus autem fons superſubstantialis Deitatis Pater est, non quod filius Pater sit, nec Pater filius, unaquæque Divina substantia vocabulum suæ proprietatis convenienter servans. Item in sermone illo ubi de Divinitate conjuncta & abscondita tractat, sic dicit: Quod quidem fons Deitatis Pater est, Filius autem & Spiritus, theogonicæ Deitatis sunt, si sic dici decet, rami theophyti (*id est, a Deo plantati*) aut velut flores & (e) substantialia lumina, ex sacris scripturis accepimus. Qualiter autem hæc sunt, neque dicere, neque intelligere possibile est. Item in epistola in qua de mystica theologia tractat, sic dicit: In exemplis quidem Divinitatis principales proprietates laudavimus, qualiter Divina & bona naturæ singularis dicitur, qualiter ternalis, quæ sit quæ in ea dicitur Paternitas & Filiatio, & quid velit significare theologia Spiritus: qualiter ex immateriali & individuali bono prærordialia bonitatis lumina prodierunt, & ab ea quæ in seipso & in seipsis, & in adinvicem coæterna pullulatione sola permanserunt impertita. Hæc quidem tertius decimus apostolus Dionysius, qui solum fontem superſubstantialem Deitatis Patrem dixit, & quod ea quæ in superſubstantiali theogonia sunt, non convertuntur ad invicem, ita quod & Filius & Spiritus sanctus theogoniam, id est, originem Deitatis habeant; sed in solo eam Patre esse inspiciendam, & ipsum fontem, & radicem esse Filii & Spiritus & luminum emissorem sibi coæternorum & prærordialium luminum, videlicet Filii & Spiritus.

ANNO CHRISTI 1233. Dion. de myst. theol.

Item Gregorius Thaumaturgus: Si quæratur quomodo unus Deus est; si ex Deo Filius; dicemus, quod juxta principii vocabulum, secundum quod unum principium est Pater. Et post pauca iterum dicit: Si dicerint impii, quomodo non sunt tres Dii tres personæ, & si (f) non unam habeant Deitatem: dicemus quod Deus principium & Pater est Filli, & ipse Filius imago est & genimen Patris, non frater ejus; & Spiritus similiter Spiritus Dei est. Et jam pridem per prophetam David: *Verbo domini cœlos* dicitur *firmaviſſe, & Spiritu oris ejus omnem virtutem eorum*. Et iterum dicit: Et propter hoc unus Deus est, quia principium Pater est: qui autem duo principia in Deitate dicit, duos Deos necesse (g) est esse ut fateatur. Et iterum idem dicit: Perfectus autem est Spiritus sanctus, ex Deo per Filium datus his, qui adoptionis filii sunt. Hæc ex sermone, quem de side edidit idem sanctus Gregorius, dicta sunt. Didicit autem iste sanctus hujusmodi theologiam per sanctum evangelistam Joannem, ad exhortationem beatæ Virginis, ut dicit sanctus Gregorius Nyssenus, qui vitam ipsius refert. Doctrinæ autem ipsius verba sunt talia: Unus Deus Pater Verbi vivi, Sapientiæ subsistentis, & virtutis & characteris æterni, perfectus perfecti genitor, Pater unigeniti, Filius unus dominus, solus a solo, Deus de Deo, character & imago Deitatis, Verbum sine principio, Sapientia per quam universa consistunt, omnia comprehendens, & virtus totius creaturæ creatrix. Filius verus veri Patris, invisibilis ex in-

Thaumaturg. in expoſit. ampliori fidei.

Pſal. 32.

Nyſſen. in vita Thaumaturgi.

(a) Dantur variantes ex Cod. PP. Qui es &c. & Eccard (b) fluxerunt. (c) Spiritu sancto. (d) quem adoramus. (e) superſubstantialia; & *sic ubique*. (f) unam. (g) esse ut &c.

ANNO CHRISTI 1233.

„ invisibili, incorruptibilis ex incorruptibili, ac immortalis ex immortali, æternus æterni. Unus Spiritus sanctus, qui ex Deo existentiam habet, & Filium manifestatus hominibus innotescit, imago Filii perfecta perfecti.

Hæc sunt de revelatione. Quidam vero non intelligentes quid dicunt, vel de quo affirmant: illud quod dicitur, solus ex solo, sic calumniantur, quod solus Filius a solo Patre, tanquam si Spiritus non ex Patre solo sit. Veritas autem aliter se habet; solus enim Filius Dei a solo Patre est, omnes autem hominum filii non a solo Patre sumus, sed a matre: singulare in Deitate (a) intelligendum est, id est, quod non ex aliqua materia consistit, (b) propter immateriale & simplex & individuum Divinæ naturæ. Duale autem materiale est, & de his, quæ materiei subjecta sunt: solus enim Pater est genitor, id est, a quo procedit Spiritus sanctus, (c) vel prolator & * provoleus; & solus Filius genimen Patris, & solus Spiritus, id est a Patre procedens, vel processura & (d) pneuma Patris. Qui autem dicunt a Patre & Filio Spiritum esse, dualitatem singularitatis genitricem dicunt, quod neque in numero verum reperitur, neque simplicis & incomposite naturæ proprium est, sed compositæ & materialis. Iste autem sanctus, sicut de Spiritu sancto ab evangelista Joanne didicit, sic & docuit, & ea idem evangelista, secundum Gregorium docuit, quæ ipse in evangelio scripserat: scripsit ille in evangelio quod *Spiritus S. ex Patre procedit*: scripsit ipse etiam ut dicatur, *Spiritus veritatis*, ac sicut ipse scripserat, sic sancto Gregorio revelavit.

* προβολεύς

Joan. 15

Sermo autem de Spiritu sancto sic se habet: Unus Spiritus sanctus ex Deo existentiam habens, & per Filium manifestatus hominibus innotescit. Vides quare dicitur Spiritus esse Filii, pro eo quod per Filium (e) existit manifestatus hominibus: & deinde sequitur. Imago Filii perfecta perfecti: imago autem Patris Filius est, & propter incommutabilitatem vel incommutabile substantiæ, & pro eo quod Patrem mundo manifestavit. Dicit in evangelio: *Qui vidit me, vidit & Patrem*. Et iterum: *Manifestavi hominibus nomen tuum*. Et iterum: *Ego clarificavi te super terram*. Simili autem modo Spiritus est imago Filii. Spiritus enim sanctus superveniens ad discipulos ejus, & implens eos miraculorum gratia, clarificavit Filium in mundo, & innotuit omnibus, quod Deus verus esset. Scriptum est enim, quod *ipse me clarificabit, quia de meo accipiet*. Sic enim mundanus rex, qui non potest in regno suo semper præsentialiter adesse, & videre, mittit multoties imagines suas: homines autem, loco illius ipsas videntes imagines, sicut ipsum venerantur easdem, & ad ipsum honorem transferunt. Sic & Pater, cum Filium in mundum misit, notus factus est omnibus hominibus Pater esse, & Deus sine principio; & Filius veniens cum carne in mundum, & illusiones & passiones sustinens, sepultus fuit, & resurrexit, & ascendit in cœlum, & misit Spiritum sanctum discipulis suis: ac miraculorum virtute innotuit, quod qui crucifixus & sepultus extitit, & resurrexit, vere fuit Dei Filius & verus Deus. Hoc autem quod dicit, A misit, nullum perturbet: bonam voluntatem enim pro missione posuit, seu notavit. Nam in libro Isaiæ prophetæ invenitur ipse dicens: *Dominus misit me, & Spiritus ejus*. Et hoc qui diligenter legit, intelliget. Ulus est autem hujusmodi testimonio magnus Basilius, ubi contra Eunomium tractat: ac propter hoc & sanctus Gregorius de Spiritu dixit quod haberet existentiam ex Deo Patre, manifestatus autem fuisset hominibus per Filium, ac ad certitudinem manifestationis, hujusmodi subjunxit: Sicut & Spiritus imago Filii est.

ANNO CHRIS. 1233.

Isai. 48

Basil. co. Eunom.

Item de gestis primi concilii. Dixerunt SS. patres per Leontium ad philosophum: Accipe unam Deitatem Patris, qui genuit Filium ineB „ fabiliter & Filii, qui ex eo natus est, & Spi„ ritus S. qui procedit ex ipso Patre. Item de „ eisdem capitulum sexagesimum secundum: „ Addentes sancti patres dixerunt ad philoso„ phum de fonte, flumine, & acqua, per „ Leontium episcopum: Illud autem intelligen„ dum est, o amice de cetero veritatis philo„ sophe, quod fontem intelligimus, qui fluvium „ aquæ generat: omnis enim fluvius, sicut no„ sti, fontem habet genitricem: deinde prove„ nit quidem fluvius de fonte aquæ, sed nul„ lus vocat fluvium fontem, aut fontem flu„ vium; sed fons quidem fons nominatur, & „ fluvius fluvius nominatur, & uterq; eadem „ aqua. Cum autem quis de flumine, aut de C „ fonte aquam haurire voluerit, mutat nomen. „ Non enim dicit vade & hauri, & defer mi„ hi fontem aut fluvium, sed aquam: & una „ quidem natura est, tres tamen personæ no„ minandæ, fons, fluvius, aqua.

Gelas. C zic.

His quoque similia Chrysostomus scribit in sermone illo, *Dominus regnavit*, qui sic incipit: Iterum nobis beati David spiritualis citharа, &c. & exemplum hujusmodi apertius ostendit, proponens unum esse fontem, & non duos. Magnus vero Gregorius Theologus apertius exemplum hujusmodi declaravit. Dicit enim in sermone illo ad Evagrium de Deitate: Sicut solaris luminis radii individui, qui habentes na„ turaliter adinvicem in seipsos quamdam haD „ bitudinem, neque aliunde separantur, neque „ ab invicem dividuntur, & usque ad nos gra„ tiam luminis dirigunt sive mittunt: eodem „ modo Filius, & Spiritus sanctus, duplex Pa„ tris radius, & usque ad nos lumen veritatis „ administrant, & Patri uniti sunt. At que„ madmodum ab aliquo aquarum fonte duo „ fluvii manant, & positione quidem dividun„ tur, fluenta adinvicem (f) humoris qualita„ tem unam & eamdem habent, licet specia„ liter uterque se fluat: eodem modo prima „ causa Pater, fons vitæ, duplicem quamdam, „ Filii & Spiritus sancti gratiam nobis mit„ tens non (g) aliquando in usia sustinuit passio„ nem, neque (h) aliquam diminutionem sustinuit E „ per aliorum ad nos accessum: hi usque ad nos „ accesserunt, & a Patre nihilo minus perman„ serunt inseparabiles.

Chryfoft in Psal.

Nazianz. 45.

Quia igitur de primo concilio mentionem fecimus, producendus est etiam magnus Athanasius, qui in primo emicuit concilio, de sermone æternæ essentiæ Filii & Spiritus contra Sabellianos edito, qui incipit: Fides Judæorum „ contraria est fidei Gentilium. Judæi unum „ Deum colunt, Gentiles plures: Judaismus op„ posi-

Athana. cont. Sabelli.

(a) intelligendum est immateriale. (b) *Deest* propter immateriale. (c) idest a quo &c. *Hoc glossema deest, sicut & sequens* id est a Patre (d) πνεύμα (e) extitit. (f) enim autem (g) non aliquam (h) illorum

„ positus est (a) Ethnicismo. Hoc videntes exem- A
„ plum, etiam nunc alienati sunus ab his,
„ qui ethnicizant sub nomine Chcistianismi,
„ qui opus Dei audent theologizare, id est,
„ Deum vocare & adorare. Separamur autem
„ ab his qui judaizant & qui Chriſtianismum in
„ Judaismo corrumpunt, qui deinde Deum ex
„ Deo negantes, unum Deum juxta Judæos
„ dicunt; non ideo quod solus non natus, &
„ solus fons Deitatis est: propterea dicentes
„ ipsum esse solum Deum, sed tanquam caren-
„ tem Filio, & sine fructu existentem vivi Ver-
„ bi & sapientiæ veræ. Vide & in hoc loco
„ quod solus Pater fons Deitatis est, & quod
„ propterea unum Deum dicimus, quia unus
fons Deitatis Pater est. Si autem & Filius fons B
est, sicut quidam dicunt, duo utique dii. Item
de disputatione facta cum Macedonio: Si po-
natur ejusdem esse naturæ & Deitatis Patris
& Filii, & (b) Spiritus, qui ex ipso patre
filium effusus est: προσκυνητὸς καὶ λατρευτὸς
ἀποδεικθῆναι, id est, adorabilis, & cui
„ latria exhibenda est, demonstrabitur. Item
„ de eodem sermone. Sicut enim Filius, qui
„ in natura omnia habens Patris, sicut Filius,
„ dicit de seipso; quod *nihil facio a me ipso*,
„ ut bonorum principium ad Patrem reducat:
„ sic de Spiritu audi ipsum dicentem, quod cum
„ omnia in natura Deitatis, sicut spiritus Dei,
„ haberet, ad causativum tamen ipsum redu-
„ cit dicens: *Non loquetur a semetipso, sed quæ-* C
„ *cumque audiet, loquetur; & quæ ventura sunt*
„ *annunciabit vobis*: & quod: *ille de meo acci-*
„ *piet*, scilicet de Patre. Item de eodem dis-
„ putationis sermone.
Dixit Macedonius: Tria ergo ingenerata di-
„ cis? Respondit idem sanctus dicens: sed non
„ incausata, nec etiam sine Patre. Etenim in-
„ generatus est Spiritus, sed non incausatus,
„ habet enim causativum Deum, cujus Spiri-
„ tus est. Licet, si ingeneratus Filius, sed non
„ est sine Patre, habet enim patrem Deum,
„ a quo & natus est: Pater autem & ingene-
„ ratus est, & sine causa, & sine Patre. Idem
„ de eodem: Credimus in unum ingenitum D
„ Deum Patrem omnipotentem Spiritus autem
„ sanctus & (c) pneuma existens Patris, sem-
„ per est in manibus mittentis Patris, & feren-
„ tis Filii. Idem de eodem Capitulum septua-
„ gesimum sextum, de testimonus scripturarum
„ de communione secundum naturam Patris &
„ Filii & Spiritus sancti. Quid est Deus? prin-
„ cipium omnium, sicut ait apostolus, unus
„ Deus Pater a quo omnia: etenim Verbum
„ ex eo generative, & Spiritus ab eo processi-
„ ve. Item idem ex epistola ad Serapionem
„ missa, de Spiritu sancto: Nonne male sen-
„ tientes de Spiritu sancto, neque de Filio sen-
„ tiunt bene? si enim recte de Verbo sentirent,
„ sentirent etiam sane de Spiritu sancto, qui E
„ ex Patre procedit, & Filii existens proprius,
„ & ab eo datur discipulis, & omnibus, qui
„ credunt in eum. Audiant qui bene de Spi-
ritu sancto non sentiunt, qualiter neque de Fi-
lio bene sentiunt. Sanum namque intellectum
de ipso sanctus iste docet sic esse, scilicet, quod
ex Patre quidem procedit; proprius autem Fi-
lii est, tanquam qui ab eo discipulis datus est,
ac omnibus fidelibus datur. Sunt etiam & aliæ

multæ auctoritates ipsius sancti, quæ pro nostro dogmate faciunt: sed eas propter sermonis prolixitatem prætermittimus. Item de sermone sancti Gregorii Theologi, ubi tractat de „ dogmatibus & institutione episcoporum: „ Servet quidem sermo meus, quod unus „ nempe est Deus, vel ad jus causatum Filio, &c. Secundum causa & Filio & Spiritui præferentis; non quod compositi sunt vel divisi, Ergo si propter hoc nobis unus Deus est qui adoratur, quia sine causa, vel ad (d) jus causatum est Filio & Spiritui (e) præferentis: qui duas causas dicis in Trinitate, necessitas tibi incumbit duos etiam glorificare Deos. Cum autem Seiritus non sit causa alicujus consubstantialis hypostaseos, nec Deus etiam est, quod blasphemum est, *non dimittitur ei neque in præsenti, neque in futuro*.

ANNO CHRISTI 1253. Nazianz. or. 29.

Loc. 12.

Item in sermone illo, ubi tractat de Spiri- „ tu: Nobis unus Deus est, quia una est Dei- „ tas, & ad unum ea quæ ex eo sunt respe- „ ctum habent, licet tria dicantur: ac nec hoc „ magis Deus, & illud minus Deus, neque „ hoc prius & illud posterius, neque de volun- „ tate dividuntur, neque virtute separantur. „ Item de eodem. Quandoquidem ad Deita- „ tem respectum habemus, & ad primam cau- „ sam, & ad monarchiam, id est, unum prin- „ cipatum: unum est nobis quod imaginamur. „ Cum autem ad ea in quibus est Deitas, & „ ad ea quæ ex prima causa sine tempore, si- „ milique gloria ibidem sunt tria sunt quæ ado- rantur, &c. Ubi sunt qui male interpretantur, mediatum & immediatum? Sanctus enim doctor iste simili gloria ex prima causa dixit, a patre videlicet, Filium & Spiritum sanctum illuxisse. Item de eodem ex sermone ad Heronem philosophum: Vere Filium dico Filium, qua so- „ litarie & (f) solus & tantum, (neque enim & Pater est) & in totum (g) Filius, & totius, & „ ab initio. Nota quod Filius, tantum Filius, & totum Filius, sed non etiam προβολευς: id est, quod ex eo processio sit, vel prolator. Item in sermone de his qui navigio ex Ægypto accesserunt. Si autem omnia, quæ habet „ Pater, Filii sunt, præter causam, omnia ve- „ ro quæ sunt Filii, sunt & spiritus præter fi- „ liationem, & præter illa quæ (h) temporaliter de „ ipso dicta sunt propter me hominem, (i) „ meum honorem, & propter meam salutem. „ Nota saltem hæc, quomodo sicut dixit quod Filius omnia habet, quæ Patris sunt, præter causam, non dixit quod eodem modo Spiritus omnia habet, quæ Filii sunt præter causam: sed dixit præter filiationem. Si enim sciret quod „ Filius quoque causa esset Spiritus, non uti- „ que tacuisset. Item de eodem. Si enim Fi- „ lii & Spiritus dignitatem fatentes, ipsos esse „ sine principio ponere debemus, aut ad aliud „ ipsos referre principium: necesse utique foret „ ut ita (k) honoraretur, vel inhonoraretur „ Deus, aut illud quod contra Deum est, apud „ nos periclitaretur. Si autem quantumcumque „ extuleris Filium, sive Spiritum, non supra „ Patrem pones, neque a causa alienaveris: „ sed illud ad Patrem scilicet, bonum geni- „ men, & mirabilem processionem referes seu „ reduces: quæram a te, o Philagennise, & „ Philanarcha, id est, o amice ingenerati & „ im-

Id. or. 37.

Id. or. 23.

Id. or. 24.

Id. or. 33.

(a) Ellinismo: & *sic infra* ellinizat; *tum & gloſſema* fides Judæorum . . . . *usque ad* Gentiles plures *deest*. (b) Spiritus πνευμα (c) εκπόριευμα (d) ad incausatum (e) præferendis (f) solius solus (g) Filius est (h) corporaliter (i) *Deest* meum honorem (k) honorabilis inhonoraretur

ANNO CHRISTI 1233.

„ imprincipiati, utrum injuriatus Deo magis „ ille, qui iſtorum ponit principium, quorum „ ipſe inducit, vel ille (*a*) qui parit, iſtorum, „ ſcilicet Filii & Spiritus, ſed natura ſimi- „ lium, ſimilique gloria exiſtentium, & qua- „ lium noſter (*b*) id eſt ſermo noſter intendit. „ Et poſt pauca item dixit: Ergo deitatis prin- „ cipium introducens, ſine tempore, & ſine di- „ viſione, & ſine termino, & principium, & ea „ quæ ex principio ſunt, æqualiter veneror. Hoc „ quidem, quia iſtorum principium: iſta, quia „ ſic & talia ex tali, neque loco, neque natu- „ ra, neque bonitate diſtantia.

Item de tract. B. Baſilii contra Eunomium. Baſil. l. 1, cont. Eunom. Ea quæ patri & filio communia ſunt, ea etiam communia ſunt Spiritui. Si igitur commune eſt Patri & Filio proceſſio Spi- „ ritus, erit etiam commune Spiritui, ac „ procedet ab iſto alius Spiritus. Item: „ Generat Deus non ut homo, generat „ autem vere, & genimen a ſemetipſo „ eſt: (*c*) profert verbum non huma- „ no modo, nam nec os in Deo corporaliter „ eſt: ex ipſo eodem autem & Spiritus eſt, & „ non aliunde. Hoc autem quod dixit, non „ aliunde, quid aliud notat, niſi quod ſpiritus „ non ſit ex alia aliqua hypoſtaſi, niſi tantum „ ex hypoſtaſi Patris? Item idem in ſermone illo quem edidit contra Eunomium exponens, Id. l. 5. *Manus tuæ fecerunt me & plaſmaverunt me*: di- Job. 10. cit duas manus eſſe Patris, Filium & Spiritum.

Athanaſ. cont. greg. Sabelli. Item Athanaſ. contra Arianos & Sabellianos in ſermone illo, qui ſic incipit: Repugnat Judaiſmus ethniciſmo: Spiritualiter filius ex Deo „ eſt, & Spiritus ex Deo eſt: natura Filius a „ Patre exivit, & Spiritus a Patre procedit: „ ſed Filius quidem a Patre naſcendo, Spiritus „ autem ineffabiliter ex Deo.

Baſil. epiſt. 43. ad Greg. Nyſſ. Item Baſil. in epiſtola miſſa Greg. fratri ſuo, in qua tractat. de differentia uſiæ & hypoſtaſeos. Quia igitur Spiritus ſanctus, a quo omnium bonorum diſtributio ſuper terram abun- „ dat, a Filio nempe pendet, cum quo indi- „ ſtanter comprehenditur, a cauſa autem Pa- „ tris exiens habet eſſe, a quo & procedit. Hoc „ notionale proprietatis, quæ ſecundum hypo- ſtaſim eſt, ſignum habet: quod per Fillum, & cum eo cognoſcitur, & quod ex Patre ſubſiſtat: Filius autem, qui ex Patre procedentem Spiritum, per ſeipſum, & cum ſeipſo cognoſcens, ſolus more unigeniti ab ingenito lumine reſplendens, nullam ſecundum proprietatem notionum communionem habet ad Patrem, vel ad Spiritum S. Et quomodo tu dicis communionem habere hypoſtaticam Filium ad Patrem, quia æqualiter ex hypoſtaſi Patris, & ex hypoſtaſi Filii ipſe exiſtentiam habet? & hoc & ad aliud inconveniens habens, quod confundis duas hypoſtaſes, Patris, & Filii, in unam hypoſtaſim. Sicut enim in Trinitate communionum ſingularitatem habet: ita ſi, ſicut vos dicitis, communionem hypoſtaticam habet Filius ad patrem, neceſſe erit vobis etiam unam perſonam Patris & Filii confiteri.

Damaſ. pap. Item Damaſus papa Romanus, de his quæ ad Paulinum Theſſalonicenſem metropolitanum ſcripta fuerunt. Quicumq: non dixerit Spiritum ſanctum ex Patre eſſe, omnimode, vere, & proprie, ſicut & Filium, ex Divina uſia, & Deum Dei verbum, anathema ſit: Iſte Damaſus propugnator fuit in II. general. concilio.

ANNO CHRIST. 1233. Celeſtin. pa.

Celeſtinus vero qui ſimiliter fuit papa Romanus & propugnator in III. concilio, ſcribit ſic in capitulo 10. geſtorum ejuſdem tertii concilii, ad Neſtorium ſermonem ſuum dirigens. „ Quis unquam non dignus excommunicari ju- „ dicatus eſt, aut auferens, aut aliquid addens „ fidei? Ea enim quæ plene & aperte nobis ab „ apoſtolis fuerunt tradita, neque additamen- „ tum, neque diminutionem ſuſcipiunt. Legi- „ mus, libris noſtris, neque addere licere, neq; minuere. Magna enim & addentem & minuentem pœna ligat. Unde cauterium & ferrum paramus, cum aliter non ſint curanda vulnera, quæ jam inciſione digna ſunt. Item Gregorius Dia- S. Greg. lib. Sacra logus papa Romanus de oratione, quæ in feſto Pentecoſtes legitur: Mentes noſtras, quæſumus Domine, Spiritus ſanctus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem. Item in fine libri ſecundi dialogorum, dicit hoc: Unde ſiquidem & ipſa veritas Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut fidem diſcipulis adderet, Idem l. dial. c. dixit: *Niſi ego abiero, Paracletus non venie* Joan. 16. *ad vos*. Manifeſtum igitur eſt quod Spiritus Paracletus ex Patre provenit vel progreditur, & in filio permanet. Sicut igitur iſti veteris Romæ pontifices de Spiritu ſancto docuerunt, ſic & nos alumni novæ Romæ credimus, neque addentes aliquid, neque detrahentes. Si enim ſcirent, quod Spiritus à Filio ſicut a Patre procederet: hoc nullatenus occultaſſent, neque ex medietate fidem docuiſſent. Ex parte enim confiteri veritatem, & ex parte celare, non eſt patrum orthodoxorum: & maxime in verbis, quæ de Trinitate ſunt, ubi etiam prætermiſſa minima parte, magni periculi cauſa efficitur.

Veniamus quoq; ad teſtimonia S. Greg. Nyſſ. quæ de Spiritu ſancto dixit. Sufficit vero divulgatum ab omnibus ſanctis patribus, qui in ſecundo concilio convenerunt, ſecundum fidei ſymbolum, ubi ex Patre procedere Spiritum ſanctum apertiſſime dictum eſt, non addito quod *ex Filio*. Nam & hoc ſecundum concilium contra Macedonium Pneumatomachum, id eſt, Spiritui repugnantem, a pneumate, quod eſt Spiritus, & machi, quod eſt pugna, extitit celebratum, qui dicebat Spiritum ſanctum eſſe Filii creaturam. At ſi ſcirent ſancti patres, qui in ipſo concilio congregati fuerunt, quod ex Filio ipſe Spiritus haberet exiſtentiam, hoc nullatenus tacuiſſent, ſed dixiſſent utiq; quod non eſſet creatura Filii, ſed ejus pneuma, ſicut & Patris. Qui de Filio propter hoc mentionem minime facientes, ad Patrem ſolum reduxerunt cauſam exiſtentiæ Spiritus: & ſic equidem totus orbis terrarum.

Ex hoc ſecundo generali concilio ſymbolum fidei accepit & tenet uſque hodie. Illis autem, qui dicunt quod ea quæ privatim ab aliquo ſanctorum ſcripta fuerunt, firmiora ſunt his quæ communiter & in concilio fuere ſtatuta, non decet reſpondere: deriſorium enim eſt, ſi hoc ſolummodo cogitetur. Tamen ut ipſos ex majori abundantia devincamus, proponamus in medio ea, quæ privatim ad Abladium a S. Gregorio Nyſſeno ſcripta ſunt: „ Incommuta- „ bile naturæ fatentes, quæ ſecundum ex cau- Nyſſen. o ad Abla. „ ſativo & cauſatum eſt, differentiam non ne-

„ ga-

(*a*) qui non iſtorum (*b*) id eſt ſermo noſter *deeſt* (*c*) profert autem verbum a ſemetipſo; mittit ſpiritum per os non humano modo; nam nec &c.

„ gamus, in quo ſolum diſcerni unum ab alio „ invenimus, hoc quidem cauſativum eſſe cre- „ dere, illud vero ex cauſativo. Item illius „ quod ex cauſa eſt, aliam rurſus differentiam „ intelligimus. Hoc etenim eſt proxime ex „ primo; illud per id quod eſt proximo ex pri- „ mo. Dicta quidem ipſius ita ſunt.

Reſponde ergo mihi, qui ex adverſo in ſecundo ſymbolo addidiſti, quod ex Patre *& ex Filio* Spiritus S. procedit, nunc iterum, quomodo contraria tibi ipſi ſcribis qualiter intelligis prædictam clauſulam, ſcilicet, per id quod eſt *proxime ex primo*, de Spiritu hoc dictum eſſe? Si dices quod ex Filio exiſtentiam habet proprie & vere ſpiritus, ſed quia Filius ex Patre eſt, propterea & Spiritus ex Patre eſt. O quanta inconvenientia! abſtuliſti enim cauſam exiſtentiæ Spiritus a Patre: & ſolum Filium fontem exiſtentiæ Spiritus dogmatizas: & imples in hac parte illud proverbiorum impoſſibile, e converſo dicens; *ſurſum a fluminibus recedunt fontes*: & flumen dicis aquæ cauſativum, non fontem, unde & fluvius & aqua exeunt. Sic ſancti patres in Nicæno concilio dixerunt. Oſtendis autem & Damaſum papam mendacem, qui anathematizat eos, qui non dicunt proprie & vere ex Patre Spiritum procedere: qui autem dicit, quod procedit, nempe Spiritus ſanctus ex Filio, per Filium autem & ex Patre, timeat hujus terribile interdictum. Vera autem interpretatio prædictæ clauſulæ, ſcilicet *proxime ex primo*, & *per id quod eſt proxime ex primo*, ita ſe habet; quod & Filius, & Spiritus ſanctus, a primo ſunt, ſcilicet ex Patre, filius tamen immediate propter reſpectum, qui eſt ad Patrem. Nam Pater & Filius de his ſunt, quæ ſunt ad aliquid, & ſimiliter invenitur Filius medius Patris & Spiritus in annumeratione ſola nominum, ſed non diſtantia temporali, vel per diſtantiam temporalem. Per Filium autem & Spiritus ſanctus ex cauſa Patris proprie & vere exiſtens eſt, unde & pro edit.

„ Item de eodem ex ſermone edito contra Eu- „ nomium. Patri etiam ſecundum increatum „ conjunctus eſt Spiritus: iterum ab eo ut Pa „ ter, non ſicut ipſe diſtinguitur. Ea autem qua „ Filio eſt ſecundum increatum conjunctione „ conjunctus, & in eo quod cauſam exiſtentiæ „ a Deo fonte omnium habet, regreditur ite- „ rum ad ſuum proprium, in eo quod neque „ more unigeniti a Patre ſubſiſtat, & in eo „ quod ipſum illuceat. Item de eodem ſer- „ mone. Quomodo impoſſibile erit, quod in „ inferioribus, hoc & increata & ante ſæcu- „ laria exiſtimare exiſtentiam eſſe, in qua „ Pater quidem imprincipiatus, & ingenitus, „ ac ſemper intelligitur, ex ipſo autem ſecun- „ dum proximitatem indiſtanter unigenitus Fi- „ lius cum Patre ſimul intelligitur; per ipſum „ autem & cum ipſo antequam aliqua nova & „ inſubſtantialis per medium intercideret cogi- „ tatio, ſtatim Spiritus ſanctus per Filium con- „ junctum comprehenditur, non poſterior Fi- „ lio ſecundum exiſtentiam: ita quod nun- „ quam unigenitus Filius ſine Spiritu intelliga- „ tur, ſed quod ex Deo omnium & ipſe cau- „ ſam eſſendi habeat, unde & unigenitum lu- „ men eſt; per verum autem lumen ipſe Spi- „ ritus reſplendens ſit.

Item contra eum qui non recte intelligit, quod per Filium ex Patre, producamus etiam ipſius Nyſſeni fratrem magnum Baſilium, qui-

A buſdam canonicis ſic ſcribentem. „ Si non eſt „ ex Deo Spiritus S. per Chriſtum autem eſt: „ omnino non eſt, adeo quod detrimentum „ quod in ordine ſit, ipſius exiſtentiæ contem- „ ptum habeat & totius fidei negationem. “ Quod eſt autem huiuſcemodi detrimentum? quod cum omnes ſancti patres a patre procedere Spiritum doceant, & quod per Filium hominibus datur: illi qui ex oppoſita parte ſunt, dicunt quod ex Filio Spiritus exiſtentiam habeat, per Filium autem & ex Patre. Hoc eſt detrimentum, quod magnus Baſilius fidei abnegationem dicit. ANNO CHRISTI 1233. Baſil. ep. 141.

Item ſanctus Cyrillus in capitulis contra Neſtorium excommunicatum in nono videlicet capitulo dixit ſic: „ Quicumque unum dominum noſtrum Jeſum Chriſtum glorificatum fuiſſe a „ Spiritu, & eo tanquam aliena virtute uſum „ fuiſſe, & ab eodem ſpiritum recepiſſe, ut „ poſſet adverſus immundos ſpiritus prævalere, „ & in homines Divina miracula exercere, „ & non potius proprium ejus Spiritum eſſe „ dixerit, per quem miracula operatus eſt: “ anathema ſit. Huic ergo verbo adhærens videlicet, *& non potius proprium ejus ſpiritum eſſe dixerit*, Theodoretus epiſcopus inter alia multa dicit: „ Si tanquam ex Filio, aut per Fi- „ lium exiſtentiam habentem, proprium dicis „ Spiritum eſſe Filii, o Cyrille, blaſphemum „ eſt hoc, ſicut impium id projicimus. Cre- „ dimus tamen Domino dicenti Spiritum S. “ *qui a patre procedit*; & B. etiam Paulo dicenti ſimiliter: *Nos autem non ſpiritum mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt*. Reſpondit ergo ad hæc ſanctus Cyrillus, & cum venit ad locum illum, ubi de Spiritu tractarat, non repugnat ſuper his contra Theodoretum, nec dicit quod non ſit blaſphemum dicere, quod Spiritus ex Filio exiſtentiam habeat, immo orthodoxum eſt hoc maxime & pium. Sed quod dixit, procedit, nempe tanquam ex Deo & Patre, Spiritus ſanctus juxta vocem Salvatoris. Sed non eſt a Filio alienus: omnia tamen habet cum Patre, & hoc ipſe de Spiritu docuit dicens: *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt*. Explanavit ergo & expoſuit hic ſanctus ſuper his omnia diſputabilia verba ſua ſuper exiſtentiam Spiritus, & docuit nos ubicumque hujuſmodi verbum inveniamus, ſcilicet Spiritum Filii, & Spiritum Chriſti dici, intelligere & credere poſſimus hoc propter indentitatem naturæ dictum & intellectum fuiſſe. Si tamen crederet idem ſanctus, quod a Filio exiſtentiam haberet: hoc nequaquam ſilentio tranſiviſſet. Animæ etenim periculum eſt, ſubticere ea quæ ad fidem ſpectant: & maxime ei, qui potentes adverſarios habet, & quem propter hoc ipſum blaſphemum vocant. Qui autem dicunt, quod capitula ipſius Theodoreti excommunicata fuerunt ſive reprobata per quintum concilium: audiant a nobis, numquid etiam omnia quæcumque de Divina ſcriptura idem Theodoretus dixit, ut illud, Chriſtus verus Deus eſt; & quod credimus Domino dicenti, *Spiritum qui ex Patre procedit;* & B. Paulo ſimiliter dicenti, *Nos autem non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt*, inſimul excommunicata fuerunt. Numquid & reſponſum ſancti Cyrilli ſuper his factum, inſimul excommunicatum fuit? nequaquam. Interrogatus fuit Chriſtus a Caipha, & ab impio cœtu ejus: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi?* qui reſpondit: *Ego ſum*. Ille autem reſpondit, quod blaſphemaſſet. Nos autem excommuni-

Cyril. anathem. 9.

Theodor. cont. anathem. 9. Cyrilli.

Joan. 15. 1. Cor. 2.

Joan. 16.

Joan. 15. 1. Cor. 2.

ANNO CHRISTI 1233.

municamus Caipham & dictum ejus, qui dixit quod blaſphemaſſet : ſed reſponſum Chriſti adoramus & veneramus ut verum.

Idem S. Cyrill. Joannem Antiochenum & ſynodum ejus, cujus pars potiſſima idem Theodoretus erat, recepit, & ſocios ipſos habere confeſſus eſt, & ex tunc cavebat ſibi ne ſcriberet de Spiritu ſancto, quod ex Filio profunderetur & emanaret, &c. quæ habere ſcandali materiam videbantur. Poſt reſponſum tamen ejus ad Theodoretum factum ſcribit Joanni Antiocheno epiſtolam de concordia, vel unitivam, quæ ſic incipit : Exultent cœli & lætetur terra : & procedens, dicit : „ Nullo modo „ commoveri, vel concuti ab aliquibus ſuſti- „ nemus ſtatutum fidei, id eſt, fidei ſymbo- „ lum, quod a ſanctis noſtris qui in Nicæna „ civitate convenerunt pro tempore ſtatutum „ extitit : nec etiam permittimus nobis vel „ aliis aut dictionem mutare, de his quæ con- „ tinentur ibidem, aut unam ſaltem tranſgre- „ di ſyllabam, memores exiſtentes illius, qui „ dixit : *Ne tranſgrediaris terminos ſempiternos, quos poſuerunt patres tui* : non enim ipſi erant qui loquebantur, ſed Spiritus Dei Patris „ qui ex Deo quidem procedit, eſt autem non „ Filii alienus ſecundum uſiæ rationem. Poſt hæc iterum Poto * exiſtente patriarcha Conſtantinopolitano ſcribit quandam epiſtolam quibuſdam monachis, cujus initium eſt : Diligentia doctrinæ, & diligentia laboris veſtræ caritatis : in qua totum ſymbolum ſanctum narrat, ac expleto ſermone, in quo de Filio tra- „ ctavit, incipit tractare de Spiritu, ſcribens „ ſic : Explicato ſermone quem beatiſſ. patres „ de Chriſto ediderant, fecerunt de Spiritu „ ſancto mentionem. Credere enim dixerunt „ in eum quoque, ſicut & in Patrem, & in „ Filium. Conſubſtantialis enim eis eſt, & „ profunditur utique, id eſt, procedit ſicut a „ fonte ex Deo Patre : diſtribuitur autem crea- „ turæ per Filium. Inſufflavit namque apoſto- „ lis ſuis dicens : *Accipite ſpiritum ſanctum* : „ In ſuperioribus autem epiſtolæ iſta dicit : „ Editam ergo & inſtitutam a ſanctis patribus, „ qui in Nicæa civitate convenerunt, fidem „ ſervaverunt ſine tranſgreſſione & alii ſancti „ patres, qui poſt illos fuerunt, & qui docto- „ res populorum, & lumina eccleſiarum, & „ optimi artifices myſteriorum fuerunt ſecun- „ dum concilium. „ Idem Cyrillus in hoc tertio concilio notans, quod & ipſe ſecutus eſt, & cui ipſe præfuit : qualiter enim dictum eſſet tertium concilium, niſi ſecundum & tertium ſequeretur. Item idem Cyrillus. „ Nihil „ penitus defuiſſe vel prætermiſſum eſſe de omni- „ bus quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, inveniet „ quis in ſanctorum patrum confeſſionibus, id „ eſt, ſtatutis quæ condiderunt de recta & in- „ comparabili fide, ad reprobandam omnem „ hæreſim, & obturandum os blaſphemum, „ ac ad certitudinem & firmitatem illorum, „ qui recte in fide incedunt. „ Sciendum namque eſt, quod idem ſanctus Cyrillus magnum certamen iniit, & multos ſermones propoſuit contra Neſtorii hæreſim : qui Neſtorius inter alias blaſphemias ſuas, hoc etiam de Chriſto dicebat, quod miraculorum gloriam dominaliter Chriſto Spiritus ſanctus largitus fuiſſet : hoc autem non eſt verbum meum, ſed eſt verbum ipſius ſancti Cyrilli in reſponſo quod fecit Theodorito in nono capitulo excommunicationum : ubi talia dixit : Accedens dixi, quia injuriosis verbis, id eſt, blaſphemiis & praviloquiis, quæ nimis incaute a Neſtorio dicta ſunt, vis capitulorum pugnat. „ Illo enim dicente de Spiri- „ tu ſancto, quod tantam gloriam largitus fuiſ- „ ſet, quod dæmonibus ipſum terribilem fe- „ ciſſet, & aſcenſionem ei ad ſe largitus eſ- „ ſet ; ac eodem, ſicut de aliquo homine no- „ bis ſimili, una hæc proferente facta fuit ne- „ ceſſario excommunicatio : non quidem con- „ tra illos qui dicunt Jeſum glorificatum fuiſ- „ ſe a Spiritu, id eſt, quod humanatum fuiſ- „ ſet Verbum Dei ; ſed contra illos potius, „ qui ipſum dixerunt virtute Spiritus ut alie- „ na uſum fuiſſe. Et contra hujuſmodi hære- „ ſim repugnans feſtinavit oſtendere, qualiter „ alienus non erat Spiritus ſanctus ab uſia uni- „ geniti Filii, neque dominus Chriſti, ſed „ æqualis ei honoris. „ Atque in multis ſermonum ſuorum, hujuſmodi intentionem habuit. Quandoque quidem dicit, quod profunditur a Filio ſicut a Patre, quandoque quod emanat a Filio, quandoque quod diſtribuitur a Filio, interdum quod Spiritus eſt Filii : hæc autem ad unam tantum intentionem reſpiciunt, quod videlicet non eſt alienus Spiritus ſanctus ab uſia Filii, & effunditur ex eo non quod per participationem ipſum Spiritum ſecum habeat, ſicut omnes juſti ; ſed quod ante omnia ſæcula quidem Patris ſic exiſtens & Filii, etiam in ſeipſo, non in Filio requieſcit & permanet, ſicut ſancti docent : perfunditur autem non uſia Spiritus, Deus enim non effunditur, ſicut ait Chryſoſtomus in ſermone quodam, quem de Spiritu ſancto edidit, ubi dicit, ſe donum Spiritus. Item breve reſponſum ſuper prædictis de omnibus quæ ad quæſtionem videbantur pertinere, ab eodem magno Cyrillo factum. Ipſe enim ex debito expoſitor eſt ſermonum ſuorum, qui interrogatus quomodo diceret Spiritum ex Filio proprium, non dixit, pro eo quod ex Filio procederet, ſed quod non eſſet a Filio alienus, videlicet ſecundum naturam. Quod autem ſecundum naturam alienum non eſt, proprium eſt ſecundum naturam ; quod ſentit Omouſion. Non autem omne quod ſecundum naturam proprium eſt alicui, jam ex eo eſt.

Poteramus etiam alia vobis teſtimonia producere tam de ſancto confeſſore Maximo concordantia noſtro dogmati per omnia, & multa, & efficacia, & quibus contradici non poſſet, & cum evangeliis convenientia de Spiritu ſancto, quod ex Patre procedit, & quod Spiritus veritatis dicatur : quam a ſancto Sophronio patriarcha Jeroſolimitano ; quæ teſtimonia ſextum concilium approbat, & etiam a ſapientiſſimo & B. Joanne Damaſceno, qui inter alia multa, ſic dixit : Spiritum Filii dicimus, ex Filio autem non dicimus. Sed quia ad prolixitatem noſter ſermo extenſus eſt, in hoc * ſermone ſignamus. Recipimus omnes traditiones apoſtolorum tam ſcriptas quam non ſcriptas. Veneramur ſeptem ſacra & generalia concilia, & quos illa receperunt recipimus ; & quos reprobaverunt, reprobamus. Et ritus eccleſiaſticos, qui tunc tenebantur, ſequimur, & hactenus obſervamus, ſicut a ſanctis apoſtolicis eccleſiis per univerſum mundum exiſtentibus tradita fuerunt : ac ſicut regali purpura induti animam fide orthodoxa clari ſtabimus ante tribunal Chriſti, & per eam regni Chriſti erimus participes, intercedente immaculata domina noſtra Dei genitrice, & ſemper virgine Maria,

Cyrill. ep. 28.

Prov. 22.

Procl.

Cyrill. in expoſit. ſymboli.

Joan. 20. Cyrill. ib.

Cyrillus in reſponſ. ad reprehenſion. Theodoreti.

Dama[illegible] 1. de [illegible] ortho[illegible]

* F[illegible] ſermo [illegible] Hard. [illegible]

ria, cum omnibus sanctis, qui pro fide certaverunt certamen dulcissimum, per quod meruerunt coronam immarcescibilem & gloriam sempiternam. Fiat hoc, Pater omnipotens, genitor unigeniti Filii tui, & * provoleus Spiritus tui sancti. Amen, Amen, Amen.

Charthophylax summæ Dei ecclesiæ Constantinopolitanæ Aulinus præsentem libellum nostræ confessionis, & fidei, præcepto sanctorum patriarcharum tam generalis, quam Theopoleos magnæ Antiochiæ, persuasione etiam sancti concilii subscripsi.

G. C. *His subjungit Vadingus*: Nullibi adeo diffuse Græcorum fundamenta pro pertinaci illa sua hæresi idi congesta, neque in aliis eorum scriptis quæ occurrerunt, neque in concilio Florentino, neque apud controversistas. *Et paulo post*: Sane quædam citant opuscula, quæ non facile-li-

cet invenire: alia corrupta sunt, modo ad castigatissimas hujus temporis editiones ea referamus: cetera facilem habent solutionem. Nam vel eorum vis in eo consistit ut Patrem dicant fontem, principium, radicem, & his similia: quod verum est, cum Pater sit principium sine principio. Filius vero etiam principium esse potest, sed principium de principio. Vel negant Filio causalitatem (phrasis est antiqua Græcorum) quam habet Pater: quod verum est de ea, qua Pater respicit Filium. Vel asserunt Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium. Quem loquendi modum in sensu cohærere cum locutione Latinorum, largius probat Bessarion cardinalis. Nicænus archiepiscop. in oratione habita pro unione utriusque ecclesiæ in concilio Florent., necnon ipsum concilium, atque multi, qui data opera, de hac controversia scripserunt. Fugiebant autem phrasim illam, procedere ex, vel a, vel de Filio, judicantes has præpositiones rationem denotare principii: putantes necessario ex illo loquendi modo statim inferri duo principia. Ut vero perceperunt rationem unius principii conitare cum sententia Latinorum, facilius & alacrius iisdem subscripserunt: ut videre est in conclusione concilii Florentini, & ex iis quæ gesta sunt in concilio Lugdunensi sub Gregorio X.

DECRETA JUHELII TURONENSIS

ARCHIEPISCOPI PRO ECCLESIA BRIOCENSI,

Anno MCCXXXIII.

Juhellus Dei gratia Turonensium archiepiscopus, omnibus Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino.

Cum in Briocensi diœcesi visitationis officio fungeremur, nos ad Briocensem ecclesiam accedentes, quædam in ea ad honorem Dei & ipsius ecclesiæ, venerabili Fratre nostro Willelmo dicti loci episcopo, & canonicis quos invenimus ibidem, præsentibus & consentientibus, duximus statuenda: quæ si bene custodiri contigerit, ipsa ecclesia Divino servitio, concedente Domino, non privabitur in futurum.

Statuimus siquidem quod septem canonici, qui in villa Briocensi præbendas suas percipiunt, ad parochiam Briocensis ecclesiæ vicarium unum eligent, quem episcopo præsentabunt, & qui ab eo curam animarum habebit. Vicarius vero prædictus duos capellanos secum habebit, quos episcopo præsentabit: ita quod ipse vicarius & duo capellani prædicti parochiæ servire tenebuntur, & etiam majori altari ecclesiæ Briocensis, & horis in eadem ecclesia interesse. Vicarius vero omnes redditus parochiæ prædictæ percipiet, exceptis peregrinorum oblationibus, & bladi decimis, quæ dictis septem canonicis remanebunt: & etiam vicarius persolvet eisdem quatuor libras annuæ pensionis. Tenebuntur autem jurare tam vicarius, quam capellani sui canonicis memoratis, quod redditus ipsorum, qui ad eorum manus devenient, fideliter custodient, & reddent eisdem. Alii autem quinque canonici per se, si voluerint, deservient in ecclesia memorata. Quod si non fecerint, cantor & archidiaconus Guillelmus vicarios sacerdotes in ipsa tenebunt, ita quod uterque eorum centum solidos de redditibus præbendæ suæ vicario suo annuatim concedet. Guillelmus vero canonicus & diaconus vicarium diaconum in ipsa tenebit, qui de redditibus præbendæ suæ sexaginta solidos percipiet annuatim. Magistri vero Willelmus de Alta villa, & Petrus de Moncontor vicarios subdiaconos tenebunt ibidem, quorum uterque de redditibus eorum ipsorum quinquaginta solidos annuatim habebit.

Statuimus insuper quod nullus canonicus vel clericus de choro Briocensi a pulsatione matutinarum usque post magnam Missam, & a pulsatione nonæ usque post completorium, sine supellicio intret ecclesiam Briocensem.

Statuimus præterea, quod de redditibus servitio ecclesiæ deputatis, canonicis qui horis intererunt, per aliquem vel per aliquos ad hoc a capitulo deputandos, fiat quotidie distributio, tali modo: Ad matutinas scilicet, quatuor denarii, ad magnam Missam, tres denarii; ad vesperas, duo denarii deputentur: ita quod si dicti redditus ad distributiones istas per totum anni curriculum faciendas non possent sufficere, saltem semper adventus, & quadragesimæ temporibus fiat distributio, ut in aliis temporibus sit defectus potius quam in istis. Considerantes etiam quod in dicta ecclesia sint quædam pingues, quædam vero tenues præbendæ, cum dignum sit, quod qui in vinea Domini sabaoth par pondus sustinent & laborem, pari recompensentur mercede: statuimus quod post obitum quinque canonicorum, qui pinguiores habent præbendas, omnes in dicta ecclesia adæquentur præbendæ, sic scilicet, quod quilibet canonicus pro grossa præbenda xx. libras percipiat, ratione cujus residentiam sex mensium vel in ipsa ecclesia facere teneatur, vel in schola ubi sit studium generale: super quo & teneatur capituli sui consensum requirere; quod tamen eidem capitulum non poterit denegare.

Duodecim vero præbendis sic in ipsa ecclesia adæquatis, residuum, si quod fuerit, servitio ecclesiæ deputetur. Decedentibus vero canonicis, si præbendam vacare contigerit, quæ valorem viginti librarum excedat, de illa viginti libræ instituendo canonico assignentur, & residuum communitati canonicorum applicetur. Cum autem præbenda minoris valoris quam viginti librarum vacaverit, substituendus in ea canonicus ipsam in statu illo habeat, donec post obitum illorum quinque canonicorum qui pinguiores habent præbendas; ita quod ipsis defunctis, omnes præbendæ tam pingues quam tenues ad viginti librarum valorem, ut dictum

ANNO CHRISTI 1233.

est, redigantur, & residuum servitio ecclesiæ A deputetur.

Episcopus vero prædictus, ecclesiæ suæ honorem & exaltationem desiderans, ut in dicta ecclesia canonicorum numerus augeatur, ad preces nostras concessit capitulo Briocensi ecclesiam de Ploidran, ab ipso, post obitum personæ quæ in præsentiarum tenet eamdem, in perpetuum possidendam. De qua nos volentes quod non solum in Briocensi ecclesia per vicarios vel per capellanos, sed & per canonicos sacerdotes serviatur: de consensu ipsius episcopi & canonicorum, qui tunc erant præsentes, B statuimus, quod cum dictam ecclesiam vacare contigerit, capitulum in ipsa ponet vicarium, episcopo, ut curam animarum ab ipso habeat, præsentandum, qui secum unum capellanum habebit, & tenebit; cui certa portio de proventibus ipsius ecclesiæ relinquetur. De residuo vero sient in ecclesia Briocensi duæ præbendæ sacerdotales, aliis præbendis æquales, in quibus episcopus duos creabit canonicos, qui in sua institutione jurabunt, quod in ecclesia Briocensi per se deservient; & quod infra annum a tempore suæ institutionis se facient in presbyteros ordinari. Quod si non facerent, C præbendæ ipso jure vacarent, & aliis ab episcopo conferrentur. Nec poterunt episcopus vel capitulum tempus hujus prorogare. Si quid vero de portione, quam capitulum percipiet in ecclesia memorata, ultra quadraginta libras, ad dictas duas præbendas assignandas, residuum fuerit: servitio Briocensis ecclesiæ deputetur. Capitulum vero memoratum gratiam sibi factam ab episcopo tenens memoriter, & volens se ei reddere non immerito gratiosum: ecclesias de Pleneet & de Henanbian, ad usus episcopalis mensæ antea deputatas, concessit eidem liberaliter & benigne, ab ipso & suis successoribus in perpetuum possidendas.

Ut autem ista ordinatio futuris temporibus inviolabiliter observetur, statuimus quod instituendus episcopus, post consecrationem suam, antequam recipiatur in ecclesia Briocensi, juret se servaturum eamdem, & eam sigillo suo sigillet: similiter quilibet instituendus canonicus, antequam ei stallum in choro, & locus in capitulo assignetur, juret se servaturum eamdem; & quod denarios distributionum, nisi horis interfuerit, non percipiet, nec præbendam suam, nisi residentiam in ecclesia Briocensi fecerit, ut superius est expressum.

Actum apud S. Briocum de consensu venerabilis fratris nostri Willelmi episcopi Briocensis, qui præsentibus litteris sigillum suum apposuit: & de consensu etiam canonicorum, qui tunc in eadem ecclesia præsentes erant. Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio, mense Octobri.

Ego Petrus primo vidi hanc chartam anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo quarto, die Jovis post Epiphaniam Domini.

CONVENTUS MOGUNTINUS

ADVERSUS QUOSDAM DE HÆRESI INFAMATOS,

Anno Domini MCCXXXIII. celebratus.

ORta erat in Germania Stadingorum hæresis, dæmone magistro usa, qui se multiplices formas induebat in secretis eorum scholis, in quibus horrenda flagitia perpetrabantur. Ad eam excindendam Pontifex * *litteras ad Conradum Mapurgensem ex ordine Prædicatorum dedit, quibus hortatus est, ut perfidos revocare niteretur a scelere; si pertinaces essent, saeram in eos militiam compararet. Paruit Conradus pontificis mandato, ut ex anonymo Schafnaburgensis continuatore intelligimus: qui ad annum MCCXXXII.* Circa Rhenum, *inquit*, & alibi, innumerabiles hæretici, per magistrum Conradum de Marburg, auctoritate apostolica examinati, ac per sententiam sæcularem damnati, igne combusti sunt. Fuerunt autem præsente eodem Conrado Erphordiæ quatuor combusti. Anno MCCXXXIII. rex (Henricus Friderici Imperatoris filius) & Moguntinus (archiepiscopus Conradus) & magister Conradus de Marburg, Moguntiæ conventum episcoporum & comitum atque clericorum fecerunt pro quibusdam infamatis de hæresi. Inter quos comes de Seine accusatus, inducias purgationis ulteriores obtinuit. Super reliquos vero qui non comparuerunt, prædictus Conradus de Marburg, ibidem populum cruce signavit. Quapropter illi felle amaritudinis commoti, jam dicto Conrado in reditu insidias juxta Marburg ponentes, ipsum una cum Gerardo Minoris ordinis fratre, probatæ vitæ viro, III. Kal. Aug. crudeliter occiderunt. *Addit*: Hoc anno hæreticorum innumera multitudo per totam Alemanniam igne cremata est: multoque plures hæresim abjuraverunt.

* lib. 6. registri, ep. 173.

CON-

ANNO CHRISTI 1233.

AD CONVENTUM MOGUNTINUM

In causa hæreticorum Stadineorum, & pro discutienda quorumdam de hæresi delatorum querela, Anno 1233. habitum

ADDITIO.

Mansi to. II.

MOguntino conventui ab Henrico Germaniæ rege indicendo incitamentum præbuisse non dubito Gregorii papæ IX. litteras, quibus regem sollicitavit, hæreticos Germania invalescentes coerceret. Has ergo litteras, tanquam rerum ad hunc conventum spectantium portionem, hic dandas arbitror acceptas ex Martene Anecdot. to. 1. pag. 950.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ IX.

Ad Henricum Friderici imperatoris filium.

De quibusdam hæreticis Germaniæ.

GRegorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Henrico, carissimi in Cristo filii nostri Frederici Romanorum imperatoris, illustris semper augusti, Jerusalem & Siciliæ regis, filio S. A. B.

Vox in Rama audita est, ploratus multus & ululatus, Rachel plorat, videlicet pia mater ecclesia, filios quos diabolus mactat & perdit, quasi consolationem non recipit, quia filii more vipereo matris viscera lacerantes, ipsam interimere maluerunt. Nam multitudo dolorum urgentium, quibus ut parturiens mater ipsa circumdatur, vociferari eam, & dicere: Ventrem meum doleo, cum propheta compellit. Cum enim omnis creatura usqueadhuc ingemiscat, secundum Apostolum, & parturiat; genitricis ecclesiæ sacer uterus viscerum suorum dolore turbatur, quæ feri singularis morsibus discerpuntur. Ille siquidem coluber tortuosus, quem, obstetricante manu Domini, de cavernis propriis, carnalibus scilicet hominum cordibus eductum legimus, & contra eos pugnat extrinsecus, in quibus intrinsecus jam non regnat, & quorum dominium intus perdidit; bella molitur foras novam persecutionem ecclesiæ Christi: immo verius sponso Christo per ministros suos operarios iniquitatis instaurat. Ipse enim qui a principio in veritate non stetit, sed mutare in mendacium nititur veritatem, ut latius suæ fraudis virus effundat, perdere pugnantes animas elaborat, ne fœtus fidei, quam ex amore divino conceperant, ad partum valeant consummati operis pervenire. Unde nos qui causam tenemur fœcunditatis ejus habere, quasi secantis perfidiæ mucrone conscindimur, dum in suis visceribus hæreticorum scindentium ejus uterum venenatis sagittis novi erroris & confusionis appetimur inauditæ; totusque in amaritudine funditur spiritus: effusum est in terra jecur nostrum, turbata est anima nostra valde, ac impletus est doloribus venter noster. Defecerunt præ lacrymis oculi nostri, & super tam nefandis abominationibus contremuerunt renes, omnia viscera sunt commota: reprimere lacrymas & continere suspiria non valemus. Sicut enim litteræ venerabilium fratrum nostrorum archiepiscopi Moguntini, & episcopi Hildesensis, ac dilecti filii nostri * magistri Coraudi de Marburch, prædicatoris verbi Dei, grandi mœrore plenæ & immenso dolore non vacuæ nobis exhibitæ continebant, inter diversas hæresum species, quæ peccatis exigentibus Alemanniam infecerunt, una sicut detestabilior cæteris, sic & generalior universis, quæ non solum referentibus, sed etiam audientibus est horrori, in nobilibus membris ecclesiæ ac valde potentibus jam erupit. Hæc enim est omni dissona rationi, omni pietati contraria, omni cordi odibilis, cœlestium omnium & terrestrium inimica, contra quam non solum homines ratione utentes, verum etiam ratione carentia, cum hæc pestis eorum excedat insaniam, immo & ipsa elementa debent insurgere & armari. Hujus pestis initia talia perferuntur. Nam dum novitius in ea quisquam recipitur, & prædictorum primitus scholas intrat; apparet ei quædam species ranæ, quam bufonem consueverunt aliqui nominare. Hanc quidam a posterioribus, & quidam in ore damnabiliter obsculantes, linguam bestiæ infra ora sua recipiunt & salivam. Hæc apparet interdum indebita quantitate, & quandoque in modum anseris vel anatis; plerumque etiam furni quantitatem assumit. Deinde novitio procedenti occurrit miri palloris homo, nigerrimos habens oculos, adeo extenuatus & macer, quod consumtis carnibus sola cutis relicta videtur ossibus superducta. Hunc novitius osculatur, & sentit frigidum sicut glaciem; & post osculum catholicæ fidei memoria evanescit de ipsius corde totaliter. Ad convivium postmodum discumbentibus & surgentibus, completo ipso convivio, per quamdam statuam, quæ in scholis hujus esse solet, descendit retrorsum ad modum canis mediocris catus, niger, retorta cauda; quem a posterioribus primo novitius, post magister, deinde per ordinem singuli osculantur, qui tamen digni sunt & perfecti. Imperfecti vero qui se dignos non reputant, pacem recipiunt a magistro, & ceteris singulis per loca sua positis, dictisque quibusdam carminibus, versus catum capitibus inclinatis, per se nobis dicit magister & proximo. Quis hæc percipit? Respondente ac dicente tertio, Summus magister: quartus ait, nos obedire debemus. Et his ita peractis extinguuntur candelæ, & proceditur ad fœdissimum opus luxuriæ nulla discretione habita inter extraneas & propinquas. Quod si forte virilis sexus, supersunt aliqui ultra numerum mulierum, tandiu in passiones ignominiæ in desideriis suis invicem exardentes masculi in masculos turpitudinem operantur. Similiter & fœminæ immutant naturalem usum in eum, qui est contra naturam, hoc ipsum inter se damnabiliter facientes. Completo vero tam nefandissimo scelere, & candelis iterum reaccensis, singulis-

* De eo vide in vita S. Elisabeth regis Hungaror, filiæ apud Surium 19. Novemb.

guliſque in ſuo ordine conſtitutis, de obſcuro ſcholarum angulo, quo non carent perditiſſimi homines, quidam homo procedit a renibus ſurſum fulgens, & ſole clarior, ſicut dicunt, & deorſum inſipitus ſit catus, cujus fulgor illuminat totum locum. Tunc magiſter excerpens quid de veſte novitii, fulgido illi dicit: Magiſter hoc mihi datum do tibi. Illo fulgido reſpondente: bene mihi ſerviviſti; pluries & melius ſervies, tuæ committo cuſtodiæ quod dediſti. Et his dictis protinus evaneſcit. Corpus etiam Domini ſingulis annis in Paſcha de manu recipiunt ſacerdotis, & illud ad domos ſuas ore portantes, in latrinam projiciunt in contumeliam Redemptoris. Ad hæc infeliciſſimi omnium miſerorum gubernantem cœleſtia pollutis labiis blaſphemantes, aſſerunt delirando cœlorum Dominum violenter, contra juſtitiam & doloſe Luciferum in inferos detruſiſſe. In hunc credunt etiam miſeri, & ipſum affirmant cœleſtium Conditorem, & adhuc ad ſuam gloriam, præcipitato Domino, rediturum, per quem, cum eodem, & non ante ipſum ſe ſperant æternam beatitudinem habituros. Omnia Deo placita non agenda fatentur, & potius agenda quæ odit. Proh dolor! quis umquam audivit talia? quis tam nefaria cogitare, quis tantam non poterit abominari perfidiam? Quis tantæ perfidiæ poterit non iraſci? Quis contra hujus proditionis & perditionis filios poterit non accendi? Ubi zelus Moyſi, qui una die idololatrarum viginti-tria millia interfecit? Ubi eſt zelus Phinees, qui Judæum cum Madianitide uno pugione confodit? Ubi eſt zelus Eliæ, qui quadringentos quinquaginta prophetas ad torrentem Ciſon gladio interemit? Ubi eſt Mathatiæ zelus, cujus furor ſecundum legis judicium adeo eſt accenſus, ut inſiliens trucidaret Judæum immolantem idolis ſuper aram? Ubi eſt auctoritas Petri, qui Ananiam & Saphiram pro eo quod Spiritui-Sancto mentiri non timuerint exarſit? Certe ſi contra tales terra conſurgeret, & iniquitates ipſorum cœli ſydera revelarent, & manifeſtarent eorum ſcelera toti mundo, ut non ſolum homines, ſed etiam ipſa elementa conjurarent in eorum excidium & ruinam, ipſoſque delerent de terræ facie, non parcentes ſexui vel ætati, ut eſſent cunctis gentibus in opprobrium ſempiternum, ultio de ipſis ſumi non poſſet ſufficiens ſive digna. Ceterum licet magna ſit horum peſtilentium contritio velut mare, ſcientes tamen quod non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare non poſſit, & excoquere ad purum ſcoriam eorumdem, & omne ſtannum auferre compatiendo ex intimo cordis ſuper contritione eorum pervalida, ne nobis valeat imputari, quod eam circumligare correctionum faſciis neglexerimus, & manſuetudinis oleo confovere: ac ſperantes quoque ut ille, qui etiam iratus non deſinit miſereri, non ſemper continebit ſuæ pietatis viſcera ſuper eos, ſed de illorum manu transferet calicem iræ ſuæ, circa correctionem illorum prævidimus laborandum. Quia vero in ore dictorum archiepiſcopi, epiſcopi, & magiſtri Conradi non eſt verbum Dei alligatum, qui in eo infundente gratiæ ſuæ imbrem, qui dat omnibus affluenter, potentes ſunt opere ac ſermone; ipſos rogandos, ac monendos duximus in Domino, ac hortandos, in remiſſionem eis peccaminum injungentes, ut ſumant reſinam ad mitigandum dolorem, & vulnera ipſorum ſananda. Accedant Angeli pacis ad exhibendam eorum plagæ medelam, & ad correctionem eorum diligenti ſollicitudine ac ſollicita diligentia elaborent. Quod ſi forte, ut ferrum per monitionem eorum extrahatur de vulnere „ non fuerit deſuper eis datum; & ipſorum computruerint adeo cicatrices, quod plaga ipſa quaſi penitus deſperata noluerint ad ſinum matris eccleſiæ prona mente redire, tantam ac talem cautionem de converſione ſua & perſeverantia exponentes, quod de recidivo ipſorum perfidorum de cetero nullatenus ſit verendum, quia in tam grandi & gravi morbo recurrendum eſt ad validiora remedia, ubi medicamenta levia non profuerunt; & apponendum ferrum & ignis vulneribus, quæ fomentorum non ſentiunt medicinam, putridis carnibus, ne partem ſinceram attrahant, amputatis, advocent contra eos receptatores, defenſores & ipſorum ſpiritualis & materialis gladii præſtantem. *Videtur hic aliquid deeſſe.*

„ Reliqua conventus hujus acta brevi com-
„ pendio ab anonymo Schafnaburgenſi tradita
„ & nihilo latius a Labbeo deſcripta; hic ſu-
„ ſius narrare pergo ex authore de geſtis ar-
„ chiepiſcoporum Trevirenſium in Veter. Mo-
„ num. Martenii tom. IV. pag. 244. tum &
„ apud Eccardum in Corp. Hiſt. Germ.

Igitur ſupra memorati ſanctæ catholicæ fidei zelatores, acerrime hæreticis inſiſtentes, cum ruſticanorum hominum utriuſque ſexus innumeram multitudinem, tum contundendo, per diverſa loca peſſum dediſſent, appoſuerunt & divites impetere atque magnates. Inter quos dum comitem Henricum de Seyna aggrederentur, mirum quod comes ille, qui magnæ crudelitatis eſſe dicebatur, litteras citatorias ſibi a magiſtro Conrado tranſmiſſas cum æquanimitate ſuſcepit, ſtatimque ad conſilium cleri & religioſorum tutus * convolavit, regis quoque & epiſcopum. Quid plura? Factus eſt conventus epiſcoporum ac principum cum rege Henrico apud Moguntiam, in feſto S. Jacobi, ubi, comite comparente, & magiſtro Conrado in cauſa deficiente, accuſatoribus & teſtibus reſilientibus, aliis ſe coactos vel circumventos, in comitem mala dixiſſe ſe fatentibus, aliis de odioſa præſumtione * notatis, rex alium diem ad ventilandam altius cauſam edici voluit. Comite autem inſtantius petente, ut ad finem cauſæ tenderetur, archiepiſcopus Trevirenſis dixit ad comitem: dominus meus rex vult, quod cauſa iſta differatur; & ad populum: denuntio vobis, quod comes Seynenſis hic recedit pro homine catholico & inconvicto. Et magiſter Conradus ſubmurmurando ait: Si convictus eſſet, alia ratio eſt. A quo conventu cum magiſter Conradus ſumto regis & epiſcopi Moguntini conductu recederet, reverſurus in ſua, in via interemtus eſt, una cum ſocio ſuo Gerardo quodam.

* Ecc totus

* Ec de c præ ve

ANNO CHRISTI 1233.

MOGUNTINUM CONCILIUM

A SIFFRIDO MOGUNTINO ARCHIEPISCOPO

Anno 1233. *habitum*.

ANonymus Erfordienſis in Chron. a Schannat Widem. to. 1. pag 98. vulgato ad annum 1233. hæc ſcribit : *Hoc anno III. id. Martii Siffridus Moguntinæ ſedis archiepiſcopus Moguntiæ concilium celebravit pontificatus ſui anno III.* Nec plura ille vel alius de hoc concilio, quod plane diverſum eſt a conventu Moguntino, de quo jam egi, ut temporis quo Auterque convenit diſcrimen demonſtrat. Illud enim die VIII. auguſti hujus anni convenit eodem ſcriptore teſte ; hoc vero ante aliquod tempus, nempe martio menſe habitum eſt. Ex quo intelligunt lectores poſtremum hoc præferendum mihi fuiſſe priori ; ſed piguit inſertum non ſuo loco per incuriam, amovere ut ſedi ſuæ reſtitueretur.

CIRCA ANNUM CHRISTI 1233.

INQUISITIONES PER ARCHIDIACONATUS EPISCOPATUS LINCOLNIENSIS, A SINGULIS ARCHIDIACONIS FACIENDÆ.

1. AN aliqui rectores eccleſiarum, vel vicarii, vel ſacerdotes parochiales, ſint enormiter illitterati?

2. An ſacramentum Euchariſtiæ portetur ad infirmos, cum debita reverentia, &, ſicut decet, cuſtodiatur?

3. An aliqui prædicti, vel aliqui infra ſacros ordines conſtituti, ſint incontinentes?

4. An incontinentes ſint correpti per archidiaconum loci, & quoties unuſquiſque ſit correptus & qualiter?

5. An aliqui convicti vel confeſſi ſuper incontinentia, obligaverint ſe ad reſignationem beneficii, vel ad aliquam pœnam canonicam ſi recidiverint, & ſi quiſquam eorum recidiverit poſt obligationem?

6. An aliqui beneficiati, in ſacris ordinibus conſtituti, ſunt uxorati?

7. An aliqui clerici frequentent eccleſiam monialium ſine cauſa rationabili?

8. An aliquis clericorum in ſacris ordinibus teneat mulierem cognitam ſibi, vel aliam, de qua oritur ſuſpicio mala?

9. An aliqui ſint ebrioſi, vel tabernas frequentantes, vel uſurarii, vel negotiatores, vel pugnantes, vel alio vitio notentur?

10. An aliqui ſint firmarii, dantes vel recipientes ad firmam eccleſias, ſine licentia epiſcopi?

11. An aliqui ſint vicecomites, vel juſtitiarii ſæculares, vel tenentes bailivas a laicis, unde obligentur eis ad rationcinia?

12. An aliqui rectores faciant pactum cum ſacerdotibus ſuis annuis, ut præter ſtipendia a rectore recepta, poſſint ab aliis recipere annualia vel triennalia?

13. An aliquis ſacerdos parochialis non habeat a rectore ſuo ſufficientem ſuſtentationem?

14. An laicis detur ad firmam aliqua libera terra alicujus eccleſiæ?

15. An redditus aſſignati ad luminaria, vel ad alios uſus eccleſiæ certos, in certos uſus eccleſiæ convertantur, vel in uſus rectorum vel vicariorum?

16. An alicubi compellantur parochiani, ut in die Paſchæ ſimul communicent & offerant?

17. An aliqui intendant hiſtrionibus, vel ludant ad aleas, vel taxillos?

18. An aliqui portent arma, vel non habeant tonſuram, & habitum congruentem?

19. An aliquis habeat plures curas animarum ſine diſpenſatione?

20. An aliquis rector, ſive vicarius, ſit filius proxime miniſtrantis?

21. An aliquis ſacerdos exorqueat pecuniam pro pœnitentia vel aliis ſacramentis, vel injungat pœnitentias lucrativas?

22. An diaconi miniſtrent ſacramenta ſolis ſacerdotibus commiſſa, vel audiant confeſſiones?

23. An aliquis rector vel vicarius non ſit in ordine, quem exigit ſua cura, vel non faciat reſidentiam in ſuo beneficio?

24. An eccleſia aliqua non habeat clericos vel clericum honeſtum ſecundum facultates eccleſiæ?

25. An mercata, vel ludi, ſeu placita ſæcularia, ſint vel fiant alicubi in locis ſacris?

26. An cœmeteria ſint ubique clauſa, & eccleſiæ decenter ædificatæ & ordinatæ, & vaſa ſacra rite cuſtodita?

27. An aliquis ſacerdos celebret de aceto?

28. An aliqui beneficiati, audiant vel doceant leges ſæculares?

29 An canon miſſæ ſit rite correctus?

30. An alicubi leventur arietes, vel fiant ſcottalos, vel decertetur in præeundo cum vexillo matricis eccleſiæ?

31. An ad mandatum eccleſiæ & epiſcopi, hæc in ſingulis eccleſiis alias ſint prohibita?

32. An aliquis clericus vel laicus teneat in hoſpitio ſuo concubinam clerici : & ubi ſunt concubinarum receptacula?

33. An aliquis ſacerdos ſit deſidioſus ad viſitandum infirmos?

34. An chriſmalia convertantur in uſus ſæculares?

35. An aliqui religioſi appropriaverint ſibi aliquas decimas vel eccleſias, ſine licentia epiſcopi, vel aliqua hujuſmodi?

36. An aliquæ eccleſiæ ſint vel fuerint retentæ ſine ſacerdote?

CIRCA ANNUM CHRISTI 1233.

37. An aliqui vicarii ſe faciant rectores, vel A e converſo?

38. An aliqui illegitimi, cum quibus non eſt diſpenſatum, habeant eccleſiaſtica beneficia, vel ſint in ſacris ordinibus conſtituti?

39. An aliqui gerant ſe rectores vel vicarios, qui non ſunt per epiſcopum inſtituti?

* *f.* num mutentur, 40. An ſuperaltaria ſint honeſta, & non * molentur ſuper ea colores, & quæ eccleſiæ ſint dedicandæ?

41. An aliqua, poſt Oxonienſe concilium, ſint diruta ſine epiſcopi licentia?

42. An Judæi morentur alicubi, ubi non conſueverunt morari?

43. An adulteria, vel crimina publica laicorum, ſint rite per archidiaconum correcta; & B ſi aliqua ſint incorrecta?

44. An in ſingulis archidiaconatibus ſint ſufficientes pœnitentiarii epiſcopi?

45. An aliqui laici ſint pertinaces, ut ſtent in cancello cum clericis: & qui ſacerdotes ſunt ordinati alibi extra epiſcopatum, & per quem licentiati ſunt ad celebrandum? CIRCA ANNUM CHRISTI 1233.

46. De vita & honeſtate archidiaconorum, decanorum, & clericorum, qui miniſtrant in eccleſiis?

47. An aliquis ſacerdos bis celebret in die, niſi in caſibus conceſſis, & in propria perſona, in propria eccleſia?

48. An aliqua anachorita facta ſit ſine aſſenſu epiſcopi?

49. An in aliqua capella celebretur ſine aſſenſu epiſcopi?

50. An alicubi morentur monachi vel alii religioſi in grangiis, vel aliis poſſeſſionibus ſuis, & quomodo ſe gerunt, & cujus famæ ſunt? De famulis eorum & ſervientibus, quomodo ſe gerunt, & cujus famæ ſunt?

ANNO CHRISTI 1234.

☞ CONVENTUS TARRACONENSIS,

In quo Jacobus Aragoniæ rex cum episcopis sanctiones quasdam constituit

Anno 1234. *habitus*,

Extat ap. Mart. Vet. Mon. t. VII. p. 123. Ex Manſi Suppl. to. II. pag. 1027.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, C quæ mundum pugillo continens, imperantibus imperat, & dominantibus dominatur. Manifeſtum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, quod nos Ja. Dei gratia rex Aragonum & regni Majoricarum, comes Barchinonæ & Urgelli, & dominus Montiſpeſſulani, volentes circa commiſſum nobis regnum proviſionem debitam adhibere, & ſtatum regni noſtri cupientes in melius reformare, una cum ſalubri conſilio ac diligenti tractatu venerab. G. Terraconæ electi, G. Gerundenſi, Bn. Vicenſi, B. Ilerdenſi, S. Cæſar Auguſtan. P. Dertuſenſi epiſcop. H. domus militiæ Templi, H. domus Hoſpitalis magiſtrorum, abbatum etiam & aliorum totius regni noſtri quam plurium prælatorum exiſtentium nobiſcum perſonaliter apud Terraconam, irrefragabiliter ſtatuentes decernimus, & firmiter inhibemus, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publice vel privatim de fide catholica diſputare; & qui contra fecerit, cum conſtiterit, a proprio epiſcopo excommunicetur, & niſi ſe purgaverit, tamquam ſuſpectus de hæreſi habeatur.

II.

Item, ſtatuitur, ne aliquis libros veteris vel novi teſtamenti in Romanico habeat. Et ſi aliquis habeat, infra octo dies poſt publicationem hujuſmodi conſtitutionis a tempore ſententiæ, tradat eos loci epiſcopo comburendos, quod niſi fecerit, ſive clericus fuerit, ſive laicus, tamquam ſuſpectus de hæreſi, quouſque ſe purgaverit, habeatur.

III.

Item, ſtatuimus ne aliquis infamatus de hæreſi vel ſuſpectus, ad bajuliam, vicariam, juriſdictionem temporalem vel officium publicum admittatur.

IV.

Item, ne fiat receptaculum ſordium ubi fuit latibulum perfidorum, ſtatuimus ut domos recipientium hæreticos ſcienter, ſi alodia fuerint, deſtruantur, ſi cenſualia, ſuo domino applicentur, & hæc tam in civitatibus, quam extra præcipimus obſervari.

V.

Item, innocentes pro innocentibus habeantur, aut ne quibuslibet per aliquorum calumniam hæretica pravitas impingatur; ſtatuimus ne aliquis credens vel hæreticus puniatur, niſi per epiſcopum loci vel aliquam perſonam eccleſiaſticam fuerit credens vel hæreticus judicatus.

VI.

Item, ſtatuimus quod quicumque in terra ſua ſive dominicatura de cetero ſcienter vel negligenter, per pecuniam vel aliam quamcumque cauſam, hæreticos permiſerit commorari, D ſi minime fuerit confeſſus vel convictus, ipſo facto amittat in perpetuum terram ſuam: ita tamen quod ſi feuda fuerint, ſuo domino applicentur; ſi vero alodia, noſtro domino confiſcentur, & corpus ſuum in manu noſtra prout debuerit puniendum.

VII.

Si autem de ſcientia convictus non fuerit, & probata fuerit negligentia diſſoluta, vel frequenter inveniatur in terra ſua, vel credentes, & ſuper hoc fuerit diffamatus, noſtro arbitrio puniatur. Bajulus vero qui ſemper eſt reſidens in loco quem præſumit, vel vicarius niſi contra hæreticos & eorum credentes valde ſolE licitus inveniatur, & negligens, ab officio bajuliæ & vicariæ perpetuo deponatur.

VIII.

Item, ſtatuimus ut in locis ſuſpectis de hæreſi, in quibus epiſcopus viderit expedire, unus ſacerdos vel clericus ab epiſcopo, & duo vel tres a nobis laici vel noſtro vicario vel bajulo eligantur, qui hæreticos vel credentes & receptores eorum in ſuis parochiis perquirere teneantur. omnia loca quantumcumque ſecreta intrandi, vel perſcrutandi, cujuſcumque dominii vel privilegii habeantur, nulla eis licentia denegata, ſub pœna quam idem epiſcopus denegantibus velit imponere: ſuper quo eidem epi-

episcopo publice auctoritatem regiam imper-timur.

IX.

Qui etiam inquisitores hæreticos, credentes, fautores, & receptatores, ex quo invenerint, cautela adhibita ne fugere valeant, archiepiscopo, & episcopo, & nostro vicario seu bajulo loci, dominis etiam locorum seu eorum bajulis, non differant nuntiare. Illi vero quos ad prædictum negotium episcopus loci & nos, vel vicarius noster seu bajulus, duxerimus negligendos, si in executione officii hujus fuerint negligentes; si clericus, per subtractionem proprii beneficii; si laicus, per pœnam pecuniariam, nostri bajuli vel vicarii judicio puniatur.

X.

Statuimus etiam quod paces & treugæ factæ & confirmatæ apud *Almudaver* similiter observentur apud Barchinonam, & omnia statuta ibidem facta tempore exercitus Majoricarum inviolabiliter observentur.

XI.

Item, statuimus, ut paces & treugæ factæ & confirmatæ apud *Almudaver* similiter observentur.

XII.

Statuimus etiam, ut litteræ de simplici justitia in nostra curia XII. denariorum pretio concedantur.

XIII.

Item littera, privilegia & instrumenta super quocumque negotio a nobis impetrata, irrevocabiliter observentur, & absque causæ cognitione in præjudicium alterius minime revocentur.

XIV.

Item, statuimus, ut rescriptum a nobis super prolongatione debita ab aliquo impetratum non valeat, nisi debitor caveat creditori, quod ad terminum quod nos ei dedimus, persolvantur, nisi tempore exercitus.

XV.

Item, statuimus, quod ad preces alicujus non remittamus justitiam.

XVI.

Item, statuimus, quod non committamus alicui infra terram nostram sigillum nostrum minus vel majus, præterquam in curia nostra.

XVII.

Item, statuimus, quod clerici & religiosi & homines eorumdem non dent pedagia sive leudas, nisi eas, quas dabant tempore P. regis Aragonum patris nostri, & domini Ildefonsi avi nostri.

XVIII.

Item, statuimus, quod si aliquis excommunicatus fuerit propria culpa, & perseveraverit contumaciter in excommunicatione per annum, deinde compellamus eum vel suos per nos & nostros vicarios satisfacere, ut debebat; quia tales non carent scrupulo hæreticæ pravitatis, ut extra de pœnis C. gravem. ANNO CHRISTI 1234.

XIX.

Item, statuimus, quod quilibet possit dare, dimittere & alienare quocumque modo voluerit, ecclesiis & locis religiosis de possessionibus suis, salvo jure nostro & domino generali & consuetudinibus antiquis. Et hoc per Cataloniam & Aragoniam volumus observari.

XX.

Item, statuimus, quod si instrumentum venditionis factum fuerit in fraudem vel usuram, tamquam inane & irritum habeatur, & contractus usurarius censeatur.

XXI.

Item, statuimus, quod clericus ratione rei mobilis ad aliquam quæstam non teneatur, salvis censibus, & agrariis constitutis, & antiquis statutis secundum diversitatem locorum.

XXII.

Item statuimus, quod Saracenus & Saracena non possit fieri Judæus & Judæa, vel Judæus & Judæa non possit fieri Saracenus vel Saracena; & qui hoc fecerint, amittant personas suas.

XXIII.

Item, statuimus, quod bajuli vicarii, milites totius Cataloniæ & Aragoniæ non hospitentur per violentiam in monasteriis, ecclesiis & domibus Templi & Hospitalis, & allis locis religiosis, & dominaturis eorum, & mansis rusticorum suorum, quod si fecerint, per nos & vicarios nostros, & homines, & per canonicas sanctiones distringantur & prohibeantur.

XXIV.

Item, rogamus dominos episcopos, quod singuli in suis episcopatibus, & per singulas parochias distringant per censuram ecclesiasticam homines suos & alienos a XIV. annis supra, ad pacem jurandam, servandam, & defendendam, secundum formam, quæ continetur in chartis pacis & treugæ factæ apud Barchinonam tempore exercitus Majoricarum.

XXV.

Homines vero ecclesiarum & locorum religiosorum ad mandatum sui episcopi, ad pacem defendendam exire & ire teneantur, secundum quod ipsi episcopo videbitur expedire, habito respectu ad negotii qualitatem, & salva jurisdictione Terraconæ ecclesiæ.

XXVI.

Et nos ipsi supradicti & magistri militiæ Templi & Hospitalis, & abbates, & alii ecclesiarum terræ nostræ prælati, promittimus vobis Terraconæ electo, omnia supradicta & singula pro posse nostro attendere & complere. Nos itaque Ja. rex prædictus promittimus omnia supradicta & singula attendere & complere bona fide sine enganno. Quod est actum apud Terraconam VII. idus Februarii anno domini MCCXXXIII.

ANNO CHRISTI 1234.

☞ FRANCFORDIENSE CONCILIUM

In quo comes de Seyna de hæresi accusatus se purgat, atque de indulto pontificio Conrado de Marbur concesso, agitur,

Anno 1234. *habitum*.

Auditus a Moguntino conventu seu concilio (nam concilium vocat anonymus Erfordiensis) comes de Seyne ad conventum hunc Francfordiensem (quod melius appelles conciliabulum, nam a Gregorio IX. reprobatum est, ut inferius narrabo) remissus fuit, ut ex anonymo Trevirensi ad conventum illum adnotavi. Hic vero secundus conventus, & causæ illius tractatione, & discussione bullæ cujusdam pontificiæ Conrado Marburgensi olim concessæ discussione celebris fuit. Prius illud fuse exponit anonymus gestarum Trevirensium archiepiscoporum scriptor; hoc vero posterius narrat diligenter anonymus Erfordiensis in Chron. vulgato a Schannat. Vvindem. to. I. pag. 93. Utrumque hic scribo.

In Mart. Vet. Mon. t. IV. p. 245.

Ita ergo Trevirensium rerum scriptor. Post hæc in Purificatione S. Mariæ factus est iterum conventus & curia solemnis apud *Frankinfort* coram rege, XXV. circiter episcopis, abbatibus, & prioribus diversorum ordinum, prioribus etiam cleri, & principibus innumeris congregatis, ubi adducta in medium causa comitis, sacramenta præstantibus episcopis, prælatis, abbatibus, Majoribus * & minoribus fratribus clericis & monachis, principibus quoque laicis, & baronibus universis, comes glorioſissime expurgatus est. Tunc Conrado episcopo Hildesheimensi, qui ex parte domini papæ ibi aderat, comitem rogante pro amore Dei omnipotentis, & pro reverentia regis præsentis, atque episcoporum ac principum, ac totius illius conventus, ac pro hoc quod Deus eum glorioſissime absolverat ab infamia sibi impacta, infamatoribus suis, lacrymans & cordi suo vim magnam faciens, indulsit.

id est fratribus Prædicatoribus (uos ad distinctionem fratrum Minorum Majores fratres appellatos censtat Mart. ex Schannat. Windem. t. I. n. 93.

Chronicon vero Erfordiense hanc conventus hujus historiam narrat: Anno Domini 1234. rex Henricus curiam solemnem Frankeneurt in Purificatione celebravit, multis ibidem principibus & episcopis congregatis ac multorum Ordinum fratribus, scilicet Cistercienſibus, Prædicatoribus, atque Minoribus & cæteris religioſis personis: itaque multis consiliis super fidei negotio præhabitis, tandem de litteris D. papæ nuper ad curiam delatis, disceptatio non modica fuit: siquidem pleriſque per Teutoniam prælatis ac clericis seu etiam laicis magistri Cunradi visitandi hæreticos seu examinandi forma displicuerat, videlicet ut aliquis infamatus ab hæresi, publico examini præsentaretur, & confessus errorem ac reverti volens tonderetur: suam vero innocentiam fide juratoria defendens, postea convictus per hæreticum, cremaretur: quapropter post concilium anno præterito Moguntiæ celebratum, rex & Moguntinus ac Trevirensis archiepiscopi, Cunradum scholasticum Spirensem ad curiam Romanam destinantes, domini papæ consilium super hujusmodi forma scisciti sunt; super quibus papa valde turbatus, & a cardinalibus, quibus negotium per jam dictum Conradum scholasticum innotuerat, inductus, magistri Cunradi de Marburc formam novis litteris irritam judicaverat; sed antequam nuncius Cunradi, redeundi licentiam assumptis litteris accepisset, ecce quidam Ordinis Prædicatorum, Torso agnomine, veniens, mortem magistri Cunradi de Marburc papæ nuntiavit; quo audito papa nimis conturbatus, litteras contra formam magistri Cunradi nuper scriptas, discerpens, regis nuncium beneficiis ecclesiasticis privare disponebat, sed per Cardinalium & Prædicatorum interventum adjutus, acceptis aliis supradictis litteris reversus est. Nunc itaque ad supradicta revertamur. Igitur rex in conventu principum Hildensheimensem episcopum accusare cœpit, pro eo quod supra hæreticos populum Cruce signavit, qui se probabiliter excusans, exhortatione competenti facta pro Crucis negotio, omnibus poscentibus se . . . . constanter exsolvebat, at cum fratre Ottone ordinis Prædicatorum, partem magistri Cunradi defuncti diligenter tuebatur; tandem absente rege & laicis personis, soli episcopi cum cæteris quibusdam prælatis in loco speciali, de fidei negotiis tractare cœperunt; cumque multa contra defuncti Cunradi partem, & aliqua pro ipso fuissent allegata, unus ex prælatis, in hæc prorupit verba dicens: *Magistrum Cunradum de Marburc dignum fore extumulandum, ac velut hæreticum concremandum*: post hæc autem intervenientibus illis infamatis, qui anno præterito, ut supra dictum est, se ecclesiæ examini dediderant, atque crucem ante se ferentibus, insuper de defuncti Curandi factis, clamosis vocibus miserabiliter querelantibus, tantus subito cœpit oriri tumultus & turbatio, ut hi qui ex parte magistri Cunradi extiterant, se manus adversariorum desperarent evadere. Deinde feria II. rex cum omnibus principibus ac prælatis, qui aderant, civitatem egrediens, in campo præsedit judicio, ibique comes de Seyne, se cum VIII. epiſc. & XII. grisei ord. abbat. ac totidem minoribus Fratribus, & tribus Prædicatoribus, ac etiam Nigrorum abbatibus, & clericis seu nobilibus laicis personis non paucis, publice & confidenter expurgavit, idemque comes de Solmis cum suis fecit, obortis lacrimis publice fatendo, se tantum mortis metu hæresim fuisse professum: & quoniam legitimi accusatores non aderant, ad infamiæ expurgationem admitti jure debuerant.

Demum de hoc ipso concilio, ita olim disserui in meis ad Raynaldum adnotationibus ad A. 1231. *quanquam ibi non satis accurate scripsi reprobari a pontifice absolutionem interfectorum, qui Conradum de Margurg peremerant, in eo concilio indultam; neque enim pontifex id exprobrat Francfordiensibus partibus; quibus id tantummodo crimini datum, quod sceleſti illi nulla multi pœna, nulla sententia puniti, sunt* ad pontificem *pro absolutionis obtinendæ gratia destinati*. Hæc igitur si correxeris, cætera iterum cedo.

Labbei in collectione conciliorum adjutor Cos-

Coſſartius collect. Labbeanæ Venet. edit. to. XIII. pag. 1317. hoc anno recitat conciliabulum quoddam Moguntinum, in quo cauſa illorum, quos Conradus Marpurgenſis damnaverat, iterum diſcuſſa, abſoluti ſunt. Conventum hunc reſciſſe ſe profeſſus eſt ex epiſtola Gregorii IX. ad archiepiſcopum Salisburgenſem, quam recitat Angelus Manrique in tom. IV. annal. Ciſterc. ad annum 1235. In ea pontifex meminit concilii cujuſdam, *in quo plures* ecclefiarum *prælati & principes ſæculares* convenerunt, ubi interfectores Conradi Marpurgii abſolutionis gratiam obtinuerunt; id autem præpoſtere ab illis factum, ſede apoſtolica inconſulta, queritur: tum ſubdit: *nos igitur, etſi hactenus iſta diſſimulationi dederimus, ſuper eiſdem tamen in poſterum procedemus*. Data eſt hæc epiſtola *II. Kal. Auguſti pontificatus anno IX.* ideſt anno 1235. Ex poſtremis his verbis non inani conjectura ſuſpicatur Coſſartius, ſermonem hic eſſe de concilio quodam ante hunc fortaſſe annum, ſed poſt necem Conrado illatam anno 1233. habito. Nec falſus eſt vir clariſſimus, quanquam in eo errat, quod concilium hoc Moguntinum inſcribit, cum Francofordienſe appellandum eſſet. Sublato enim Conrado hi, *quos ille pro hæreticis cotonderat* (quod erat ſignum acceptæ poſt hæreſim ejuratam pœnitudinis) *fere quinquaginta viri omneſque ſine qualibet contraditione ſubjecerunt ſe, ac omnia ſua tam ſpirituali, quam ſæculari poteſtati. Sex enim ex iſtis, qui occiſioni Conradi interfuerunt, quantum ad cauſam hæreſeos eccleſiaſtico, quantum vero ad cauſam interfectionis ſæculari ſe judicio ſpontanee tradiderunt, præſentandos publico examini in curia ſolemni Franckenevurt in Purificatione celebranda*. Verba ſunt hæc anonymi Erfordienſis, qui dein annum MCCXXXIV. ita exorditur: *rex Henricus curiam ſolemnem Franckenevurt in purificatione celebravit*. In eo conventu ſtitiſſe narrat *illos infamatos, qui anno præterito ſe eccleſiæ examini dediderant, atque crucem ante ſe ferentibus illis, inſuper de defuncti Conradi factis, clamoſis vocibus miſerabiliter querelantibus, tanto ſubito cœpit oriri tumultus & turbatio, ut hi qui ex parte magiſtri Conradi extiterant ſe manus adverſariorum deſperarent evadere*. Denique anonymus idem narrat comitem de Syene abſolutum fuiſſe, & de cæteris, *ut omnes ad infamiæ expurgationem admitti jure deberent*. Hoc ergo & non aliud Moguntiæ habitum concilium pontifex deſignat & reprobat; ideoque in nova, ſi quæ fiet, conciliorum collectione duo iſta corrigenda ſunt. Expuncto enim anno 1235. conciliabulo Moguntino an. 1234. conciliabulum Francfordienſe adſcribendum eſt, cui ſubijcienda duplex illa Gregorii epiſtola, quæ modo ſub titulo conciliabuli Moguntini in editione Labbeana datur. Cauſa erroris hujus ex eo deducta, quod conciliabulum coactum fuiſſe eo anno crederetur, quo Gregorii epiſtola data eſt, nempe anno 1235. eodemque reipſa Moguntiæ ſolemnis curia coiverit. Sed cum Moguntinus ejus anni conventus nonniſi medio Auguſto menſe cœperit, teſte anonymo Erfordienſi, aliiſque, & Gregorii litteræ diem XXXI. Julii ſignent, quem ille commemorant conventus, a Moguntino ejuſdem anni plane diverſus eſt.

ANNO CHRISTI 1233.

CONCILIUM ARELATENSE

A Joanne archiepiſcopo & ſuffraganeis celebratum, Gregorio Papa IX. pontifice max. Imperatore Friderico II. Regnante in Gallia S. Ludovico.

Ex MS. codice eminentiſſimi card. Chiſii nunc primum prodit.

Concilium domini Joannis celebratum anno Dom. MCCXXXIV. VI. Id. Jul.

Tituli Canonum.

1. *Ut ſtatuta concilii Lateranenſis IV. diligenter obſerventur.*
2. *Ut epiſcopi per ſe & alios prædicent.*
3. *Ut quilibet compellantur hæreticos de terris ſuis exterminare.*
4. *Ut ſingulis Dominicis & feſtis publice excommunicentur hæretici, & eorum fautores.*
5. *Ut inquirantur hæretici, & denuncientur.*
6. *Ut hæretici convicti, in carcerem perpetuum detrudantur.*
7. *Ut pax per totam Provinciam ſervetur.*
8. *Ut de pace tenenda, ſibi invicem epiſcopi dent juvamen.*
9. *Ut confratriæ non fiant, niſi de voluntate epiſcopi.*
10. *Ut excommunicatus pro damno dato, vel injuria irrogata, non abſolvatur, priuſquam ſatisfecerit.*
11. *De iis qui poſt mortem detecti fuerint hæretici, vel credentes hæreticorum.*
12. *Ut nulli laico eccleſia vel beneficium concedatur.*
13. *Ne quis excommunicetur ſine admonitione prævia. Et de pœna excommunicatorum, qui intra menſem non ſatisfecerint.*
14. *Ut epiſcopi correctioni ac reformationi morum diligenter ſtudeant.*
15. *De iis qui in qualibet ſynodo, & ſingulis Dominicis ac feſtis, excommunicandi ſunt.*
16. *Ut Judæi ſigno a Chriſtianis diſcernantur: & pro decimis ac oblationibus ſatisfacere compellantur.*
17. *Ut privilegiati non enervent ſententias prælatorum.*
18. *Ut regalia B. Trophimi viriliter defendantur.*
19. *De ruralibus eccleſiis per proprium ſacerdotem, vel ſaltem juxta diſpoſitionem epiſcopi, adminiſtrandis.*
20. *Ut in decimis, legatis, &c. jure communi procedatur.*
21. *Ne teſtamentum fiat, niſi præſente rectore vel capellano parochialis eccleſiæ.*
22. *Ne pedagia niſi legitima exigantur.*
23. *Ne quis de juribus eccleſiarum cum religioſis componat, ſine authoritate epiſcopi.*
24. *Ut nullus beneficio ſpolietur ſine cauſæ cognitione,*

ANNO CHRISTI 1234.

CANONES.

I. Ut statuta concilii Lateranensis IV. diligenter observentur.

QUoniam ex obedientiæ debito constitutiones Romanorum pontificum tenemur fideliter observare, mandamus omnibus suffraganeis nostris, & districte præcipimus, ut canonicas regulas & statuta concilii Lateranensis IV. a domino papa Innocentio III. promulgata diligenter observent, & a suis subditis faciant observari.

II. Ut episcopi per se & alios prædicent.

Item præsentis approbatione concilii duximus statuendum, ut quilibet episcopus in sua diœcesi frequenter fidem prædicet orthodoxam : & cum expediet, per alias honestas & discretas personas faciat prædicari.

III. Ut quilibet compellantur hæreticos de terris suis exterminare.

Item statuimus, quod quilibet episcopus moneat & efficaciter inducat, & si necesse fuerit, per censuras etiam compellat, potentes, castellanos, consules, & civitatum, & aliorum locorum dominos & rectores, quibuscumque fungantur officiis, ut sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publice juramentum, quod de terris suæ jurisdictioni subjectis universos hæreticos ab ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt.

IV. Ut singulis Dominicis & festis publice excommunicentur hæretici, & eorum fautores.

Item statuimus, ut singulis diebus Dominicis & festivis, publice excommunicentur & anathematizentur pulsatis campanis, & extinctis candelis, omnes hæretici, quibuscumque nominibus censeantur, credentes, receptatores, defensores, & fautores etiam eorumdem.

V. Ut inquirantur hæretici & denuncientur.

Item ut plenius exterminari valeat hæretica pravitas, statuimus ut in singulis parochiis, tam in civitate quam extra, quilibet episcopus sacerdotem unum, vel duos, vel tres bonæ opinionis laicos, vel plures, si opus fuerit, juramenti religione constringat, quod diligenter & solicite investigent, si quos ibi repererint hæreticos, credentes, fautores, defensores, & receptatores eorum, & ipsi episcopo & rectoribus civitatum, & dominis locorum, & bajulis eorumdem, cum omni studeant festinantia intimare, ut eos puniant secundum canonicas & legitimas sanctiones ; nihilo minus bona hæreticorum omnia confiscantes, iis tamen qui incarcerari debent ad arbitrium episcopi sufficienti provisione reddenda.

VI. Ut hæretici convicti in carcerem perpetuum detrudantur.

Item, sicut audivimus, quidam hæretici in Arelatensi provincia constituti, qui metu mortis ad catholicam ecclesiam revertentes, necnon & plures alii quondam de hæretica pravitate convicti, ad errorem pravitatis ejusdem, quem a se penitus abdicasse videbantur, ut gravius scindere valeant catholicam unitatem, sæpius revertuntur. Unde ne per tales, sub ficta conversionis specie, catholicæ fidei professores perniciosius corrumpi contingat : omnibus suffraganeis nostris authoritate domini papæ & nostra districte præcipimus, ut hæretici pestilentes, postquam de pravitate fuerint jam convicti, si aliter puniti non fuerint, id est, quod eorum quilibet in sua diœcesi, ut ipsis det vexatio intellectum, in carcere perpetuo detrudere non postponant : de bonis ipsorum, si qua fortassis habent, vitæ sibi necessaria, prout talibus convenit, ministrando. Damnati per ecclesiam de hæretica pravitate, si converti noluerint, sæculari judicio relinquantur animadversione debita puniendi, sicut dominus PP. statuit, * hæreticos judicamus.

* Hic aliqui

VII. Ut pax per totam provinciam servetur.

Item mandamus, quod pax servetur per totam Arelatensem provinciam, prout in statutis pacis evidentius continetur.

VIII. Ut de pace tenenda, sibi invicem episcopi dent juvamen.

Insuper hoc omnibus suffraganeis nostris, & aliis episcopis & prælatis, authoritate præsentis concilii injungentes, quod de pace tenenda & censura ecclesiæ fideliter observanda, & de plenitudine justitiæ exhibenda, mutuum sibi præstent ad invicem consilium & juvamen.

IX.

IX. Ut confratriæ non fiant, nisi de voluntate episcopi.

Item, quia propter conjurationes & conspirationes quæ confratriæ vocantur, in civitatibus, & villis, & castris, quam multæ discordiæ & dissensionis materiæ suscitantur : authoritate præsentis concilii sub interminatione anathematis prohibemus, ne in villis, civitatibus, & castris, fiant de cetero confratriæ, nisi de voluntate diœcesani episcopi, propter urgentem & evidentem utilitatem id fiat; & si quæ hactenus factæ sunt, causa cognita ad diœcesani arbitrium destruantur : possessionibus ipsarum aliis piis locis, secundum diœcesani arbitrium, deputatis.

X. Ut excommunicatus pro damno dato, vel injuria irrogata, non absolvatur, priusquam satisfecerit.

Item statuimus, quod si quis, propter danmum datum, vel injuriam irrogaram, excommunicationis vinculo fuerit innodatus, non ante absolutionis beneficium mereatur obtinere ipse qui damnum dedit, vel injuriam irrogavit, quam pro posse suo satisfaciat competenter. Quod si absque satisfactione debita fuerit absolutus, absolvens juxta superioris arbitrium puniatur.

XI. De iis qui post mortem detecti fuerint hæretici, vel credentes hæreticorum.

Item statuimus, quod si quis post mortem derectus fuerit in secta seu credentia hæreticorum decessisse, si eorum corpora vel ossa ab aliis discerni potuerint, extumulentur, & sæculari judicio relinquantur.

XII. Ut nulli laico ecclesia vel beneficium concedatur.

Item statuimus, ut nulli laicæ personæ, nomine suo vel alterius, ecclesia, vel ecclesiasticum beneficium concedatur.

XIII. Ne quis excommunicetur sine admonitione prævia. Et de pœna excommunicatorum, qui intra mensem non satisfecerint.

Item authoritate præsentis concilii prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & præsentibus personis idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari admonitio, promulgare præsumat. Excommunicatus autem, si satisfacere contempserit intra mensem, non ante, absolutionis consequatur beneficium, quam pro singulis mensibus solvat pro pœna solidos quinquaginta : quorum medietatem dominus temporalis percipiat, alia vero medietas ad pias causas, diœcesano reservetur episcopo dispensanda. ANNO CHRISTI 1234.

XIV. Ut episcopi correctioni ac reformationi morum diligenter studeant.

Item mandamus omnibus suffraganeis nostris, & districte præcipimus, ut in corrigendis excessibus & moribus reformandis, præsertim in clero, curam & solicitudinem cum Dei timore habeant diligentem, per singulas diœceses statuendo personas idoneas, providas & honestas, quæ solicite investigent, quæ correctione vel reformatione invenerint esse digna ; & ea diœcesano episcopo studeant intimare. Quod si diœcesanus negligens fuerit in correctione, ipsi referre ad provintiale concilium non postponant.

XV. De iis qui in qualibet synodo, & singulis Dominicis ac festis, excommunicandi sunt.

Item statuimus, ut in qualibet synodo, & singulis diebus Dominicis & festivis, excommunicentur usurarii & adulteri manifesti, divini & sortilegi, & omnes ad eorum divinationem vel sortilegium scienter accedentes.

XVI. Ut Judæi signo a Christianis discernantur : & pro decimis ac oblationibus satisfacere compellantur.

Item decernimus, quod Judæi masculi, a XIII. annis & supra, deferant extra domos in superiori veste, in pectore signum * cellæ, latitudinis trium vel quatuor digitorum, nisi sint in viagio constituti. Mulieres autem Judææ a XII. annis & supra, oralia deferant extra domos. Si vero Judæi quocumq; prætextu contra fecerint, Christianorum eis participium denegetur. Hac eadem pœna Judæos decernimus compellendos ad satisfaciendum ecclesiis pro decimis & oblationibus, de domibus & possessionibus, quas noscuntur in ipsis parochiis possidere.

* *Ceterorum conciliorum hac de re constitutiones habent*, signum rotæ.

XVII.

ANNO CHRISTI 1234.

XVII. Ut privilegiati non enervent sententias prælatorum.

Item hoc duximus statuendum, quod si privilegiati sententias prælatorum, & censuram ecclesiasticam duxerint enervandas, etiam eis possit propter hoc plerumque justitia denegari.

XVIII. Ut regalia B. Trophimi viriliter defendantur.

Item, cum teneamur jura suffraganeorum nostrorum defendere & servare, volumus, & mandamus omnibus suffraganeis nostris, ut regalia B. Trophimi ad ecclesiam Arelatensem pertinentia pro posse suo defendant viriliter & potenter, secundum quod in privilegiis Romanorum imperatorum eidem ecclesiæ est concessium. Quorum privilegiorum transcriptum, vel saltem tran-
Conradi scriptum privilegii Colradi, *unusquisque habeat & transcribat.

XIX. De ruralibus ecclesiis per proprium sacerdotem, vel saltem juxta dispositionem episcopi, administrandis.

Item statuimus, ut quælibet ruralis ecclesia proprium habeat sacerdotem, vel saltem juxta dispositionem diœcesani episcopi ecclesiæ serviatur.

XX. Ut in decimis, legatis, &c. jure communi procedatur.

Item statuimus, quod episcopi & alii prælati curam animarum habentes, in decimis, primitiis, legatis, vel relictis capellanis, vel monasteriis, vel aliis piis locis, & in aliis juribus ecclesiasticis, jure communi utantur, & procedant secundum canonicas sanctiones.

XXI. Ne testamentum fiat, nisi præsente rectore vel capellano parochialis ecclesiæ.

Item, quoniam pro certo didicimus, quod credentes hæreticorum, fautores, defensores, & receptatores eorum, in testamentis hæreticis hactenus legaverint: de consilio præsentis concilii prohibemus, ne quis, sine præsentia rectoris vel capellani suæ parochialis ecclesiæ, præsumat condere testamentum, vel testis interesse, nisi periculum sit. Quod si tabellio tali testamento præsumpserit interesse, ipso facto excommunicationem se noverit incursurum: & si testator taliter decesserit, sine licentia diœcesani episcopi non tradatur ecclesiasticæ sepulturæ. Quod si testator ea, quæ legavit pro animæ suæ redemptione, non diviserit, sed aliquorum dispositioni commiserit dividenda: illi sine consilio diœcesani vel ejus locum tenentis, vel rectoris ecclesiæ parochialis, si illi de facili haberi non possunt, legata dividere non præsumant.

ANNO CHRISTI 1234.

XXII. Ne pedagia nisi legitima exigantur.

Item statuimus, ne aliqua pedagia vel salinaria per Arelatensem provinciam accipiantur, nisi quæ apparent imperatorum, vel regum, vel principum, vel Lateranensis concilii largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine, a tempore cujus non extat memoria, introducta. Quod si aliquis contra hoc fecerit, & infra mensem non destiterit: ex tunc per censuras ecclesiasticas desistere compellatur.

XXIII. Ne quis de juribus ecclesiarum cum religiosis componat, sine auctoritate episcopi.

Item sub interminatione anathematis prohibemus, ne aliquis Arelatensis provinciæ, super decimis vel aliis juribus debitis ecclesiis parochialibus, cum aliquibus religiosis componere audeat, sine authoritate diœcesani episcopi: vel jus uni ecclesiæ debitum, alteri audeat assignare.

XXIV. Ut nullus beneficio spolietur sine causæ cognitione.

Item statuimus, quod nullus ecclesiastico beneficio jam adepto, sine causæ cognitione, a prælato suo aliquatenus spolietur. Quod si spoliatus, intra mensem non fuerit restitutus: extunc cum de spoliatione constiterit, superior ex officio suo spoliatum restituere non postponat.

Præcedentia statuta, excepto statuto de usuris Judæorum, fuerunt renovata a prædicto domino Joanne in concilio Arelatensi, anno Domini MCCXXXVI. III. Idus Novembris.

CON-

ANNO CHRISTI 1234.

CONCILIUM ROMANUM

PRO EXPEDITIONE IN TERRAM SANCTAM SUSCIPIENDA,

Indictum anno Domini MCCXXXIV. ſub Gregorio papa IX.

Bzovius authoritate epiſtolarum a Gregorio IX. ſcriptarum, acta hujus concilii ſummatim enarrat his verbis : Eodem anno Gregorius pontifex recuperationi terræ ſanctæ intentus, concilium Romæ celebravit. Intererant cum imperatore Friderico & archiepiſcopis atque epiſcopis, Conſtantinopolitanus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus. Ex omnium judicio decreta eſt expeditio generalis ad ſubveniendum rebus Syriacis. Huic ſacro negotio præpoſitus fuit Theodoricus archiepiſcopus Ravennas, cum poteſtate legati de latere, quem ut omnes debito honore proſequerentur, & in rebus agendis illi obtemperarent, ex ſententia concilii Gregorius omnibus archiepiſcopis & epiſcopis in regno Hieroſolymitano ſcripſit, Spoleti 6. Auguſti. Fridericus autem imperator univerſis baronibus, militibus, & populo præcepit, datis litteris annò Dominicæ Incarnationis MCCXXXIV. menſe Auguſt. Indict. 7. Conceſſit tunc Gregorius Theodorico, & ſubjunctis illi epiſcopis, ut omnis pœnæ peccatis debitæ remiſſionem iis authoritate pontificia indulgerent, qui in Hieroſolymitanam expeditionem aut ipſi exirent, aut pecuniam militeſve ſubmitterent. Injunxitque epiſcopis, in cruce inſignire eos poſſent, qui in eo ſacro bello militaturi accederent. Ad hæc renovavit execrationem concilii Lateranenſis in eos qui ad Saracenos ferrum efferrent, datis litteris Theodorico archiep. 6. Idus Nov. Perufii, quo ſe Gregorius contulerat, ut exules compeſceret.

G. C. Non Romæ celebratum eſſe concilium; ſed Spoleti, docet Odoricus Raynaldus ex authore anonymo vitæ Gregorii IX. cujus hæc verba refert: *Ibidem primo crucis verbum in terræ ſanctæ ſubſidium in majori platea civitatis utriuſque ſexus populo congregato lacrymabiliter & devote proponens, eorum turbam non modicam, cum lacrymarum profluvio, crucis charactere inſignivit*. Eodem faciunt litteræ Gregorii, quas poſt concilium ad epiſcopos omnes & prælatos Hieroſolymitani regni dedit. Sunt enim illæ Spoleti datæ, ut Bzovius paulo ante retulit. Extant apud Rubeum, hiſtor. Ravenn. lib. VI.

ANNO CHRISTI 1235.

CONCILIABULUM MOGUNTINUM

A GREGORIO PAPA IX. DAMNATUM:

In quo abſoluti Stigandi hæretici; & qui Conradum Marpurgenſem interfecerant, ad ſedem apoſtolicam, nulla inflicta pœna, remiſſi. Anno Domini circiter MCCXXXV.

*DE * Stigandis, qui Germaniam inficiebant, hæreticis, deque Conradi Marpurgenſis, a quo damnati fuerant, cæde, videndus ſupra conventus Moguntinus ad ann. MCCXXXIII. Quid autem utriſque deinde ſit actum in Moguntino altero conventu, diſcimus ex epiſtolis duabus Gregorii papæ IX. quæ ab Angelo Manrique, tomo IV. annal. Ciſterc. ann.* 1235. *referuntur, in hunc modum.*

GREGORII IX. EPISTOLA,

Qua graviter ab iis peccatum declarat, qui de hæreſi a legato apoſtolico damnatos, inconſulta ſede apoſtolica abſolverunt.

Archiepiſcopo Salisburgenſi, & epiſcopo Ildesheimenſi, & abbati de Buch, Ciſtercienſis ordinis, Miſnenſis diœceſis.

VIneæ Domini cultores, licet immeriti, conſtituti, juſte in deſiderio gerimus, ut illius latitudinem gratitudinis fructu ſemper venuſtam exiſtere procuremus: turbationem non modicam ſubeuntes, ſi forte aliquæ plantarum, quæ in illa evidentibus exiſtunt indiciis grandiores, ſint ſterilitate notabiles, vel nocivorum productione fructuum diſplicentes. Sane dudum mirantes audivimus, & referimus conturbati, quod cum olim poſt obitum recolendæ memoriæ magiſtri Conradi de Marpurg, prædicatoris verbi Dei, de quibuſdam, quos infectos labe pravitatis hæreticæ tenebat aſſertio, plurimarum oriretur materia quæ tionum, quibuſdam proponentibus, quod proceſſus contra illos per eumdem magiſtrum habitus, iniquitatis maculam habuiſſet; aliis vero referentibus ex adverſo, quod pius extitiſſet, & providus, & incremento catholicæ fidei plurimum opportunus: ad dubitationes hujuſmodi declarandas, certi locus & terminus ſunt præfixi. Demum congregato concilio, ad quod plures eccleſiarum prælati, & principes ſæculares, ac alii, quorum præſentia tanto competebat negotio, convenerunt, exurgente nullo pro tuitione fidei, quæ ſaltem a præſentibus ſub nulla debebat negligentia præteriri: memorati infecti, ut dicitur, rationis inconſulto ſpeculo, quod potiſſime in talibus haberi debebat præ oculis, ſunt abſolutionis beneficium aſſequuti. Illi vero perditionis filii, qui dicti magiſtri ſanguinem innoxium effuderunt, omiſſis prolatione ſententiæ ac inflictione pœnæ, quæ contra ipſos pro exceſſu tam deteſtabili, & digno non brevibus deplorari lacrymationibus debebantur, ac ſatisfactione aliqua non recepta,

ſunt

ANNO CHRISTI 1233.

sunt ad præsentiam nostram pro absolutionis obtinendæ gratia destinati.

Et infra. Quia igitur rationabile est, causam fidei quibuslibet anteferri, quæ potissime summi pontificis examini competebat: avertentes a debita nobis reverentia faciem, præsumpserunt aliqui terminare, quasi authoritatis præmissæ nescii, vel ab ejusdem intellectu perspicuo peregrini. Quo consilio iidem ad transgressionem mandatorum Domini processerunt. Quo jure, quod est in canonica sanctione præcipuum, ab ipsis tam notabiliter extitit prætermissum? Nunquid facultas eis aberat sedem apostolicam consulendi? cum & locorum longinquitas, vel anfractus itineris, aut tremenda elatio pelagi sævientis, pro qua cœli claviger non expavit quin Salvatori diceret, ut sibi, quod per aquas ad eum procederet, imperaret, nullum ipsis afferret obstaculum; nunciorumque penuria nullum excusationis tribueret fulcimentum. Nunquid illorum memoria capacitasque non habebat, quod ad S. R. E. cujus fundamentis super petram positis quisque cedit impetus tempestatis, in ambiguis & fluctuosis quæstionibus, per quas imminet naufragium fidei, si non contingat easdem prospere terminari, sit assidue revertendum? Præsertim cum dictus claviger, cujus arbitrio orbis universitas solvitur & ligatur, cujusque judicium a conditore justitiæ confirmatur, audire meruerit: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos:* cum etiam dubium non existat, quod qui secum non colligit, spargit; & nemo unquam sub diluvio sæculi, non in area positus, confirmatur.

Luc. 22.

Sed quid ad ista studio exaggerationis intendimus? cur quæstionum cumulis immoramur? Porro nedum provectis & prudentibus, sed parvulis & ignaris potest esse liquidum, quod de præmissis multum sit devotionis & obedientiæ prætermissum: præsertim cum litterarum nostrarum series, per quas mandavimus ut processus contra hujusmodi pestilentes, secundum formam concilii generalis, & nuper a nobis edita, haberetur, mandati transgressoribus excusationis suffragium non acquirat: quia cum post processum habitum auctoritate apostolica contra ipsos, si criminosi vel immunes a macula hæreticæ pravitatis existerent, dubietas immineret, ad examen nostrum omni erat occasione postposita properandum.

Nos igitur, etsi hactenus ista dissimulationi dederimus: super eisdem tamen in posterum, prout expedire viderimus, Domino * procedemus. Interim autem homines miseros, qui humanitatis affectu, & miserationis effectu, Christum prodendo, domini se reddiderant modis omnibus alienos, sine condigna nolentes provisione remittere: præsentium vobis authoritate committimus, ut circa ipsos, Dominum habentes præ oculis, juxta formam, quam vobis sub bulla nostra intercluſam mittimus, authoritate nostra, omni contradictione & appellatione cessantibus, procedatis; præsentes in primo colloquio generali, in quo carissimum filium nostrum Fridericum imperatorem Romanorum, ac alios principes ecclesiasticos & mundanos adesse contigerit, publicari & exponi solenniter facientes.

* *f.* adjuvante Domino.

Datum Perusii II. Kal. Aug. pontificatus nostri anno IX.

GREGORII PAPÆ IX. EPISTOLA ALTERA AD EOSDEM.

De indicenda Conradi Marpurgensis interfectoribus pœnitentia.

CUM interfectores bonæ memoriæ magistri Conradi de Marpurg prædicatoris verbi Dei, ad sedem apostolicam accessissent, ejus misericordiam & salutis suæ consilium implorantes: nos eis injunximus, ut in subsidium transeant Terræ sanctæ. Quocirca præsentium vobis authoritate mandamus, quatenus post receptam ab eis sufficientem & idoneam cautionem, quod in passagio Martii proximi futuri, vel alio proximo sequenti, ad partes se transferant transmarinas, eisdem inter alia sub debito præstiti juramenti, ut per omnes majores ecclesias regionis illius, ubi tam execrabile facinus commiserunt, si secure poterunt, vadant nudi & discalceati, bracis duntaxat retentis, fune vel corrigia ad collum ligata, virgas in manibus deferentes, & ab omnibus presbyteris illarum ecclesiarum psalmum pœnitentialem dicentibus, ante fores earumdem, quando major aderit populi multitudo, se faciant verberari, suum publice confitendo peccatum; iisque peractis, absolutionis beneficium impendatis eisdem, non obstante, quod absoluti fuisse ab aliis referuntur. Præsertim cum pro tantæ immanitatis excessu absolvi nequiverint, absque mandato sedis apostolicæ speciali. Præterea si illi, quorum ope, consilio, vel assensu, tantum facinus est commissum, ad mandatum vestrum redierint, pro tanto excessu satisfactionem condignam humiliter impensuri, eos ad absolutionis gratiam admittatis. Alioqui sceleratos hujusmodi, & prædictos, publice candelis accensis, alienos ab ecclesia, ipso jure, atque a fidelium consortio pronuncietis. Ceterum tam eos, quam descendentes ab ipsis recta linea, ad nullos honores, dignitates, ordines, * admittantur.

* Forte dimittatis

G. C. Hæ Gregorii litteræ datæ sunt anno Gregorii nono qui in annum Christi MCCXXXV. incidit. Cum autem asserat in priori epistola, *se hactenus ista dissimulationi dedisse*: fieri potuit, ut conciliabulum hoc de quo conqueritur, multo ante sit habitum, ipso scilicet anno MCCXXXIII. quo cæsus est Conradus, aut proxime consecutis duobus. Liberam relinquimus de anni tribus conjecturam.

ANNO CHRISTI 1235.

MODUS CONSTITUENDI ABBATIS EXEMPTI

APUD ANGLOS POST CONCILIUM GENERALE LATERANENSE,

Sub Papa Innocentio III. prout habetur in exemplo constitutionis Joannis II. abbatis Sancti Albani XXIII. Anno Dom. MCCXXXV. Henrici III. XIX.

Ex vet. cod. MS. de gestis abb. S. Albani, in biblioth. Cotton.

JOannes secundus, Willelmo abbati succeſſit creatus in abbatem. Iſte de Herefordia oriundus, & in cella quæ ibidem eſt, primo in ſacriſtam, poſtea in Priorem a memorato abbate promotus: vir extitit dapſilis, & manſuetus, corpore elegans, fratribus ſuis ſocialis, & reliquis amabilis univerſis; & a ſtirpe mediocri, laudabili, manſueta, procreatus legitime; de virtute in virtutem progrediens, præclaræ famæ dotibus meruit honorari. Unde meritis ejus promerentibus, rite meruit in abbatem, ſine alicujus commendatione, ſublimari. Et quoniam primus erat in abbatem creatus poſt concilium Lateranenſe generale, a papa Innocentio tertio celebratum; in quo conſtitutum erat ut abbates exempti ab ipſo papa confirmarentur; & prædeceſſor Willielmus, circiter viginti annis, in proſperitate prævixerat: hæſitabant quid agendum foret de hujus negotii progreſſu & egreſſu univerſi. Vocantur igitur ad conſilium conventus, magiſtri ſolennes & juris periti. Horum igitur conſilio ſeniores & ſaniores ipſius conſulte ac prudenter, in tam arduum negotium tutius proceſſerunt, ita ut poſteri in conſimili caſu conſtituti poterunt edoceri. Litteræ igitur ad dominum papam & dominum regem, & alios tranſmittendæ illico poſt mortem nominati abbatis Wil. & electionem ſequentis, ſcilicet Joannis, ſunt confectæ: quæ in illo libello inſeruntur, cum quibuſdam aliis, quæ exprimunt modum & formam electionis.

Littera domino regi pro licentia eligendi.

„ EXcellentiſſimo domino & in Chriſto reverendiſſimo Henrico Dei gratia illuſtri „ regi Anglorum, domino Hiberniæ, duci „ Norm. & Aquitan. comiti Andegaviæ, devoti ſui ſemper & humiles, Prior ſancti Albani, & ejuſdem loci conventus, cum omni „ humilitate & devotione, æternam in Domino ſalutem. Veſtræ innoteſcimus excellentiæ, „ quod venerabilis pater noſter Willelm. quondam abbas eccleſiæ noſtræ, in fata deceſſit. „ Ideoque dilectos fratres noſtros N. & N. latores præſentium, ad vos deſtinamus, excellentiæ veſtræ, omni qua poſſumus devotione „ & lacrimarum effuſione, flexiſque genibus „ ſupplicantes; quatenus Divinæ pietatis intuitu, nobis gratiam impartientes, eligendi paſtorem liberam nobis concedatis facultatem: „ ſtatui domus noſtræ miſericorditer, ſi placet, „ compatientes, juxta neceſſitates, quas dicti „ fratres noſtri vobis duxerint exprimendas. Valeat regia dignitas in æternum.

Littera amicis in curia pro expeditione.

„ URgentibus negotiis novis, & inopinatis „ emergentibus, piorum amicorum auxilium familiare, & conſilium invocare, evidens ſuadet honeſtas, & compellit inſtans neceſſitas. Ideoque ſinceræ paternitati veſtræ, „ omni qua poſſumus devotione ſupplicamus, „ quatenus Divinæ pietatis intuitu, ſtatui domus noſtræ juxta neceſſitates quas fratres noſtri N. & N. latores præſentium vobis duxerint exprimendas, miſericorditer, & paterno „ ſubveniatis affectu: eo quod venerabilis pater noſter Willelm. quondam abbas monaſterii noſtri, Divino nutu diem clauſit extremum: nos monachos ſuos, quaſi orphanos, „ piorum conſilio relinquens & auxilio deſtitutos. Quorum indigentiæ ſic veſtra dignetur conſulere miſeratio, ut Deus pater pupillorum digna mercede veſtram remuneret „ pietatem.

Convocatio Priorum ad electionem.

„ FRater E. Prior ſancti Albani, ejuſdemque „ loci conventus dilecto ſibi in Chriſto tali vel tali Priori, ſalutem in Domino ſempiternam. Quoniam venerabilis pater noſter „ Willielm. quondam abbas monaſterii noſtri „ Divino nutu diem clauſit extremum; & oportet per commune conſilium eccleſiæ noſtræ „ providere de paſtore: mandamus, quatenus „ in craſtino Annunciationis Dominicæ proximo affuturæ compareas perſonaliter apud S. „ Albanum, una nobiſcum tractaturus ſuper electione abbatis. Quod ſi forte non poteris, „ juſta ex cauſa impeditus, tunc te ſub hac „ forma excuſes per litteras tuas patentes.

Excuſatio Priorum non venientium.

„ VIris nobilibus, domino E. Priori de ſancto Albano, ejuſdemque loci conventui, „ frater N. Prior talis vel talis loci, ſalutem. „ Præpeditus negotio certo, videlicet aſſignato, vel gravi detentus infirmitate, in craſtino Annunciationis Dominicæ apud S. Albanum perſonaliter intereſſe non poſſum, una „ vobiſcum ſuper electione abbatis tractaturus. „ Itaque non expectata præſentia mea in dicto negotio, quod veſtrum eſt, exequimini. Valete. Obtentis igitur litteris a domino Rege de licentia eligendi, & congregatis fratribus die ſtatuto, tam Prioribus, quam aliis, qui intereſſe debuerunt, & voluerunt, elegerunt ſolemniter Joannem de Herefordia, Priorem de Hertford, monachum ſuum profeſſum, in paſtorem animarum ſuarum, virum pium & monachum ordinatum. Qui domino Regi præſentatus, ab

ANNO CHRISTI 1235.

eo favorabiliter, tum quod elegans & venerabilis extitit persona statura, tum quoniam audierat quod dapsilis & civilis ac socialis fuerat, dum Prior Hertfordiæ fuerat, est susceptus. Et idcirco promptius, quia rex semper domum sancti Albani dilexerat, cui litteras petitorias sub hac forma transmiserunt.

Littera domino Regi pro electo recipiendo.

„ ILlustri domino suo ac magnifico Henrico
„ Dei gratia regi Anglorum, & devoti sui
„ semper & humiles E. Prior sancti Albani,
„ & ejusdem loci conventus, cum omni humi-
„ litate & devotione æternam in Deo salutem.
„ Regiæ excellentiæ vestræ dominum Joannem
„ Priorem de Hertford, virum idoneum & ho-
„ nestum, quem, de benignitate & licentia ve-
„ stra nobis concessa, in patrem nobis elegimus
„ & pastorem, præsentamus, cum omni humi-
„ litate & devotione, supplicantes quatenus ex
„ innata vobis benignitate solitaque clementia
„ erga nos & ecclesiam nostram concepta &
„ habita, dictum Joannem electum nostrum in
„ gratiam recipiatis; vestrum eidem consilium,
„ auxilium, & favorem, Divinæ si placet in-
„ tuitu pietatis, impendentes. Valeat, &c. Dominus autem rex, cum hæc audisset, & perpendisset progressum nostrum ordinatum & humilem, non tantum suum favorem impertivit & juvamen, immo domino papæ & amicis suis in curia Romana scripsit pro electo, sub hac forma.

Littera Regis summo pontifici pro electo.

„ REverendo domino & patri in Christo ca-
„ rissimo, domino Gregorio Dei gratia
„ summo pontifici, Henricus eadem gratia
„ rex Anglorum, &c. salutem, & tam devo-
„ tam quam debitam in omnibus tanto domi-
„ no & patri reverentiam. Noverit sancta pa-
„ ternitas vestra, nos electioni factæ de fratre
„ Joanne de Hertford, monacho S. Albani,
„ in abbatem S. Albani, regium adhibuisse fa-
„ vorem & assensum. Et quoniam ad sedem
„ apostolicam immediate spectat electionis præ-
„ dictæ confirmatio: hoc sanctæ paternitati ve-
„ stræ duximus, tenore præsentium, significan-
„ dum; devote supplicantes, quatenus eidem
„ electioni munus confirmationis dignemini, si
„ placet, favorabiliter impendere. Teste me-
„ ipso apud Abendon 1. die Aprilis, anno re-
„ gni mei XIX.

Littera regis cardinalibus pro electo.

„ VEnerabili in Christo patri, & amico spe-
„ cialiter dilecto I. Dei gratia, titulo san-
„ ctæ Praxedis presbytero cardinali, Henricus
„ Dei gratia Anglorum rex, &c. Quoties in-
„ gruente necessitate nos contingit pro nostris
„ vel alienis negotiis apostolicæ sedis implora-
„ re subsidia: ad eorumdem negotiorum expe-
„ ditionem vestra nobis necessaria est diligen-
„ tia, quam in omnibus vestri gratia nobis re-
„ colimus subvenisse. Cum igitur electioni fa-
„ ctæ de fratre Joanne de Hertford monacho
„ S. Albani in abbatem ejusdem loci, regium
„ adhibuerimus assensum & favorem: & im-
„ mediate subjecta sit ecclesia S. Albani eccle-
„ siæ S. Romanæ: paternitati vestræ duximus
„ attente supplicandum, quatenus, cum nuncii
„ & procuratores dicti electi, ad obtinendum a
„ sede apostolica confirmationem dictæ electio-
„ nis ad curiam venerint, ad assecutionem sui
„ propositi, in hac parte, vestra dignetur pa-
„ ternitas eis auxilio & consilio subvenire: per
„ quam subventionem multiplicetur vobis gra-
„ tia nostra, quam ex diversorum negotiorum
„ promotione non dubitamus eis vos comparas-
„ se. Teste meipso, &c.

ANNO CHRISTI 1235.

Diriguntur itaque fratres ad curiam Romanam, ut electionem rite factam impetrarent a sede apostolica confirmari. Qui cum ad curiam, quæ tunc Perusii fuerat, pervenissent, ostenderunt regios apices domino papæ, & aliis amicis regis. Et cum respexissent illos & janitores & ministros papæ, approbata fuit quamplurimum ab ipso domino papa, & a cunctis cardinalibus, forma electionis, & maxime a domino Ottone, qui domum & religionem S. Albani plurimum commendavit. Electione igitur confirmata, dicti fratres cum benedictione apostolica gaudenter sunt reversi; & ut audientes non lateat, hæc est consuetudo eligendi abbatem in ecclesia S. Albani.

De modo & forma eligendi abbatem.

COnfessores tres vel quatuor jubentur districte, & in virtute Spiritus sancti, utpote qui cognoscunt corda & renes singulorum, ut ipsi eligant XII. modo IX. de conventu fratres electos fideles & peritos: ut ipsi, vel de seipsis, vel de ipso conventu ecclesiæ, vel de cellis, unum idoneum eligant in abbatem. De ipsis inquam, quia sic non consueverunt antiquitus: immo de aliis quam seipsis, quod absurdum fuit & dissonum rationi. Et in hoc variata est antiqua consuetudo, & in melius commutata. Ut enim electio & labor tantæ deliberationis super hoc negotio nullatenus irritus habeatur & inanis: litteras habent de conventu penes se, sigillo conventus roboratas, Ut ipse conventus, illum quem ipsi XII. eligerent in abbatem, sine contradictione aut difficultate unanimiter in pastorem susciperet & gratanter. Unde series negotii sic prosecuta, a summo pontifice palam coram omnibus est commendata, & facta examinatione, authoritate apostolica illico confirmata, pro eo quod unitas & concordia in domo S. Albani ingruerunt. Unde ab universis dictum est, quod non sine nutu Spiritus sancti illud negotium fuerat prosecutum. Multitudinis enim credentium erat cor unum & anima una. Verumtamen quia de persona electi domino papæ non constabat, dedit in mandatis Elienſi & Londonienſi episcopis, ut rite facta examinatione ex persona Electi, eumdem in abbatem confirmatum benedicerent, plene in omnem tam spiritualium, quam temporalium administrationem instituentes. Cum ergo rediissent nuncii de curia, ostendebant litteras domini papæ episcopis memoratis, qui electo scripserunt sub hac forma.

Littera pro examinatione.

„ HEnricus Dei gratia Elienſis & R. eadem
„ gratia London. episcopi Joanni de Hert-
„ ford electo S. Albani, salutem. Mandatum
„ domini papæ susscepimus, in hæc verba, G.
„ episcopis, &c. Hujus igitur authoritate man-
„ dati nostri transmissi, vobis mandamus: qua-
„ tenus die Lunæ proximo post festum S. Lau-
„ ren-

„ rentii in ecclesia conventuali apud crucem A
„ Roisiæ, compareatis coram nobis, parati
„ examinationem subire, & electionis, Deo
„ dante, confirmationem suscipere, secundum
„ formam mandati apostolici. Quod & abbas
fecit sub omni maturitate. Affirmabant utique
tam episcopi memorati, postquam audierant,
quam nuncii nostri, quod prudenter processum
est in hoc negotio. Londonienſis vero episcopus
variis & arduis negotiis præpeditus, ne ad
locum veniret memoratum, se excusavit Elienſi
episcopo, sic scribens.

Littera excusatoria unius commissarii.

„ VEnerabili fratri & amico in Christo ca- B
„ rissimo H. Dei gratia Elienſi episcopo
„ R. divina miseratione London. ecclesiæ mi-
„ nister humilis, salutem & sinceram in Do-
„ mino caritatem. In negotio examinationis
„ electi S. Albani, & confirmationis ejusdem,
„ vobis & nobis a domino papa commisso,
„ variis præpeditis negotiis, die Lunæ proximo
„ post festum S. Laurentii apud crucem Roi-
„ siæ, in ecclesia conventuali interesse non
„ possumus. Ideo non expectata præsentia no-
„ stra, quod vestrum est in dicto negotio
„ exequimini. Valeat paternitas vestra semper
„ in Domino.

Confirmatio.

„ COnfirmatus est igitur electus, facta exa- C
„ minatione, sub tali scripto. In nomi-
„ ne Patris, & Filii, & spiritus sancti: Inquisi-
„ tis secundum formam litterarum domini pa-
„ pæ, quæ circa personam Joannis electi S.
„ Albani sunt requirenda, tum per juratos,
„ tum per propriæ personæ examinationem,
„ invenimus ipsum ad regimen dictæ ecclesiæ
„ sufficientem. Unde electionem de ipso fa-
„ ctam authoritate apostolica confirmamus.
Quo facto misit Elienſis episcopus conventui
S. Albani ad majorem certificationem litteras,
sub hac forma.

Littera conventui de admittendo electo.

„ HEnricus Dei gratia Elienſis episcopus,
„ dilectis in Christo priori & conventui
„ S. Albani salutem in Domino. Noverit di-
„ scretio vestra, nos juxta formam mandati
„ apostolici electionem de fratre Joanne de
„ Hertford. in abbatem monasterii nostri ca-
„ nonice celebratam, authoritate apostolica
„ confirmasse. Quocirca auctoritate apostolica,
„ qua fungimur, vobis mandamus, in virtute
„ obedientiæ districte præcipientes, quatenus
„ eumdem electum vestrum in abbatem & pa-
„ storem devote admittatis, obedientiam & E
„ reverentiam debitam eidem humiliter im-
„ pendentes. Valete. Scripsit insuper idem
episcopus domino Regi super hoc sub hac
forma.

Littera domino Regi post confirmationem.

„ EXcellentissimo domino Henrico tertio,
„ Dei gratia illustri Anglorum, &c. Hen-
„ ricus divina miseratione Elienſis episcopus, sa-
„ lutem, reverentiam, & honorem. Noverit
„ excellentia vestra, nos juxta formam man-
„ dati apostolici electionem de fratre Joanne
Concil General. Tom. XXIII.

„ de Herthford, in abbatem monasterii sancti
„ Albani canonice celebratam, authoritate apo-
„ stolica confirmasse. Quocirca excellentiam
„ vestram rogamus, quatenus ob reverentiam
„ sedis apostolicæ, dictum electum habentes
„ commendatum, administrationem dictæ ab-
„ batiæ eidem committatis. Valeat reverentia
„ vestra semper in Domino Scripsit etiam do-
„ mino Rege acceptante; & palam publicavit
„ chartam illam confirmationis.

ANNO CHRISTI 1235.

Prosecutio negotii.

„ OMnibus Christi fidelibus litteras inspe-
„ cturis, Henricus Dei gratia Elienſis
„ episcopus, salutem in Domino sempiternam.
„ Noveritis, quod cum nobis & venerabili fra-
„ tri nostro Londonienſi episcopo, commissum
„ est negotium a domino papa examinationis
„ personæ Joannis de Hertford, electi in ab-
„ batem monasterii sancti Albani, & confir-
„ mationis ejusdem: episcopo Londonienſi, in
„ dicto negotio excusato litteratorie, nos ele-
„ ctionem ipsius Joannis in hunc modum con-
„ firmamus. In nomine Patris, Filii, & Spi-
„ ritus sancti: Inquisitis secundum formam lit-
„ terarum domini papæ, quæ circa personam
„ electi S. Albani fratris Joannis sunt inqui-
„ renda, tam per testes juratos, quam per
„ propriæ personæ examinationem, invenimus
„ eum ad regimen dictæ abbatiæ sufficientem.
„ Unde electionem tanquam de persona idonea
„ de ipso factam, authoritate apostolica con-
„ firmamus. In cujus rei testimonium his lit-
„ teris nostris patentibus sigillum nostrum duxi-
„ mus apponendum. Acta an. Dom. MCCXXXV.
die Lunæ proxima post festum S. Laurentii
apud crucem Roisiæ. In crastino igitur beatæ
Virginis, in ecclesia sancti Albani, ad majus
altare, in præsentia episcopi Londonienſis, &
totius conventus in choro existentis, idem epi-
scopus eidem electo munus impendit benedictio-
nis, ubi apertæ sunt litteræ inclusæ & bullatæ
domini papæ, quas oportuit electum in abba-
tem benedicendum, profitendo palam legere,
D sub hac forma.

Professio.

„ EGo Joannes monasterii S. Albani abbas,
„ ab hac hora in antea fidelis & obediens
„ ero S. Petro, sanctæque apostolicæ Romanæ
„ ecclesiæ, & domino meo papæ Gregorio,
„ ejusque successoribus canonice intrantibus.
„ Non ero in consilio, aut consensu, vel in
„ facto ut vitam perdant aut membrum, aut
„ capiantur mala captione. Consilium etiam
„ quod mihi credituri sunt, per se aut per
„ nuncios suos, sive per litteras, ad eorum
„ damnum scienter nemini pandam. Papatum
„ Romanum & regulam S. Petri adjutor eis
„ ero ad retinendum & defendendum, salvo
„ ordine meo, contra omnem hominem. Le-
„ gatum apostolicæ sedis in eundo & redeun-
„ do, honorifice tractabo, & in suis necessita-
„ tibus adjuvabo. Vocatus ad synodum ve-
„ niam, nisi præpeditus fuero canonica præpe-
„ ditione. Apostolorum limina singulis trien-
„ niis visitabo, aut per me, aut per meum
„ nuncium, nisi absolvar apostolica licentia.
„ Possessiones etiam ad monasterium meum
„ spectantes non vendam, neque donabo, ne-
„ que impignorabo, neque de novo infeudabo,

ANNO CHRISTI 1235.

„ vel aliquo modo alienabo, inconsulto Ro-
„ mano pontifice. Sic me Deus adjuvet, &
hæc sancta evangelia. Hæc cooperta fuerunt,
occulta, & clausa sub bulla, donec staret pon-
tificalibus ad altare redimitus, quando nullo
modo poterat ab ista obligatione resilire. Et
cum rogasset abbas ab episcopo London. Ro-
gero, quid Romæ faceret? Episcopus, sicut
jucundus extitit, jocose respondit, & subri-
dens ait: Amice ut offeras, & veritas in ver-
bis latitavit. Rex autem super præmissis cer-
tificatus, tenentibus de S. Albano scripsit in
hac forma.

Littera domini Regis tenentibus abbatis post confirmationem.

„ HEnricus Dei gratia rex Anglorum, &c.
„ militibus, liberis hominibus, & omni-
„ bus aliis tenentibus de abbatia de S. Alba-
„ no salutem. Sciatis quod electioni factæ de
„ fratre Joanne de Hertford, in abbatem S.
„ Albani, assensum regium præbuimus & fa-
„ vorem. Et ideo vobis mandamus quod ei-
„ dem fratri Joanni tanquam domino vestro
„ in omnibus, quæ ad prædictam abbatiam per-
„ tinent, intendentes sitis & respondentes.
Teste meipso apud West. XVIII. die Aug. anno
regni nostri XII.

Ex tunc igitur abbas plenarie constitutus, cepit homagia & juramenta, & fidelitates omnium abbatiæ subditorum, installatus, & in omnibus abbas habitus & firmatus. Sed ut non lateat simpliciores qualiter se gessit dum esset electus, & qualiter in posterum se gerere debet electus, præsentibus duximus inse-
rendum.

Qualiter se gerere debet electus.

POstquam electores nominarunt electum proprio nomine cum aliquo adjecto, ita scilicet ut unus electorum loquatur pro omnibus aliis electoribus, præstito assensu Prioris & totius conventus, surgat electus, & accepta venia supplicet omnibus ut orent pro eo, quod Deus det illi sic curam & officium hoc suscipere, ut ad honorem Dei & ecclesiæ, & animæ suæ fiat salvationem. Facta autem oratione a priore quod sic fiat, & in fine orationis respondente conventu, Amen, incipiatur solemniter Hymnus, *Te Deum laudamus*, & ducatur, modeste & ordinate, assistente Priore ei in uno latere, suppriore in alio, cum aliis dignioribus ecclesiæ personis propinquius in ecclesiam, & præsentetur Deo & S. martyri Albano ad majus altare, pulsato classico, accensisque cereis circa altare, & discooperto feretro. Et toto corpore prostratus electus, oret breviter, sed præcordialiter, ut dignus tanto honore habeatur. Et finito sonitu dicatur ab omnibus: *Pater noster*, & Prior, *Et ne nos. ℣. Salvum fac servum tuum. Deus m. s. Mitte ei domine auxilium de sancto. Et de Sion tuere eum. Dominus vobiscum*, & *Oratio*. Omnipotens sempiterne Deus, dirige hunc famulum tuum in viam salutis æternæ: ut, te donante, placita tibi cupiat, & tota virtute perficiat, per Dominum. *Dominus vobiscum. Benedicamus Domino*. Deinde erigat se, & sine aliquo offendiculo aut mora ducatur in cameram, videlicet Prioris, quæ sua dum electus est, debet appellari: donec in abbatem creatus, in suam magnam cameram secedat. Et tunc poterit electus providere sibi de sociis & de nunciis ad curiam Romanam destinandis, & invitare quos voluerit ad refectionem: sed tamen qui vocati sunt, de licentia prioris veniant. Nec exeat aliquis nisi de licentia prioris, exceptis magnis obedientiariis. Electus autem etsi fuerit unus de ultimis novitiis, in loco supremo illico statuetur. Et si fuerit de parte prioris, quam nos chorum appellamus, transferetur ad partem chori abbatis, ubi supremus statuetur. Solus in refectorio prandebit supremus, priore prandente ad magnam mensam. In processionibus supremus ex parte abbatis procedet, non in medio choralem ferens baculum, ut antiquitus temere consuevit: ne forte in posterum cassatus, retrocedat, & tunc cum rubore incipiat locum novissimum tenere.

CONCILIUM NARBONENSE

EX TRIUM PROVINCIARUM EPISCOPIS,

In quo data consilia fratribus Prædicatoribus fidei inquisitoribus, quomodo se cum hæreticis gererent.

De hoc concilio ita Spondanus Baronianæ continuationis tomo I. ad annum MCCXXXIII. Quo eodem, *inquit*, tempore habitum fuit Narbonæ concilium sub Petro Amelio archiepiscopo: cui etiam interfuerunt Arelatensis & Aquensis archiepiscopi, una cum trium illarum provinciarum suffraganeis episcopis: cum mandato accepto a sede apostolica de consilio impertiendo fratribus Prædicatoribus, recens in illis partibus constitutis inquisitoribus contra hæreticos, quomodo se gerere adversus eos deberent: XXIX. capitula condiderunt de pœnis tam iis, quam eorum fautoribus imponendis, qui converterentur, sive qui obstinati permanerent; ac de signis, quibus detegi possent: suntque valde severa, prout ferebat praxis ejus temporis. *Hæc Spondanus. Quæ omnia didicerit necesse est ex hujus concilii capitulis, quibus continentur, excepta anni notitia, quam unde ille habuerit nescio. Forte perfectius exemplar nactus erat, cui adscriptus annus. Forte etiam conjectura una nititur, ex eo petita quod institutos a Gregorio IX. inquisitores ex Prædicatorum ordine, ad hunc annum aliqui referant.*

Capitula autem ipsa. huc usque inedita hic repræsentabo ex codice MS. Mauritii Tellerii abbatis, qui fortunam summe illustrem eximiarum splendore virtutum ac doctrinarum obscurat. Quod exemplar contuli cum alio inter Sirmondi nostri schedas reperto. Hæc in utroque exemplari est inscriptio: Concilium Narbonensis, Arelatensis, & Aquensis, archiepiscoporum.

A

TITULI CAPITULORUM.

1. *De pœnis hæreticorum, qui immunitatem carceris assecuti sunt.*
2. *Ne iis transitus transmarinus injungatur.*
3. *Ut in alias villas aut provincias, ubi visum fuerit, mittantur.*
4. *Ut pauperibus includendis carceres construantur.*
5. *Quod pœnitentiæ, inquisitorum discretioni permittuntur.*
6. *Ut conversi culpas suas publice confiteantur.*
7. *Ut inquisitores injunctis pœnitentiis addere vel detrahere possint.*
8. *Ut propriis sacerdotibus cura committatur observationis pœnitentiarum.*
9. *De his qui in carcerem detrudi debent, quid agendum, si nimia sit eorum multitudo.*
10. *De his qui pœnitentiam carceris, vel aliam non perficientes, rebellant.*
11. *De his qui in abjuratam hæresim recideruntt.*
12. *Quinam dicendi rebellare: quinsm in hæresim recidisse.*
13. *De receptatoribus seu fautoribus qui vel reciderint, vel pœnitentias accipere refugerint.*
14. *Quinam existimandi fautores hæreticorum.*
15. *Ut fautor eorum habeatur, qui cum potestatem habeat, in eos non animadvertit.*
16. *De iis, qui cum possint, prædictos non capiunt, aut juvant capientes.*
17. *Ut fratres Prædicatores a pecuniariis pœnitentiis abstineant.*
18. *Ut prædicti culpabiles religionem ingredi non permittantur.*
19. *Ut a carcere nemo excusetur propter senium, &c.*
20. *Qui pertineant ad inquisitionem.*
21. *Ut inquisitores alii, si quid norint, scribant ad eum cui culpabilis est adstrictus.*
22. *Ne testium nomina verbo vel signo publicentur.*
23. *Ut nemo condemnetur, nisi convictus.*
24. *Ut ad accusationem, vel testimonium, omnes admittantur.*
25. *Quæ exceptiones fidem testium evacuent.*
26. *De eo qui convictus, pertinaciter negat.*
27. *Ut qui semel deposuerunt, iterum non interrogentur, nisi de novis circumstantiis.*
28. *An credendum confessori, de absolutione seu pœnitentia alicujus.*
29. *De culpis, ex quibus credentes possunt judicari.*

CAPITULA.

PEtrus Dei gratia Narbonensis, Joannes Arelatensis, Raimundus Aquensis, archiepiscopi, ceterique prælati, quorum sigilla huic chartulæ sunt appensa: Dilectis & fidelibus in Christo filiis ordinis Prædicatorum fratribus inquisitoribus hæreticorum, per memoratas & circumjacentes provincias constituti, salutem in Domino.

I. De pœnis hæreticorum, qui immunitatem carceris assecuti sunt.

ANNO CHRISTI 1235.

DUbitationes vestras, prout possumus, amputantes, devotioni vestræ duximus consulendum: quatenus hæreticis, & eorum credentibus, receptatoribus, defensoribus, & fautoribus immunitatem carceris assequutis, quam ex vobis aliqui eis infra certam diem sponte venientibus, pœnitentibus, & tam de se quam de aliis plenam di- B centibus veritatem, consulte & laudabiliter promisistis, quia cum sponte confessis mitius est agendum, & quia per hoc latentem saniem hæreticæ pravitatis facilius & melius detegi merito sperabatis, sicut & rei eventus manifeste probavit, his pœnitentias injungatis: videlicet ut cruces portent, quaque Dominica die inter epistolam & evangelium vestibus aliquibus denudati, prout visum fuerit pro qualitate temporis faciendum, sacerdoti parochiæ suæ Missam celebranti cum virgis in C manu publice se præsentent, ibique recipiant disciplinam: & idem faciant in omni processione solemni. In prima etiam Dominica cujuscumque mensis, post processionem, vel Missam, visitent nudi similiter & cum virgis domos omnes, in quibus aliquando viderunt hæreticos in eadem civitate seu villa, & intersint omni die Dominica Missæ, ac vesperis, & sermoni generali, si fiat in villa: nisi impedimentum habuerint sine fraude. Quod si forte villa fuerit interdicta, vel ipsi excommunicati, cunctas D ecclesias, & domos in quibus viderunt hæreticos, diebus visitent assignatis: & teneantur sermonibus generalibus interesse: jejunent: limina Sanctorum visitent: loco transitus transmarini, qui talibus consuevit injungi. Fidem & ecclesiam per certos annos, seu menses, seu dies, cum armis & expensis propriis per se vel per alios magis idoneos, contra Sarracenos, vel hæreticos, vel eorum fautores, vel aliter rebelles, ad mandatum & arbitrium domini Papæ, vel ejus legati, vel nostri, vel al- E terius juxta ordinationem vestram, defendere teneantur.

II. Ne iis transitus transmarinus injungatur.

Nec eis de cetero memoratus transitus injungatur propter domini papæ prohibitionem, super hoc nuper factam: ne per ipsorum perfidiam violetur fidei firmamentum, ibi etiam ubi cœpit:

quod

ANNO CHRISTI 1235.

quod non immerito timeretur, si eos hinc dispersos, contingeret illuc per injunctiones hujusmodi congregari: licet velit ipse dominus papa, ut ab his, quibus idem transitus ante suam prohibitionem injunctus fuerat, compleatur.

III. Ut in alias villas aut provincias, ubi visum fuerit, mittantur.

Et ubi fuerit visum expedire, de villa, in qua conversati fuerint, ejiciantur, in alia certa villa seu provincia ad tempus, vel perpetuo, moraturi.

IV. Ut conversis pauperibus includendis carceres construantur.

Conversis ab hæresi pauperibus includendis carceres construantur. Et in necessariis provideant competenter, ne per tales nimium graventur prælati, vel eorum multitudini fortasse nequeant providere.

V. Quod pœnitentiæ inquisitorum discretioni permittuntur.

Hoc quidem ita perstringimus, non ut vos pœnitentias prætaxatas omnes ubique, vel omnes omnibus imponatis: sed ut eas secundum discretionem vobis traditam a Domino, pro culparum & personarum, locorum & temporum, & aliarum circumstantiarum qualitate, ita caute ac provide dispensetis, ut sive plectendo, sive ignoscendo, vitam culpabilium corrigatur: vel saltem valeat apparere, quis in tenebris ambulet, quis in luce; quis vere sit pœnitens, quis ficte conversus. nec inde veris catholicis scandalum generetur: nec prætextu scandali, seu aliquo alio, quantum in vobis fuerit, defendi possit hæresis seu nutriri.

VI. Ut conversi culpas suas publice confiteantur.

Omnes vero faciatis culpas suas, clero & populo convocatis, publice confiteri, & abjurare, atque jurare prout in mandatis apostolicis, & statutis domini Romani plenius continetur: nisi ubi culpæ levitas, & scandali enormitas, rigori etiam huic quicquam ostenderent detrahendum. Et de singulis fiant publica instrumenta continentia culpas, abjurationes, promissiones, & pœnitentias eorumdem: ne ulterius perire possit vel latere veritas diu cælata, nunc autem a Domino tam mirabiliter quam misericorditer revelata.

Conc. Tolos. an. 1229.

ANNO CHRISTI 1235.

VII. Ut inquisitores injunctis pœnitentiis addere vel detrahere possint.

Illa semper retentione caute adhibita, ut liceat vobis seu aliis inquisitoribus, seu quibus hoc Romana ecclesia, vel ille cui ex officio competit, duxerit committendum, pro vestro, & illorum arbitrio ac voluntate, injunctis pœnitentiis addere vel detrahere ex causa rationabili quandocumque.

VIII. Ut propriis sacerdotibus cura committatur observationis pœnitentiarum.

Observationis etiam pœnitentiarum curam propriis eorum sacerdotibus committatis: ita ut ipsi sacerdotes penes se habentes pœnitentias singulorum parochianorum suorum, & circa earum observationes solicite vigilantes, contemptores, si qui fuerint, vobis, vel quibus statueritis, denuncient sine mora, processuris in eos juxta formam inferius designatam.

IX. De bis qui in carcerem detrudi debent, quid agendum; si nimia sit eorum multitudo.

De hæreticis autem seu credentibus, præfata immunitate, quia veritatem de se vel de aliis suppresserunt, vel quia infra tempus indulgentiæ non venerunt, seu alias indignis, paratis tamen absolutis mandatis ecclesiæ obedire, & recognoscere quam vel suppresserant, vel negaverant veritatem: quamvis tales proculdubio sint secundum statuta domini papæ in perpetuo carcere detrudendi: quia tamen intelleximus vos de his tantam in pluribus partibus multitudinem inveniisse, ut nedum expensæ, sed vix etiam lapides aut cæmenta sufficere possint ad carceres construendos: consulimus ut eorum immurationes, ubi expedire videbitur, differatis, donec ipse dominus papa de illorum multitudine plenius sit consultus: nisi forte aliqui essent tam facinorosi, ut de ipsorum impœnitentia, vel fuga, vel relapsu, vel corruptione, seu turbatione aliorum, merito timeretur: tales enim sine ulla prorsus dilatione firmo & opportuno carceri deputetis.

X. De his qui pœnitentiam carceris, vel aliam non perficientes, rebellant.

Porro illos hæreticos seu credentes, qui postquam juraverint mandatis ecclesiæ obedire, absolutionis beneficium fuerint, vel non fuerint consecuti, injunctam sibi pœnitentiam carceris vel non intrando, vel post ingressum exeundo, seu quamcumque aliam servare, seu perficere renuentes, vel se ab ea recipienda contumaciter absentantes, rebelles existunt, & sic suam impœni B tentiam, fictamque conversionem aperte ostendunt.

XI. De his qui in abjuratam hæresim reciderunt.

Et illos qui post abjurationem erroris seu purgationem, deprehensi fuerint in abjuratam hæresim recidisse : sæculari judicio sine ulla penitus audientia relinquatis, animadversione debita puniendos : cum sufficiat tales per falsam conversionem semel ecclesiam decepis- C se, præsertim ubi tanta eorum invaluit multitudo : licet eis pœnitentibus, nequaquam pœnitentia sit neganda.

XII. Quinam dicendi rebellare : quinam in hæresim recidisse.

Eos sane qui legitime moniti, contemptum suum, cum possint, gratis emendare non curant, indubitanter dicimus rebellare : sed & eos recte intelligimus in hæresim recidisse, qui post abjurationem suam, seu purgationem, D ut prædictum est, hæreticos scienter & libenter recipere, vel aliter eis favere non excusabiliter præsumpserunt : quia tunc nec dubitari oportet illos ex prioris erroris consequentia hoc feciſſe : maxime si specialiter abjurarant, quod fecerunt, & ad hujusmodi pœnam se obligaverant sponte sua. Quod si occasionem aliquam habuerunt, per quam a tam vehementi præsumptione valeant excusari : saltem perpetuo carceri sine aliqua dilatione mancipentur.

E

XIII. De receptoribus seu fautoribus, qui vel reciderint, vel pœnitentias accipere refugerint.

Illos autem qui cum tantum receptaptores, seu defensores, seu fautores extiterint, & reconciliati fuerint, seu mandatis ecclesiæ juraverint obedire, in abjuratam culpam reciderint, seu pœnitentias accipere contumaciter refugerint, vel implere, & propterea secundo fuerint excommunicationis vinculo, A vel ipso jure, vel per sententiam innodati : si redire voluerint, receptis ab ipsis talibus ac tantis securitatibus, præter juratoriam cautionem, quod timore pœnæ temporalis ab excessu simili debeant coerceri, eos cum litteris vestris testimonialibus plenam veritatem continentibus, ad dominum papam, pro absolutione trahenda, & recipienda pœnitentia, transmittatis.

XIV. Quinam existimandi fautores hæreticorum.

Plane inter fautores accipimus tam eos, qui hæreticorum seu credentium extirpationem, seu correctionem impediunt, quam qui non dant operam ad id, quam non possunt sine culpa omittere manifesta. Ex diligenti tamen circumstantiarum consideratione, plus minusve contingit culpæ in talibus reperire. Nam multum favet hæreticis, sive credentibus, qui cælat, cum possit & debeat indicare : plus, qui eos occultando, seu aliter, ipsorum examinationem, vel incarcerationem, vel punitionem malitiose nititur impedire : plurimum, qui captos vel incarceratos relaxat præter ecclesiæ voluntatem : seu cujus consilio, vel auxilio, mandato vel jure talia perpetrantur.

XV. Ut fautor eorum habeatur, qui cum potestatem habeat, in eos non animadvertit.

Cujus criminis reus incomparabiliter est habendus ille, qui temporalem habens jurisdictionem, præfatos pestiferos hæreticos seu rebelles ab ecclesia denotatos persequi, & de sua terra vel provincia exterminare postponit, vel in eos animadvertere sine mora. Quippe nec caret scrupulo societatis iniquæ, qui tanto facinori sibi per denunciationem ecclesiæ, seu aliter, legitime manifesto, cum teneatur & possit, desinit obviare : præsertim si ad hoc faciendum etiam juramento proprio se astrinxit.

XVI. De iis, qui cum possint, prædictos non capiunt, aut juvant capientes.

Sed nec illi sunt immunes a crimine, qui cum se illis offert opportunitas loci & temporis, ac facultas, hæreticos seu prænominatos rebelles capere, capientesve juvare, nequiter prætermittunt : maxime si de hoc fuerint a capientibus seu capere volentibus requisiti.

ANNO CHRISTI 1235.

siti. Et quoniam plures & quasi inve- A stigabiles sunt modi nocendi quibus hæretici eorumque credentes atque fautores nituntur vineam Domini Sabaoth demoliri, & eis est tam prudenter, quam viriliter occurrendum: curet vestra devotio secundum datam a Domino gratiam, mala illorum agnoscere, & salutarem apponere medicinam: suppleatque discretio, quod scripto non posset facile comprehendi.

XVII. Ut fratres Prædicatores a pecuniariis pœnitentiis abstineant.

Similiter a fidejussoribus hæreticorum seu credentium qui fugerunt, & a decedentibus, qui pœnitentias non egerunt, vel ab eorum hæredibus, seu fidejussoribus, exactis per episcopum loci ex officio suo bonis pignoribus, & in aliqua æde sacra depositis, ad dominum legatum pœnitentiarum injunctio referatur. Ab hujusmodi enim pecuniariis pœnitentiis & exactionibus, vobis est abstinendum pariter, & parcendum, propter vestri ordinis honestatem. Cum & satis plene alias negotii hujusmodi executio vos oneret, & affligat.

XVIII. Ut prædicti culpabiles religionem ingredi non permittantur.

Ne autem per tales religionis simplicitas corrumpatur, nullum de præfatis culpabilibus religionem quamcumque ingredi, nisi ex domini papæ vel ejus legati indulgentia, permittatis: & si qui sine ipsorum & vestri licentia post inchoatam inquisitionem, vel si etiam ante, non tamen confessi, & canonice absoluti, ingressi fuerint, revocetis.

XIX. Ut a carcere nemo excusetur propter senium, &c.

Circa incarcerandos etiam duximus hoc addendum, ut a carcere nec vir propter uxorem, licet juvenem, nec uxor propter virum, nec quisquam propter liberos seu parentes, seu aliter necessarios, aut propter debilitatem, vel senium, vel aliam similem causam, excusetur, absque indulgentia sedis apostolicæ speciali. Si qui vero culpabiles vel suspecti ad vestram pertinentes inquisitionem, præsentes nec sint, nec fuerint; & infra competentem terminum eisdem a vobis peremptorie assignatum, & per ecclesias publicatum, non curaverint comparere, vel se legitime excusare: contra eos tanquam contra præsentes non dubie procedatis.

XX. Qui pertineant ad inquisitionem.

Ad inquisitionem quippe vestram eos intelligimus pertinere, qui vel infra ejusdem inquisitionis limites deliquerunt, vel domicilium ibi habent, seu habebant quando inquisitio cœpta fuit, vel cum ibi morarentur occasione officii cujuscumque, publici seu privati, vel certum domicilium non habentes, B ibidem inventi, citati fuerunt a vobis, sive illis per quamcumq; cautionem astrictis, sive non, inquisitionem contra eos facere incœpistis, vel eis purgationem forsitan indixistis. Siquidem contra tales præsentes vel absentes potestis procedere ac debetis: nisi forte ratione delicti majoris, seu minoris, commissi alibi, vel ratione domicilii, vel alia, de prædictis inquisitores alii procedere cœperint contra illos. Etenim cum in locis diversis, & per inquisitores diversos, Deo auctore, inquisitio C celebretur: tutius & salubrius est, ut quisque culpabilis in quibuscumque locis deliquerit, uni & illi tantum inquisitori permaneat obligatus, a quo primo ex aliqua de causis præscriptis, sine fraude, & sine periculo negotii, & animarum, fuerit occupatus.

XXI. Ut inquisitores alii, si quid norint, scribant ad eum cui culpabilis est astrictus.

D Ita tamen ut inquisitores ceteri, quicquid de illo nosse poterunt, inquirant nihilominus & scribant inquisitoribus illis, quibus idem culpabilis sit astrictus: sic enim quasi vir unus pugnabitis, & vincetis.

XXII. Ne testium nomina verbo vel signo publicentur.

Illud autem caveatis secundum providam sedis apostolicæ voluntatem, ne E testium nomina verbo, vel signo aliquo publicentur: sed si instat contra quem fit inquisitio, dicens forte se inimicos habere, vel in se aliquos conspirasse: inimicorum ab eo seu conspiratorum nomina & inimicitiarum, seu conspirationis causa, & veritas exigantur: ut sic & testibus consulatur, & ipsis etiam convincendis.

XXIII. Ut nemo condemnetur, nisi convictus.

Ad nullius vero condemnationem si-

ne

ne lucidis & apertis probationibus, vel confessione propria procedatis. Satius enim est facinus impunitum relinquere, quam innocentem condemnare.

ANNO CHRISTI 1235.

XXIV. Ut ad accusationem, vel testimonium omnes admittantur.

Quamvis in hujusmodi crimine propter ipsius enormitatem omnes criminosi & infames: & criminis etiam participes, ad accusationem, vel testimonium admittantur.

XXV. Quæ exceptiones fidem testium evacuent.

Illis tantum exceptionibus fidem testium ex toto evacuantibus, quæ non ex zelo justitiæ, sed de malignitatis fomite procedere videantur; ut sunt conspirationes & inimicitiæ capitales. Alia vero crimina, etsi debilitent, non repellunt, præsertim si testes de crimine fuerint emendati.

XXVI. De eo qui convictus, pertinaciter negat.

Si quis tamen culpam suam, ex qua possit credens, vel hæreticus judicari, de qua plene per testes, seu aliam probationem constat, pertinaciter negare non metuit: quamdiu in hujusmodi negatione persistit, licet alias conversionem prætendat, hæreticus absque dubio est censendus: evidenter namque impœnitens est, qui peccatum nec vult etiam confiteri.

XXVII. Ut qui semel deposuerunt, iterum non interrogentur, nisi de novis circumstantiis.

Testes autem qui generaliter de se & aliis requisiti, semel deposuerint, si etiam post hujusmodi depositionem contra quemquam de quo quid noverint, dixerint, inquisitio cœperit, non est necesse ut iterum producantur: nisi de aliquibus circumstantiis, de quibus requisiti non fuerant, viderentur forsitan requirendi.

XXVIII. An credendum confessori, de absolutione seu pœnitentia alicujus.

Utrum autem soli confessori credi debeat de absolutione seu pœnitentia defuncti, seu vivi, licet videatur quod non: ne quid tamen ecclesiæ possit impingi, domini papæ responsio expectetur. Absolutis etiam per alios qui absolvere potuerunt, ad vestram inquisitionem secundum modum præfinitum pertinentibus, non injunctam ab illis pœnitentiam injungatis.

ANNO CHRISTI 1235.

XXIX. De quibus, & ex quibus credentes possunt judicari.

Sane inter culpas ex quibus credentes possunt judicari, ne ulterius dubitetis, has esse firmiter arbitramur: Si reverentiam fecerunt hæreticis, ubi credentes, orationes ipsorum implorantes, & bonos homines profitentes, quasi adorant illos: si consolationes eorum, ubi eum, quem consolantur, in hæreticum recipientes, per impositionem manuum se salvare proditionaliter mentiuntur: aut, servitio eorumdem, ubi majore ipsorum librum tenente apertum, per ipsum, quasi sub generali confessione, remissionem intelligunt fieri peccatorum: aut cœnæ Valdensi, ubi die cœnæ mensa posita, & pane superposito, Valdensis unus benedicens, & frangens, dansque astantibus, credit secundum damnabilem sectam conficere corpus Christi, non causa prodendi vel reprehendendi eos, vel alia commendabili seu excusabili, astuerunt: si eisdem Valdensibus peccata sua confessi fuerint, ut solet & debet quis sacerdoti proprio confiteri: si pacem ab hæreticis, seu Valdensibus, vel panem ab eis benedictum a quocumque sibi missum vel datum, scienter & damnabiliter receperunt: si crediderunt eos in sua secta salvari posse, vel esse bonos, vel sanctos homines, vel Dei amicos, vel nuncios, vel bonæ conversationis, vel vitæ, vel eorum persecutores peccare, vel si eos taliter laudaverunt, vel si aliquo qualicumque signo seu verbo, in eis se fidem vel credentiam habuisse in jure vel alibi sunt confessi: si eos libenter & pluries receperunt, audierunt, visitaverunt; victualia seu alia dederunt, seu miserunt eisdem orationes ab eis vel epistolas, vel evangelia didicerunt. Hæc enim & similia, etsi non probent singula, multa juvant: præsertim cum Joannes dicat in epistola: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domo, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis.* Hæc autem omnia intelligimus, cum hi qui sic culpabiles sunt inventi, sciebant illos, quibus vel per quos ista fiebant, esse hæreticos, vel Valdenses: nec ignorabant quod sancta ecclesia cales, propter errores proprios sectasque suas damnabiles, ab unitate catholicæ fidei segregatos denunciat, & excommunicat, per-

1. Joan.

ANNO CHRISTI 1235.

sequitur, atque damnat. Nec dicenti se hoc ignoraſſe, leviter eſt credendum. Quis enim eſt ſolus ille peregrinus, qui damnationem hæreticorum, & Valdenſium neſcierit a longe * retro annis, tam juſtiſſime factam: tam famoſam, tam publicatam, tam prædicatam, tot & tantis expenſis, laboribus, & ſudoribus fidelium inſecutam, & tot mortibus ipſorum infidelium ſolemniter damnatorum & publice punitorum, tam firmiter ſigillatam? utique non eſt ferendus ſic evidens diſcipulus mendacii magiſtrorum, ſed potius cum ipſis damnatis damnandus, qui verum tam notorium diffitetur: quod etiam ipſius rei geſtæ modus ignorari non potuiſſe arguit & convincit. Nam & latere volentes, & celari quærentes hæretici ac Valdenſes, ſuis ſe tantum credentibus eredunt, cum eiſdem ſupradicta mala & ſimilia in latibulis perpetrantes. Quæ, etſi quidam ex his ſimiliter negent ſe illorum errores audiviſſe, vel auditis credidiſſe, a participatione tamen credendi eiſdem erroribus ſaltem implicite, immunes eſſe non ſinunt. Licet enim iſti nihil expreſſe dicant contra aliquem articulum ſpecialem, tacite tamen & per conſequentiam dicunt: cum dicant & ſentiant verbo vel ſigno illos perfidos eſſe bonos: quos conſtat ab eccleſia reprobatos. Quinimmo cum ſupradicta ſaluti animarum ſuarum prodeſſe crediderint, aut ſalutem extra eccleſiam eſſe credendo, aut quos eccleſia damnat, extra eam eſſe non credendo: proculdubio erraverunt. Equidem cum diſcretioni veſtræ, dilecti filii in Chriſto, negotium iſtud, tam dominus papa, quam dominus legatus, in pleriſque provinciis providerint committendum.

ANNO CHRISTI 1235.

Hæc vobis ſcribimus, non ut ves velimus noſtris obligare conſiliis, vel arctare, cum non deceat conceſſam vobis diſcretam arbitrii libertatem, aliorum conſiliis, formis, ſeu regulis, quam ſedis apoſtolicæ, in ipſius negotii præjudicium coarctari: ſed veſtram devotionem cupimus adjuvare, ſicut & nobis ab ipſa ſede apoſtolica eſt mandatum: ut qui noſtra portatis onera, conſilium a nobis & auxilium, in ipſo noſtro negotio, caritate mutua reportetis.

CONCILIUM REMENSE

APUD S. QUINTINUM VEROMANDUÆ

Ab Henr. de Brenna Rem. archiep. & ſuffraganeis celebratum ann. Dom. MCCXXXV.

ANno Domini MCCXXXV. in craſtino beatæ Mariæ Magdalenæ continuato a die præcedenti, ad quem fuerat concilium convocatum apud S. Quintinum, præſentibus domino Remenſi, Sueſſionenſi, Laudunenſi, Catalaunenſi, Noviomenſi, Silvanectenſi, Morinenſi, epiſcopis: præſentibus, etiam procuratoribus Ambianenſis, Atrebatenſis, Tornacenſis, & Cameracenſis, epiſcoporum, miſſis ad conſentiendum iis quæ in dicto concilio contingeret ordinari: præſentibus etiam procuratoribus omnium capitulorum cathedralium Remenſis provinciæ. Conſenſit totum concilium, quod in his lædebatur eccleſia, & eccleſiaſticæ libertates provinciæ Remenſis. Videlicet in bannitione Thomæ de Bellomanſo, canonico Remenſi, in ſaiſitione bonorum capituli Sueſſionenſis facta per dominum Regem; & in eo quod denegavit regalia beatæ Mariæ Sueſſionenſis confirmatæ ab epiſcopo Sueſſionenſi; & in eo quod prohibuit epiſcopo Sueſſionenſi, ne eam benediceret, niſi prius raptis ab ipſa regalibus: & de inhibitione facta capitulo, ne eam reciperet benedicendam in eccleſia ſua: & in eo quod reliquias & alia ſacra ejuſdem monaſterii per bailivum ſuum ſecum fecit aſportari. Item in eo quod in curia ſæculari cum excommunicatis agentibus litigetur. Item in eo quod vult quod perſonæ eccleſiaſticæ probent per duellum in curia ſæculari homines de corpore ſuos eſſe. Item conſenſit concilium de negotio Remenſis eccleſiæ, quod dominus Rex debet credere domino Remenſi ſuper ſententiis latis in cives Remenſes auctoritate apoſtolica: nec de iis pro quibus excommunicatos eos dicet, Rex aliquam debet facere inquiſitionem. Item in hoc conſenſit concilium, quod ſi dominus Remenſis requiſierit Regem, ut ei præſtet auxilium in emendandis exceſſibus civium Remenſium, pro quibus ſunt excommunicati: præſtare tenetur eidem auxiſium, nec ſuper hoc aliquam debet facere inquiſitionem. Item in hoc conſenſit concilium, quod D. Remenſis non tenetur reſpondere ſuper homicidio aut alio crimine tangente perſonam ipſius, civibus Remenſibus in curia domini Regis juſtitiariis & fidelibus ſuis, nec etiam ſuper alio, niſi fuerit in defectu, ſi non colegit diem coram domino Rege contra eos, maxime cum ipſi eſſent excommunicati. Item in hoc conſenſit concilium, quod dicti epiſcopi perſonaliter accedant ad dominum Regem, & nuncii capitulorum, ita quod præſentes ſint hac inſtanti die ſabbati, ubi dominus Rex erit, ad ſupplicandum domino Regi ex parte concilii ſuper præmiſſis, antequam recedant a curia domini Regis. Aſſignata eſt etiam dies Dominica poſt feſtum beati Petri ad vincula, apud Compendium, de communi aſſenſu totius concilii, ad celebrandum concilium ſuper præmiſſis. Et injunctum eſt procuratoribus capitulorum, quod ad dictam diem mittant capitu-

* Deeſt fortaſſe detur: ſic reputari eſt fuit in defectu &c.

pitula procurationes ad concilium ſine alia citatione, ad conſentiendum iis quæ in dicto concilio contigerit communiter ordinari.

SUPPLICATIO FACTA DOMINO REGI PER DEPUTATOS

Præcedentis concilii,

ANno Domini MCCXXXV. in octavis beatæ Mariæ Magdalenæ, fuerunt apud Meledunum dominus Remenſis, Sueſſionenſis, Laudunenſis, Catalaunenſis, Noviomenſis, Silvanectenſis, & Morinenſis, epiſcopi, cum nunciis capitulorum cathedralium Remenſis provinciæ: qui tunc adfuerunt ibidem, & ſupplicaverunt ex parte concilii domino Regi ſub hac forma.

„ Supplicat totum concilium Remenſis provinciæ pro eccleſia Remenſi & archiepiſcopo, ut dominus Rex præſtet auxilium ſuum „ in emendandis exceſſibus civium Remenſium, „ qui notorii ſunt, & evidentes eidem, apud „ Atrebatenſem expreſſis, pro quibus & ſunt „ excommunicati per provinciam Remenſem „ denunciati. De excommunicatione ſcilicet „ dominus Rex debet credere archiepiſcopo, „ cum in cives Remenſes auctoritate eccleſiaſtica dictas ſententias protulerit: nec ſuper „ hoc debet dominus Rex aliquam facere inquiſitionem.

„ Item ſupplicat concilium, quod dominus „ Rex non compellat reſpondere archiepiſcopum Remenſem ſuper homicidio vel alio „ crimine tangente perſonam ipſius, civibus „ Remenſibus in curia ſua, cum ſint juſtitiabiles ſui ac fideles: nec etiam ſuper aliquo „ alio, cum non fuerit in defectu: nec reputet eum dominus Rex in defectu, ſi non „ colligat diem coram ipſo contra illos, cum „ in nullo fuerit defectu erga eos, & cum ipſi „ ſint excommunicati.

„ Item ſupplicat concilium, ut bannitionem „ factam a domino Rege de Thoma de Bellomanſo canonico Remenſi, & ſubdiacono, „ revocet eo modo quo facta eſt.

„ Item ſupplicat concilium, quod dominus „ Rex non compellat perſonas eccleſiaſticas probare per duellum in curia ſua homines „ quos dicunt ſuos eſſe de corpore. ANNO CHRISTI 1235.

„ Item ſupplicat concilium, ut & dominus „ Rex revocet ſaiſitionem bonorum temporalium capituli Sueſſionenſis, quam fecit, eo „ quod dictum capitulum non vult litigare coram eo ſuper eo, ſuper quo litigatum eſt, & „ reſponſum, & ſententia lata in curia eccleſiaſtica.

„ Item ſupplicat concilium, ne regalia deneget eccleſiæ B. Mariæ Sueſſionenſis, confirmatæ ab epiſcopo ſuo, & ne inhibeat epiſcopo Sueſſionenſi ne eam benedicat, niſi „ prius ab ipſo receptis regalibus; ſeu capitulo, ne eam recipiat benedicendam in eccleſia ſua; & ne de reliquiis & aliis ſacris quæ „ fecit per baillivum ſuum aſportari, & ſingulo * ſe intromittat ulterius, ſed eccleſiæ fa- * Locus corruptus „ciat reſtitui, & ne non excommunicatos ex- „ communicatis communicare compellat.

„ Item ſupplicant prælati, non ex parte concilii, ne dominus Rex adſignet eis diem, „ ſive alius, ubicumque fuerint, ſed in certo „ loco, cum vix hoc poſſet fieri ſine periculo „ cauſæ.

Facta autem ſupplicatione modo prædicto, dixit dominus Rex, quod ſuper hoc haberet conſilium: & habito conſilio reſpondit, quod inde plenius conſilium volebat habere, & ſuper hoc adſignabat diem ad craſtinum quindenæ Aſſumptionis B. Mariæ apud Meledunum. Quo audito, dominus Rex & dicti epiſcopi cum præfatis nunciis capitulorum, ſeceſſerunt in partem, & habito conſilio in hoc convenerunt, quod diem illam colligerent: ſed ſuper duobus articulis primis, ſcilicet de negotio Remenſis eccleſiæ archiepiſcopi, & bannitione Thomæ de Bellomanſo, canonici Remenſis monerent dominum Regem. Et egreſſi coram domino Rege ſuper illis duobus ipſum ex parte concilii monuerunt, & diem præfatam ad audiendam reſponſionem domini Regis collegerunt.

CONCILIUM REMENSE

COMPENDII HABITUM AB IISDEM,

Anno eodem.

ACta anno Domini M. CC. XXXV. Dominica poſt feſtum beati Petri ad vincula, adſignata apud Compendium ad celebrandum provinciale concilium, præſentibus domino Remenſi, Sueſſionenſi, Laudunenſi, Catalaunenſi, Tornacenſi, Silvanectenſi, & Morinenſi, epiſcopis; & præſentibus procuratoribus Ambianenſis, Attrebatenſis, & Cameracenſis epiſcoporum, nec non præſentibus nunciis capitulorum cathedralium Remenſis provinciæ, abſente Belvacenſi epiſcopo, qui ad Romanam curiam profectus erat, conſenſit totum concilium, quod dominus Rex monebitur ſecundo ſuper negotio Remenſis eccleſiæ & archiepiſcopi, & bannitione Thomæ de Bellomanſo canonici Remenſis, per archiepiſcopum & ſuffraganeos ſuos prænominatos, aut illos de prædictis ſuffraganeis, qui præſentes fuerint: præſentibus etiam dictis procuratoribus epiſcoporum, præſentibus inſuper & conſentientibus nunciis capitulorum cathedralium Remenſis provinciæ. Omnes enim prænominati debent intereſſe apud Meledunum in craſtino quindenæ Aſſumptionis beatæ Mariæ, hora competenti, coram domino Rege, qui monit * * * *

Hic nos defecit MS. codex.

Eodem autem anno habitum fuiſſe Silvanecti ab iiſdem epiſcopis his controverſiis concilium docet Spondanus in annal. eccleſ. ad ann. M. CC. XXXI. item & Cl. Hemeræus in Auguſta Veromanduorum illuſtrata, in eo reprehendendus quod Concilia Compendii & Silvanecti celebrata, ſuæ Quinrinopoli falſo tribuit.

ANNO CHRISTI 1235.

MONITIO

Ex apographo P. Jacobi Sirmondi Societatis Jesu citantur hæc Acta ab Henr. Spondano, in Annalibus Eccles. ad annum 1231. num. 8. qui a Sirmondo nostro profitetur se accepisse. H.

Domino regi Franciæ facta per abbates sancti Crispini, sancti Dionysii Remensis, & Essonis, auctoritate Concilii Provincialis Remensis, apud Compendium celebrati, anno Domini MCCXXXV.

REverendis Patribus dominis suis Henrico Dei gratia Remensi archiepiscopo, & omnibus suffraganeis; Leo sancti Dionysii Remensis, & G. Essonis abbates, debitam obedientiam cum salute. Noverit paternitas vestra, nos quasdam recepisse litteras, sub hac forma: Henricus Dei gratia Remensis archiepiscopus, totumque concilium provinciale Remensis provinciæ apud Compendium congregatum; dilectis filiis in Christo sancti Crispini majoris Suessionensis, sancti Dionysii Remensis, & de Essone Suessionensis diœcesis abbatibus, salutem, & sinceram in Domino caritatem. Auctoritate nostra vobis in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus ad dominum regem personaliter accedatis: ita quod feria secunda post Exaltationem sanctæ Crucis, ubi fuerit, interfitis; ipsum monentes ex parte nostra super negotio ecclesiæ & archiepiscopi Remensis, & super bannitione Thomæ de Bellomanso canonici Remensis; super quibus idem dominus rex alias fuit monitus ex parte concilii, secundum quod in actis super hoc confectis plenius continetur. Quod si non omnes iis exsequendis interfueritis, duo vestrum nihilominus exsequantur. Actum apud Compendium anno Domini MCCXXXV. mense Augusto, die Dominica supradicta. Hujusmodi igitur mandati auctoritate, nos ad illustrissimum regem Franciæ ad dictum diem apud Vicenos juxta Parisios personaliter accedentes, ipsum monuimus secundum formam superius annotatam. Datum anno Domini MCCXXXV. mense Septembri.

Secunda monitio facta domino Regi.

Anno Domini MCCXXXV. Sabbato ante Nativitatem beatæ Mariæ virginis, præsentibus dominis Suessionensi, Laudunensi, Catalaunensi, Noviomensi, Tornacensi, Silvanectensi, episcopis; præsentibus etiam procuratoribus Ambianensis, Attrebatensis, Morinensis, episcoporum; nec non præsentibus procuratoribus omnium Capitulorum Remensis provinciæ, absente episcopo Belvacensi, qui ad Romanam curiam profectus erat; & absente Cameracensi episcopo, qui ad imperatorem iverat; fuit monitus dominus Rex apud sanctum Dionysium, de negotio Remensis ecclesiæ & archiepiscopis, & de bannitione Thomæ de Bellomanso, canonici Remensis: & hæc fuit secunda monitio facta ex parte concilii Remensis provinciæ.

CONCILIUM PROVINCIALE,

Habitum apud Silvanectum a dicto domino Henrico de Brenna, anno MCCXXXV.

ACta anno Domini MCCXXXV. feria quarta post festum beati Martini hiemalis continuata de die in diem, a feria tertia præcedente dictum festum; ad quam dictam tertiam feriam dies erat assignata ad concilium celebrandum apud Silvanectum: ut pœna bona & competens, sine dilatione, ordinaretur & statueretur contra dominum regem, si non pareret monitionibus sibi factis super negotio archiepiscopi & ecclesiæ Remensis. Igitur quarta feria prædicta, præsente domino Remensi, Suessionensi, Laudunensi, Catalaunensi, Noviomensi, Ambianensi, Attrebatensi, Silvanectensi, Cameracensi, Moriensi, episcopis; præsentibus etiam procuratoribus Capitulorum cathedralium Remensis provinciæ, absente & excusato Tornacensi episcopo propter propriam corporis infirmitatem, & absente episcopo Belvacensi, qui ad curiam Romanam profectus erat. Cum dominus Remensis, cum dominis coepiscopis suis, feria tertia proxima ante dictam feriam quartam, de dicta pœna tractasset; & dicti Laudunensis, Noviomensis, Ambianensis, Attrebatensis, & Silvanectensis episcopi, una cum procuratoribus dictorum Capitulorum, exceptis Remensi & Belvacensi, concorditer respondissent; quod pœna erat competens & bona, si in cathedralibus ecclesiis, & capellis episcoporum submissa voce celebraretur: Nos archiepiscopus, una cum reliquis episcopis, videlicet Suessionensi, Catalaunensi, Cameracensi, & Morinensi, attendentes quod dicti episcopi non faciebant quod promiserant & debebant; ordinavimus & statuimus pœnam istam. Cum dominus Rex non paruerit monitionibus sibi factis; nos interdicimus totum dominium ejus situm in provincia Remensi; ita tamen quod exhibeantur ibi viaticum & baptisma. Ex nunc excommunicamus omnes episcopos, qui pœnam hanc non observaverint, & in suis diœcesibus observari fecerint, publicaverint, & publicari fecerint in crastino beati Andreæ, quod præfigimus ad dictam pœnam publicandam: Alios autem omnes ex nunc excommunicamus, suspendimus, qui dictam pœnam non observaverint a dicto termino publicationis præfixo.

CONSENSUS

Episcoporum provinciæ Remensis, ut Concilium superius demandetur exsecutioni.

Anno Domini MCCXXXV. in concilio apud Silvanectum celebrato feria quarta post festum beati Martini hiemalis consenserunt Suessionensis, Catalaunensis, Cameracensis, & Morinensis episcopi, quod dominus Remensis publice, & faciat publicari & observari sententias in eodem concilio latas; rebelles & contradictores puniat secundum quod viderit expedire; absolvat & in forma ecclesiæ illos, qui in dictas sententias inciderint, si ab eo absolutionem petierint, & dictas sententias se promiserint de cetero servaturos. Consentiunt etiam quod ipse possit in præmissis concedere vices suas alii, vel aliis, juxta suum beneplacitum voluntatis. In cujus rei testimonium præsentes litteras sub sigillis suis munierunt.

ANNO CHRISTI 1235. Beſſin l. Ro- par. 2.

ANNO CHRISTI 1235.

PRÆCEPTA ANTIQUA

Seu Inſtitutorum Synodalium diœceſis Rotomagenſis a Sacerdotibus obſervandorum opuſculum, ab inſignibus auctoritate viris de mandato archiepiſcopi ad eorum informationem exaratum.

Prodeunt iterum cum acceſſione ineditorum LXIII. capit. ex Mſs. codd. Carnot. Capituli, & altero Beccenſis Monaſt. ann. 400. *Recognita ſunt poſt vet. edit. & in bene multis emendata, ad eoſdem codd. Bigotianum item ann.* 300. *& recentius Fiſcannenſe; necnon collata cum Statutis Bajocenſibus & Lexovienſibus, quæ paucis immutatis, ipſa ſunt præcepta Petri de Collemedio.*

OBSERVATIO PRÆVIA.

Hiſce præceptis jam e prælo ſubductis, eorumdem apographum fuſius & emendatius e Mſ. Capituli Carnot. noſter *de la Pommeraie* a V. C. D. *le Feron* ejuſdem eccleſiæ Canonico & Sorbonico Doctore ſuſceperat, nec ſuperaddere curavit. Ipſa jam exhibemus, nimirum a cap. xc. ne rejectis quidem in iis quæ eccleſiæ Cenomanenſis ſpecialia eſſe noſcuntur.

Undenam autem primum prodierint, ſerio attendenti definire non erit operoſum. Metropolitanæ enim eccleſiæ genuinum eſſe fœtum vel ex ipſo Carnotenſi codice certo confici videtur. Cap. ſiquidem hic CXLIV. *De Clericis cum deciis ludentibus*, ita legitur: *& hanc conſtitutionem volumus in tota diœceſi tali firmiter obſervari*; quæ verba Archipræſulis eſſe pro una e ſuffraganeis eccleſiis ſibi ſubditis, quam præ ceteris ea labes infecerat, nemo negaverit. Cap. item CXLV. ſtatuit de immoderatis penſionibus aut firmis eccleſiarum, præter conſcientiam Epiſcopi vel Archiepiſcopi impoſitis, prohibendis. Cap. demum LXXII. nomen Archiepiſcopi, quod alias in Epiſcopum tranſmutaverat, expreſſe retinuit.

Cujuſnam autem Archiepiſcopatus? Pro Rotomagenſi ex eodem Carnot. cod. cap. CXXII. haud obſcure colligitur, dum in qualemcumque Trinitatis in humanis adumbrationem hæc ſubdit: *Solet enim dici quod idem homo erat Rex Angliæ, Dux Normanniæ, & Comes Andegaviæ; & ita erant tres perſonæ; nec diceretur quod Rex Angliæ eſſet homo Regis Franciæ, ſed de Duce Normanniæ bene concederetur*. An alium præter Rotomagenſem talia ſapiant, penes cordatos judicium eſto.

Et ſane cauſam noſtram in hac parte ſuperiorem efficiunt, tum poſſeſſio ipſa, inſigne documentum juris, quam pacifici nemineque reclamante hucuſque tuemur & obtinemus; tum Mſs. codicum copia numeroſior; editio item vetus diſerte ſignat, necnon quatuor Provinciæ noſtræ ſuffraganearum eccleſiarum ſtatuta idipſum haud obſcure videntur indicare. Iis demum locis quæ *ex Metropolitano Concilio* inſcribuntur, eadem iiſdem verbis extant in Provinciali Concilio noſtro anni 1231. v. g. titulus cap. XXXVII. quod in edit. *Ex Concilio Turonenſi* perperam inſcribitur, in Bigotiano codice eſt. *Ex Concilio Metropolitano*, eſtque cap. XIX. Concilii Provincialis Rotomagi anno 1231. celebrati, nec in ullo Turonenſi ante id temporis apparuit.

Veruntamen ex adverſo ſtetit pro Cenomanenſi eccleſia D. *le Feron* ſupra laudatus, valida, uti opinabatur, contorquens argumenta. 1. Ex feſtivitatibus SS. Gervaſii & Protaſii, ac S. Juliani Cenomanenſis eccleſiæ patronorum. 2. Ex excommunicatione Hamelini ejuſdem Eccleſiæ Antiſtitis, ut notum eſt.

At pace optimi viri, nil aliud prorſus inde conſequitur, niſi codicem Carnotenſem ex altero Cenomanenſis eccleſiæ uſibus jam aptato exſcriptum fuiſſe. Ea quippe apud majores noſtros ſumma ingenuitas, illud unanimitatis communioniſque eccleſiaſticæ commune ſignaculum fuit, ut e coepiſcoporum, maxime vicinorum, decretis, quæque in rem ſuam optima videbantur, citra verecundiam vel cujuſquam invidiam, quaſi ex communi bono, delibarent aut deflorarent, ac prout opportunum videbatur, ſuis accommodarent inſtitutis. Illud præterea exinde in ſummum Eccleſiæ commodum profluxit, ut in ſacris, ſaltem infra idem regnum, eccleſia ab eccleſia vix diſſideret, ac ſicut una erat omnium fides, ſic & pari formis perſeveraret diſciplina.

Ceterum quod ad Præcepta, de quibus nobis ſermo, attinet: eadem ipſa parili prorſus ratione quamplures ſibi vendicarunt eccleſiæ: v. g. præter Neuſtriacas, Andegavenſis, Namnetenſiſque, cujus expreſſo nomine proſtant in Bibliotheca Bigotiana, ante annos ducentos & quinquaginta manu exarata; quod Feronio pariter ſolvendum incubuiſſet.

Maneat itaque ex ſupradictis opuſculum eſſe a viris eruditione ac diſciplinæ eccleſiaſticæ peritia conſpicuis de mandato Rotomagenſis Archiepiſcopi collectum & adornatum, unde ſuffraganei vicinioreſque Epiſcopi ſibi, prout conveniens videbatur, aſſumpſerint.

At cujuſnam, inquies, Rotomagenſis Archipræſulis? Pro Petro de Collemedio ſtant ferme univerſi: & ſane dum ſequiores ſuas conſtitutiones *Præcepta nova* inſcripſit, ad antiqua profecto videtur alluſiſſe.

Ut ut ſit, & cujuſnam tandem fuerint Præcepta; ſerius anno 1235. non videntur protrahi poſſe, ob exemplum videlicet Trinitatis, ductum ab eo qui ſimul & ſemel fuiſſet Rex Angliæ, dux Normanniæ, ac Comes Andegaviæ, & ſic quaſi tres perſonæ. Cum a Normanniæ Ducatu excidiſſent jam Angli ab anno 1204. obſoletum fuiſſet exemplum, quod proferebat ut tritum & cuilibet obvium.

In hac porro editione nonnulla capitula in duo ſecare neceſſe fuit, ex eo quod a titulo pars altera prorſus abhorreret; aliis, ſed paucis, novos titulos appoſuimus, ut textui convenirent.

I. *Quomodo perſonæ Eccleſiaſticæ ante Synodum ſibi debent providere.*

De Dominica Synodum præcedente, Sacerdotes qui Capellanos non habent in ſuis Parochiis, diligenter inquirant publice in Eccleſia ſi qui ſint infirmi in Parochia; & feria ſequenti, ſive antequam iter arripiant, eos viſitent, etiam non requiſiti, & faciant quicquid neceſſe fuerit ad ſalutem animarum. Nihilominus tamen proviſionem eorum procurantes, quæ ſolent facere per Capellanos in aliis Eccleſiis remanentes.

II. *Ut omnes curam animarum habentes veniant ad Synodum.*

Præcipitur ut omnes veniant ad Synodum, maxime curam animarum habentes. Et ſi ineA vitabili neceſſitate detenti fuerint, mittant Capellanum ſuum aut Clericum loco ſui. Et in eundo & redeundo honeſte ambulent, & honeſta quærant hoſpitia; & in eis circumſpecte ſe habeant, ne ſtatus Clericorum vertatur populo in opprobrium & contemptum: & qui ex cauſa remanſerint, eam Decano, & Decanus Archiepiſcopo ſtudeat nunciare.

III. *Ut jejuni intrent Synodum.*

B Præcipitur Sacerdotibus ut jejuni & induti ſupelliciis & ſtolis mane intrent Synodum; ceteri autem perſonatum ſeu vicarias Eccleſiarum habentes, ſupelliciis tantum: Abbates autem cappis ſericis ſint induti. Præcipitur ſub pœna ſuſpenſionis quod a tempore pulſationis Synodi, omni occaſione poſtpoſita, majorem Eccleſiam omnes intrare feſtinent.

IV.

ANNO CHRISTI 1235

IV. *De baptiſmo.*

Baptiſmus cum honore & reverentia celebretur, & cum magna cautela, maxime in diſtinctione verborum & prolatione, in quibus tota virtus ſacramenti conſiſtit, ſcilicet: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.* Et in * Romano ſub hac forma laicos doceant Sacerdotes frequenter, debere baptizare pueros patrem & matrem pueri, in ſumma neceſſitate. (a) Forma autem verborum prædicta ab eo qui baptizat, integre, ordinate, continue, ſine interpoſitione aliqua proferatur.

* *Statut. Baſoc.* Gallico. *Conſtant.* pro-no.

V. *De eodem.*

Interrogetur autem laicus qui ſic puerum baptizat diligenter a Sacerdote quid dixerit, & quid fecerit: & ſi eum inveniret diſcreto modo & debito baptizaſſe, oblato puero ad Eccleſiæ fores ſuppleatur quod deeſt, ſcilicet pabulum ſalis, aurium & narium linitio cum ſaliva, exorciſmi tamen non dicantur; ſuper fontes tamen ſine immerſione omnia fient quæ ſolent fieri: Si vero dubium fuerit in qua forma verborum puer baptizatus fuerit, tunc Sacerdos omnia faciat, & immergens dicat: *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.* Ad elevandum etiam puerum de ſacro fonte unus ſit aut duo ad plus, tres tamen recipiantur pro caritate ſervanda.

VI. *De Confirmatione.*

Sacerdotes ſcientes adventum Archiepiſcopi, moneant populum diligenter, etiam per hoſpitia ſingulorum, ſi opus fuerit circa duas aut tres leucas, ut omnes conveniant coram Archiepiſcopo ad audiendum ſermonem, maxime qui conſilio Archiepiſcopo indigent, & ipſi cum populo conveniant cruce præcedente. Adulti vero qui confirmandi fuerint, prius confiteantur, ſi tempus habeant confitendi, & deferant ſecum bandellos latos, mundos & ſatis longos, & laventur fontes confirmandorum: jejuni autem ſi fieri poteſt recipiant hoc ſacramentum, & tunc non celebrent Sacerdotes niſi ſummo mane.

VII. *De officio Sacerdotis in miniſterio Altaris.*

Sacerdos miniſtrans diligenter attendat quod hoſtia ſit integra, & integrum habeat circulum, & quod vinum non ſit acetoſum, & quod aquam modicam reſpectu vini apponere non omittat: ſi autem aliquis aquam omiſerit, quando advertit, opponat aquam ſi fieri poteſt ſine ſcandalo. Si vero per negligentiam evenerit, quod perfecto Canone & peracta conſecratione, nec vinum nec aqua reperiatur in Calice, debet ſtatim infundi utrumque, & hoſtia ſic conſecrata ſeorſum reverenter reſervetur. Hoſtia autem nova ſicut fieri ſolet ante Calicem apponatur, & reincipiatur Canon Miſſæ: *Te igitur.* Pro Communione vero, prior & ſecunda hoſtia ab ipſo Sacerdote ſumatur.

VIII. *Ut nec panis, nec vinum remaneat ſuper Altare in Miſſa.*

ANNO CHRISTI 1235.

Caveant Sacerdotes ne panis, vel vinum remaneat ſuper Altare infra Miſſam: præter illa quæ ab ipſo ſunt conſecranda: & ſi quid forte remanſerit, ab ipſo Sacerdote ſeu ab alio mundam conſcientiam habente cum reverentia ſumatur.

IX. *De eodem.*

Præcipitur Presbyteris ut quando inceperint in Canone Miſſæ, *Qui pridie*, tenentes hoſtiam non elevent eam: ſed ante pectus detineant, donec dixerint: *Hoc eſt enim Corpus meum.* Et tunc reverenter elevent eam & decenter, ita quod poſſit videri. Et poſt totalem ſumptionem Corporis & Sanguinis Domini, aliquantulum ab expuendo abſtineant. Et ſi abſtinere non poſſint, in loco mundo hoc faciant, qui conculcari non poſſit.

X. *Quomodo fieri debeat, ſi quid de Sacramento ceciderit.*

Si quid de Sanguine Chriſti ceciderit ſuper corporale, fugenda eſt pars intincta: & ipſum corporale, panno aliquod mundo involutum, pro reliquiis eſt ſervandum. Si ſuper pallam, vel ſuper aliquod ſacrum indumentum, pars intincta prius fugatur, & poſtea ſcindatur, & conſuta panno mundo, ſervetur pro reliquiis, ita tamen quo ſuper pannum cedula conſuatur continens: *Super hoc linteamen ſtilla cecidit Sacramenti.* Si ſuper aliud commune veſtimentum ceciderit, pars intincta prius fugatur, & poſt ſcindatur, & comburatur, & cinis in ſacrario reponatur. Si autem ſuper lapidem, lignum, ſeu terram ceciderit, lingendus, tergendus, & radendus eſt locus ille, & pulvis in ſacrario reponendus. Si autem de Corpore Chriſti ſuper pallam vel quodlibet ornamentum ceciderit, pars ſuper quam ceciderit abluatur, & ablutio a Sacerdote ſumatur, vel ab alio mundæ conſcientiæ. Si vero ſuper lapidem, lignum vel terram ceciderit, locus radatur, & pulvis in ſacrario reponatur. Sacerdos vero vel miniſter, cujus negligentia iſtud acciderit, ad Archiepiſcopum debet mitti.

XI. *Quomodo fieri debeat, ſi aliquid ceciderit in Calicem.*

Si muſca vel aranea, vel aliquid tale in ipſum Calicem ceciderit, quod vix ſine vomitu, aliquando non ſine periculo corporis ſumi poteſt: ſanguis ſumatur, & ſuperfuſo vino ipſum quod ceciderit abluatur, & ablutio a ſacerdote ſumatur, vel ab alio bonæ conſcientiæ, & poſtea in ſacrario comburatur.

XII. *Ut corpus Domini, Chriſma, & Oleum cuſtodiantur ſub clave.*

Euchariſtia, videlicet Corpus Chriſti, Chriſma, & Oleum ſimiliter ſub clave, in loco honeſto & eminenti, & in vaſis competentibus & honeſtis ponantur; nec ponatur in burſa ſanctum Corpus Domini, ubi tactum frangitur; ſed in decenti pixide:

XIII.

(a) Mſſ. Addunt: & dicant laicis quod puero nomen non imponant.

ANNO CHRISTI 1235.

XIII. *De renovatione Sacramentorum.*

Sacerdotes die octavo ſemper renovent ſacramenta; videlicet, Euchariſtiam, Fontem & Aquam benedictam, ne ſui vetuſtate aliquem ad indevotionem movere valeant aut horrorem.

XIV.

Item ſtatuimus ut ſi aliquando contigerit quod propter neceſſitatem aliquam Euchariſtia dividatur, ut una pars detur infirmo, & alia pro neceſſitatis articulo reſervetur, reſervata pars ſumatur a Sacerdote.

XV. *Ut dicantur Matutinæ & Prima antequam celebretur.*

Nullus antequam Matutinas canonicas & Primam dixerit, Miſſam celebrare præſumat aliqua neceſſitate.

XVI. *Ut non celebretur bis in die.*

Nullus audeat bis in die Miſſam celebrare, niſi in Natali Domini vel in magna neceſſitate, ſcilicet corpore humano præſente. Et in die ſolemni, vel quadrageſimali, vel etiam in die Paſchæ celebraturus Miſſam ſecundam, vinum perfuſionis non ſumat, ſed miniſtro habenti bonam conſcientiam conferat.

XVII. *Quomodo Calix debet involvi & intus tergi.*

Calix poſt Miſſam panno mundiſſimo involvatur, nec miniſtri eo Calicem intus tergant, ſed alio ad hoc ſpecialiter deputato. Qui dum non ſatis decens fuerit, vel vetuſtate attritus, in ſacrario comburatur.

XVIII. *Ut non fiat Panis benedictus in die ſancto Paſchæ.*

Panis benedictus in die Paſchæ non fiat, nec in Feſtivitatibus, quibus ſolent & debent Corpus Chriſti recipere Chriſtiani.

XIX. *Ut non detur Euchariſtia pueris infra 7. annos, ex Concilio Lateranenſi.*

Prohibetur Presbyteris ne hoſtias dent pueris ullo modo infra ſeptennium conſtitutis.

XX. *Qui debeant deſervire Altari.*

Nullus permittatur deſervire Altari, vel Epiſtolam legere niſi in ſupellicio, ſive capucio, vel cappa clauſa. Uxoratus autem nullo modo Altario deſerviat.

XXI. *Quot Præfationes debent dicere Sacerdotes.*

Invenimus decem ſequentes Præfationes in ſacro Catalogo tantummodo recipiendas, unam in Paſcha quæ ſic incipit: *Te quidem omni tempore*; aliam in Aſcenſione, ſcilicet: *Qui poſt Reſurrectionem*; tertiam in Pentecoſte, ſcilicet: *Qui aſcendens ſuper*; quartam de ſancta Trinitate: *Qui cum unigenito*; quintam in feſtis beatæ Mariæ: *Et te in veneratione*; ſextam in feſto ſanctæ Crucis: *Qui ſalutem humani*; ſeptimam de Apoſtolis, ſcilicet: *Te Domine ſuppliciter*; octavam in Natali Domini: *Quia per Incarnati*; nonam in Epiphania: *Quia cum unigenitus*; decimam in Quadrageſima: *Qui corporali jejunio.*

ANNO CHRISTI 1235.

XXII. *Ex Concilio Lateranenſi. Quod honeſte ſe habeant, & celebrent Presbyteri divinum Officium.*

Diſtricte præcipitur ut Sacerdotes divinum Officium nocturnum & diurnum diſtincte & aperte, quantum Deus dederit, celebrent & devote. Honeſtum ſiquidem eſſet quod ſtantes Canonicas horas dicerent, maxime in feſtivis diebus, ut alii videntes laborem & devotionem, glorificent Deum patrem qui in cælis eſt.

XXIII. *Statutum Innocentii de Altari & ejus miniſterio.*

Præcipitur quod in Altari in quo tabula mota fuerit, vel enormiter fracta, Sacerdos non celebret donec Altare conſolidetur, & iterum conſecretur. Nec ſuper lapidem portatilem Viaticum ſine capſa celebretur. Ampullæ ſcilicet vini & aquæ in miniſterio Altaris ſint mundæ, integræ, vitreæ, vel ſtanneæ, ſive argenteæ. Ad ablutionem autem manuum vas grandius deputetur.

XXIV. *De Piſcinis & Manutergiis.*

Provideant Sacerdotes quod Piſcinas habeant juxta Altaria decentes, mundas, ablutionibus curſum liberum exhibentes, nec ſine opertorio relinquantur. Juxta etiam Altare, tria Manutergia habeant, unum ad primam ablutionem, ſecundum poſt Evangelium, tertium poſt ſumptionem ſacramenti. Aliud ſit pendens circa Miſſales ad tergendum os & nares (ſi opus fuerit) Sacerdotis.

XXV. *De lotione Corporalium & aliorum veſtimentorum Altaris.*

Summa reverentia & honor maximus ſacris Altaribus exhibeatur. Et maxime ubi ſacro ſanctum Corpus Domini reſervatur & Miſſa celebratur. Linteamina Altaris & indumenta ſæpe abluantur ad reverentiam & præſentiam Salvatoris noſtri, & totius Curiæ cœleſtis, quæ cum eo præſens adeſt quotins Miſſa celebratur. Sacerdos ſive Diaconus Corporalia ſæpe abluat, indutus ſupellicio, in vaſe mundo ad hoc ſpecialiter deputato. Omnes ablutiones, ſi fieri poteſt, in Piſcina reponantur, vel ſaltem prima, ceteræ autem in baptiſterio. Item linteamina Altaris & indumenta Sacerdotalia non niſi a Sacerdote vel Diacono, vel aliqua honeſta matrona, vel virgine, ſine appoſitione aliorum pannorum, convenienter quando opus fuerit abluantur, ita ut munda & nitida conſerventur. Quia, ſicut continetur in Concilio Lateranenſi, nimis videtur abſurdum in ſacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis.

XXVI. *Quomodo debeant cuſtodiri Corpus Chriſti, Chriſma, & Oleum.*

Statuitur ut per omnes Eccleſias Chriſma & Oleum ſanctum, Oleum infirmorum, & Euchariſtia in vaſis decentibus, Fonteſque ſimiliter ſub fideli cuſtodia, clavibus adhibitis conſerventur, ut non poſſit ad illa temeraria manus extendi. Si vero is ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio

ANNO CHRISTI 1235.

officio suspendatur; & si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, gravius puniatur.

XXVII. *Ut nulla Supellectilia sint in Ecclesiis, nisi in necessitate.*

In Concilio firmiter inhibetur ne Supellectilia Sacerdotis propria, vel aliena in Ecclesiis admittantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, propter quas ad eas oportet habere refugium; ita tamen ut necessitate cessante, in loca pristina reportentur.

XXVIII. *Ut habeant Manuale per se.*

Librum, qui dicitur Manuale, per se habeant singuli Presbyteri Parochiales, ubi continetur ordo Baptismi, Cathechismi, Extremæ unctionis, & hujusmodi, & in Ecclesia libros alios, in quibus possit competenter divinum tam nocturnum quam diurnum Officium celebrari.

XXIX. *De redditibus Ecclesiæ.*

Præcipitur Sacerdotibus ut omnes redditus Ecclesiæ scribantur in Missalibus suis, & de rebus Ecclesiæ vel Presbyterii nihil alienetur, nisi per Archiepiscopum,

XXX. *De Thesauris Ecclesiæ.*

Thesauri Ecclesiæ viris honestis & suspicione carentibus custodiendi tradantur, & per consilium & scientiam Sacerdotis in usus Ecclesiæ necessarios expendantur: & de eis reddant rationem qui custodierint, in plena Parochia, vel coram electis a Parochia ter in anno.

XXXI. *De Imaginibus, & Ornatu Altaris.*

Imagines vetustate deformatæ, & linteamina sacra, & alii panni, & vestimenta, & ornamenta usibus Ecclesiæ præparata, vetustate attrita, sacris usibus inutilia, comburantur in loco mundo, & pulvis juxta parietem Ecclesiæ recondatur; quia possent intuentes inducere in errorem.

XXXII. *Ut Sacerdotes firment seu claudant Ecclesias.*

Præcipitur Sacerdotibus ut divino Officio celebrato, & populo regresso ad propria, Ecclesias suas firmare studeant diligenter.

XXXIII. *Ne Choreæ in sacro loco fiant.*

Prohibeant Sacerdotes, sub pœna excommunicationis, Choreas induci in Cœmeterio vel in Ecclesiis, moneantque ne alibi fiant, maxime diebus Dominicis & festivis. quia, ut dicit Augustinus (*a*): *Melius est Dominicis & festivis diebus fodere vel arare, quam Choreas ducere.* Quam grave peccatum sit in loco sacro Choreas ducere, perpendi potest ex pœnitentia secundum rigorem Canonum talibus injungenda: Si quis Balationes ante Ecclesias Sanctorum fecerit, emendatione publica tribus annis pœniteat.

XXXIV. *Ut non ædificetur in Cœmeterio.*

Nullus de novo ædificare in Cœmeterio permittatur, nec domus aliqua, si diruta fuerit, durante per annum ruina, ibi reædificetur, nec fimus vel immunditiæ aliquæ in Cœmeteriis adunentur.

XXXV. *Ex concilio Lateranensi. De Clericorum honestate.*

Clerici officia vel commercia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta. Mimis, histrionibus & joculatoribus non intendant, & tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas vel taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Coronam & Tonsuram habeant congruentem, & se in Ecclesiasticis officiis, & aliis bonis studiis exerceant diligenter,

XXXVI. *Ex eodem, ut habeant Supertunicalia clausa, nec indebito apparatu utantur.*

Clerici beneficiati & sacris Ordinibus constituti clausa desuper deferant indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Si quis autem hujus constitutionis transgressor extiterit, per Superiorem suum puniatur: nec deferant capucia alterius panni quam sit indumentum quod exterius deferunt: nec caligas deferant nisi de saja, vel de sargia nigra, vel de persico, vel de bruneta nigra. Et ut vestis aperta prædicta portata, maxime in publico, pauperibus erogetur: super qua veste pauperibus eroganda Archidiaeonorum & Decanorum conscientias oneramus. Præcipientes eis sub pœna suspensionis & excommunicationis quatinus istud præceptum debitæ executioni demandent, adhibito, si opus fuerit, & implorato auxilio brachii sæcularis. Pannis rubeis vel viridibus, necnon manicis & sotularibus consutitiis, seu rostratis, sellis, frænis, pectoralibus & calcaribus deauratis non utantur. In Sacerdotio vel personatibus constituti, cappas manicatas non gerant nisi justa causa timoris. Fibulas omnino non ferant, nec corrigias auri vel argenti ornatum habentes, nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis.

XXXVII. *Ex Concilio Lateranensi de Clericis, Quod non exerceant Sententiam sanguinis.*

Nullus Clericus Sententiam sanguinis dictet aut proferat, nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit: nec quisquam Clericus litteras dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas.

XXXVIII. *Ex Concilio Metropolitano Rotom. an. 1231. de Clericis. Quod non sint advocati.*

Clerici beneficiati, seu in sacris Ordinibus constituti, non sint advocati pro pretio, seu in fraude pretii, in Curia laicali: nec loco laicorum Curiam teneant, nec baillis eorum illicitis præficiantur. Nec illam partem chirurgiæ Subdiaconus, Diaconus vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem inducit. Nec quis-

(*a*) Enarrat. 2. in Psalm. 32. & in Psalm. 91.

quiſquam purgationi aquæ ferventis vel frigidæ, ſeu ferri candentis, ritum cujuslibet benedictionis aut conſecrationis impendat.

XXXIX. *Ex Concilio Metropolitano eodem. Ne litigent coram Judice ſæculari.*

Nullus Abbas vel alia perſona Eccleſiaſtica, de perſonalibus injuriis, vel eleemoſynis Eccleſiæ factis, audeat litigare, niſi de conſenſu Archiepiſcopi, coram Judice ſæculari ſeu laicali.

XL. *Ex Concilio Lateranenſi de Vita & ſtatu Clericorum. Quod caſte vivant.*

Continenter & caſte vivere ſtudeant univerſi, præſertim in ſacris ordinibus conſtituti, ab omni vitio libidinis præcaventes, maxime illo propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ; ut in conſpectu Dei puro corde & mundo corpore valeant miniſtrare. Quocirca diſtrictius inhibemus ut nullus in ſacris Ordinibus conſtitutus, aliqua occaſione teneat in domo ſua vel alibi mulierem, vel perſonam aliquam de qua mala poſſit ſuſpicio ſuboriri, unde populus ſcandalizetur. Qui vero poſt ſententiam Gallonis inde latam, & ammonitionem legitimam, ſaltem in Synodo factam, ſocarias vel mulieres alias cum ſcandalo tenuerit, ſciat ſe ſententia excommunicationis eſſe ligatum. Et qui in excommunicatione illa celebrare præſumpſerit, eſt irregularis effectus, nec ſine diſpenſatione poteſt amodo celebrare.

XLI. *Ut non habeant ſecum prolem Presbyteri.*

Prohibetur Sacerdotibus diſtricte ne ſecum habeant prolem quam in fornicatione genuerunt, propter ſcandalum. Et ne eis in eccleſiis aſſiſtant vel miniſtrent, & ne in domibus ſuis aleas vel decios habeant prohibetur.

XLII. *Ex Concilio Lateranenſi. De concubinis laicorum.*

Prohibeant Sacerdotes etiam ne laici teneant concubinas. Et qui poſt ammonitionem trinam tenuerit, tam ipſe quam ipſa, ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur: & ſi perſeveraverint gravius ſunt puniendi.

XLIII. *Ex Concilio Lateranenſi. De Reliquiis.*

Item in Concilio eſt ſtatutum quod Reliquiæ antiquæ amodo extra capſam nullatenus oſtendantur: nec exponantur venales. Inventas autem de novo, nemo publice venerari præſumat, niſi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ.

XLIV. *Ut non recipiantur Prædicatores, niſi fuerint authenticæ perſonæ.*

Nullus paſſim recipiatur ad prædicandum, niſi fuerit authentica perſona, vel ad hoc ſpecialiter ab Archiepiſcopo deſtinata. Quæſtores quoque eleemoſynarum tantum ea dicant populo quæ in litteris Domini Papæ vel Archiepiſcopi continentur. Sacerdos tamen loci populum ſibi commiſſum diligenter inducat ad erogandas eleemoſynas pietatis intuitu, non animo extorquendi. Et quod datur, petentibus eleemoſynas integre reſtituatur. ANNO CHRISTI 1235.

XLV. *Item de Quæſtoribus eleemoſynarum.*

Nullus recipiatur ad quærendas eleemoſynas in Eccleſia, ſine litteris Archiepiſcopi, niſi ſit parochianus Eccleſiæ, vel vicinus de vicinia notus.

XLVI. *Ex Concilio Turonenſi. De Juramento perſonarum.*

Nullus Clericus Patronis faciat juramentum, antequam ſit Archiepiſcopo præſentatus, & etiam inſtitutus. (*a*) Et ne reſignationes fiant in manus Abbatum vel quorumlibet Patronorum, ſed in manus Archiepiſcopi tantum, diſtrictius inhibetur.

XLVII. *Ne ornamenta Eccleſiæ pignori obligentur.*

Statuitur quod Ornamenta Eccleſiæ non obligentur pignori, niſi pro neceſſitate Eccleſiæ, cum conſilio Parochianorum.

XLVIII. *Ut Laici filios ſuos inſtrui faciant.*

Sacerdotes frequenter moneant Parochianos ſuos, ut filios inſtrui faciant diligenter, & ſcholas attentius frequentare: quia illiterati non ſunt ad eccleſiaſtica beneficia admittendi.

XLIX. *Ex Concilio Turonenſi Metropolitano, de Corvagio.*

Prohibetur diſtricte ne aliqua Eccleſia Corvagium Domino terræ, vel aliquid tale conferre præſumat, donec habeat in Archiepiſcopi ſuper hoc conſilium, ut ejus auctoritate fiat quod fuerit faciendum.

L. *De firmis eccleſiarum.*

Nullus curam animarum habens, (*b*) Eccleſiam ad firmam recipiat; nec Sacerdos etiam, niſi de licentia Archiepiſcopi.

LI. *Ex Concilio Metropol. Quod donati Religionis ferant ſignum.*

Statuitur quod donati cujuslibet domus Religioſæ aliquod ſignum in eminenti loco portent ad arbitrium Archiepiſcopi, & Religioni congruentia indumenta, ut per hoc diſtinguantur ab aliis, & ſicut Religioſi ab Eccleſia defendantur. Et ad hoc faciendum per ſuos Presbyteros compellantur, nec hujuſmodi ptivilegio gaudeant, donec in domibus propriis commorentur.

LII. *Ex Concilio Turonenſi. De Decimis.*

Nullus laicus vel Clericus, vel religioſa perſona recipiat decimam de manu laicali, niſi per manum Archiepiſcopi. Si aliter factum fuerit, non valeat.

LIII.

(*a*) Add. ex Mſſ. Epiſcopus autem faciat receptum jurare quod ad patronos accedat, & debitum faciet juramentum.
(*b*) Ita Mſſ. Carnot. & Andeg.

ANNO CHRISTI 1235.

LIII. *De Cultellis cum cuſpide.*

Diſtricte præcipitur ne Sacerdotes cultellum portent cum cuſpide, aut arma, nec Clerici Sacerdotum, vel alii qui gaudere volunt privilegio Clericali, niſi juſti cauſa timoris.

LIV. *Ne Presbyteri ordinent teſtamenta ſua per laicos.*

Prohibetur Sacerdotibus ne teſtamenta ſua ordinent per manum laicalem. Nihil de fructibus ſequentis Auguſti, licet moriantur poſt Paſcha, penitus diſponentes; cum eos nolimus habere niſi ipſos qui ſuis Eccleſiis laudabiliter ſervierunt, vel fuerunt ſervire parati. Sed neque de rebus intuitu Eccleſiæ acquiſitis aliquis diſponere valeat, niſi ſecundum canonicas ſanctiones. De mobilibus autem, pauperibus, vel religioſis locis, vel conſanguineis, aut aliis juxta ſervitii meritum aliqua conferantur. Ceterum quia conſuetudine laudabili & ex cauſis rationabilibus hactenus in noſtra Diœceſi novimus obſervatum, ut nullus laicus ſine Sacerdotis ſui præſentia ſuam ordinare audeat ultimam voluntatem. In temporibus iſtis intelleximus deliquiſſe quamplures, dum vel prius ordinant omnia quam advocent Sacerdotes, nec eis vocatis poſtea mutatur, vel nullatenus eos vocant. Hoc fieri de cetero diſtrictius inhibemus, & ſub pœna gravis emendæ, vel alterius pœnæ a nobis, vel Officialibus noſtris, tam facientibus, quam conſentientibus, vel aſſiſtentibus infligendæ: & ipſi frequenter prohibeant laicis, ne teſtamenta ſua faciant ſine præſentia Sacerdotis, niſi in neceſſitate.

LV. *Ut fideliter exequantur teſtamenta.*

Sacerdotes exequantur ſollicite & fideliter teſtamenta, cum ad hoc fuerint evocati.

LVI. *De mobilibus & immobilibus Presbyterorum.*

Præcipitur Presbyteris ut immobilia de bonis eccleſiæ acquiſita tantummodo ſuis relinquant Eccleſiis. De jure enim aliud facere non poſſunt. De mobilibus ſuis, quæ de bonis Eccleſiæ non proveniunt, rationabile poſſunt facere teſtamentum. Domus autem utenſilia & ſupellectilia ſucceſſoribus ſuis relinquantur, ſaltem quod eis conveniat competenter.

LVII. *Ut Clerici ſingulis temporibus Ordinum, Ordinationi ſe offerant.*

Præcipitur omnibus Clericis habentibus Eccleſias, ut ad ſingula tempora Ordinum ſe ordinandos offerant: qui ordinati ſunt, in Eccleſiis ſuis reſideant, niſi eis aliter facere permittatur de licentia Domini Archiepiſcopi ſpeciali, & circa hoc ſervetur conſtitutio: *Extirpandæ*. Scituri ſi poſt admonitionem legitimam hoc neglexerint, quod ſint ſuis Eccleſiis ipſo jure privati, eaſque libere aliis conferendas.

LVIII. *Super citationibus faciendis.*

Super citationibus faciendis, credant his qui dederint fidem. Super excommunicationibus ferendis, vel abſolutionibus faciendis, non credant ſine litteris Archiepiſcopi. Sententias audacter nuncient, & latas diſtricte ſervent, nec amore parcentes alicui, nec timore.

LIX. *Ex Concilio Turonenſi. De Decanis, ut mandata exequantur.*

Cum aliquid mandabitur Decanis, ſi alias commode certificare curiam non poterunt, apponant ſigilla ſua litteris curiæ, in ſignum quod mandatum curiæ executioni demandarunt.

LX. *De abſolutionibus, quomodo fiant.*

Quando aliquis excommunicatus eſt abſolvendus, ſuper hoc pars adverſa certificetur, & tunc ſolemniter cum Pſalmo Pœnitentiali *Miſerere mei Deus*, & oratione, *Abſolve*, devote & cum gravitate eſt abſolutio impendenda.

LXI. *Qui ſunt excommunicati ipſo facto.*

Sciendum eſt etiam quod excommunicati ſunt ipſo facto, qui in Clericos vel quoſque religioſos manus injiciunt violentas. Incendiarii Cœmeteriorum & Eccleſiarum violatores. Et qui litteras Domini Papæ falſ ant, vel ad hoc aliquod adminiculum præſtant, vel etiam falſatas penes ſe ultra quindecim dies ſervant, vel eis falſis utuntur, & ignoranter, ſi craſſa ſit ignorantia eorum & ſupina.

LXII. *De illis qui ſunt excommunicati per Archiepiſcopum.*

Item excommunicati per Archiepiſcopum ſunt, ſortilegia de Sacramentis Eccleſiæ facientes, & qui malitioſe procuraverunt abortivum. (a) Et qui ad conjungendum, vel disjungendum falſa matrimonia, vel ad exhæredandum aliquem, ſcienter deponunt teſtimonium falſitatis, & qui alias falſum teſtimonium tulerint, graviſſime peccant, & graviter ſunt puniendi; & tales ſunt per Archiepiſcopum vel ejus Pœnitentiarium abſolvendi. Hoc autem in ſuis Eccleſiis frequenter denuncient Sacerdotes.

LXIII. *Ut omnis Excommunicatus, etiam a Domino Papa, poſſit abſolvi a quolibet, in articulo mortis.*

Sciendum eſt quod Excommunicatus, etiam a Domino Papa, a quolibet alio Sacerdote abſolvi poteſt in articulo mortis, ſatisfactione præmiſſa, ſupra offenſa manifeſta, vel ſoluto prius judicato, ſi pro judicato Excommunicatione fuerat innodatus; ſi tamen de hoc habuerit facultatem: recepto ab eo juramento quod quamcito habebit opportunitatem, Excommunicatoris ſui præſentiam adibit, mandato ipſius pariturus. Si autem infirmus vel offenſam emendare non poterit, vel ſolvere judicatum, in-

(a) Mſſ. Becc. & Carnot. addunt: ex quo ſententiam excommunicationis latam propter hoc audierint,

inducendus est hæres ut hoc faciat, non tamen A est per Pœnitentiarium compellendus.

ANNO CHRISTI 1235.

LXIV. *De observatione Jejunorum.*

Sacerdotes præcipiant omnibus habentibus adultam (*a*) ætatem instituta Jejunia seu consueta observari Ut Jejunium Quadragesimale, Jejunium quatuor temporum, Vigiliarum, videlicet Nativitatis Domini, Assumptionis beatæ Mariæ, beati Joannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, beati Matthæi, Simonis & Judæ, beati Andreæ, Laurentii Martyris, omnium Sanctorum, jejunium in majori Litania, scilicet in festo sancti Marci Evangelistæ, & in tribus diebus Rogationum. B Si qua autem de Vigiliis prætaxatis die Dominica evenerit, indicendum est jejunium in die sabbathi præcedente. Inhibeant Sacerdotes sub pœna excommunicationis, maxime in Dominica Quadragesimam præcedente, ne quis in Dominica prima Quadragesimæ carnes manducare præsumat, nec aliquid aliud, nisi ea quibus in Quadragesima licite utuntur Catholici & Fideles.

Al. Lugdunens. cap. 3.

LXV. *Ex Concilio * Lateranensi. De temporibus feriandis per annum.*

Pronunciandum est laicis ut sciant tempora feriandi per annum, id est, omnem diem Do- C minicam a vespera ad vesperam. Feriandi vero per annum isti sunt dies. Natalis Domini, sancti Stephani, sancti Joannis Evangelistæ, sanctorum Innocentium, sancti Sylvestri, Circumcisio Domini, Epiphania, Nativitas beatæ Mariæ, Annunciatio, Purificatio & assumptio ipsius, dies Paraseeve cum omni honore & reverentia, sanctum Pascha cum duobus diebus sequentibus ad minus, Ascensio Domini, Inventio sanctæ Crucis, sancti dies Pentecostes, sancti Joannis Baptistæ Nativitas & Decollatio, duodecim apostolorum, & maxime sanctorum Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Philippi, & Jacobi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Judæ, qui sua prædicatione mundum illu- D minaverunt, & Laurentii, S. Michaelis Archangeli, & S. Romani (*b*), Dedicatio cujuslibet Oratorii, & omnium Sanctorum, & sancti Martini, & sanctæ Mariæ Magdalenæ, & illæ festivitates quas singuli Presbyteri in suis Parochiis ab antiquo collaudaverunt cum populo, qui vicinis tantum commorantibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus. Reliquas festivitates per annum, non sunt cogendi ad feriandum : sed monendi ut morem antiquum observent.

LXVI. *De Matrimonio.*

Prohibemus sub pœna excommunicationis & magnæ emendæ, ne personæ aliquæ consentiant E matrimonialiter per verba de præsenti, donec sint ante fores Ecclesiæ, quando debet nuptialis benedictio celebrari. Possunt tamen dare fidem inter se de matrimonio contrahendo, si sancta Ecclesia id possit sustinere. Et hoc tamen non fiat sine præsentia Sacerdotis.

LXVII. *Ex Concilio Lateranensi Can. 50. Quo gradu personæ sunt contrahendæ.*

ANNO CHRISTI 1235.

Sciendum est & quod in quinto gradu consanguinitatis & affinitatis, & supra, possunt modo licite matrimonia copulari.

LXVIII. *De matrimoniis primum publice nuntiandis; ne clandestina fieri contingeret, aut alias illicita.*

Clandestina Coniugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne aliquis Sacerdos talibus interesse præsumat. Statuentes ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis Presbyteri publice proponant competenti termino præfinito, ut infra illum qui voluerit legitimum impedimentum opponat. Et etiam ipsi Presbyteri nihilominus diligenter investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus impediatur expresse, donec quid fieri debeat super eos, manifestis constiterit documentis. Si quis vero hujusmodi clandestina conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium; cum illi taliter contrahendo non inexpertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum præter omne interdictum in conspectu Ecclesiæ etiam contrahere præsumpserint. Sane Parochialis Sacerdos qui sciens & prudens tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet alius etiam Regularis qui eis scienter præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus si culpæ qualitas postulaverit. Sed & his qui taliter copulari præsumpserint, etiam in gradu concesso, condigna pœnitentia injungatur. Si quis ad impediendum legitimam copulam, malitiosum impedimentum objecerit, Ecclesiasticam non effugiet ultionem.

LXIX. *De termino Indictionum.*

Volumus autem & præcipimus quod terminus prætaxatus tantum contineat temporis intervalum, quod in se habeat tres dies Dominicos, vel festivos competenter distantes, in quibus quasi tribus edictis perquirat Sacerdos a populo sub pœna Excommunicationis de legitimitate sponsi & sponsæ qui debent conjungi.

LXX. *Quæ impediunt Matrimonium.*

Videlicet utrum inter eos sit consanguinitas, affinitas, dispar cultus, publicæ honestatis justitia, votum solemne, coactio, error personæ, & error conditionis, minor ætas, delicti enormitas, compaternitas quæ tantum quinque (*c*) excludit personas, compatrem & commatrem, filiolum & filiolam, fratrem & sororem spiritualem, & filium vel filiam Sacerdotis, cum his quos ipse baptizavit Sacerdos.

LXXI.

(*a*) Mss. Bigot. ætatem 21. annorum, ut tenent doctores.
(*b*) Deest in Mss. Becc. & Carnot. ejus loco reponunt sanctos Eccles. Cenoman.
(*c*) Mss. Becc. & Carnot. prætermittunt *fratrem & sororem spiritualem*.

ANNO CHRISTI 1235.

LXXI. *Ne fiant fortilegia in Nuptiis.*

Semper prohibeantur sub pœna excommunicationis in nuptiis fortilegia fieri.

LXXII. *De dubio in graduum computatione.*

Si autem in computatione graduum aliqua dubitatio emerserit, in hoc diffinitio Archiepiscopi requiratur. Nec Sacerdos quisquam in casu dubio audeat perficere Matrimonium Archiepiscopo inconsulto, sed ad ipsum referat quæcumque emerserint super Matrimonio contrahendo quæstiones.

LXXIII. *De alterutro ad Religionem transeunte.*

Prohibeant Sacerdotes sub excommunicatione publice in Ecclesia, ne alter conjugum ad religionem transeat aut recipiatur, nisi per Archiepiscopum.

LXXIV. *De extrema unctione.*

Ad sacramentum Extremæ-unctionis moneant sæpe Sacerdotes populum, non tantum divites, sed etiam pauperes, & omnes maxime a quatuordecim annis & supra; ut ad id omnes communiter cum fuerit necesse exhibeant se paratos, sanctum Oleum ad eos cum omni reverentia deferentes & honore. Doceant sæpe Sacerdotes populum hoc sacramentum licite posse iterari, & sæpe recipi in qualibet magna infirmitate unde mortis est metus, & post susceptum licite reverti ad opus conjugale.

LXXV. *Quomodo medici debeant se habere erga infirmos.*

Statutum est in Concilio Lateran. IV. & districte injunctum medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, quod medicos advocent animarum: ut postquam infirmo fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur (*a*). Ceterum cum anima sit multo pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibetur, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægro suadeat, quod in periculum animæ convertatur.

LXXVI. *De Communicatione infirmorum.*

Singuli Sacerdotes singulos habeant calices in quibus communicentur infirmi, qui decori sint & mundi, ut in eis devotio infirmi excitetur. Nec permittant, Diaconos deferre infirmis sanctum Corpus Domini, nisi in necessitate, cum Sacerdos fuerit absens vel infirmus. Sed semper cum magna reverentia & maturitate illud deferant in pyxide idonea bene clausa propter casum, pulsando tintinnabulum, & lumine præcedente. Et veniendo ad infirmum & redeundo, si tanta fuerit via, Psalmos Pœnitentiales dicant & Litaniam. Frequenter moneantur laici & etiam pueri, ut ubicumque viderint deferri sanctum Corpus Domini, statim genua flectant, tanquam Domino & Creatori suo, & junctis manibus quousque transierit orent.

ANNO CHRISTI 1235.

LXXVII. *De Absolutione infirmorum in morte.*

Pium videtur & tutum, ut quilibet Sacerdos infirmum in extremis laborantem absolvat de omnibus, quibus eum absolvere potest.

LXXVIII. *Quomodo fieri debeat in Communicatione infirmorum.*

Si quid de corpore Christi in ore infirmi remanserit vel inde exierit, quod ab eo recipi non possit, aliquam formam habens, ab ipso Sacerdote convenienter debet sumi comminutum in Calice cum modico vino, vel alicui habenti bonam conscientiam dari. Si autem infirmus adeo fuerit arctatus, quod sub magna forma Corpus Domini recipere non possit, sub minima forma ei detur in Calice comminutum, & cum modico vino in ore infirmi instilletur, & maxime si sine scandalo aliter fieri non possit, ne infirmus obire sine Viatico videatur.

LXXIX. *De Confessionibus infirmorum.*

Ab infirmis in mortis periculo constitutis pura est inquirenda Confessio, non pœnitentia injungenda. Eis tamen est intimandum ut conterantur, & doleant de peccatis suis universis & singulis. Non tantum timore pœnæ, quam peccando meruerunt; sed quia Deum Patrem & Creatorem, & Redemptorem suum offendere præsumpserunt, acerbitates ægritudinis quasi flagella pii Patris quamdiu ei placuerit cum gaudio sustinentes. Si autem convaluerint statim ad Sacerdotem accedere debent, & tunc eis pœnitentia competens injungatur.

LXXX. *Ut non extorqueatur pecunia pro benedictionibus.*

In Concilio prohibetur ne aliquis pro benedictionibus nubentium, exequiis mortuorum, & aliis Sacramentis, pecuniam extorquere præsumat, aut plegios exigat, aut propter hoc fictitia impedimenta opponat. Debent tamen a Parochianis, quibus impensa sunt sacramenta piæ consuetudines observari, & libere sacramenta Ecclesiastica conferri. Et sunt per Archiepiscopum compescendi, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare. Et ideo inhibetur, ne Sacerdos aliquis in casibus hujusmodi audeat sibi jus dicere, sed apud Superiorem querelam deponat.

LXXXI. *De Confessionibus Sacerdotum.*

Præcipitur quod Sacerdotes Archiepiscopo vel Pœnitentiariis suis saltem semel in anno confiteantur: permittit autem Archiepiscopus quod possint interim quotiens opus fuerit etiam aliis Sacerdotibus confiteri. Clerici antequam Ordines recipiant Archiepiscopo vel Pœnitentiariis discretis confiteantur, ne forte pro simplícita-

(*a*) *Procedatur.* Mss. Carn. & Con. add. Si quis autem medicorum hujus constitutionis transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu ecclesiæ arceatur, donec de transgressione satisfecerit competenter. Ceterum autem anima, &c.

citate indiſcreti Confeſſoris, irretiti irregulari- A
ter ordinentur.

LXXXII. *Ex Concilio Lateranenſi. De confeſſione laicorum.*

Doceant Sacerdotes, maxime ante Quadrageſimam, quod omnis utriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis venerit, omnia ſua fideliter confiteatur peccata, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat propriis viribus adimplere. Si quis autem alieno Sacerdoti juſta de cauſa voluerit ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio Sacerdote; cum B
aliter ille non poſſit illum abſolvere vel ligare. Sacerdos autem ſit cautus & diſcretus, ut more periti Medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati. Caveat autem omnino omnis, ne verbo aut ſigno, aut alio quoviſmodo prodat aliquatenus peccatorem. Sed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali Officio deponendum decrevimus, verum ad agendum perpetuam C
pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum.

LXXXIII. *Ut Sacerdotes eligant locum eminentem ad audiendum Confeſſionem.*

Ad audiendum Confeſſionem, eminentem locum ſibi eligant Sacerdotes, ut communiter poſſint videri, & in locis abditis extra Eccleſiam nullus recipiat Confeſſionem niſi in neceſſitate. In Confeſſione autem habeat Sacerdos vultum humilem, & oculos in terram, nec indiſcrete faciem reſpiciat confitentis, maxime mulieris; & patienter audiat quæ dixe- D
rit, in ſpiritu lenitatis, & ei pro poſſe ſuo pluribus modis perſuadeat ut confiteatur integre, unde dicat ei vere aliter non valere.

LXXXIV. *Ne Sacerdotes inquirant nomina perſonarum.*

In Confeſſione ſibi caveant Sacerdotes ne inquirant nomina perſonarum cum quibus peccaverint Confitentes, ſed circumſtantias tantum quæ poſſunt aggravare peccatum.

LXXXV. *Ne Sacerdotes injungant Miſſas Confitentibus.*

E
Conſulimus & monemus ne Sacerdotes Miſſas injungant Confitentibus, ſed, ut cupiditatis notam effugiant in hac parte fructum qui ex tali injunctione ſolet Sacerdotibus provenire, ſtudeant pauperibus erogari: & ſi forte injunxerint, non recipiant ipſi denarios, ſed pœnitentibus injungant ut Sacerdotibus diſtribuant quibus viderint expedire.

LXXXVI. *Ut inquirant peccata uſitata.*

Quia per experientiam certam didicimus pro fornicatione vel etiam peccatis majoribus fere nullam vel minimam pœnitentiam pœnitentibus injungi a Sacerdotibus ignorantibus, ſeu negligentibus canonica inſtituta: præcipimus, quod Sacerdotes ſtudeant inquirere diligenter & peccata uſitata, & circumſtantias uſitatas peccatorum, maxime gulæ, luxuriæ & cupiditatis, quibus genus humanum frequentius corrumpitur.

LXXXVII.

Vitium autem gulæ in exceſſu circa potum & cibum attenditur, quod maxime fit in quinque. Inquiratur igitur pœnitens utrum aliquando exceſſum fecerit, quærendo cibos nimis ſumptuoſos, nimis delicatos, ſicut dives in Evangelio, qui epulabatur quotidie ſplendide; & Judæi, qui carnes in deſerto concupierunt. Item utrum peccaverit in nimia ciborum etiam vilium ſumptione, ſicut Sodomitæ, quorum peccatum fuit abundantia panis. Item ſumendo cum nimia aviditate, ſicut Eſau; vel cum nimio apparatu, ſicut filii Hely; ſive ante horam, ſicut Jonathas. Quod ſi fecerit, moneatur a talibus abſtinere, & curare contraria contrariis ſtudeat diligenter: hi ſiquidem ſunt ſatellites Nabuſardam, quod interpretatur princeps coquorum, qui Hieruſalem (id eſt) fidelem animam funditus deſtruxerunt.

LXXXVIII. *Ex Concilio Lateranenſi. Quod Clerici abſtineant ſe ab ebrietate.*

A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant, unde ſibi vinum temperent, & ſe a vino. Nec ad bibendum quempiam incitent; cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. * Unde illum abuſum duximus penitus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur & exaltatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem ſuper his potationibus ſe culpabilem exhibuerit, & niſi commonitus a ſuperiore ſatisfecerit competenter, a beneficio & ab officio ſuſpendatur.

* *Hæc deſunt in Mſſ.*

LXXXIX. *Item de ebrietate.*

Et hoc idem præcipiant Sacerdotes, firmiter injungentes dominis tabernarum, ne in domibus ſuis, vel in locis circumadjacentibus, comparrochianorum ſuorum cauſa, potationis ſuſtineant conventicula congregari: offendentes eis quod talis potatio innumerabilium eſt occaſio peccatorum. Qui autem tertio admonitus huic ſalubri ſtatuto acquieſcere noluerit, tam ipſe quam familia ejus ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur.

PRÆ-

ANNO CHRISTI 1235.

PRÆCEPTA INEDITA.

ANNO CHRISTI 1235.

Collata ad Librum Synodalem Diœceſis Cenomanenſis, & Mſ. Bec.

XC. *De ebrietate.*

INquiratur utrum pœnitens ebrius fuerit aliquando. Si vero laicus per ebrietatem vomitum fecerit, tres dies pœnitere debet ſine carne, & vino, & cerviſia, ſicut dicit Beda. Si autem ſine vomitu ebrius fuerit, pro ſingulis ebrietatibus, quæ perturbant ſtatum mentis, ſolent aliqui etiam periti in jure injungere ſingula jejunia in pane & aqua, ut ait Theodorus. Si per (a) negligentiam, quindecim dies; ſi per contemptum, quadraginta dies. Si Diaconus, triginta dies; reliqui Clerici & miniſtri B juxta ordinem ſuum Sacerdotis judicio puniantur. Si quis vero eodem die, qua Euchariſtiam ſumſit, per voracitatem, vel ebrietatem vomuerit, multo gravius puniatur. Si quis per nequitiam alium inebriat, quadraginta dies pœniteat: quod ſi conſuetudinem habuerit, communione privetur, donec digne pœniteat, & emendare promittat (b).

XCI. *De Luxuria.*

Circa peccatum Luxuriæ quæratur utrum peccator acceſſerit ad proſtantes mulieres, ſeu C viduas vel alias; & quæratur numerus illarum cum quibus peccavit: ſi neſcit numerum talem, tamen dicat æſtimative quod credit. Quæratur etiam de vicibus, & quanto tempore in peccato manſit; & quo loco, ſcilicet ſacro, vel non ſacro.

XCII. *De ſimplici fornicatione.*

Ex Concilio Meldenſi.

Si ſolutus cum ſoluta concubuerit, tres annos pœniteat ſecundum canonum rigorem, ſecunda, & quarta, & ſexta feria in cibis jejunando communibus: ſi cum vidua, quatuor annos. Sed quia fragilitas noſtri temporis non patitur tanti rigoris immanem * cenſuram †, hujuſmodi pœnam commutent, vel temperent ſacerdotes in orationibus, & eleemoſynis, vel aliis ſatisfactionibus, quando noverint, & prout noverint expedire: & quanto ſæpius & negligentius pœnitens ea peccata commiſerit, tanto magis & tempus addetur. (c) Et modus pœnitentiæ hoc moderamine intelligatur in omnibus pœnitentiis pro quocumque termino E imponendis.

D

* *Forte*, manere.

† *Cenom.* diſciplinam.

XCIII. *De Proſtantibus.*

Mſ. de publicis meretricibus.

De proſtantibus periculum oſtendatur: ſunt enim forte conjugatæ, vel moniales, vel a parentibus eorum cognitæ, & leproſis ſe ſupponunt, propter quod accedentes ad eas incurrunt ſæpius atque frequentius morbum lepræ. Si quis autem ad tales acceſſerit, maxime ignotas, tutum eſt eis infligere pœnam pro adulterio infligendam.

XCIV. *De conjugatis.*

Quæratur utrum ad conjugatas acceſſerit, quot, & quoties, quo tempore & loco. Si conjugatus ſolutam cognoverit, ille ſeptem annos pœniteat qui fœdus conjugii violavit, & unacumque ſecunda, quarta, & ſexta feria jejunando, habito moderamine prænotato. Si autem conjugatus conjugatam cognoverit, cum conſtet majus eſſe peccatum, major ei pœna injungatur.

XCV. *De Virginibus deſloratis.*

Item quæratur de defloratis virginibus. Quot autem defloraverit, tot debet maritare ſi poteſt; vel alias pauperes virgines loco earum, vel ſaltem ipſas corruptas ſi indigeant ſuſtentare, vel ingreſſum eis religionis ſi voluerint procurare, injuncta eis nihilominus pœnitentia quæ pro ſimplici fornicatione ſuperius eſt notata. Si autem quis viam eis aperuit ad peccandum, timeat quod in omnibus peccatis communicabit quæ illæ per criminis lubricum perpetrabunt.

XCVI. *De Monialibus corruptis.*

Item quæratur ſi peccavit cum monialibus; & eodem modo quo ſupra, ſi fecerit, ad Epiſcopum mittatur.

XCVII. *De inceſtu ſpirituali.*

Mulierem quæ a ſacerdote proprio, vel ab alio qui ejus confeſſionem audivit, vel eam baptizavit cognita fuerit; ob enormitatem criminis, maxime ſi ſcandalum inde fuerit, decrevimus ad Epiſcopum eſſe mittendam. Sed volentes in hac parte linguas compeſcere detractorum, qui forte dicerent nos iſtud injungere in gravamen & odium ſacerdotum; pœnam canonicam talibus injungendam volumus ſacerdotibus declarare.

XCVIII. *De Fornicata cum patre ſpirituali.*

Fœmina quæ cum patre ſpirituali fuerit fornicata, omnia derelinquat, & res ſuas pauperibus tradat; & converſa in monaſterio, Deo uſque ad mortem ſerviat.

XCIX.

(a) *Mſ. Becc.* Sacerdos autem quilibet, ſi inebriatur per ignorantiam, ſeptem dies pœniteat in pane & aqua, ut ait Theodorus. Si per negligentiam; quindecim dies. ſi per contemptum; quadraginta dies.

(b) *Mſ. Becc.* add. qui cogit hominem ut inebrietur humanitatis gratia, acerrime corrigatur, & ſeptem dies pœniteat: ſi per contemptum, triginta dies.

(c) *Mſ. Becc.* & tempus & modus pœnitentiæ hoc moderamine intelligatur in omnibus pœnitentiis pro quocumque crimine imponendis.

ANNO CHRISTI 1235.

XCIX. *De Misericordia in mulieribus.*

Cum propter fragilitatem sexus rigor iste non valeat omnino observari : provideant sacerdotes quibus tales confessæ fuerint, ut vino canonis oleum discretæ misericordiæ conjungentes, sic temperent pœnitentiam, ne immensitate ponderis pœniens obruatur, neque per relaxationem indebitam igni purgatorio crudelissime relinquatur. Nobis autem videtur talibus esse tutum, ut arctæ pœnitentiæ quamdiu vixerint debeant subjacere. Si autem conjugata fuerit; gravius est peccatum, & gravius puniendum, nisi jugum matrimonii impediret. Si autem non fuerit filia spiritualis ejus a quo cognoscitur, mitius est agendum.

C. *De Consanguineis.*

Quæratur si ad consanguineas suas accesserit, vel ad uxores suorum consanguineorum, vel ad cognitas ab eis, vel in gradu proximo, vel remoto, & de aliis ut supra : & tales ad Episcopum suum sunt mittendi.

CI. *De modo & tempore.*

Quæratur si mulierem modo indebito cognoverit : si quærat quomodo pœnitens, non respondeat sacerdos. Quæratur si in puerperio, quod similiter prohibetur in lege : si in menstruo, quod similiter prohibetur, ubi est periculum corporale : & prohibetur propter periculum elephantiæ & prolis, quia ex corrupto semine nascitur corruptus fœtus, & fere semper, ut asserunt physici, vel gibbosus, vel contractus, vel hujusmodi.

CII. *De pœnitentia his injungenda. Ex Concilio Romano.*

Si quis cum muliere in puerperio concubuerit, decem dies pœniteat in pane & aqua. Eadem pœnitentia potest injungi ei qui uxore sua modo indebito utitur, in vase etiam naturali. Eadem pœnitentia potest injungi ad mulierem menstruatam accedenti. Mulier vero, si viro volenti accedere ad eam morbum suum non revelaverit, eamdem pœnitentiam sustineat : & si revelaverit, & vir nihilominus ad eam accesserit, mulier minus est in culpa.

CIII. *De Prægnantibus & aliis.*

Item, quæratur si ad prægnantem accesserit, & utrum mulier abortivum fecerit : & tunc, si non ob aliam causam factum noverit, ad Episcopum transmittatur. Quæratur si cum mulieribus tantum peccaverit : si dicat se cum alio peccasse, quæratur cum qua re, & de aliis ut supra.

CIV. *De vitandis peccatis & personis.*

Contra peccata carnis solent sic muniri pœnitentes : Vita malam societatem & opportunitatem peccandi : quod est vitare loca & personas cum quibus, vel per quas peccare possumus & solemus.

CV. *De Pollutione.*

Item quæratur utrum dormiendo contigerit ei pollutio : quod si ebrietate vel cogitatione præcedenti extiterit, magis est timendum. Quæratur etiam utrum vigilando per se solum. Si dixerit, sic : quæratur utrum hoc ei placuerit. Et si hoc : quæratur utrum aliquid fecerit quo pollutio hujusmodi compleretur. Si dicat, sic: quid fecerit, & quomodo.

CVI. *De Peccato mollitiei.*

Cum autem peccatum mollitiei adulterium vincat, & hominem sive mulierem monstrum efficiat consulimus quod, cum septem annorum pœnitentia, singulis septimanis disciplinæ singulæ injungantur. Injungendo pœnitentiam pro peccato, debet peccatum & peccati circumstantias considerare sacerdos, quæ possunt aggravare peccatum; scilicet locum, utrum in ecclesia, vel in cœmeterio ; personam, utrum sacerdos, vel diaconus, vel subdiaconus; tempus, in præcipuis solemnitatibus. Quod si fecerit : videtur ut in vigiliis Sanctorum quas violavit, jejunet omnibus diebus vitæ suæ in pane & aqua, vel saltem redimat competenter.

CVII. *De Lascivia.*

Quæratur utrum mulierem non suam lascive aspexerit, concupierit, sollicitaverit, tractaverit, osculatus fuerit. Secundum etenim canones, si quis obtrectaverit pectus puellæ, vel turpitudinem ; si clericus, quinque dies pœniteat : si laicus, tres dies pœniteat : si monachus sacerdos, a divino ministerio suspensus, quindecim dies pœniteat : scriptum est enim: *Neque tetigeritis, neque obtrectaveritis turpitudinem fœminarum.* Si quis lingua lascivus fuerit, triduanam faciat pœnitentiam.

CVIII. *De cooperantibus alieno flagitio.*

Item quæratur utrum aliquam pro aliquo sollicitavit, vel peccato alterius consensit; consilium vel auxilium impendit, vel consensum: utrum conjugatam, vel aliam; utrum pro conjugatu, vel alio; & quomodo, & quando, ut supra. Sollicitatores mulierum pro alio, sive consentientes peccato alterius, secundum quod magis & minus peccaverint, puniantur : quoniam non minus peccant quam illi, qui peccatum operantur.

CIX. *De Sortilegio.*

Quæratur utrum sortilegia fecerint. Et si fecerint de sacris Ecclesiæ, vel Dæmonibus immolantes, vel Dæmonia invocantes, ad Episcopum sunt mittendi. Si peccaverint ad fascinum, vel qualescumque precationes, excepto Symbolo vel Oratione Dominica, vel alia authentica oratione; & qui cantant, & qui cantatur, tres quadragenas pœniteant.

CX. *De eodem.*

Nullus in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus furta, vel futura inquirere præsumat : quod si fecerit, quadraginta dies pœniteat.

CXI.

ANNO CHRISTI 1235.

CXI. *De habentibus aliquid per furtum.*

Quæratur utrum habuerit rem aliquam injuſte; videlicet per furtum, fraudem, uſuram, rapinam. Et ſi hoc, caveant ſacerdotes ne Miſſas vel orationes, vel eleemoſynas, vel hujuſmodi pro reſtauratione injungant; quia regula eſt circa reſtaurationes, quod vero Domino facienda eſt reſtauratio, ſi de facili poſſit inveniri, & læſor poſſit ſolvere. Mortuo, vel non invento vero Domino; reſtituendum eſt proximioribus perſonis, ut uxori, tantum quod juſtum eſt, vel filiis, vel patri, vel matri, vel illis præcipue qui conſtituti ſunt hæredes teſtamenti, ſi qui ſunt, vel ab inteſtato ſuccedunt. Si vero verus Dominus non eſt inventus, & non poſſit inveniri cui debeat reſtitui, tunc ad conſilium eccleſiæ eroganda ſunt: ſic & de inventis. Non autem ſufficit circa male habita reſtauratio ſola, ſed condigna pœnitentia debet injungi pro peccato. Quando certus & verus eſt Dominus, & inventus; injungendum eſt læſori ut ei, ſi poſſit, ſatisfaciat immediate, ſi velit & audeat ſe revelare; ſin autem mediante ſacerdote, vel alio bono viro, neminem nominando, vel compenſet læſor per ſervitia quæ poterit, animo reſtituendi. Si vero grave ſit damnum, & læſor non poſſit ſolvere, debet petere perſonaliter veniam, ſcilicet a damnificato, ſi audeat; alioquin hoc faciat aliquo bono viro mediante, nemine nominato; & ipſe ſatisfaciat jejuniis & orationibus, & corporalibus diſciplinis, habens in propoſito quod omnia reſtituat, ſi ad fortunam venerit pinguiorem.

CXII. *De eo qui conſentit damno alieno.*

Item quæratur utrum alieno damno conſenſerit. Quod ſi fecerit, diſtinguendum eſt: quia ſi conſenſit de ſimplicitate vel negligentia, non impediens læſurum cum poſſet, vel lædendum non præmuniens; non videtur teneri ad reſtitutionem damni, ſed ad ſatisfactionem pœnitentiæ pro negligentia: inducat tamen læſorem ad ſatisfaciendum læſo. Si vero præbuerit conſilium, vel auxilium, vel favorem in damnum alterius, vel partem habuit damni: tenetur in ſolidum ſatisfacere, niſi quantum ab aliis noverit eſſe ſolutum.

Item quæratur utrum ille qui injuſte rem non ſuam detinebat, detulerit damnum. Quod ſi fecerit: ſi æquale fuerit, poterit ſuſtineri; tamen de dolo pœniteat: ſi majus, quod ſupereſt reddat.

Item quæratur utrum ſtupri cauſa acceperit aliquid a conjugata. Si habuerit a maritata, marito ſuo reddat: ſi a perſona religioſa, eccleſiæ ſuæ reddat; ſi ab ancilla de rebus Domini, ipſi Domino eſt reddendum.

CXIII. *Inquirat Sacerdos cujus Officii ſit pœnitens.*

Diligenter attendat ſacerdos cujus Officii ſit pœnitens. Nam ſi mercator, vendens vel emens ad menſuram; prohibendum eſt ne habeat pondus & pondus, menſuram & menſuram: & ſi habuerit falſam menſuram, vel ſi falſa menſuraverit; tenetur reſtituere, ſi ſciat quibus. Similiter de omni male acquiſito eſt reſtitutio facienda, ut dictum eſt. Si autem neſciat quibus, propter minutias multas; ſatisfaciat eccleſiis quibus illos credit eſſe parrochianos, vel pauperibus, tamen ad conſilium Eccleſiæ. Et ſic de aliis Officiis ſuo modo. *Theodorus.* Si quis propter neceſſitatem furatus fuerit cibaria, vel propter famem, vel veſtem propter nuditatem; pœniteat tribus hebdomadis: ſi reddat, non cogatur jejunare. *Theodorus.* Si quis furtum commiſerit capitale, id eſt, quadrupedia tulerit, vel caſas fregerit, ſeptem annis pœniteat ſecundum canones, & quod furatum eſt reddat. Si quis vero de minoribus furtum fecerit ſemel aut bis; reddat quod tulit, & uno anno pœniteat.

CXIV. *Quomodo familia uſurarii vel raptoris poſſit uti rebus male acquiſitis.*

Dicendum eſt de filiis fœneratorum, & omnium raptorum, quod de hujuſmodi rebus arctiſſime debent vivere prout poſſunt, & reddere damnificatis, etiam inſciis Dominis. Si eis pinguior fortuna obvenerit: reddere debent etiam de proprio quantum poſſunt, ſaltem quantum ad eos pervenerit. Conſulatur militibus, qui largas eleemoſynas & ſpontaneas faciunt, veſtiendo pauperes, eccleſiæ redditus conferendo; quod ſanctius videretur ſi damnificatis daretur, vel potius redderetur.

CXV. *De perjuris, & fidem non ſervantibus.*

Item quæratur utrum pro cupiditate aliquando perjuraverit, vel fidem violaverit, vel eccleſiam, vel cimiterium: tales ad Epiſcopum mittantur.

CXVI. *De Ira.*

Quæratur utrum ex ira alicui conviciatus fuerit; vel enormiter Deum & Sanctos juraverit; vel aliquem occiderit; vel cauſa damni aliquid fecerit: vel in triſtitiam mentis inciderit, quæ mortem operatur æternam; vel aliquem odio habuerit: moneatur diligenter ut deponat rancorem & odium. Debita vero vel querelam non tenetur remittere, ſed petere poteſt pacato animo coram judice ſæculari. Si quis alium per iram percuſſerit, & ſanguinem effuderit: ſi laicus eſt, viginti dies pœniteat; ſi clericus eſt, triginta. Illi autem qui gradum habent, amplius puniri debent: diaconus ſex menſes; presbyter unum annum.

Ex Conc. Rotomag. 650. can.

CXVII. *De Invidia.*

Quæratur utrum per invidiam doleat, vel doluerit de utilitate proximi, vel de ejus infortunio lætus fuerit. Item utrum per invidiam alicui detraxerit, ei maxime qui præeſt, ſeptem annis pœniteat.

CXVIII. *De Superbia.*

Quæratur utrum per ſuperbiam ſuper aliquos mente & corpore & corde ſe elevaverit: cum dicat Evangelium, *Qui major eſt veſtrum, fiat minifter*, &, *quanto major es, humilia te in omnibus.*

CXIX.

ANNO CHRISTI 1235.

CXIX. *De Acedia.*

Quæratur utrum acedioſus fuerit in his quæ pertinent ad ſalutem, id eſt negligens & indevotus. Talis timeat, quia ſcriptum eſt : *Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter.*

CXX. *De illis qui non poſſunt jejunare.*

Sciendum eſt quod omnibus, qui ex juſta cauſa non poſſe jejunare videntur ſine magno gravamine frequenter, & in arcta diæta, poſſunt redemptiones vel recompenſationes haberi per orationes, per eleemoſynas, per peregrinationes, per diſciplinas, vel per abſtinentiam a carnibus, vel piſcibus, vel hujuſmodi, ſecundum ſtatum perſonarum, vel a vino, vel quadrageſimalibus cibis. Propter viam autem peregrinationis facilius quam propter aliam relaxatio facienda eſt, vel indulgentia, vel commutatio. Similiter & propter ſocietatem, non quamlibet, ſed ſi accedat ad menſam alienam, vel alienus ad ſuam cui ſe debeat conformare, & hoc non poſſit ſine gravi damno & ſcandalo evitare, vel etiam pro ſolemnitate diei, ſi interfuerit divinis.

CXXI. *De Pœnitentia injungenda.*

In hoc etiam ſacerdos debet eſſe ſollicitus, ne pœnitenti importabile pondus imponat, licet recipere ſit paratus : ſed ſic temperet pœnitentiam imponendam ut a ſtudio non cogatur ceſſare ſcholaris, vel ab officio ſuo faber, vel agricola, vel alius laborioſus : ut domui ſuæ providere non poſſit, & ne pro peccato occulto pœnitentiam publicam injungat. Caveant diligenter peccantes publice faciant in aliquo publico pœnitere.

CXXII. *De mittendis ad Epiſcopum.*

Sacerdotes in confeſſione majora majoribus reſervantes, mittant ad Epiſcopum pœnitentes propter homicidia, perjuria, injectionem manuum in parentes, ſive in clericos, vel quoſcumque religioſos; propter incendia, ſimoniam, propter factam litterarum Domini Papæ falſitatem, propter inceſtum, propter lapſum cum maſculis, cum brutis animalibus, cum monialibus, propter violationem cœmeteriorum & eccleſiarum. Item mittendi ſunt ad Epiſcopum Hæretici, Schiſmatici, Sortilegi, qui de ſacris Eccleſiæ ſortilegia commiſerunt, vel ad hoc conſilium, vel auxilium impenderunt, & clerici qui furtum commiſerunt.

CXXIII. *De aliis mittendis ad Epiſcopum.*

Item clerici pœnitentes, quocumque modo irregulares facti, ad Epiſcopum ſunt mittendi; ſicut qui bis permittit ſe baptizari; qui ſine prima tonſura ordinem aliquem ſuſcepit; & qui in ſuſceptis ordinibus ſaltum fecit; qui quacumque cauſa per ſe, vel per alium homicidium perpetravit, vel judicio ſanguinis interfuit; & qui ut abortivum fieret procuravit.

CXXIV. *De Præbentibus auxilium maleficio.*

Item qui authoritatem, conſilium, auxilium, vel conſenſum in aliquo impendit, unde mors hominis, vel mutilatio eſt ſecuta membrorum, ſive aliqua occaſio, ſive cauſa fuerit, ad Epiſcopum mitti debet.

CXXV. *De Litterantibus.*

Item qui litteras dictat, vel ſcribit, aut legit, aut aliquod adminiculum ad hoc præſtat ut aliquis mutiletur vel occidatur, ad Epiſcopum eſt mittendus. Item clerici, ſeu presbyteri qui in ſuſpenſione vel excommunicatione promoti ſunt, vel divina celebrarunt. Item ſacerdos ſeu miniſter cujus negligentia aliquid circa Sacramentum inhoneſtum quocumque modo evenerit, ad conſilium Epiſcopi mitti debet.

CXXVI. *De Fide, Trinitate, & Sacramentis.*

In fide ſanctæ Trinitatis, & Incarnationis, & ſeptem Sacramentorum, & in ſeptem operibus miſericordiæ, quæ ſeptem vitiis capitalibus opponuntur, populum tam majorem quam minorem ſtudeant inſtruere diligenter. De Trinitate ad minus docere tenentur expreſſe quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt tres Perſonæ, & illæ tres Perſonæ ſunt unus Deus, & una Perſona non eſt alia. Et, cum fides ſubjaceat rationi, non eſt quærendum in iis quæ ad fidem pertinent quomodo, vel quare, ſed ſimpliciter credere debemus, & in futuro cognoſcemus & intelligemus : quiddam tamen ſimile in inferioribus invenire poſſumus.

Solet enim dici quod idem homo erat Rex Angliæ, Dux Normanniæ, & Comes Andegaviæ; & ita erat tres Perſonæ. Nec diceretur quod Rex Angliæ eſſet homo Regis Franciæ, ſed de Duce Normanniæ bene concederetur. Et ita patet quod una Perſona non eſt alia.

CXXVII. *De Fide Incarnationis.*

Circa fidem Incarnationis, docere debent expreſſe Dei Filium pro redemptione generis humani carnem adſumpſiſſe in beata Maria de carne ejuſdem Virginis humana, ſed ſancti Spiritus operatione : & qui prius erat tantum Deus, factus eſt verus homo, manens de cetero in eadem Perſona verus Deus & verus homo : & eumdem de Vergine natum eſſe, virginitate manente integra, & in partu, & in conceptione, & in nativitate. Unde Propheta : *Deſcendet ſicut pluvia in vellus.* Pluvia etenim deſcendens in vellus, & extracta a vellere, illud non corrumpit, ſed mundius facit. Et eumdem conſputum, alapis cęſum, flagellatum, & multipliciter irriſum, in cruce viliſſimam mortem ſuſtinuiſſe : & eumdem in anima ad inferos deſcendiſſe, ut animas Sanctorum ibi detentas educeret; & in corpore in ſepulchro jacuiſſe : & eumdem in glorificata carne tertia die reſurrexiſſe : per quem & nos omnes in carne quam gerimus reſurgemus; boni, in carne glorificata; mali autem, in carne corrupta : unde Apoſtolus : *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Et eumdem quadrageſimo die ad cœlos aſcendiſſe; &

ANNO CHRISTI 1235.

in quinquagesimo die Spiritum sanctum Apostolis, sicut prædixerat, misisse: & eumdem venturum ad judicium, & redditurum unicuique juxta opera sua; bonis vitam æternam, malis ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.

CXXVIII. *De Sacramentis.*

Circa Sacramenta, vid. Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Conjugium, Extremam-Unctionem, Ordinationem Clericorum, debent docere quod in Sacramento baptismi consistit salus omnium. In susceptione baptismi consistit salus puerorum, quia sine baptismo non salvantur; in proposito tamen & ardenti voluntate suscipiendi possunt salvari adulti.

CXXIX. *De Confirmatione.*

Quod si condigne accipitur, in ea recipitur Spiritus sanctus in bono confirmans eum qui recipit, & roborans contra diabolum, & peccata. Et jejuni istud debent recipere Sacramentum: sed adulti, qui hoc recipiunt, debent peccata sua confiteri, si tempus habeant; aliter indigne recipiunt, si prius erant in mortali peccato.

CXXX. *De Pœnitentia.*

Quæ consistit in confessione, contritione, & satisfactione, docendum est quod sicut puero non est salus sine baptismo, ita adulto, qui fœdus baptismi violavit, non est salus sine pœnitentia, ad minus contritionis, & in proposito & ardenti voluntate confessionis & satisfactionis. Sed etiam pœnitentia hominem liberat a diabolo, mundat a peccato, & reconciliat Deo.

CXXXI. *De Sacramento Altaris.*

De sacramento Altaris est docendum quod ex virtute verborum, quæ Deus dixit in Cœna super panem & vinum, & ordinis sacerdotalis, sive bonus sit Sacerdos sive malus, contingit quod per prolationem verborum super panem & vinum, cum intentione conficiendi, ubi erat purus panis, est corpus Christi de Virgine natum, in cruce passum, ad dexteram Dei collocatum; non passibile quale fuit in via, sed glorificatum, quale fuit in patria: & ubi erat purum vinum, est purus sanguis Christi, qui de latere ejus fluxit. Tamen sub utraque forma est totus Christus; quia nec corpus sine sanguine, nec sanguis sine corpore, nec corpus sine anima, nec utraque sine deitate. Et hoc Sacramentum est cibus & refectio animæ viventis per gratiam, & damnatio animæ mortuæ in peccato, quod qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.

CXXXII. *De Sacramento Conjugii.*

De sacramento conjugii docendum est quod omnis voluntaria seminis emissio est mortale peccatum, tam in mare quam in fœmina, nisi per legitimum matrimonium excusetur: sed fides habet coitum inter marem & fœminam legitimo conjugio excusari; nec tamen, si fiat modo indebito, habet excusationem.

CXXXIII. *De Extrema-Unctione.*

De extrema-unctione docendum est sicut B. Jacobus dixit, quod per eam venialia dimittuntur, & quandoque alleviatur infirmus; quandoque vero ad veram contritionem & æterni gaudii considerationem per eam incitatur.

CXXXIV. *De Ordinibus.*

De ordinibus debent credere laici quod nullus conficit, nisi sacerdos, nec confert ordines, nisi Episcopus: & quod eam habent virtutem ordines sacri quam ecclesia profitetur.

CXXXV. *De ratione credendi.*

Dicatur sæpe laicis, ut non quærant rationem de articulis fidei, nec de sacramentis: quia tanta est sublimitas fidei, quod ea quæ subsunt fidei non possunt humano intellectu comprehendi; unde etiam fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Credant ergo omnia firmiter sine hæsitatione quæcumque Catholica fides asserit, quamvis non intelligant; majorem habentes fidem fidei testibus quam oculis carnis, qui possunt decipi.

CXXXVI. *De testibus Catholicæ fidei.*

Testes fidei sunt Apostoli, Martyres, Confessores, & Virgines: quorum plurimi pro testimonio fidei diversis cruciatibus (a) temporali vita finita, divina potentia suscitavit mortuos, illuminavit cœcos, contrarios erexit, sanavit infirmos.

Hic aliqu deest.

CXXXVII. *De Vitiis.*

Suadeant sacerdotes omnibus septem vitia principalia fugere, & timere plusquam mortem temporalem, quæ non occidit nisi corpus, sed ipsa occidunt animam; videlicet gulositatem, luxuriam, avaritiam, tristitiam seu acidiam, iracundiam, invidiam, inanem gloriam sive superbiam.

CXXXVIII. *De operibus misericordiæ.*

Suadeant modis omnibus insistere septem operibus misericordiæ, quæ sunt: pascere esurientem, potare sitientem, nudum vestire, hospitem suscipere, infirmum visitare, incarceratum con-

(a) *Quæ hic desunt supplemus ex Cenom. & Andeg. Præceptis.* Diversis cruciatibus sunt afflicti, sed probati inventi sunt: quia & in vita eorum, & postea, propter eorum merita, divina potentia mortuos suscitavit, cœcos illuminavit, contractos erexit, & infirmos sanavit. *Andegavenſia præcepta ſic.* Sunt afflicti & in testimonio probati sunt veri testes: quia & in vita eorum & postea diversis tormentis temporali vita finita: propter eorum merita divina potentia suscitabat mortuos &c.

ANNO CHRISTI 1235.

consolari, mortuum sepelire : quia, sicut te- A
statur Christus in Evangelio, qui ista facere neglexerint, venientes ad judicium audient illam terribilem vocem : *Ite maledicti in ignem æternum*; a quo liberemur per Dei Filium.

Quæ sequuntur desunt Andegav. & Cenom.

CXXXIX. *De Carnificibus.*

Inhibeant sacerdotes carnificibus in villis mediocribus ne carnes lanient aut vendant die Dominica a principio Missæ usque ad finem.

CXL. *De Abbatibus.*

Dicant presbyteri, & Abbates injungant monachis qui sunt in Prioratibus, ut quotidie divinum Officium celebrent, si duo sunt, aut plures; aut Officio sacerdotis intersint, ubi non est nisi unus : & si aliter fecerint, dicat presbyter decano, & decanus cognita veritate subtrahat portionem quam percipiunt in ecclesia, donec per nos, vel per officialem nostrum super hoc sit provisum. B

CXLI. *Quando surgant.*

Presbyteri parochiales a festo S. Remigii de nocte surgant ad Matutinas, & summo mane C
Missam celebrent usque ad Pascha, maxime in ecclesiis quibus adjacet magna pars parochianorum, ut qui negotiis sunt intenti, ante ingressum laboris Missam possint audire, si voluerint.

CXLII. *De sponsalibus ante nuptias.*

Excommunicent etiam presbyteri illos qui contrahunt per verba de præsenti, bannis nondum factis, & antequam debeat fieri benedictio nuptialis; nisi forte per dispensationem ex causa.

CXLIII. *De scandalo.*

Presbyter omnia scandala suæ parochiæ dicat decano, nisi forte per eos sint sopita : aut uterque eorum pœnam non evadet, si per alios ad Episcopum deferatur. Moneant tempestive decani dominos sæculares, qui faciunt diebus Dominicis, & B. Mariæ nundinas congregare, ut eas ad dies alios studeant assignare : quia non posset sustineri sine periculo animarum in diebus prædictis,

CXLIV. *De Leprosis.*

Prohibeant presbyteri leprosis ne leprosos extraneos in hospitio recipiant; & si moniti cessare noluerint, subtrahatur beneficium parochiale. E

CXLV. *Ne intrent in civitates.*

Item inhibeant leprosis ne intrent civitatem & castella; & dicatur eis publice in ecclesiis, quod si quis injuriatus fuerit in civitate, vel castello, auferendo vestes, vel verberando eos; non exhibemus eis justitiam.

CXLVI. *De iisdem ne sedeant in tabernis.*

Inhibeatur etiam leprosis ne in taberna sedeant ad bibendum, etiam in villis : quia si hoc fecerint, non exhibebimus eis justitiam de injuria facta. De leprosis etiam inhibeatur sub pœna excommunicationis per omnes parochias ne aliquid detur eis in civitate vel oppido.

CXLVII. *De providendo eis.*

Injungatur sacerdotibus ut diligenter moneant etiam & compellant per decanum, cui hoc districte injungimus, parochianos ad providendum leprosis, secundum consuetudinem talis patriæ; scituri quod si super hoc audierimus quæstionem, eorum defectus non relinquetur impunitus.

CXLVIII. *De Excommunicatione Hamelini.*

Audivimus quod Episcopus Hamelinus excommunicavit omnes illos qui firmas quæ erant in Ecclesiis ante guerram augmentarent, & nos illam excommunicationem approbamus, & habemus pro excommunicatis, nisi in quantum ecclesia post guerram fuerit augmentata. Excommunicavit etiam Hamelinus Episcopus omnes illos qui acciperent procurationem non visitando, vel saltem accedendo ad locum; & nos idem facimus.

CXLIX. *De Clericis cum deciis ludentibus.*

Alias excommunicavimus clericos ludentes cum deciis in tali civitate causa lucri, & hoc intelligimus de beneficiatis in sacris ordinibus constitutis, & hanc constitutionem volumus in tota diœcesi tali firmiter observari. D

CL. *De pensionibus & firmis ecclesiarum.*

Quia nonnulli curas parochialium ecclesiarum consecuti, præter conscientiam Episcopi vel Archiepiscopi a Vicariis vel firmariis adeo magnas percipiunt portiones, quod iidem Vicarii aut firmarii non possunt de residuo sustentari, immo canonici plerumque fructus non sufficerent & proventus ad persolvendas pensiones impositas : * aut si iidem vicarii vel firmarii nullam de proventibus ejusdem assumerent pensionem; propter quod necessitate urgente, circa subjectas sibi plebes exactionibus & quæstibus illicitis insisterent & inhonestis. Statuimus quod de cetero in tradendis ecclesiis ad firmam, & pensionibus imponendis, Episcopi vel Archiepiscopi requiratur assensus; factaque per Archipresbyterum vel alios bonos viros loco ejus, redituum vel proventuum ecclesiæ, quæ tradenda videbitur ad firmam, vocata ejus Ecclesiæ Persona, taxatione, sicut quando de supplendis per patronos sacerdotum portionibus agitur, fieri consuevit, Vicarius aut firmarius quindecim libras Turon. ad suam suorumque sustentationem habeat; residuum vero Persona percipiat, nisi Vicario majorem voluerit relinquere portionem. Si autem talis fuerit parochia, quæ propter sui diffusionem, aut sui multitudinem, duorum merito videretur egere officio sacerdotum, Persona ad sus- E

* *Forte*, ac sic.

ANNO CHRISTI 1235.

ſtentationem Vicarii vel firmarii & ſacerdotis quem ſecum habebit, XXII. libras Turon. & dimidiam dimittere teneatur. Si autem talis fuerit parochia, quæ plurimorum indigebit officio ſacerdotum, juxta Epiſcopi vel mandati ejus diſpenſationem eorum ſuſtentationi congrue conſulatur. Si autem contra hanc Synodalem conſtitutionem, aut in fraudem ejus, aliquis attentare præſumpſerit, animadverſione debita ſe noverit puniendum. Hæc, ſalvis conſtitutionibus de firmis veteribus non augendis, a noſtris prædeceſſoribus promulgatis, duximus ſtatuenda.

CLI. *De iis qui in minoribus conſtituti, ad eccleſiarum curam recepti ſunt.*

Si quis autem in minoribus ordinibus conſtitutus ad parochialem receptus fuerit eccleſiam, cui inſtitutio differenda eſt, donec in ſubdiaconum fuerit ordinatus, ad ſingulos ordines ſe offerat ordinandum, & ordinatus in ſubdiaconum ſe inſtituat, & facturum ſacramentum, quod alii in ſua inſtitutione conſueverunt, Epiſcopo repræſentet. Quod ſi facere neglexerit, ab eo tempore quo negligens extiterit, fructuum amiſſione ſe noverit mulctatum.

CLII. *De neddítibus Eccleſiarum & Perſonis.*

Item firmiter inhibemus ne perſonæ eccleſiarum, quarum redditus & proventus ita exiles erant quod patroni & perſonæ aliæ ad faciendum augmentationem auctoritate apoſtolica ſunt compulſi, eccleſias illas de cetero tradant ad firmam, ſed in eis in propria perſona deſerviant; vel ſi non deſerviant, in integrum redditus & proventus relinquant. Eodem modo dicimus de eccleſiis in quibus nulla facta eſt augmentatio, quarum fructus & proventus quindecim libras Turonenſes non excedunt.

CLIII. *De gagiariis, quot ſtatuendi.*

Presbyteri inhibeant infirmis ne plures quam tres gagiarios inſtituant, & hoc etiam publicent in eccleſia, & in ordinatione teſtamenti. Et ſi forte ab infirmo plures quam tres inſtituantur gagiarii, & non poſſit probare quod inhibuerat, nihil in eo capiet teſtamento.

ANNO CHRISTI 1235.

CLIV. *De excommunicatis.*

Presbyteri excommunicatos a nobis, vel Officiali noſtro, ſingulis diebus Dominicis denuncient, & ab omnibus arctius faciant evitari; communicantes cum eis poſt inhibitionem diligenter inquirant, & nomina illorum nobis, vel Officiali noſtro inſinuare procurent. Nomina etiam excommunicatorum, & tempus latæ ſententiæ ſcribant, & decanis tradant.

CLV. *De gagiariis qui exequi debeant.*

Incipiant gagiarii exequi voluntatem defuncti infra menſem, & continue laborent, quouſque teſtamentum fuerit executioni mandatum: & ſi per ſe nequiverint exequi teſtamentum, hoc nobis ſtudeant intimare.

CLVI. *De juramento ſuper ſancta.*

Decrevit ſancta Synodus ut a Septuageſima uſque ad Octavas Epiphaniæ; necnon & Jejuniis Quatuor Temporum, & in Litaniis majoribus, & in Dominicis diebus, & in diebus Rogationum, niſi de concordia & pacificatione, nullus ſuper Sacroſancta Evangelia jurare præſumat; & in his diebus non debent Sacerdotes Reliquias laicis exhibere.

CLVII. *De rebus Eccleſiæ interceptis.*

Præcipitur Sacerdotibus ut cum res, vel homo eccleſiæ detinetur, moneant detentorem ut reddat, vel recredat, & Sacerdos vel Diaconus cautionem capiat, non detentor, & coram Officiali vel Epiſcopo partibus aſſignet terminum competenter. Si autem reddere, vel recredere noluerit, & de detentione conſtiterit: locum in quo res eccleſiæ detinetur, interdicto ſupponat, ſi locus eſt de dominio detentoris; alioquin præmiſſa monitione, per cenſuram eccleſiaſticam compellat.

Finitur Synodus,

NOVA PRÆCEPTA

DOMINI PETRI DE COLLE-MEDIO ARCHIEPISCOPI ROTOMAGENSIS.

Collata ad Mſ. Bigot.

Mſ. Patronos.

PRæcipimus quod ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis excommunicent Presbyteri Parochianos, qui pro pecunia, vel pro aliquo illicito commodo vel emolumento preſentant ad Eccleſias, Perſonatus, Vicarias, Capellas in quibus habent Patronatum, & eos qui taliter recipient vel receperunt.

Item præcipimus quod quilibet Sacerdos in Parochia ſua, ſeu Capellanus in Capella ſua dicat Matutinas de nocte, & omnes horas horis competentibus; videlicet: Primam mane: poſt Tertiam, Miſſam; & poſt, Sextam, & Nonam, & pulſet horis debitis ad quamlibet horam. Et præcipimus quod dicant cum Nota, & habeant Breviarium ſecundum conſuetudinem Rotomagenſis Eccleſiæ, & hæc de Breviario ſub pœna viginti ſolidorum præcipimus.

Item præcipimus quod quilibet habeat lumen in Eccleſia ſua de nocte & die; ſaltem ad Miſſam & ad Veſperas, lampadem ſaltem vel candelam.

Item præcipimus quod quilibet Sacerdos veniat ad Capitulum Decani; & qui non venerit puniatur in decem ſolidos, & ſervetur pœna recepta ad mandatum Archiepiſcopi.

Item præcipimus quod quilibet Sacerdos die Dominica Parochianos ſuos ad bonum cohortetur, & doceat eos fidem, & cognoſcere mortalia peccata; Et qui prædicare nequiverit ſeu neſcierit, ſaltem ſemel in menſe faciat Parochia-

ANNO CHRISTI 1235.

chianis ſuis proponi verbum Dei per aliquem bonum Clericum, vel religioſum, & notam perſonam.

Item præcipimus quod nullum recipiant ad prædicationem, vel ad proponendum verbum Dei quærentem eleemoſinas pro ædificanda eccleſia, Leproſaria, vel domo Dei, ſeu pro aliis quibuſcumque quæſtis. Sed cum venerit cum litteris noſtris, ipſi Sacerdotes proponant pro eis negotium, ſecundum quod in litteris noſtris viderint contineri. Et ſub pœna excommunicationis præcipimus ne a talibus aliquid exigant Sacerdotes; ſed quicquid receptum fuerit, in commodum eleemoſinas petentium totum cedat.

Item præcipimus quod ſeparati ſint in Eccleſia, mulieres, Clerici, & laici

Item quod quilibet in Parochia ſua ſcripta nomina habeat Parochianorum ſuorum, ut cognoſcat extraneos ab ipſis.

Item quolibet die Dominico quærant ſi ſint Parochiani extranei inter ſuos; & ante Miſſæ ingreſſum ejiciant extraneos diebus prædictis, niſi ſint aliquæ notæ perſonæ tranſeuntes.

Item qui nullos habent Parochianos, nullos recipiant diebus ſolemnibus prædictis.

Item Parochianus exiſtens in Parochia, ſi tribus diebus Dominicis continuis ad Miſſam non venerit, excommunicetur; & hoc frequenter in Eccleſiis publicetur.

Item quilibet Sacerdos Clericos litigioſos exiſtentes in Parochia ſua, vel qui conſueverint malitioſe facere aliquem ad loca remota vel ignota citari nobis denuncient,

Item nullus recipiat mandatum Judicum ignotorum vel aliorum; niſi ſit aliqua nota perſona & authentica; & niſi videat authenticum Domini Papæ, & ipſum diligenter examinet.

Item claudantur & limitentur atria Eccleſiæ; & ſi difficultas adhibeatur per Decanum loci noſtrum conſilium requiratur, vel per Archidiaconos locorum, ſi ipſi hoc expedire non poſſunt.

Contra Adulteros.

FRequenter contra adulteros, inceſtuoſos, uſurarios notorios clament & prædicent Sacerdotes: & ſi incorrigibiles inveniantur, denuncient eos nobis.

Ut non communicent Sacerdotes cum Excommunicatis.

Sacerdotes ſcienter non communicent cum excommunicatis, quia ſic vileſcere faciunt ſententiam Excommunicationis.

Ut non purificent Fornicarias Presbyterorum.

Puniri præcepimus Sacerdotes, qui fornicarias ſociorum Sacerdotum, vel etiam alias mulieres adulteras, ſeu fornicarias purificant ſine licentia noſtra ſpeciali, vel Archidiaconi loci, vel Pœnitentiariorum exiſtentium Rotomagi.

ANNO CHRISTI 1235.

Ut non ſint Columbi in Campanilibus.

Item Sacerdotes non habeant columbos in campanilibus, per quos Eccleſia quandoque & Altare deturpantur.

Ne abſolvant in magnis Caſibus.

Item prohibemus ne Sacerdotes abſolvant in magnis caſibus conſtitutos, homicidas videlicet, ſacrilegos, ſortilegos, inceſtuoſos, peccatores enormes contra naturam, violatores Monialium, vel raptores virginum & aliarum mulierum, & ſimilia. Et ſcribant caſus iſtos cum evenerint, & tradant Archidiacono, ſive nobis.

Ut bonc eorum qui non reſident in Eccleſiis ſuis ſaiſiantur.

Circa eos qui non reſident in Eccleſiis ſuis vel non ordinantur, ſervetur illa Conſtitutio *Extirpandæ*, bona eorum ſaiſiantur.

De Habitu & Statu Clericorum.

Cum in Tonſura & maxime habitu differre debeant a laicis Sacerdotes, in quibus plures invenimus iſtis temporibus delinquentes. Præcipimus quod omnes Coronam magnam habeant & Tonſuram altam & bene rotundam; & qui in his de cetero invenietur culpabilis, gravius punietur.

Item Presbyteri cum tabardis ſeu garnachiis, ſine cappa clauſa deſubtus, ſi inventi fuerint inter alios diſcurrentes, tabardum ſive garnachiam amittant, & leproſis ſeu aliis pauperibus conferatur, & nihilominus deferens alias prout juſtum fuerit punietur.

Item cum Clerici Curati, & Sacerdotes exemplum eſſe debeant ſubditorum, luctas & choreas eiſdem interdicimus, & omnem ludum cum pilla, & maxime cum laicis, qui nobis ſemper inſidiantur: & cum per talia auctoritas prælationis vileſcat, & nonnumquam contingat periculum corporale; & qui ſuper his, ſeu aliquo iſtorum de cetero invenietur culpabilis, graviter punietur.

Ne Sacerdotes convivent cum parochianis ſuis.

Inhibeant Sacerdotibus ne ipſi invitent parochianos ſuos ad convivandum in domibus ſuis, & ſi invitati fuerint a parochianis ſuis ad convivandum, Presbyteri non vadant niſi cum aliquibus perſonis gravibus & honeſtis, unde non poteſt ſcandalum ſuboriri, & tamen hoc fiat pro pluribus periculis evitandis.

Item ſtatuimus ut ſingulis annis per ſingulos menſes Synodalia Statuta ſinguli perlegant Sacerdotes. Quotienſcumque aliquis Sacerdotum hoc ſtatutum ſervare neglexerit, per menſem ſequentem ad minus officiis ſuſpendatur.

GRÆCORUM IN ORIENTE, forte NICÆNUM CONCILIUM

ADVERSUS JACOBUM ARCHIEP. ANN. 1235. GERMANO II. CPTANO PATRIARCHA PRÆSIDE HABITUM.

GERMANI.

Ex Mansi Suppl. T.II. pag. 1035.

I. Subnotatio sanctissimi patriarchæ, domini Germani contra metropolitanum Naupacti, dominum Joannis de quibusdam episcopalibus monasteriis, & de virgine, quæ ante pubertatem nuptialem benedictionem accepit.

Ex Jure Græc. Rom. Leunc. t.1.p. 232.

DEo charissimus episcopus Artæ Joannes, redintegrationem & complementum adeptus, id est, restitutionem in priorem statum, per synodalem subnotationem, ab ea remissione, in quam, ut demonstravit, per fraudem inductus est: & cum ad receptionem episcopalium suorum jurium nuper exurrexisset in medio, nunc etiam B præsens adest synodaliter, præsidenti mediocritati. Et primum quidem metropolitanum illum Naupacti Joannem accusat, quod rapacem manum in ipsius monasterium injecerit, & nonnullis etiam suas fixerit cruces, eo prætextu, quod sancti Demetrii monasterium in diœcesi Artæ situm, a loci episcopo proponatur extructum, sub cruce (nescio quomodo) ejus, qui tunc erat, metropolitani. Et de illo quidem hanc querelam proponebat. Neque vero pœnitentiam celavit, quam ille egit ad maleficii emendationem. Difficultatem enim auxerat, quod protulisset ejusdem metropolitani confessionem mense C Aprili emissam, II. indictione, quæ jussu nostræ mediocritatis lecta in synodali audientia, sic habet ad verbum.

Sacratissime Artæ in Domino frater, sanctitas tua mihi sæpefuit molesta propter Catzuræ monasterium, quod est Artæ, ut conditum sub mea crucifixione, propterque aliud monasterium venerandi Præcursoris, ædificatum a generosissimo Comneno, domino Constantino, in præfectura Smocobi, agro Baltitze, & aliis: & ex eo nihil in Canones offendere videbar. Cum autem probabili ratione intellexissem, ea monasteria ad te, ut loci D episcopum pertinere: ea exinde a manu mea liberavi, ita ut posthac tibi liceat apprehendere & episcopalia jura in iis exequi, eaque regere & administrare juxta regularem dispositionem. Quamobrem & mea relatio exinde ab ejusmodi monasteriis cessare debet, tuæ autem sanctitatis ab hoc tempore deinceps agnosci. Mense Aprili, indictione 2. subscripta autem propria manu prædicti, & synodali consecutione completa, per subscriptiones episcoporum, qui ei suberant, Joannis Bonditzæ, Nicodemi Ætensis, Manuelis Bellæ, Thomæ Druinopolis, Demetrii Buthroti. Quorum singuli & cum additione subscripserunt, hanc synodalem jurisdictionem optimam videri, utpote canonicam. De metropolitano autem qui nunc

A ΓΕΡΜΑΝΟΥ

Σημείωμα τοῦ παναγιωτάτου πατριάρχου κυρίου Γερμανοῦ κατὰ τοῦ μητροπολίτου Ναυπάκτου κυρίου Ἰωάννου, περὶ τινῶν μοναστηρίων ἐπισκοπικῶν, καὶ περὶ παρθένου τῆς ἱερολογηθείσης πρὸ τῆς ἥβης.

Ὁ θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος Ἄρτης Ἰωάννης, ἀρτιώσεως ἤδη τετυχηκὼς καὶ ἀναπληρώσεως, εἴτ' οὖν ἀποκαταστάσεως εἰς τὴν προτέραν ἐπιτιμίαν διὰ συνοδικοῦ σημειώματος ἀφ' ἧς καί, ὡς ἀπέδειξεν, ἐκ διαβολῆς ὑπέστη ὑφέσεως, καὶ πρὸς ἀντίληψιν ἄρτι τῶν ἐπισκοπικῶν αὐτοῦ δικαίων διαναστάς, ἐπὶ τοῦ μέσου παρίσταται συνοδικῶς, καὶ νῦν προκαθημένῃ τῇ ἡμῶν μετριότητι. καὶ πρῶτα μὲν τὸν μητροπολίτην ἐκεῖνον τῆς Ναυπάκτου Ἰωάννην καταιτιᾶται ἅρπαγα χεῖρα τοῖς ἐπισκοπικοῖς αὐτοῦ μοναστηρίοις ἐπιβαλόντα, ἔστι δὲ οἷς καὶ οἰκεῖα πήξαντα σταυροπήγια, προφάσει τοῦ καὶ τὴν μονὴν τοῦ ἁγίου Δημητρίου ἐν τῇ ἐνορίᾳ κειμένην τῆς Ἄρτης, παρ' ἐγχωρίου ἐπισκόπου ἀνεγερθεῖσαν ἐπὶ σταυροπηγίῳ ἐκτίθεσθαι, (συνορᾶν ὅπως οὐκ ἔχω) τοῦ τότε μητροπολίτου. καὶ περὶ μὲν ἐκείνου ταυτὶ προὐβάλλετο εἰς αἰτίασιν. οὐ μὴν ἀπέκρυψεν οὐδὲ τὸν μεταμέλον, ὃν ἐκεῖνος εἰσήνεγκεν ἐπὶ διορθώσει τοῦ πλημμελήματος· ἐπιδεδώκει γὰρ τοῦτο κόπου, ἐξενεγκὼν τοῦ αὐτοῦ μητροπολίτου ὁμολογίαν κατὰ τὸν Ἀπρίλλιον μῆνα προβᾶσαν τῆς β ἐπινεμήσεως. ἥτις ἀναγνωσθεῖσα, ἐπ' ἀκροάσει συνοδικῇ, ὁρισμῷ τῆς ἡμῶν μετριότητος, εἶχεν ἐπὶ λέξεων οὕτως.

Πανιερώτατε Ἄρτης ἐν Κυρίῳ συναδελφὲ πολλάκις ἐγένετό μοι δι' ὄχλου ἡ ἁγιωσύνη σου περὶ τῆς ἐν Ἄρτῃ μονῆς τοῦ Κατζούρη, ὡς συστάσης ἐπὶ σταυροπηγίῳ ἐμῷ, καὶ τῆς ἑτέρας μονῆς τοῦ τιμίου προδρόμου, τῆς δομηθείσης παρὰ τοῦ πανευγενεστάτου Κομνηνοῦ κυρίου Κωνσταντίνου, ἐν τῇ ἀρχοντείᾳ τοῦ Σμοκόβου, χωρίου Βαλτίτζης, καὶ τοῖς λοιποῖς· καὶ ἐδόκουν μηδὲν προσπταίειν τοῖς κανόσιν ἐκ τούτου. συνεὶς δὲ κατὰ τὸν ἐνδεχόμενον λόγον, ὅτι σοὶ ἀνήκουσιν, ὡς ἐπισκόπῳ ἐγχωρίῳ, αἱ τοιαῦται μοναί, ἀπολύω ταύτας τῆς ἐμῆς χειρὸς ἀπεντεῦθεν. καὶ ἔξεστί σοι ἐπιλαβέσθαι αὐτῶν ἀπάρτι, καὶ τὰ ἐπισκοπικὰ δίκαια ἐν ταύταις διενεργεῖν, καὶ διεξάγειν ταύτας, καὶ διοικεῖν κατὰ τὴν κανονικὴν ὑποτύπωσιν. ὅθεν καὶ ἡ μὲν ἐμὴ ἀναφορὰ σχολάσαι ἀπεντεῦθεν ὀφείλει ἀπὸ τῶν τοιούτων μονῶν. διαγνωσθῆναι δὲ ταύταις ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ εἰς τὸ ἑξῆς, τῆς σῆς ἱερότητος. Μηνὶ Ἀπριλλίῳ, ἐπινεμήσει β. ὑπογέγραπτο δὲ καὶ αὐτοχειρίᾳ τοῦ ῥηθέντος, καὶ συνοδικῇ ἐξακολουθήσει συνεπληροῦτο, δι' * ὑποσημανσιῶν τῶν ὑπ' αὐτὸν ἐπισκόπων, τοῦ Βονδίτζης Ἰωάννου, τοῦ Ἀετοῦ Νικοδήμου, τοῦ Βελλᾶς Μανουήλ, τοῦ Δρυϊνουπόλεώς τε Θωμᾶ, καὶ τοῦ Βοθρωτοῦ Δημητρίου. ὧν ὁ καθέκαστος μετὰ καὶ προσθήκης ὑπέγραψε, τοῦ ἀρεστὴν ἡγήσασθαι τὴν τοιαύτην συνο-

* ὑποσημασιῶν.

νο-

νοδικὴν δικαιοδοσίαν, ὡς (ἅπε) κανονικὴν. τῇ δὲ νῦν μητροπολίτῃ τῆς Νωπακτίων μάλιστα ἐπεμέμφετο ἐξοχώτερον. εἰσῆλθε γάρ (φησι) καὶ ἱερούργησεν ἐπιβατικῶς ἐν τῇ ὑπ' ἐμὲ μονῇ τῇ Κατζάρη, μετὰ τὴν ἐπιγνωσιν καὶ ταύτην τῆς συνοδικῆς ἐπαρχιώτιδος τάξεως, τῆς ἀποκαθιστώσης μοι κατὰ κανόνας τὰ τῆς ἐνορίας μου μοναστήρια. καὶ τὴν μὴ ἐπισκοπικὴν ἀναφορὰν ἐκείθεν ἐσχόλασε προχειρίσασθαι δὲ καὶ ἡγούμενον, λέγων ὡς ἡ πρᾶξις αὕτη ἐν τῷ τελάτᾳ τὸν μητροπολίτην ἐκεῖνον γέγονε καὶ οὐκ ἔρρωται. ἐξεδιώσατο δὲ τὴν μονὴν τῶν τιμίου Προδρόμου, καὶ τὴν ἐν ᾗ ἐδικαιώθη καὶ ἀποκατέστη ἡ κατ' ἐμὲ ἐκκλησία πράξει συνοδικῇ ἐπαρχιώτιδι τὰ ἅγια Δημητρίου μονὴν. δικαιολογούμενον δεῖθεν ἀποκεκλεῖσθαί μοι τὴν ταύτης ἀνάκλησιν ἐκ τοῦ χρόνου, καὶ ἐσφράγισε καὶ ἐν τοῖς ἡγούμενον· ἐξέβαλε καὶ τὰ ἐκκλησιαστικὰ σταυροπήγια ἀπὸ τῶν μοναστηρίων μου, τὰ τῆς ἐγκλείστης καὶ τῆς ἁγίας Ἀναστάσεως. ἐποίησε νῦν οἰκεῖα σταυροπήγια. δύο τισὶ τῶν ἰδίων οἴκων μέλλουσιν ἀνεγεῖραι προέβαλε ὑπὲρ πιττακίων. καὶ ἐχειροτονήθησαν ἱερεῖς τῶν χωρίων τῆς ἐνορίας μου, ἤγουν τῆς Νισίσης, τῆς Πλανίσης, τῆς Δοβρολίσης, καὶ τῆς Πλανικοβίσης. ἀνὰ δύο τὸν ἀριθμόν. παρεκτὸς ὧν οὐκ ἔφθασε λαβεῖν εἴδησιν. χειροτόνησαν δὲ ἀπὸ τῆς ἐνορίας μου καὶ τινες τῶν συνεπισκόπων μου. ἀλλὰ καὶ ὁ ἱερώτατος τῆς Λευκάδος ἀρχιεπίσκοπος εἰσῆλθε πολλάκις, καὶ ἱερούργησεν ἐν τῇ ἐνορίᾳ μου αὐτεξουσίως. δέομαι οὖν παραλαβεῖν ἐκ τῆς ὑμῶν ἁγιότητος τὸ ἐφ' ἑκάστῳ τῶν ἀπαριθμουμένων κεφαλαίων δοκοῦν τοῖς ἱεροῖς κανόσι, καὶ τῇ θεσμοθεσίᾳ τῆς ἐκκλησίας. καὶ δὴ ἀποφέρεται τοιάσδε τὰς ἀποκρίσεις ἀπὸ τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγίας συνόδου. ἵνα δηλαδὴ κἂν ἴσως ἐπιπλάστου γέγονε τῇ τότε μητροπολίτῃ ἡ τῶν ἐπισκοπικῶν σταυροπηγίων τοῦ Ἄρτης τῶν ἐκείνῳ σφετερισθέντων ἀντιστροφὴ, καὶ αὐτῆς τῆς τοῦ ἁγίου Δημητρίου μονῆς. ἀλλ' ἐπειδὴ, ὡς καὶ αὐτὸς ὡμολόγησεν, εἰς τοὺς ἱεροὺς κανόνας παίων συνῆκε, καὶ τὰ τοῦ πταίσματος διορθώσατο, τὸ κῦρος ἔχει τὸ γεγονός, καὶ ἐπισκοπικὰ τὰ τοιαῦτα, μοναστήρια εἰς ἀεὶ βεβαιώσιν, ἀργύσης καὶ τῆς ἀπὸ χρόνου περιγραφῆς ἐπὶ τῇ κατὰ τὴν μονὴν τοῦ ἁγίου Δημητρίου καινοτομίᾳ. διὰ τὸ προνόμιον τῶν πάρ ἐνορίαν σταυροπηγίων μόνῃ τῇ πατριαρχικῇ ἐφεῖσθαι μεγαλειότητι, τῶν δὲ μητροπολιτῶν ἀδεσί. ὅτι δὲ καὶ ἱερούργησεν εἰς τὴν τοῦ Κατζάρη μονὴν μετὰ τῆς πράξεως τὴν ἐπίγνωσιν, εἰ μὴ ἐν τῷ σχολάζειν σε τὸν ἐπίσκοπον διά σημειώματος εἰς τοῦτο προεβιβάσθη, ἀνάδυσον ἔσαι, διὰ τὸν ιδ' Ἀποστολικὸν κανόνα, τὸν λέγοντα, ἐπίσκοπον μὴ ἐξεῖναι, καταλειψαντα τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν, ἑτέρᾳ ἐπιπηδᾶν, κἂν ὑπὸ πλειόνων ἀναγκάζηται· εἰ μή τις λόγος αἰτίαν ἔιη τοῦτον διαζομένην· ὡς εἰ πλέον τι κέρδος δυναμένῃ αὐτῇ τοῖς ἐκεῖσε λόγῳ πίστεως ἢ ἐμβαλέσθαι, καὶ τοῦτο ἐκ ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλὰ κρίσει πολλῶν ἐπισκόπων, καὶ παρακλήσει μείζονι. εἰ δ' ἄλλως πως αὐτοκέλευστος εἰς τοῦτο καὶ παρωρμήθη, τέως μὲν ὁ ε. καὶ ὁ λ'. Ἀποστολικὸς κανὼν παραιτείσθω, δίδου συγγνώμην. παῤῥησιαζέσθω δὲ ὁ κ. καὶ ὁ β'. τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ, ἐπίσκοπον μὴ ἐπιβαίνειν ἑτέρου πόλει τῇ μὴ ὑποκειμένῃ αὐτῷ, μηδὲ χώρᾳ τῇ μὴ αὐτῷ διαφερούσῃ, ἐπὶ χειροτονίᾳ τινός. μη-

A est Naupactorium gravius conquestus est. Ingressus est enim (inquit) & vi facta sacrificavit in mihi subjecto monasterio Catzuræ, & quidem post cognitionem provincialis sessionis synodicæ, quæ mihi meæ diœceseos monasteria juxta canones restituit, & episcopalem relationem illinc sustulit: præfecit etiam priorem, dicens synodalem illam actionem factam esse, cum metropolitanus moreretur, nulliusque momenti esse. Occupavit etiam monasterium venerandi Præcursoris, & sancti Demetrii monasterium, in quo adjudicata est & restituta mihi subjecta ecclesia per provincialis synodi actionem: defensione vi- B delicet illa utens, quod hujus repetitio tempore mihi exclusa sit, & in eo præfectum sigillavit. Dejecit etiam ecclesiasticas cruces a meis monasteriis, Inclusæ, & sanctæ Resurrectionis. Propria nunc fecit stauropegia: in duobus quibusdam oratoriis erigere volentibus per chartulas permisit. Et ordinati sunt sacerdotes territoriorum meæ diœceseos, Nisistæ videlicet, Prinistæ, Dobrolistæ, & Planicobistæ numero circiter duo, præter eos, quorum notitiam non habet. Ordinarunt autem ex diœcesi mea & quidam mei coepiscopi. Sed & sacratissimus Leucadis archiepiscopus sæpe ingressus est, & intra meos fines propria C auctoritate sacra celebravit. Velim igitur a vestra sanctitate percipere, quæ sit in enumeratis capitibus singulis sacrorum canonum & institutorum ecclesiæ sententia. A sancta nostra synodo hujusmodi responsiones statim tulit. Ut videlicet, etsi forte facta sit ab ejus temporis metropolitano moriente redhibitio episcopalium Artensis crucium, quas sibi attribuerat, & ipsius monasterii sancti Demetrii: (sed cum, ut ipse confessus est, in sacros canones incurrere se intellexit, & vitium correxit, firmitatem habet quod factum est) & episcopalia monasteria hæc in perpetuum maneant, cessante præscri- D ptione temporis, in eo, quod circa sancti Demetrii monasterium innovatum est: quia crucifixionum, quæ sunt per diœcesim soli patriarchali amplitudini relictum est privilegium, metropolitanorum autem nemini. Quod autem in Catzuræ monasterio sacra celebravit, post actionis synodalis notitiam, si quidem cum tu Artæ episcopus otio indulgeres, per subnotationem a provincialibus episcopis ad id inductus est, extra culpam erit, per 14. Apostolicum canonem, dicentem, episcopo qui suam paræciam reliquerit, non licere in alienam insilire, quamvis a multis compellatur: nisi justa aliqua caus- E sa eum cogat: ut si iis, qui ibi sunt, possit pietatis ratione plus lucri adferre, idque non a seipso, sed multorum episcoporum judicio, maximisque precibus. Sin autem aliter nemine impellente ad id incitatus sit, tunc XXXV. canon apostolicus per deprecationem placetur. Audacter autem prodeat vicesimus secundus Antiochenæ synodi, definiens, ne episcopus invadat alienam civitatem non sibi subjectam, neque regionem ad se non pertinentem: nec presbyterum, vel diaconum ordinet quemquam ad loca alii epi-

ANNO CHRISTI 1235.

☞ episcopo subjecta, nisi forte cum sententia proprii regionis episcopi. Quod si ausus sit quidpiam ejusmodi, irrita sit ordinatio, & ipse censuram synodalem patiatur: & censura per benignitatem modum accipiat ad annuam a sacris vacationem. Licebitque tibi retinere, & pro aliis sigillare præfectos, quos metropolitanus tuis præfecit monasteriis; nisi propter spiritualem sufficientiam, qui prius designati sunt, accepti esse tibi videantur. Cruces autem, quæ quidem ex tuis monasteriis sunt dejectæ, iterum in iis restituentur: quæ autem per diœcesim innovata sunt, reformabuntur. Cura autem tibi erit de iis, qui intra limites ex tua diœcesi creati sunt, ut etiam diligenter examines, num inculpatæ vitæ sint, & sacris imbuti litteris. Et eos quidem, qui hujusmodi inventi fuerint, a sacro ministerio removeas, quatenus tibi visum fuerit: alios autem plena dispositione condemnes. In episcopis autem, & archiepiscopo Leucadis, eadem obtinebit dispositio; quæ & de sanctissimo Naupacti superius enunciata est.

ANNO CHRISTI 1235.

Amplius autem, quæsivit Artensis episcopus, ut definiatur, quid faciendum sit de puella, quæ ante pubertatem in ipsius diœcesi perfectam benedictionem accepit, & corruptionem passa est: quid etiam de sacerdote, qui sacras preces concepit. Et audivit, eam, quæ virgineam solvit zonam non matura ætate, a corruptore separandam esse, eumque qui sciens sacram precationem pronuntiaverit, deponendum.

* descripta ex diariis Synodalibus.

Hæc * emissa ex diurnis synodalibus annotationibus, & pro more confirmata subscriptione, ac signo inprimis venerandi chartophylacis sanctissimæ Dei magnæ ecclesiæ, data sunt mense & indictione supra scriptis, anno 6743. Subscriptio.

Chartophylax sanctissimæ Dei magnæ ecclesiæ, Constantinus Aulenus. Solita plumbea bulla, & retro, qua bulla cohærebat: Mense Julio, indictione octava.

A δὲ καθισᾶν πρεσβύτερον ἢ διάκονον εἰς τόπους ἑτέρῳ ἐπισκόπῳ ὑποκειμένους. εἰ μὴ ἄρα μὴ γνώμης τῆ οἰκείᾳ τῆς χώρας ἐπισκόπου. εἰ δὲ τολμήσειέ τις τοιοῦτόν τι, ἄκυρον εἶναι τὴν χειροθεσίαν, καὶ αὐτὸν ἐπιτιμίων ὑπὸ τῆς συνόδου τυγχάνειν. καὶ ἡ ἐπιτιμία δὲ συμμεξέτω εἰς ἀλειτουργησίαν ἐνιαυσιαίαν κατ' ἐπιείκειαν. καὶ τοὺς ἡγουμένους δὲ, οὓς, μητροπολίτης προεχειρίσατο εἰς τὰ σὰ μοναστήρια ὁ ἐξέσαι σοὶ παρασεῖλαι, καὶ ἀνθεπέρας σφραγίσαι. εἰ μή πως ἀρεσοί σοι δοκῶσιν οἱ προεσφραγισμένοι διὰ ἀνδρικὴν ἱκανότητα. σαυροπήγια δὲ, τὰ μὴ ἐκβληθέντα ἀπὸ τῶν μοναστηρίων σου, αὖθις ἐν αὐτοῖς ἀποκατασήσονται. τὰ δὲ καινισθέντα παρ' ἐνορίαν, ὑπαλλαγήσονται. μελήσει δέ σοι καὶ περὶ τῆς ἐνορίας χειροτονηθέντων ἀπὸ τῆς ἐνορίας σὲ ὡς ἂν ἀκριβῶς δοκιμάσῃς αὐτούς, εἴπερ ἀνεπιλήπτοις βίοις τυγχάνουσι, καὶ τὰ ἱερὰ μεμύηνται γράμματα. καὶ τοὺς μὴ διεγκομένους πίστως ἐπιτιμῆσαι ἀλειτουργησίᾳ, ἐφ' ὅσον ἂν σοι καὶ δόξειε. τῆς δὲ μὴ ὄντως ἐχόντων, ἀργίαν τελείαν καταψηφίσασθαι. ἐπὶ δὲ τοῖς ἐπισκόποις καὶ τῷ ἀρχιεπισκόπῳ Λευκάδος ἡ αὐτὴ κρατήσειεν ὑποτύπωσις, ἥτις καὶ περὶ τοῦ ἱερωτάτου Ναυπάκτου ἀνωτέρω ἐξεφωνήθη.

B

C

Ἔτι δὲ ἐζήτησεν ὁ Ἄρτης ἐπίσκοπος, ὁρισθῆναι τὸ ποιητέον καὶ ἐπὶ τῷ ἱερολογηθέντι πρὸ τῆς ἥβης τελείαν ἱερολογίαν κορασίῳ ἐν τῇ κατ' αὐτὸν ἐνορίᾳ, καὶ παιδοφθορίαν παθόντι. καὶ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῷ ἱερολογήσαντι ἱερεῖ. καὶ ἤκουσιν ὡς ἡ τὴν παρθενικὴν λυθεῖσα ζώνην ἐν ὥρᾳ τῆ ἡλικίᾳ, τὰ φθορέως διαζυγήσεται, καὶ ὁ ἱερολογήσας αὐτὰς ἐν γνώσει, καθαιρεθήσεται. Ταῦτα παρεκβληθέντα ἀπὸ τῆς ἡμερησίων συνοδικῶν παρασημειώσεων, καὶ τῇ ὑπογραφῇ καὶ σφραγῖδι τῆ τιμιωτάτης χαρτοφύλακος τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας σωμάτως βεβαιωθέντα, ἐπεδόθη μηνὶ καὶ ἐπινεμήσει τοῖς προγεγραμμένοις, ἔτους ς, ψ μ γ. Η' ὑπογραφή.

D

Ο' χαρτοφύλαξ τῆν ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας, Κωνσταντῖνος ὁ Αὐλινός. ἡ συνήθης μολιβοίνη βοῦλλα. καὶ ὄπισθεν ἐν τῇ συμπήξει τῆς βούλλης, τῷ μηνὶ Ἰουλίῳ, ἐπινεμήσει η.

ANNO CHRISTI 1235.

ANNO CHRISTI 1236.

CONCILIUM REMENSE

APUD S. QUINTINUM,

Pro tuenda ecclesiastica libertate ann. Dom. MCCXXXVI.

ANNO CHRISTI 1236.

De hac synodo ita Claudius Hemeræus in Augusta Veromanduorum illustrata. Habitum Sanquintini concilium eorumdem episcoporum (*provinciæ scilicet Remensis*) adversus Inguerranum Conciaci dominum, quo excessus violentiæ, in personam Mag. Andreæ de Corlandon decani Laudunensis illatæ, justa ultione emendarentur, & ecclesiæ libertates, adversus injurias tales, & earum authores, in posterum protegerentur. Ejus Inguerrani crudele facinus in Flandros nobiles lege apud Nangium.

E

CON-

ANNO CHRISTI 1236.

CONCILIUM TURONENSE

A JUHELLO ARCHIEPISCOPO

Celebratum anno Domini MCCXXXVI.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De crucesignatis enormis delicti reis: & ut Judæis injurias non inferant.*
2. *De advocatis.*
3. *De notariis.*
4. *De officialibus.*
5. *De officio delegati.*
6. *De appellationibus.*
7. *De testamentis & eorum executoribus.*
8. *De bis qui binas nuptias contrahunt.*
9. *De sortilegiis.*
10. *De clericis participantibus cum excommunicatis.*
11. *De privilegiis.*
12. *De falsis testibus.*
13. *De conversis.*
14. *De hospitalitate.*

CAPITULA.

I. De crucesignatis enormis delicti reis: & ut Judæis injurias non inferant.

STatuimus quod si crucesignati occasione alicujus delicti a judice sæculari detenti fuerint, per competentem judicem ecclesiasticum repetantur: ad ipsos restituendos, si opus fuerit, detentorem per censuram ecclesiasticam compellendo. Quibus restitutis, si in foro ecclesiastico, de homicidio, vel alio enormi delicto de cetero perpetrando, legitime convicti fuerint vel confessi: nullis privilegiis crucesignati gaudentes, cum reatus omnem honorem excludat, signis crucis per eundem judicem ecclesiasticum exuantur. Si autem alias delinquentes in crimine objecto convicti fuerint vel confessi, secundum qualitatem & quantitatem criminis a judice ecclesiastico puniantur. Nos autem districtius inhibemus, ne crucesignati vel alii Christiani Judæos occidere, seu verberare, vel bona eorum invadere, vel auferre, vel quascumque injurias eisdem inferre præsumant: cum ecclesia Judæos sustineat, quæ non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat: scituri quod si contra præsumpserint, ultionem canonum non evadent.

II. De advocatis.

Quia per advocatorum vel scriptorum imperitiam multa solent in causis pericula evenire: statuimus quod nulli recipiantur in causis publicis, nisi per triennium jura audierint, vel sint in causarum exercitio approbati.

III. De notariis.

Item nulli recipiantur scriptores in curia, nisi sciant stilum curiæ & statuta, super quibus examinari debebunt per officiarios locorum, tam advocati publici, quam etiam scriptores.

IV. De officialibus.

Statuimus quod nulli statuantur officiales, nisi per quinquennium jura audierint, vel per causarum exercitium judicandi officio sint merito approbati.

V. De officio delegati.

Quia nonnulli litteris apostolicis abutuntur: volentes ipsorum obviare fraudibus juxta canonum sanctionem, statuimus ut judices in Turonensi provincia a sede apostolica delegati, non alias in causis sibi commissis procedant citando, vel aliud faciendo, nisi prius authentico sibi exhibito, & impetratore coram ipsis jurante, si præsens sit, quando citatorium vel aliud impetratum sit; vel si absens fuerit, doceat quod rescriptum de mandato ipsius impetratum fuerit, & quod actionem habere credebat contra eum quem convenire intendit tempore impetrati rescripti, & quod pendente judicio coram ipsis super illo negotio, coram aliis judicibus non vexabit eum: cum æque commode jus suum sequi valeat coram ipsis. Cum honestis & gravibus personis, de quibus nulla poterit sinistra suspicio suboriri, remitti poterit hujusmodi sacramentum, hoc observando, sive tribus, sive duobus commissum fuerit negotium, sive uni.

VI. De appellationibus.

Statuimus ut suffraganei, vel officiales ipsorum, & alii inferiores judices, humiliter appellationibus deferant, nec propter hoc parti, aut advocatis ipsius, bo-

ANNO CHRISTI 1236.

bona fide appellantibus, molesti exi- A stant: maxime cum a diffinitiva sententia fuerit appellatum.

VII. De testamentis & eorum executoribus.

Ne decedentium voluntates, quas pium est executioni demandari, per aliquorum malitiam supprimi valeant, vel etiam occultari: statuimus ut infra decem dies a tempore obitus testatoris, ad episcopum vel archidiaconum loci, vel ad illos qui loco ipsorum super hoc B fuerint deputati, vel ad illos qui jurisdictionem episcopalem habere noscuntur, accedant, secum testamentum, si ptum fuit, delaturi; vel si non scriptum fuerit, per sacramentum ipsorum, quod testator disposuit probaturi, ut tunc præfati testatoris voluntas in formam publicam redigatur. Injungimus autem episcopis, archidiaconis, & aliis jurisdictionem episcopalem habentibus, ut si executores testamentorum in exequenda decedentium voluntate invenerint negligentes, voluntatem ipsorum C fideli executioni demandent, quibus sub * interminatione judicii firmiter inhibemus, ne quicquam de bonis decedentium in proprios usus convertere, vel etiam retinere præsumant: statuentes ut si executores aliquid, quod sibi deberi asserunt, propria authoritate duxerint usurpandum, id restituere compellantur, actione, si qua eisdem pro eodem debito competierit, sint hac sua temeritate privati, nisi id restituerint, ex quo super hoc moniti fuerint competenter.

* *f.* sub Divini interm. jud.

VIII. De his qui binas nuptias contrahunt.

Statuimus quod singulis diebus Dominicis in parochialibus ecclesiis inhibeatur per sacerdotes, ne quis binas nuptias, vel bina sponsalia eodem tempore præsumat contrahere: & expressim adjiciant: Quod si contra fecerint, infames ipso facto effecti, a testimoniis & aliis legitimis actibus excludantur: firmiter injungentes, quod si qui reperiantur talia perpetrasse, nominatim E denuncientur infames, & in scala ponantur: postea * publice suffigentur, nisi pecunialiter pœnam illam redimant arbitrio & judicio judicantis: quæ pœna fabricæ majoris ecclesiæ publice conferatur, parentibus, consanguineis, & aliis eidem pœnæ subdendis, quorum consilio talia fuerint perpetrata. Cui pœnæ subjacere censemus eum qui scienter duxerit alterius conjugatam,

* *al.* ponantur: ac præterea publice fustigentur nisi

IX. De sortilegiis.

ANNO CHRISTI 1236.

Statuimus quod omnes sacerdotes ecclesiarum parochialium, diebus Dominicis & festivis, parochianis suis sub pœna excommunicationis districte inhibeant, ne aliquis, vel aliqua, sortilegium exercere præsumat. Si quis vero sortilegii crimen repertus fuerit perpetrasse, in scala positus publice suffigetur *, vel alias competenter pro modo criminis castigetur: nisi pœnam sibi B injunctam pecunialiter redemerit ad arbitrium judicantis. Pœna in usus pauperum illius parochiæ publice erogetur.

* *al.* fusti tur.

X. De clericis participantibus cum excommunicatis.

Revocantes vero ex certa causa statutum, quod apud Castrum Gonterii fecimus, per quod personæ ecclesiasticæ communicantes cum excommunicatis in mensa, incurrere poterant excommunicationis sententiam ipso facto, per C quod irregularitatis periculum poterat imminere: statuimus ut nulla persona ecclesiastica scienter cum excommunicato participare præsumat. Si qua vero personaecclesiastica scienter cum excommunicato nominatim participationem habuerit, in mensa, in domo propria, vel ipsius excommunicati, dum tamen in mensa sine scandalo eundem poterit evitare: quæ decem libras Turonenses habebit in redditibus, decem * soli- * *al.* de dos; quæ vero viginti libras & ultra * viginti solidos solvere teneatur. Cujus D mulctæ medietas deputabitur fabricæ ecclesiæ cathedralis: alia vero pro delationis præmio ad illum pertineat, qui commissum hujusmodi in publico duxerit deferendum; dummodo id finaliter fuerit prosecutus.

solvat: * *al.* & ul viginti, tum solv ten.

XI. De privilegiis.

Ne sub falso exemptionis prætextu quisquam jurisdictionem ordinariam illudere possit: præsentis concilii authoritate statuimus, ut si qui coram ordinariis conventi judicibus, se exemptos allegent, de quorum privilegiis dubitetur, privilegium exemptionis suæ exhibeant. Quod si facere noluerint, pro exemptis nullatenus habeantur.

XII. De falsis testibus.

Statuimus, ut si qui de deferendo *. testimonium falso convicti fuerint, vel confessi, fustigentur, nisi pœnam illam

* *Forte,* stimonio.

pe-

pecunialiter redimant ad arbitrium judicantis, & si hoc ipsis * videbitur expedire.

XIII. De conversis.

Disponant episcopi in suis diœcesibus qualiter de novo conversi erudiantur in fide, & commode sustententur, sicut viderint expedire: ne sub paupertatis prætextu ad vomitum redire cogantur.

XIV. De hospitalitate.

Injungimus abbatibus & prioribus ut hospitalitatem exhibeant sicut decet, & maxime religiosis, qui nudi nudum secuti, propter Christum propria dimiserunt. Hoc servari præcipimus, salvis constitutionibus in aliis, & concilio apud Castrum Gonterii promulgatis: ita tamen quod per eas non derogetur consuetudinibus antiquitus approbatis. Datum die Martis proxima ante festum beati Barnabæ apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo sexto.

CONSTITUTIONES PROVINCIALES

S. Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi

Circa annum Dom. MCCXXXVI. ut videtur editæ.

Ex veteri Cod. MS. in biblioth. Cotton.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De his qui suscipiendo ordines sunt irregulares, & suspensi mero jure.*
2. *Qui ante confessionem officium suum exequi non debent.*
3. *Quod clerici puniantur propter incontinentiam.*
4. *De monitione facienda concubinis sacerdotum, & pœnis imponendis eisdem.*
5. *De pace inter parochianos per rectores ecclesiarum servanda.*
6. *Quod clerici non nimis potent, nec scotalla faciant, nec eis intersint.*
7. *De infringentibus laudabilem consuetudinem ecclesiæ, & pœnis eorundem.*
8. *De prohibita Missarum venditione, & annualium, &c.*
9. *Quod fontes sint sub firma secura.*
10. *De baptisterio, & de aqua baptismali, & quid sit faciendum cum aqua & cum vase, in quibus propter necessitatem puer domi baptizetur.*
11. *Sacerdos interroget laicum de dictis suis & factis, quando baptizaverit puerum domi.*
12. *Diaconi baptizare, & pœnitentias dare non debent, nisi in casibus necessitatis.*
13. *Quod panni chrismales tantum cedant in usum ecclesiæ.*
14. *Quod mulier mortua in puerperio, scindatur, ore aperto.*
15. *De custodia infantis.*
16. *Quod omnis commixtio maris & fœminæ extra matrimonium est mortale peccatum.*
17. *Confessiones mulierum audiantur extra velum, & moneantur laici confiteri.*
18. *De pœna confitentium.*
19. *De diffamatis monendis confiteri.*
20. *De modo audiendi confessiones, & mittendi confessos superioribus.*
21. *De denunciatoribus criminum in quolibet decanatu.*
22. *De pignore non retinendo.*
23. *Qui sunt publice denunciandi in ecclesiis ter singulis annis, in festis majoribus.*
24. *De communicantibus cum excommunicatis.*
25. *De veneratione Eucharistiæ portatæ ad infirmum.*
26. *De domibus ruinosis reparandis post decessum.*
27. *Quod decimæ non vendantur ante Annunciationem beatæ Mariæ.*
28. *De nova pensione a præsentatis non præstanda.*
29. *Quod rectores ecclesiarum & capellani, sine rationabili causa non sunt amovendi.*
30. *De incontinentia presbyteri parochialis per rectorem ordinario manifestanda.*
31. *Quod alter conjugum ne transeat ad religionem sine littera episcopi.*
32. *Quod mulieres non faciant vota sine consensu virorum.*
33. *Testamenta laicorum non fient, sine præsentia sacerdotis parochialis.*
34. *Ne medici ministrent aliquid ægrotis, quod in periculum animarum convertatur.*
35. *De domibus religiosorum de novo fundandis.*
36. *De modo sumendi Eucharistiam.*
37. *Quod mulieres ante partum confiteantur, & pariendo habeant secum aquam paratam.*
38. *De iis qui clericos occidunt, faciuntve occidi.*
39. *De confirmatione puerorum, & de iis qui eos tenere debent.*
40. *Quod decimæ dentur de omnibus, quæ renovantur per annum.*
41. *Quod laici non intromittent se de bonis clericorum.*

CAPITULA.

I. De iis qui suscipiendo ordines sunt irregulares, & suspensi mero jure.

IMprimis igitur, in virtute Spiritus sancti districte præcipimus, ut omnes ecclesiæ ministri, & præcipue sacerdotes, discutiant diligenter & solicite, juxta testimonium conscientiæ suæ, quales ad ordines susceptos accesserint, & quo fine: generaliter enim quos irregularitatem in ordinis susceptione, vel ante vel post ordinem susceptum constat contraxisse, nisi cum eis dispensatum fuerit expresse ab eo qui cum eis dispensare po-

CIRCITER ANNO CHRISTI 1236.

poterit, ab officii sui executione suspen- A sos denunciamus. Ne autem ignorans * ignoretur: irregulares, qui secundum 1 Cor. 14. 38. canones ab ordinibus prohibentur, & illos, qui dispensationis gratia admittuntur, seriatim duximus per ordinem specificandos. Homicidæ advocati in causa sanguinis, executores servorum in publicis administrationibus, simoniaci, interventores simoniacarum pactionum, & qui labe illa infecti, ordines scienter susceperunt. Item bigami, correptarum mariti, Deo sacratarum virginum violatores. Item excommunicati, vel qui B furtive, scienter * aliter ministrare præsumpserint. Incendiarii ecclesiarum. Omnes tales, nisi nostrum vel superioris super hoc requisierint consilium, & requisitum habuerint, ab officii sui executione se noverint suspensos.

* Forte, aut aliter. H.

II. Qui ante confessionem officium suum exequi non debent.

Certum est enim, secundum traditiones sanctorum patrum, irregulares præsumptuose & periculose sine dispen- C satione ministrare, cum quibus non est dispensatum. Adjicimus autem districte præcipiendo, ut omnes, qui in conscientia mortalis peccati prius perpetrati, vel propter quæstum temporalem tantum, suscipiunt ordinem, officium suum non exequantur, antequam sacerdoti confiteantur.

III. Quod clerici puniantur propter incontinentiam.

Ne vero facilitas veniæ incentivum D tribuat delinquendi: in generali concilio statutum, quod clerici, præsertim in sacris ordinibus constituti, qui deprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, & pro hac causa suspensi, officium suum exequi præsumpserint; non solum ecclesiasticis beneficiis spolientur, verum pro hac duplici culpa perpetuo deponantur: ut quos Divinus timor a malis non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat a peccato. Prælati vero qui tales in suis iniquitatibus præsumunt sustinere, maxime obtentu pecu- E niæ, vel alterius commodi temporalis, pari subjaceant ultioni. Unde oportet vos archidiaconos, officiales, & decanos, tanto vigilantius super hoc vigilare, quanto negligentibus majus periculum dignoscitur imminere.

IV. De monitione facienda concubinis sacerdotum, & pœnis imponendis eisdem.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1236.

Concubinæ sacerdotum frequenter moneantur ab archidiacono, & præcipue a sacerdotibus, in quorum parochia morantur, vel ut contrahant, vel ut claustrum ingrediantur, vel sicut publice peccaverunt, publice agant pœnitentiam. Qui autem contra hanc monitionem, obtentu pecuniæ vel familiaritatis, negligens extiterit, pœnæ supradictæ subjacebit. Quod si ad nullum istorum per monitionem reduci possint, interdicto eis, primo pacis osculo, & pane benedicto, in ecclesia, si perseverant in obstinatione, ipsæ, & communicantes cum eis excommunicentur, sæculari justitiæ tradendæ, si non resipuerint.

V. De pace inter parochianos per rectores ecclesiarum servanda.

Magna nobis, filii carissimi, injuncta est necessitas pacis observandæ, cum Deus ipse pacis sit author & amator, qui non solum cœlestia, sed etiam terrestria venit ad invicem pacificare: & cum non nisi per pacem temporis, & pacem pectoris, ad pacem perveniatur æternitatis, monemus vos & districte præcipimus, quatenus pacem, quantum in vobis est, cum omnibus habentes, parochianos vestros moneatis, ut in unitate fidei & pacis vinculo, unum corpus sint in Christo: inimicitias, si exortæ fuerint, in parochia vestra diligenter sedantes: amicitias copulantes: discordantes a discordia revocantes, quantum in vobis est, non permittentes quod Sol occidat super iracundiam parochianorum vestrorum.

VI. Quod clerici non nimis potent, nec scotalla faciant, nec eis interfint.

Illum abusum clericis penitus interdicimus, quando ad potus æquales sumendos se obligant potatores: & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Unde interdicimus, quod nullus alium cogat ad bibendum: si quis super hoc culpabilem se exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit competenter, a beneficio & officio secundum statuta concilii suspendatur. Bannum quoque scotallorum per sacerdotem fieri prohibemus. Quod si sacerdos vel clericus hoc fecerit, vel scotallis interfit, canonice puniatur.

VII. De

CITER NNO RISTI 36

VII. De infringentibus laudabilem consuetudinem ecclesiæ: & pœnis eorundem.

Sed quoniam quidam laici, laudabilem consuetudinem erga sanctam ecclesiam, pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis, nituntur infringere, sub prætextu catholicæ puritatis: sicut præcipimus, pravas exactiones super iis non fieri, ita pias & laudabiles consuetudines præcipimus observari: & qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare, per vos cognita veritate compescantur, sicut in concilio statutum est: & quod a terragio corpus sepelire non differatur, sed post sepulturam, si quid datum fuerit, in eleemosynam recipiatur.

VIII. De prohibita Missarum venditione, & annualium, &c.

Præterea, venalitatem Missarum districte inhibentes, præcipimus, ne annualibus & triennalibus missarum faciendis, laici & alii aliquid dare vel legare in testamento cogantur. Et ne super hoc aliqua pactio vel actio vera, vel sub alia specie palliata, a sacerdotibus vel aliis mediatoribus fiat, prohibemus: & ne superflua multitudine talium annualium quandoque se onerent sacerdotes, ad quæ explenda honeste sufficere non possunt, & propter quæ ipsos oportet sub certo pretio conductos habere sacerdotes, aut ea vendere aliis facienda, ut se exonerent; illud de cetero fieri sub pœna suspensionis prohibemus.

IX. Quod fontes sint sub firma serura.

Fontes sub serura clausi teneantur, propter sortilegia: chrisma & oleum sacrum sub clave custodiantur. Si vero is, ad quem spectat custodia, incaute ea reliquerit, tribus mensibus ab officio suo suspendatur: & si per ejus incuriam aliquid nefarium contigerit, graviori subjaceat ultioni.

X. De baptisterio, & de aqua baptismali, quid sit faciendum cum aqua & cum vase, in quibus propter necessitatem puer domi baptizetur.

Baptisterium habeatur in qualibet ecclesia baptismali lapideum, vel aliud competens: id decenter cooperiatur, & reverenter conservetur, & in alios usus non convertatur. Aqua vero, in qua baptizatus est puer, ultra septem dies in baptisterio non servetur. Si vero puer a laico domi propter necessitatem fuerit baptizatus: aqua, propter reverentiam baptismi, vel fundatur in ignem, vel ad ecclesiam in baptisterium fundenda deferatur, & vas illud vel comburatur, vel ad usus ecclesiæ deputetur. CIRCITER ANNO CHRISTI 1236.

XI. Sacerdos interroget laicum de dictis suis & factis, quando baptizaverit puerum domi.

Semper interroget sacerdos laicum diligenter, cum in necessitate baptizaverit puerum, quid dixerit: etiam quid fecerit. Et si diligenti precedente inquisitione, facta sibi fide plena, invenerit laicum distincte in forma ecclesiastica baptizasse, sive in Latino, sive Gallico, sive in Anglico, approbet factum. Sin autem, baptizet puerum dicendo ut supra * quod tamen hic non extat.

XII. Diaconi baptizare, & pœnitentias dare non debent, nisi in casibus necessitatis.

De baptismate & pœnitentia precipimus, quod diaconi pœnitentias dare & baptizare non præsumant, nisi in iis casibus: cum sacerdos non potest, vel absens est, vel stulte vel indiscrete non vult, & mors imminet puero vel ægroto. Si puer baptizatus fuerit a laico, præcedentia & subsequentia immersionem compleantur a sacerdote.

XIII. Quod panni chrismales tantum cedant in usum ecclesiæ.

Panni etiam chrismales non nisi in usus ornamentorum ecclesiæ convertantur: similiter alia ornamenta ecclesiastica, quæ pontificalem accipiunt benedictionem, nullo modo in usus profanos deputentur. Et archidiaconus in suis visitationibus, an hoc observetur, diligenter inquirat.

XIV. Quod mulier mortua in puerperio, scindatur, ore aperto.

Si mulier mortua fuerit in partu, & hoc bene constiterit, scindatur, si infans vivere credatur, ore tamen mulieris aperto.

XV. De custodia infantis.

Fœminæ commoneantur, ut pueros caute alant, & juxta se de nocte non collocent teneros, ne opprimantur: solos in domibus ubi ignis fuerit, vel solos

CIRCITER ANNO CHRISTI 1236.

los juxta aquas ſine cuſtode non relinquant. Et hoc omni die Dominica eis dicatur.

XVI. Quod omnis commixtio maris & fœminæ extra matrimonium eſt mortale peccatum.

In confeſſionibus & prædicationibus ſæpius laicis inculcetur, & præcipue in majoribus ſolemnitatibus, quod omnis commixtio maris & fœminæ, niſi per matrimonium excuſetur, eſt mortale peccatum. Et ſi in denunciatione hujuſmodi ſalubris doctrinæ ſacerdos negligens inventus fuerit, tanquam fornicator, vel conſentiens fornicatoribus canonice punietur.

XVII. Confeſſiones mulierum audiantur extra velum, & moneantur laici confiteri.

Confeſſiones mulierum audiantur extra velum, & in propatulo, quantum ad viſum, non quantum ad auditum. Moneantur etiam laici ſtatim in principio Quadrageſimæ confiteri, & cito ſemper poſt lapſum, ne peccatum pondere ſuo trahat ad aliud. Item nullus ſacerdos nomine pœnitentiæ totaliter & partialiter Miſſas præſumat injungere: conſulere tamen poteſt.

XVIII. De pœna non confitentium.

Confeſſiones ter in anno audiantur. Ter communicare moneantur: in Paſcha, in Pentecoſte, & in natali Domini. Prius tamen præparent ſe per aliquam abſtinentiam de conſilio ſacerdotis faciendam. Quicumque autem, ſemel in anno ad minus, proprio non confeſſus fuerit ſacerdoti, & ad minus ad Paſcha ſacramentum Euchariſtiæ non perceperit, niſi de conſilio ſacerdotis duxerit abſtinendum: & vivens, ab ingreſſu eccleſiæ arceatur: & mortuus, Chriſtiana careat ſepultura. Et hoc frequenter eis dicatur.

XIX. De diffamatis monendis confiteri.

Diffamati fama publica, vel veriſimilibus indiciis * ſuper aliquo crimine, de quo convinci non poſſunt, moneantur ſemel, ſecundo, & tertio, ut confiteantur & ſatisfaciant. Si vero incorrigibiles in diffamatione conſtiterint, indicatur eis purgatio, quæ occaſione pecuniæ promiſſæ vel oblatæ, in diem nullatenus differatur: ſed ſi parata fuerit, ſtatim prima die *, & canonum numerus obſervetur. Archidiaconus, ſive ejus officialis, ſeu decanus, contra hoc veniens, ab officio ſe noverit ſuſpendendum.

* *al.* de duobus judiciis

* *al.* prima die recipiatur, & can.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1236.

XX. De modo audiendi confeſſiones, & mittendi confeſſos ſuperioribus.

In confeſſione habeat ſacerdos vultum humilem, & oculos ad terram demiſſos, ne faciem reſpiciat confitentis, maxime mulieris: & patienter audiat quicquid dixerit, & in ſpiritu lenitatis eum ſupportet: & ei pro poſſe ſuadeat, & pluribus modis, quod integre confiteatur: aliter vera non eſt confeſſio. Peccata inquirat uſitata ſingulatim: inuſitata autem non niſi a longe & per circumſtantias, ut expertis detur modus confitendi, & inexpertis non detur occaſio nova delinquendi. Perſonarum nomina, cum quibus confitens peccaverit, non inquirat ſacerdos: ſed per confeſſionem poteſt inquirere, utrum clericus vel laicus, monachus, vel ſacerdos, vel diaconus exiſtat: & ſemper majora, præcipue notoria, majoribus reſerventur. Sunt autem iſta majora homicidia, ſacrilegia, peccata contra naturam, inceſtus, ſtupra virginum & monialium; & injectiones manuum in parentes, necnon & in clericos; vota fracta, & hujuſmodi. Sunt autem caſus, in quibus nullus niſi papa ſolus poteſtatem habet abſolvendi, vel ejus legatus. Abſolutio tamen talium in articulo mortis nulli deneganda eſt, ſaltem conditionalis, videlicet quod ſi convaleſcant, apoſtolico conſpectui ſe præſentent. Nihilo minus tamen talium rei mittendi ſunt ad epiſcopum vel ejus pœnitentiarium. Semper autem qui mittuntur, deferant ſecum litteras continentes genus peccati, & circumſtantias ſufficientes, vel ipſe ſacerdos veniat perſonaliter cum eis: alioquin non recipiantur.

XXI. De denunciatoribus criminum in quolibet decanatu.

Sint autem in quolibet decanatu duo vel tres viri, Deum habentes præ oculis, qui exceſſus publicos prælatorum, & aliorum clericorum, ad mandatum archiepiſcopi, vel ejus officialis, ipſis denuncient.

XXII. De pignore non retinendo.

Inhibeatur frequenter, ne pignus retinere quiſpiam contendat, poſtquam de fructibus ſortem perceperit, deductis expenſis: quoniam uſura eſt.

XIII.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1236.

XXIII. Qui ſunt publice denunciandi in eccleſiis ter ſingulis annis, in feſtis majoribus.

Singulis autem annis, in tribus ſolemnitatibus majoribus, ſolemniter excommunicati denuncientur in genere : ſortiarii, auxilium dæmonum quoquo modo invocantes, ſacramentis vel ſacramentalibus abutentes, vel ea ad uſus profanos convertentes, incendiarii, raptores publici, malitioſe impedientes executiones rationabilium teſtamentorum.

XXIV. De communicantibus cum excommunicatis.

Ne eccleſiaſticæ cenſuræ rigor vileſcat : præcipimus, quod omnes qui ſcienter communicant nominatim & publice excommunicatis, tamdiu arceantur ab ingreſſu eccleſiæ, quamdiu talibus communicaſſe convinci potuerint, niſi citius reſipiſcant : ſalvo tenore canonis, q. ult. x1. *Quoniam multos.* (Et nota, quod iſta materia, *de ſen. ex.* capitulo, *ſtatuimus*, &c. Quæſtionum libro ſexto.)

XXV. De veneratione Euchariſtiæ portatæ ad infirmum.

His addimus : quod, cum Euchariſtia ad ægrum fuerit deferenda, habeat ſacerdos aliquam pixidem mundam & honeſtam, in qua ſit pannus lineus mundiſſimus, & in ea deferat corpus Dominicum ad ægrotum, linteo mundo ſuperpoſito, & lucerna præcedente, niſi æger valde remotus fuerit, & cruce ſimiliter, ſi fieri poteſt, niſi crux fuerit ad alium ægrotum deportata : præcedente quoque tintinnabulo, ad cujus ſonitum excitetur devotio fidelium. Habeat quoque ſecum ſacerdos orarium ſive ſtolam, quando cum Euchariſtia, ſicut diximus, vadit ad ægrotum. Et æger ſi remotus non fuerit, in ſuperpellicio decenter ad ipſum accedat. Habeatque vas argenteum, ſive ſtanneum, ad hæc ſpecialiter deputatum, quod ſemper ad ægrotum ſecum deferat, ut in eo dare valeat ægro, poſt ſumptam Euchariſtiam, ſuorum loturam digitorum.

XXVI. De domibus ruinoſis reparandis poſt deceſſum.

Item volumus, quod hæc conſtitutio inviolabiliter obſervetur : videlicet, ſi A rector alicujus eccleſiæ deceſſerit, eccleſia ſua relicta ſine indumentis ſacerdotalibus competentibus, vel ſine libris, vel ſine utriſque, vel ſi forte domos eccleſiæ reliquerit dirutas vel ruinoſas, de bonis ejus eccleſiaſticis tanta portio deducatur, quæ ſufficiat ad comparandum hoc, & ad defectus eccleſiæ ſupplendos. Idem ſtatuimus circa illos vicarios, qui ſolvendo modicam portionem ſive penſionem, omnes habent ecB cleſiæ proventus. Nam cum ad præmiſſa teneantur, talis portio deducta ſatis poterit, & debet inter eos computari : ſemper tamen rationabilis conſideratio ſit habenda ad facultatem eccleſiæ, cum deducenda fuerit hæc portio,

XXVII. Quod decimæ non vendantur ante Annunciationem beatæ Mariæ.

Nullus rector eccleſiæ nobis ſubjectus decimas eccleſiæ vendere præſuC mat, ante Annunciationem beatæ Mariæ, cum extunc, ſecundum conſuetudinem, fructus cedere debeant ad debita vel legata ſolvenda.

XXVIII. De nova penſione a præſentatis non præſtanda.

Item, ne cui de eccleſiaſticis proventibus modica vel magna penſio detur in fraudem, ſicut in concilio prohibitum eſt, & nos prohibemus. Et quoniam circa hujuſmodi penſiones fraus D ſæpius ſolet & ſimoniaca pravitas perpetrari : nos, ut melius obviemus talibus morbis, præſentantis & præſentati recipimus interdum juramentum, quod nec promiſſio nec pactio illicita intervenerit, & quod eccleſia non debet amplius obligari, quam prius fuit obligata : ſimiliter, ne quis, qui prius eccleſiæ fuit perſona, in eadem eccleſia fiat vicarius.

XXIX. Quod rectores eccleſiarum & capellani, ſine rationabili cauſa, non ſunt amovendi.

Monemus etiam rectores eccleſiarum, ne capellanos annuos ſine cauſa rationabili ſtudeant amovere : maxime ſi honeſtæ fuerint converſationis, & laudabile de converſatione ſua habeant teſtimonium.

XXX. De incontinentia presbyteri parochialis per rectorem ordinario manifeſtanda.

Et ſi de incontinentia parochialis ſa-

CIRCITER ANNO CHRISTI 1236.

sacerdotis scandalum ortum fuerit, cum A circa hoc vigilis * esse debeat rector ecclesiæ, si per famam vel inquisitionem nobis prius de hoc constiterit, quam per rectoris denunciationem, tanquam conscius punietur arbitrio superioris. Simile de vicariis perpetuis est censendum. Et tam personas, & vicarios, quam annuos sacerdotes, graviter puniendos esse decrevimus, nisi super denunciatione excessuum, & præcipue incontinentiæ, in quibus notabiles clerici inventi fuerint, in suis parochiis fuerint vigilantes. B

* vigil

XXXI. Quod alter conjugum ne transeat ad religionem sine littera episcopi.

Item doceat frequenter sacerdos populum, & prohibeat sub anathemate, ne alter conjugum transeat ad religionem, vel recipiatur, nisi per nos aut litteram nostram.

XXXII. Quod mulieres non faciant vota sine consensu virorum.

Item moneat sacerdos mulieres, ne faciant vota, nisi cum magna deliberatione, aut virorum suorum consensu, aut consilio sacerdotum. C

XXXIII. Testamenta laicorum non fient sine præsentia sacerdotis parochialis.

Præcipimus, quod laicis frequenter inhibeatur, ne testamenta sua faciant sine præsentia sacerdotis parochialis, sicut diligunt quod eorum ultimæ voluntates adimpleantur. Sacerdotibus similiter inhibemus, ne testamentum suum per manum ordinent laicalem. D

XXXIV. Ne medici ministrent aliquid ægrotis, quod in periculum animarum convertatur.

Cum anima longe pretiosior sit corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum, pro corporali salute, aliquid ægro suadeat, quod in periculum animæ convertatur: verum cum ipsum ad ægrotum vocari contingit, ægrum ante omnia moneat efficaciter, & inducat, quod medicos invocet animarum, ut postquam infirmo fuerit de spirituali provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur. Transgressores hujusmodi constitutionis pœnam in concilio statutam non evadent. E

XXXV. De domibus religiosorum de novo fundandis.

Quoniam religionum nimia diversitas gravem in ecclesia Dei confusionem inducit: præcipimus, quod qui volunt domum hospitalem, seu xenodochium fundare de novo, regulam & institutionem a nobis accipiant, secundum quod vivant regulariter & religiose.

XXXVI. De modo sumendi Eucharistiam.

Item in celebratione Missæ hostiam consecratam * daturus sacerdos sibimetipsi, ne ammoveat ori suo, quia ante perceptionem, eam ore suo tangere non debet. Si vero de patena, sicut quidam faciunt, eam sumat: post celebrationem Missæ, tam patenam quam calicem, faciat aqua perstringi, vel solum calicem, si eam non sumat de patena: habeat quoque sacerdos juxta altare pannum mundissimum circumdatum undique, & honeste ac decenter coopertum, in quo, post sumptionem sacramenti salutaris, digitos cum labiis ablutos emundet.

* host. consecratam, pacem daturus.

XXXVII. Quod mulieres ante partum confiteantur, & pariendo habeant secum aquam paratam.

Item, commoneant sacerdotes mulieres prægnantes de parochia sua, ut, cum tempus partus intelligunt instare, sibi prospiciant quod aquam habeant promptam & paratam; & quod, propter mortis periculum, confiteantur, antequam in puerperio jacuerint, omnia peccata sua sacerdoti, ne subito præoccupatæ non possint, cum voluerint, habere copiam sacerdotis.

XXXVIII. De iis qui clericos occidunt, faciuntve occidi.

Sacri insuper provisione concilii distinctum est, quatenus si patroni, vel advocati, aut feodatarii, seu vicem gerens alicujus domini, rectorem ecclesiæ, vicarium, seu clericum ipsius ecclesiæ, per se vel per alios occidere ausu nefario præsumpserint, patroni patronatus, advocati advocatiam, feodatarii feodum, vicedomini vicedominatum, usque ad quartam denunciationem amittant: & posteritas talium in clericorum collegium nullatenus assumatur, nec in regularibus domibus alicujus prælatiæ assequatur honorem

Et

Et hoc volumus in ecclesia sæpius denunciari.

XXXIX. De confirmatione puerorum, & de iis qui eos tenere debent.

Sacerdotes frequenter moneant populum ad Confirmationem puerorum, post baptismum enim suscipi debet sacramentum Confirmationis. Quod si confirmandus adultus fuerit, monendus est per sacerdotem loci, ut prius confiteatur, & postea confirmetur. Item, sæpe dicatur laicis, ne expectent diu adventum episcopi, pro Confirmatione, sed adducant pueros ad eum, nisi eum adesse audierint prope, quam citius poterint: & ut ligaturas secum deferant competentes, scilicet longas & latas sufficienter. Item, parvuli confirmati, tertia die post Confirmationem, deportentur ad ecclesiam, & frontes eorum per manus sacerdotum in baptisterio, propter reverentiam sacramenti, abluantur ibidem, & tunc ligaturæ simul in igne comburentur. Item, nullus teneatur ad Confirmationem a patre, vel vitrico, seu noverca. Et hæc prohibitio sæpius publicetur in ecclesiis per sacerdotes.

XL. Quod decimæ dentur de omnibus, quæ renovantur per annum.

Circa decimas autem hoc observari præcipimus: ut de omnibus, quæ per annum renovantur, ecclesiis, quibus debentur, persolvantur: & præcipue illa, quæ Divina lege debentur, vel ex loci consuetudine approbata: ita scilicet quod occasione mercedis servientium, vel messorum, ecclesiæ decima parte non fraudentur, quo minus eam plenam percipiant. Detentores vero earum decimarum, si semel, secundo, & tertio commoniti, excessum suum non emendaverint: concedimus, quod per capellanos locorum, usque ad satisfactionem congruam, anathematis vinculo feriantur. Cum autem ii, qui decimas detinuerint, ad pœnitentiam accesserint, non admittantur, nisi per se vel per manum sacerdotis sui ei, cui decimæ debentur, satisfaciant competenter. Item decimæ tam prædiales, quam aliæ, sine difficultate & diminutione, & cum omni integritate solvantur, secundum quod canonum convenit institutis. Concedimus etiam, quod quilibet sacerdos parochialis detentores decimarum in sua parochia potestatem coercendi habeat: & si contumaces fuerint, & commoniti se non correxerint, ipsos excommunicandi. Item, nullus laicus quantacunque diuturnitate temporis immunitatem sibi vendicet a præstatione decimarum: cum laicus, secundum sacrorum canonum instituta, decimas præscribere non possit. In præstandis decimis, & maxime prædialibus, nullæ deducantur expensæ. Et sic nota, quod quilibet sacerdos potest excommunicare pro decimis debitis non solutis. Et cum sit crimen decimas notorie debitas detinere: videtur, quod notorie detinenti debitas, vel alia jura debita ecclesiis, possit in Paschate licite denegari corpus Christi: quia pro manifesto & notorio crimine potest illud cuilibet denegari: de conf. dist. *pro dilectione*. Nec obstat c. *si sacerdos* de off. ordi. cum similibus: quia loquitur de crimine occulto, ut ibi per doct. *Vide constitutiones Roberti de Vvyncbelse, apud Merton. anno circiter 1300.*

CIRCITER ANNO CHRISTI 1236.

XLI. Quod laici non intromittent se de bonis clericorum.

Sub interminatione anathematis prohibemus, ut nullus constabilarius castrorum forestarius, vel cujuscunque potentis bailivus, possessiones seu bona clericorum aut religiosorum, seu quarumcumque religiosarum personarum, ausu temerario, præsumat invadere: aut eas exactionibus injustis & oppressionibus quibuscumque indebite, contra libertatem ecclesiasticam, attentet molestare.

Quod si qui contra prohibitionem nostram in propriæ salutis dispendium, quod Deus avertat, intrare præsumpserint, & moniti se non correxerint, terras eorum per archidiaconum sine dilatione ecclesiæ supponi præcipimus interdicto: & tunc demum, si ad correctionem non redierint, indurati, pulsatis campanis, & accensis candelis, excommunicentur, canonica monitione præmissa. Volumus etiam & districte præcipimus, ut archidiaconi & eorum ministri, cum fuerint super hoc ab executoribus requisiti, mutuum sibi invicem præstent auxilium.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237. Ex tom. II. concilior. Britannic.

CONSTITUTIONES DOMINI

ALEXANDRI COVENTRENSIS EPISCOPI,

In regimen ſuæ diœceſis factæ anno circiter MCCXXXVII.

Ex veteri cod. MS.

UNniverſis archidiaconis per Covetrenſem diœceſim conſtitutis, Alexander permiſſione divina ejuſdem miniſter eccleſiæ humilis, ſalutem: & ſic vigilias noctis ſuper gregem ſibi commiſſum cuſtodire, ut angelis ducentibus poſſint in magnum palatium Salvatoris introire: ubi non ſordes ſtabuli, ubi non paupertas præſepii, nec bos, id eſt labor obedientiæ; nec aſinus, id eſt pœna patientiæ: ſed erit Deus omnia in omnibus.

Vos igitur, quibus incumbit vigilare juxta verbum beati Petri: habeatis duos gladios propter timores nocturnos, & ſufficient. Gladium, verbum Dei limatum & acutum: limatum, ut fulgeat: non enim debet eſſe ſermo Dei obſcurus, præcipue quando proponitur laicis: acutum, ut cædat, hoc modo, ut nulli peccato parcat. Unde in Iſaia: *Gladius meus deſcendet ſuper Idumæam*, id eſt, ſuper peccata. Et idem: *Poſuit Deus os meum quaſi gladium acutum.*

Iſ. 34.

Ibid. 49.

Aliena peccata non facietis propria. Propria quidem veſtra erunt, ſi diſſimuletis, ſi negligenter corrigatis. Et tunc oportebit quemlibet noſtrum dicere: *Ab alienis parce ſervo tuo.* Et ſcitis quid dicit Apoſtolus: *Non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte æterna.* Conſentire eſt tacere, cum poſſitis redarguere. Ego etiam vobis dico, quod ſi poſſim in aliqua parochia invenire aliquem hujuſmodi publice peccantem, puniam tanquam peccatum vel archidiaconi, vel perſonæ, vel ſacerdotis. Nec mirum, quia non ſua, faciunt ſua, de quibus ſcriptum eſt in Oſee: *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum*, id eſt ſacerdotum, *ſublevabunt animas eorum*, id eſt populorum. Quia ſacerdotes fornicarii ſuſtinent populos fornicarios. Sed quid accidet? *Erit ſicut populus, ſic ſacerdos.* Sicut populus ſuſpendetur ab introitu eccleſiæ, ſic ſacerdotes a celebratione Miſſæ. Præcipue autem peccata publica non permittatis creſcere uſque ad meſſem damnationis extremæ. Sed ſi publica fuerint, primo arguite corripiendo, poſtea increpate comminando: & hoc opportune, & poſtea importune, pœnam infligendo.

Pſal. 19.
Rom. 1.

Oſee 4.

Iſ. 24.

Multis videtur prælatus importunus cum affligit affligendos. Propter hoc ut manifeſta judicaret judex, ſedebat in porta. Qui ſedet in porta, poteſt videre ea quæ fiunt in plateis: hoc ſignificat, quod prælatus debet judicare manifeſta. Non poteſt autem videre ea quæ ſunt in conclavi: hoc ſignificat quod Deo debet relinquere occulta. Habeatis ergo gladium orationis, qui cælum penetret: de quo dicitur: Oratio juſti nubes penetrat. Etſi quidam opponant nubem peccati, tranſit tamen oratio juſti: ita ut nubes reſolvatur in pluviam. Juxta quod legitur oraſſe Heliam, cujus precibus nubes reſolutæ ſunt in pluviam, & terra dedit fructum ſuum.

De ſacramentis.

AD hæc cum nihil carius reliquerit nobis Deus in terris poſt aſcenſionem ſuam ad cælos, quam ſacramenta, in quorum viſione, ipſius habetur memoria: ipſa debemus venerari in tantum, ut contra ipſa, immo contra ipſorum autoritatem, nulla poſſit fieri blaſphemia. Quia ergo ſolent quidam propter opprobria Chriſti, ut increduli, quidam qui propter minimum contemptum deſcenderunt in profundum abyſſi, quidam autem, qui propter veneficia ut mali Chriſtiani & Judæi, aliqua turpia circa Euchariſtiam & chriſma, & oleum ſanctum, auſu temerario, immo nimis auſi præſumere: præcipimus, ut ſub optima clauſura clavium reponantur in diverſis vaſis, prout decet honeſtius. Quia etiam nihil eſt ſanctius quam ſacramentum altaris, in tantum, quod niſi Dominus nobis reliquiſſet, quaſi Sodoma fuiſſemus, id eſt, muti non poſſemus reſpondere quærentibus, ubi eſt Deus noſter. Nunc autem poſſumus dicere, quod hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum. Hic in terris quotidie videtur, dum per manum ſacerdotis quotidie elevatur: & cum hominibus converſatur, dum in pixide modica in loco humili ponitur. Et quaſi Gomorrha fuiſſemus, id eſt, aſperi & aridi, ſine omni devotione ſpirituali. Unde præcipimus, quod in elevatione Euchariſtiæ, quando ultimo elevatur, & magis in altum: tunc primo ſonet campanella, quæ ſit quaſi modica tuba denunciantis adventum judicis: immo ſalvatoris, ſecreto ad nos venientis, ut ſit nobis animi tripudium ubinam accedimus ad cæleſte convivium. Et erit triplex gaudium, quia ubi caro, ibi anima, ibi Deus Verbum. Similiter præcipimus, quod Euchariſtia portetur ad infirmum intra villam, cum ſolemnitate accenſæ lucernæ, & ſonantis campanellæ. Et hoc non portetur a ſolo ſacerdote, immo cum teſtimonio diaconi honeſti, vel alicujus honeſti clerici, vel ſaltem laici boni teſtimonii, & hoc in ſuperpellicio.

De Aqua benedicta.

AD hæc, quia oportet in eccleſia Dei eſſe paſtores & doctores: nec eſt diviſio inter paſtores & doctores, cum alia dividat Apoſtolus. Dicit enim: *Ipſe quidem dedit alios quidem apoſtolos & evangeliſtas, alios paſtores & doctores.* Hic nullam fecit diviſionem. Præcipimus igitur, ut illi quorum intereſt, videant, ut in ſingulis locis ubi eſt regimen ſcholarum, ſint tales qui ſciant alios doctrina inſtruere, & velint eos exemplo bonæ vitæ informare. Sed quia plerique ſcholares carent neceſſariis, quorum ſcientia multi per gratiam Dei poterunt

Epheſ.

ædi-

ædificari: volumus, ut ſcholares ferant aquam benedictam per villas rurales, ſi ſint qui poſtulent & indigeant.

Item præcipimus, quod ea quæ pertinent ad dedicationem eccleſiæ, ſint peracta.

Item præcipimus, quod in qualibet eccleſia ſit vita beati Thomæ martyris, & oratio, *Deus pro cujus eccleſia*.

Præcipimus ut claudantur cœmeteria.

Item quod vicarii deſerviant pro vicariis: nec ponant pro ſe ſacerdotes conductitios, niſi de ſpeciali licentia noſtra.

Ut populus communicet ter in anno, & jejunet.

ITem cum nihil valeat peregrinantibus tantum, quantum viaticum: moneantur laici & clerici, ut ter in anno ſumant corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti, ad minus, qui provectioris ætatis ſunt: videlicet in Nativitate Domini, in Paſcha, & Pentecoſte. Et qui noluerunt iſtud facere, moneantur ut jejunent per Adventum, vel ad minus per medietatem ſeptimanæ, & præcedat confeſſio. Similiter a feſto Aſcenſionis uſque ad Pentecoſten, vel ad minus per medietatem ſeptimanæ, & præcedat confeſſio.

Item præcipimus, ne aliquis extraneus admittatur in aliqua parochia ad contrahendum matrimonium, niſi prius facto ſacramento ſi alias eſt uxoratus. Et hoc ſciatur per ſacerdotem villæ ubi converſatus eſt, vel per litteras alicujus prælati de partibus illis, ubi natus vel converſatus eſt.

Item notificamus vobis, quod ſi ſacerdos deprehenſus fuerit in incontinentia, vel in ſuſpicione violenta: puta ſi intrat in aliquem locum ubi poſſit malefacere: quia debemus providere bona coram Deo & hominibus: propter Deum debemus facta vitare; propter homines ſuſpicionem facti: hoc modo punietur. Primo ſecundum quantitatem facultatum ſuarum, per manum epiſcopi dabit quandam ſummam pecuniæ in uſus pauperum: & rector eccleſiæ ſimiliter, ſive fuerit privata perſona, ſive abbas vel prior, ad quem pertinet eccleſia, punietur pro delicto ſacerdotis. Eorum enim intereſt habere bonos & honeſtos ſacerdotes.

Rectoribus etiam, qui ſunt privatæ perſonæ, gratiam facimus, quod eos ad ſacerdotium non cogimus. Nec murmuret aliquis, quod peculiariter punimus. Hoc enim facimus propter multas cauſas: tum quia illa pœna magis timetur quam alia, tum etiam quia luxuria provenit ex abundantia. Ideo bonum eſt falce correctionis reſecare ſuperflua. Peccatum enim Sodomorum fuit ex ſaturitate panis, & abundantia, & otio, juxta illud poeticum: Quæritur Ægiſthus, &c. Autoritate enim legis Divinæ hoc facimus. Dicitur enim in Eſdra: *Omnis qui non fecerit legem Dei, judicium erit de eo: ſive in exilium, ſive in condemnationem ſubſtantiæ ejus, vel certe in carcerem.* Si ſecundo deprehenſus fuerit, duplicabitur pœna, tam ſacerdotis, quam rectoris. Tertio ſi deprehenſus fuerit, punietur pœna exilii, quia nunquam in epiſcopatu noſtro Divina celebrabit. De aliis perſonis eccleſiaſticis, ſi deprehenſi fuerint: ſi fuerint beneficiati, primo punientur per condemnationem ſubſtantiæ, poſtea per ſuſpenſionem ab officio & beneficio.

Item ſingulis diebus Dominicis prohibeatur, ne quis det fidem in matrimonium contrahendo, niſi in ſacerdotis præſentia. Et ſi qui inveniantur tranſgreſſores, mittantur ad epiſcopum compuniendi. CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

Similiter ſingulis diebus Dominicis denuncientur excommunicati, qui falſum teſtimonium perhibent prudenter & ſcienter, vel perhibere procurant, vel etiam qui tales teſtes ſcienter producunt vel ſubornant, ubi agitur in cauſa matrimoniali, vel alicujus exhæredatione.

Excommunicentur etiam omnes, qui gratia lucri, vel odio, vel alias malitioſe crimen imponunt alicui, cum infamatus non ſit apud bonos & graves: vel ſic ſaltem eis purgatio indicatur, vel alio modo graventur.

Item, ſi ſacerdotes ſuſtineant in parochiis ſuis publicos fornicatores, vel uſurarios, vel aliquid mortale peccatum manifeſtum, punientur tanquam pro propriis peccatis, & veniet ſuper eos malum, & neſcient ortum ejus. Hoc autem modo procedant circa fornicatores: quod ſi contingat aliquem jurare, quod in poſterum non cognoſcet quam cognoſcere conſueverat: indicatur ei talis pœna ſi eandem cognoverit, quod eam deſponſet, vel magnam portionem ſubſtantiæ ſuæ, ſecundum quod facultates ſuæ competunt, nobis tribuat ſub ſacramento.

Item in omnibus eccleſiis quas habent monachi ultramarini, inquiratur quo titulo: & ſimiliter, ſi habent decimas ſeparatas, denuncietur nobis.

Item in quolibet decanatu ſit unus, qui audiat confeſſionem ſacerdotum, vel ad minus unus confeſſor, in duobus decanatibus.

Item quotidie, quando leguntur tres lectiones, dicantur: *Placebo*, *Dirige*, & *Commendatio*, ab *In exitu Iſrael*, uſque *Ad Dominum cum tribularer*.

Item præcipimus, ſub pœna ſuſpenſionis, ut nullus clericus, qui ſervit in eccleſia, vivat de aqua benedicta.

Item præcipimus, quod quilibet Chriſtianus, & quælibet Chriſtiana, omni die dicat ſepties ſuum *Pater noſter*: quia ſepties in die debet laudare Dominum, juxta Prophetam: *Septies in die laudem dixi tibi*. Similiter ſepties, *Ave Maria*. & bis ſuum *Credo*: & ad hoc faciendum moneatur frequenter, & ad ſciendum cogatur. *Pſ.* 118.

Item diſtricte præcipiatur, ut nulla mulier ponat puerum ſuum juxta ſe in lecto, niſi ſit ad minus trium annorum, vel circiter.

Item ſi ponatur in cubiculo, ita fulciatur cunabulum, ut non poſſit volvi cunabulum, & ita puer cadat ſuper faciem ſuam.

Item veneficia, quia fidei manifeſte ſunt contraria, ſub interminatione anathematis prohibeantur. Et ſi aliqui in hujuſmodi caute poſſunt deprehendi, vel falſo teſtimonio, ad nos mittantur puniendi.

Item prohibemus ut nullus celebret de novo in epiſcopatu Coventrenſi ſine licentia noſtra.

Irem ne quis recipiatur in hoſpitali ſine licentia noſtra.

Item præcipimus, quod quilibet ſacerdos doceat parochianos ſuos baptizare pueros ſuos in neceſſitate ſecundum formam eccleſiæ, ſuper his verbis: *Ego baptizo te* N. *in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*. Et illa eadem forma dicendi, ſervetur in Gallico, & Anglicano ſermone.

Præcipimus etiam vobis firmiter, per virtu-

tem Jesu Christi, sub interminatione anathematis, & sub pœna suspensionis, quatenus hæc statuta observentur & scribantur, simul cum septem criminalibus quæ ad vos mitto: similiter & cum quodam tractatu modico de confessione. Hæc serventur & scribantur, sicut quod ecclesiæ vestræ non suspendantur, cum ad ecclesias vestras accesserimus, vel per nos, vel per nunciuni nostrum. CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

Denuncientur etiam excommunicati omnes illi, authoritate concilii, qui ecclesias malitiose suo jure privare præsumunt, aut per malitiam, vel contra justitiam libertates earundem infringere, vel perturbare contendunt.

Item inhibemus, sub pœna dimidiæ marcæ, ne quis sacerdos ad tabernam eat, aut tabernam teneat, vel scotales.

Dicatur omnibus sacerdotibus, quod, quando parochiani sui congregati sunt in ecclesia, in Dominicis diebus, vel in aliis festis, dicant hæc verba, quæ sequuntur: Septem sunt criminalia peccata, quæ fugere debetis, juxta quod dicit Sapiens: *Quasi a facie serpentis fuge peccata*. Peccatum comparatur serpenti: quia, sicut serpens veneno necat carnem, sic peccatum malitia necat animam. Quando vero anima est mortua, tunc efficitur cibus diaboli. Unde idem dicit: *Si accesseris ad peccata, tunc accipient te dentes leonis, dentes ejus interficientes animas*. De dentibus diaboli potest misera anima extrahi per virtutem Dei: juxta quod dicit Isaias: *Tolletur a forti præda, & quod ablatum est, a robusto salvabitur*. Et Job: *Conterebam molas iniqui, & de deatibus ejus auferebam prædam*: id est, animam, quæ præda est prædicatoris & sacerdotis, juxta quod dicitur: *Tulerunt justi spolia impiorum*. Sed si fuerit inter dentes misera anima usque dum perfecte masticetur, & in ventrem diaboli attrahatur, nunquam extrahetur, quia in inferno nulla est redemptio. Masticatur per totam vitam præsentem: in morte, in ventrem trahitur. Quam vilis res est diabolus, qui non diligit comedere nisi cadaver & rem fœtentem! Viles ergo sunt, qui tam vili serviunt. Legitur, ut caveamus a morsibus prædicti leonis. Ne incidamus in ejus fauces, vitemus septem deceptiones ejus; id est, septem criminalia peccata, quorum primum est superbia, quæ natione cœlestis sublimium mentes inhabitat, sub cinere & cilicio latitans. Superbia morbus est divitum: unde dicit August. quod nihil expavit Apostolus in divitiis, quando dixit: Nolite esse divites neque divitias amare velitis, neque morbum earum, scilicet superbiam. Superbia etiam in viris religiosis latet, qui aliquando ex bono quod faciunt, superbiunt. Per superbiam cecidit Lucifer, qui fuit angelus in cœlo, & factus est diabolus in inferno. Quantum sit peccatum superbia, potest perpendi ex quantitate pœnæ. Quis enim dubitat flagitiosius esse commissum, quod gravius est punitum? & hoc modo dicatur laicis, quod tunc superbit homo, quando ex aliquo dono, vel ex scientia, vel ex divitiis, vel etiam ex aliquo magno opere se magnum credit, & super alios se extollit. Unde alio modo sic describitur: Superbia est singularis excellentiæ super alios cæcus appetitus. Istud peccatum Anglice vocatur, *prude*. De divitibus non est dubium, quin multum habeant, sed pauperes negant se esse superbos. Sed potest eis probari quod sint superbi, hoc modo. Multotiens enim vident divites in gloria sua, & dicunt in animo suo: Isti jam receperunt mercedem suam, sed nos non sic: & ex hoc superbiunt. Dicunt enim, hic recipimus mala, ut in futuro habeamus bona: & verum dicunt, si cum humilitate & patientia sustinent. CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

Eccl. 21. Ibid. Isa. 49. Job. 29. Sap. 10.

Invidia.

Secundum peccatum est invidia: Invidet autem homo qui in animo suo tabescit, ex aliquo bono quod videt in proximo suo: & dicitur Anglice *Ich*, sive *Onde*. Qui autem invidus est, invidet Deo, invidet sibi, invidet proximo: & quando dolet quod aliquis habet bonum, cum bonum non sit nisi a Deo, dolet quod Deus bonus est. Unde in evangelio Matthæi: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Invidet etiam sibi ipsi: quia, cum gaudet de bono proximi sui, facit bonum proximi esse suum. Unde Apostolus: *Deus qui operatur omnia in omnibus*. Ibi dicit Augustinus: *Tolle invidiam, & tuum est quod habeo*. Unde dicit David: *Particeps ego sum omnium timentium te*. Nulli invidet qui sic dixit. De hac invidia dicit Sapiens: *Nihil indignius illo, qui sibi invidet*. Et quia morbus iste vix sanatur, appellatur gutta inossata. Quando gutta est in carne, cito sanari potest: quando est in osse, vix aut numquam. Quod sit in osse, dicit Salomon: *Putredo ossium invidia*. Matth. 20. 1. Cor. 12. Psal. 72. Eccli. 14. Prov. 14.

Ira.

Tertium peccatum est ira. Est enim ira veniale peccatum, de qua dicitur: *Irascimini, & nolite peccare*. Et ira mortale peccatum, de qua dicitur: *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Ei Sol, id est Christus, occidit, qui in ira perseverat, in tantum quod appetat vindicari. Unde etiam sic describitur: Ira est stulti & concitati animi fervor, fervens libidine ulciscendi. Quando veterascit & durat, efficitur odium; *Qui autem odit fratrem suum, homicida est*, sicut dicit Joannes in epistola. Sed qualiter est hoc verum? Multi enim sunt, qui odio habent alios, & nollent tamen eos interficere: sed forte vellent per calumniam eos opprimere, vel pecuniam auferre. Tales sunt homicidæ, occidunt enim animum proximi, eo quod provocant proximum contra se ad maledicendum vel odiendum: & quantum in eis est, homicidæ sunt. Occidunt etiam corpus, quando volunt injuste & per fraudem aliquid auferre. Et Sapiens: *Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum*. Psal. 4. Ephes. 4. 1. Joa. 3. Eccli. 3.

Acedia.

Quartum peccatum est acedia, quæ appellatur tœdium de bono, quod potest dici *Idelneff* in servitio Dei. Istud peccatum committunt homines, quando vel torpent venire ad ecclesiam: vel etiam, quando ibi sunt minus attenti, vel orationi, vel prædicationi. Propter hoc dicit Sapiens: *Subjice humerum tuum, & porta sapientiam, & ne acedieris vinculis ejus*. Potest enim istud peccatum appellari negligentia in operibus Divinis, de qua dicitur: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter*. Eccli. 6

Ava-

ITER NO ISTI 37.

Avaritia.

QUintum peccatum est avaritia, quæ est servitus idolorum. Idolatrus servit idolo, & ita servus est idoli: sic avarus servus est nummi. Est autem avaritia immoderatus appetitus rerum temporalium, quæ Anglice dicitur *Ulcing*. Committitur autem istud peccatum a pauperibus: primo hoc modo, quia si pauper nimis appetat dives fieri, avarus est. Appetere potest sibi necessaria, si non habet: sed non ita, ut nimis. Nimis appetit, qui ab iis quæ Dei sunt propter temporalia se avertit: quando scilicet appetitus efficitur solicitu- pp. 4. do. De qua Apostolus! *Nihil soliciti sitis*, id est, non sitis soliciti de temporalibus quæ nihil sunt. Si immoderatus appetitus circa pauperes est damnabilis, multo damnabilior est circa divites. Qualiter ergo erunt homines sine avaritia? Hoc modo: si contenti sunt modico & magno: scilicet eo quod habent. Unde Apo- 13. stolus ad Hebræos: *Sint mores sine avaritia contenti præsentibus*. Sive enim modicum, sive magnum dat Deus, contentus debet esse quilibet, quia paupertatem dat homini, ut per patientiam habeat vitam æternam: & divitias, ut per eleemosynarum largitionem, similiter illam obtineat. Sunt etiam multi in tantum avari, sive cupidi, quod non formidant per fraudem aliquid acquirere, qui etiam dicuntur 34. homicidæ: juxta quod dicit Sapiens: *Qui fraudem facit, & sanguinem fundit, fratres sunt*. Vel etiam per violentiam, sive rapinam, sicuti potentes & nobiles, contra quos dicitur: Ne introeas in agros pauperum: propinquus illorum est fortis. Quis est propinquus? Dominus. Sed quid faciet? Judicabit contra te causam illorum: *Judicabit enim pupillo & humili*, 10. *ut non opponat ultra homo*, scilicet raptor, *magnificare super terram*: vel etiam per calumniam, sicut falsi advocati, falsi placitatores. Isti similiter sunt homicidæ, juxta quod ait Sapiens: *Homo calumniator, vir sanguinis est*. Quocumque modorum istorum, sive per violentiam, sive per rapinam, sive per fraudem, aliquis aliquid acquisierit, oportet ut reddat si habet unde, vel diabolus cum suspendet. Si non habet, habeat voluntatem restituendi cum habuerit, & restituat.

Similiter de usura. Quando aliquis dat mutuo undecim pro duodecim, vel vendit vel emit ad terminum, oportet quod totum restituat, nec sic de male acquisitis potest fieri eleemosyna. Ut breviter dicam, *Ou rendre, Ou prendre*, sicut Gallice dicitur: hæc est pœna talium cupidorum: vel moriuntur sine hæ- 38. redibus; unde dicitur: *Thesaurizat & ignorat cui congerit ea*. Quasi diceret, hæredem non habent. Frequenter etiam accidit, quod sine testamento decedunt, quia subito moriuntur. Unde de avaro dicit Sapiens: *Nescit quia mors appropinquat*. Et Dominus in evangelio dixit 11. de divite, qui ita locutus est: *Anima mea habens multa bona reposita in annos plurimos*. Et 12. Deus dicit: *Hac nocte repetent a te animam tuam*: Diaboli, scilicet. Quasi diceret. Subito morieris, & ex improviso. Sed quid tunc accidit? quod dicit Sapiens: *Quia justo datur* 15. *substantia peccatoris*. Præterea parum vivunt, quod potest probari per contrarium. Dicit 21. enim Sapiens: *Qui odit avaritiam, longi fient dies ejus: viri autem sanguinum non dimidiabunt dies suos.*

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

Luxuria.

SExtum peccatum est luxuria, quæ dividitur in fornicationem & adulterium, & coitum contra naturam. Ut me expediam. Contra naturam est omnis coitus, qui non fit inter virum & mulierem; & debet appellari vitium sodomiticum, propter quod Deus destruxit illas civitates, de quibus satis notum est omnibus. Quam gravissimum est peccatum adulterium, manifeste patet per pœnam multorum adulterorum. Ut enim dicunt patres, adulterium secundum locum obtinet in pœnis. In Osee, *Osee 7.* *omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente*: constat quod clibanus magis ardet quam alius ignis. Fornicatio est, quando vir cognoscit mulierem, quæ non est sibi desponsata: & est mortale peccatum. Quando laicus solutus a matrimonio, cognoscit solutam, committit adulterium. Sed si ita est in laica persona: quam mortalissimum, quam nefarium, quam horrendum est, quando ecclesiastici, scilicet monachus, sive quis alius religiosus, aut sacerdos, vel rector ecclesiæ, seu etiam aliquis habens sacros ordines, cognoscit aliquam? Unde propheta: *In domo Israel*, id est, clericorum, *vidi horrendum, id est fornicationes eorum*. *Osee 6* Istud ultimum sub interminatione anathematis & suspensionis præcipimus vobis sacerdotibus, quod semper aperte dicatis, quando mentio fit de fornicatione, ut saltem impleantur facies nostræ ignominia, & quæratur nomen Domini: sed timeo quod dicit propheta: *Non* *Osee 5.* *dabunt cor suum reverti ad Dominum, quoniam spiritus fornicationis est in medio eorum*.

Gula.

SEptimum peccatum est gula, quæ dividitur in crapulam, & ebrietatem. Crapula est in sumptione ciborum, ultra quam sufficit naturæ: teste Augustino, sumenda sunt alimenta, quasi medicamenta. Corpus etiam interimit, ut dicit sapiens: *Propter crapulam multi perie-* *Eccli. 37.* *runt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam*. Ebrietas, si ducatur in consuetudinem, mortale peccatum est. Unde Apostolus: *Ebriosi non* *1. Cor. 6.* *possidebunt regnum Dei*: idest, consueti ebrietati. Cavenda est enim ebrietas: per ebrietatem pronus est homo ad omnia genera peccatorum perpetranda. Quid mirum? Potus enim immoderate sumptus, sicut dicit Sapiens, per omnia membra *venenum diffundit*: Tunc *maledictione* *Prov. 23.* *os plenum est: veloces pedes eorum ad effunden-* *Psal. 10.* *dum sanguinem*: tunc venter æstuans, de facili spumat in libidinem: tunc oculi vident extraneos, & cor loquitur perversa: tunc sæpius est gubernator, id est ratio, carni subjecta; & timere potest in aliis, scilicet vita hominis, ne eat in profundum. Et multotiens videmus ebrios se in aquis submergere. Tota etiam die videmus patres & matres carissimos filios suffocare. Quid plura? Miseros facit populos istud peccatum & maledictos. Unde Isaias: *Væ qui* *Isa. 5.* *surgitis mane ad sectandum ebrietatem*: ecce maledictio. Sequitur: *Propterea captivus ductus est populus meus*: ecce miseria. Credo quod pro ebrietate perveniunt guerræ, fames, & pestilentiæ: quia ubi plus regnat ebrietas, ibi plus accidunt.

De

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

De pœnitentia.

CUm pœnitentia consistat in tribus: in cordis contritione, oris confessione, & operis satisfactione: primo quærendum est ab illo, qui venit ad confessionem, si dolet se peccasse: quia sine contritione cordis nunquam remittitur peccatum. Si dicat quod dolet, procedatur ad confessionem. Si dicat quod non dolet, tanquam contumax repellatur. Circa confessionem hoc modo procedendum est. Frater vel soror, tu vis confiteri peccata tua: habes tu in voluntate, ut de cetero non pecces mortaliter, in quantum poteris, per Dei gratiam? Si dicit, non habeo: dicatur tunc, confessio tua nulla est. Quia ita dicit *Prov. 28.* Sapiens: *Qui confessus fuerit peccata sua, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Intelligitur relinquere, qui habet in voluntate, per gratiam Dei non committere. Circa confessionem hoc modo procedatur. Dicatur confitenti quod tria sunt præcipue, quæ solent impedire hominem, veram facere confessionem: delectatio, & timor pœnitentiæ injungendæ, & pudor. Sed debet sacerdos ostendere, quam brevis est delectatio peccati, propter quam amittet præmium æterni gaudii. Contra timorem quem habet de pœnitentia, debet ostendere, quia pudor est maxima pars pœnitentiæ. Præterea, propter pudorem non debet dimittere, quia peccata sua non dicit homini, sed Deo, qui scrutatur corda & renes. Dicat ergo in nomine Domini. Auditis omnibus, debet quærere ab eo, si plura redeunt ad memoriam. Si dicit quod sic: dicat ergo. Si dicit quod non: tunc debet sacerdos supplere defectum confitentis: juxta quod scriptum est: *Prov. 18.* *Justus prior accusator est sui. Venit amicus ejus, & investigabit eum.* Justus, id est confitens, primo debet accusare seipsum. Postea amicus ejus, id est sacerdos, debet investigare peccata quæ omisit. Si laicus est, quærendum est primo, si sit conjugatus vel solutus: & si sit conjugatus, quærendum est, si credat legitimum matrimonium esse, scilicet quod non sit ibi compaternitas, vel consanguinitas, vel affinitas, vel aliud aliquod impedimentum, & si legitime contraxerit in facie ecclesiæ. Si non inveniat ita esse, recurrat sacerdos ad archidiaconum vel episcopum. Item quæratur cujus officii sit, si sit mercator, masculus, vel fœmina. Videat quod pondus & pondus non habeat, mensuram & mensuram: & si falso mensuraverit, tenetur reddere vel restituere illi quem decepit, per manum sacerdotis. Si illum non cognoscit, detur judicio ecclesiæ.

A laicis generaliter quærendum est de decimis: quia si male decimant decimas quæ quæsitæ sunt, debent a rectore ecclesiæ petere veniam per se, vel per alium, si erubuerint per se. A militibus maxime quærendum est, & ab illis qui sub se habent familias, videlicet pauperes servos, si aliquid ab eis habuerint injuste, quia debent eis restituere. Sive vero fuerit solutus, sive conjugatus, quærendum est de septem criminalibus peccatis; & secundum quod continetur in scripto de illis peccatis procedendum est: & circa nullam personam omittatur quin præcipue quæratur de falso testimonio.

Circa mulieres, maxime de veneficiis & sortilegiis. Circa solutos quærendum est, si vellint vivere continenter, quousque conjugatas: alioquin non valet confessio. Et similiter quærendum est a conjugatis de peccatis carnis quæ commiserint ante matrimonium: & dicendum est de illis, quod secundum debitum naturæ debent propriis uti uxoribus, alioquin peccant in matrimonio. Circa lubricum carnis hoc modo breviter fiat inquisitio. Aut sciviſti illam ad quam accessisti esse solutam, aut nescivisti. Si sciviſti, major pœnitentia injungenda est: si nescivisti, tunc minor injungenda est. Quia forte potuit esse conjugata, monialis, affinis, aut a parentibus cognita. Item meretrices se supponere leprosis, & ita potuit esse periculum in partu & in proprio corpore.

Item quærendum est de numero personarum, & de vicibus, si habeantur in memoria. Item si cum viduis, quæ sunt ecclesiasticæ personæ. Si cum virginibus, si cum conjugatis, si cum monialibus. Tunc quærendum est si fuerit monialis benedicta; & tales mittantur ad episcopum, quia episcopus omnes qui habent processus ad tales, solet excommunicare. Si forte noluerit ire ad episcopum, eat sacerdos, & habeat authoritatem ejus. Item si ad consanguineas vel affines, quæratur in quo gradu, in remoto vel propinquo. Si in puerperio, vel in menstruo sanguine, ubi est periculum propter prolem, quia ex corrupto semine nascitur corruptus fœtus. Item, si cum muliere propinqua partui, quia tunc est periculum; posset enim partus interfici.

Item, si cum masculis, si cum jumentis. Et hæc pœnitentia injungatur: qui cum jumentis, præter alia, quæ debent injungi, quod nunquam edant de carne illa. Et ut breviter concludam: A quocumque modo semen emittitur, non dormiendo, nisi cum propria uxore, & hoc fiat legitime secundum exigentiam naturæ, mortale peccatum est, & secundum diversitates circumstantiarum, diversæ sunt injungendæ pœnitentiæ.

Non oportet omnes istas inquisitiones circa omnes facere, sed secundum quod Deus inspiraverit, sacerdos debet inquirere. Sit autem unum generale, quod consentientes mortalibus peccatis, quæcumque sint illa, mortaliter peccant: quamvis non ita graviter aliquando, sicut facientes. Sed si competit restitutio, consentiens in dampum debet restituere: & consentiens fornicatori, sive masculus, sive fœmina, puniri debet, tanquam pro mortali peccato.

Circa ebrietatem & crapulam quærendum est. Circa crapulam attenduntur istæ circumstantiæ.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Præpropere, ut filius Saulis Jonathas, quando ante horam comedit, & ideo graviter peccavit. *Laute*, ut Judæi in deserto, qui petierunt carnes a Domino, non contenti manna. *Nimis*, ut Sodomitæ, quorum peccatum fuit abundantia panis. *Ardenter*, ut Esau, qui vilem rem, scilicet, lenticulam, nimis ardenter comedit: in tantum, quod propter illam vendidit primogenita sua. *Studiose*, ut filii Heli, qui nimium apparatum fecerunt circa cibos suos.

Hæc vitanda sunt omni tempore, sed præcipue in Quadragesima. Ebrietas, ubi fuerit assueta, mortale peccatum est. Unde Apost. *Ebriosi non possidebunt regnum Dei*: id est, consueti ebrietati. Eum etiam judicant sapientes *1. Cor. 6*

ebrium

——brium, qui propter exceſſum potus incurrit perturbationem capitis ſive ſenſuum ſenſibiliter: immo dicunt quidam quod etiam in caſu unica ebrietas eſt mortale peccatum, quo aliquis, ex deliberatione pluſquam ex recreatione naturæ, immo potius credit gravare naturam, ſumit cibum cum exceſſu immoderato. Iſtud autem non audeo definire. Et notandum, quod quilibet exceſſus circa licita non eſt mortalis, ſed immoderatus vel frequens. „ Unde Auguſtinus in libro confeſſionum: Quis eſt qui „ metas neceſſitatis non excedat aliquando? Si „ quis eſt: magnus eſt, magnificet Deum. Ego „ non ſum talis homo, peccator ſum. " Generaliter in omni profeſſione conſiderandæ ſunt iſtæ circumſtantiæ quæ notantur per hunc verſum.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Quis? cujuſmodi perſona, ſi clericus, vel laicus. Si clericus, utrum regularis, vel ſæcularis; ſi in dignitate conſtitutus, vel extra; ſi in ſacris ordinibus, vel extra; ſi religioſus, cujus profeſſionis ſit; ſi juvenis, vel ſenex; ſi ſervus, vel liber. *Quid?* conſiderandum eſt genus peccati. Utrum fornicatio ſimplex, vel adulterium, vel inceſtus: vel in clericis, quia genus peccati maxime aggravat quantitatem peccati. *Ubi?* in quo loco? ſacro, vel non ſacro? *Quibus auxiliis?* quibus conſentientibus, impellentibus? Utrum tantum propria voluntate, vel alieno conſilio, vel monitione? Utrum caſu, vel deliberatione? Multa enim alia poſſunt inquiri hic. *Cur?* propter quem finem? Solet autem diſtingui triplex finis: utile, honeſtum, delectabile. Multi committunt peccatum propter utilitatem: multi propter delectationem; nullus poteſt committere peccatum propter honeſtatem. *Quomodo?* modi diverſi attenduntur, ſecundum diverſa genera peccatorum. De quibus modis, ſatis patet circa lubricum carnis, per ea quæ dicta ſunt, & ibi maxime neceſſaria eſt inquiſitio. *Quando?* in quo tempore? utrum extra Quadrageſimam, vel in Quadrageſima? utrum diebus feſtivis, vel profeſtis; & ſi in diebus feſtivis, puta in magnis feſtivitatibus, tunc eſſet competens pœnitentia, ut vigilia feſtivitatis illius jejunet in pane & aqua, maxime ſi peccaverit in lubrico carnis.

Circa perſonam clerici proceedendum eſt. Quærendum eſt, an fuerit de legitimo matrimonio, & liberæ conditionis: & in quo ordine ſint, & quomodo receperint ordines, utrum legitime, vel furtive, vel ſimoniace: item ſi a ſuis epiſcopis propriis. Si furtive receperint, epiſcopus poteſt diſpenſare cum illis, niſi ſic dixerit: Inhibemus, ſub pœna excommunicationis, ne aliquis accedat ad ordines, niſi legitime præſentatus. In hoc ſolo caſu reputat Innocentius tertius eſſe excommunicationem: in aliis comminationem. Et ideo non poteſt epiſcopus diſpenſare, nec cum ſimoniaco, ſed ſolus papa.

Quæritur a clerico, ſi propter Deum datum fuerit ei beneficium: & ſi propter Deum tenet, & pro ſalute animarum. Si non ita purget animum; & ſi ſine ſimonia ingreſſus eſt, teneat illud: timeat tamen.

Sequitur de ſatisfactione. Quia pœnitentiæ arbitrariæ ſunt, non diffinimus vobis aliquas certas pœnitentias, quas debetis injungere. Hoc tamen ſciatis, quod ſatisfactio conſiſtit in tribus præcipue: in jejunio, oratione, & eleemoſyna. Oratio eſt quaſi avis, quæ volat in altum, ſi habet iſtas duas alas, eleemoſynam & jejunium. Jejunium valet contra omnia carnalia vitia, & debet injungi pro carnalibus peccatis: oratio pro ſpiritualibus. Unde Hieronymus: Jejunio, ſanantur peſtes corporis; oratione, mentis peſtes; eleemoſyna valet ad omnia. Unde, *Redime eleemoſynis peccata.* Et hoc debet injungi pro omnibus peccatis. Videatis ergo ne ſitis inſipientes medici, qui putant uno collyrio omnes morbos curare. Non ſanat oculum, quod ſanat calcaneum. Immo, ſicut exhibuimus membra noſtra ſervire iniquitatibus ad iniquitatem: ita exhibeamus corpora noſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Verbi gratia: ſi aliquis peccavit per os, falſo placitando, vel falſo jurando, injungatur ei oratio, & quod defendet pauperes in cauſis honeſtis, contra quos deliquit. Item ſi peccavit retinendo, injungatur ei largitio eleemoſynarum: ſi peccavit male pugnando contra innocentes, injungatur ei, quod pugnet contra nocentes; ſcilicet Saracenos, & hæreticos. Si peccavit per renes, injungatur ei, quod adſtringatur zona pellicia circa lumbos ejus, & jejunet, & ſubtrahatur pabulum luxuriæ: & ita de omnibus aliis. Et quia generale vitium eſt gulæ, ſemper aliquid de jejunio indicatur.

Item ſemper quæratur ab omnibus, ſi ſint excommunicati, vel propter incendium, vel propter percuſſionem alicujus religioſæ perſonæ. Sunt autem caſus, in quibus non incidunt in canonem, ſi percutiant: ſi minor fuerit, qui percutit; ſi jocoſe; ſi prælatus vel magiſter corrigendo; ſi omnino depoſitus percutiatur; ſi vis vi repellatur incontinenti, cum moderamine inculpatæ tutelæ; ſi cum ſorore, matre, filia, uxore turpiter inveniatur, ſi ignoret eſſe clericum, ſi fuerit apoſtata, ſi negotiator perſonarum eccleſiaſticarum, ſæcularium procurationem gerens: ſi perturbatorem Divini officii clericum ab eccleſia expellat; ſi mandato prælati hæc faciat, ſi ferat arma in contumeliam ordinis clericus percuſſus. Hic eſt tamen diſtinctio facienda.

Item in iſtis caſibus percuſſor clerici ab aliis abſolvitur, quam a Papa. Si oſtiarius, non malignando clericum læſerit. Si percuſſor ſenex fuerit, mulier, impotens, cæcus pauper, claudus. Si propter inimicitiam, vel aliam cauſam adire papam non poteſt. * Ita cum iſtis caſibus ceſſantibus, adeat papam. Item in articulo mortis. Item ſi clericus clericum leviter percuſſerit. Item ſi ſervus in fraudem clericum percuſſerit, vel ſe ſubtrahat ab obſequio domini ſui, vel ſi ipſe dominus propter carentiam ejus incurrat damnum.

Valetudinarii etiam poſſunt abſolvi ab alio, præſtita cautione, quod ſanitate habita, adibunt papam. Item vitandi ſunt excommunicati, maxime in quinque, id eſt, menſa, oratione, ſalutatione, oſculo pacis, in colloquio.

De iis qui non pœnitent, ad excommunicationem. Quatuor ſunt quæ a comitantibus excommunicatis, excommunicationem excludunt: neceſſitas, pietas, utilitas, & ignorantia. Neceſſitas duplex, domeſtica vel adventitia. Domeſtica, ut in perſonis illis, quas excipit Gregorius cap. XI. & qu. 3.

Quoniam multos, peccatis noſtris exigentibus, pro cauſa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim nimia ſimplicitate, partim timore, partim neceſſitate:

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

Dan. 4.

* *Forte ita quod. H.*

ANNO CHRISTI 1237.

te: devicti misericordia, anathematis sententiam, ad tempus, prout possumus, temperamus. Apostolica itaque authoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus: videlicet uxores, filios, servos, ancillas, seu mancipia: necnon rusticos & servientes, necnon & omnes alios, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur: & eos qui ignoranter excommunicatis communicant, sive illos, qui communicant cum illis, qui excommunicatis communicant. Quicumque autem, vel viator, vel orator, aut peregrinus, in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere, vel non habeat unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis, non ostentatione superbiæ, sed humanitatis causa, dare aliquid voluerit, non prohibemus.

Pietas, in eo quod periturus nostro servatur beneficio: utilitas, ut si ad sanctificationem moneantur, & de his, quæ adhuc suffragantur, cum eis tractatur: Ignorantia probabilis, non supina. Unde quidam, utile, * uxor, servus, lex, humile, res ignorata, necesse. Hæc omnia dicta sunt sine præjudicio sententiæ sanioris.

CONCILIUM LONDONIENSE

AUTHORITATE OTTONIS LEGATI SEDIS APOSTOLICÆ

Pro reformanda ecclesia Anglicana celebratum, postridie octavarum S. Martini, anno Domini MCCXXXVII. tempore Gregorii papæ IX.

Matthæus Paris. ad ann. MCCXXXVII. Eodem, *inquit*, anno, nesciebatur ad quid, circa festum apostolorum Petri & Pauli, dominus Otto S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis, per mandatum Regis venit legatus in Angliam, nescientibus regni magnatibus. Unde plures adversus Regem magnam conceperunt indignationem, dicentes: Omnia Rex pervertit: jura, fidem, promissa, in omnibus transgreditur. Nunc enim matrimonio se, sine amicorum & hominum naturalium consilio, alienigenæ copulavit: nunc legatum, regni totius immutatorem, clam vocavit: nunc sua dat, nunc data cupit revocare. Sic, sicque de die in diem, juxta dictum evangelicum, in se divisum & dissipatum regnum, est enormiter desolatum. Dictum est autem, quod archiepiscopus Cantuariensis Edmundus Regem talia facientem increpavit, præcipue de vocatione legati, sciens inde in suæ dignitatis præjudicium, magnam regno imminere jacturam. Sed Rex, spreto tam suo quam aliorum consilio, quod concepit animo, nullatenus voluit propositum revocare. Venit igitur in magno apparatu legatus prænominatus, & potentia magna: & occurrerunt ei episcopi & clerici famosi usque ad littus, & aliqui in naviculis navigando obviarunt ei, applaudentes, & munera impretiabilia offerentes: immo etiam Parisiis in obviam ei, obtulerunt telas escarleti, & vasa pretiosa, nuncii diversorum episcoporum. In quo facto, nimis a multis meruerunt reprehendi, tum pro dono & pro dandi modo: quia in panno & ejus colore videbatur legationis officium & adventum acceptari. Adveniens autem munera oblata omnia non accepit, sed aliqua: sed quæ non recepit, jussit sibi reservari. Redditus autem vacantes, suis, quos secum adduxit, dignis & indignis largiter distribuit. Rex autem ei usque ad confinia maris occurrit, & inclinato ad genua ejus capite usque ad interiora regni deduxit officiose. Et adventantes episcopi cum abbatibus & aliis ecclesiarum prælatis, eum cum omni honore & reverentia, cum processionibus & campanarum classico, & pretiosis muneribus, ut decuit, & plus quam decuit, receperunt.

Dominus autem Otto legatus, de quo superius mentio facta est, prudenter ac modeste se gerens, munera pretiosissima sibi oblata in magna parte respuens contra consuetudinem Romanorum, indignationem in toto regno conceptam, tam a clero quam militia, citra opinionem multorum, per gestum suum ordinatum temperavit. Primo enim quosdam magnates, ex quodam odio latenter concepto, sibi discordes, pacificavit, & indice oculo in bona fide confœderavit, utpote dominum Petrum episcopum Wintonientem, & dominum Hubertum comitem Cantiæ, & Gilbertum Basset, Stephanum de Segrave, Richardum Sward, & alios quamplures diu ante sibi diffidentes. Quod odium fere in lamentabile judicium proruperat in torneamento commisso apud Blie, in initio Quadragesimæ eodem anno, ubi se Australes Norensibus oppositerunt contrarios: sed tandem prævalentibus Australibus, capti sunt ex aliis viri magni, & commissum est non hastiludium, sed hostile bellum. Inter omnes tamen strenuissime se habebat comes Begod. Quos postquam domini legati pacificavit industria, omnibus prælatis Angliæ scripsit, ut in octavis S. Martini Londoniis convenirent; authenticum domini papæ, de plenaria potestate legationis sibi concessa vel tradita, communiter in ecclesia S. Pauli audituri, & in eadem communiter de reformatione ecclesiæ Anglicanæ tractaturi, & in præsentia ejus concilium celebraturi.

Rex tam ejus, idest comitis Cornubiæ, quam aliorum naturalium hominum suo spreto consilio, magis ac magis, ut incœpit, deliravit, & se voluntati Romanorum, præcipue legati quem inconsultius advocaverat, mancipavit: adeo ut videretur quasi vestigia sua adorare, affirmans se tam in publico quam in secreto, sine domini sui Papæ, vel legati consensu, nihil posse de regno disponere, transmutare, vel alienare: ut non Rex, sed feudarius Papæ diceretur. His igitur & aliis deliramentis, Rex omnium nobilium suorum corda cruentavit. Consiliarios quoque habuit infames & suspectos, qui hujus rei fomentum esse dicebantur, quos idcirco magis habebant nobiles Angliæ exosos, quia de regno ipso duxerunt originem.

Et

ANNO CHRISTI 1237.

Et hi erant Joannes comes Lincolniæ, S. comes Legriæ, frater G. Templarius.

Interim domino legato offerebantur dona prætiosa, tam in palefridis concupiscibilibus, quam vasis pretiosis, & vestimentis mollibus & duplicibus, pellibus variis & silvestribus, nummis, esculentis, & poculentis: ita quod unus solus, episcopus scilicet Wintonienſis Petrus, cum constaret ei quod Londoniis esset hyematurus, quinquaginta boves pascuales, & centum summas tritici electi, & octo dolia vini meraciſſimi, transmisit ei in alimentum. Alii quoque secundum vires & facultates suas, ei similia contulerunt. Legatus vero Romanam avaritiam temperando, non omnia, sed aliqua oblata sereno vultu suscepit gratanter, considerans illud Senecæ philosophicum: Omnia oblata recipere, avarum est; nulla, rebelle; aliqua, sociale.

Et paulo post. Eodem quoque anno scripsit Rex omnibus magnatibus suis, ut coram eo & dom. Legato in festo Exaltationis sanctæ Crucis apud Eboracum convenirent, de arduis negotiis regnum contingentibus tractaturi. Venerat autem eis obviam rex Scotiæ vocatus a Rege Angliæ & legato apud Eboracum, ut ibi, habita communi deliberatione de pace reformanda inter eos, feliciter componeretur, & Dei dante gratia, omnis lis mota prævia ratione sedaretur, & de juste utrique debitis satisfieret. Ubi tandem cum perveniſſent, sic elaboratum est, ut rex Scotiæ perciperet de regno Angliæ trecentas libratas terræ sine castri constructione, homagiumque regi Angliæ faceret, & fœdus inter eos amicitiæ sanciretur: & hoc se fideliter facturum regi Angliæ, & conservaturum juraret: & sic omnis querela & vindicatio ex parte regis Scotiæ conquiesceret.

Volenti autem domino legato intrare regnum Scotiæ, ut ibi de negotiis ecclesiasticis tractaret, sicut in Anglia, respondit rex Scotiæ: „ Non me memini legatum in terra mea vi-„ disse, nec opus esse aliquem esse vocandum, „ Deo gratias: nec adhuc opus est, omnia „ bene se habent. Nec etiam tempore patris „ mei vel alicujus anteceſſorum meorum, vi-„ sus est aliquis legatus introitum habuisse: „ nec ego, dum mei compos fuero, tolerabo. „ Verumtamen, quia fama te sanctum virum „ prædicat, moneo te, ut si forte terram meam „ ingrediaris, caute progrediaris, ne quid sini-„ stri tibi contingat. Indomiti enim & silve-„ stres homines ibi habitant, humanum san-„ guinem sitientes, quos nec ego ipse valeo „ edomare, qui etiam si in vos irruant, ne-„ queo eos cohibere. Me etiam nuper, ut forte audistis, voluerunt invadere, & a regno „ expellere exhæredatum. „ Quibus auditis, legatus avidam voluntatem intrandi Scotiam temperavit, & latera Regis sui, scilicet Angliæ, sibi per omnia obedientis, non reliquit. Remansit tamen cum rege Scotiæ quidam Italicus legati consanguineus, quem Rex cingulo militari, terram etiam conferendo, ne penitus rebellis videretur, nobilitavit. Et sic soluto concilio regio rex Angliæ cum legato suo, versus australia remeavit.

Appropinquante vero tempore concilii, jussit sibi legatus sedem parari in occidentali parte ecclesiæ sancti Pauli Londoniis, fastigiosam nimis & solennem, longis trabibus & sedilibus gradatim exaltatam. Misit igitur litteras suas, ut vocati omnes Angliæ prælati, scilicet archiepiscopi, episcopi, abbates, priores installati; tam sub conventus sui, vel capituli, quam suo nomine, litteras procuratorias deferentes, ut quicquid in concilio statueret legatus, ratum utrobique haberetur. Venerunt igitur omnes juxta mandatum domini legati, nimis vexati & fatigati in corporibus propriis, equorum, & viaticis, utpote ingruente hyeme & multiformi tempestate, omnes prælati suæ legatiæ, Angliæ tamen potissime.

Et post descriptionem validissimæ tempestatis, quæ legatus & totum concilium vehementius essent territi. Cum igitur, *inquit*, convenissent Londoniis prælati Angliæ, in ecclesia sancti Pauli, die prima concilio assignata, scilicet in crastino octavarum S. Martini, non comparuit legatus quia episcopi rogaverant eum, ut ea die daretur eis copia inspiciendi quæ proposuit statuere, & secum super his deliberare, ne aliquid in præjudicium eorum statuere attentaret. Altera igitur die constitutis in secretis & abditis locis militibus armatis & servientibus circiter ducentis, quos ad instantiam precum suarum dominus Rex commodaverat: timebat enim valde sibi, eo quod dicebatur, eum nimis velle desævire in eos qui plura habebant beneficia, & præcipue illegitimos. Apparuit autem summo mane, scilicet diluculo, in ecclesia prædicta: erat autem ibi tot expectantium multitudo tam compressa, quod ipsi legato ingressus erat difficillimus. Et ingressus ecclesiam, coram majori ecclesia pontificalibus se induit: scilicet superpellicio & desuper cappa chorali, pellibus variis furrata, & mitra, & præsedentibus archiepiscopis Cantuarienſi & Eboracenſi eum, cum processione solenni, cum cruce & cereis accensis, & cum litania, sedem suam ascendit per gradus pompose, ut dictum est, præparatam: & jam pomposius tapetis & pallis redimitam, collocante se a dextris domino Cantuarienſi, & Eboracenſi a sinistris: propter quod orta est inter eos dissensio, scilicet de ordinatione sessionis. Et appelatum est ex parte Eboracenſis, pro jure suo, quod sibi vendicabat. Lecto igitur solenniter evangelio, scilicet: *Ego sum pastor bonus*, sicut moris est, dictisque collectis propriis ab ipso legato, & cantato *Veni creator spiritus*, appellatoque ab Eboracenſi, ut dictum est, sederunt juxta legatum duo archiepiscopi, Cantuarienſis a dextris, Eboracenſis a sinistris. Quibus dixit legatus, volens ipsam controversiam pacificare, neutrius tamen juri derogando: In bulla domini papæ stat imago Pauli a dextris crucis in medio bullæ figuratæ, & Petri a sinistris, nulla tamen inter tantos sanctos est orta unquam contentio, ambo enim sunt in coæquali gloria. Verumtamen propter Petri clavigeri dignitatem, cum prioratu vocationis, merito a dextris crucis ejus imago collocanda videtur. Sed quia Paulus credidit in Christum, quem non vidit, a dextris figuratur; *Beati enim qui non viderunt*, &c. Sic dominus Cantuarienſis, totius Angliæ primas, & qui præest antiquissimæ ac nobilissimæ ecclesiæ Cantuarienſi, necnon & Londonenſi, quæ est S. Pauli, non sine ratione a dextris est collocandus. Et ex tunc sequentibus diebus sedit Cantuarienſis a dextris, Eboracenſis a sinistris. Secundo autem die, concilio jam incœpto, missi sunt ex parte domini Regis comes Lincolnienſis Joannes, & Joannes filius Galfridi, & Williel-

Joan. 20.

ANNO CHRISTI 1237.

lielmus de Ræle, canonicus S. Pauli, ut dicto legato ex parte Regis & regni inhiberent, ne ibi contra regiam coronam & dignitatem aliquid ſtatuere attentaret. Et remanſit ibi, ut hoc obſervaretur, Willelmus de Ræle, indutus cappa canonicali & ſuperpellicio, alii recedentibus. Eodem quoque die petiit dominus Simon Cantuarienſis archidiaconus, dominum legatum in audientia omnium, ut audiretur ab omnibus authenticum ſuæ legationis, a domino Papa ſibi commiſſum: quod & factum eſt. Et eodem die, ad impetrationem domini Regis, lectum fuit quoddam privilegium, de feſtivitatibus S. Eduardi, per totam Angliam celebrandis: & de mandato domini Papæ, de ſanctis Franciſco & Dominico canonizatis. Et quia audierat dominus legatus, dum adhuc in hoſpitio ſuo eſſet, multos pluribus eccleſiis beneficiatos, nobiles ſanguine & poſſeſſionibus, & illegitimos, de quibus mentionem in quodam ſtatuto concilii fecerat, contra ipſum murmuraſſe, & ei etiam inſidias præparaſſe: quoſdam magnates, ſcilicet comitem mareſcallum G. & comitem Lincolniæ I. & comitem de Monteforti S. & quoſdam de familia domini regis, cum gladiis & fuſtibus munitos, ad tuitionem ſui ſuorumque ſecum ad concilium duxit & reduxit. In concilio vero, cum ſtatutum contra eos qui plura beneficia obtinuerunt contra concilium Lateranenſe, pronunciaretur: epiſcopus Wigornienſis, Walterus ſcilicet de Cantelupo, ſurgens in medio, depoſita mitra ſua, ſic dominum legatum eſt affatus: „ Pater ſancte, „ cum multi nobiles, quorum ſanguis noſter „ eſt, plura obtineant beneficia, cum quibus „ nondum diſpenſatum eſt, quorum etiam ali„ qui provectæ ſunt ætatis, & uſque ad præ„ ſens honorifice vixerunt, & hoſpitalitatem „ ad poſſe procurando, eleemoſynas patenti„ bus januis errogarunt: durum eſſet nimis, ta„ les ſuis beneficiis ſpoliatos, in ignominioſam „ tradi paupertatem. Quidam vero juvenes fe„ roces ac ſtrenui, maximis periculis ſe oppo„ nerent, antequam ſuis ſe ſinerent privari „ beneficiis, unico tantum retento: quod be„ ne perpendo per memetipſum. Antequam „ enim ad iſtam vocarer dignitatem, propoſui „ in animo, quod ſi unicum amitterem bene„ ficium, talis prætextu conſtitutionis, omnia „ amitterem. Unde timendum eſt, quod mul„ ti ad præſens in ſimili propoſito perſeverent. „ Quoniam igitur multitudo talium in cauſa „ eſt, ſanctæ paternitati veſtræ ſupplicamus, „ quatenus ob ſalutem veſtram & noſtram, ſu„ per hujuſmodi ſtatuto dominum papam con„ ſulatis. Præterea, cum ſtatutum veſtrum in „ religione S. Benedicti, ad omnes æqualiter „ ſe extendat; & durum ſit multis, tum pro„ pter locorum penuriam, & præcipue monia„ libus, cum ſint debiles & fragiles, hoc ſta„ tutum obſervare: neceſſum eſt huic rigori „ diſcretum addere temperamentum. Super quo „ etiam poſtulamus, ut dominum papam ſu„ per his velitis conſultare.„ Cui dominus legatus reſpondit: Quod ſi omnes prælati, ſcilicet iſti præſentes archiepiſcopi, & epiſcopi, una cum eo, ſuper his domino papæ ſcriberent, libenter conſentiret.

Et ſciendum, quod, quia aliqui opinabantur, ſicut datum fuit intelligi domino legato, quod ſtatuta ſua robur niſi tantum in tempore ſuæ legationis non obtinerent, juſſu ejuſdem ſurrexit in medio quidam clericus ſuus, magiſter ſcilicet Attho, & aperto libro authentico, ſcilicet regiſtro domini papæ, ad majorem authoritatem, ut validius talem opinionem improbaret, quandam decretalem legit diſtincte & aperte, quam dominus legatus diſtinguens approbavit: per illam aſſerens manifeſte, quod etiam poſt receſſum ejus, ſua ſtatuta perpetuæ firmitatis robur debeant obtinere. Nec prætereundum, quod primo die concilii collocatis (ut prædictum eſt) archiepiſcopis, Cantuarienſi ſcilicet a dextris, Eboracenſi vero a ſiniſtris, perlectoque evangelio, *Ego ſum paſtor bonus*, *Joan. 11.* dictiſque collectis ad hoc pertinentibus, indictoque ſilentio, & turba comprimente caſtigata, dominus legatus ſedendo, quaſi tubam vocem ſuam exaltans, ſermonem ſuum inchoavit, thema ſuum ſic præordinando: *In medio ſedis & in circuitu ejus quatuor animalia plena oculis ante & retro*. In ſermone proſequendo *Apoc. 4.* innuens, quod prælati, quaſi animalia habentia oculos ante & retro, debent eſſe in rerum ſæcularium diſpoſitionibus providi, & in ſpiritualibus circumſpecti, priora ſequentibus caute continuantes. Et poſt ſermonem legi fecit ſtatuta, alta voce & diſtincte, quæ firmiter ſtatuit obſervari, quæ ſubſcripta in hoc libro duximus annotari.

DECRETA CONCILII.

Tituli Capitulorum.

1. *De eccleſiarum dedicatione.*
2. *De ſacramentis eccleſiaſticis.*
3. *De baptiſmo.*
4. *De arcenda avaritia ſacerdotum.*
5. *Qui confeſſores conſtituendi.*
6. *De qualitate ordinandorum.*
7. *De firmariis & vicariis eccleſiarum.*
8. *Qualiter eccleſiæ ad firmam dandæ.*
9. *De eodem.*
10. *Qui vicarii ordinandi.*
11. *Ne leviter eccleſia abſentis alteri conferatur.*
12. *Ne eccleſia una in plures vicarias dividatur.*
13. *De reſidentia in eccleſiis facienda.*
14. *De habitu clericorum.*
15. *Contra rectores eccleſiarum clandeſtina matrimonia contrahentes.*
16. *De clericis concubinariis.*
17. *De his qui patribus ſuccedunt in eccleſiaſticis beneficiis.*
18. *Contra latronum protectores.*
19. *De eſu carnium monachorum.*
20. *De officio archidiaconorum.*
21. *Ne quid exigatur pro pace reformanda.*
22. *De officio epiſcoporum.*
23. *Contra judices imperitos.*
24. *De jurejurando calumniæ.*
25. *De procuratoribus conſtituendis.*
26. *Quomodo fieri debeant citationes.*
27. *Ne quis ſigillum ſuum apponat litteris quarum confectioni non interfuit.*
28. *Qui debeant habere ſigilla authentica.*
29. *Juramentum ab advocato præſtandum.*
30. *De actis ſcribendis.*
31. *De cautione præſtanda.*

PRÆ-

PRÆFATIO. (a)

QUoniam domum Domini decet ſanctitudo & miniſtros ejus, a Domino enim dicitur: *Sancti eſtote, quoniam ſanctus ſum ego Dominus Deus veſter*: ſatagit aſtutia humani generis inimici ut ſanctitatem ſubtrahat vel deſtruat ubique, dum in pleriſque locis, & ne conſecrentur eccleſiæ (b) vel retardat, & ne ſuo digne fungantur officio, miniſtrorum mores & vitam multorum vitiat & depravat, ſanctorum patrum regulis & ſtatutis, generaliterque omnibus Chriſtianæ religionis profectibus ſe opponendo. Huic eſt igitur armata manu a cunctis Chriſti fidelibus fortiter in fide reſiſtendum, & ad ejus molimina renovatis & novis ſemper utendum viribus enervanda: ſicut Iſaac puteos, quos foderant filii Abrahæ, ſed humo impleverant Palæſtini, prius ſtuduit renovari, deinde alios fodere prorſus novos. Denique nos Otto, miſeratione Divina ſancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis, & apoſtolicæ ſedis legatus, ad partes Angliæ cum legationis officio a ſede apoſtolica deſtinati, divino ſulti auxilio, & aſtantis concilii ſuffragio & conſenſu[s], ad roborandum & reformandum ſtatum eccleſiaſticum in partibus Anglicanis, ſalvis aliis canonicis inſtitutis, quæ cum reverentia voſumus & cupimus obſervari, quædam ex commiſſa nobis poteſtate duximus (c) obſervanda, quæ per certos articulos fecimus digeri & diſtingui.

CAPITULA.

(d) *I. De eccleſiarum dedicatione.*

BAſilicarum dedicatio a veteri teſtamento initium dignoſcitur habuiſſe, & in novo eſt a ſanctis patribus obſervata: in quo eſt eo dignius & ſtudioſius facienda, quo in illo tantum offerebantur hoſtiæ animalium mortuorum, in iſto vero cœleſtis hoſtia viva & vera, ipſe ſcilicet unigenitus Dei Filius, in altari offertur pro nobis manibus ſacerdotis. Quare ſtatuerunt provide ſancti patres, ne in aliis locis, quam Deo dicatis, niſi neceſſitatis cauſa, celebraretur officium tam ſublime. Porro quia vidimus per nos ipſos, & a pleriſque audivimus, tam ſalubre miniſterium contemni, vel ſaltem negligi a nonnullis, dum multas invenimus eccleſias, & etiam cathedrales, quæ licet ſint ab antiquo conſtructæ, nondum tamen ſunt conſecratæ oleo ſanctificationis: volentes huic periculoſæ negligentiæ obviare, ſtatuimus, & ſtatuendo præcipimus, ut omnes eccleſiæ cathedrales, conventuales, & parochiales, quæ perfectis parietibus ſunt conſtructæ, infra biennium, per diœceſanos epiſcopos ad quos pertinent, vel eorum authoritate per alios, conſecrentur: ſicque infra ſimile tempus fiat de cetero conſtruendis. Et ne tam ſalubre ſtatutum tranſeat in contemptum, ſi loda hujuſmodi non fuerint infra biennium a perfectionis tempore dedicata: a Miſſarum ſolenniis uſque ad conſecrationem manere ſtatuimus interdicta, niſi aliqua rationabili cauſa excuſentur. Ad hoc ne præſumant abbates, eccleſiarum rectores, antiquas eccleſias conſecratas, ſub prætextu pulcrioris vel amplioris fabricæ faciendæ, diruere abſque licentia diœceſani epiſcopi & conſenſu, præſenti ſtatuto diſtrictius inhibemus. Diœceſanus vero diligenter conſideret, utrum expediat dare licentiam vel negare: & ſi dederit, attendat & intendat, ut opus quam celerius poterit conſummetur: quod extendi ſtatuimus & volumus ad jam cœpta. De (e) capellanis vero minoribus nil novi duximus ſtatuendum. Conſecrationes earum, qualiter & quando fieri debeant, definitionibus canonicis relinquentes.

II. De Sacramentis eccleſiaſticis.

Sacramenta eccleſiaſtica, in quibus tanquam in vaſis cœleſtibus ſalutis remedia continentur, necnon oleum ſanctificatum & chriſma, a miniſtris eccleſiæ pure atque devote, qualibet excluſa cupiditatis labe, ſtatuimus & ſtatuendo præcipimus exhiberi, nulla difficultate in eis adhibita exhibendis, prætextu conſuetudinis alicujus, qua dicantur ab eis qui ea recipiunt aliquibus aliqua perſolvenda. Sacramenta vero principalia, quæ ſunt, & quot, propter ſimpliciores duximus exprimenda. Sunt enim baptiſmus, confirmatio, pœnitentia, euchariſtia, extrema unctio, matrimonium, atque ordo: de quorum quolibet in ſacris canonibus eſt tractatum, & plenius ordinatum. Sed quia non eſt leve (f) canonum * gyrare & ignorare medico medicinale officium, (g) minus grave: ſtatuimus, ut in ſuſceptione curæ animarum & ordinis ſacerdotii examinentur de his præcipue ordinandi. Archidiaconi quoque in decanatuum ſuorum conventibus ſacerdotes maxime in his ſtudeant erudire, docentes eos, qualiter circa baptiſmum, pœnitentiam, (h) euchariſtiam, & matrimonium, debeant ſe habere.

* Hic aliquid deeſt.

III.

(a) Variantes hic exhibeo ex nova recenſione ad MSS. Codd. a Wilkins inſtituta. *Manſi.*
(b) Impedit vel deturbat. (c) Statuenda. (d) De conſecratione & reformatione ſtatus eccleſiæ.
(e) capellis. (f) Canonum girare volumina. (g) Nimis grave. (h) *Deeſt* Euchariſtiam.

ANNO CHRISTI 1237.

III. De baptiſmo.

Ad baptiſmum ſolenniter celebrandum duo, ſcilicet ſabbatum ante reſurrectionem Domini, & ſabbatum ante pentecoſten, ſunt a ſanctis canonibus propter myſterium deputata. Sed quidam, ut audivimus, in partibus iſtis diabolica fraude decepti, periculum ſuſpicantur, ſi præfatis diebus pueri baptizentur: quod arbitrari, vel (a) utrumque * metuere, ſanæ fidei penitus adverſatur, & manifeſte convincitur eſſe falſum: cum ſummus pontifex perſonaliter illud myſterium ſolennizet, & diebus baptizet ſolenniter memoratis, & in aliis Mundi partibus ſervet eccleſia illud idem. Quare ſtatuimus, ut a tanto errore prædicatione frequenti populus avertatur, & ad ſolennizandum præfatis diebus baptiſmum, & baptizandum pueros ſuos ſtudioſius (b) meditentur. Statuimus inſuper ut parochiales presbyteri formam baptiſmi firmiter addiſcentes, eam parochianis ſuis frequenter exponant diebus Dominicis in vulgari: ut ſi articulus neceſſitatis emergat, quo ipſos aliquem oporteat baptizare, eam ſciant & valeant obſervare, quæ, utrum ſervata fuerint, inquirant poſtmodum diligenter.

* *f.* utcumque.

IV. De arcenda avaritia ſacerdotum.

Auditu horribili audivimus & relatu, quod quidam, ſcilicet miſeri ſacerdotes, dum forſan in beneficium vicariæ, vel ad firmam, ſeu quacumque alia quæſtus cauſa, proventus ex altari aut ex pœnitentia venientes recipiunt, non aliter admittunt ad pœnitentiam confitentes, niſi prius ab ipſis in ſinu avaritiæ ſuæ quidpiam reponatur: ſicque faciunt de aliis ſacramentis. Quoniam igitur qui talia agunt, regno Dei & beneficio eccleſiaſtico ſunt indigni: ſtatuendo diſtricte præcipimus, ut inquiſitione arctiſſima per epiſcopos de his facta, qui tale aliquid commiſiſſe repertus fuerit, & a beneficio, quod obtinet, removeatur omnino, & ab officio, quod perperam geſſit, perpetuo ſuſpendatur.

V. Qui confeſſores conſtituendi.

Quod in quodam concilio ſtatutum invenimus approbantes, ſtatuimus, ut per quoslibet decanatus prudentes viri & fideles conſtituantur per epiſcopum confeſſores, quibus perſonæ & minores clerici confiteri valeant, qui decanis erubeſcunt confiteri, forſitan & verentur. In eccleſiis vero cathedralibus confeſſores inſtitui præcipimus generales.

ANNO CHRISTI 1237.

VI. De qualitate ordinandorum.

Sacer ordo eo eſt digno dignius conferendus, quo ab ordinato ſacramenta cetera conferuntur. Quare cum periculoſum ſit minus dignos, idiotas, illegitimos, irregulares, (c) & extraneos, aut ſine titulo certo & vero aliquos ordinari: ſtatuimus, ut ante collationem ordinum de his omnibus per epiſcopum indagatio diligens habeatur. Et ne reprobatis, qui fuerint reprobandi, approbatis, clanculo ſe valeant immiſcere reprobati, in examinatione ſcribatur pumerus & nomina approbatorum: & qui ſcripti fuerint, poſtmodum in ordinationis limine perlecta ſcriptura diſcretione ſolicita requirantur, ipſaque ſcriptura apud epiſcopum vel eccleſiam (d) conſervetur.

VII. De firmariis & vicariis eccleſiarum.

Eccleſias dari ad firmas, vel generaliter conſtitui (e) vicarium in eiſdem, noſtra nequaquam volumus auctoritate fulciri. Sed propter infirmitatem multitudinis, quæ in cauſa eſt, ne videamur potius laqueos injicere quam invenire remedia, prohibitionis edictum contra ea emittere formidamus. Quibuſdam tamen moribus ex eis orientibus ad noſtram delatis notitiam occurrere coarctamur. Accidit enim plerumque, ut dum hi qui firmarii appellantur, lucrari plus appetant quam exolvant, turpes exactiones faciunt, quæ interdum etiam cadunt in ſimoniacam pravitatem. Quare ſtatuendo diſtrictius prohibemus, ne dignitates vel officia, puta decanatus, vel archidiaconatus, ſive proventus, ex eccleſiaſticæ vel ſpirituali juriſdictionis exercitio, ſive ex pœnitentia vel altari, ſeu aliis ſacramentis quibuslibet venientes, ad firmam de cetero nullatenus concedantur.

VIII.

(a) vel utcumque. (b) inducantur. (c) illiteratos & extraneos &c.
(d) *Ad* cathedralem. (e) Firmarios.

ANNO CHRISTI 1237

VIII. Qualiter eccleſiæ ad firmam dandæ.

Cum laicis eccleſias dari ad firmas ſit penitus inhoneſtum, & clericis quibuſcumque ad longum tempus, propter continuationem temporis, quæ afferre conſuevit periculum, eccleſiis poſſet eſſe damnoſum: utrumque diſtrictius inhibentes, ſtatuimus, ut nec laicis unquam, nec perſonis etiam eccleſiaſticis ultra quinquennium eccleſiæ ad firmam concedantur, nec finito quinquennio renoventur eiſdem, niſi prius ipſas habuerint alii (a) mediate. Et ut omnia ſint in tuto, præcipimus ut præſentibus epiſcopis vel archidiaconis firmaria fiat conventio: ex qua plures litteræ conſcribantur, quarum una remaneat penes ipſos.

IX. De eodem.

Alicubi audivimus contigiſſe, quod vacante pingui eccleſia, quam quidam optabat habere, nec tamen audebat eam recipere ut perſona, ne aliis ipſo jure beneficiis quæ obtinuit privaretur, callide procuravit ut eccleſia illa ſibi ad firmam perpetuo traderetur, ita quod modicum quid inde ſolveret alii nomine perſonatus, ſibique totum reliquum retineret: quo dante cauſam, edicto ſtatuimus, (b) ut in tota vel in parte ad firmam alicui ſub quocumque colore in beneficium conferatur: caſſum & inane fore penitus decernentes, ſi contra fuerit attentatum.

X. Qui vicarii ordinandi.

Ad vicariam ſtatuimus nullum admittendum, niſi jam presbyterum ordinatum, vel ſaltem diaconum in proximis quatuor temporibus ordinandum, qui renuncians beneficiis aliis, ſi quæ habet curam animarum habentia, juret reſidentiam ibi facere, ac eam faciat continue corporalem: alioquin inſtitutionem illius fore nullam decernimus, & vicariam alii conferendam. Sic (c) eluditur illi dolo, quo ſæpe aſſignato alicui nomine perſonatus modico, ſimulate (d) dabatur illi eccleſia ſub ficto nomine vicariæ, qui timens alia beneficia perdere, metuebat eam recipere ut perſona. De jam inſtitutis vero vicariis, qui non ſunt presbyteri, cum vicarii teneantur (e) perſonis & eccleſiis deſervire, ſtatuendo præcipimus, ut infra annum, ad minus, ſe faciant in presbyteros ordinari: alioquin, ſi per eos ſteterit, quo minus infra annum, ut duximus, ordinentur, eos extunc vicariis eiſdem fore decernimus privatos. Et de reſidentia circa eos ſtatuimus, quod de inſtituendis ſupra diximus ſtatuendum.

ANNO CHRISTI 1237.

XI. Ne leviter eccleſia abſentis alteri conferatur.

Ad elidendum fallacias iniquorum, ſagaci eſt ſtudio laborandum cuilibet juſtitiæ amatori, ne ſi torpeſcat rectorum induſtria, ſimplicitas a verſutia ſupplantetur, & ſuccumbat veritas falſitati. Sane relatione accepimus plurium, quod (f) quidam in abſentis beneficium oculos jacientes, novos fingentes rumores, aſſerunt ſe audiſſe mortuum eſſe, vel beneficium reſignaſſe beneficii poſſeſſorem, ſicque procurant in iſtud beneficium quomodolibet ſe intrudi: & ſi forſitan revïviſcens qui mortuus fuerat ad ſuam eccleſiam revertatur, Neſcio te frater, reſpondeatur eidem, & clauditur janua contra eum. Nonnulli etiam nimia cupiditate cæcati, non ſolum in abſentium beneficium, ſed etiam in præſentium, clanculo irrumpere, vel ubicumque poſſunt, ea invadere, non formidant: &, cum intro fuerint, nec proſunt ſententiæ, nec aliquid quod valeant miti foras, quoniam armorum potentia ſe defendunt. In utroque igitur articulo remedium quale poſſumus adhibentes: ſtatuimus diſtrictius, prohibentes ne prætextu opinionis vel famæ, quæ de morte vel de ceſſione habeatur abſentis, ejus beneficium aliquatenus conferatur: ſed prælatus, donec plenius de alterutro inſtruatur, expectet. Alioquin ad reſarciendum omne damnum ex hoc inflictum abſenti eum fore decernimus obligatum, & illum qui ſe procuravit intrudi, præter reſtitutionem (g) bonorum, officio beneficioque ſuſpenſum protinus ipſo facto: quod & ad illum extendi volumus qui beneficium eccleſiaſticum, altero poſſidente, auctoritate propria, vel potius vi, vel clam, occupare præſumit: vel, poſtquam declaratum fuerit ad alium per-

(a) imediate. (b) ut nulla eccleſia vel præbenda, vel quis alius redditus eccleſiaſticus in toto vel &c.
(c) ſicque illudatur. (d) dabatur alii. (e) in propriis perſonis eccleſiis deſervire.
(f) quiddam presbyteri. (g) damnorum.

ANNO CHRISTI 1237.

pertinere, armis se defendere nititur in eodem.

XII. Ne ecclesia una in plures vicarias dividatur.

Cum ars artium, teste beato Gregorio, sit regimen animarum, non cessat antiquus sophista suæ gyrare (a) molimina fraudis, & in falsæ (b) prætentionis studere fallaciis, quo valeat concludere (c) disciplinis artis, & eos excludere a salute quos imperitos invenerit vel incautos. Hoc est quod faciat transgredi mandata Dei, & sanctorum patrum regulis contraire, dum nec sermo Divinus, nec sanctiones canonicæ, a distorto itinere possunt reducere peccatores. Exigit enim ars nostra catholica, ut unicus & in una ecclesia (d) sit magister perfectus, ordine, habitu, vita, scientia & doctrina, & quod pura sit ecclesiæ ordinatio atque simplex. Sed objectio diaboli multos facit in hoc dogmate deviare, dum interdum eo suggerente non uni tantum una datur ecclesia, sed pluribus, prætextu plurium patronorum, ut sint plura capita in eodem corpore, quasi monstrum. Et interdum consentit persona, quæcumque sit occasio, ut aliquid concedatur alii nomine personatus absque magistro: præterea ecclesia sæpe maneat, dum nec persona in ea, nec saltem vicarius invenitur perpetuus, sed aliquis forte simplex sacerdos, qui nec jus habet, nec etiam juris imaginem in eadem. Et si moram forsitan persona ibi trahat, non est tam perfectus ordine, quoniam non sacerdos; nec habitu, quoniam visus ab aliquo, non clericus, sed miles potius putaretur. De vita, scientia & doctrina, est ei modica, heu! cura. Ordinatio quoque ecclesiæ raro fit simplici oculo, ut deberet: nec enim commenta fraudis diabolicæ desunt ibi. Nam interdum, ut audivimus, (e) alicujus confertur ecclesia, hoc (f) acto tacite vel expresse, quod aliquid ibi retineat instituens vel præsentans, vel aliquam alius ex ea percipiat portionem, qui totum erat forsitan habiturus, nisi juris impotentia, vel metu perdendi alia beneficia, dimisisset. Cedit etiam quis aliquando personatui, & ab instituto inibi recipit postmodum vicariam: quod fieri non præsumitur sine fraude. Has igitur (g) diminutiones & particulares assignationes & mutationes, tanquam arti nostræ contrarias reprobantes, ne de cetero fiant penitus prohibemus: firmiter statuentes ut nunquam deinceps in plures personatus vel vicarias una ecclesia dividatur: & quæ divisæ sunt hactenus, quam citius se facultas obtulerit, integrentur: nisi forsitan sic instituta fuerit ab antiquo, ubi est per loci episcopum providendum, (h) quod causa reditus, quam parochia congruis inter eos portionibus & regionibus. Provideant etiam diœcesani, ut semper apud ecclesiam resideat aliquis qui de animarum cura sit solicitus, ac se in celebratione Divinorum & collatione sacramentorum exerceat utiliter & honeste.

ANNO CHRISTI 1237.

Locus corruptus

XIII. De residentia in ecclesiis facienda.

De residentia vero in ecclesiis a rectoribus facienda, videtur nobis consulendum facto potius quam statuto. Extant enim concilia Romanorum pontificum luce clarius loquentia super eo, propter quod major requiritur executio statutorum, quam edictio sanctionum. Idem quoque per omnia dicimus & sentimus de his qui plures dignitates, personatus, seu beneficia curam animarum habentia, contra constitutionem concilii generalis, absque dispensatione sedis apostolicæ speciali, præsumunt in salutis suæ periculum detinere.

XIV. De habitu clericorum.

Quoniam de habitu clericorum, qui non clericalis videtur, sed potius militaris, grave scandalum laicis generatur: firmiter statuendo præcipimus, ut ad formam, tam de vestibus clericorum, quam de ornamentis equorum, in generali concilio edictam, per subtractionem beneficiorum ab episcopis restringantur, ita quod in mensura decenti vestes habeant, & (i) cappis clausis utantur in sacris ordinibus constituti, maxime in ecclesia, & coram prælatis suis, & in conventibus clericorum & ubique in parochiis suis, qui cum animarum cura ecclesias susceperunt. Et ut possint episcopi alios melius ad honestatem vestium, tonsuram & coronam decentem, equorum & ornamenta idonea coarctare: provideant ut a suis cle-

(a) volumina. (b) positionis. (c) disciplinis hujusmodi artis. (d) sit Sacerdos, alias magister perfectus &c. (e) alicui. (f) pacto. (g) divisiones. (h) ut tam reditus, quam ecclesia congruis inter eos portionibus & regionibus dividantur. (i) cappis & super tunicis. *Notat Anglican. editor* ita legi hanc constitutionem in Statut. Cicestr. an. 1246.

ANNO CHRISTI 1237.

clericis commensalibus hæc prius faciant observari, habentes eos in vestibus, (a) calcaribus, frœnis & sellis, clericalis gerentes habitum honestatis.

XV. Contra rectores ecclesiarum clandestina matrimonia contrahentes.

Innotuit nobis, referentibus plurimis fide dignis, quod multi propriæ salutis immemores, matrimoniis contractis clandestine, retinere cum uxoribus ecclesias, & ecclesiastica beneficia adipisci, & de novo promoveri ad sacros ordines, contra statuta sacrorum canonum, non formidant. Deinde processu temporis, (b) proli susceptæ de tali copula expedire videtur, ipsis viventibus vel defunctis, per testes vel instrumenta probare contracta fuisse matrimonia inter eos. Verum quia per clericos matrimonio seu contubernio intendentes procurari animarum perditio, negligi salus earum, & ecclesiastica diripi, (c) sub morbo, qui multum invaluit, asseritur: sic duximus occurrendum, ut si repertum fuerit aliquos taliter contraxisse, & ab ecclesiis & ecclesiasticis beneficiis, quibus tam eos quam quoslibet uxoratos fore decernimus ipso jure privatos, removeantur omnino: & si quæ bona post hujusmodi matrimonium qualitercumque quæsita fuerint, per ipsos vel submissas personas de bonis eorum, ea nequaquam filiis vel uxoribus hujusmodi, sed ecclesiis quas tenuerunt, vel in quibus habuerunt beneficia, protinus applicentur. Ipsi quoque filii ad ecclesias, & (d) ecclesiasticos ordines, velut inhabiles, nullatenus admittantur: nisi cum eis, exigentibus eorum meritis, fuerit canonice (e) dispensatum.

XVI. De clericis concubinariis.

Licet ad profligandum a laribus ecclesiæ putridum illud turpitudinis libidinosæ contagium, quo decor ecclesiæ graviter maculatur, (f) studuerunt semper ecclesiastici correctores: ipsum tamen tantæ improbitatis existit, ut semper se ingerat impudendum. Nolentes igitur tantam ecclesiæ ignominiam connivencibus præterire oculis incorreptam, statuta Romanorum pontificum, & maxime (g) decreta Alexandri papæ super hoc edita sequentes, statuimus, & & statuendo præcipimus, ut nisi clerici, & maxime in sacris ordinibus constituti, qui in domibus suis vel alienis publice detinent concubinas, eas a se prorsus removeant infra mensem, ipsas vel alias nullatenus de cetero detenturi, ab (h) officio sint suspensi, ita quod usquequo super hoc digne satisfecerint, de beneficiis ecclesiasticis se nullatenus intromittant: aliquin ipso jure ipsis eos decrevimus fore privatos. Volumus quoque & districte præcipimus, ut archiepiscopi & episcopi diligentem faciant super hoc per omnes decanatus fieri inquisitionem, & quod statuimus observari.

ANNO CHRISTI 1237.

XVII. De bis qui patribus succedunt in ecclesiasticis beneficiis.

Licet adeo detestati fuerint sancti patres, quod beneficia ecclesiastica jure possint hæreditario possideri, ut in eis etiam sit interdicta successio sobolis bene natæ: quidam tamen de nefario coitu procreati, pede impudentiæ juris & honestatis auctoritatem calcantes, in beneficia hujusmodi, quæ patres eorum nullo modo tenuerunt, irrumpere, atque ausu temerario detinere non formidant. Hoc igitur nos, qui ad revelandum honestatis ecclesiasticæ casum ad partes istas venimus, attendentes, statuendo districtius prohibemus, & prohibendo statuimus, ut ecclesiarum prælati aliquos tales in beneficiis hujusmodi, quæ patres eorum quocumque titulo tenuerunt, in totum vel in partem quocumque colore vel fraude instituere, vel utcumque admittere immediate, de cetero non præsumant. Illos vero qui beneficia hujusmodi jam illicite sunt adepti, eis præsenti statuto decernimus fore privatos.

XVIII. Contra latronum protectores.

Contra latronum flagitia, quibus nimis abundat regio Anglicana, quod nequaquam esset, ut accepimus, nisi majores eos defenderent & tenerent, sic duximus statuendum: ut nemo eos protegat, vel defendat, seu teneat in domibus suis, vel in villis, quos sciverint, vel manifestum fuerit latrocinium exercere. Eos autem qui contra fecerint,

(a) talaribus. (b) cum proli. (c) substantia consuevit, & ut animarum saluti, & ecclesiarum commodo consulatur huic morbo qui multum invaluisse afferitur &c. (d) Ecclesiasticos ordines & beneficia.
(e) dispensatum per Romanum Pontificem. (f) Statuerunt super hoc ecclesiastici Rectores ipsum removere, cum tantæ improbitatis existit, ut semper se ingerat &c. (g) decretalem. (h) ab officio & beneficio.

ANNO CHRISTI 1237.

rint, ſi tertio moniti per eccleſiaſticum judicem ordinarium, ipſos a ſe non abjecerint, excommunicationi eccleſiaſticæ ſubjugamus. Monitionem autem volumus & ſtatuimus ſufficere generalem, etiamſi fiat alicujus vel alicui nomine non expreſſo, dummodo ita publice ac ſolenniter fiat, quod ad eorum notitiam valeat pervenire.

XIX. De eſu carnium monachorum.

Audivimus, & lætati ſumus, quod religioſi viri abbates ordinis ſancti Benedicti, per Angliam conſtituti, convenientes nuper in ſuo capitulo generali, tanquam filii, juxta ſermonem propheticum, ad ſuos terminos revertentes, provide ſtatuerunt, ut de cetero ſecundum beati Benedicti regulam ab eſu carnium debeant abſtinere: exceptis debilibus & infirmis, quibus debet ſecundum ejuſdem regulæ continentiam in (a) infirmario provideri. Quod utique approbantes, ſtatuimus inviolabiliter obſervari. Adjicimus quoq; quod poſtquam novitii, anno probationis finito, geſtaverint habitum monachalem, ad profeſſionem, juxta decretum vel decretalem felicis memoriæ Honorii papæ, diſtrictione eccleſiaſtica vel canonica per abbatem protinus compellantur: nec aliquis, qui profeſſionem non fecerit, in abbatem vel priorem aliquatenus admittatur. Hoc autem, & quod de profeſſione, finito probationis tempore, faciendum duximus, ad canonicos regulares vel moniales duximus prorogandum. Super aliis vero, quæ ad correctionem vel reformationem tam canonicorum quam aliorum regularium noverimus pertinere, providere intendimus: & quæ eccleſiis eorum utilia, ipſis quoque ſalubria fuerint, concedente Domino, ſtatuemus, & ſtatuta mandabimus per eorum capitula ſolenniter publicari.

XX. De officio archidiaconorum.

De archidiaconis quoque ſtatuimus, ut eccleſias utiliter & fideliter viſitent de ſacris vaſis & veſtibus, & qualiter diurnis & nocturnis officiis eccleſiæ ſerviatur, & generaliter de temporalibus & ſpiritualibus inquirendo, & quæ corrigenda invenerint, corrigant diligenter. Eccleſias autem ſuperfluis non gravent expenſis, ſed procurationes exigant, dumtaxat cum viſitant, moderatas: non ſecum ducant extraneos, ſed modeſte ſe habeant, tam in familia quam in equis: nec ut non viſitent aut corrigant, ſive crimina puniant, aliquid ab aliquo recipere præſumant: nec ſententiis aliquos involvant injuſte, quo ab eis pecuniam poſſint extorquere. Cum hæc enim & talia ſimoniacam ſapiant pravitatem: decernimus ut eos, qui talia agere præſumpſerint, ſic extorta in duplum erogare in pios uſus arbitrio epiſcopi compellantur: ſalva nihilo minus pœna canonica contra eos. Sint autem ſoliciti frequenter intereſſe capitulis per ſingulos decanatus, in quibus diligenter inſtruant inter alia ſacerdotes, ut bene ſciant & ſane intelligant verba canonis & baptiſmi, quæ ſcilicet ſunt de ſubſtantia ſacramenti.

XXI. Ne quid exigatur pro pace reformanda.

Ceterum diſtrictius duximus inhibendum, ne eccleſiarum prælati, & maxime archidiaconi, & decani, vel officiales eorum, vel etiam quicumque alii ad univerſitatem cauſarum, vel aliqua negotia, ratione juriſdictionis eccleſiaſticæ vel officii ſpiritualis, eccleſiæ forum contingentia, delegati, quin de diſcordiis vel querelis fiat pax vel concordia inter partes præſumant aliquatenus impedire: ſed quandocumque partes voluerint, a judicio per compoſitionem recedant, dummodo ſit tale negotium quod jure poſſit tranſigi vel componi, nec exigatur aliquid propter hoc ab eiſdem.

XXII. De officio epiſcoporum.

Quid ad venerabiles patres archiepiſcopos & epiſcopos incumbat ex officio faciendum, nomen dignitatis eorum, quod eſt epiſcopus, ideſt ſuperintendens, exprimit evidenter. Intendere quippe habent, & ſupra gregem ſuum, juxta verbum evangelicum, noctis vigilias cuſtodire. Cum igitur eſſe debeant forma gregis, ad quam ſe debent ſubditi reformare, quod nequit fieri, niſi omnibus ſe exibeant in exemplar. Exhortamur igitur eos in Domino, & monemus, ut moram trahentes apud cathedrales eccleſias, congruenter ibidem Miſſas celebrent, in præcipuis ſaltem ſolemnitatibus, & diebus

(a) infirmitorio.

bus Dominicis, in quadrageſima & adventu. Circumeant præterea diœceſes ſuas temporibus opportunis, corrigendo & reformando, conſecrando eccleſias, & verbum vitæ in agro Dominico ſeminando. Ad quæ omnia melius exequenda, profeſſionem, quam in ſua conſecratione fecerunt, ſaltem bis in anno, ſcilicet * (a) & in majori quadrageſima faciant ſibi legi.

ANNO CHRISTI 1237.

Hic deeſt quid.

XXXIII. Contra judices imperitos.

Cum non ſolum poteſtas, ſed diſcretio & ſcientia in diſtinguendis negotiis potiſſimum requiratur: ſolerter ab omnibus præcavendum, ne talis judex vel cognitor deputetur, per cujus imperitiam, ſimplicitatem vel ruditatem, inutilis feratur ſententia vel injuſta, abſolvatur nocens, & innocens condemnetur. Propterea duximus ſtatuendum, quod matrimoniales cauſæ, quæ inter ceteras maturitate magna & diligentia ſunt tractandæ, viris providis & fide dignis, & habentibus juriſperitiam, vel ſaltem competens exercitium, committantur. Si qui vero (b) abbates archidiaconum vel decanum habent, ex privilegio vel conſuetudine approbata quod de matrimonialibus cauſis cognoſcant, diligenter ipſas examinare procurent; ita quod tam ipſi, quam delegati eorum, ad definitivam ſententiam non procedant, niſi habita prius deliberatione de cauſæ meritis cum diœceſano epiſcopo diligenti, ipſiuſque requiſito conſilio & obtento: ad quod etiam volumus teneri (c) exemptos, vel ſpeciali privilegio munitos.

XXIV. De jurejurando calumniæ.

Jusjurandum calumniæ in cauſis (d) eccleſiaſticis cujuslibet, & de veritate dicendi, in ſpiritualibus quoque, ut veritas aperiatur facilius, & cauſæ celerius terminentur, ſtatuimus de cetero præſtari in regno Angliæ, ſecundum canonicas & legitimas ſanctiones, obtenta in contrarium conſuetudine non obſtante. Huic ſtatuto utiliter annectentes, ut judiciales inducæ judicis dentur arbitrio, juxta legitimas & canonicas ſanctiones.

XXV. De procuratoribus conſtituendis.

Uſum procuratorum in obſequium juſtitiæ introductum, ut ejus qui cauſæ ſuæ non poteſt intendere, per alium abſentia relevetur, convertit frequenter antiqui hoſtis invidia in abuſum. Ex conſuetudine namque, ut dicitur, hic habetur, ut citatus ad diem certum, procuratorem tantum conſtituat ad eumdem abſque litteris, vel per litteras ſigillo authentico non ſignatas. Unde fit quod dum talis procurator vel probare mandatum, vel fidem litteris imponere non vult per teſtes, aut aliud impedimentum occurrit, nil agitur illa die: ſed nec expirante (e) procuratoris * in ſequenti, ſicque perit illa inſtantia ſine fructu. Huic igitur fallaci cautelæ clypeum opponere cupientes, ſtatuimus de cetero, ut in cauſis eccleſiaſticis regni Angliæ, procurator conſtituatur ſimpliciter: & ſi conſtituatur, ad diem non unum tantum, ſed plures continuandos, ſi opus fuerit, conſtitui volumus, & intelligi conſtitutum. Mandatum etiam per ſcripturam probetur authenticam, niſi apud acta fuerit conſtitutus, aut ſigillum authenticum de facili nequiverit conſtituens invenire.

ANNO CHRISTI 1237.

* *f.* procuratione.

XXVI. Quomodo fieri debeant citationes.

Tanto calliditatis ſtudio perſequuntur alterutrum ſe litigantes, ut in ſupplantationem alterius, calcato juſtitiæ cultu, alter faciat quidquid poſſit. Denique a multis accepimus, quod citatorias litteras impetrantes, eas ad locum, ubi morari dicitur qui citatur, per tres deſtinant garciones, quas ſuper altare loci ejuſdem eccleſiæ, vel ibidem in alio loco, duo ponunt, & tertius rapit ſtatim. Ex quo fit ut duobus teſtificantibus poſtmodum, quod illum citaverint, juxta morem ſententiæ & regionis conſuetudinem excommunicatur, vel ſuſpenditur contumax, qui contumaciæ prorſus, utpote citationis, expers erat. Hunc itaque abuſum tam deteſtabilem, & alios ſimiles, zelo juſtitiæ proſequentes, ſtatuimus, ut per impetrantes, vel eorum nuncios, in cauſis eccleſiaſticis regni Angliæ, litteræ citatoriæ de cetero non mittantur, ſed judex moderatis ſumptibus impetrantis, per ſuum fidelem nuncium eas mittat, qui vocandum diligenter perquirat, quem ſi reperire non poterit, die Dominico, vel in alio die ſolenni, in eccleſia loci illius in quo degere con-

(a) in Adventu & inf. (b) Decani Archidiaconi vel Abbates habent ex privilegio. (c) exemptos niſi ſint ſpeciali privilegio muniti. (d) eccleſiaſticis & civilibus (e) procuratoris officio.

ANNO CHRISTI 1237.

consuevit, dum Missa cantatur, publice legi litteras faciat & exponi : vel saltem ad decanum, in cujus decanatu moratur qui vocandus est, citatio dirigatur, qui a judice (a) missus fideliter hæc prosequatur per se aut per certos suos nuncios & fideles : quodque inde fecerint, eidem rescribere, judici non omittat.

XXVII. Ne quis sigillum suum apponat litteris quarum confectioni non interfuit.

Quanto scripturarum, quæ sigillo authentico muniuntur, est usus magis necessarius in partibus Angliæ, ubi publici notarii non existunt; tanto diligentius cavendum est, ne per aliquorum insolertiam possint pertrahi ad abusum. Conficiuntur enim, ut audivimus, litteræ, ac signantur non tantum a minoribus clericis, verum etiam a prælatis, in quibus manifeste cavetur contraxisse aliquem, contractui vel negotio adfuisse, vel extitisse aliquem ad judicium evocatum, seu sibi litteras citatorias præsentatas, qui tamen nunquam præsens fuerat vel inventus, immo forsitan in alia provincia vel diœcesi tunc degebat. Ceterum, cum scripturæ hujusmodi, falsitatis vitium contineant manifeste: fieri talia vel similia districtius inhibentes, provida deliberatione sancimus, quod si fuerint in his deliquisse convicti, & qui talibus litteris, maxime in alterius præjudicium, præsumpserint ac perseveraverint: ut * scienter pœna falsariis & instrumentis falsis utentibus debita puniantur.

*Corr. perseveraverint uti scienter.

XXVIII. Qui debeant habere sigilla authentica.

Quoniam tabellionum usus in regno Angliæ non habetur, propter quod magis ad sigilla authentica credi est necesse, ut eorum copia facilius habeatur, statuimus ut sigillum habeant non solum archiepiscopi & episcopi, sed etiam eorum officiales, decani rurales, nec non ecclesiarum cathedralium capitula, & cetera quoque collegia & conventus cum suis rectoribus, aut divisum, juxta eorum consuetudinem, vel statutum. Pro varietate quoque cujuslibet prædictorum, habeat uniuscujusque sigillum (b) nomen : puta dignitatis, officii, collegii, & etiam illorum proprium nomen, qui dignitatis vel officii perpetui gaudent honore, insculptum notis & characteribus manifestis, sicque sigillum authenticum habeant. Denique illi qui temporale officium susceperint, puta decani rurales, & officiales, sigillum suum, quod tantum nomen habeat insculptum, finito officio, ei a quo habeant officium, continue & sine mora resignent. Sane de custodia sigillorum curam haberi præcipimus diligentem, scilicet unusquisque per se illud custodiat, vel uni soli, de cujus fide confidat, custodiendum committat · qui etiam juret quod fideliter illud custodiet *, (c) alicui, nec etiam ipse aliquid inde sigillet, ex quo possit alicui præjudicium generari, nisi quod dominus ejus prius legerit & viderit diligenter, & sic præceperit sigillari. In facienda vero sigilli copia, fidelis & provida sit cautela : fidelis, ut indigentibus de facili præbeatur: provida, ut falsis & fraudulentis penitus denegetur. In principio quoque vel in fine cujuslibet scripturæ authenticæ, sufficientem datam inseri statuimus, diei, temporis, & loci.

* f. nec dabit alicui.

ANNO CHRISTI 1237.

XXIX. Juramentum ab advocato præstandum.

Clamorem justitiæ audivimus conquerentis, quod (d) etiam nimis impediunt per cavillationes & versutias advocati, (e) negant plerumque per ignorantiam judices imperiti, & illudunt eis per contumaciam sæpe partes. Nam contingit aliquando, quod missus in possessionem, causa rei servandæ, ipsam retinere contendat, licet adversarius redeat infra annum, & juri per omnia satisfacere sit paratus. Aliquando vero qui in possessionem missus fuerit, nec infra annum, nec post quantumcumque verus constituatur possessor, valet illam possessionem, resistente cum armis adversario, adipisci. In adjutorium itaque justitiæ assurgentes, approbatione concilii statuimus, ut qui advocati officium voluerit generaliter promereri, apud diœcesanum, cujus origine vel domicilio jurisdictionis existit, præbeat juramentum, quod in causis quarum patronus extiterit, patrocinium fidele præstabit, non ad differendam vel auferendam alterius parti justitiam, sed ad causam clientuli legibus defendendo * & rationibus. Alias autem non admittantur in causis matrimonialibus & electionibus, nisi juramentum simile

* Corr. defendendam

vo-

(a) Justus. (b) nomen officii. (c) nec ad sigillandum alicui. (d) eam. (e) necant.

ANNO CHRISTI 1237.

voluerint præstare in eisdem: sed nec in aliis coram ecclesiastico judice ultra terminos tres absque juramento hujusmodi admittantur, nisi pro ecclesia sua, vel domino, aut amico notorie, vel paupere, seu extraneo, vel persona miserabili, duxit forsitan postulandum. Caveant omnes advocati, ne per se, vel per alios, testes subornent, vel partes instruant falsum ponere, vel supprimere veritatem. Qui contra fecerint, ipso facto ab officio & beneficio sint suspensi, quousque super hoc satisfecerint competenter, & alias nihilominus, si de his convicti fuerint, pœna debita puniantur. Judices quoque juris ignari, si dubium quid emerserit, ex quo possit alterutri partium grave præjudicium generari, expensis utriusque, alicujus consilium advocent sapientis.

XXX. De actis scribendis.

Statuimus insuper, ut, inquantum poterunt, constitutionem generalis concilii, tam in ordinariis quam extraordinariis judiciis observantes, acta originalia & authentica diligenter ac fideliter penes se custodiant, vel per scriptores suos faciant custodiri, ut partibus inde, ut debuerint, copiam faciant: quibus omnia postquam scripta fuerint, præcipimus, & præcipiendo statuimus publicari, ut, si erratum fuerit in scribendo, corrigatur, & ut veritas possit de his quæ acta fuerint liquido apparere.

ANNO CHRISTI 1237.

XXXI. De cautione præstanda.

Provideant præterea judices, ut cum aliquem decreverint in possessionem mittendum, ob contumaciam partis adversæ de restituenda possessione cum fructibus, si quos inde perceperit, deductis expensis legitimis, si adversarius infra annum redierit (a) ad mandatum ab eo qui mittendus fuerit, congruam recipiant cautionem. Illum quoque, qui possessionem possidere præsumpserit violenter, in quam ob ejus contumaciam alius (b) missus fuit, & post annum verus possessor etiam constitutus, jure, si quod habuit in ea re, decrevimus fore privatum.

Hæc cum tertia die peragerentur, incœpit dominus legatus solenniter, Te Deum laudamus, omnibus assurgentibus. Et postea incœpta antiphona, In viam pacis, cum psalmo, Benedictus Dominus Deus Israel, dictisque collectis specialibus, & data benedictione cum non parvo gaudio recesserunt.

NOTÆ Severini Binii nihil continent præter narrationem gestorum in concilio, ex Matthæo Parisio ad verbum descriptam: quam supra in actis exhibuimus, cum aliis ex eodem Matthæo, quæ Binius prætermiserat.

CONSTITUTIONES SYNODALES

EPISCOPI ANONYMI.

. II. colienis conor. An-

Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus verus est Deus, æternus, immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: tres quidem personæ, sed una est essentia, substantia, seu natura, simplex omnino. Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus sanctus pariter ab utroque: absque initio semper, & sine fine. Pater generans, Filius nascens, Spiritus S. procedens; consubstantiales, & coæquales; coomnipotentes, & coæterni; unum universorum principium, creator omnium visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium: qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.

baptismo.

Præcipimus autem, quod baptismus cum reverentia, & cum magno honore celebretur, & cum magna cautela, maxime in distinctione verborum, in quibus tota virtus consistit sacramenti, & salus puerorum: Scilicet, *Ego baptizo te* N. *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Ubi nomen baptizandi præponatur, & sub eadem forma, in lingua quam melius noverit. Doceant frequenter sacerdotes, laicos baptizare debere pueros in necessitate. Patrem etiam & matrem pueri sine præjudicio matrimonii, in summa necessitate.

Parum admodum hæ Constitutiones deinceps discrepant a Constit. Odonis Paris. an. 1198. & Ricard. ep. Sarum an. 1217.

Commoneant etiam sacerdotes mulieres prægnantes parochiæ suæ, ut cum tempus partus sui instare intelligunt, sibi prospiciant, & aquam promptam habeant, & propter imminens periculum loquantur de confessione cum sacerdote: ne subito præoccupatæ, non possint, cum voluerint, habere copiam sacerdotis.

Fœminæ etiam moneantur, ut pueros suos caute alant, & juxta se de nocte non collocent teneros, ne opprimantur, & cum eis ad baptismum festinent & ad * consummationem. Similiter & mariti earum moneantur

* *f.* confirmationem.

Si

(a) ad mandatum ecclesiæ. (b) missus fuerit judicialiter.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

Si mulier mortua fuerit in partu, & de hoc bene conſtiterit, ſcindatur, ſi infans credatur vivere: ore tamen mulieris aperto, extrahatur puer ut baptizetur.

Moneantur etiam, ne ſolos in domo ubi ignis fuerit, vel ſolos juxta aquam relinquant pueros ſuos ſine cuſtode. Et hoc eis ſæpe dicatur.

Item,

SAcerdos interroget laicum, qui in neceſſitate baptizat puerum, quid dixerit, & quid fecerit. Quod ſi invenerit laicum diſcrete, & modo debito baptizaſſe, & formam verborum in ſua lingua integre protuliſſe, approbet factum, Sin autem, baptizet puerum.

Ad elevandum puerum de ſacro fonte tres ad plus recipiantur: videlicet ad marem duo mares, & una fœmina; ad fœminam vero duæ fœminæ, & unus mas.

Item ſi in neceſſitate puer baptizatur a laico; ſequentia immerſionem, non præcedentia, per ſacerdotem expleantur: & aqua, in qua domi baptizatus fuerat puer, propter reverentiam baptiſmi, vel infundatur in ignem, vel in baptiſterium ad eccleſiam deferatur, & vas illud comburatur, vel ad uſus eccleſiæ deputetur.

Item de baptiſmate, vel confirmatione ſi dubitetur, ſine trepidatione conferatur. Quia non dicitur iteratum, quod neſcitur fuiſſe collatum. Ideoque baptizentur expoſiti, de quorum baptiſmo dubitant probabiliter, ſive inveniantur cum ſale, ſive ſine ſale.

* *f.* Nullus, etiam diac.

Nullus quam * diaconus, vel inferior clericus, baptizet, vel pueros inungat: ſed ſoli ſacerdotes, quibus illud competit ex officio, niſi in ſumma neceſſitate: ſicut quando ſacerdos abſens eſt, vel etiam præſens, & non poſſit intereſſe, vel ſtulte non vult, & imminet mors puero vel ægroto.

Item.

PRæcipimus ut panni chriſmales, quibus noviter baptizati induuntur, ad eccleſiam deportentur, nec ad omnes uſus per aliquem aſſumantur, propter reverentiam ſacramenti: ſed in uſus eccleſiæ, prout neceſſitas exegerit, reſerventur.

Item.

PRæcipimus, ut fontes in quibus pueri baptizantur, lapidei ſint, vel alias honeſti & integri: ita quod non ſint, vel alicui contemptui vel horrori, ſed magis honor, & reverentia, & veneratio, ab univerſis exhibeatur eiſdem. Aqua vero, ubi baptizatus fuerit puer, ultra octo dies non ſervetur.

De confirmatione.

SAcerdotes ſæpe dicant laicis, ne expectent adventum epiſcopi ad confirmandum, ſed adducant pueros ad eum, ubi eum adeſſe audierint prope, quamcitius potuerint: & ut faſcias ſive ligaturas ſufficientes, ſcilicet longas & latas, ſecum deferant. Quod ſi adultus fuerit confirmandus: monendus eſt per ſacerdotem loci, ut confiteatur prius, & poſtea accedat ad confirmationem.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

Item.

NUllus teneatur ad confirmationem a patre vel matre, vitrico, vel noverca: & hæc prohibitio ſæpius publicetur in eccleſia per ſacerdotes. De confirmatione.

Caveant ſibi diligenter parentes, ne parvulos ſuos iterato proferant confirmandos, cum & ipſi parvuli per illud ſacramentum efficiantur irregulares, ſi maſculi fuerint: & ipſi parentes ex tali negligentia, ſecundum canones, gravi ſubjaceant ultioni.

Sciant etiam tam parentes, quam illi, qui eorum pueros tenent ad confirmandum, & ipſi confirmati, quod ſpirituale vinculum in hoc ſacramento contrahitur, ut in baptiſmo.

Parvuli confirmati, tertio die poſt confirmationem, deportentur ad eccleſiam, & frontes eorum, per manus ſacerdotum in baptiſterio, propter reverentiam chriſmatis, abluantur: & ligaturæ ipſorum tunc ſimiliter in igne concrementur.

Sequitur de ſacramento altaris.

AD hæc, quia cum magna reverentia, devotione, & munditia tractanda ſunt eccleſiaſtica ſacramenta, & maxime ſacramentum redemptionis noſtræ, ſcilicet corporis & ſanguinis Domini: ſtatuimus, ut presbyteri, circa ea quæ ad ſubſtantiam ſacramenti corporis & ſanguinis Domini pertinent, ſint diligentes, & intenti, proviſuri quod Euchariſtia in pixide munda obſeretur: nec ultra ſeptem dies ſerventur hoſtiæ conſecratæ, ſed ſeptimana qualibet in die Dominica innoventur. Ita quod poſt perceptionem conſecratæ recenter hoſtiæ, ante aſſumptionem ſanguinis Domini, a celebrante Miſſam reſervatæ hoſtiæ ſumantur: nec in celebratione Miſſæ, hoſtiam conſecratam, pacem daturus, ori ſuo ſacerdos apponat, quia ante perceptionem eam ore ſuo tangere non debet. Si vero, ſicut quidam faciunt, de patena eam ſumat, vel ſuper patenam eam confringat aut deponat, poſt celebrationem Miſſæ tam patenam, quam calicem, faciat aqua perfundi, vel ſolum calicem, ſi aliter faciat. Habeatque ſacerdos juxta altare pannum mundiſſimum alio panno undique circumdatum, & honeſte atque decenter coopertum, quo, poſt ſuſceptionem ſacramenti ſalutaris, digitos cum labiis tergat ablutos. Si vero ſacerdos neceſſe habeat aliquando bis in una die celebrare, quod non fiat, niſi in die Nativitatis, vel Reſurrectionis Dominicæ, vel quando aliquod corpus in eccleſia tumulandum, vel aliqua evidens neceſſitas urgeat: poſt primam celebrationem, & ſanguinis ſuſceptionem, nihil infundatur calici, quod a ſacerdote ſumatur celebrante, ſed tantum poſt celebrationem ſubſequentem. Poſt primam vero celebrationem diligentiſſime abſorbeantur ſtillæ de calice, & quod fuerit digitis ſuperfuſum, reſervetur in vaſe mundo ad hoc ſpecialiter deputato: & poſt ſecundæ Miſſæ celebrationem ſumatur, niſi forte in prima celebratione adſit diaconus vel alius miniſter honeſtus, qui loturam illam ſumere poſſit abſque conſcientiæ ſuæ læſione.

In ſacramento autem ſanguinis Dominici, major pars vini, & modicum aquæ ponatur. His adjicimus, ut cum ad ægrum fuerit Euchariſtia deferenda, habeat ſacerdos aliam pixidem

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

xidem mundam & honeſtam, in qua ſit linea A
burſa munda, & in ea Dominicum corpus deferat ad ægrotos, linteamine mundo ſuperpoſito, & lucerna præcedente, niſi æger valde remotus fuerit, vel temporis inæqualitas impediat: & cruce ſimiliter, ſi fieri poteſt, niſi crux fuerit forte apud ægrum: præcedente quoque tintinnabulo, ad cujus ſonitum excitetur devotio audientium. Habeat quoque ſacerdos vaſa argentea, vel vas ſtanneum ad hoc ſpecialiter deputatum, quod ſemper ſecum ad ægrum vadens deferat: ut in eo, ægro valeat dare, poſt ſumptam ab eo Euchariſtiam, ſuorum loturam digitorum. Habeat quoque ſacerdos ſemper ſecum ſtolam, id eſt orarium, quando cum Euchariſtia vadit, ſicut diximus, ad B
ægrum. Et ſi æger remotus non fuerit, in ſuperpellicio ad ipſum decenter accedat.

Quando vero mulieres, poſt puerperium venerint ad purificationem, ſacerdos det eis tantummodo panem benedictum, & corpus Domini nullo modo: niſi expreſſe petant, & prius confeſſæ fuerint.

Ad hæc præcipimus, ut quælibet eccleſia habeat calicem argenteum, cum aliis vaſis decentibus & honeſtis: ſindonem mundam & candidam, amplitudinis congruentis: linteamina & alia ornamenta, quæ ad altaris officium ſpectant, honeſta: libros ad pſallendum & legendum idoneos, & ſacerdotalia veſtimenta ſufficientia pariter & honeſta. Et qui miniſtraverint ſacerdoti in altari, C
ſuperpelliciis induantur. Et omnes habeant canonem Miſſæ, ſecundum conſuetudinem eccleſiæ noſtræ, correctum: & ut verba canonis rotunde in Miſſa dicantur & diſtincte; ſimiliter & omnes horæ, & omnia officia aperte & diſtincte dicantur, ita quod ex feſtinatione non præcidantur, vel ſyncopentur. Quod ſi obſervatum non fuerit, ſacerdotes hoc non obſervantes, uſque ad condignam ſatisfactionem puniantur.

Ex concilio. *Relinqui nolumus. Statuimus*, Sicut in concilio continetur.

AD hæc prohibemus, ne calices eccleſiarum, ſeu veſtes, vel libri altaris, aut libri eccleſiaſtici, vel etiam tenementa eccleſiaſtica, vendantur vel pignori obligentur, aut aliquo modo alienentur ab eccleſiis: niſi in caſibus conceſſis, & de licentia noſtra, forma canonica obſervata. Si vero ſecus actum fuerit, irritetur. D

Nec laici eccleſias, vel quaſcunque decimas ad firmam aliquatenus teneant.

Prohibemus etiam diſtrictius, ne ſacerdotes ignoti, de quorum ordinatione non conſtat, ad Divinorum celebrationem, deſerviendo eccleſiis admittantur, niſi de licentia noſtra.

Moneantur autem rectores eccleſiarum, ne capellanos ſuos annuales, ſine rationabili cauſa ſtudeant amovere.

Similiter prohibemus excommunicatum aliE
quem vel interdictum, vel alienum parochianum laicum, in præjudicium proprii ſacerdotis, vel ad confeſſionem, vel ad communionem Euchariſtiæ, vel ad ſepulturam, ſcienter aliquis ſacerdos admittat, & præcipue in ſolemnitate Paſchali. Quod ſi ab aliquo de cetero fuerit attentatum, ad damna reſarcienda illius eccleſiæ cui injuriatum eſt, compellatur: alias etiam a nobis puniendus.

Ex concilio. *Cum ſit ars artium*, &c. Sicut in concilio.

De Miniſtris eccleſiæ.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

PRæcipimus itaque, quod ſi ſacerdotes qui ſe noverint filios ſervorum, & præter conſcientiam dominorum ſuorum ordinatos, vel non de legitimo matrimonio natos, & abſque diſpenſatione epiſcoporum ſuorum promotos, vel qui fuerint advocati in cauſa ſanguinis, vel executores ſervorum aliquando in publicis adminiſtrationibus, vel homicidium perpetraverint, vel bigami fuerint, vel alias corruptarum mariti vel quiexcommunicati ordines ſuſceperint, vel excommunicati, ſive ſuſpenſi celebrare præſumpſerint, vel ſortilegium exercuerint, maxime dæmonibus immolando, non exequantur ſacerdotis officium, donec noſtrum ſuper hoc ab eis fuerit conſilium requiſitum.

Idem etiam dicimus de iis qui ſimoniace, vel furtive, vel per ſaltum, vel extra legitima tempora ordines ſuſceperint.

Idem quoque dicimus de illis, qui interventores fuerunt ſimoniacarum pactionum, & ſunt ordinati, & nihilo minus labe illa infecti ordines ſuſceperunt.

De aliis vero, qui in ſuſceptione ordinum non peccaverint, præcipiendo ſtatuimus, ut ſacerdotes & clerici beneficiati, vel in ſacris ordinibus conſtituti, ſive beneficiati, ſive non, qui a vitio luxuriæ debent eſſe alieni penitus, omnem libidinem fugiant, & continenter & honeſte vivant, prout ad ſacrum miniſterium eorum noſcitur rite pertinere. Nec in domibus propriis, vel alienis publice concubinas, unde ſcandalum oriatur, tenere præſumant: ſed eas a ſe prorſus expellant, & longius faciant amoveri, niſi velint ſimul officio & beneficiis ſuis contra hoc agendo privari.

Moneantur concubinæ eorum, ut recedant ab ipſis: quæ niſi commonitæ recedant ab ciſdem, poſt trinam admonitionem, quoniam infamant eccleſiam, ab eccleſia expellantur, & excommunicentur: nec ad eccleſiaſtica ſacramenta admittantur, ſed ab legitimis actibus repellantur ut infames.

Quia etiam continentiam ſervare volentibus non eſt tutum habitare cum fœminis: prohibemus, ne ſacerdotes, vel clerici beneficiati, habeant famulas in domibus ſuis, de quibus poſſit aut debeat merito ſiniſtra ſuſpicio ſuboriri.

Cum autem ſacerdos peccaverit, peccare facit populum Domini: & ideo debet ab omnibus fornicatione & immunditia ſe continere: maxime autem a filia ſua pœnitentiali ſe contineat, ſciens, quod in deteſtatione illius peccati dicitur in canone: ſic peccare, pœnitentialem ſuam cognoſcentem, ſicut cognoſcentem a ſe baptizatam, vel in baptiſmo ſuſceptam, pro quo peccato ſecundum canones, XV. annorum debetur pœnitentia, & poſtea detruſio in monaſterium.

Si ſacerdotes aut clerici ad convivia fuerint ab honeſtis perſonis invitati: ibi, ſicut ubique, ſobrie, modeſte, & honeſte ſe habeant: & poſt prandium ſobrie & honeſte recedant, & cito. Et ſi in eiſdem, in quibus intererunt, conviviis, inhoneſta vel turpia narrentur, vel cantentur, ſi non poſſunt prohibere, ſaltem ita ſe gerant, ne videantur aurem vel animum talibus adhibere. Volentes quoque ab eiſdem peſtem avaritiæ extirpare, prohibemus, ne turpia lucra ſectentur, & ne aliquam negotiationis ſpeciem inhoneſte audeant exercere.

Nul-

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

Nullus quoque eorum sæcularem administrationem exerceat, ex qua eum oporteat laicæ personæ actus sui reddere rationem. Nec advocati sint sacerdotes, vel clerici, vel canonici in foro sæculari; nisi vel causas proprias, vel causas miserabilium prosequantur personarum. Sint etiam secundum facultates, & reditus suos, hospitales, & erga pauperes non avari.

Prohibemus insuper, ne sacerdotes de cetero utantur cappis manicatis: sed omnes habeant cappas clausas & honestas, & tonsuram canonicam. Ex concilio. *Irrefragabili. Quia non. Ut clericorum. A crapula. Clerici officia. Sententiam sanguinis. Cum infirmitas corporal. De multa providentia. In quibusdam provinciis.*

Sicut in concilio continetur.

Sequitur de pœnitentia.

Ex Concil. London. an. 1200. c. 5.

SAnctorum patrum statuta sequentes, præcipimus, ut sacerdotes in pœnitentia danda diligenter attendant qualitatem personæ, quantitatem delicti, tempus, locum, causam, moram in peccato factam, devotionem animi pœnitentis, & ut pœnitentia talis injungatur uxori, unde non reddatur marito suo suspecta de aliquo occulto crimine & enormi, sed aliter condignam injungat pœnitentiam.

Idem de marito observetur.

Non injungatur autem laicis in pœnitentia, quod Missas celebrare faciant pro suorum remissione peccatorum.

Ex Constit. Ricardi Ep. Sarum an. 1217. c. 25. & seqq.

Confessiones autem mulierum audiantur in Quadragesima, extra velum, in aperto semper, quantum ad visum hominum, non quantum ad auditum. Moneantur etiam laici statim in principio Quadragesimæ, vel pluries in anno, ut cito post lapsum confiteantur. In Confessionibus vero, nec nimis perspicaciter scrutentur plebem suam sacerdotes, nec nimis facile aut negligenter pertranseant.

Item in confessionibus & prædicationibus sæpius laicis inculcetur, & præcipue in majoribus solennitatibus, quod ornis conjunctio maris & fœminæ, nisi per matrimonium excusetur, mortale est peccatum. Et si in denunciatione hujusmodi salubris doctrinæ sacerdos negligens inventus fuerit, tanquam fornicator, vel consentiens fornicationibus canonice puniatur.

Item in confessione habeat sacerdos humilem vultum, & oculos ad terram demissos, ne faciem respiciat confitentis, & maxime mulieris, & patienter audiat quicquid dixerit, & in spiritu lenitatis eum supportet, & ei pro posse suo persuadeat pluribus modis, quod integre confiteatur: aliter enim vera non est confessio. Peccata inquirat usitata, sigillatim: inusitata autem, nisi a longe, & circumstantias, sic ut expertis detur materia confitendi, & inexpertis non detur occasio delinquendi. In furto, rapina, usura, & maxime decimarum diminutione, seu subtractione alicujus ecclesiastici..... licenter sibi ca..... ..... ias aliquas injungant, nisi cum satisfactione & restitutione facienda injuriam passis, cum non remittatur hujusmodi peccatum, nisi restituatur ablatum.

Item in majoribus criminibus, & atrocioribus & dubiis, sacerdos consulat nos sicut decet, vel ipsos, qui vices nostras gerunt, provisos & discretos, quorum consilio certificatus, sciat, quos & qualiter ligare possit & solvere. Et ne, quod absit, pœnitens in desperatione mittatur, moneat illum diligenter, ut interim quicquid boni facere poterit faciat, ut Deus cor suum illustret ad pœnitentiam. Et hoc idem de eo faciat, qui peccatum confitetur, & tamen ab eo non vult abstinere: quo casu munus absolutionis eidem non poterit impendi, nec pœnitentia injungi, cum venia non legatur concessa, nisi se corrigenti. Sunt autem majora crimina, homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestus, stupra virginum & monialium, injectiones manuum in parentes, in clericos, vota fracta, & hujusmodi. Sunt autem alia, in quibus nullus nisi solus papa, vel ejus legatus, potestatem habet dispensandi, videlicet injectio manuum in clericos, vel quoscunque religiosos, & incendia ecclesiarum, simonia: nihilo minus talium rei, mittendi sunt ad nos, vel ad pœnitentiarium nostrum. Semper etiam, qui mittuntur, deferant secum litteras continentes genus peccati, & circumstantias sufficienter, vel ipse sacerdos cum eis personaliter veniat, alioquin non recipiantur.

Item, caveant sibi sacerdotes, ut cum a pœnitente peccata inquirunt, nomina personarum cum quibus peccaverunt..... rant, sed circumst..... & qualitatem peccati, cum scriptum sit: *Deus vitam meam*, non aliena *annunciavi tibi*.

Nullus etiam sacerdos, post lapsum, antequam sacerdoti pœnitens confiteatur, ad altare præsumere audeat accedere celebraturus, si copiam habeat sacerdotis.

In quolibet autem capitulo duo sint sacerdotes confessores, quibus a nobis constitutis ejusdem capituli sacerdotes sua possint peccata confiteri. Si quæ vero dubia fuerint, quæ per eos expediri nequeant, vel si qui de sacerdotibus eis ob aliquam causam noluerint peccata sua confiteri, ad principales primarios nostros recurratur. Si vero neutri eorum suum voluerint revelare peccatum, ad nos veniat, ut vel nobis confiteatur, vel sibi a nobis alius assignetur, cui velit & valeat confiteri. Ex concilio. *Omnis utriusque. Si* post susceptorem.

De extrema unctione.

CUm magna reverentia deferatur oleum ad infirmos: & ipsos inungant sacerdotes cum magna devotione & orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ.

Ad sacramentum extremæ unctionis moneant sæpe populum. Domini sacerdotes: scilicet omnes a quatuordecim annis, & supra: & ad omnes, tam pauperes quam divites, communiter se paratos exhibeant, cum necesse fuerit.

Item doceant sacerdotes frequenter populum hoc sacramentum licite posse iterari, videlicet in qualibet periculosa infirmitate, ubi metus est mortis. Et cum quis post susceptum convaluerit ab infirmitate, licite posse reverti ad opus conjugale:

Sequitur de matrimonio.

CUm in causis matrimonialibus, cum majori discretione & cautela sit procedendum, statuimus, ut nulla causa matrimonialis, ubi agitur divortium terminetur, nisi per nos vel gerentem vices nostras, nec aliqua hujusmodi causa, sive agatur de divortio, sive non, examinetur per diaconos rurales, sed cum magna di-

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237

diligentia per archidiaconos vel eorum officiales providos & discretos.

Ad hæc, prohibemus, ne matrimonium contrahat quis cum consanguinea olim uxoris suæ. Similiter nec uxor cum aliquo consanguineo quondam mariti sui. Nec susceptus in baptismo contrahat cum filia baptizantis vel suscipientis, ante vel post genita. Nec contrahatur matrimonium inter personas incognitas, nec sine trina denunciatione in ecclesia publicata. Nec clandestina contrahantur matrimonia, sed publice & in facie ecclesiæ, præsente sacerdote. Si vero secus actum fuerit, factum non admittatur in ecclesia, nisi de speciali authoritate nostra. Sacerdos autem cum contra hujus statuti nostri formam aliquos matrimonio copulaverit, ab omni officio suspendatur, nec relaxetur nisi de speciali mandato nostro. Nec fides de aliqua desponsanda detur, nisi præsente sacerdote. Quod si aliter factum fuerit, decrevimus contractum non tenere, & personæ legitime punientur.

Prohibeat autem quilibet sacerdos publice omnibus de parochia sua ne clanculo fidem præstent de matrimonio contrahendo, sed publice coram testibus idoneis, ut fidem præstitam, si necesse fuerit, valeant comprobare. Proponatque eis præmonendo, quod sibi præcaveant, quia si talem fidem carnalis copula subsequatur, ecclesia hoc pro matrimonio habebit, & faciet tanquam matrimonium observari.

Item, doceant sacerdotes frequenter populum, & prohibeant sub anathemate, ne alteruter conjugatorum transeat ad religionem, nec recipiatur, nisi per nos aut per licentiam nostram.

Item, moneant mulieres conjugatas ne faciant vota, nisi cum magna deliberatione & cum consensu virorum suorum & de consilio proprii sacerdotis.

Ex concilio. *Non debet. Cum inhibitio. Licet ex quadam.*

De statu monachorum & regularium.

NEc viris aut mulieribus religionem professis, absque superioris licentia liceat egredi septa domus, nec sine certa & honesta causa egrediendi licentia concedatur: ita tamen quod nulli claustralium causa orationis, aut visitandi parentes, exitus pateat; nisi fuerit talis, qui petit exire, de quo nihil sinistri debeat quis suspicari. Quotiens tamen exeundi causa licentia cuiquam indulgetur, socius ei deputetur, & certus dies in quo redeat præfigatur, in quo si redire poterit, & extra monasterii septa non pernoctet.

Item, in civitatibus, burgis, seu villis, ubi ecclesia conventualis est, maxime sui ordinis, non hospitetur nisi penes religiosos. Et si domus ei & vecturis suis non sufficiat: nihilo minus, si fieri possit, de nocte dormiat infra septa illius monasterii.

Ad hæc: quia aliqui, ut audivimus, salutis suæ immemores, abjecto Dei timore, de ordine suo egredi, sine licentia suorum prælatorum, & in sæculo sæculariter conversari, abjecto religionis habitu, non verentur: præcipimus archidiacono & decanis, quod monitione præmissa competenti, tales ad claustrum per censuram ecclesiæ redire compellant. Quod si nec sic ad reassumendum habitum religionis induci possint, jubemus eos comprehendi, & nobis præsentari, & ad agendam pœnitentiam in carcerem retrudendos.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237

Item, viri religiosi ecclesias illas, maxime in quibus jus sibi patronatus vendicant ad firmam a clericis suis non recipiant sine licentia nostra, nec aliquam negotiationis speciem inhonestam audeant exercere: clerici autem ecclesias sic talibus demittentes, graviter punientur.

Item, monachis & canonicis regularibus, necnon monialibus, tam vestimenta quam coopertoria interdicimus colorata: nisi fuerint nigro tincta. Et cum equitant, decentibus sellis utantur, ac frænis ac superselliis. Moniales autem vestibus caudatis & crispatis, aut proprii corporis longitudinem excedentibus non utantur, nec pellibus delicatis aut coloratis: nec in velo acus argenteas audeant deportare.

Item, cum in generali concilio nuper esset statutum, quod quilibet regularis in ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, presbyteros instituendos eis repræsentent: præcipimus etiam, ut infra instans festum sancti N. ad tardius, secundum statuta ipsius concilii presbyteros idoneos nobis repræsentent ad vicarias in eisdem competentes.

Similiter fiat in ecclesiis præbendalibus, si ii, qui tenent, pœnam concilii voluerint evitare. Quod si non fecerint prout justum fuerit, tanquam de beneficiis vacantibus officium nostrum in hujusmodi exequemur.

Ex concilio. *Quoniam omne quod non est ex fide. In singulis regnis. Ne nimia. Ne pro defectu pastoris. Quia propter divitias. Si quis electionis. Grave nimis est. At privilegia. Quod quibusdam religiosis. Ascendentibus. Quoniam simoniaca labes. Extirpandæ.*

Sequitur de decimis.

DEcimas de omnibus quæ renovantur per annum, & maxime consuetas, dandas decrevimus; & potissime de molendinis & piscariis, & fœnis, & apibus, & de terris arabilibus, & ad prata postea, vel ad pasturam redactis: ita ut occasione mercedis servientum vel messorum, ecclesia decima parte non frustetur, quo minus eam plene percipiat. Detentores vero earundem decimarum, si semel, secundo, & tertio, commoniti, excessum suum non emendaverint, concedimus, quod per capellanos locorum, usque ad satisfactionem congruam excommunicationis vinculo feriantur. Cum autem ii, qui decimas detinuerint, vel subtraxerint, ad pœnitentiam accesserint, non admittantur: nisi, per se vel per manum sacerdotis, ei cui decimæ debentur, satisfaciant competenter.

De sententiis.

EXcommunicatio non passim & absque delicto fiat, sed præmissa canonica admonitione. Singulis autem annis in tribus solennibus festivitatibus, scilicet die Natalis, die Pentecostes, die Assumptionis beatæ Mariæ, excommunicentur in genere sortiarii, testes periuri super sacrosancta, incendiarii, usurarii, raptores publici, malitiose impedientes executionem rationabilium testamentorum & contumaces, & decimarum detento es: ita quod testes,

qui

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

qui scienter dejerant super sacrosancta, propter lucrum vel damnum aliorum, non absolvantur, nec eis aliqua pœnitentia injungatur, nisi a nobis vel nostra authoritate, præterquam in mortis periculo. Et tunc injungatur eisdem, ut ex quo convaluerint, nos adeant, a nobis pœnitentiam susceperi.

Sub interminatione anathematis prohibemus, ut nullus constabularius, castellanus, forestarius, vel cujuscunque potentis baillivus, possessiones, seu bona religiosorum, clericorum, seu quarumcumque ecclesiasticarum personarum, ausu temerario præsumat invadere, aut eas vexationibus injustis, vel oppressionibus quibuscumque indebite, contra libertatem ecclesiasticam attentet molestare. Quod si qui contra hanc prohibitionem nostram in propriæ salutis dispendium, quod Deus avertat, præsumpserint, & commoniti se non emendaverint: terras eorum per archidiaconum loci, sine dilatione, ecclesiastico supponi præcipimus interdicto: & tunc demum si ad cor non redierint, indurati, pulsatis campanis & accensis candelis excommunicentur, monitione præmissa. Volumus etiam, & districte præcipimus, ut archidiaconus & ejus ministri, cum fuerint super hoc ab excommunicatoribus requisiti, mutuum sibi adinvicem in hujusmodi præstent auxilium.

Præcipimus etiam, sub pœna interdicti & excommunicationis, ne patroni ecclesiarum laici, sive sint Anglici, sive alicujus nationis, hospitia a clericis beneficiatis extorqueant, vel exigant de cætero. Interdicimus etiam ipsis clericis, ne hospitia sic exacta laicis procurent, & si fecerint, noverint se canonice puniendos.

Prohibemus etiam, sub .... pœna antedicta ne laici, sive sint domini fundi, sive non: ne ullam habeant dispositionem in cœmeteriis, de domibus, vel exigendis casis propria authoritate, nisi tempore hostilitatis, & tunc de licentia & dispositione rectoris ecclesiæ.

Prohibemus etiam, sub eadem pœna, ne aliqui commisceant se carnaliter mulieribus infra ambitum cœmeterii.

Item, districte præcipimus, ut omnes sacerdotes, parochianis suis, authoritate Dei & nostra, & sub anathemate, prohibeant, ut nullus de cetero eo modo, quo aliquando solent, aliquam fœminam teneant sub quadam pecuniæ taxatione; nec aliquis sacerdos vel clericus hujusmodi conventionibus interfit, nec in hujusmodi conventionibus de pecunia repetenda, licet fides vel sacramentum intervenerit, justitia exhibeatur.

Statuimus etiam domini fundorum, si communam pasturæ, quam ecclesiæ & earum rectores consueverunt habere, interdixerint, pro voluntate sua, communione fidelium careant, nisi commoniti satisfecerint competenter.

Statuimus insuper, ut si quis excommunicatus, infra xl. dies sanctæ ecclesiæ reconciliari contempserit, & hoc per ministros nostros domino ejusdem fuerit intimatum: si dominus ejus, ad unitatem ecclesiæ redire eundem excommunicarum non compulerit: monitione præmissa, eadem summa percellatur, & terra sua interdicto suppocatur.

Inhibeatur etiam omnibus, & maxime ubi nihil de sorte minuitur, retineant, postquam de fructibus sortem receperint, deductis expensis.

Ad hæc prohibemus, ne sine litteris nostris ad fidelium eleemosynas postulandas, aliquis admittatur prædicator: nec etiam, si aliquis litteris nostris munitus adveniat, ad prædicandum admittatur, nisi litteræ nostræ nomen exprimant ejusdem, & expresse contineant, quod ei dederimus licentiam prædicandi: negotium vero & necessitatem tantummodo, pro qua advenerit, bene poterit populo demonstrare, licet prædicandi licentiam non habeat: dum tamen, sicut diximus, litteris nostris sit munitus. Volumus autem ut sacerdos ecclesiæ, in qua prædicatur, vel etiam negotium demonstratur, ut diximus, pecuniam collectam accipiat, & salvo custodiat, sub testimonio duorum virorum fide dignorum, quousque de mandato nostro, vel officialis nostri, illi loco ad quem facta est collectio, conferatur.

Prohibemus etiam, ne pro justitia facienda, differenda, vel acceleranda, aliquid accipiatur: & ne pro aliquo spirituali, aliquid ex pactione promittatur, detur, vel accipiatur. Quod si fiat, tam dans, quam accipiens, sententia excommunicationis se noverit innodandum.

Diffamati fama publica, vel verisimilibus indiciis, super crimine aliquo, de quo convinci non possunt, commoneantur semel, secundo, & tertio, ut confiteantur & satisfaciant. Si vero incorrecti in negatione perstiterint, indicatur eis purgatio, quæ, occasione captandæ pecuniæ, de die in diem non differatur: sed statim prima die, si parata fuerit, recipiatur, & canonicum numerum non excedat. Archidiaconus contra hoc veniens, vel officialis, vel alius quicunque, se noverit suspendendum ab officio.

Moneatque sacerdos quilibet, si inclusum habuerit in parochia sua, ne mulierculam aliquam recipiat in hospitio de nocte: similiter ne mulier masculum.

Prohibeat etiam sacerdos parochianis suis, sub interminatione anathematis, ne diebus Dominicis mercata frequentent, dimissis ecclesiis suis apud quas debent convenire, maxime diebus illis, & orationi intendere, ac officium ecclesiasticum & verbum Dei audire: quod non faciunt aliquo die in septimana, nisi rarissime, cum magnæ fuerint festivitates. Quare decrevimus mercatum nostrum nostrum de N. de cetero, die Lunæ frequentari.

Ad hæc prohibemus, ne choreæ, vel turpes & inhonesti ludi, qui ad lasciviam invitent, in cœmeteriis agantur: & ne ibi tractentur causæ seculares ex consuetudine, & maxime tales in quibus agatur de judicio sanguinis.

Prohibemus etiam, ne sacerdotes, vel clerici, tabernas frequentent, vel eas in domibus suis, vel alienis facere præsumant.

Prohibemus etiam, ne denunciatio scotallarum fiat in ecclesiis, neque per sacerdotem, neque per clericos extra. Ex concilio. *Sacro approbante. Cum spirituali. Sub interminatione. Quia vero nonnulli.* Sicut in concilio continetur.

Sequitur de archidiaconis.

ARchidiaconus & ministri ejus curam habeant & sollicitudinem, tam de iis quæ ad sacramentorum pertinent reverentiam, quam de omnibus aliis, de quibus promissum est: quæ quidem fideliter & irrefragabiliter observentur: transgressores, si qui fuerint, in hujusmodi, prout culpæ qualitas exposcit, coercendo, vel ad nos referendo.

Item

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

Item injungimus archidiacono, & ejus officialibus, ut in visitationibus ecclesiarum faciendis, diligenter faciant adscribi vasa, vestimenta, libros, & alia quæ ad Divinum pertinent officium: habeantque nihilo minus considerationem ad fabricam ecclesiæ, & maxime cancelli, si forte cooperatione indigeat. Et domos ecclesiæ, si forte dirutæ fuerint, vel ruinosæ. Si quos autem defectus invenerint in hujusmodi, certum, sub gravi pœna, præfigant diem & terminum, infra quem suppleantur. Et si interim decesserit rector ecclesiæ, de bonis ejus ecclesiasticis tanta portio rationabiliter juxta ecclesiæ facultates deducatur, quæ ad prædictos defectus complendos sufficiat. Caute etiam per se & suos inquirat, si in parochia sua officium visitationis impendunt, & si in rebus vel personis aliquid fuerit corrigendum, & excessus, si quos ibidem invenerit, vel tunc, vel proximo capitulo corrigat, vel corrigendos nobis insinuet.

Item præcipimus, quod archidiaconus & ejus officialis & decani, paratos se exhibeant & strenuos ad exhibendum conquerentibus justitiam, & ad defensionem ecclesiasticæ libertatis, & pro hujusmodi a quoquam nihil exigatur.

Ex concilio. *Procurationes.*

Sequitur de Crucesignatis.

AD hæc injungimus universis crucesignatis diœcesis nostræ, sub interminatione anathematis, ut iter arripiant, sine dilatione qualibet, ad vota propria exequenda: nec parcatur alicui, aut votum relaxetur, cujuslibet sexus, aut cujuslibet conditionis existat, nisi tanta & tam manifesta infirmitate laboret, vel adeo valetudinarius, quod nulli dubium esse debet ipsum non posse exequi votum suum. Et ii etiam tales secundum facultates suas de bonis propriis donent pro redemptione votorum. Et qui crucem abjecerint, excommunicentur, donec reassumpserint, & ad eundem se præparaverint.

Prohibemus etiam, ne aliquis clericus beneficiatus faciat servitium laicale dominis laicis, nec aliqui laici ab eis servitium laicale extorquere præsumant, nisi tenementum teneant laicale, pro quo eis servitium debeant impendere laicale, liberum, non servile.

Item inhibemus, ne aliqui viri ecclesiastici sive religiosi, sive alii, novam pensionem ecclesiis imponant, vel veteres pensiones augere præsumant. Si quis autem aliter egerit, irritum quod fecerit habeatur; prout in concilio Lateranensi continetur.

Inhibemus etiam, ne viri religiosi illas ecclesias habeant ad firmam, in quibus dicunt se jus patronatus habere: adjicientes, ne aliquis vendat, vel conferat, vel ad firmam det, vel pignori obliget monachis Cisterciensis ordinis, vel aliis religiosis, simile eis privilegium habentibus, terras aliquas, vel possessiones, nisi ipsius facta sufficienti cautione de indemnitate parochialis ecclesiæ, & hoc de nostra authoritate.

Sacri nihilo minus authoritate concilii statutum est, quod si patroni, vel advocati, aut feodotarii, seu vicedomini alicujus ecclesiæ, rectorem vel alium clericum ejusdem ecclesiæ, per se vel per alios occidere ausu nefario præsumpserint: patroni patronatum, advocati advocatum, feodotarii feodum, vicedomini vicedominatum, usque ad quartam generationem amittant, & posteritates talium, in clericorum collegio non admittantur; nec in regularibus domibus, alicujus prælationis assequantur honorem.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

Item cum inhonestum sit, & etiam canoni inimicum, ut viri religiosi, quibus concessum est in proprios usus convertere ecclesias, ecclesiis parochialibus personaliter deserviant: statuimus, ut in ecclesiis sic eis concessis, perpetuos vicarios per nos constituant. Et cum os bovis non debeat alligari triturantis, certam & competentem vicariam ad taxationem nostram, in dictis ecclesiis infra xl. dies eis assignent: alioquin nos dicto elapso termino de eis, prout viderimus expedire, disponemus.

Item, venalitatem Missarum districte inhibentes præcipimus, ne pro annualibus & tricennalibus Missarum faciendis, laici vel alii aliquid dare vel legare cogantur; & ne super iis aliqua pactio vel exactio vera, vel sub aliqua specie palliata, a sacerdotibus, vel ab aliis mediatoribus fiat, prohibemus.

In generali concilio statutum est, quod prohibitio copulæ conjugalis, quartum consanguinitatis & affinitatis gradum, de cetero non excedat, quoniam sine gravi dispendio animarum hujusmodi prohibitio non potuit in ulterioribus gradibus generaliter observari. Unde cum jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restituta, sancitum est, ut si qui, contra hujus prohibitionem præsumpserint de cetero copulari, nulla longinquitate defendantur annorum: cum diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augeat.

Item, cum secundum Apostolum, non solum a malo abstinendum est, sed etiam ab omni specie mali: præcipimus, ne aliquis turpis lucri spe denarios pro blado, vel pro animalibus, ante tempus receptionis bladi, vel animalium, secundum pessimum modum patriæ, dare præsumat, vel etiam terram vel possessiones quasi sub mortuo vadio recipere.

Augustinus, *de ebrietate & sobrietate.*

„ AUgustinus dicit: Ebrietas tota est imbecillis. Primum abolet memoriam, „ dissipat sensum, negligit mentem, confundit „ intellectum, concitat libidinem, involvit lin„ guam, implicat sermonem, corrumpit san„ guinem, obtundit visum, perturbat venas, „ infirmat nervos, obturat aures, turbat vi„ scera, subvertit sensum, humectat cerebrum, „ debilitat membra, frangit somnum, impedit „ ministeria, obruit animam, maculat corpus, „ & omnem salutem exterminat.

„ Item ebrietas mater flagitiosorum est, „ culparum materia, radix criminum, origo „ vitiorum, turbo capitis, subversio sensus, „ tempestas linguæ, procella corporis, naufra„ gium castitatis, ignominiosus languor, ma„ lesuada bilis, turpitudo morum, dedecus vi„ tæ, honestatis infamia, animæ corruptela: „ vinum quippe, non refutatur usu, sed flam„ matur in excessu.

Item contra de sobrietate.

„ SObrietas autem tota formosa est, utilis „ tota. Primum salvat memoriam, acuit „ sen-

ANNO CHRISTI 1237.

„ ſenſum, ſincerat mentem, dirigit vultum, integrat pudorem, mitigat vitium, curat faciem, limat aures, exornat cerebrum, expedit linguam, explicat ſermonem, confirmat ſanguinem, nutrit medullam, curat venas, ſtringit nervos, contemnit libidinem, fruitur ſomno, recreat corpus, propagat ſenectutem, ſine iſtis miniſteriis omnem hominem contemptibilem facit.

ANNO CHRISTI 1237.

CENOMANENSE CONCILIUM

A JUHELLO TURONENSI ARCHIEPISCOPO

Anno 1237. *habitum.*

An. 1237. „ QUanquam non ſatis conſtat Cenomanenſe iſtud concilium revera convenniſſe; ex duplici tamen epiſtola ſtatim recitanda intelligimus reipſa indictum fuiſſe, & præſules eos invitatos in viam ſe commiſiſſe. Quare vix credo impedimentum aliquod ſubito obſtitiſſe quominus haberetur. Porro ex his epiſtolis aliam præbet Martene Vet. Mon. tom. VII. pag. 126. alteram vero legas in ejus Anecdotis to. III. pag. 957.

EPISTOLA GAUFRIDI ABBATIS

Majoris monaſterii, ad Juhellum archiepiſcopum Turonenſem.

Excuſat ſe quod non poſſit intereſſe concilio Cenomanenſi ab eo indicto.

VEnerabili in Chriſto patri Juhello Dei gratia Turonenſi archiepiſcopo, Fr. Gaufridus divina permiſſione majoris monaſterii miniſter indignus, ſalutem & patri in Chriſto omnem reverentiam & honorem.

Quoniam hac die Martis poſt feſtum omnium Sanctorum ad concilium celebrandum a vobis Cenomanis indictum perſonaliter non poſſumus intereſſe, magnis & arduis negotiis alias præpediti, veſtram in Domino paternitatem attentius exoramus, quatinus in hac parte noſtram habeatis abſentiam excuſatam. Bene & diu valeat paternitas veſtra in Domino. Datum an. D. MCCXXXVII.

W. ARCHIDIACONI

Ad Juhellum Archiepiſcopum Turonenſem.

Excuſat ſe, quod nequeat indicto intereſſe concilio.

REverendo in Chriſto patri ac domino Juhello, Dei gratia archiepiſcopo, W. archidiaconus Penteuriæ Briocenſis diœceſis, ſalutem cum omni reverentia & honore.

Cum a vobis vocati ad concilium die martii poſt feſtum omnium Sanctorum apud Cenomanos celebrandum, Domino concedente, iter noſtrum arripuiſſemus; in via nimio corporis dolore vexati, non potuimus illuc commode proficiſci: placeat igitur veſtræ paternitati noſtram abſentiam excuſatam habere. Ratum enim & gratum habebimus quicquid dictis die & loco a vobis ad honorem Dei & eccleſiæ, ſacro approbante concilio, fuerit definitum. Bene & diu valeat paternitas veſtra.

TREVIRENSE CONCILIUM

Anno 1238. *habitum*

An. 1238. Affert. Mart. Vet. Mon. t. VII. p. 116.

ANno Domini MCCXXXVIII. in feſto beati Matthæi apoſtoli, in civitate Trevirenſi, in eccleſia majori, celebratum eſt concilium, reſidentibus domino Theodorico Trevirorum archiepiſcopo, & reverendis in Chriſto patribus Rodulfo Virdunenſi, Johanne Metenſi, Rogero Tullenſi epiſcopis, & hæc ſtatuta concilii.

CANONES.

I.

Quoniam creſcente malitia perverſorum hominum adverſus ſpiritales nequitias, ſanctorum patrum canones ad reprimendas quorumdam inſolentias non ſufficiunt, novis morbis nova medicamenta præparamus, neceſſitate eorum compulſi. Itaque præcipimus religioſorum locorum incendiarios & eorum receptatores, ſingulis diebus Dominicis excommunicatos nuntiari per omnes conventuales eccleſias, & per parochias, & monaſteria monachorum & monialium. Cum autem ipſi incendiarii poſt publicationem abſolvi non poſſint, niſi a papa; nos, expenſis eorum & laboribus parcere volentes, ſtatuimus ut ante denuntiationem hoc ipſis denuntietur

☞ tur, videlicet, quod nisi satisfecerint ante publicationem, eos oporteat ad papam laborare, ut sic territi ad satisfactionem facilius inducantur. Idem de violatoribus & fractoribus ecclesiarum statuimus. ANNO CHRISTI 1238.

II.

Quam frequenter præcipimus, quod si quis ad locum aliquam prædam locorum ecclesiasticorum vel personarum ecclesiasticarum, vel personas eorum duxerit, per totam illam parochiam cessetur a divinis, dum ibi præda & prædo & prædæ emtor fuerit. Si autem in ipsa parochia conventus fuerit, clausis januis & exclusis ipsius parochiæ parochianis, divina ibi celebrentur, submissa voce; ita quod foris audiri non possint. Si quis autem parochianorum decesserit, sepeliatur in atrio sine officio missæ, & cum sola tantum commendatione, exceptis prædone, emtore, receptatore, vel fautoribus eorumdem; vel si consumta fuerit præda, sententiæ prædictæ serventur, si de præmissis constiterit vel per evidentiam facti, vel per juramentum, quod his spoliati, honesta fuerit persona: si quis autem circa hæc emerserit, in judicio judicis relinquatur. Sacerdotes locorum quibus de præmissis constiterit, statim sententias prædictas observent & faciant observari. Adjicimus, quod si raptor rerum sacrorum locorum, vel patrum ecclesiasticorum admonitus non satisfecerit, excommunicetur; & si dominum habet superiorem, ille moneatur, ut raptorem ad satisfactionem compellat, ut infra mensem a tempore monitionis sibi factæ satisfaciat; quod si satisfacere contemserit, ex tunc terra ejus ecclesiastico supponatur interdicto; prius tamen interdicta terra raptoris, si quam habet.

III.

Quod diximus de raptore, hoc extendi volumus ad eum qui procurat quod rapina fiat. Si raptor excommunicatus fuerit, vel terra ejus interdicta ab ordinario unius diœcesis; ordinarii qui super hoc fuerint requisiti, in suis diœcesibus eumdem raptorem denuntient, & vitari faciant: terram, si quam habet, nihilominus supponentes interdicto. Idem de captivatoribus & captoribus clericorum.

IV.

Si locus interdictus fuerit propter excessum domini, ejusdem loci homines non admittantur ad divina in locis tam vicinis quam externis, ne rumpi possit nervus disciplinæ ecclesiasticæ; & si quis tales admittit scienter, conventus, quot diebus in hoc peccaverit, tot septimanis celebret januis clausis, sine pulsatione campanarum, voce submissa, & alias graviori animadversione puniendus, si istud neglexerit observare. Si vero pastor, aut vicarius personas loci interdicti admiserit, suspendatur. Simili pœna involvi volumus admittentes quemcumque excommunicatum ad divina. ANNO CHRISTI 1238.

V.

Item, statuimus ut captivatores clericorum, adjutores & defensores eorum excommunicati in continenti nuntientur. Si autem a die denuntiationis captivatum cum satisfactione infra triduum non restituerit, terra ipsorum supponatur interdicto. Si autem a tempore interdicti intra mensem non receperint, principales eorum domini, qui potestatem habent eos coercendi, ab ordinariis suis moneantur, ut captivatores & detentores ad eorum restitutionem inducantur, & compellant in continenti; alioquin ipsi domini excommunicentur. Et si sententia excommunicationis non sufficit circa eos, ipsorum terra supponatur interdicto.

VI.

Si quis laicus alicui ecclesiasticæ personæ minas intulerit de proprio corpore, & admonitus a judice ordinario, eum assecurare noluerit, nec de ipsa recipere rationem, per excommunicationis & interdicti sententias ad id compellatur.

VII.

Item statuimus, quod si clericus celebraverit in loco interdicto, vel ipse interdictus vel excommunicatus divina celebrare præsumserit, & ammonitus a prælato suo non destiterit, per episcopum loci capiatur arctæ custodiæ & pœnitentiæ deputandus.

VIII.

Idem fiat de qualibet persona religiosa taliter administrante, & in sua pertinacia persistente.

IX.

Omnem negotiationem clericis inhibemus beneficiatis, vel in sacris ordinibus constitutis.

X.

Sacerdotum vestis suprema talaris & clausa sit, & quando ad divina accedunt, camisia, id est rocheto induantur.

XI.

Quando ad infirmos vadunt cum Eucharistia, similiter camisiam habeant, vel superpellicium, vel cappam choralem, & si necesse fuerit, cooperiant se cappa pluviali non manicata, tamen ipsam

☞ ipsam deponant cum venerint ad infirmum.

ANNO CHRISTI 1238.

XII.

Argenteas fibulas & deauratas corrigias sacerdotibus inhibemus, nullam cordam vel nodum in tunica vel supertunicali habeant, nisi solum in capa.

XIII.

Clerici tam honeste se gerant in tonsura & corona, ne propter hoc ipsos severitate debita puniamus; & clericus qui non servaverit statuta circa tonsuram & habitum, in causis minime audiatur.

XIV.

Tabernas clericis inhibemus omnino, nisi in peregrinatione & in itinere id fiat necessitatis causa.

XV.

In simplicibus tunicis vel supertunicalibus sacerdotes non compareant in ecclesiis, judiciis, & plateis.

XVI.

Campanari sine camisia in superiori non serviant in ecclesia vel alias in divinis.

XVII.

Circa clericos habentes manifestam cohabitationem cum mulieribus, statuimus quod non admittantur ad ordinationem ecclesiæ, nec valeat electio ab ipsis vel de ipsis celebrata.

XVIII.

Quicunque clericus manifeste mulieribus cohabitans suum fuerit executus officium, ad curiam transmittatur cum litteris ordinarii sui, rei seriem continentibus, sana tamen potestate ordinarii, si quam habet, in hoc casu.

XIX.

Ecclesiæ pastoralis pastor vel vicarius habens redditus octo marcarum, scholarem habeat secum servientem in divinis.

XX.

Clerici ludos alearum, & deciorum, & globorum devitent, & ad hoc per subtractionem beneficii compellantur.

XXI.

Sacerdotes cappas non habeant manicatas; nullus presbyter sine caligis sive æstivalibus celebrare divina præsumat.

XXII.

Cum statutum sit, ut clerici, ministri, vel baillivi, vel justitiarii laicorum auxilium ab ecclesia, si capti fuerint, non habeant; adjicimus, quod si prius admonitus non cessaverit, ecclesiasticis beneficiis spolietur.

XXIII.

Presbyteri seu personæ ecclesiasticæ, qui mandatum exequuntur alicujus sententiæ a suis prælatis, si negligentes inventi fuerint, in exequendis, illi, per quos mandatum receperint, tenentur ad interesse, secundum boni viri æstimationem coram judice faciendam; si vero pro observatione mandatorum ipsorum damnum passi fuerint, nec relaxetur sententia, antequam de damnis datis satisfaciat; & si prius relaxata fuerit, nihilominus satisfaciat de pœnis.

ANNO CHRISTI 1238.

XXIV.

Si clericus observans sententiam propter damnum sibi propter hoc illatum sustentationem non habeat, ab ordinario ei provideatur; nec relaxetur sententia antequam expensæ refundantur, quæ in provisione presbyteri sunt impensæ.

XXV.

Suspensi seu clerici excommunicati celebrantes, a domino papa tantum absolvantur; cum eo cui talis hactenus fuerit facilis absolutio, disciplina sit ecclesiastica vilipendenda.

XXVI.

Cum alias institutum sit, quod vicariis competens portio debeat assignari, adjicimus, ut si iidem vicarii minorem acceperint & acceptaverint portionem, nihilominus actionem habeant ad petendam competentem, cum hoc inductum sit personæ non in favorem; sed in favorem totius ordinis clericalis.

XXVII.

Sicut sæpe præcipimus, sic iterum præcipientes innovamus, ut corpus Domini, sanctum oleum infirmorum, & fores sacri baptismatis sub diligenti sint custodia & clausura cum sacra Eucharistia; nec eant ad infirmum sine lumine & campana.

XXVIII.

Item, præcipimus, ut Corpus Domini post quindenam non servetur, sed in fine quindenæ, si tamdiu servatum fuerit, sumatur a sacerdote cum oblatione.

XXIX.

Cum secundum apostolum, *qui non laborat, non manducet*, prælatis ecclesiarum conventualium præcipimus, ut per subtractionem beneficii compellant subditos suos ad frequentationem chori & residentiam, qua tenentur.

XXX.

In parochialibus ecclesiis pulsentur horæ canonicæ, & de villis cum adjacentibus & capellis attinentibus compellantur homines Dominicis diebus & solemnibus ad missam venire ad matri-

cem

cem ecclesiam, ne honor matricis ecclesiæ depereat per capellas; nisi forte remota sit capella, & ei provisum sit in beneficio, ut in eo valeat & soleat & debeat ministrare sacerdos. ANNO CHRISTI 1238.

XXXI.

Ut hæreticæ pestilentiæ, quæ radices jam mittit in provincia Trevirensi, omni sollicitudine occurramus; omnibus archidiaconis, pastoribus, & vicariis, nec non & aliis tam clericis quam laicis nostræ jurisdictioni subjectis in virtute S. obedientiæ præcipimus, ut ubicumque inveniantur doctores hujus sceleris, vel auditores ipsorum, ad episcopi audientiam, ne oves Domini suis superstitionibus inficiant & corrumpant, denuntientur, & singulis diebus Dominicis & festivis excommunicentur hæretici, auditores, receptatores, fautores, & illi qui eos non accusant cum sciunt.

XXXII.

Decimæ non in domibus, sicut fieri consuevit hactenus, sed in agris, vineis, pratis, & in locis aliis ex quibus proveniunt, persolvantur, nullis deditis expensis circa rem hujusmodi decimandam. Consuetudinem illam, secundum quam non decima, sed undecima, vel duodecima pars solvitur, pro decima in annona vel in rebus aliis, quanticumque temporis sit, improbamus.

XXXIII.

De causis matrimonialibus nullus pastor, vicarius, vel decanus ruralis cognoscere præsumat.

XXXIV.

Usurarii manifesti vel convicti post hujus statuti publicationem pœnis coerceantur, quæ a jure infliguntur eisdem, ut videlicet non admittantur ad communionem altaris, nec ad Christianam sepulturam, nec eorum oblationes suscipiantur, dum fuerint in hoc peccato. Usurarios censemus sub pignore mutuantes, & ultra sortem percepta in sortem minime computantes.

XXXV.

Cum adulteri & adulteræ & alia enormia committentes, pecuniaria pœna persoluta, minus timeant reclinare; statuimus ut de cætero conjuncti * publicam pœnitentiam agant: mulieres infra parochiam portantes cyphum * in scapula, & baculum in manu, in habito & cypho per omnia tales quales esse consueverunt, peragentes carinas. * Viri autem infra parochiam vel extra pœnitentiam agant modo præscripto. Et hoc fieri procurent episcopi, vel eorum officiales, si ea archidiaconi vel subditi neglexerint procurari.

XXXVI.

Cum plures excommunicati sententiam vilipendant; statuimus quod si excommunicatus in sua pertinacia sex septimanas persistat, statim recepto mandato excommunicatoris ordinarii per litteras ipsius, quas ad probationem faciendam sufficere volumus: in hoc casu excommunicatus per superiorem suum ad unitatem ecclesiæ compellatur redire; alioquin idem superior post admonitionem sententia percellatur.

XXXVII.

Conjurationes quæ fiunt per inspectationem ignis, vel gladii, seu alio quovis modo, cum sint penitus reprobatæ, statuimus ut si clericus in talibus deliquisse inveniatur, suspendatur, manens in ea suspensione usque ad satisfactionem condignam; si vero laicus, excommunicetur.

XXXVIII.

Statuimus ne habitu * monachorum vel regularium canonicorum cujuscumque ordinis mulieres pernoctent.

* f. in aditu nempe in loco ab iis frequentato

XXXIX.

Si quis monachus vel monialis proprium habuerit, vel in vitium carnis lapsus fuerit, & fuerit hoc manifestum, in pœnam sui criminis stet ultimus in choro, vocem non habeat in capitulo, non ad aliquam ordinationem in capitulo vel extra admittatur, nec valeat electio ab ipso facta, vel de ipso.

XL.

Illos autem censemus proprietarios quibus assignantur curtes vel allodia pro certa pensione: qua soluta, de residuo tamquam de proprio suo faciunt voluntatem.

XLI.

Item, præcipimus ut abbates & monachi observent regulæ suæ statuta; alioquin quicumque transgressores per diœcesanos suos animadversione debita puniantur.

XLII.

Item, inhibemus ne alicui monacho non professo administratio aliqua in suo monasterio concedatur, nec ad aliquam ordinationem admittatur. Abbas suus eos, qui professi non sunt, si administrationem aliquam habuerint, amoveat ab administratione usque ad quindenam; alioquin se suspensum sciat.

XLIII.

Cum novo avaritiæ genere, quidam in nostris diœcesibus laborantes indebitas faciant fabricari monetas: universis presbyteris eorumdem locorum præcipi-

ANNO CHRISTI 1238.

pimus, quatenus quam cito perceperint istud, ibi statim cessent a divinis, quousque de tali injuria ad mandatum ecclesiæ fuerit satisfactum.

XLIV.

Item, præcipimus singulis diebus Dominicis, & festivis denuntiari excommunicatos facientes falsam monetam, vel mandantes, vel procurantes, ut A fiat. Item utentes scienter falsa moneta vel indebita moneta.

XLV.

Annum Domini gratiæ * propter multas ejus abusiones revocamus: volumus tamen, ut bonæ consuetudines ante ipsum in præbendis clericorum decedentium observatæ in suo vigore maneant & persistant.

Explicit concilium Trevirense.

* Ita voc bantur fru ctus benefi ciales uniu anni, qui be neficiato po ejus obitum obveniebant eosque ad arbitrium legabat.

CONCILIUM APUD CAMPINACUM *

* Cognac.

FERIA II. POST OCTAVAM PASCHÆ

Ann. Dom. MCCXXXVIII. a Gerardo archiepiscopo Burdegalensi, & suffraganeis celebratum.

TITULI CAPITULORUM

1. *De excommunicatis in octo casibus.*
2. *Iterum de excommunicatis.*
3. *Ne quid exigatur ab ecclesiis violenter, aut in earum locis hospitetur præsumptive.*
4. *De vicariis non constituendis.*
5. *Ne rectores ecclesiarum sint aliarum ecclesiarum vicarii.*
6. *Ut quilibet sacerdos habeat proprium sigillum.*
7. *De non faciendo citationem ad judicium, nisi viso authentico, & transcripto retento.*
8. *Ne prælati relaxent excommunicationis sententias, juris ordine non servato.*
9. *Ut prælati, aliorum sententias requisiti, faciant observari.*
10. *De causis matrimonialibus.*
11. *De laicis qui malitiose coram se personas ecclesiasticas litigare compellunt.*
12. *Ne monachi advocati seu procuratores existant.*
13. *Ne sacerdotes advocati vel procuratores sint.*
14. *De advocato pauperibus dando.*
15. *Qualiter homines diversorum dominorum pro indiviso debent interdicto supponi*
16. *Ut ecclesiæ recuperent quæ occasione interdicti amiserunt.*
17. *Qualiter barones sunt pro suis excessibus excommunicandi.*
18. *De excommunicatis.*
19. *De pœna capientium clericos & verberantium.*
20. *Ne pecunia pro victu & vestitu regularibus assignetur.*
21. *De custodia claustri, & reddendo computo.*
22. *Ne monachi absque licentia exeant claustrum.*
23. *Ne monachi vel canonici regulares pallia deportent.*
24. *Non licet regularibus proprium habere, vel careant sepultura.*
25. *De vestibus regularium.*
26. *De vita & honestate monachorum & condonatorum.*
27. *Ne monachi fidejubeant ultra viginti mutuo.*
28. *Ne monachi carnes edant præterquam in domibus suis.*
29. *Ne monachi curam habeant animarum.*
30. *Ne soli sint monachi & canonici regulares.*
31. *Ne laici absque licentia diœcesani constituant, confratrias.*
32. *De congrua sustentatione presbyteris assignanda.*
33. *De novis domibus religiosis & hospitalibus ne fiant.*
34. *De rebus ecclesiæ non alienandis.*
35. *Ut capellani qui parochiam habent communem, ad divisionem cogantur.*
36. *Ut nemo alienæ diœcesis recipiatur ad celebrandum Divina.*
37. *De ordinibus.*
38. *De collatione beneficiorum ad superiorem devoluta.*

PRÆFATIO.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, novis ac damnosis hominum malitiis obviantes, per quas justitia læditur, propagatur iniquitas, crescit impietas, totiusque cleri decoloratur honestas.

CAPITULA.

I. De excommunicatis in octo casibus.

Excommunicamus omnes illos qui falsis litteris, &* inanibus de cetero scientiis utentur. Item eos qui ad diversa loca, & coram diversis judicibus, simul * super actionibus parilibus, trahunt aliquem vel aliquos, vel trahi etiam procurabunt. Item & eos qui cedunt actiones clericis, vel aliis, & qui recipiunt cessiones nisi in casibus a jure concessis, & qui advocando seu procurando actiones scienter hujusmodi prosequentur. In supradictis etiam casibus præsenti decreto eas pœnas duximus adjungendas, ut qui aliquid de præmissis commiserit, ipso facto cadat a jure, si quod sibi competat, & ad damna in judicio, & extra judicium contingentia, & ad expensas & omne in-

* *Lege, in Codice Constituti num San nensium edito*, v inanibus cetero sci ter. *Ha*

* *Lege e eodem co ce*, super versis pe sonalibus actionibus

ANNO CHRISTI 1238.

intereſſe in ſolidum teneatur. In eodem:

II. Item de excommunicatis.

Item excommunicamus omnes illos qui contra eccleſias & eccleſiaſticas perſonas, conſpirationes, ſeu conjurationes fecerint, vel ſtatuta: & hoc in eccleſiis frequenter denunciari mandamus. Item excommunicamus omnes illos, qui dicentes ſe judices datos, delegatos, vel ſubdelegatos a ſuperiore, citant, vel citari faciunt aliquem vel aliquos, niſi prius inſpecto authentico, vel authentica ſcriptura commiſſionis ſibi factæ. Item & illos qui utuntur ſuper novis injuriis, & actionibus, ex novis cauſis incipientibus competere poſt litteras impetratas, litteris ante illatas injurias impetratis, præcipimus excommunicari, & pœnis ſupra poſitis ſubiacere. Item cum olim in concilio provinciali fuerit certa deliberatione ſtatutum, quod loca in quibus res eccleſiæ vel eccleſiaſticæ perſonæ detinentur, ſubjicientur interdicto, quamdiu res illæ vel perſonæ in locis illis fuerint detentæ, niſi ſolvantur vel recredantur; & certis experimentis edocti, noverimus quoſdam malitioſe negare, ſe res illas vel perſonas habere aut detinere, cepiſſe & occupaſſe: eorum fraudibus occurrentes, ſtatuimus, ut ſive loci fuerit dominus, ſive præpoſitus & baillivus, & quocumque alio nomine appellentur, teneatur jurare ſe rem illam, vel perſonam non habere, nec poteſtatem habere liberandi vel reſtituendi. Quod ſi juramentum præſtare noluerit, excommunicationis vinculo innodetur. In eodem:

III. Ne quid exigatur ab eccleſiis violenter, aut in earum locis hoſpitetur præſumptive.

Rurſus quia pro certo nobis innotuit, quod per illicitas exactiones & angarias laicorum, quamplures eccleſiæ, hoſpitalia, & aliæ domus religioſæ, ad exinanitionem ultimam devenerunt: paterna eiſdem ſolicitudine providentes, in hoc ſacro concilio excommunicamus omnem ſæcularem perſonam, quæ in eccleſiis, vel hoſpitalibus, vel aliis religioſis domibus vel perſonis, exactiones facere præſumpſerit violentas; vel non invitata, invitis eorum rectoribus ibidem hoſpitata fuerit præſumptive. Si tamen præſumptores hujuſmodi ſatisfacere voluerint de præmiſſis, diœceſanus loci abſolvendi tales habeat poteſtatem. Et ut ab importunis, & extortis quodammodo donationibus & angariis, iidem rectores valeant excuſari: ſub pœna excommunicationis eiſdem rectoribus, inhibemus, ne memoratis exactoribus, prædonibus, & improbis, ſubſtantias pauperum & peregrinorum, & ibidem Domino ſervientium, largiri præſumant. In eodem:

ANNO CHRISTI 1238.

IV. De vicariis non conſtituendis.

Vicarios etiam prohibemus per archipresbyteratus, decanatus, & archidiaconatus, conſtitui ab archidiaconis, decanis, & archipresbyteris: niſi ex juſta cauſa abſentes fuerint. Quo caſu poterunt, cum conſenſu epiſcopi vicarios ordinare. In eodem:

V. Ne rectores eccleſiarum ſint aliarum eccleſiarum vicarii.

Ad hoc de capellanis eccleſiarum parochialium, qui aliam accipient vicariam, cenſemus, ut ſi monitione præmiſſa noluerint ad inticulatam redire, ſine remedio illis auferatur. In eodem:

VI. Ut quilibet ſacerdos habeat proprium ſigillum.

Ad hoc, cum non citatus, interdum eſſe citatus præſumatur, contingat condemnari aliquem innocentem. Unde diſtricte prohibemus, ne judex in aliquem ut in contumacem ferat excommunicationis ſententiam, & aliam, donec de citatione certioratus fuerit per citatorem, vel alias ſibi canonice fuerit facta fides. Unde ſtatuimus, quod quælibet capellania habeat ſigillum proprium, in quo tales litteræ ſint inſculptæ: Sigillum capellaniæ N. ad citationes: capellaniæ expreſſo nomine, non perſonæ. Quod videlicet ſigillum, citatione facta a capellano, in citatorio imprimatur. Item in eodem.

VII. De non faciendo citationem ad judicium, niſi viſo authentico, & tranſcripto retento.

Quotidianis viam fraudibus obviantes, deliberatione provida duximus ſtatuendum, ne ii quibus datur in mandatis a delegatis Apoſtolicæ ſedis, vel aliis, ut reum ad judicium evocent, citare præſumant, donec authenticum ipſum, cujus authoritate ſit in jus vocatio, inſpiciatur, & deſcribatur ab eo cui fuerat ut citaret injunctum ita ſcilicet

ANNO CHRISTI 1238

licet ut transcriptum retineatur scribendum sumptibus illius qui scripto authentico est usurus, citato si necesse fuerit exhibendum. In eodem:

VIII. Ne prælati relaxent excommunicationis sententias, juris ordine non servato.

Prohibemus districtius, ne episcopi, & alii ecclesiarum prælati, sententias latas pro re judicata, & alia manifesta offensa, sine satisfactione competenti præsumant ullatenus relaxare. Sic nec latas pro contumacia, nisi præsente adversario, vel per contumaciam absente, volumus relaxari. In eodem:

IX. Ut prælati aliorum sententias requisiti faciant observari.

Item mandamus & jubemus, ut sententias prælatorum ad insinuationem ipsorum alii prælati faciant in sua diœcesi observari, ac si ab eisdem eædem fuissent promulgatæ, ut excommunicatis ubique aditus ecclesiasticus recludatur. In eodem.

X. De causis matrimonialibus.

Prohibemus ne causæ matrimoniales judicibus committantur, nisi viri periti fuerint & discreti: adjicientes, ut judex testes in causis matrimonialibus, per seipsum, vel per talem qui canonicas sanctiones non ignoret, examinet, ut erroris & fraudis materia penitus excludatur.

XI. De laicis qui malitiose coram se personas ecclesiasticas litigare compellunt.

Ad reprimendam libertatem ecclesiæ & clericorum, quidam judices sæculares nova commenta & judicia confingentes, compellunt coram se personas ecclesiasticas per excogitatam malitiam respondere. Cum enim laicus qui possessionem authoritate clerici vel ecclesiæ possidet, & excolit, vel aliquid aliud agit, tractus in causa coram judice sæculari, & de stando juri datis fidejussoribus, authorem in judicio nominaverunt ecclesiam, vel ecclesiasticam personam, ut exigit ordo juris, iniquo suo judicio, immo verius præjudicio, coram ipsis compellunt personam ecclesiasticam litigare: aut conventus laicus & fidejussores ab eo dati compelluntur reddere rem petitam cum consuetudinaria mulcta judicis sæcularis. Dant etiam iidem judices laicis licentiam ecclesias & personas ecclesiasticas spoliandi: ut cum coram ipsis contra spoliatores egerint, saltem respondeant reconventi: cum sit consuetudo Burdegalensis provinciæ, quod coram quo voluerint judice clerici litigent, sive actores fuerint, sive rei conventi, seu etiam reconventi. Unde sub pœna excommunicationis, judicibus, & aliis personis sæcularibus inhibemus, ne de cetero præsumant talia attentare, sed ad judicium ecclesiæ remittant personas ecclesiasticas conventas, vel reconventas, examen ecclesiasticum postulantes: & de suis laicis, faciant clericis & personis ecclesiasticis justitiam competentem. Laicus autem qui clericum, vel aliam personam ecclesiasticam, actorem in judicio sæculari nominaverit, postquam se persona ecclesiastica præsentaverit, forum ecclesiæ allegando, fidejussores quos dederat ab instantia sæcularis judicii, per sæcularem judicem absolvatur. Alioquin judex & ejus consiliarii in hac parte excommunicati publice nuncientur. In eodem:

XII. Ne monachi advocati, seu procuratores existant.

Obnixe præcipimus ne monachi in aliqua causa advocati & procuratores esse præsumant, nisi pro suæ ecclesiæ evidenti utilitate, suo superiore in illo casu hoc nihilo minus imperante. Quod si contra facere præsumpserint, eis audientia denegetur: & si quid per eos in foro judiciali actum vel gestum fuerit contra præceptum nostrum, habeatur irritum & inane. Hoc idem de canonicis regularibus duximus statuendum.

XIII. Ne sacerdotes advocati vel procuratores sint.

Sacerdotibus insuper prohibemus firmiter, ne pro aliquibus advocati existant & procuratores, seu defensores: nisi pro ecclesiis, & miserabilibus, & conjunctis personis; & tunc nullo pacto, ullo pretio mediante.

XIV. De advocato pauperibus dando.

Pristini juris recolentes censuram, mandamus ut si aliqui pauperes sint, qui pro paupertate advocatum habere non possint, det ipsis curia advocatum, si causa indiget advocato. In eodem:

ANNO CHRISTI 1238.

XV. Qualiter homines diverſorum dominorum pro indiviſo debent interdicto ſupponi.

Si plures domini, homines habeant diviſos, pro delicto domini alterius, interdicto ſui ſolummodo ſupponantur. Si vero homines habeant pro indiviſo, ſubjiciantur omnes communi interdicto. *In eodem.*

XVI. Ut eccleſiæ recuperent quæ occaſione interdicti amiſerunt.

De dominis inſuper terrarum, pro quorum contumacia & delicto terra ſupponitur interdicto: ſtatuimus, ut ad reſtituenda beneficia eccleſiis pro eorum culpa amiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur. *In eodem:*

XVII. Qualiter barones ſunt pro ſuis exceſſibus excommunicandi.

De baronibus excommunicandis ſtatuimus obſervandum, ut cum eos excommunicari neceſſe fuerit, perſonæ eorum excommunicationi ſubdantur; & eorum uxores, & familiæ interdicantur; & ipſorum excommunicatio, & interdictum familiæ, publicentur diebus Dominicis & feſtivis. Et cum in aliqua villa vel caſtro, eorum ſubditi juriſdictioni, præſentes fuerint, ceſſetur penitus a Divinis: cum autem receſſerint, Divina more ſolito celebrentur. Et ſic per duos menſes, niſi ad ſatisfactionem pervenerint, expectentur: quibus elapſis, caſtra ipſorum ſupponantur interdicto: & niſi infra alios duos menſes reſipuerint, in tota terra ſua interdicti ſententia promulgetur. Poſt annum vero, tanquam hæretici omnibus publicentur, & ipſorum bona confiſcanda nihilo minus exponantur. *In eodem.*

XVIII. De excommunicatis.

Si quis per quadraginta dies in excommunicatione permanſerit, pœna decem librarum mulctetur, vel alia competenti. *In eodem:*

XIX. De pœna capientium clericos & verberantium.

Ad reprimendam illius temerariæ præſumptionis audaciam, qua, ſuadente humani generis inimico, quidam in elericos manus injiciunt violentas, obliti ſententiæ evangelicæ; Qui vos tangunt, tangunt pupillam oculi mei: multa emanaverunt a ſanctis patribus in ſtituta, quibus anathematis mucrone præſumptores hujuſmodi percelluntur: necdum tamen temeritas eſt ſucciſa. Quin quidam veſaniæ ſuæ aculeis agitati, ipſos capere non verentur, atrocem inhumanitatem in eos crudeliter exercentes, ut redemptionem extorqueant ab eiſdem. Quare præſenti ſtatuto decernimus, & decernendo ſtatuimus, ut nullus de poſteritate præſumptorum hujuſmodi, uſque ad tertiam generationem, ad eccleſiaſticum beneficium & ordines admittatur: cum ſecundum cenſuram Dominicam, patrum iniquitas, uſque ad tertiam vel quartam generationem & progeniem, vindicetur. Et qui tali beneficium ſcienter contulerit, conferendi beneficia poteſtate privetur. In eodem.

XX. Ne pecunia pro victu & veſtitu regularibus aſſignetur.

Abbatibus diſtrictius inhibemus, & capitulis regularibus univerſis, ne pecuniam aliquam pro victu vel veſtitu præſumant fratribus aſſignare, ne habendi proprium eis materia tribuatur: ſed in communi eos pro poſſe ſatagant procurare, & pietate tractare paterna. Nec aliquos recipiant, pacto, vel conditione, vel pecunia mediante: ſed ſi monaſterii non ſufficiant facultates, pauciores habere liceat, quam hactenus fuerit conſuetum: & deinceps nulli admittantur, donec de communi poſſint vivere, ſicut ſuperius eſt expreſſum. In eodem.

XXI. De cuſtodia clauſtri & reddendo computo.

Volumus etiam & mandamus, quod adminiſtratores eorum ſingulis menſibus cum abbate & aliquibus fratribus computent de expenſis & redditibus, & aliis proventibus univerſis: & quod in oſtiis cujuslibet clauſtri claves fiant, quibus, competentibus horis, oſtia firmiter claudantur. Abbates etiam ſemel in anno computent, & villicationis ſuæ rationem reddant in ſuo capitulo generali. In eodem:

XXII. Ne monachi abſque licentia exeant clauſtrum.

Fratribus autem diſtrictius inhibemus, ne exeant clauſtra, abſque ſui abbatis, vel prioris, ſeu ſervantis ordinem, licentia ſpeciali: & ne in villis & caſtris

ANNO CHRISTI 1238.

ſtris in quibus morantur, extra clauſtra lateant, & comedant ullo modo. Quod ſi contra feciſſe inventi fuerint, nequaquam ad aliorum recipiantur conſortium, niſi ſalva ordinis diſciplina. *In eodem.*

XXIII. Ne religioſi abſque licentia, niſi pro adminiſtratione, agant.

Item ne aliqua in judicio repetant ſine ſpecialibus litteris ſui ſuperioris: niſi ad adminiſtrationem ſibi commiſſam, quod peterent, pertineret. *In eodem.*

XXIV. Ne monachi vel canonici regulares pallia deportent.

Item ne extra clauſtrum, ſicut nec intra, pallium deferre præſumant in villis & caſtris in quibus morantur. *In eodem.*

XXV. Non licet regularibus proprium habere, vel careant ſepultura.

Proprium autem vel peculium nulli habeant: quod ſi forte in morte habere inventi fuerint, Chriſtiana careant ſepultura. Sed nec cum talibus diſpenſetur, nec poſtmodum in cœmeterio reponantur, niſi abbati ſuo, vel cui fecerint profeſſionem ſuam, reddiderint humiliter ac devote. *In eodem.*

XXVI. De veſtibus regularium.

Bruneta vel ſtamine forti nulli prorſus regulares utantur, nec ſupertunicale etiam deferant niſi clauſum, & etiam manicatum. *In eodem.*

XXVII. De vita & honeſtate monachorum & condonatorum.

Abbatibus etiam firmiter præcipimus, & prioribus conventualibus, ut ter in anno publice injungant monachis ſuis ſub pœna excommunicationis, a ſe proprium abdicare, & in manu ſua reſignare compellant, & etiam condonatos: & veſtes clauſas habeant, tonſuram etiam regularem, & annulos ſive monilia nequaquam habere præſumant, & alia honeſtati non congrua regulari: ſed caſte ſe habeant & honeſte. *In eodem.*

XXVIII. Ne monachi fide jubeant neve ultra viginti ſolidos mutuo ſumant.

ANNO CHRISTI 1238.

Inhibemus quoque monachis, & aliis religioſis adminiſtrationes habentibus, ut abſque abbatis & majoris ſui licentia pro aliquo fidejubere, vel ultra viginti ſolidos recipere mutuo pecuniam non præſumant. Si vero contra hoc feciſſe aliqui inventi fuerint, abbates, & conventus, & ſucceſſores eorum, pro his reſpondere nullatenus teneantur: niſi forte in utilitatem domorum ſuarum manifeſte conſtiterit redundaſſe. Ipſi tamen graviter puniantur. *In eodem.*

XXIX. Ne monachi carnes edant præterquam in domibus ſuis.

De eſu carnium monachis præcipimus firmiter & diſtricte, ut regulam beati Benedicti in hoc obſervent: ſub pœna excommunicationis diſtrictius inhibentes, ne in domibus laicorum eas comedant ullo modo. *In eodem.*

XXX. Ne monachi curam habeant animarum.

Curam etiam parochialium eccleſiarum ſub pœna excommunicationis diſtrictius eis penitus inhibemus; niſi in neceſſitate cum abbatis & ipſius diœceſani licentia. Et ſi quis contra hoc, &c. *In eodem.*

XXXI. Ne ſoli ſint monachi & canonici regulares.

Præterea præcipimus ne monachi vel canonici regulares ſoli maneant in prioratibus, cellis, & grangiis: & alias conſtitutiones ſuper obſervatione monaſtici ordinis, a domino Papa de novo editas, obſervari præcipimus & mandamus. *In eodem.*

XXXII. Ne laici abſque licentia diœceſani conſtituant confratrias.

Conjurationes vel conſpirationes laicorum, quibus interdum nomen confraternitatis imponunt, impietatem palliantes ſub nomine pietatis, omnino fieri prohibemus. Unde ſtatuimus, quod nulla fiat confraternitas laicorum ſine authoritate & conſenſu diœceſani ejuſdem loci: quod ſi factum fuerit, tamdiu excommunicentur ipſius authores, donec eadem fraternitas velut impieta-

tatis colligatio penitus diſſolvatur. *In eodem:*

XXXIII. De congrua ſuſtentatione præsbyteris aſſignanda.

De patronis eccleſiarum parochialium, ſive ſint monachi, vel alii religioſi, vel canonici regulares, volumus & præcipimus firmiter & diſtricte, ut per diœceſanum loci compellantur presbyteris earumdem ſervitio deputatis, tantam & tam idoneam portionem aſſignare, ut ex ea valeant congrue ſuſtentari, prout definitum eſt in concilio generali. *In eodem.*

XXXIV. De novis domibus religioſis & hoſpitalibus, ne fiant.

De novis domibus religioſis, ne fiant ſtatuimus, & firmiter inhibemus ne ibidem oratorium conſtruatur, vel fratres aliquod ſignum religionis accipiant, ſine diœceſani licentia & conſenſu: ſed priores ſive adminiſtratores illorum locorum eiſdem diœceſanis præſententur, qui curam ab ipſis recipiant quam debent. Et ſi qui contra hoc facere præſumpſerint, ſciant ſe ultioni canonicæ ſubjacere. *In eodem.*

XXXV. De rebus eccleſia non alienandis.

Nullus poſſeſſiones eccleſiæ vel reditus alienare præſumat, ſine diœceſani licentia ſpeciali. Aliter facta alienatio non valeat, & alienatores puniantur ſecundum canonicas ſanctiones. *In eodem.*

XXXVI. Ut capellani qui parochiam habent communem, ad diviſionem cogantur.

Quoniam accidit interdum unius rei dominis, vel quaſi dominis, aut habentibus jus commune in ea re, eam potius pro diviſo quam pro indiviſo habere expedit: certis experimentis edocti, præſenti decreto ſtatuimus, ut ſi plures capellani parochianos communes habeant, ad diviſionem cogantur, adjudicatione & condemnatione pro qualitate rei facta per epiſcopum competenti. *In eodem.*

XXXVII. Ut nemo alienæ diœceſis recipiatur ad celebrandum Divine.

Pro certo didicimus, quoſdam in ſacris ordinibus conſtituros, culpis propriis exigentibus, a prælatis ſuis excommunicationis & ſuſpenſionis vinculo innodatos, cum litteris ſuæ ordinationis ad peregrinas, ubi ſunt incogniti, nationes migrare. Novimus & alios quoſdam mentientes ſe promotos, cum non falſis quoque litteris ab indiſcretis eccleſiarum prælatis admittuntur, & ſic celebrant, aut uſurpant & inquinant ſacramenta. Quorum utrumque quantum ſit animarum ſaluti contrarium, & adverſum eccleſiaſticæ honeſtati, nemo ſanæ mentis ignorat. Quapropter decrevimus, ut nemo poſthac alienæ diœceſis ad celebrandum Divina in ſacris ordinibus recipiatur, niſi ſui ordinatoris vel ſucceſſoris ejus litteras omni ſuſpicione carentes oſtendat, ſuſcepti ordinis mentionem expreſſam, & cauſam peregrinationis idoneam continentes. Alioquin tam recipiens, quam receptus, ſuperioris arbitrio puniatur. *In eodem.*

XXXVIII. De Ordinibus.

Irrefragabili conſtitutione ſancimus, ut neque ordinator, nec is qui vice fungitur præſentantis, neque alius quiſpiam, juramentum recipiat vel pactum ab ordinando, quod nihil eo nomine ab aliquo exigat ordinatus: cum per tale commercium fraus fiat canoni, & vitium ſapiat ſimoniæ. *In eodem.*

XXXIX. De collatione beneficiorum ad ſuperiorem devoluta.

De beneficiis vacantibus, quorum collatio ad nos eſt devoluta de jure, præcipimus ne per alios alicui conferantur.

Actum apud Campinacum die Lunæ poſt octavam Paſchæ, anno Domini MCCXXXVIII. præſidente domino G. Burd. archiepiſcopo.

ANNO CHRISTI 1239.

ANNO CHRISTI 1239.

Ex Cord. de Aguirre tom. 3. Concil. Hiſpan. P. 496.

CONCILIUM TARRACONENSE

PRÆSIDE PETRO ALBALATIO ARCHIEPISCOPO TARRACONENSI

Celebratum anno Domini MCCXXXIX.

ANno 1239. 14. Kalend. Majas celebratum eſt Concilium apud Tarraconem, in quo ſtatutum eſt, ne Clerici ſæcularibus negotiis ſe immiſceant. Ut incendiarii & raptores publici tanquam excommunicati evitentur, & eccleſiaſtica ſepultura careant. Ne occulte eccleſiaſticorum beneficiorum donationes fiant. Ne quis duas canonicas ſeu præbendas in diverſis eccleſiis obtineat. Ut monachi, & Canonici regulares apoſtatæ, redire teneantur ad ſua clauſtra. Ei ſynodo prefuit Petrus Albalatius Archiepiſcopus Tarraconenſis. Interfuerunt vero Epiſcopi Barcinonenſis, Dertuſenſis, Urgellenſis, Vicenſis, Oſcenſis, & Ilerdenſis. *Baluz. lib. 4. Marcæ Hiſpanicæ.*

CONCILIUM TURONENSE

A JUHELLO ARCHIEPISCOPO

Celebratum anno Domini MCCXXXIX.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Quod in qualibet parochia ſint tres, qui de ſcandalis requiſiti, dicant veritatem.*
2. *De pœna clericorum de crimine convictorum.*
3. *De veſtibus ſacerdotum.*
4. *Ut ſacramenta gratis exhibeantur.*
5. *Ut presbyteri authoritate propria non excommunicent.*
6. *Ut curati ipſi authoritate propria non excommunicent.*
7. *Ut beneficiatus nihil filio ſpurio vel concubinæ teſtamento leget.*
8. *Ne archidiaconi & inferiores prælati officiales extra civitatem habeant.*
9. *De ſententia excommunicationis mature ferenda.*
10. *Ne participantes cum excommunicatis in generali excommunicentur.*
11. *Ne regularibus detur pecunia pro neceſſariis.*
12. *Ne clerici vel monachi habeant pediſequas.*
13. *Ne monachi in eccleſiis parochialibus deſerviant.*

CAPITULA.

I. Quod in qualibet parochia ſint tres, qui de ſcandalis requiſiti, dicant veritatem.

TOtis viſceribus corrigere cupientes ea quæ correctione indigent in provincia Turonenſi, ſacri hujus approbatione concilii duximus ſtatuendum: ut in qualibet parochia per epiſcopum vel archiepiſcopum eligantur tres clerici, vel ſi clerici inveniri non poſſint, tres laici fide digni, qui jurent quod de his quæ ſciverint, unde ſcandalum ſit ſubortum in parochia, vel in vicinis contra fidem, vel alias de criminibus eccleſiaſticis requiſiti, dicent epiſcopo vel archidiacono veritatem.

II. De pœna clericorum de crimine convictorum.

In correctionibus conſuetis, tam de modo puniendi clericos, maxime beneficiatos, quam etiam in ſacris ordinibus conſtitutos, ſtatuimus, ut ſi de criminibus confeſſi fuerint, vel convicti, ad arbitrium epiſcopi corrigantur: & ſi ſecundo convicti fuerint, per ſubtractionem beneficii eccleſiaſtici puniantur.

III. De veſtibus ſacerdotum.

Item, ſacri hujus approbatione concilii prohibemus, ne ſacerdotes in publico procedant niſi in cappis clauſis, vel mantellis. Clauſa etiam habeant ſupertunicalia. Quod ſi ſecus fecerint, in quinque ſolidis puniantur, fabricæ majoris eccleſiæ applicandis.

IV. Ut ſacramenta gratis exhibeantur: ſed poſt, peti poſſit conſuetum.

Item innovamus, ut ſacramenta eccleſiaſtica gratis exhibeantur: inhibentes, ne pro eis antequam fiant, aliquid petatur, ſeu etiam exigatur. Quibus gratis exhibitis, poterit peti quod de pia conſuetudine exigi conſuevit: ſubditos ad hoc per prælatos cenſura eccleſiaſtica compellendo. Quod ſi quis contra fecerit, eo jure quo habiturus

erat

ANNO CHRISTI 1239.

erat ea vice, privetur, & nihilo minus in quinque solidis convertendis in fabrica ecclesiæ puniatur.

V. Ut presbyteri auctoritate propria non excommunicent.

Item interdicimus universis presbyteris ecclesiarum parochialium, ut pro jure suo, vel ecclesiæ suæ in spiritali, parochianos suos auctoritate propria excommunicare præsumant. Quod si fecerint, sententiam decernimus esse nullam.

VI. Ut curati ipsi, auctoritate propria non excommunicent.

Item quod rectores seu curati parochialium ecclesiarum, parochianos suos auctoritate propria excommunicare non possunt pro jure suo.

VII. Ut beneficiatus nihil filio spurio vel concubinæ testamento leget.

Præsentis auctoritate concilii prohibemus, ne quis beneficiatus clericus, vel in sacris ordinibus constitutus, aliquid præsumat filio spurio, seu propriæ etiam concubinæ, in ultima voluntate legare. Quod si fecerit, non valeat, sed ecclesiæ applicetur.

VIII. Ne archidiaconi & inferiores prælati officiales extra civitatem habeant.

Innovamus statutum editum apud Castrum Gonterii, & districtius inhibemus, ne ipsi archidiaconi, archipresbyteri, vel alii jurisdictionem habentes ecclesiasticam, extra civitatem habeant officiales seu allocatos, sed extra civitatem in propriis personis officium suum fideliter expleant. Et si aliquis processus per eosdem habitus fuerit, in hoc quod fieri prohibemus, decrevimus non tenere.

IX. De sententia excommunicationis mature ferenda.

Item prohibemus ne prælati ecclesiarum excommunicationis sententias præcipitare præsumant, sed cum maturitate & legitimis monitionibus, & competentibus intervallis: nisi negotium celeritatem desideret, & nisi periculum sit in mora. Et tunc hoc ordine procedatur, ut primo delinquentes excommunicentur, postea crescente contumacia, cum pulsatione campanarum & aliis solemnitatibus sententia aggravetur: & nisi excommunicati ad gremium ecclesiæ redierint, euntes, ad mercata, & coquentes ad furna, molentes ad molendina excommunicentur: postmodum participantes in cibo & potu, anathematis sententiæ supponantur.

ANNO CHRISTI 1239.

X. Ne participantes cum excommunicatis in generali excommunicentur.

Interdicimus tamen universis judicibus, ne in generali excommunicare præsumant participantes cum excommunicatis, propter periculum animarum. Quod si tales sententiæ latæ fuerint, decernimus non tenere: statuentes, ut ad compulsionem excommunicatorum, si interfuerit, invocetur auxilium brachii sæcularis.

XI. Ne regularibus detur pecunia pro necessariis.

Item auctoritate præsentis concilii statuimus, ne monachis, vel aliis religiosis detur aliqua pecuniæ summa pro victu seu vestitu, & aliis necessariis: sed juxta facultatem monasterii provideatur competenter eisdem.

XII. Ne clerici vel monachi habeant pedisequas.

Statuimus, ne clerici vel monachi pedisequas in domibus, seu prioratibus habere præsumant, contra canonicas sanctiones. Quod si contra præsumptum fuerit, debitæ subjaceant ultioni.

XIII. Ne monachi in ecclesiis parochialibus deserviant.

Ceterum & illud duximus prohibendum, ne monachi in ecclesiis parochialibus deserviant: nisi ab episcopo in casibus permissis curam receperint animarum. Quod si tales inventi fuerint, auctoritate hujus concilii per episcopos præcipimus amoveri.

Actum Turonis, anno Dom. MCCXXXIX.

ANNO CHRISTI 1239.

SYNODUS MOGUNTINA

ANNO CHRISTI MCCXXXIX.

Sigifridi Encyclica ad suffraganeos suæ Provinciæ invitatoria ad Synodum Provincialem.

Sigifridus, Dei gratia, Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus.

Harthzo. Conc. Germ. tom. III. pa. 568.

LIcet ex præcepto Sacrorum Canonum teneamur annis singulis Provinciale Concilium celebrare; usque nunc in quantum potuimus, Fratrum & Coepiscoporum nostrorum laboribus & expensis pepercimus in hac parte. Verum, quia multa ad nostram audientiam pervenerunt, quæ limam correctionis reposcunt, e quæ conniventibus oculis pertransire non possumus, nec debemus, nec audemus, ne subditorum sanguis de nostris manibus requiratur, Fraternitati vestræ de nostris arce Metropolitana præcipimus districte, quod ad Provinciale Synodum, quam apud Moguntiam anno præsenti, auctore Domino, prima die Julii celebrare decrevimus, omni difficultate postposita venire curetis, efficacius inducentes, & si necesse fuerit Ecclesiastica districtione cogentes Prælatos vestræ Diœcesis universos, ut ad eandem Synodum, sicut tenentur, accedere non omittant: Rogamus insuper caritatem vestram attente, quia vestra vobiscum Pontificalia faciatis deferri, ut nobis in dedicatione nostræ Ecclesiæ quam statim, celebrato Concilio, vita comite, celebrare proponimus, assistatis, & consecrationem eandem per vestram faciatis Diœcesim solemniter publicari, vestros subditos in Domino exhortantes, ut ad ipsius consecrationis solemnia devote concurrant, largifluas indulgentias recepturi.

Datum Moguntiæ.

Ex codice MS. Bibliothecæ Metropolitanæ Moguntinæ descripsit Cl. Schannat.

Excusatoria Conradi, Mildesiensis Suffraganei, ad Metropolitam Moguntiæ.

NOveritis, quod ad diem Concilii a vobis indicti venire non possumus, infirmitate detenti, licet firmum habuerimus propositum veniendi: quocirca vestram Clementiam exhortatam esse volumus, quatenus excusationem nostram super hoc vobis, & Sancto Concilio per Magistrum Meinhardum Scholasticum Ecclesiæ nostræ porrectam, cum mansuetudine admittatis; de ægritudine autem nostra vobis fidem idem faciet juramento in animam meam, si forte super hac causa juramentum ab ipso duxeritis exigendum.

Ex codice MS. Bibliothecæ Metropolitanæ Moguntinæ descripsit Cl. Schannatus.

Acta Synodi, & personæ præsentes.

ANno MCCXXXIX. VI. Nonas Julii Civitate Moguntina celebratum est Concilium, præsente Conrado Rege, Imperatoris Friderici II. filio, ac ejusdem Sedis Archi-Episcopo Sigifrido cum novem Episcopis. In hoc Concilio Episcopus Eistatensis querelando miserabiles exhibuit literas; in quibus continebatur, quoniam sui ministeriales, ac Cives Eistatenses, jam fere per annum in excommunicatione manentes, diabolica, atque hæretica præsumptione ipsum Episcopum cum Clero sibi favente, crudeliter expellendo abjecissent, & laicas personas in Episcopum, ac Præpositum, & Decanum elegissent, ac ejusdem Matricis Ecclesiæ sacristiam infringendo spoliaverint: & ipsorum errorem Magnates & potentes quidam foventes, pernitiose in malitia confortaverint, ac qualiter, suos fautores, si decesserint, cum Musicis instrumentis ad Sepulturam conducendo, lætanter sepeliant.

Anonymi Chronicon Erfordiense. Editum a Schannato Collectione prima Vindemiæ Literariæ pag. 99.

Dedicatio Metropolitanæ Moguntinæ.

ANno MCCXXXIX. Major Ecclesia Moguntinensis, de novo reparata per Siphridum Archiep. Moguntinum cum magna solemnitate consecratur..... In qua dedicatione tanta multitudo populorum convenerat; ut omnes non Civitas ipsa, non campus caperet, sed trans Rhenum apud Castellam, & in Insulis stationes fieri oporteret.

Serarius ex Trithemio, & Chronico minore MS. lib. V. rerum Moguntiæ p. 837.

CONCILIUM APUD S. QUINTINUM

AB HENR. DE BRENNA REM. ARCHIEPISC.

Et suffraganeis celebratum anno Domini MCCXXXIX.

CUm notorium sit apud nos venerabilem virum Thomam de Bollomanso præpositum ecclesiæ Remensis, per nobiles viros Nicolaum de Rummiliaco, Colardum filium ejus, & Hugonem de Grisondelle, captum violenter & carceri mancipatum fuisse: quem adhuc, Dei timore postposito, publice detinere præsumunt, in opprobium & verecundiam totius ordinis clericaris. Ordinavit præsens concilium, quod prædicti nobiles, auctoritate præsen-

sentis concilii, legitime moneantur, quod dictum præpositum prorsus a carcere liberent, & hujus captionem & detentionem dicto præpositi, & ecclesiis quarum est canonicus, quibus ex hujus captione est illata injuria, competenter emendent, Quod si moniti legitime, prædicta non fecerint: denuncietur authoritate domini Papæ excommunicationis sententiæ subjacere. Et nihilo minus pro injuriis dicto præpositi & ecclesiis quarum est canonicus ex dicta captione illatis, excommunicationis sententiæ, auctoritate præsentis concilii supponantur. Si vero dictam excommunicationis sententiam per quindecim dies sustinuerint, terræ quas habent in Remensi provincia, ecclesiastico supponantur interdicto: quod tamdiu præcipimus observari, donec dictum præpositum reddiderint, & prædictos excessus emendaverint competenter. Quod si non sic ad deliberationem dicti præpositi, & satisfactionem debitam venire curaverint: statuimus quod elapsis quindecim diebus a tempore quo dictum interdictum proferri contigerit, filii dictorum nobilium, in ecclesiis quarum dictus præpositus est canonicus, ad dignitatem vel beneficium aliquod nullo tempore assumantur, nec aliquatenus admittantur, nec in aliis ecclesiis totius provinciæ, sive sint cathedrales, sive non, usque ad XX. annos, nisi cum eorum filiis, causa cognita de vacanti beneficio non vacaturo, fuerit per superiorem vel provinciale beneficium dispensatum. Ceterum si nec sic ad emendationem debitam, & unitatem ecclesiæ dicti nobiles redire curaverint: statuimus quod ad eorum pertinaciam reprimendam invocetur auxilium dominorum sæcularium, a quibus temporalia tenent nobiles memorati. Qui si moniti, eos redire ad unitatem ecclesiæ cogere postposuerint, nec infra terminum ipsis præfigendum nobilibus, ab illis, quibus super executione prædictorum & eorum quæ ad hæc pertinent, committimus vices nostras, facere prout ad eos pertinet, curaverint: volumus & ordinamus quod ex tunc in dictos dominos excommunicationis sententia proferatur auctoritate concilii; & post, elapsis XV. diebus, eorum terræ supponantur ecclesiastico interdicto, donec dictus præpositus fuerit liberatus, & de dictis injuriis competenter fuerit satisfactum. Et ad eorum malitiam compescendam, ex tunc ex parte concilii summo & supremo sæculari domino supplicetur, quod in his tale consilium & auxilium adhibeat, quod ipsius interveniente potentia, dictus præpositus liberetur, & jus suum ecclesia Dei super præmissis libere consequatur. Super his autem omnibus executioni mandandis, venerabilibus fratribus Suessionensi & Laudunensi episcopis, vel eorum alteri, si ambo interesse non possint, committimus vices nostras, excepta dispensatione super beneficiis filiorum prædictorum nobilium, quam nobis duximus reservandam.

Actum in concilio provinciali apud S. Quintinum, consentientibus nobis episcopis & approbantibus, quorum sigilla præsentibus sunt apposita. Interveniente etiam consensu procuratorum capitulorum ecclesiarum cathedralium provinciæ nostræ, anno Dom. MCCXXXIX. die Lunæ circa festum B. Andreæ apostoli.

ANNO CHRISTI 1239.

ACTUM IN EODEM CONCILIO.

QUia in tantum quorumdam laicorum nefaria processit audacia, quod ipsi, sicut pro certo didicimus, timore Dei postposito, clericos & maxime canonicos cathedralium ecclesiarum violenter capiunt, & captos detinere præsumunt, quod in opprobrium & contumeliam Dei, cujus sunt ministri, redundat, & totius ordinis clericalis: nos tantis malis occurrere, prout possumus, in posterum cupientes: statuimus, ut si quis canonicum ecclesiæ cathedralis Remensis provinciæ ceperit, vel violenter detinuerit, vel auctoritatem, auxilium, seu consilium, prædictis impenderit, & moniti per ordinarium suum, eumdem non liberaverint, & dicto canonico & ecclesiæ, cui ex dicta captione & detentione est irrogata injuria, non emendaverint competenter, ex tunc ab ordinario loci sine dilatione qualibet, pro tanta offensa excommunicati auctoritate canonis domini Papæ nuncientur publice: & propter injurias, quas commiserint in ecclesiam cathedralem, & dominum canonicum captum, quas emendare recusant, auctoritate concilii excommunicationis sententiæ supponantur. Quod si sententiam hujusmodi per XV. dies indurato corde sustinere præsumpserint, ex tunc auctoritate præsentis concilii, tota terra, quam in provincia Remensi obtinebunt, supponatur interdicto ecclesiastico: quod tamdiu præcipimus observari, donec canonicum reddiderint, & ecclesiæ predictæ excessum competenter curaverint emendare. Quod si nec sic ad deliberationem canonici & emendationem debitam curaverint prona mente venire: statuimus, ne elapsis XV. diebus a tempore interdicti in terram eorum prolatis, filii malefactorum hujusmodi, in ecclesia cujus clericus captus canonicus erat, ullo tempore aliquod beneficium vel dignitatem aliquam assequatur: in aliis vero ecclesiis provinciæ sive cathedralibus, sive non, nullum beneficium vel dignitatem seu administrationem obtineant usque ad XX. annos ab illo tempore computandos, nisi cum ipsis filiis per sanctum provinciale concilium vel superiorem in vacanti beneficio obtinendo * non vacationis fuerit, causa cognita, dispensatum. Verum si nec sic eorum malitia emolliri possit, quia ferro sunt abjicienda vulnera, quæ fomentorum non sentiunt disciplinam: statuimus ut ad eorum pertinaciam reprimendam invocetur auxilium domini sæcularis, vel dominorum sæcularium, a quo temporalia tenent, vel a quibus; & nisi, moniti legitime, dictum malefactorem coegerint, prout ad ipsos pertinet, ad redeundum ad sanctæ matris ecclesiæ unitatem: ex tunc auctoritate præsentis concilii in dictos dominos sæculares excommunicationis sententia proferatur; & si eam sustinuerint per dies XV. terræ eorum quas habent in Remensi provincia, interdicto ecclesiastico supponantur, donec dictus canonicus fuerit liberatus, & de excessibus prædictis fuerit competenter ecclesiæ & canonico satisfactum. Si autem, quod absit, canonici liberatio, & emenda ecclesiæ debita, sic haberi non possit: requiratur dominus sæcularis summus & supremus ex parte concilii, quod tale consilium apponat super præmissis, quod exinde debeat a Deo, cujus ministri sunt, nec non a clero & hominibus, merito commendari. Actum in provinciali

* *Forte*, non vacaturo. *Harduinus*.

ANNO CHRISTI 1239.

li concilio apud S. Quintinum, consentientibus omnibus episcopis & approbantibus, quorum sigilla præsentibus sunt appensa: interveniente etiam consensu omnium procuratorum capitulorum ecclesiarum cathedralium provinciæ nostræ, anno Domini MCCXXXIX. die Lunæ ante festum beati Andreæ apostoli.

ACTUM IN EODEM CONCILIO.

SAlva in omnibus ordinatione quam fecimus de canonicis ecclesiarum cathedralium Remensis provinciæ, si eos ab aliquibus capi vel in carcere detineri contigerit violenter, ceteris membris ecclesiæ pio compatientes affectu, statuimus ut si quis ausu temerario canonicum ecclesiæ non cathedralis ceperit, vel in carcere præsumpserit detinere, quam cito res hujusmodi ad ordinarium perlata fuerit, ordinarius loci captores & detentores moneat diligenter, necnon illos quorum auctoritate & consilio vel auxilio prædicta perpetrata sunt, quod canonicum sit captum liberent, & injuriam tandem canonico & ecclesiæ, cujus est canonicus, competenter emendent. Quod si emendare, & canonicum reddere noluerint, monitione præmissa, denunciet & denunciari faciat, publicæ excommunicationis sententiæ auctoritate canoni, domini Papæ subjacere, & ipsos malefactores nihilo minus, pro tanta offensa, auctoritate concilii presentis, sententiæ excommunicationis supponat. Quam si per XV. dies sustinuerint, ex tunc terræ eorum, si quas habent in provincia, supponantur ecclesiastico interdicto. Et nihilo minus statim a tempore captionis cessetur a Divinis in illa parochia, in qua eum contigerit detineri. Statuimus etiam, quod si hujusmodi sententias excommunicationis & interdicti per quadraginta dies sustinuerint malefactores prædicti, ex tunc eorum filii, in ecclesia in qua clericus captus erat canonicus, nullo tempore ad dignitatem vel beneficium aliquod admittatur, vel aliquatenus promoveatur: ut sic patres se puniri videntes in filiis, ab hujusmodi insolentiis compescantur, quas in ecclesias & viros ecclesiasticos committere non formidant. Ad liberationem autem aliorum clericorum, si eos capi contigerit, sic episcopum loci, in cujus diœcesi hoc attentari contigerit, habere volumus, quod honor ecclesiasticus in omnibus observetur. Actum in provinciali concilio apud S. Quintinum, consentientibus nobis episcopis & approbantibus, quorum sigilla præsentibus sunt appensa; interveniente etiam consensu omnium procuratorum capitulorum cathedralium ecclesiarum provinciæ nostræ, anno Domini MCCXXXIX. die Lunæ ante festum beati Andreæ apostoli.

ANNO CHRISTI 1239.

SYNODUS CAIRI JACOBITARUM ALEXANDRINORUM

ANNO 1239. HABITA.

Ex Mansi Suppl. T. II. pag. 1051.

DE synodo hac nihil habeo compertum super ea, quæ legi in Catalogo Codicum Orientalium Bibliothecæ Mediceæ ab Assemano confecto editoque Florentiæ anno 1742. ubi pag. 100. hæc notat: *Abu Isac Benassalus synodo Cyrilli Lachalchi patriarchæ Alexandrinorum Jacobitarum anno Christi 1239. Cairi celebratæ interfuit, & canonum in ea conditorum collectionem & epitomen composuit.*

EDINBURGENSE IN SCOTIA CONCILIUM

AB OTTONE CARD. A. S. L. HABITUM

Anno 1239.

Ex Wilkins tom. I. pag. 665.

OTtoni cardinali papæ legato, Scotiam ad concilium celebrandum ingredienti, rex Alexander II. restitit; & post multos sermones sub certis conditionibus ingressum ei concessit, uti patet ex Matt. Pariso.

Eisdem diebus legatus in Scotiam intrare festinavit, dispositisque rebus necessariis, & ducibus Anglicis, qui viarum, si forte pararentur, insidias explorarent, iter arripuit, hospitia sumptuose eligens in abbatiis & ecclesiis cathedralibus. Et antequam regnum Scotiæ intrasset, occurrit ei rex Scotiæ, non acceptans ingressum suum. Dixit enim quod nunquam aliquis legatus, excepto illo solo, in Scotiam intravit. Non enim, ut asseruit, opus erat: christianitas ibi floruit: ecclesia prospere se habebat. Et cum sermones multiplicarentur, & rex fere ad contradicendum erigeretur, confectum est scriptum intercedentibus utriusque regni magnatibus inter eos; cujus tenor fuit, ut nunquam ratione illius adventus, talis consuetudo in consequentiam verteretur: insuper in recessu suo scriptum illud signaret. Et hoc procuratum est, ne confusus in Angliam quasi repulsus reverteretur. Veruntamen mare non transiit, sed in bonis civitatibus commorans cismarinis, vocavit episcopos & nobiles terræ beneficiatos, & de rebus ecclesiasticis ibidem pro libitu ordinavit, pecuniam non minimam colligendo; rege vero in interioribus terræ commorante, legatus sine regis licentia clam & subito recedens prædictum scriptum apportavit.

„ Hanc episcoporum Scotiæ convocationem, „ cujus Parisius mentionem facit, Edinburgi „ convenisse Scotichronicon Passatense lib. IX. „ cap. 54. refert his verbis: „ *Hoc anno, sc. gratiæ MCCXXXIX. intravit Otho, diaconus cardinalis, sedis apostolicæ legatus, terram Scotiæ cir-*

circa festum S. Matthæi apostoli, & in crastino S. Lucæ evangelistæ celebravit concilium suum apud Edingburch; & post festum omnium Sanctorum a Scotia discessit. „ Meminit etiam concilii hujus chronicon de Mailros „ in ann.

ANNO CHRISTI 1239.

SODORENSE CONCILIUM

Seu Statuta synodalia Sodorensia Ex MS. penes Tho. episc. Assaven. conf. Monast. Anglic. vol. I. f. 711.

ANNO 1239. CONDITA.

1239. Wilkins p. 664.

HÆc sunt statuta synodalia, & constitutiones synodorum diœcesis in insula de Mann per reverendum patrem Simonem, Sodorem episcopum, ibidem confect. & constitut. Ann. Domini MCCXXIX. (a)

De probationibus testamentorum.

Pro probationibus testamentorum ultra summam XXXII. den. nihil penitus exigatur; sed de eadem summa, secundum bonorum qualitatem, aliquid pauperibus subtrahatur.

De bonis intestatorum decedentium.

Bona intestatorum ad arbitrium episcopi diœcesani, vel, ejus in absentia, sui generalis vicarii ministrentur.

De mortuariis.

In mortuariis principale animal ecclesiæ persolvatur, vacca vel bos, aut equus, si fuerit ad valorem VI. sol. aut minus. Et quantum ad vestes, si homo mortuarium persolverit, ad arbitrium ecclesiæ stabit, an vestes aut III. sol. & VI. den. habere maluerit. Et si pauper fuerit, & nullum mortuarium persolverit, accipiantur vestes, sicuti sunt. Et quintus quisque denarius ex liberis. Et de Gilbogo in bonis possesso ad mortuarii valorem se extendentibus, mortuarium ecclesiæ persolvatur. Quod si bona sua ad hoc minime se extendant, tunc quintus quisque denarius de liberis bonis ecclesiæ persolvatur. Et si quæratur, quid est Gilbogus; dicendum est, quod Gilbogus est, quis si unius tantum noctis ætatis extiterit, & ad habend. bona ordinatus, aut in bonis possessis existat, si, ut dictum est, obierit, ecclesia tamen suum debitum obtinebit. Item præfatus Gilbogus, licet mortuarium persolverit, ultra hoc tamen tam presbytero & clerico, quam etiam ecclesiæ sua debita contententur. Et si nullum mortuarium persolverit, nihilominus cum eis concordet.

De debitis clerico persolvendis.

Debita clero persolvenda sunt hæc. Si homo mortuarium persolverit, clericus habeat ipsius hominis caligas calceamenta ad pretium VI. den. & caputium, pileum, aut capellum pretii majoris, vel minoris, sicuti ipse homo in die natalis Domini ambulaverit. Item camisiam, zonam ad unius denarii valorem, bursam ad unius denarii valorem, & cultellum ad unius denarii valorem.

De aucis, porcis, buculis, vitulis, & pullis.

Aucæ apud festum S. Michaelis, aut post, capiantur. Et porci, buculi, vituli, & pulli ad festum S. Martini in liberis recipiantur, & apud pascha exigantur; rectore ecclesiæ de prædictis porcis, pullis, aut buculis in periculo persistente. Excepto, quod si iconomi buculos desideraverint habere ad suas efficiendas vaccas lac præbere, ipso rectore iconomum causante ad custodiendum illos acsi proprios.

De defunctis nulla bona habentibus.

Si vir aut mulier obierit, & nulla bona ad contentandam ecclesiam pro sua sepultura habuerit, tunc hi, qui eorum bona habere voluissent, si divites extitissent, videlicet de eorum sanguine propinquiores, ecclesiæ presbytero & clerico ad illorum humationem debita contentabunt.

De lacticiniis.

Si lacticinia in ecclesiam conformiter juxta consuetudinem non portentur, de una vacca duo denarii, de quatuor capris duo denarii, & de octo ovibus octo denarii persolvantur.

De electione & collectione agnorum decimalium, buculorum, porcorum, & pullorum.

Cum ad congregandos agnos decimales, buculos, porcos & pullos, procuratores pervenerint, iconomus, duos, & procuratores tertium eligant.

De removentibus domicilia ac bona sua ab una parochia in aliam.

Si vir vel mulier forte ab una parochia in aliam domicilium suum permutaverit, & bona sua secum abduxerit; si vir nihil præter uxorem suam, pueros, lectum, gallum, gallinam, craticulam, & mensulam pistoralem secum asportaverit, & ibidem nisi per tres noctes perseveraverit, antequam ab hac luce decesserit, in

(a) De tempore ipsius synodi haud certo liquet: juxta MS. enim exemplar, unde hoc desumpsimus, uti etiam in Monast. Anglic. vol. 1. fol. 711. plane exhibetur prout hoc in titulo anno Domini MCCXXIX. sed in antiquiori nota ejusdem synodi bis expresse legitur MCCXXXIX. sic ut in exemplari nostro desideratum videatur aliud X. Et hoc facile credam, nam peccasse crebrius animadverto scriptorem: & Simonem istum episcopum Sodorensem anno MCCXXX. factum, ac anno MCCXLVII. obiisse constat ex Usser. Indic. chronol. ad Antiq. Britan. *Wilkins.*

in illa parochia, in quam nuper acceſſit, debita eccleſiaſtica perſolvantur, quamvis bonorum ſuorum major portio in altera parochia relinquatur. ANNO CHRISTI 1239.

De granis decimalibus.

In antiquo ſtatuto iconomi grana decimalia acſi propria arconizabant, & ad ſua fœnilia ducebant, ac cuſtodiebant, quouſque rector vel ejus procurator, ob ea commodius venire poſſet, forte circa feſtum Omnium Sanctorum. Modernis vero diebus rectores grana decimalia in arconomolis accipiunt, ob majorem iconomorum commoditatem.

De cerviſiam vendentibus.

Si vir vel mulier cerviſiam vendendam pandoxaverit, ſive communis pandoxator vel pandoxatrix fuerit, ſive non; ſi duos denarios & obolum de unaquaque pandoxatione accipiat, lagunculam decimalem eccleſiæ perſolvat. ANNO CHRISTI 1239.

De textoribus ſive textricibus.

Si textor vel textrix tres telas a ſuis telariis diſcindat vel decidat, & pro earumdem textura ſolutionem recipiat, duos denarios eccleſiæ annuatim inde perſolvat. Et ſi centum diſcindat, vel decidat, amplius non perſolvat.

De ſumptori debitis.

Sumptor de jure antiquo, & ſtatutis veteribus ab omnibus iconomis garbam de trium ligarum longitudine, ſcil. frumenti, hordei, & avenæ annuatim recipere debet, & ad omnem cæſorum decimationem, & collectionem, unum agnum electum habere debet. Et ad lanæ decimationem unum vellus electum debet obtinere.

CONCILIUM SENONENSE

Sub Galtero Cornut circa MCCXXXIX. celebratum

Ex MS. Cod. cl. vir. D. Brayer canonici Trecenſis.

I.

An. 1239. Ex Mart. Vet. Mont. t. VII. p. 137. STatuimus ut abbates & priores conventuales, qui nec venerint ad ſynodum, nec ſe excuſaverint, prætendendo canonicum impedimentum, per octo dies ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendantur, & hæc pœna, quantum ad hoc, a conciliis ſtatuta eſt, ſub excommunicationis majoris pœna, ſi aliis annis ſuper his culpabiles inveniantur.

II.

Propter ſcandala gravia, quæ ex monialium converſatione proveniunt, ſtatuimus de monialibus nigris, ne aliquem diſpoſitum * recipiant in domibus ſuis ab aliquibus perſonis, niſi de licentia epiſcopi ſui, maxime arcas clericorum, cuſtodiæ cauſa, minime permittant apud ſe deponi.

* f. depoſitum.

III.

Item, communiter omnes in refectoriis comedant, & in dormitorio dormiant, niſi ex cauſa juſta & neceſſaria, de licentia ſpeciali abbatiſſæ aliter fieri permittatur.

IV.

Item, cameræ monialium omnes deſtruantur, niſi aliqua, quæ in ſuſceptione epiſcopi neceſſario reſervatur, vel ad infirmariam faciendam, vel alia de cauſa quæ epiſcopo juſta & neceſſaria videatur.

V.

Item, quod moniales nullatenus exire permittantur, vel extra pernoctare, niſi in magna cauſa & raro, & abbatiſſis injungatur, ne aliter egredi permittantur; & ſi aliquando Abbatiſſa ex cauſa juſta alicui permittat; eidem injungat quod ſine mora revertatur.

VI.

Oſtia ſuſpecta & ſuperflua obſtruantur; circa hoc autem epiſcopi diligentiam adhibeant & curam per ſe & per miniſtros ſuos, & vitas & converſationes ipſarum reſtringat, ut per eorum diligentiam ſcandala, quæ in præſenti de vita earum proveniunt, ſopiantur.

VII.

Statuimus ut omnes judices, tam ordinarii quam delegati, temperent ſe & refrenent a generalibus excommunicationibus, nec in generali participantes excommunicent, niſi valde gravis & enormis exceſſus contingat.

VIII.

Moneantur capitula ſæcularium perſonarum, maxime cathedralia, ut ipſi conveniant & ordinent & tractent, quod in eccleſiis ſuis die & nocte, per ſe & per clericos eccleſiarum, divinum officium aſſidue, & competenter ſecundum numerum inſtitutorum & facultatem eccleſiarum, celebretur; & circa ſervitium divinum diligentiam & curam adhibeant efficacem; ita quod modus habendi ſe in eccleſia tam in cho-

choro quam extra evidenter & sufficienter, ubi emendatione opus erit, emendetur infra annum. ANNO CHRISTI 1239.

IX.

Moneantur etiam canonici & clerici sæculares, quod ipsi in habitu suo & aliis præcepta tradita in generali concilio fideliter & obedienter observent.

X.

Statuimus, ut in locis sive prioratibus, ubi conventualis congregatio solet esse, si facultates ecclesiæ suppetant, conventus ibidem restauretur.

XI.

Item, quod in domibus sive locis ubi solebant esse prioratus, si facultates locorum sufficient, monachi vel canonici regulares ad divinum servitium celebrandum reducantur.

XII.

Monemus abbates & priores conventuales, quod tot servitores in abbatiis & prioratibus sibi subditis instituant, si ad hoc sufficiant facultates locorum, quot ibi deservire solent; & ne pensionem sive censum ab eisdem exigant, quam non solent exigere ab antiquo, nisi forte alicui ex justa causa ab episcopo suo permittatur. ANNO CHRISTI 1239.

XIII.

Statuimus quod clerici ribaldi, * maxime qui vulgo dicuntur de familia Goliæ, per episcopos, archidiaconos, officiales, decanos christianitatis tonderi præcipiantur, vel etiam radi: ita quod eis non remaneat tonsura clericalis: ita tamen quod sine periculo & scandalo ista fiant. * id est vilissimi aleatores vagi.

XIV.

Item, antiquum statutum concilii provincialis rursus renovantes, præcipimus, quod quando aliqua terra propter delictum domini terræ & baillivorum suppositа fuit interdicto, nullatenus relaxetur, donec ad arbitrium & moderamen episcopi presbyteris parochialibus de damnis & perditis interdicti occasione illatis plene fuerit satisfactum vel de satisfaciendo cautum.

CONCILIUM MOGUNTINUM

In quo Eistatensis episcopus vexatum se misere a laicis exponit anno 1239. celebratum, præsente Conrado Rege, & Siffrido Moguntino archiepiscopo præsidente.

n. 1239. Apud hannat. Vindem. t. p. 99.

DE concilio hoc Moguntino ita loquitur anonymus Erfordiensis, a quo uno illud rescimus. *Hoc anno VI. nonas julii civitate Moguntina celebratum est concilium, præsidente Conrado rege, imperatoris filio, ac ejusdem sedis archiepiscopo cum IX. cæteris episcopis, in quo scilicet concilio, episcopus Eistatensis querelando miserabiles exhibuit literas, in quibus continebatur, quoniam sui ministeriales ac cives Eistatenses, jam fere per annum in excommunicatione manentes, diabolica, atque hæretica præsumptione ipsum episcopum cum clero sibi favente crudeliter expellendo abjecissent, & laicas personas in episcopum ac præpositum & decanum elegissent, ac ejusdem matricis ecclesiæ Sacristiam infringendo spoliaverint, & ipsorum errorem magnates & potentes quidam foventes, pernicioseе in malitia confortaverint, ac qualiter suos fautores si decesserint, cum musicis instrumentis ad sepulturam conducendo, lætanter sepeliant.*

LONDINENSE CONCILIUM

Ab Ottone A. S. L.

ANNO 1239. HABITUM.

n. 1239. xtat ap. Wilkins t. p. 664.

SYnodum hanc ab Othone A. S. L. indictam duorum coævorum scriptorum testimonio confirmat novissimus conciliorum Magnæ Britanniæ editor; sed cum unus ab altero parum discrepet, ego in gratiam brevitatis unum tantummodo promam Parisium ad annum 1239. cujus hæc sunt verba, quanquam & in ejus narratione dandum esse aliquid livori, quo in ecclesiam Romanam scriptor ille tenebatur, lectores meos admonitos volo. *Vocavit dominus legatus omnes episcopos Angliæ, ut in die, qua cantatur* Lætare Hierusalem, *convenirent Londini, de negotiis ecclesiæ tractaturi. Et dedit ibidem cum diligenti deliberatione quædam statuta monachis nigri ordinis sub succincta brevitate inviolabiliter observanda. In quibus rigorem indiscretum in multis temperavit . . . . . Convenerunt omnes episcopi Londinum pridie scilicet calendas Augusti, de oppressionibus ecclesiæ Anglicanæ tractaturi. Exigebat enim legatus post quotidianas exactiones, procurationes. Cui, habito consilio, responderunt episcopi communiter, quod toties bona ecclesiæ exhauserat Romana importunitas, quod nullo modo amplius tolerarent: exhibeat eas, qui inconsulte vos vocavit. Et sic non sine querulo murmure a concilio recesserunt.*

ANNO CHRISTI 1239.

TARRACONENSE CONCILIUM

In quo constitutiones episcopi Sabinensis confirmatur.

EX MS. COLBERTINO.

An. 1239. Ex Mart. Vet. Mon. t. VII. p. 132.

CONstitutiones venerabilis patris J. Sabinensis episcopi bonæ memoriæ, apostolicæ sedis legati, ad memoriam reducentes, quas post earumdem publicationem in congregato provinciali concilio Terraconæ in anno Domini MCCXXXIX. XIV. calendas madii, præsentibus venerabilibus fratribus Barchinonensi, Dertusensi, Gerundensi, Urgellensi, Vincensi, Oscensi, Ilerdensi episcopis præcipimus observari.

A

I.

Contra illos qui faciunt justas in monasteriis.

B

Item, præcipimus omnibus judicibus & advocatis litteratis, ne conveniant vel intersint alicui justæ, quæ fit vel fiat in monasteriis vel grangiis religiosorum. Et hoc sub pœna excommunicationis præcipimus & mandamus.

II.

Contra quæstores.

De quæstoribus autem ecclesiarum, hospitalium vel pontium duximus statuendum, quod sine nostris vel episcoporum litteris non recipiantur, & tunc ad prædicationem non admittantur, sed ad expositionem ipsorum, quæ in episcoporum litteris continentur.

C

III.

(De festo S. Teclæ, SS. Francisci, Dominici & Antonii.)

Item, sacro approbante concilio, quod festum S. Teclæ per totam nostram provinciam solemniter celebretur: ita quod in ipsius solemnitate IX. fiant in ecclesia lectiones. Et festivitates B. Francisci & B. Dominici & B. Antonii similiter celebrentur.

D

IV.

Contra Judæos & Sarracenos.

Item, statuimus, quod Judæi & Sarraceni a Christianis in habitu distinguantur, & nutrices vel mulieres non teneant Christianas. Et si quæ sunt Christianæ, quæ Judæis vel Sarracenis cohabitent, nisi infra duos menses a tempore publicationis istius constitutionis recesserint, quantumcumque pœnitentiam fecerint, numquam tradantur ecclesiasticæ sepulturæ, nisi de metropolitani licentia speciali.

E

V.

Quæ festa debeant celebrari.

Item, cum otium & desidia fomentum pariant vitiorum, festivitatum multitudinem duximus temperandam cum illis, eo quod (si) non laborant pauperes, aggraventur, & otiosi & desidiosi ad illicita promoventur. Quare festivitates colendas necessario subnotavimus, quas qui contemserint colere, per suum presbyterum compellantur. Festum scilicet Circumcisionis, Epiphaniæ, S. Vincentii, Purificationis B. Mariæ, Cathedræ sancti Petri, Mathiæ apostoli, Annunciationis B. Mariæ, & duorum dierum octabarum Paschæ, S. Marci evangelistæ, Philippi & Jacobi apostoli, Inventionis Sanctæ Crucis, ascensionis Domini, feriæ secundæ octabarum Pentecostes, Johannis Baptistæ, Petri & Pauli apostolorum, S. Mariæ Magdalenæ, Jacobi apostoli, S. Felicis Gerundæ, Transfigurationis Domini, S. Laurentii, assumtionis B. Mariæ, S. Bartholomei, Nativitatis B. Mariæ, Exaltationis S. Crucis, Matthæi apostoli, S. Michaelis, S. Lucæ evangelistæ, Simonis & Judæ apostolorum, Narcissi episcopi, Omnium Sanctorum, S. Martini, S. Andreæ, S. Nicolai, S. Thomæ, Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Johannis apostoli. Et quælibet parrochia observet festivitatem illius sancti, in cujus honore est constructa ejus major ecclesia. Officia vero harum solemnitatum & omnium aliarum, sive sint IX. sive III. lectionum, prout hactenus consuevit fieri, a clericis in ecclesiis & in portionibus observentur, & ad audiendum laici nihilominus moneantur.

VI.

Quod nullus sacerdos plures missas una die celebret.

Item, quia aliqui sacerdotes plures celebrant missas (una die) contra canonicas sanctiones; inhibemus, quod nisi in die Natalis Domini tres missas nullus audeat celebrare. Quod si fecerit, in excommunicationem incidat, ipso facto, & officio beneficioque privetur. Duas toleramus, tolerandoque permittimus una & eadem die, quando urgens necessitas fuerit, celebrari, quousque dominum papam super eodem negotio consulamus. Necessitatem siquidem declaramus, quando unicus sacerdos habet duas ecclesias, quarum una dependet ab alia, & altera illarum non potest habere proprium sacerdotem, & sunt tenues (ejus reditus) nec parrochiani propter distantiam loci, vel aliam rationabilem causam possunt commode ad alteram convenire, & in aliis casibus a jure concessis. Quandocumque vero duas missas celebrare contigerit, sacerdos caveat, ne post sumtionem sanguinis in prima missa, ri-

vinum perfusionis accipiat. Quod si fecerit, eadem die non poterit aliam missam celebrare.

ANNO CHRISTI 1239.

VII.

Contra interfectores clericorum.

Item, statuimus de interfectoribus clericorum, & virorum religiosorum, ut cum constiterit, loca ad quæ devenerint, cessent, quamdiu ibi fuerint, a divinis, quousque pervenerint ad satisfactionem condignam.

VIII.

Qualiter sunt conficiendæ hostiæ.

Item, statuimus, quod sacerdos in propria persona hostias faciat ad conficiendum corpus Christi de pulcra & nitida farina frumenti, & non apponatur ibi sal neque fermentum. Et hæc cum summa diligentia fiant.

IX.

Ne parrochiales Ecclesiæ per laicos administrentur.

Item, cum ecclesiæ parrochiales per laicos administrari non debeant; statuimus, quod laicis de cetero nullo modo attribuantur, sed per clericos viros ecclesiasticos ecclesiæ gubernentur secundum canonicas sanctiones.

X.

Contra conspiratores, & colligationes illicitas facientes.

Conspiratorum genus odibile cupientes a perversitate hujusmodi coercere, sacro approbante concilio, excommunicamus omnes conspiratores & colligationes illicitas facientes in clero, & contra constitutos in clero. Sententiam autem hujusmodi ad præterita duximus extendendam, nisi infra mensem a tempore sententiæ qui conspirationem & colligationem hujusmodi pro posse duxerit revocandas.

XI.

Contra illos qui famosos libellos componunt.

Simili sententia innodamus omnes illos, qui contra constitutos in clero libellos famosos composuerint, & qui compositioni faverint, & qui compositos inventos non ruperint sine mora.

XII.

Contra invasores & raptores rerum ecclesiasticarum.

Item, cum quidam in aliorum prædiis propria commoda studeant invenire, sacro approbante concilio, excommunicamus invasores, & raptores, & deprædatores hominum, ecclesiarum, rerum ecclesiasticarum, & locorum religiosorum, qui bona prædicta rapuerint vel invaserint violenter, dummodo personæ, de quibus querelam habuerint, paratæ fuerint, prout decuit, juri stare. Eadem etiam excommunicatione ligamus fautores & receptores prædictorum malefactorum, statuentes, ut quamdiu principales malefactores in aliqua villa vel civitate fuerint, ecclesiæ cessent a divinis penitus; & si forte principales malefactores mortui fuerint absque satisfactione condigna, licet in articulo mortis absoluti fuerint, eorum corpora non tradantur ecclesiasticæ sepulturæ, quousque heredes morientium satisfecerint injuriam passis, & damnum datum fuerit penitus emendatum. Nec prædicti in sanitate aliquatenus absolvantur, nisi cum de præmissis omnibus satisfecerint competenter. Simili excommunicationis sententia innodamus omnes illos, qui prædam clericorum, & locorum religiosorum, & hominum eorumdem receperint scienter, & voluntarie in castris suis vel emerint; & castra illa, & villæ, in quibus retenta fuerit præda, cessent penitus a divinis, quousque damnum datum pro posse studuerint emendare. Et licet invasores & raptores ecclesiæ in genere sint excommunicati, non tamen vitentur, nisi facti evidentia vel confessione propria hoc constaret, quousque fuerint in specie denuntiati; & postquam fuerint in specie denuntiati, absolutio talium cuilibet episcopo in sua diœcesi auctoritate sacri concilii est commissa.

ANNO CHRISTI 1239.

XIII.

Ut episcopi diœcesim visitantes honorifice recipiantur.

Cum episcopi ex suo officio teneantur suam diœcesim visitare, sacro approbante concilio, statuimus, ut cum episcopus causa visitationis ad ecclesiam suæ diœcesis declinaverit, a rectore seu a clericis ejusdem ecclesiæ recipiatur cum reverentia & honore, præscriptione aliqua non obstante, & eidem mandata procuratio juxta facultates ecclesiæ non negetur.

XIV.

De institutione rectorum animarum.

Statuimus, quod nullus institutus vel præsentatus in parrochiali ecclesia a clerico vel laico, in eadem administrare præsumat, quousque a diœcesano episcopo curam in eadem ecclesia receperit animarum, contraria consuetudine non obstante, quæ potius corruptela dicitur. Quicumque autem contra fecerit, jure quod habet vel habere credit in ecclesia, sit privatus ea vice potestate data diœcesano removendi institutum seu præsentatum. Et nihilominus statuentes, quod institutus & confirmatus per episcopum, nullo casu valeat ab alio quam suo episcopo removeri.

XV.

Contra invasores rerum ecclesiasticarum.

Olim excommunicasse recolimus invasores, & raptores, & deprædatores hominum, ecclesiarum, rerum ecclesiasticarum & locorum religiosorum, qui bona prædicta rapuerint vel invaserint violenter, dummodo personæ de quibus querelam habuerint, paratæ fuerint, ut debuerunt, juri stare. Eadem etiam excommunicatione ligamus fautores & receptores prædictorum malefactorum: statuentes, ut quamdiu

diu principales malefactores essent in aliqua civitate vel villa, cessarent ecclesiæ penitus a divinis. Et si forte principales malefactores absque satisfactione condigna ab hoc sæculo transmigrarent, licet essent in mortis articulo absoluti, eorum corpora non tradantur ecclesiasticæ sepulturæ, quousque hæredes morientium satisfeciissent injuriam passis, & damnum datum penitus emendassent. Nec prædicti in sanitate absolvi poterant, nisi de præmissis omnibus prius satisfeciissent passis injuriam competenter. Simili excommunicatione innodamus omnes illos, qui prædam clericorum, locorum religiosorum, & hominum eorumdem scienter receperint, & voluntarie in castris suis emerint, & emtores ab eis, & quod castra, in quibus præda esset retenta, cessarent penitus a divinis, quousque damnum datum studuissent pro posse suo penitus emendare. Verum quidam prædictam constitutionem perverse intelligentes, eam trahunt ad res modicas, & ad ea quæ non ex proposito nocendi, sed ex necessitate non credentibus offendere capiuntur. Nos autem perversum intellectum & dubitationem hujusmodi penitus declarantes in omnibus supradictis casibus, sic duximus declarandum, quod illi tantum intelligantur excommunicati, qui ex proposito cum armis violenter invaserint vel destruxerint loca prædicta, & ceperint homines ipsorum, & res eorumdem, in hoc graviter delinquentes. Loca autem in hoc solo casu cessare volumus penitus a divinis, quamdiu ibi præda fuerit violenter accepta. Fautores autem & receptores prædæ post ammonitionem legitimam, juxta dioecesani arbitrium excommunicentur: & si aliquem prædictorum excommunicatorum absque satisfactione condigna mori contigerit, tamdiu careat ecclesiastica sepultura, quousque per heredes ipsius damnum datum per eum, plenarie passis injuriam vel eorum heredibus fuerit restitutum.

ANNO CHRISTI 1239.

XVI.

De bonis prælati defuncti.

Item, cum non sine peccato quod suum non est possit aliquis retinere, antiquum canonem nunc hujusmodi beneplaciti ad memoriam reducentes, sacro approbante concilio, statuimus, ut post mortem archiepiscopi, cujuslibet episcopi, vel alterius prælati seu beneficiati Terraconensis provinciæ, bona ipsius ecclesiastica ad manus aliquorum fide dignorum perveniant, secundum quod in ecclesia defuncti de consuetudine est obtentum; vel si consuetudo cesserit, duo eligantur fide digni si præerat defunctus conventui, ab episcopo dioecesano vel ejus locum tenente; si defunctus conventui non præerat, qui bona recipiat supradicta, & infra decem dies tales amministratores seu procuratores, adhibito tabellione publico & testibus ad hoc specialiter convocatis, conficiant de omnibus rebus defuncti mobilibus & immobilibus, & se moventibus inventarium; & si per negligentiam fuerit omissum, prædicti procuratores ad duplum teneantur. Si vero prædicti amministratores, vel aliquis alius de bonis prædictis aliquid invaserit, rapuerit, vel retinuerit fraudulenter, & legitime monitus bona sic retenta sine diminutione non restituerit successori, auctoritate concilii se noverit excommunicationis sententia innodatum. Ammonemus autem episcopos & alios prælatos Terraconensis provinciæ, ut in vita sua, si commode fieri poterit, de rebus prædictis conficiant inventarium. Hanc autem sententiam vel illam de invasoribus ecclesiarum, vel rerum earum, per constitutionem quæ incipit *Olim*, ad personas archiepiscopi vel episcoporum extendi nolumus ullo modo.

ANNO CHRISTI 1240.

CONCILIUM APUD STROUBINGEN

In provincia Salisburgensi Anno 1240. *habitum, sed vix cœptum intermissum.*

COncilii hujus brevem notitiam suppeditat Chronicon Salisburgense apud Pez rerum Austriacarum scriptorem tom. I. pag. 356 his verbis: *archiepiscopus Salisburgensis concilium episcoporum, & dux Bavariæ curiam communi consilio pro reformanda pace terræ apud Stroubingen indixerunt, sed propter dissentionem episcoporum, & laicorum non perfecerunt.*

WENZFORDENSIS SYNODUS

Ab episcopo Ternensi

ANNO 1240 HABITA

Ex MS. penes illust. duc. Chandos.

An. 1240. Apud Wilkins t. I. p. 681.

CUm decimæ de bonis omnibus, quæ licite acquiruntur, sint solvendæ, & divina lege debeantur; præcipimus, quod de negotiatione stipendiis servientium deductis necessariis expensis decimæ, ut decimæ, non ut oblationes, integre persolvantur; quia cum sub oblationis specie decimæ præstantur, nonnunquam ecclesiæ non solum justis decimis, sed oblationibus debitis defraudantur. Et quod plerumque contigit, quod rectores & vicarii in diœcesi nostra propter exilitatem beneficiorum suorum, & onera ecclesiæ supportanda, in tanta paupertate decedunt, ut nihil relinquant, unde debita sua, creditoribus suis solvantur, nec co-

ANNO CHRISTI 1240. 1241.

eorum corpora cum honore debito tradi valeant sepulturæ; nos in hac parte remedium fieri cupientes, consuetudini Dublinensi inhærendo, statuimus & ordinamus, quod rectores & vicarii, quacunque hora anni in fata decesserint, habeant omnes fructus & proventus beneficiorum suorum a die obitus sui usque in unum annum; ita tamen, quod per ipsum de iisdem fructibus & proventibus beneficiis illis competenter deserviatur, & omnia onera tam ordinaria quam extraordinaria supportentur, & eorum fiant exequiæ, ac debita sua solvantur, & defectus, quos in beneficiis suis, vel domibus in vita sua emendasse debuerant, emendentur. Successores vero prædictorum rectorum & vicariorum in emptione fructuum anni prædicti omnibus aliis volumus præferri, dummodo de pecunia solvenda competenter præstiterint cautionem. Hæc autem de assensu totius cleri nostri præcipimus per totam diœcesim Fernensem, pro consuetudine perpetua, inviolabiliter observari.

Ubi in jure cavetur & expresse inhibetur, ne clerici sæcularibus negotiis se immisceant, negotiando circa mercionales tractatus causa lucri, cum qualitas lucri negotiantem videlicet clericum aut arguit aut accusat; difficile enim est inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum: & alia verba; fugiendus est clericus negotiator: & alibi: nunquam potest Deo mercator placere factus clericus, & si desistere noluerit, proiiciatur de ecclesia. Nos itaque huic medelam apponere volentes; inhibemus, ne de cætero in diœcesi nostra aliqui beneficiati contractus illicitos præsumant exercere Quod si contra fecerint, tali pœna per nos punientur, ut aliis cedat in terrorem. Et quia malum non vitatur incognitum, præcipimus omnibus rectoribus & vicariis ecclesiarum, & presbyteris parochialibus nostræ diœc. quod sub periculo animarum suarum, excommunicationum sententias, quæ sequuntur, suis parochianis ad minus quater in anno distincte & aperte exponant, ne per ignorantiam in tanti periculi foveam demergantur.

Excommunicamus, & a liminibus sacrosanctæ ecclesiæ sequestramus omnes illos, qui pacem domini regis & regni perturbare, aut libertates ecclesiasticas, & præcipue sacrosanctæ ecclesiæ Fernensis infringere, vel suo jure privare, vel possessiones ecclesiasticas invadere, vel ad bona ecclesiastica manus injuste extendere, aut aliquid de iisdem bonis auferre, consumere, vel incuriose contrectare præsumpserint, in præjudicium ecclesiasticæ libertatis. Item omnes illos, qui in ecclesiastica beneficia se intrudunt; & eos, qui per laicalem potentiam seu aliam violentiam ea detinent occupata. Item omnes incendiarios, & fractores ecclesiarum; veneficos & veneficas, & magicis incantationibus utentes, & hæc fieri procurantes, & qui immunitatem ecclesiæ violaverint, denunciamus excommunicationis sententiam incurrere ipso facto. Item omnes illos, qui in causa matrimoniali falsas exceptiones malitiose opponunt, vel opponi procurant, vel, ubi de exhæredatione agitur, falsum perhibent testimonium, vel id fieri procurant, vel testes subornant.

Item excommunicamus omnes illos, qui odio, vel favore, seu lucri causa, aliis crimina falsa imponunt, pro quibus mors, vel exilium, vel membrorum mutilatio, vel exhæredatio seu locorum spoliatio sequi debeant, si judicialiter convincantur. Item omnes illos, qui malitiose alicui crimina imponunt, cum apud bonos & graves non fuerit infamatus, ut sic ei purgatio indicatur, aut alio modo gravetur. Item excommunicamus omnes illos, qui causa lucri, odii, vel favoris, vel alia quacunque de causa malitiose contemnunt exequi mandatum domini regis *De excommunicatis capiendis*, vel eorum impediverint captionem, seu procuraverint eorum injustam deliberationem, contra decretum eccclesiasticæ disciplinæ.

Qui autem ad defamationem aliquid proponit, & probare non poterit, canonice puniatur, & injuriam passo pro modo culpæ satisfacere compellatur.

Rectoribus ecclesiarum, & vicariis nobis subditis indultum esse volumus, ut parochianos suos, qui decimas suas, quas hucusque solvere solebant, detinere præsumpserint, post trinam annunciationem excommunicationis sententia innodent; in aliis autem casibus contra scientiam & auctoritatem nostram quemquam excommunicare ne præsumant nominati. Prohibemus autem, ne excommunicationis sententia in genere pro damnis vel pro injuriis proferatur, sed tunc solum, quando evidens necessitas hoc expostulat.

BITURICENSE CONCILIUM

In quo decreta in Albigenses rebelles, & hæreticos expeditio,

ANNO 1240. HABITUM.

An. 1240. Alberico 576.

BIturicensis hujus concilii præter nomen, & pauca alia, cætera nescimus. Totum hoc suppeditat Albericus in Chronico ad annum 1240 his verbis: *in terra Albigensium contra regem rebellaverunt quidam hæretici, Rogerus de Badieres & complices sui quatuor, castra invadentes, & custodias regis interficientes, & comes Tholosanus dicebatur eis occulte consentire. Unde Bituricas convocavit Rex concilium, & dominus Cardinalis Prænestinus affuit, & missi sunt in Albigenses tales & tanti milites armigeri & balistarii, quod rex, Deo dante, triumphum obtinuit, & duo (dicta) castra recuperavit, & dictos adversarios ad suam misericordiam coegit redire.*

CON-

ANNO CHRISTI 1240.

CONCILIUM TARRACONENSE

Præside Petro Albalatio, celebratum anno Domini MCCXL.

Ex Card. de Aguirre tom. 3. Concil. Hiſp. p. 490

ANno 1240 8. Idus Maii Petrus Albalatius Archiepiſcopus Tarraconenſis concilium habuit cum epiſcopis Barcinonenſi, Ilerdenſi, Dertuſenſi, & Oſcenſi, & cum electis Cæſar-auguſtano, & Valentino. In eo inter cetera itum eſt obviam audaciæ Archiepiſcopi Toletani, qui per provinciam Tarraconenſem iter faciens, crucem ante ſe portari fecerat, pallio uſus fuerat, indulgentias dederat. Statutum eſt, ut ſi id rurſus evenerit, loca ea in quibus ille ſimilia auſus fuerit, ceſſent a divinis quamdiu illic fuerit; ipſe vero ſit excommunicatus. Denique ſtatutum eſt quod ſi aliquis Clericus de provincia aliena altare de novo ædificaverit, vel juriſdictionem aliquam ſibi uſurpaverit in provincia Tarraconenſi, ſpecialiter in regno Valentiæ, is excommunicationis ſententiæ ſubjaceat. *Baluz. l. 4. Marc. Hiſp.*

CONCILIUM MELDENSE

Præside Jacobo Prænestino, cardinale

Epiſcopo apoſt. ſed. legato, ann. MCCXL.

Guillelmus Nangiacenſis, S. Dionyſii monachus, in geſtis S. Ludovici. His quoque temporibus, *inquit*, inter Romanam eccleſiam & Fridericum imperatorem magna diſſentio fuit orta. Nam idem imperator, curiæ Romanæ in quantum poterat exiſtebat in omnibus contrarius: & eidem a retroactis temporibus perſecutiones multimodas, & injuſte, quas ſcribi longum eſſet, acrius ſolito inferebat. Propter quod beatæ memoriæ papa Gregorius IX. deſtinavit in Franciam quemdam album monachum, nomine Jacobum, Prænestinum epiſcopum, apoſtolicæ ſedis legatum: ut in dictum Fridericum imp. quem ipſe papa excommunicaverat, excommunicationis ſententiam per totam Franciam promulgaret. Promulgata vero ſententia, videns cardinalis imperatorem in ſua malitia induratum, & adeo obſtinatum, quod excommunicatione vilipenſa, nullo modo a ſuo nefando propoſito vellet reſilire: quoſdam archiepiſcopos, epiſcopos, & abbates, ſuper tam arduo negotio concilium habiturus, & aliqua per ipſos & cum ipſis tractaturus, apud civitatem Meldenſium convocavit. Et tunc cunctis præſentibus, præcepit quibuſdam ex ipſis in virtute obedientiæ ex parte domini Papæ, quatenus cunctis negotiis poſtpoſitis, perſonaliter cum ipſo iter arripientes, nullatenus omitterent ire Romam. Ipſe vere ibidem ſpopondit & affirmavit, quod apud Viennam urbem, de navibus, nautis, & ceteris quæ ad navigium pertinerent, ut liberius ſecuriuſque per mare, quam per terram, eo quod Romanus imp. omnes paſſus per terram occupaverat, quos & diligentiſſime cuſtodiri faciebat, ut rei exitus declaravit, eiſdem commode provideret. *Narrat deinde, ut capti fuerint a ſpurio Imperatoris filio, ii qui ſe in iter dederant.*

G. C. Concil. hoc anno MCCXL. tribuimus: quia epiſcopi illi Romam ire juſſi, vocabantur ad concilium generale, quod Gregorii IX. litteris anno MCCXL. datis indictum fuerat in diem Dominicæ Reſurrectionis, anni inſequentis.

CONCILIUM SILVANECTENSE

Episcoporum Remensis provinciæ

Præside Jacobo Prænestino epiſcopo cardinale, ſed. apoſt. legato, anno Domini MCCXL.

Jacobus Meyerus annal. Fland. lib. VIII. ad ann. MCCXL. Indictus, *inquit*, Silvanectæ conventus epiſcoporum provinciæ Remenſis, ubi Jacobus epiſcopus Prænestinus, Romani pont. legatus, petiit obtinuitque vigeſimam omnium redituum eccleſiarum, ad auxilium pontificis.

AD

ANNO CHRISTI 1240.

AD SILVANECTENSE CONCILIUM

Pro vigesima ecclesiasticorum reddituum pontifici in Gallia largienda,

Anno 1240. *habitum.*

ADDITIO.

1240. Manfi T. II. 1067.

DE Silvanectensi concilio pauca Labbeus ex Meyer; aliquanto plura habet Joan. Iperius in Chron. S. Bertini part. III. in Anecdot. Marten. tom. III. pag. 721.

Ita vero ille: *Propter negotium terræ sanctæ & etiam contra Albigenses, Jacobus Præneſtinus episcopus cardinalis, apostolicæ sedis legatus in Galliam mittitur, & congregato concilio apud Silvanectum, ab omnibus prælatis & ecclesiis provinciæ Remensis, vigesimam partem omnium reddituum ad auxilium summi Pontificis obtinuit; similiter & per alias Galliæ provincias.*

SYNODUS WIGORNIENSIS

om. II. il. Bri-

Constitutiones Walteri de Cantilupo Wigornienſis episcopi, in synodo sua, in cathedrali ecclesia promulgatæ, in crastino S. Jacobi Apostoli, anno Domini MCCXL. & pontificatus sui III.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De ornamentis suarum ecclesiarum.*
2. *De apparatu ecclesiarum dedicandarum: & qui stare debeant in cancellis.*
3. *De consecratione cœmeterii.*
4. *Ne placita sæcularia & ludi inhonesti in cameterio fiant.*
5. *De baptismo, & quibus verbis laici, si necessitas compellat, baptizent.*
6. *De confirmatione.*
7. *Conservatio hostiarum ecclesiarum.*
8. *Pulsatio campanellæ, quando corpus Domini erigitur.*
9. *Ut devote occurrant, cum Eucharistia deportatur.*
10. *Ut aliquod lumen sit, ubi fuerit Eucharistia.*
11. *De libris & vestimentis.*
12. *De sacerdotibus ministrantibus in choro.*
13. *De matrimonio.*
14. 15. *De transgressoribus matrimonii.*
16. *Ut omnes confiteantur, saltem semel in anno, antequam communicentur.*
17. *De confessionibus clericorum.*
18. *De quibus sacerdotes doceant subditos.*
19. *De unctione extrema.*
20. *Quod sacerdotes, & ceteri ministri altaris, ab omnibus spurcitiis sint alieni.*
21. *De indumentis clericorum & tonsuris.*
22. *De invidia clericorum.*
23. *De humilitate clericorum.*
24. *Quod sacerdotes nullo modo sint pigri ad visitandos infirmos.*
25. *Archidiaconi & decani nihil exigant a rectoribus in visitationibus.*
26. *Ne quis sacerdos bis in die celebret, nisi necessitas exigit.*
27. *De emptione bladi crescentis in terra.*
28. *Quod sacerdotes pro sepultura nihil accipiant.*
29. *Quod pauperes non compellantur ad offerendum cum communicant.*
30. *Clerici nullam reddant laicis computationem.*
31. *Quod ecclesiæ non tradantur ad firmam sine licentia episcopi.*
32. *Quod religiosi & clerici sectentur hospitalitatem pro viribus.*
33. *De gula, & quod clerici non intersint scotallis.*
34. *De clericis beneficiatis qui uxorati sunt.*
35. *De iis qui reliquerint ecclesias & solum earum ædificiis destitutum.*
36. *Quod nullus clericus frequentet ecclesias monialium.*
37. *De beneficiatis, qui illiterati sunt.*
38. *Ne clerici intersint ludis inhonestis.*
39. *Sacerdotes magnatum non audiant confessiones eorum vel familiæ suæ sine licentia episcopi.*
40. *De iis qui falsum testimonium perhibent in causis matrimonialibus vel in exhæredatione alicujus.*
41. *Vicariæ religiosorum sufficientes sint vicariis.*
42. *Quod clerici beneficiati, non sint advocati, nisi in causis propriis, vel dominorum suorum.*
43. *Nulla detur clerico vel laico de garbis decimarum.*
44. *De decimis agnorum, lanæ, & caseorum.*
45. *Quod decimatio lanæ agnorum & vellerum fiat præsente rectore, vel ejus ministro.*
46. *De decimis fœni.*
47. *De detentoribus decimarum.*
48. *Quod religiosi ostendant titulum, quo possident decimas, infra terminum statutum.*
49. *De executione testamenti.*
50. *De testamento pauperis.*
51. *Quod rector ecclesiæ, si testatus decesserit, post annunciationem beatæ Mariæ percipiat decimas & alios fructus; si autem intestatus, omnia bona sua sint in dispositione episcopi.*
52. *De terris defunctorum incultis.*
53. *De sacerdotibus alienæ ordinationis.*
54. *De festis celebrandis.*
55. *De vigiliis circa corpora defunctorum.*

ANNO CHRISTI 1240.

56. *Quod mulieres Christianæ nullomodo nutriant pueros Judæorum.*
57. *Quod Christiani non recipiant res Judæorum in ecclesiis custodiendas.*
58. *Quod Christianus non committat Judæo pecuniam, causa mutuandi ad usuram.*
59. *De cereo Paschali.*

PRÆFATIO.

SEcundum exhortationem Psalmistæ, per angelos congregandi sunt sancti, qui Christi testamentum ordinant super sacrificia, secundum quod legitur in psalmo: *Congregate illi sanctos, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* Per hos autem angelos, pontifices designantur, de quibus Malachias: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirent ex ore ejus. Angelus enim Domini exercituum est.* Sancti autem isti, ministri sunt ecclesiæ sacramentorum, qui ad litteram, testamentum Domini ordinant super sacrificia: quos, ut conversationem habentes in cœlis, sanctos esse decet, hoc est, juxta quod nomen sancti vel hagios sonat, a terrenis actibus separatos. Ab hac congregatione fortassis ortum habuit collectio synodalis: hoc autem intendens, ut credimus, ut quod figurat collectio corporum, multitudinis credentium sit unitas animorum, iidem ritus, & religio sacramentorum. Juxta quod legitur in Actibus apostolorum, & in Esdra: *Congregatus est populus, quasi vir unus, in Jerusalem.* Ut autem testamentum prædictum per ministros idoneos decentius ordinetur: patrum & prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, circa mores ministrorum, & suorum executionem officiorum, circa sacramenta præfata & alia, quæ cleri decere credimus honestatem, quæ subscripta sunt, duximus statuenda.

Psal. 49.
Malach. 2.
1. Esdr. 4.

CAPITULA.

I. *De ornamentis suarum ecclesiarum.*

Quoniam igitur non in omni loco sacramenta prædicta tractantur, sed in loco, quem Dominus ad hoc elegit, in ecclesia videlicet materiali: ut ostendamus nos diligere decorem domus Domini, cum ipso Salvatore nostro, qui vendentes & ementes ejecit de templo, præcipimus, ut ecclesiæ materiales ab omnibus spurcitiis emundatæ, in coopertura decenti, & omni integritate servatæ, secundum facultates suas, decentibus fulgeant ornamentis: videlicet, ut in ornatu altaris, in qualibet ecclesia sint tres albæ, cum amictibus, & stolis, & manipulis, duo superpellicia, & due rochetæ, duæ casulæ, duo paria corporalium, quatuor linteamina benedicta, duæ pallæ altaris, duo calices argentei in majoribus ecclesiis; & tertius stanneus non benedictus, deportandus ad infirmos; duæ pixides, una argentea, vel eburnea, vel de opere lemonitico, in qua hostiæ conserventur; alia decens & honesta, in qua oblatæ reponantur, duæ phialæ, una vinaria, alia aquaria; unum par candelabrorum, unum thuribulum, unum chrismatorium decens & honestum; duæ cruces, una processionalis, alia ad officium mortuorum, unum vexillum, unum velum quadragesimale, unum sacrarium immobile, una lanterna, & duo tintinnabula; feretrum competens ad sepulturam mortuorum, pro cujus usu nihil exigatur; unum vas ad aquam benedictam. In majoribus autem ecclesiis opulentis, secundum arbitrium archidiaconi, vel officialis nostri, nisi hæc forte rectores ecclesiarum adimpleverint, hæc omnia volumus ampliari. Libros autem, missale, breviarium, antiphonarium, graduale, troperium, manuale, psalterium, ordinale, in qualibet ecclesia propria volumus contineri.

ANNO CHRISTI 1240.

II. *De apparatu ecclesiarum dedicandarum: & qui stare debeant in cancellis.*

Provideantque rectores ecclesiarum, & prælati, & majores, quod paratæ sint ecclesiæ suæ ad dedicandum non consecratæ, cum super hoc fuerint requisiti. Annus autem & dedicationis dies ecclesiarum, quæ consecratæ fuerint, & altarium, & a quo consecratæ fuerint, super scribantur altaribus evidenter. Nec laici stent in cancellis, dum celebrantur Divina: salva tamen reverentia patronorum, & sublimium personarum.

III. *De consecratione cœmeterii.*

Cœmeteria quoque, quæ corpora continent salvandorum, quorum multa jam purgata stolam suæ glorificationis expectant, inhonestum credimus brutorum animalium sordibus deturpari: propter quod præcipimus, quod honeste claudantur sepe vel muro, canonice compellendis ad hoc faciendum iis, ad quos eorum clausio noscitur pertinere.

IV. *Ne placita sæcularia, & ludi inhonesti in cœmeterio fiant.*

Rectoribus ecclesiarum etiam & sacerdotibus inhibemus, ne ipsi in dictis ecclesiarum atriis animalia pascant, vel etiam intrare permittant: quod si præsumpserint, graviter se noverint esse puniendos.

Ad servandam quoque tam cœmeterii, quam ecclesiæ reverentiam: prohibemus, ne in cœmeteriis, vel aliis locis sacratis, vel etiam alibi diebus Dominicis, mercata teneantur, vel sanguinis causæ tractentur, nec ludi fiant inhonesti, maxime in sanctorum vigiliis, & festis ecclesiarum: quod potius in dedecus sanctis cedere novimus, quam honorem; præsumptoribus, & sacerdotibus, qui hæc sustinuerint fieri, canonice coercendis. Nec in cœmeteriis ædificia, nisi forsan hoc tempus hostilitatis exegerit, ulla fiant: & si facta fuerint, diruantur.

V. *De baptismo, & quibus verbis laicis, si necessitas compellat, baptizent.*

Quoniam autem a baptismo salus nostra cepit initium, de quo prophetavit Zacharias, dicens: *Erit fons patens domui David in ablutionem peccatoris, & menstruatæ:* hoc est, peccati actualis, & peccati originalis, quod per menstruam designatur: quod siquidem, sicut & menstrua, contingit invitis. Ab illo sumentes exordium, præcipimus, quod in qualibet ecclesia baptismali, sit fons lapideus decentis amplitudinis, & profunditatis: decenter etiam coopertus, in quo parvuli baptizentur. Quia, secundum quod legitur in concilio domini

Zachar. 1.

O *. legati ſedis apoſtolicæ, quidam diaboli- A
ca fraude decepti, vana pericula formidantes, ſabbato ſancto ante Reſurrectionem Domini, & ſabbato ante Pentecoſten, diebus videlicet ad baptizandum ab eccleſia ſolemniter deputatis, ſuos iis diebus non permittunt parvulos baptizari: præcipimus ſacerdotibus, quibus cura parochialis incumbit, quod ſubditos ſuos ab hoc errore, crebra prædicatione ſtudeant revocare: doceantque ſubditos ſuos formam verborum, qua baptizare debeant parvulos ſuos, ſi forte neceſſitas emerſerit baptizandi, ut baptizent, ſcilicet his verbis, in lingua qua noverint baptizare: ut videlicet nomen exprimant baptizandi, quod dicat baptizans: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spi- B
ritus ſancti. De infantibus etiam expoſitis, & aliis, de quibus dubitatur, an baptizati fuerint, vel non: hæc ſacerdotes obſervent, & alii, ſi forte neceſſitas emerſerit, quod eos baptizent ſub his verbis: Ego te non intendo rebaptizare, ſed ſi baptizatus non es, ego baptizo te in nomine Patris, &c. & trina ſemper fiat * emerſio baptizandi. Item panni chriſmales in uſus ſæculares nullatenus convertantur. Moneanturque patrini circa pueros inſtruendos in fide ſponſionis ſuæ ſervare promiſſum. Maſculum ad minus duo maſculi & una mulier ſuſcipiant; fœminam duæ mulieres, & maſculus unus: nec de facili vel paſſim plures admittantur, propter pericula, quæ C
per hoc contingere conſueverint. Pueri autem in neceſſitate baptizati, ſi forte convaluerint, ad eccleſiam deferantur, ut quæ defuerant, ſuppleantur: ea ſcilicet, quæ baptiſmalem immerſionem conſequi dinoſcuntur.

* Willelmo de Eleis, ſive Eleſenſi, ex Annal. Wigorn. in Angl. ſacra.

VI. *De confirmatione.*

Quia vero baptizato, quaſi neophyto, hoc eſt novo Chriſti militi, multiplex conflictus inſurgit adverſus principem tenebrarum, de quo legitur in Job: quod *non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei valeat comparari*: neceſſarium eſt ei ſacramentum confirmationis, quod ad robur fidelibus Eccleſia cenſuit tribuendum. Un- D
de præcipimus, quod ſacerdotes parochiales, ſubditos ſuos ſtudioſe moneant & frequenter, quod parvulos ſuos faciant confirmari: ſciantque patres & matres eorum, ſe poſt annum a nativitate pueri computandum, ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendendos, ſi infra annum, dum tamen epiſcopi copiam habuerint, vel tranſitus epiſcopi per loca, in quibus habitant, fuerit manifeſtus, ſi non præſentaverint confirmandos. Provideantque matres parvulorum, quod confirmandi, cum mittuntur ad epiſcopum, habeant ligamina novæ telæ: qui confirmati fuerint, poſt triduum portentur ad eccleſiam, in fonte baptiſmatis abluendi, & ligamina comburantur. Nec vir aut fœmina filium ſuum, aut E
filiam ſuam: nec vir fœminam, nec fœmina matrem coram epiſcopo teneat ad confirmandum; ſuper quibus, propter crebras epiſcoporum occupationes, per ſacerdotes ſuos ſubditi doceantur. Moneanturque fideles, ne parvulos ſuos faciant pluries confirmari: quia ſicut nec baptiſmus, nec confirmatio debet aliquatenus iterari. Et ſi presbyteri, ſingulis diebus Dominicis, ſuper his, quæ circa baptiſmum, & confirmationem præmiſimus, parochianos ſuos non informaverint diligenter, noverint ſe graviter puniendos.

VII. *Conſervatio hoſtiarum eccleſiarum.*

ANNO CHRISTI 1240

Quia vero pugili non ſufficit robur ad bellum, niſi & viaticum habeat, quo ſuſtentetur: illud dulce viaticum & pignus noſtræ redemptionis, & pretioſum corpus ſuum & ſanguinem, ad noſtram ſuſtentationem, Chriſtus reliquit in terris. Hoc eſt igitur ſacramentum, omnem ſupercellens venerationem, quod tantum debemus, pro noſtræ parvitatis modulo, totis viribus venerari. Circa ſpecies, quæ exiguntur ad hoc ſacramentum, quod piæ recordationis * W. prædeceſſor noſter ſtatuit in prima conſtitutione, approbantes, & verba canonis diſtincte proferenda, de hoſtiis conſecratis non ultra ſeptem dies conſervandis, ne forte per vaſis vitium, vel diuturnam conſervationem, humiditatem contrahant, aut mucorem, propter quod abominabiles guſtui, vel aſpectui turpes appareant; firmiter præcipimus, quod ipſe ſuper hoc provide ſtatuit obſervari: præcipientes nihilo minus, quod, ſecundum ſtatuta concilii generalis, Euchariſtia ſimul cum oleo, & chriſmate, ſub competenti clauſura ſervetur: ne, quod abſit, contingat in ipſis per ſacrilegos nomen Domini blaſphemari. Quod ſi neglectum fuerit, ad archidiaconi vel viſitantis arbitrium, rectoris vel vicarii reſidentis negligentia puniatur.

VIII. *Pulſatio campanellæ, quando corpus Domini erigitur.*

Cum autem, in celebratione Miſſæ, corpus Domini per manus ſacerdotum in altum erigitur, campanella pulſetur: ut per hoc devotio torpentium excitetur, ac aliorum caritas fortius inflammetur. Quod autem a religioſis illis, quoad elevationem, ut videri poſſit ab aſtantibus, obſervari præcipimus, qui non ſervaverunt, ut dicitur, hactenus hoc ſtatutum.

IX. *Ut devote occurrant, cum Euchariſtia deportatur.*

Cum autem ad infirmum Euchariſtia deportatur, ita decenter ſe habeant portatores, ſuperpelliciis ſaltem induti, cum campanella, lumine præcedente, niſi vel aeris intemperies obſtet, vel loci remotio: ut per hoc devotio fidelium augeatur; qui Salvatorem ſuum tenentur in via, luto non obſtante, flexis genibus adorare, ad quod ſunt per ſacerdotes ſuos attentius commonendi. Si autem loci remotio, vel aeris intemperies obſtiterit, ſacerdoti præcipimus, ut circa collum ſuum, in theca honeſta, pixidem deferat, in qua reponitur Euchariſtia, nec ſine comite incedat, per quem facilius evitet pericula, ſi emergant; nec etiam eundo ad infirmum, vel redeundo, ad domum aliquam, vel negotium divertat, niſi ſupradicto redemptionis pignore, per ipſum prius in loco debito repoſito reverenter. Quod ſi ſecus egerit, pro irreverentia puniatur.

X. *Ut aliquod lumen ſit, ubi fuerit Euchariſtia.*

In eccleſiis autem, ſaltem quarum amplæ ſunt facultates, continue lampas ardeat, die videlicet & nocte, coram redemptionis noſtræ

ANNO CHRISTI 1240.

pignore ſupradicto. Non ſolum autem verba canonis diſtincte proferri volumus : ſed & pſalmos, & hymnos, & cetera omnia, quæ hujuſmodi ſunt, & ſubſequentia, & præambula ſacramenti. Sunt enim quidam, quod dolentes referimus, qui continua ſyncopa, ſecundum quod legitur in concilio generali, proferunt Matutinas : quos, quia maledictus eſt qui facit opus Dei negligenter, ad hoc volumus coerceri. Ne forte quod princeps oblatum ſibi recuſaret, pro hoſtia videlicet integra, & viva, mortuam vel mutilatam Principi principum offeramus. Et quia quidam in pſallendo verſus, anticipant voces, labia permiſcentes: præcipimus, ut ſocius pſallens ſocio pſallenti intendat, & expectet, quouſque idem verſum finierit, quem incepit.

Jerem. 48. 10. ex Græco.

XI. *De libris & veſtimentis.*

Omnes autem eccleſiæ, libros habeant emendatos : quia per eorum falſitatem multa leguntur & canuntur a pluribus indecenter. Rectores etiam eccleſiarum & ſacerdotes, & alii miniſtri eccleſiæ, in Divinis officiis, tam in Veſperis, quam in Matutinis, aut aliis horis, ſuperpelliciis utantur, aut pallis honeſtis, aut clauſis ſaltem indumentis deſuper.

XII. *De ſacerdotibus miniſtrantibus in choro.*

Et quia, ſicut accepimus, quidam capellani, ad annualia, vel ad officium beatæ Virginis aſſumpti, interdum Matutinis præpoſitis, aut ſeorſum a choro, vel ab eccleſia, per ſe dictis, Miſſas celebrant immature, per campos, vel per villas poſtmodum diſcurrentes; præcipimus, ut omnes capellani, qui in una parochia commorantur, ſimul interſint, & conveniant Matutinis & Veſperis, & aliis horis canonicis, in eccleſiis celebrandis, & Miſſis, & maxime de die, niſi cauſa rationabili fuerint impediti : nec aliquis celebret, quouſque Prima fuerit canonice completa. Quod ſi ſecus agere præſumpſerint, uſque ad ſatisfactionem condignam ſe noverint eſſe ſuſpendendos. Statuimus etiam, quod in feriis & feſtis trium lectionum, & in feſtis ix. lectionum poſt ſecundas veſperas, niſi in craſtino feſtum ix. lectionum ſubſequatur, *Placebo & Dirige*, dicantur pro fidelium animabus, cum ix. pſalmis, & iij. lectionibus : niſi in Paſchali tempore, in quo cum tribus pſalmis & tribus lectionibus dici ſolent. Cordi nobis eſſet, quod omnes monachi haberent in Divinis obſequiis unum uſum; & unum, licet alium, canonici regulares; & unum, licet alium, clerici ſæculares : tanta enim diverſitas, regulares etiam ejuſdem profeſſionis, in diverſis peritos reddit, & imperitos.

XIII. *De matrimonio.*

Quia vero filiis Adæ poſt lapſum mundatis unda baptiſmatis, & per epiſcopum Spiritu ſancto in confirmatione roboratis, & ſalutari viatico ſuſtentatis, lethalis concupiſcentiæ lex inhæſit, ſine qua non fit carnalis commixtio: propter hæc humana generativa quidem tota corrupta, conceſſum fuit matrimonium in remedium, quod inſtitutum fuit prius ad officium. Hoc autem ſacramentum, quia figuret ſacramentum quod eſt inter Chriſtum & eccleſiam, eſt equidem & veneratione dignum, & a fidelibus omni ſcriptione celebrandum præhabita: præſertim, cum ex errore contrahentium, & eorum, qui ipſis aſſiſtunt, lites inextricabiles oriantur : propter quod, juxta ſtatuta concilii ſtatuimus, ut nullum matrimonium fiat, niſi præcedenti in eccleſia trina denunciatione ſolemni. Noverintque ſacerdotes, qui hoc ſtatutum violare præſumpſerint, ſe per triennium ab officio ſuſpendendos. Hæc autem intelligimus, non ſolum de matrimoniis ſolemniter celebratis; ſed etiam de iis, quæ aliter fiant, dum tamen contractum fuerit matrimonium per verba de præſenti.

ANNO CHRISTI 1240.

XIV. *De tranſgreſſoribus matrimonii.*

Injungimus etiam ſacerdotibus, quod diſtricte inhibeant parochianis ſuis, ne etiam ſponſalia contrahant, vel contrahentibus aſſiſtant, fide data per verba de futuro, niſi jejuna ſaliva, teſtibus dignis, adhibitis in præſentia ſacerdotis; quod ſi ſecus egerint, mittantur ad epiſcopos puniendi. Nec extranea perſona, de qua per denunciationem conſtare non poteſt an legitima ſit, ad contrahendum matrimonium aliquatenus admittatur, niſi ſuper hoc, per licentias prælati, ſub cujus juriſdictione prius ſteterant, fidem faciat archidiacono loci, vel epiſcopo, vel officialibus eorumdem. Doceanturque conjugati bona conjugii, necnon & quomodo debeant ſuos, in timore Domini, parvulos educare. Provideantque capellani inſuper, quod ſecundo nubentibus benedictionem ſolemnem de cetero non impendant, ſi pœnas canonicas voluerint evitare. Prohibeanturque, ſingulis diebus Dominicis, per presbyteros, tam matres, quam nutrices, juxta ſe pueros teneros collocare præſumant, ne forte contingat, per eorum incuriam, pueros ſuffocari; ſed in cunabulis firmiter jaceant fulciendis.

Sponſis etiam prohibemus, ſub pœna excommunicationis, ne, antequam matrimonium celebretur, carnaliter miſceantur. Quod ſi fecerint, ſi de contractu matrimonii contra prædictam formam, coram quibuſcumque judicibus fuerit judicialiter tractatum, partem agentem, licet obtinuerit, pœnis ſubſcriptis volumus ſubjacere : videlicet, quod quater in anno veniant ad eccleſiam cathedralem, tam coram atrio eccleſiæ, quam in vicis præcipuis civitatis, diſciplinam publicam recepturi. In aliis diebus feriandis, quotidie in parochia propria, ſimilem ſubeant diſciplinam.

XV. *Super eodem.*

Sacerdotes etiam prædicent parochianis ſuis, quod, contra doctrinam Apoſtoli, non obſervent dies, & menſes, & tempora, & annos, nec in actibus aliis, nec in matrimoniis celebrandis; ne timeamus cum Apoſtolo, hæc timente de Galatis, quod in ipſis ſine cauſa vel inaniter laboremus. Ne autem aliter matrimonia, vel ſponſalia contrahantur : præcipimus per ſacerdotes ſubditis ſuis, ſingulis diebus Dominicis, firmiter inhiberi, intimantes eis, quod qui aliter facere præſumpſerint, ad epiſcopum mittentur graviter puniendi. Sortiarii autem & ſortiariæ, cum detecti fuerint, maxime autem, qui Judæos conſuluerint ſuper

vita,

ANNO CHRISTI 1240.

vita, vel actibus forte discutiendum : ad epi- A scopum destinentur, pro suæ discretionis arbitrio, puniendi . Superstitiosas etiam fontium adorationes , & populorum collectiones apud Gerne , & apud fontem Rollæ , juxta Gloverniam, & in aliis locis similibus, quoniam ex hoc animabus fidelium multa novimus pericula provenisse , per sacerdotes vicinos præcipimus prohiberi : & , per subtractionem panis benedicti, & aquæ benedictæ, coerceant eos , quos in hoc de cetero noverint deliquisse.

XVI. *Ut omnes confiteantur, saltem semel in anno , antequam communicentur.*

Quoniam autem , omnis ætas hominis ab B adolescentia proclivis est in malum, accidit etiam, ut post hæc omnia deorsum vergens , humana fragilitas decidat in peccatum: propter hoc invenit, & concessit nobis miseratio Divina remedium, pœnitentiæ videlicet sacramentum , qua post lapsum resurgimus, qua vetustas post baptismum deleta reversa repellitur, & novitas perdita restauratur. Hoc autem sacramentum, quanto majoris est miserationis beneficium, tanto magis est ab omnibus carius amplectendum. Præcipimus igitur , juxta nostrorum statuta majorum , ut semel ad minus per annum studeat quisque fidelis omnia peccata sua districta & dilucida confessione detegere; ne, quod absit, in examinationis ex- C tremæ judicio, coram angelis & archangelis Divinis publicentur . Moneantur tamen fideles, per annum pluries confiteri: ut videlicet saltem in tribus præcipuis solemnitatibus, Nativitatis Domini , Paschæ Resurrectionis , & Pentecostes.

XVII. *De confessionibus clericorum.*

Volumus autem , ut ad audiendas clericorum confessiones, certi deputentur in singulis decanatibus confessores, quos in præsenti synodo , per ipsos electos volumus nominari . Injunctiones pœnitentiarum , quæ ex cupiditatis radice procedunt, execrantes, ne fiant di- D strictius inhibemus: ne videlicet sacerdos Missas , tricennalia , vel annualia per ipsum facienda , vel oblationes ab ipso recipiendas , præter certa tempora statuta, subditis suis injungant, ne potius pecuniam, quam animarum salutem quærere videantur. Et qui super hoc convicti fuerint , vel confessi, pro superioris arbitrio, puniantur. Quod si peccatum iterent: vel ab episcopatu penitus expellantur, vel secundum ejusdem superioris arbitrium , gravius puniantur . Nec aliquis sacerdos , qui parochiam regat, tricennale recipiat faciendum . Quod si receperit, duplum, quod ejus recepit, operi Wigorniæ ecclesiæ solvere compellatur . Quod si forte voluerit aliquis alii confiteri , E quam proprio sacerdoti, petita ab eodem modeste licentia, non negetur. Dum tamen sacerdoti per assertionem alicujus sacerdotis discreti constiterit, quod ei conscientiæ suæ vulnera patefecit, alioquin pro non confesso teneatur.

XVIII. *De quibus sacerdotes doceant subditos suos, quæ sunt criminalia peccata , & ut sciant orationem Dominicam , & Symbolum.*

Sciantque sacerdotes quæ exiguntur ad veræ confessionis pœnitentiæ sacramentum. Et quia

ANNO CHRISTI 1240.

observatio decalogi necessaria est fidelibus ad salutem: exhortamur in Domino sacerdotes , & pastores animarum, ut sciant decalogum , id est, decem mandata legis Moisæ, quæ populo suo sibi subjecto frequenter prædicent, & exponant . Sciant quoque quæ sunt septem criminalia , quæ populo prædicent fugienda. Sciant etiam saltem simpliciter VII. ecclesiastica sacramenta , quæ sunt . Habeat etiam saltem quilibet eorum simplicem intellectum, secundum quod continetur in Psalmo, qui dicitur, Quicumque vult, & tam in majori, quam in minori Symbolo: ut in his plebem sibi commissam noverint informare. Ut autem sciant sacerdotes, quorum aliqui sunt simpliçes, pro quibus delictis , superioribus sunt pœnitentiæ reservandæ; sciant autem parochianos suos instruere quomodo debeant confiteri , necnon & eorum conscientias perscrutari . . . tictiones , & diversitates, quia non sanat oculum , quod sanat calcaneum; quemdam tractatum de confessione fecimus, quem sciri ab omnibus capellanis præcipimus, & etiam observari in confessionibus audiendis, quia longum esset, ipsum in præsenti synodo publicare.

XIX. *De unctione extrema.*

Quia vero, sicut Dominus in evangelio testatur, *non sanis, sed male habentibus opus est medico*; caroque quibuscumque fulta remediis, semper tamen ut mortis debitum vergit in occasum ; concessum est exeuntibus corporalis alienationis remedium , & remissio peccatorum; quæ sola datur, si forte non expediat ægroto corporaliter relevari: sacramentum, videlicet unctionis extremæ, quod effectum duplicem, Jacobo testante, consequitur in ægrotis . Propter quod, hoc sacramentum , cum aliis dignis, decet ministros ecclesiæ, cum ceteris fidelibus venerari : & ad hoc exequendum, sacerdotes promptos ad ægrotos procedere , horis quibuscumque fuerint accersiti . Sacerdos enim , qui se pigrum exhibet in visitandis infirmis , ex quo quandoque forsitan accidit, quod ægrotus absque confessione , & Dominici corporis & sanguinis perceptione decedit , expers etiam unctionis extremæ, pernicioſum se, & non solum inutilem exhibet subditis: & tantam ejus incuriam, per nos noverit condigna pro viribus, animadversione plectendam. Sunt autem quidam , ut audivimus, qui post perceptionem hujusmodi sacramenti , sanitati pristinæ restituti, nefas reputant, vel uxores suas cognoscere, vel carnes comedere , vel etiam aliqua ratione, nudis pedibus ambulare. Horum autem errorem, utpote doctrinæ sanæ contrarium, execramur, & eos excommunicationibus & monitionibus duximus corrigendos: quia ferro abscindenda sunt vulnera , quæ fomenta non capiunt ecclesiastica coercitione; si necesse fuerit, per sacerdotes eorum, ab erroribus revocari. Quidam etiam abhorrent hoc percipere sacramentum, quod hoc sibi vix in ipso mortis articulo, sustinent exhiberi : propter quod forsan accidit, quod ejus expertes plurimi ab hac luce subtrahuntur. Contra hunc igitur errorem, cum aliis, eos per sacerdotes suos, & prædicatores alios, crebris exhortationibus præcipimus præmuniri.

Matth. 9.

ANNO CHRISTI 1240.

XX. *Quod sacerdotes, & ceteri ministri altaris, ab omnibus spurcitiis sint alieni.*

Quoniam autem etiam sacramenta legis antiquæ, quæ tamen sacramenta proprie non dicuntur, non per quoslibet, sed per Levitas, & Levitici generis homines tractabantur: multo magis sacramenta novæ legis, quæ non solum sicut illa figurant, sed faciunt quod figurant, non decebat per quoscumque tractari: Propter quod, necessarium fuit sacramentum Ordinis, ut ordinati scilicet prædictum ordinent sacramentum: qui quidem Dominico gregi præpositi, sicut & ordine præcellunt, conversatione sancta debent ceteris præminere. Cupientes igitur ministros sacramentorum nostri temporis ab omnibus spurcitiis esse alienos, ejus exemplo, de quo legi-
Malach. 3. tur in Malachia, *quod sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi*: circa mores eorum, & officia, prohibenda duximus, & statuenda, quæ districtis capitulis inferius subscribuntur.

XXI. *De indumentis clericorum & tonsuris.*

Ne igitur clerici de superbia sint notabiles: præcipimus, ut, juxta statuta conciliorum, pannis sericis, aut viridibus, aut rubeis non utantur, nec frænis, nec sellis, aut calcaribus, aut phaleris aliis aureis, aut deauratis; nec crines, nec comam nutriant, sed decenter & circulariter tondeantur, coronam habentes decentis amplitudinis, secundum quod exegerit ordo, quo fuerint insigniti. Cappas etiam deferant clausas sacerdotes, & personatum habentes, ubique, & non amplius utantur herigaldis: ceteri vero curam animarum habentes, maxime in ecclesia, & coram prælatis suis, & in conventibus clericorum, & ubique in parochiis suis, secundum quod in concilio Londonearum noscitur constitutum. Quod si secus actum fuerit, tam ipsi, quam archidiaconi, qui desides fuerint in hac parte correctores, se noverint peculiariter ad pios usus, per episcopum puniendos: beneficiatis scilicet in decima parte proventuum redituum suorum, fabricæ Wigorniæ ecclesiæ tribuenda, irrefragabiliter per episcopum puniendis. Clerici vero non beneficiati, qui reprehensibiles fuerint in tonsura, nec ad superiores ordines, nec ad beneficium admittantur, quousque per tantum tempus gesserint tonsuram competentem, quod videantur præteriti temporis scandalum redemisse.

XXII. *De invidia clericorum.*

Quum autem omnia ossa ecclesiæ debeant clerici esse, in quibus robur ejus esse debet, qui dum confringuntur, juxta Psalmistam, exprobrant inimici, ossium autem putredo sit invidia, quam ab ipsis cupimus relegari, ut aliorum bonis non invidere, sed potius studeant gratulantes congaudere.

XXIII. *De humilitate clericorum.*

Ut exhibeant & ostendant se veros scholares
Matt. 11. & discipulos Jesu Christi, dicentis: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*: sit in eis ornata tranquillitas animorum, ut se ipsis compositi sint, etiam aliis mansueti, nec etiam a subditis decimas, nec alia, quæ debentur eisdem, per iram, quæ *justitiam Dei non operatur*, aut turbulentiam exigentes, aut errores eorum justo districtius corrigentes. Nec tamen prohibemus, quin illos, quos Dei timor a malo errore non revocat, ecclesiasticæ coerceat severitas disciplinæ. Nec arma portent clerici, cum hoc clericalem non deceat honestatem, nisi forsan arma defensionis, cum hoc necessitas exegerit evidenter. Invasores autem proprii juris, aut alieni, manu armata durissime, superioris arbitrio decrevimus puniendos. Per judicem enim, sua, vel sibi debita, sive jus, sive possessionem, justum est quemlibet adipisci. Unde, quæ super hæc statuta sunt, firmiter volumus observari.

ANNO CHRISTI 1240.
Jacob. 19.

XXIV. *Quod sacerdotes nullo modo sint pigri ad visitandos infirmos.*

Quoniam autem, post primorum lapsum parentum, posteritas eorum, pro magna parte, decidit in furorem: cujus equidem furoris hæc sunt signa, quod os aliena loquitur, & quasi nihil de p. . . . quod pretiosa sua, propriam videlicet animam, vili venundat pretio, studioseque quærit, unde se perimat, densum contra se lutum turpiter congregando, vincivit & construxit vincula mandatorum cum Dei sapientia. Ut autem, juxta consilium sapientis, non acedientur in eis, quos quasi vigiles; oportet alios . . . . . gladio præmunire: præcipimus, ut discurrentes; suscitent amicos suos, festinantes, hoc est, horis debitis, sibi subditos, pro quibus apud districtum judicem sponderunt, solem in Divinis obsequiis ad benedictionem prævenientes. In visitandis infirmis impigri igitur sint, diebus & horis, quibuscumque fuerint evocati. Quod si torpendo, vel dormiendo neglexerint: gravi se pervigiles noverint ultione plectendos, ut acediæ vitium in eis penitus relegetur.

XXV. *Archidiaconi & decani nihil exigant a rectoribus in visitationibus.*

Quoniam autem horrendum est ipsos idolatros esse, quos in fine decet & oportet alios informare: illud execrabile vitium, avaritiam videlicet, quæ idolorum servitus nuncupatur, omnes in se clerici studeant extirpare, & exemplo majorum, minores studeant declinare. Quia igitur non filii patribus, sed patres filiis thesaurizant: præcipimus archidiaconis, quod a subditis suis nihil pecuniæ extorquere præsumant, per injuriam; & in visitationibus faciendis, statuta conciliorum Lateranensis, Oxoniæ, Londonearum, vigilanter observent, in suis videlicet officiis exercendis: & statutum evectionum numerum non excedant: nihil etiam exigant, vel recipiant pro chrismate, vel oleo tribuendo. Litigantibus coram ipsis liceat a lite per concordiam impune recedere, dum tamen lis sit talis, in qua compositio, vel transactio sit permissa: nec subditos suos excommunicent, nisi trina, & canonica monitione præmissa. Decani etiam pro missionibus clericorum, in possessionem ecclesiarum, in quibus fuerint per episcopum instituti, nihil omnino recipere, vel extorquere præsumant. Nec archidiaconi, nec eorum ministri, officiales videlicet, aut decani, vel etiam sacerdotes, in

pa-

parochiis ſuis, pecuniam recipiant pro criminibus celandis, & omnino ſupprimendis, vel remiſſius puniendis. Quod ſi decani, vel ſacerdotes fecerint: ab officiis amoti, gravius puniantur. Archidiaconi & rectores eccleſiarum, & vicarii perpetui, relinquantur epiſcopo puniendi. Apparitores etiam decanorum, ſi crimina celaverint, per officialem epiſcopi graviter puniantur. Volumus & quod apparitores, per officialem noſtrum, & archidiaconum eligantur: quoniam apparitorem fidelem eſſe oportet, cujus teſtimonio creditur, ſicut duobus teſtibus, in citationibus factis, judici nunciandis.

ANNO CHRISTI 1240.

XXVI. *Ne quis ſacerdos bis in die celebret, niſi neceſſitas hoc exigit.*

Præcipimus etiam ſacerdotibus, ſicut prædictum eſt, ne Miſſas a ſe faciendas, vel oblationes recipiendas injungant, nec in eadem Miſſa, plura cantent officia: quod ſapit & ſonat avaritiæ vitium manifeſte. Nec etiam plures Miſſas unus ſacerdos celebret eadem die, niſi vel die Natalis Domini, & die Paſchæ, cum hoc, propter tenuitatem eccleſiæ, paucitas exegerit ſacerdotum; vel cum corpus præſens fuerit tumulandum, vel ingens neceſſitas id poſtulat evidenter. Hoc autem intelligimus faciendum in eccleſiis, quarum non abundaverint facultates. In aliis enim, quæ opulentæ fuerint, & parochias habentes diffuſas, plures præcipimus conſtitui ſacerdotes & clericos, utpote diaconos & ſubdiaconos, ſecundum eccleſiæ facultates: &, ſuper hoc per archidiaconos & officiales noſtros, niſi hoc forte rectores eccleſiarum celerius exequantur; volumus & præcipimus eccleſiis provideri. Accidit enim ex hoc, quod merito reprobamus, quod diaconi ſcilicet quandoque confeſſiones audiunt, & alia tractant ſacramenta, quæ ſolis ſacerdotibus ſunt commiſſa; quod ne de cetero fiat, diſtrictius inhibemus. Sacerdotes etiam, & clerici miniſtrantes in eccleſia, non exiliter, ut hactenus, ſed ſufficienter per illos quorum intereſt, de bonis eccleſiæ ſuſtententur, moderanda per epiſcopum, vel ejus officialem ſuſtentatione, ſi neceſſe fuerit, habita ratione facultatum eccleſiarum, & idoneitatis miniſtrantium in eiſdem. In eccleſiis autem, quæ vicinæ ſunt ſcholis civitatis, vel caſtrorum, aquæ benedictæ deferendæ ſcholaribus tribuantur. Quoniam autem, juxta querelam prophetæ: *Diſperſi ſunt lapides ſanctuarii, in capite omnium plateurum*, clerici videlicet, per turpes quæſtus & mercimonia, in capite omnium vitiorum: negotiationes omnimodas clericis inhibemus, quia ſecundum Apoſtolum, *nemo Deo militans, negotiis ſæcularibus ſe debet implicare*. Quoniam autem turpius hoc vitium committitur a religioſis, & non ſine ſcandalo plurimorum: hoc ipſis diſtrictius decrevimus inhibendum.

Thren. 4.

2. Tim. 4.

XXVII. *De emptione bladi creſcentis in terra.*

Hinc autem conſequens eſt, quod crimen fugiant uſurarum: quod, ut audivimus, & dolentes referimus, ſacerdotes etiam circa mutuum, & emptiones bladi creſcentis in terra, ad totius cleri dedecus, ſuarumque præjudicium animarum, committere non verentur, vendentes tempus, quod Dominus voluit cunctis eſſe commune, vilius ementes, & carius vendentes, pro dilatione temporis non venalis. Quæ ne de cetero fiant, totis viribus prohibemus.

ANNO CHRISTI 1240.

XXVIII. *Quod ſacerdotes pro ſepultura nihil accipiant.*

Sacerdotibus etiam diſtrictius duximus inhibendum, ne pro benedictionibus nubentium, vel ſepultura mortuorum, vel aliquibus omnino ſacramentis, aliquid exigant a ſubditis, vel extorquere præſumant. Pias tamen fidelium conſuetudines, quas ſponte ſervare voluerint, nolumus impedire.

XXIX. *Quod pauperes non compellantur ad offerendum, cum communicant.*

Audivimus autem quidem, quod merito credimus reprobandum, quod quidam ſacerdotes parochianos ſuos, cum communicant, offerre compellunt: propter quod ſimul communicant, & offerunt; per quod venalis videtur corporis & ſanguinis Chriſti hoſtia pretioſa. Quod quam execrabile ſit, nullus ambigit ſanæ mentis. Hoc igitur avaritiæ horrendum vitium interdicimus, & execramur.

XXX. *Clerici nullam reddant laicis computationem.*

Quum autem non deceat clericos laicis, de propriis actibus reddere rationem; firmiter inhibemus, ne clerici bailivas accipiant, per quas ad reddenda ratiocinia laicis obligentur, nec cauſam ſanguinis tractent, nec tractandis interſint: nec de executione ſervorum, litteras ſcribere, vel dictare præſumant.

XXXI. *Quod eccleſiæ non tradantur ad firmam, ſine licentia epiſcopi.*

Prohibemus etiam, ne eccleſiæ dentur ad firmam, ſine noſtra licentia ſpeciali, nec ultra terminum in Londonienſi concilio conſtitutum, cauſis propter quas hoc fieri debeat, per nos approbandis, vel reprobandis, ſecundum quod viderimus expedire. Quoniam autem avarum eſt, in uſus profanos convertere, quæ Divinis ſunt obſequiis deputata: prohibemus, ne redditus vel fructus poſſeſſionum, ad eccleſiæ luminaria dati, in uſus alios convertantur. Quoniam, ut audivimus, non ſolum clericos ſæculares, ſed religioſos & regulares, avaritiæ peſtis invaſit, ut tanquam negotiatores præcipui, negotiis ſe ſæcularibus immiſceant impudenter; utpote mercimoniis, & firmis manerіorum, vel aliarum poſſeſſionum ab abbate ſuo, vel priore, vel etiam ab aliis receptis: nos, tanquam horrendum in eis hoc vitium execrantes, & zelo religionis, & ſtudio juſtitiæ perſequentes, diſtrictius inhibemus, ne talia de cetero, per religioſos aliquos, aliquatenus attententur.

XXXII. *Quod religioſi, & clerici ſectentur hoſpitalitatem, pro viribus ſuis.*

Præcipimus etiam, ut omnes clerici, & maxime religioſi, ſectentur hoſpitalitatem, per quam quidam placuerunt angelis hoſpitio receptis: & ſint hoſpitales, pro ſuarum viribus facultatum; & hoc ſine murmure, juxta doctrinam beati Petri; quia, teſte ſcriptura, dul-

Hebr. 13. 2. 1. Pet. 4. 9

ce

ANNO CHRISTI 1249.

ce verbum melius est quam datum. Illos autem hospitio potissime recipiant, quibus sive receptis, sive repulsis, nihil se speret, vel timeat, illum recipiens, vel repellens, ab homine retributionis vel molestiæ recepturum.

XXXIII. *Regula, & quod nullus clericus interfit convocationibus, quæ vocantur scotalles.*

Quia vero per gulam, mors nostra sumpsit exordium, & tota est Adæ posteritas necessitati mortis addicta; maxime clericos decet a crapula & ebrietate totis viribus abstinere. Unde prohibemus, ne compotationibus, quæ vocantur scotalles, vel aliis inhonestis, præsumant aliquatenus interesse, nec tabernas exerceant. Ut autem a talibus subditos arceant, & diligentiam adhibentes, prædictas scotalles & alias compotantium congregationes, ex parte Dei & nostra, firmiter inhibentes, sic se habeant, & subditos suos se habere doceant: ut qui fuerant per immoderantiam sauciati, medicinali parsimoniæ studio reformentur. Quod si transgressi fuerint, ab officio suspendantur.

XXXIV. *De clericis beneficiatis, qui uxorati sunt, & de inconvenientibus.*

Quia autem circa luxuriam, & continentiam clericorum, quos a se tantæ spurcitiæ vitium cupimus relegare, nihil novum duximus statuendum: sed volentes, pro viribus, super hoc conciliorum statuta servare: præcipimus archidiaconis & officialibus nostris, quod diligenter inquirant, an aliqui eorum fuerint uxorati, vel concubinas publice tenuerint in domibus suis, vel alibi, per mensem, post Londonense concilium promulgatum: ut pœnam, in eodem concilio statutam, transgressoribus infligamus. Sciantque rectores ecclesiarum, & vicarii, se graviter puniendos, si scienter luxum ecclesiis suis faciant deservire. Ut autem clerici fornicatores tam in concubinariis, quam in se ipsis graviter puniantur: præcipimus, ut publicis clericorum concubinis, nec panis benedictus, nec aqua benedicta, nec pacis osculum concedatur. Sciantque sacerdotes, qui secus egerint, se graviter puniendos, vel ab officio suspendendos.

XXXV. *De his, qui reliquerint ecclesias, & solum illarum, ædificiis destitutum.*

Quia vero, turpiter per aliquos distrahitur patrimonium Jesu Christi, qui ecclesias suas & solum illarum ædificiis destituta relinquunt, & in feodo laico domos ædificant, in quibus, collatis * ibi forte concubinis eorum, valeant liberius lascivire: prohibemus, ne in solo laicali, domus aliquæ de bonis ecclesiæ constituantur, nec in talibus ædificiis, aut aliis laicis, fructus ecclesiæ colligantur, nisi forte hoc exegerit necessitas manifesta: sed in solo ecclesiæ, juxta facultates ecclesiæ ipsius, rector illius ædificet competenter. Ad quod faciendum, si necesse fuerit, compellantur, nec alicujus ecclesiæ terra libere laicis ad firmam aliquatenus concedatur: nec etiam fructus ecclesiæ aliquo modo vendantur, antequam colligantur. Quod si forte vivens non fuerit executus de bonis ejusdem defuncti: per commissarios ejus, vel archidiaconum effectui mancipetur, dummodo longo tempore tenuerit beneficium ædificiis destitutum. Quod si forte diu talem non tenuerit ecclesiam, aliquid tamen de bonis ejus: ad hoc ratione prævia deputetur, habita ratione temporis, quo præfuit ecclesiæ memoratæ. Quia vero multa sunt, quæ clericali honestati conveniunt, quæ longum esset difuse tractare: quæ subscripta sunt, prohibenda duximus, & per archidiaconos diligenter inquiri, qualiter se in his habeant subditi sui: pro quorum salute, statuenda duximus & prohibenda subsequentia, cum præmissis.

* *f.* collocatis.

ANNO CHRISTI 1249.

XXXVI. *Quod nullus clericus frequentet ecclesias monialium.*

Prohibemus igitur, ne aliqui clericorum, sine causa rationabili, ecclesias monialium frequentare præsumant: nec etiam aliquis clericus, vel laicus, in domo sua concubinas teneat clericorum: & ubi sunt concubinarum receptacula, per archidiaconos volumus inquiri, ut receptatores gravius puniantur. Nec dictis concubinis, in testamentis clericorum, juxta concilium Oxonienſe, aliquid relinquatur: quod si præsumptum fuerit, irritum habeatur. Nec etiam aliquis clericus, vel laicus in domo sua teneat mulierem, vel consanguineam suam, vel aliam, de qua merito valeat sinistra suspicio suboriri,

XXXVII. *De beneficiatis, qui illiterati sunt.*

Quia vero non decet illitteratos, & insçios, officium sibi pastoris, contra salutem propriam, usurpare: denunciari nobis volumus per archidiaconos & officiales nostros, qui sunt rectores ecclesiarum, vel vicarii, qui magnam habent insufficientiam litterarum: & an aliquis rector ecclesiæ, vel vicarius non sit in ordine, quem commissa sibi cura requirit, cum firmiter eos prius præceperimus ordinari. Et quia præcepimus, quod rectores ecclesiarum ad ordinem, quem commissa sibi cura requirit, se facerent promoveri; & nonnulli, cum suarum, & subditorum suorum animarum periculo, fructus sine nostra licentia diu perceperunt, extra sacros: licet ad restitutionem omnium fructuum, sine nostra conscientia taliter perceptorum, tanquam invasores, ex debito teneantur: mitius tamen cum ipsis agere cupientes, qui jam per susceptionem ordinum, pro parte vitium hujusmodi redemerunt, partem fructuum suorum, per nostrum arbitrium, piis decrevimus usibus erogandam. Illis autem, qui contra constitutiones nostras, & sanctiones canonicas, ad sacros ordines hactenus ascendere contempserunt, administrationem fructuum existentium interdicimus, & perceptionem futurorum, quousque gratiam nostram invenerint, & saltem, ad sacros ordines se fecerint promoveri: si decreto nostro restiterint, teneri etiam volumus de præceptis. Et quæratur, an in omnibus ecclesiis, canon Missæ sit rite correctus.

XXXVIII. *Ne clerici interfint ludis inhonestis.*

Prohibemus etiam clericis, ne interfint ludis inhonestis, vel choreis, vel ludant ad aleas, vel taxillos; nec sustineant ludos fieri de rege & regina, nec arietes levari, nec palæstras publicas fieri, nec gildales inhonestas; & præci-

pue,

pue, mercatorum peregrinorum, quas omnino fieri prohibemus: per quæ, multa novimus pericula proveniſſe. Vicarii autem in eccleſiis ſuis omnino reſideant, omni occaſione ceſſante. Rectores etiam eccleſiarum, ſine licentia epiſcopi, nullatenus ſe abſentent: qui, ſi abſentes fuerint, ad reſidendum compellantur, authoritate domini Papæ, & noſtra. Si ſe abſentaverint rectores ſine licentia noſtra, quartam partem fructuum eiſdem decrevimus ſubtrahendum, & pauperibus parochianis, ac aliis piis uſibus, per illos, quos deputaverimus ad hoc, erogandum. Et, ut tam rectores, quam vicarii reſidentes, teſtimonium habeant honeſtatis: volumus, quod rectores, capellanos parochiales de cetero ſecum teneant in hoſpitio, & in menſa, & ut ipſis peccandi per hoc, & malevolis ſubtrahatur occaſio detrahendi.

Statuimus etiam, quod de cetero, per archidiaconos, vel decanos, propter delictum rectorum, vel vicariorum eccleſiæ, a Divinis officiis nullatenus ſuſpendantur: dum tamen per bona ſua, vel perſonas coerceri poterunt competenter.

XXXIX. *Sacerdotes magnatum non audiant confeſſiones eorum vel familiæ ſuæ ſine licentia epiſcopi.*

Prohibemus etiam, ne aliquis ſacerdos, in capellis magnatum, quantumcumque ſit, libere Divina celebrare præſumant, niſi nobis præſentatus, & admiſſus, nec ipſe confeſſiones dictorum magnatum audiat, aut familiæ eorumdem, ſine noſtra licentia ſpeciali. Et, ſi qui fortaſſis exemptos ſe dicant a juriſdictione noſtra, privilegium exemptionis ſuæ, quo ſerventur, nobis exhibeant incunctanter.

XL. *De iis qui falſum teſtimonium perhibent in cauſis matrimonialibus, vel in exhæredatione alicujus.*

Statuimus etiam, ut qui, pecunia corrupti, falſum depoſuerint teſtimonium, & ſubornatores & compoſitores, præſertim in cauſis matrimonialibus, vel cum in exhæredationem alicujus agitur, a perhibendo teſtimonio, tanquam infames, necnon & a ceteris actibus legitimis eccleſiaſticis, repellantur.

XLI. *Vicariæ religioſorum ſufficientes ſint vicariis.*

Præcipimus etiam, quod viri religioſi vicarios præſentent ad eccleſias ſuas, quas habent in proprios uſus, in quibus nondum ſunt vicarii conſtituti: proventus vero vicariarum, qui minus ſufficientes debent merito reputari per ipſos quorum intereſt, infra duos menſes irrefragabiliter augeantur. Quod ſi forte neglexerint, defectum eorum per officialem noſtrum, & archidiaconum loci, volumus in hac parte impleri, & religioſos, ad conſenſum, per eorumdem beneficiorum ſubtractionem, decrevimus compellendos.

XLII. *Quod clerici beneficiati, non ſint advocati, niſi in cauſis propriis, vel dominorum ſuorum.*

Præcipimus etiam clericis beneficiatis & ſacerdotibus, ne ſint advocati in cauſis, niſi forte pro ſe, vel pro eccleſiis ſuis, vel pro dominis ſuis, vel pro miſerabilibus perſonis. Nec etiam ad poſtulandum aliquis admittatur, qui de domicilio, vel origine noſtræ juriſdictionis fuerit, niſi noſtras litteras teſtimoniales exhibuerit, quod ſecundum conſtitutionem domini legati, præſtiterit juramentum, quod in cauſis, quarum patronatus extiterit, patrocinium fidele præſtabit, non ad differendum, vel auferendum alterius partis juſtitiam, ſed ad cauſam clientuli ſui, legibus utendo & rationibus, defendendam.

XLIII. *Nulla det clerico, vel laico, de garbis decimarum.*

Statuimus, ut nullæ garbæ de blado decimando, alicui pro ſervitio, vel aliquo modo alio dentur, antequam decimentur: vel ſi datæ fuerint, ſub interminatione anathematis, præcipimus computari. Et de negotiatione vel artificio eccleſiæ illius parochiæ, in qua domicilium habet, decimas det, licet in alia parochia negotietur, vel artificio utatur: niſi manſionem diutinam in parochia fecerit aliena, tunc enim lucrum ſuum pro rato temporis decimabit.

XLIV. *De decimis agnorum, lanæ, & caſeorum.*

Cum decimarum confuſio provenientium de lana, agnis, & caſeis, eccleſiarum rectoribus amodo contentionis occaſionem generet: ſtatuimus, quod in quacumque parochia per totum annum fuerit ovile ovium, licet oves parochiæ vicinæ limites tranſeant, ad paſcua quærenda, illi eccleſiæ, in cujus parochia cubaverint, decimæ tribuantur. Quod ſi continue cubant in una parochia, & continue paſcant in alia: inter eccleſias decima dividatur. Idem & quod de ovibus, de vaccis duximus ſtatuendum.

XLV. *Quod decimatio lanæ agnorum & vellerum fiant præſente rectore, vel ejus miniſtro.*

Ut autem in noſtra diœceſi uniformis ſit præſtatio decimarum, agnorum, & vellerum, & ut laicis ſubtrahatur occaſio malignandi, ſtatuimus, ut præſente rectore, vel ejus miniſtro, fiat decimatio prædictorum. Quod ſi laici ad hoc induci non poſſunt: ad hoc faciendum, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur.

XLVI. *De decimis fœni.*

Statuimus etiam, ut decimæ fœni integre reddantur, vel decima pars prati in loco competenti, & ſine præjudicio eccleſiæ aſſignetur, niſi prius fuerit aſſignata, ſive ſemel, ſive bis prata falcentur. Quia, ſi forte dixerint aliqui ſe pratum, quod eccleſia tenet, dediſſe pro decima, ſi hoc probare voluerint, audiantur. Quo probato, quod ſuffecerit, pro decima teneatur, nec amplius exigatur: ſi vero non ſuffecerit, per ipſum, qui tenetur, quod deneuerit, ſuppleatur. Quod ſi forte non probaverit, pratum datum fuiſſe pro decima: quia pro dote datum fuiſſe præſumitur, decima per eos, qui decimare tenentur, integre perſolvatur.

ANNO CHRISTI 1240.

XLVII. *De detentoribus decimarum.*

Concedimus etiam rectoribus ecclesiarum, quod monitione præmissa tribus diebus dominicis, per censuram ecclesiasticam, coerceant detentores decimarum prædictarum.

XLVIII. *Quod religiosi ostendant titulum quo possident decimas, infra terminum statutum.*

Præcipimus, quod viri religiosi, necnon & alii, qui contra jus commune decimas possident separatas, infra festum S. Michaelis, titulum nobis suæ possessionis ostendant, infra terminum a nobis jam quibusdam statutis, vel ab officio nostro statuendum, titulum suæ possessionis ostendant.

XLIX. *De executione testamenti.*

Quia vero testamentorum executio, per executores, seu commissarios, rarius quam deceret, debitum sortitur effectum, tum per fraudem executorum, tum per negligentiam eorumdem: volentes super hoc de cetero providere, statuimus & præcipimus, ut testamenta, quorum executionem in se commissarii susceperint, celeriter exequantur. Et ut liberius & promptius fiat, volumus, ut per visum episcopi, vel ejus, quem ad hoc duxerit deputandum, dum in executione laborant, moderatas sumant sibi expensas de bonis defuncti, cujus multæ fuerint facultates; pauperibus vero gratis executionis officium gratanter impendant. Quod si fraudulenti reperti fuerint, aut negligentes: per episcopum, vel ejus officialem, de consilio proximorum defuncti, vel omnibus, vel illis, qui super hoc fuerint reprehensibiles; alius autem vel illi subrogentur.

Inhibemus etiam executoribus antedictis, ne de bonis defuncti recipiant aliquid, titulo emptionis, vel donationis, per se, vel per alios: nisi fortassis aliquid eis fuerit legatum a dicto defuncto, dum adhuc viveret, aut donatum.

L. *De testamento pauperis.*

Ubi autem testator tanta paupertate laborat, quod non possit ecclesia legatum percipere consuetum, quin uxor ejus, & liberi, si qui fuerint, relinquantur inopes, aut mendici, volumus, & præcipimus, quod tantum, & non amplius, habeat ecclesia pro legato, quod deducto eo, quod domino debetur, & funeris expensis, & aliis debitis persolutis, duæ partes bonorum, quæ supererunt, antedictis uxori & liberis relinquatur. Si autem, sine liberis decesserit, uxori dictorum bonorum medietas relinquatur. Idem etiam statuimus, cum in paupertate consimili uxor præmoritur viro suo, circa virum & liberos observandum.

LI. *Quod rector ecclesiæ, si testatus decesserit post annuntiationem B. Mariæ, percipiat decimas & alios fructus; si autem intestatus, omnia bona sua sint in dispositione episcopi.*

Quod autem piæ recordationis prædecessor noster statuit circa fructus a clericis in terra seminatos, ab ipsis percipiendos, quacumque hora anni decesserint, & circa decimas autumni sequentis percipiendas ab eis, si testati, post Annunciationem beatæ Virginis, debitum carnis persolvissent, ratum habentes: de his, qui sive ante, sive post dictum terminum, decesserint intestati, sic duximus ordinandum: ut de decimis, & omnibus bonis eorum, quæ tempore mortis inventa fuerint, disponat episcopus, secundum quod viderit expedire, convertens ea in solutione debitorum defuncti, si quæ fuerint, & alios pios usus, secundum quod pie decreverit faciendum. Successor tamen defuncti, si ante tempus messium fuerit institutus, tam fructus terræ, quam decimarum, integre percipiat: nisi fortassis episcopus, si defunctus fuerit ære alieno gravatus, ad ejus exonerationem, vel ad alios pios usus, pro defuncto moderatum aliquid duxerit retinendum. Fœnum autem prati de dominio ecclesiæ successori defuncti statuimus tribuendum: decimæ vero fœni jure aliorum fructuum censeantur.

Item, si rector ecclesiæ, perceptis, vel percipiendis ab eo fructibus autumni, decesserit, qui pensionem aliquam religiosis, vel aliis personis solvere teneatur: de bonis ejus dicta pensio persolvatur. Et si forte proventus ecclesiæ, quos ipse percipit, non sufficiant ad servitium ecclesiæ, & onera episcopalia, & archidiaconalia sustinenda: usque ad Annuntiationem beatæ Virginis, per commissarios de bonis defuncti, quod defuerit, suppleatur.

LII. *De terris defunctorum incultis.*

Terræ autem ecclesiarum vacantium, incultæ non jaceant, sed per decanum loci excolantur, ab eo, qui fructus receperit, sumptibus refundendis: vel pro parte fructuum, tradantur aliis excolendæ. Decani, qui circa hoc negligentes fuerint, puniendi. Si autem laicus, liber homo intestatus decesserit, dominus ejus, & ecclesia, cujus parochianus extiterat, habeant quod ex testamento, si fieret, eis fuerat tribuendum. Quod autem de bonis superfuerit, in solutionem debitorum defuncti, si quæ fuerint, & stipendia servientium, & alios pios usus, per visum domini defuncti, & ipsum, quem episcopus ad hoc deputaverit, erogetur.

LIII. *De sacerdotibus alienæ ordinationis.*

Præcipimus etiam, quod omnes sacerdotes ordinationis alienæ, & qui locum mutaverint, qui in diœcesi nostra, ad parochias custodiendas, vel ad celebranda divina fuerint admittendi, citra initium Septembris, singulis annis, archidiacono, vel officiali nostro, per ipsos, quorum interest, præsententur: ut per ipsos præsentati, eorum meritis, approbentur, vel si justum fuerit, reprobentur.

LIV. *De festis celebrandis.*

Quod autem prædecessor noster statuit de festis celebrandis, ne fiant in eis opera servilia, præcipimus ab omnibus uniformiter observari: nisi forte specialiter aliquid fiat pro veneratione sanctorum in quorum honore, ecclesiæ, vel altaria consecrantur. Dictis autem solemnitatibus, beatorum Nicolai, & Edmundi archiepiscopi, duximus adjungenda. Festa autem sanctorum Dominici, & Francisci, in ecclesiis, cum novem Lectionibus volumus super hoc celebrari. Nolumus tamen per hoc opera laicorum fidelium impediri.

LV. *De*

ANNO CHRISTI 1240.

LV. *De vigiliis circa corpora defunctorum.*

Quod etiam idem ſtatuit in choreis, & cantilenis, ſæcularibus ludis, & aliis turpibus & fatuis declinandis, in vigiliis, quæ fiunt circa corpora mortuorum, præcipimus inviolabiliter obſervari: nec ad dictas vigilias aliqui veniant, niſi cauſa devotionis, & qui ab hujuſmodi..... voluerint abſtinere.

LVI. *Quod mulieres Chriſtianæ nullomodo nutriant pueros Judæorum.*

Prohibemus etiam, ſub interminatione anathematis, ne mulieres Chriſtianæ pueros nutriant Judæorum, nec habeant Judæi famulos Chriſtianos, in eorum hoſpitiis pernoctantes.

LVII. *Quod Chriſtiani non recipiant res Judæorum, in eccleſiis cuſtodiendas.*

Prohibemus etiam, ne Chriſtiani recipiant pecuniam Judæorum, quaſi res proprias, ut magis ſalvo cuſtodiantur, in eccleſiis deponendas.

LVIII. *Quod Chriſtianus non committat Judæo pecuniam, cauſa mutuandi ad uſuram.*

Quia vero parum refert, an quis per ſe, vel per alium in crimen incidat uſurarum: prohibemus, ne quis Chriſtianus Judæo pecuniam committat, ut eam Judæus ſimulate, ſuo nomine proprio, mutuet ad uſuram. In aliis autem, ſtatuta conciliorum circa Judæos volumus & præcipimus firmiter obſervari.

LIX. *De cereo Paſchali.*

Quæ autem circa religioſos ſtatuenda decrevimus, proponimus in eorum capitulis publicare. Item, poſt feſtum S. Trinitatis, fiant minores cerei de cereo Paſchali, qui cedant in uſus altarium & pauperum.

Has igitur noſtras conſtitutiones, in ſingulis & omnibus eccleſiis noſtræ diœceſis, ſcribi volumus & ſervari: volumuſque rectores eccleſiarum & ſacerdotes, ad ipſas intelligendas, & effectui mancipandas, pro viribus inſudare. Quod ſi forte neglexerint, ſciant ſe graviter puniendos, cum ſuper hoc, in ſynodo vel extra, fuerint requiſiti, cum tantum temporis lapſum fuerit, quo commode quod prædictum eſt, potuerint impleviſſe.

☞ ADDITIO.

Ad has conſtitutiones, quas reperit Wilkins in Cod. Thomæ Epiſcopi Aſſavenſis, & dicit eſſe D. Walteri de Cantalupo piæ recordationis.

Wilkins to. 1. pag. 677.

CIrca correctiones Sacerdotum conductitiorum hunc ordinem volumus obſervari, ut ſi per inquiſitionem, vel alio modo quandocumque fuerint de incontinentia diffamati, & convicti, primo pecunialiter puniantur, & amoveantur a loco, in quo fuerant diffamati, ſaltem in fine anni, propter infamiam, & periculum evitandum, & alio loco ponantur. Si ſpes ſit de correctione, & caveant ſub pœna graviori, quod de cetero continebunt. Secunda vice, ſi ad idem inveniantur culpabiles exigatur pœna non ſolum in fine anni, ſed quacumque parte anni inveniatur commiſſa, & caveant idonee, quod continebunt ſub pœna amotionis, & dejectionis ab Epiſcopo, & mutent locum, ut ſupra. Si tertio comprehendantur culpabiles; a loco ejiciantur maxime ſi fuerint aſſueti peccare; quibus Eccleſiis mutuo ſibi ſignificent Archidiacono nomina ejectorum, ne ab uno ejecti, in Archidiaconatum alterius admittantur. Item nullus Archidiaconus, ſeu ejus officialis admittat capellanum de alterius Archidiaconatu pœnitentem, niſi prius conſtiterit per alium Archidiaconum, qualiter dictus Capellanus fuerit converſatus ſeu morigeratus, & ſi ſub aliqua pœna fuerit obligatus, & ſub qua forma. Item rectores vel alii præſentantes Capellanos, qui caverunt jam in eodem Epiſcopatu, vel eos, qui habent neceſſe cavere ſub pœna faciejubeant in ipſa præſentatione ſi contingat cauſam committi. Item extranei Capellani non admittantur, niſi litteras teſtimoniales ad locorum Ordinarium, in quibus primo celebraverunt, attulerint, & pro eiſdem caveant præſentantes, quod honeſte ſe habebunt, & vivent continenter ſub pœna unius marcæ. Item oriundi de alieno Epiſcopatu, & non a ſuis Epiſcopis ordinati nullatenus admittantur, niſi prius doceant a ſuis cum eis fuiſſe diſpenſatum; hoc idem de oriundis de noſtro Epiſcopatu, & ab alienis Epiſcopis ordinatis, ſimiliter obſervetur. Item diligenter examinentur Sacerdotes conductitii de literatura ad curam animarum maxime præſentati, & illi maxime, qui in noſtro Epiſcopatu converſati ſunt, examinentur de Synodalibus conſtitutionibus, & de Pœnitentiali noſtro; & ſi inventi fuerint harum conſtitutionum ignari, repellantur, vel pro negligentia puniantur, & injungatur eiſdem, & aliis de novo admittendis quod habeant, & ſciant prædicta ſcripta citra adventum Domini ſub pœna competenti. Nomina ſiquidem Capellanorum ad celebranda qualitercumque admiſſorum in ſcriptura redigantur, & alii, qui ſunt bonæ famæ per ſeorſum ponantur; alii vero, correcti ſcilicet, & caventes per ſe ordinate, & diſtincte. Ejus ſcripturæ nobis fiet copia citra feſtum Omnium Sanctorum, ut ſic de vita, moribus, & conditionibus eorum poſſimus doceri.

Ad hæc capellani convicti ſuper incontinentia ad officium ſuum non admittantur priuſquam cum Pœnitentiali noſtro conſilium habuerint ſalutare, & de hoc fidem fecerint Archidiacono, vel Decano.

Item circa Rectores incontinentes, & vicarios ſic procedatur: primo pecunialiter puniantur, ſecundum facultates eorum, & quantitatem delicti: ſi de alienis Parochiis fuerint diffamati, & caveant ſub pœna gravi, quod de cetero continebunt, quas cautiones Archidiaconi exigant, & nobis eaſdem infra menſem exhibeant, alioquin tamquam negligentes puniantur; qui ſi tertio ſuper incontinentia convincantur, non per Archidiaconum, nec per officialem Epiſcopi, ſed per ſolum Epiſcopum, ſecundum jura, & formam ſuarum obligationum puniantur. Hoc idem obſervetur in illis, qui in propriis Parochiis inveniuntur peccaſſe, vel aliud crimen commiſiſſe, quod ad eorum privationem merito ſufficere debeat, & eorum correctio ſoli Epiſcopo relinquatur, & in iſtis ca-

☞ casibus maxime ad purgationem rectoris non coram aliquo nisi coram Episcopo aliquatenus admittantur.

ANNO CHRISTI 1240.

Ad hæc statuimus, ne diebus festivis, & solemnibus carragia fiant, seu mercata & si qui in hoc deliquisse reperiantur, & moniti non desistant, ad capitulum evocentur, & ibidem graviter puniantur. Hoc idem de mercatis, ludis placitis, in locis Sacris ne fiant, statuimus observandum. Volentes insuper tractatum pœnitentialem, & constitutiones nostras ab omnibus sciri, & firmiter observari, statuimus, quod aliqua particula eorumdem in quolibet capitulo per aliquem Capellanum publice legatur, quando difficultas emerserit in eisdem exponatur, & ubi lector in eodem capitulo dimiserit, alius incipiat in sequenti. Ita quod nullus lector præmoniatur sed capitulo præsidens alicui Capellano, quem elegerit, legendas tradat constitutiones supradictas. Hoc idem de tractatu pœnitentiali in capitulis observetur. Si qui vero constitutiones prædictas non habuerint, vel ignari forte inveniantur earundem dimidiæ marcæ mulcta pro negligentia puniantur. *

[a] Jam sequitur in Cod. Cotton. quæ CodexEpisc. Assevensis omisit.

Item post festum Sanctæ Trinitatis fiant minores cerei de cereo Paschali, qui cedant in usus altarium, & pauperum.

Has igitur nostras constitutiones in singulis & omnibus Ecclesiis nostræ Diœcesis scribi volumus & servare. Volumusque rectores Ecclesiarum & Sacerdotes, ad ipsas intelligendas, & effectui mancipandas, pro viribus insudare. Quod si forte neglexerint sciant se graviter puniendos, cum super hoc in Synodo vel extra fuerint requisiti. Cum tantum temporis lapsum fuerit quo commode, quod prædictum est potuerint impleviſſe. *

[c] M. S. Cott. addit. *Expliciunt constitutiones Domini Episcopi Wigorniæ.* His superaddit Calendarium Paschale.

De lectione librorum Sacræ Scripturæ.

In septuagesima, canitur & legitur. In principio; idest, Pentateuchum Moisi, usque ad Pascam Domini. Septuagesima captivitatem Babylonis significat, id est, confusionis in qua nos sumus dum in mundo captivamur, de qua exeuntes, debemus ad Jerusalem redire; idest, ad domum pacis, unde nos diabolus captivavit. In quamvis enim captivitatis nostri semper memores esse debemus, specialiter in ipsis diebus oportet, in quibus legimus & cantamus de abiectione nostri Adam de Paradiso; & de periculo Noæ in Diluvio; Habram qui exit de terra sua, & de hujusmodi eorum laboribus: sicut enim Adam in exordio mundi factus est, sic & in principio anni, & Ecclesiastici officii de illo cantare & legere proponimus.

In Passione Domini, usque ad Pascha, legimus Jeremiam, quoniam ipse Redemptoris nostri passionem aperta lamentatione præsignavit. Post Pasca legitur Apocalipsilon, idest tribus Septimanis; & cantatur in feriis, quoniam Sancto Joanni revelatum est de morte agni: hoc etiam Sancti Apostoli prædicabant.

Postea leguntur Epistolæ Canonicæ usque ad Ascentionem, & cantantur de Psalmis, narrabo, & si oblitus; quod etiam prophetavit David passionem Domini, quem prædicaverunt Apostoli. Ab Ascentione Domini usque ad Pentecosten, cantatur de festo, & leguntur actus Apostolorum. Post Pentecosten, usque ad calendas Augusti leguntur libri Regum, A cantatur, Deus omnium: quoniam sicut Saul, & David, & alii pro lege sua, contra Alophilos, & Goliam pugnaverunt, sic & nos, post Pentecosten & post quam recipimus gratiam Spiritus Sancti in Baptismo, pugnare debemus contra vitia & Dæmones. Unde & Apostolus; non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes, & potestates„ Kal. Augusti usque ad Kal. Septembris legitur & cantatur Salomon, ideſt sapientia cum responsorio "". In principio Deus„ Augustus sextus mensis est & calidus, & anni medius. In sexta ætate qua Dominus venit debemus quidem propter ejus præsentiam sapienter vivere quoniam audita est inter nos sapientia, quæ ab ore Altissimi prodiit unde & cor concaleat & igne ejus exardescat quoniam Deus ignem venit mittere in terram vel quia in media ætate ubi quisque ab æstu vitiorum amplius succenditur nostra debeat tunc succurrere sapientia nisi tanto sapientius est cavendum quanto plus valet ætatis perfectio ad resistendum.

ANNO CHRISTI 1240.

In septembri legitur & cantatur de Job, Tobia, & Esdra, Hester, Judith; hi sunt qui omnia adversa patienter sustinuerunt sic & nos in septima ætate, qua mundus finietur, adversa, quæ fient debemus tolerare pro domino patienter.

Kal. Octobris usque ad novembrem leguntur libri Machabæorum & cantatur„ ad appareat"" iste octavus mensis lætitiam resurrectionis significat quod sicut Judæis finitis præliis & templo restituto in hymnis & confessionibus benedicebant dominum; sic & in resurrectionis gloria destructis diabolis Sancti & justi gaudebunt in Domino.

Kal. Novembris usque ad adventum Domini legitur Ezechiel & Daniel & XII. Prophetæ cum respons„ Vidi Dominum: „ Ezechiel enim vidit IV. animalia, & IV. Evangelistas, qui Domini nativitatem passionem resurrectionem, ascensionem, &c. mundum docuerunt. Daniel quoque eum venturum prædixit, dicens; „ Aspiciebam in visu noctis, & ecce, filius hominis veniet: „ Similiter & alii prophetarum Dominum venturum, vel nascituram prædixerunt; & ideo * ante adventum ejus leguntur, quia ipse est salvator mundi, quem nasciturum prædixerunt de Virgine.

* Deest in M. S. Cott.

Ab adventu Domini, usque ad Natale ejus, legitur Isaias; quia quanto de Domino prophetavit urbanus, tanto nativitatis ejus * festo legitur proximius.

* Deest in M. S. Cott.

De Festis duplicibus in Ecclesia Salisburiensi.

Hæc sunt festa duplicia in Ecclesia Salisburiensi; videlicet dies Natalis Domini, & quatuor sequentes; dies circumcisionis Domini; dies Epiphaniæ; purificatio Sanctæ Mariæ; Annunciatio dominica, dies Paschæ cum tribus sequentibus diebus; Dominica in Albis, Inventio S. Crucis, dies Ascensionis Domini; dies Pentecostes, cum tribus sequentibus; Festum S. Trinitatis; festum S. Joannis Baptistæ; festum Apostolorum Petri, & Pauli; Assumtio S. Mariæ; Nativitas Beatæ Mariæ Virginis, festum Reliquiarum; festum S. Michaelis, festum Omnium Sanctorum, festum S. Andreæ.

Item quando Chorus regi debeat, omni die Dominica, & in omni festo duplici, & in

omni

omni festo IX. lectionum, per totum annum & a primis Vesperis Natalis Domini, usque ad Octavas Epiphaniæ, & in ipsis octavis, nisi in Vigilia Epiphaniæ, cum extra Dominicam contigerit; & per octavas Paschæ, & Pentecostes, & in quibusdam festis, quæ contingunt in Paschali tempore; in iis, videlicet in festo S. Ambrosii, & S. Marci, & S. Gregorii, & Apostolorum Philippi, & Jacobi, & in Inventione S. Crucis, & in festo S. Joannis ante Portam latinam; & S. Doustani, & S. Aldelmi, & S. Augustini, & S. Barnabæ Apostoli; & per octavas Ascensionis, & in die octavo Petri, & Pauli; & per octavas Ascensionis, & Nativitatis Beatæ Virginis Mariæ.

Hæc sunt festa ferianda ex toto in Episcopatu Wigorniæ; scilicet

Dies Natalis Domini, cum quatuor diebus sequentibus.
Circumcisio Domini.
Epiphania Domini.
Depositio S. Wolstani.
Conversio S. Pauli.
Purificatio B. Mariæ.
Cathedra S. Petri.
S. Matthiæ Apostoli.
Depositio S. Oswaldi.
Annunciatio Dominica.
Dies Paschæ cum duobus diebus.
S. Marcæ Evangelistæ.
Apostolorum Philippi, & Jacobi.
Inventio S. Crucis.
Ascensio Domini.
Dies Pentecostes cum duobus diebus.
Nativitas S. Joannis Baptistæ.
Apostolorum Petri, & Pauli.
Translatio S. Thomæ Archiepiscopi.
S. Mariæ Magdalenæ.
S. Jacobi Apostoli.
Ad Vincula S. Petri.
S. Laurentii Martyris.
Assumtio S. Mariæ.
S. Bartholomæi Apostoli.
Nativitas B. Mariæ.
Exaltatio S. Crucis.
S. Matthæi Apostoli.
S. Michaelis Archangeli.
S. Lucæ Evangelistæ.
Apostolorum Simonis, & Judæ.
Festivitas Omnium Sanctorum.
S. Martini Episcopi.
S. Andreæ Apostoli.
S. Nicolai Episcopi.
S. Thomæ Apostoli.
Omnes dies Dominici.
Festum cujuslibet Ecclesiæ.
Dedicatio Ecclesiæ. Si fuerit matrix Ecclesia per totam Parochiam, si Capella, tantummodo in Parochia.

ANNO CHRISTI 1240.

Hæc sunt ferianda in omnibus præterquam in carucis.

S. Vincentii Martyris.
S. Joannis ante Portam latinam, præterquam in cantibus.
S. Barnabæ Apostoli.
S. Leonardi Abbatis.
S. Clementis Papæ, & Martyris.
Translatio S. Oswaldi Episcopi.
S. Catharinæ Virginis, & Martyris.

Hæc sunt ferianda in operibus mulierum tantum; videlicet.

S. Agnetis Virginis, & Martyris.
S. Margaritæ Virginis, & Martyris.
S. Luciæ Virginis.
S. Agathæ Virginis & Martyris.

Festa Sanctorum Dominici, Francisci, & Edmundi Confessoris in Ecclesiis cum novem lectionibus celebrari volumus.

Nolumus tamen per hæc opera fidelium impediri.

Post 16. Calendarum Februarii, nisi decimam lunam inveneris, ibi est terminus Septuagesimæ.

A festo Stellæ numerando perfice lunæ,
Quadraginta dies post Septuagesima fiet.

Memento quod anno bisextili luna Febbruarii XXX. dies computet; ita tamen, quod luna Martii XXX. dies habeat, sicut semper habet, ne paschalis lunæ ratio vacillet.

Post festum Stellæ in primas perfice lunæ.
Tresque dies Domini, tertia Pascha tenet.

Post Nonas Martii, ubi si nova luna requiris,
Et succrescierit bis, septima Pascha patebit.

Inventum est in Concilio Sanctorum Patrum, quod nec ante II. Kal. Aprilis, nec post 7. Kal. Maji, Pascha debet fieri.

Nota, quod omnia festa contingentia infra Septuagesimam usque ad caput Jejunii cum nocturnis celebrantur, præter commemorationem Beatæ Virginis.

Bertinus, Ceda, Romanus cum Petronilla
Psalmis nocturni dant sua festa coli.
Petrus & Andreas, Jacobus, cum Simone Judas,
Ut jejunemus nos admonet, atque Matthæus.
Dat crux lucia, cineres charismata dia
Ut sit in angaria quarta sequens feria.
Inchoat istius semper jejunia mensis
Post exaltatam feria quarta Crucem.
Adventum Domini prima colit feria,
Andræeque dies adventus sit tibi limes.
Adventum Domini non est celebrare Decembri
Andræe festo interior ordine quovis.
Post ternas nonas nec quinas ante Kalendas
Tres præcedentes Andream tresque sequentes.

ANNO CHRISTI 1241.

VITA CŒLESTINI PAPÆ IV.

CŒlestinus quartus, Mediolanensis, e familia nobili Castilionum, ex cardinale Sabino, propter vitæ integritatem & raram eruditionem, Matthæo Paris. & abbate Stadensi, duobus hujus temporis scriptoribus attestantibus, ad pontificatum pervenit anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo primo, imperante Friderico secundo. Senectute & ægritudine confectus, cum octodecim diebus tantum officio pontificali præfuisset, ex hac vita migravit. Cardinalibus vero aliquot per Fridericum in captivitate detentis, sedes viginti fere mensibus vacavit. Nam in captivorum cardinalium absentia ad novi pontificis electionem procedere, nec tutum, nec conveniens videbatur. Parisiensis Cœlestinum in schismate electum fuisse scribit, utpote qui juxta decretum Lateranensis concilii duas tertias suffragiorum & votorum non habuisset. Abbas Stadensis ait, duobus schismaticis sese abdicantibus, Cœlestinum Gregorio legitime subrogatum, quatuordecim diebus tantum sedisse.

OXONIENSE CONCILIUM

Anno 1241. *in quo de jejuniis & precibus pro ecclesia fundendis est actum.*

Ex Manss Suppl. T. II. pag. 1067. An. 1241. Affert Wilkins ad hunc annum.

„ CUm Oxonii concilium episcoporum & aliorum prælatorum celebrari constitutum esset anno XXVI. regni regis Henrici „ III. rex suspicabatur nonnulla coronæ ac „ dignitati suæ contraria ibidem propositum „ & tentatum iri; quapropter procuratorem „ suum specialem ordinavit sedem in eo ca„ pessere, ac contra hujusmodi processus (si „ qui haberentur) appellare, atque eodem „ tempore quædam oretenus a rege ipso re„ citare, quibus, ut fidem haberent, has li„ teras patentes adjunxit (Pat. 26. H. III. „ m. 21.)

Rex, venerabilibus in Christo patribus W. Eborum archiepiscopo, Angliæ primati, & omnibus episcopis, & aliis prælatis, qui conventuri sunt apud Oxoniam, salutem. Dilectum & fidelem nostrum Galfridum de Langel ad vestram præsentiam duximus transmittendum, & appellandum pro nobis, ne in concilio nunc apud Oxon. convocato, contra coronam & dignitatem nostram aliquid statuere præsumatis. Quædam etiam posuimus in ore ipsius vobis exponenda, cui super his fidem adhibeatis. Teste rege apud Maleberg. 29. die Novembris.

„ De hoc concilio episcoporum Angliæ sequen„ tia recitat Matthæus Parisius in an. p. 512.

Eisdem temporibus convenerunt episcopi Angliæ, videlicet archiepiscopus Eboracensis, Lincolniensis, Norwicensis, Carleolensis, cum aliis multis gravibus, religiosis, ac discretis ecclesiasticis personis, tractaturi super multiplici desolatione ecclesiæ, & divinam consolationem postulaturi. Statuerunt igitur quasdam orationes speciales cum jejuniis fieri ab ecclesia generaliter per Angliam, ut Dominus ecclesiam Romanam pastorali & papali regimine destitutam, relevare & restaurare dignaretur; exemplum accipientes in Actibus apostolorum, quando, incarcerato Petro, oravit ecclesia pro eo sine intermissione. Consenserunt etiam in unum, ut ad dominum imperatorem mitterent universi nuncios favorabiles cum precibus lachrymabilibus, quatenus rancorem & omnem animi indignationem pro salute animæ sincero corde remittens, depositа omni tyrannide, ecclesiæ Romanæ promotionem non impediret, imo misericorditer respirare promittens, licet lacessitus, studeret promovere.„ Hæc Parisius. „ Chronicon Dunstaplense in bibl. Cotton. Ti„ berius A. X. de hac synodo agens dicit: *Concilium episcoporum apud Oxonium habitum est, ubi tractatum fuit de jejuniis & orationibus pro ecclesia faciendis.*

SEDES VACANS.

ANNO CHRISTI 1242.

CONCILIUM APUD VALLEM * GUIDONIS,

* *Laval* in diœcesi Cœnoman.

A Juhello Turonensi archiepiscopo, & suffraganeis celebratum anno Dom. MCCXLII.

Ex duobus Mss. codicibus inter se collatis, altero Ægidii Menagii V. Cl. altero Collegii Paris. S. J.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De statu regularium.*

2. *Contra abbates per pensiones gravantes prioratus.*

3. *Mutationes priorum frequenter fieri non debent.*

4. *De*

4. *De quibus casibus non possunt cognoscere archidiaconi, archipresbyteri & decani.*
5. *De clericis subeuntibus judicium sæculare.*
6. *Qualiter fiant Divina officia tempore interdicti.*
7. *Ne religiosi habeant pecuniam pro vestibus.*
8. *De aggravatione censuræ.*
9. *De purgatione indicenda.*

ANNO CHRISTI 1242.

CAPITULA.

I. De statu regularium.

AD decus & honorem sanctæ matris ecclesiæ, salvis priorum conciliorum statutis, de fratrum nostrorum & episcoporum consilio, in concilio apud Vallem Guidonis habito provida deliberatione statuentes decernimus, ut viri religiosi in religioso & honesto habitu Domino famulantes, suorum ordinum statuta, secundum cujuslibet ordinis disciplinam, diligenter custodiant, ac ipsorum observationes regulares.

II. Contra abbates per pensiones gravantes prioratus.

Et quia ex quorundam fratrum nostrorum relatione veridica comperimus, quorundam prioratuum in suis diœcesibus dirupta loca, nec ad refectionem eorum proprias suppetere facultates, propter pensiones prioratibus impositas ab antiquo vel de novo, quas singulis annis abbatibus suis solvere compelluntur: statuimus ut abbates vigilanti cura provideant, qualiter ruinis prioratuum domus deformatæ, priori onere deposito, vel prout melius vel expedientius cum diœcesani consilio fieri poterit, in melius reformentur. Quod si sufficienter moniti ab episcopo, negligentes extiterint, animadversione puniantur.

III. Mutationes Priorum frequenter fieri non debent.

Quia vero ex frequenti mutatione Priorum non minima sequuntur incommoda: abbates ad ipsorum mutationem, vel translationem de facili non procedant, nisi necessitas vel utilitas hoc inducat. Odio vero vel cupiditate nullatenus inclinentur: singula officia, prout juris est, singulis committentes.

IV. De quibus casibus non possunt cognoscere archidiaconi, archipresbyteri, & decani

Sane quia nonnulli quos ecclesiasticus ordo ad relevamen & subsidium episcoporum eligit, & sanctorum patrum canones decreverunt, ut quod per seipsos non possent, facilius cognoscentes per alios, explicarent, falcem suam in messem alienam mittentes, ad illicita manus suas & prohibita mittere non verentur: statuimus ut archidiaconi & alii, de causis matrimonialibus, simoniæ, vel aliis quæ degradationem vel amissionem beneficii, vel depositionem exigant, nisi de speciali mandato sui pontificis, nullatenus cognoscere, vel diffinire præsumant: nec officiales habere; excepto civitatis archidiacono, qui alias, officiales habere consuevit. Cui permittimus officiales in civitate solummodo, & non extra: antiquum statutum ab usu eorumdem minime custoditum super hoc renovantes.

V. De clericis subeuntibus judicium sæculare.

Verum quia quidam religiosi, necnon & clerici sæculares, privatis commodis inhiantes, in causis occultis * inhærentes, juri publico quantum in ipsis est derogando, relicto ecclesiastico judicio, ad sæcularia judicia prorumpere non verentur: * Milevitanum & Chalcedonense sequentes concilium*, hoc fieri de cetero prohibemus: maxime in civilibus, & criminalibus causis, prout in prædictis conciliis continetur: transgressores concilii, præter pœnas a canonibus impositas, compelli per censuram ecclesiasticam statuentes.

* *al.* causis eccles. inh.

* Milevit. II. can. 19. Chalcedon. can. 9. * *al.* concilia.

VI. Qualiter fiant Divina officia tempore interdicti.

Quia vero peccatis nostris exigentibus, ecclesia Dei permissione Divina nostris temporibus molestias sustinet & pressuras: statuimus ut si propter offensas aliquorum, ecclesiæ cathedrales suppositæ fuerint interdicto per episcopos, vel capitula super hoc potestatem habentia, canonici seu alii qui in locis habitant interdictis, in eisdem locis conveniant ad horas canonicas submissa voce dicendas, clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, & officiando etiam celebrent, nec in totum a Divinis officiis eorum organa suspendantur. Et sic militando Domino corde & ore prout possunt, deputata militibus stipendia reportabunt.

ANNO CHRISTI 1242.

VII. Ne religiosi habeant pecuniam pro vestibus.

Quia vero radix omnium malorum est cupiditas: religiosis personis pecunia pro vestibus non tradatur, sed solum * procurator domus vestes emat competentes, ut ipsis occasio habendi proprium subtrahatur.

* *al.* sed soli procuratori domus, ut ipsis oc.

VIII. De aggravatione censuræ.

Si vero laicus, vel princeps fuerit, exigente justitia, excommunicationis vinculo innodatus, & per annum animo indurato in excommunicatione perA severet: loca ad quæ ipsum declinare contigerit, quamdiu moram fecerit ibi, supponantur ecclesiastico interdicto.

ANNO CHRISTI 1242.

IX. De purgatione indicenda.

Et quia quidam offensas, & damna, & injurias per viles personas ecclesiis & ecclesiasticis personis inferre procurant: si per hoc directe convinci * nequeant, & super hoc suspecti præsumptione probabili habeantur: si indicta sibi purgatione defecerint, tanquam convicti B canonice puniantur.

* *al.* con niri

Actum apud Vallem Guidonis anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo.

CONCILIUM TARRACONENSE

OB WALDENSES HÆRETICOS CELEBRATUM

Anno Domini MCCXLII.

Bzovius de hac synodo ista: Circa hæc tempora contra hæreticos Waldenses in regnum Aragoniæ irrumpentes celebratum fuit concilium apud Tarraconem, in quo præscripta fuit formula illos inquirendi, puniendi, & recipiendi ad catholicam revertentes, salutaresque eis pœnitentias injungendi. Cui ut major authoritas conciliaretur, Raimundum Pennafortium, sedis apostolicæ pœnitentiarium, a magisterio generali totius ordinis Prædicatorum, quod abdicaverat, Barcinonem reversum, interesse episcopi voluerunt. Ejus actorum concilii aliqua pars se annalibus inserit, ex qua disciplinæ ecclesiasticæ ratio in hæreticos servata, cognoscatur.

ACTA CONCILII TARRACONENSIS.

CUm nos Petrus, miseratione divina archiepiscopus Tarraconensis, inquisitionem, inceptam per bonæ memoriæ Berengarium Barcinonensem episcopum contra hæreticam pravitatem in civitate Barcinocensi, vellemus effectui mandare: inter juriſperitos qui nobiscum aderant dubitationes hinc inde variæ emerserunt. Quare ut circa factum hæresis & inquisitionis de cetero fiendæ in provincia Tarraconensi clarius procedatur: collationibus inde factis cum venerabili fratre Raimundo de Pennaforti pœnitentiario domini papæ, & aliis prudentibus, in processu sententiarum hæreticorum, fautorum, suspectorum, relapsorum, & pœnitentiis eorum, secundum discretionem nobis a domino datam, ita duximus procedendum.

In primis quæritur qui dicantur hæretici, qui suspecti, qui credentes, qui fautores, qui receptatores, qui defensores, & qui relapsi: cum ista genera hominum in canone explicentur. Et videtur quod,

Hæretici sunt, qui in suo errore perdurant, sicut sunt Inzabbatati, qui dicunt in aliquo C casu non esse jurandum, & potestatibus ecclesiasticis vel sæcularibus non esse obediendum, & pœnam corporalem non esse infligendam in aliquo; & similia.

Credentes vero dictis hæresibus similiter hæretici sunt dicendi.

Suspectus de hæresi potest dici qui audit prædicationem vel lectionem Inzabbatatorum, vel qui flectit genua orando cum eis, vel qui dedit osculum eis: vel qui credit ipsos Inzabbatatos esse bonos homines, vel similia, quæ possunt probabiliter suspicionem inducere. Et potest dici suspectus simpliciter esse qui semel oravit, vel alterum fecit de prædictis cum eis. Si vero pluries audivisset prædicationem vel lectionem, vel orasset, vel aliquid aliud de prædictis fecisset cum eis, posset dici vehementer suspectus. Si autem prædicta omnia fecisset, maxime si pluries, posset vehementissime dici suspectus. Ista ideo dicimus, ut discretus judex purgationem possit gravare vel moderari, prout magis visum fuerit expedire.

Celatores credimus eos qui viderunt Inzabbatatos in platea, vel in domo, vel in alio loco, & cognoverunt eos Inzabbatatos, & non revelaverunt eos, cum haberent aptitudinem revelandi eos ecclesiæ, vel justitiario, vel aliis qui possent eos capere.

Occultatores dicimus qui fecerunt pactum de non revelando hæreticos vel Inzabbatatos, vel alias procuraverunt quod non revelarentur.

Receptatores sunt qui scienter bis vel ultra receperunt hæreticos vel Inzabbatatos in domo sua, vel in alio loco suo. Receptaculum credimus esse domum vel hospitium, ubi hæretici vel Inzabbatati bis vel pluries convenerunt ad prædicationem vel lectionem: vel etiam ubi hæretici vel Inzabbatati pluries hospitantur.

Defensores dicimus, qui scienter defendunt hæreticos vel Inzabbatatos verbo vel facto, vel

quo-

ANNO CHRISTI 1242.

quocumque ingenio, in terris suis, vel alibi, quo minus ecclesia possit exercere suum officium ad extirpandam hæreticam pravitatem.

Fautores credimus omnes supradictos posse dici secundum magis & minus, & etiam qui alias quocumque modo eis dederint consilium, auxilium, vel favorem. Et omnes fautores credimus posse dici suspectos, ita quod debent se purgare, & abjurare hæresim, & omnem fautoriam: & debent sanctæ matri ecclesiæ reconciliari.

Relapsos dicimus illos qui post abjuratam hæresim vel renunciatam, revertuntur in pristinam credentiam hæresis. Eodem modo dicimus relapsos in fautoriam illos qui post abjuratam hæresim vel fautoriam, benefaciunt hæreticis, vel celant eos. Et omnes prædictos dicimus excommunicatos majori anathemate: exceptis suspectis sine fautoria, si forte inveniantur.

Dubitatio etiam oritur apud quosdam, utrum relapsi in credentiam, & hæretici dogmatizantes, si postquam fuerint deprehensi voluerint pœnitere, relinqui debeant judicio sæculari? Et videtur nobis quod non: sed in quocumque casu tales ad intrusionem sunt condemnandi.

Item si multitudo hæreticorum seu credentium fuerit multa, & parati sunt hæresim abjurare, discretus judex secundum magis & minus juxta provisionem apostolicæ sedis pœnas canonicas poterit infligere talibus, & sic pœnam intrusionis vitare: vel etiam, si multitudo non est tanta circa credentes, discretus judex consideratis circumstantiis poterit moderari, prout viderit expedire: proviso tamen quod perfecti hæretici, vel dogmatizantes eorum errores, vel credentes relapsi in credentiam, post abjuratam hæresim vel renunciatam, in perpetuo carcere intrudantur, hæresi penitus abjurata, & absolutione habita excommunicationis, ut ibi salvent animas suas, & alios de cetero non corrumpant.

Item quæritur, utrum ille qui dedit osculum Inzabbatato vel hæretico quem credebat, vel sciebat esse Inzabbatatum; vel oravit cum eo, & celavit eum; vel audivit prædicationem vel lectionem ab eo, & credidit talem esse bonum hominem; sit judicandus credens ejus erroribus? Et dicimus quod non; sed talis condemnetur tanquam fautor vel occultator & benefactor, & vehementer suspectus, quod credit ejus erroribus: nisi adeo esset litteratus vel discretus, quod non posset ignorantiam prætendere. Quod arbitrio discreti judicis duximus relinquendum.

Item quæritur, quis ante inquisitionem inceptam fuit confessus sacerdoti suo de hæresi vel fautoria, & vocatur modo ab inquisitoribus? In casu isto credatur confessori suo: & si inventus fuerit bene confessus per confessionem sacerdotis, licet sacerdos male fecerit, quia ipsum non remisit ad episcopum; ille tamen confitens, per talem confessionem evitet pœnam temporalem, nisi inveniatur in falsa pœnitentia, vel relapsus post pœnitentiam, vel publice diffamatus. Si autem allegat manifestam pœnitentiam, vel reconciliationem, probet per duos testes. Si quos vero constat ante inchoatam inquisitionem de his fuisse confessos, debent publice abjurare hæresim, & aliam solemnitatem facere, nisi ita sit secretum factum, quod non habeat contra se famam vel testes: & tamen in utroque casu sunt ab omni pœna temporali immunes. Si vero aliqui vocati ab inquisitoribus dejerant tempore suæ depositionis; & postea ad instantiam inquisitorum, vel metu probationum discooperiunt veritatem; sed dicunt quod hæc tacuerunt propter verecundiam vel timorem: tales credimus perjuros, quia qui scienter falsum dicunt, vel verum tacent, perjuri sunt: & ideo pœnitentia canonica est eis gravior imponenda.

ANNO CHRISTI 1242.

Formæ pœnitentiarum.

Hæretici perseverantes in errore relinquantur curiæ sæcularis judicio. Perfecti vero hæretici, si converti voluerint, & dogmatizantes, absolutione præhabita, & abjuratione facta, perpetuo carceri intrudantur.

Credentes autem hæreticorum erroribus solennem faciant pœnitentiam: hoc scilicet modo, quod in festo omnium Sanctorum proxime venturo, & in prima Dominica adventus, in die natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, S. Mariæ Februarii, S. Eulaliæ, S. Mariæ Martii, & per omnes dies Dominicos quadragesimæ, sint in processionibus ad sedem, seu ecclesiam cathedralem, & ibi discalciati in braccis & camisia; præterquam in die sanctæ Mariæ Februarii, & in ramis palmarum, ut reconcilientur in ecclesia parochiali, in processionibus publice, disciplinati per episcopum vel sacerdotem ecclesiæ. Item in quarta feria in capite jejunii veniant simul ad sedem, & sint eodem modo, & secundum formam juris discalciati in braccis, & camisia, & expellantur ab ecclesia, & sint extra ecclesiam per totam quadragesimam: sic tamen ad fores ecclesiæ, quod ibi audiant officium. Et in die cœnæ Domini sint discalciati in braccis & camisia ante fores ecclesiæ, & tunc secundum canonica instituta publice reconcilientur ecclesiæ. Et hanc pœnitentiam de quarta feria, & de stando extra ecclesiam per totam quadragesimam, & de die cœnæ, faciant quamdiu vixerint quolibet anno. Sed in diebus dominicis quadragesimæ, facta reconciliatione exeant ecclesiam, & stent ad fores usque in diem cœnæ, & portent duas cruces perpetuo ante pectus, quæ non sint ejusdem coloris cum vestibus: & portent ita, ut videri possint solemniter pœnitentes: ita tamen, quod non abstineant ab ingressu ecclesiæ in quadragesima ultra decem annos.

Pœnitentia illorum qui sunt relapsi in fautoriam similiter erit solemnis, ut de credentibus proxime dictum est, in diebus omnibus supradictis: hoc excepto, quod cruces portare, & pœnitentiam de quarta feria cinerum, & sancto die Jovis, faciant simili modo per decennium.

Pœnitentia illorum qui non sunt relapsi in fautoriam, sed sunt fautores, & vehementissime suspecti, erit eodem modo solemnis in festo omnium Sanctorum, natalis Domini, Epiphaniæ, sanctæ Mariæ Februarii, per omnes dies Dominicos quadragesimæ. Et aliam pœnitentiam de feria quarta quadragesimæ, & de stando extra ecclesiam per totam quadragesimam, & de reconciliatione in die cœnæ, ut supra dictum est, faciant per septennium.

Pœnitentia illorum, qui sunt fautores & vehementer suspecti, erit solemnis eodem modo in festo omnium Sanctorum, natalis Domini, S. Mariæ Februarii, & in ramis palmarum: &

ANNO CHRISTI 1242.

aliam pœnitentiam de quarta feria quadrageſimæ, & de ſtando extra eccleſiam per totam quadrageſimam, & de reconciliatione in die cœnæ, ut ſupra dictum eſt, faciant per quinquennium.

Pœnitentia illorum qui ſunt fautores & ſuſpecti, erit ſolemnis eodem modo in feſto omnium Sanctorum, ſanctæ Mariæ Februarii, & in ramis palmarum: & aliam pœnitentiam de feria quarta quadrageſimæ, & de ſtando extra eccleſiam per totam quadrageſimam, & de reconciliatione in die cœnæ faciant per triennium. Intelligitur tamen, quod mulieres veſtitæ veniant, & diſciplinentur.

Hanc autem pœnitentiam faciant omnes prædicti in feſtivitatibus & diebus præordinatis, in civitate iſta vel loco, & non alibi, uſque ad feſtum paſchæ; illi ſcilicet qui ſunt cives. Forenſes autem faciant eam in parochiis ſuis, & non alibi: præterquam in feria quarta in capite quadrageſimæ, & in die cœnæ Domini, in quibus veniant omnes ad ſedem, vel ad locum eccleſiæ ſuæ. In ſequentibus vero temporibus quadrageſimalibus, decennalem pœnitentiam, ſeptennalem, quinquennalem, & triennalem, quam debent facere in quarta feria in introitu quadrageſimæ, & in die cœnæ Domini, ſecundum diverſitatem culparum, ut jam diffinitum eſt, faciant omnes tam cives quam forenſes in ſede civitatis ſuæ, & non alibi, niſi ex juſta & rationabili cauſa, & de ſpeciali licentia epiſcopi vel vicarii ſui; & tunc in locis, ad quæ de licentia epiſcopi iverint, faciant coram epiſcopo illius loci, vel locum ejus tenente, eamdem pœnitentiam, portantes litteras epiſcopi vel vicarii ſui, continentes pœnitentiam quam facere debent. Et reportet etiam ille qui pœnitentiam fecerit litteras epiſcopi illius loci ad N. talis diœceſis, de peracta pœnitentia teſtimonium continentes. Quod ſi forte caſu fortuito, ſine fraude tamen & dolo, in illis duobus diebus non poſſent ad cathedralem eccleſiam pervenire: cum redierint, in duabus aliis ſolemnitatibus aſſignatis eis juxta arbitrium epiſcopi publice diſciplinentur apud ſedem N. ſecundum formam illorum duorum dierum.

Forma ſententiæ contra hæreticum abſolutum.

Si hæreticus pœniteat, & ſecreto abſolvatur, eccleſiæ jure ſolemnitatibus ſervatis, cum jam non ſit hæreticus, formabitur ſic ſententia: „ Pateat omnibus, quod per ea quæ in „ Inquiſitione inventa, prodita, & acta ſunt, „ liquido nobis conſtat quod talis fuit depre- „ henſus in hæreſi, & poſtmodum reverſus ad „ eccleſiæ unitatem, agentes miſericorditer cum „ eodem, ipſum ad perpetuum carcerem con- „ demnamus ſecundum canonica inſtituta. “

Alia forma.

Si autem nondum ſit abſolutus, ſic formabitur;

„ Pateat omnibus, *&c.* quod talis eſt deprehenſus in hæreſi, & vult reverti ad eccleſiæ unitatem, agentes miſericorditer cum eodem, *&c.*

ANNO CHRISTI 1242.

Forma ſententiæ contra hæreticum pertinacem.

Si vero non vult pœnitere, ſed in errore perdurat, præſente judice ſæculari ſententia ſic formetur.

„ Pateat omnibus, quod per ea quæ in Inquiſitione inventa, probata, & acta ſunt, „ liquido nobis conſtat quod talis eſt depre- „ henſus in hæreſi per eccleſiam condemna- „ ta, & ipſum tanquam hæreticum condemna- „ mus.

Sententia contra fautores.

Contra fautors ſententia ſic formetur:

„ Pateat omnibus, quod per ea quæ inven- „ ta, probata, & acta ſunt in Inquiſitione, „ liquido nobis conſtat quod talis eſt depre- „ henſus in fautoria: & denunciamus ipſum „ excommunicatum & ſuſpectum de hæreſi: „ &, ſi per annum contempſerit ſatisfacere, „ ſubjaceat pœnis concilii generalis: & ſi „ defecerit in purgatione, & in excommuni- „ catione per annum ſteterit, ut hæreticus „ condemnetur.

De forma purgationis.

Suſpectus de hæreſi purgabit ſe publice in hunc modum:

„ Ego N. juro per Deum omnipotentem, „ & per hæc ſancta Dei evangelia quæ in „ manibus meis teneo, coram vobis domino „ N. archiepiſcopo vel epiſcopo, & coram „ aliis vobis aſſiſtentibus, quod non ſum vel „ fui Inzabbatatus Waldenſis, vel Pauper de „ Lugduno, nec hæreticus in aliqua ſecta hæ- „ reſis per eccleſiam damnata; nec credo, „ nec credidi eorum erroribus, nec credam „ aliquo tempore vitæ meæ: immo profiteor „ & proteſtor me credere, & ſemper in po- „ ſterum crediturum fidem catholicam quam „ ſancta Romana eccleſia & apoſtolica publi- „ ce tenet, docet, & prædicat, & vos domi- „ ne archiepiſcope vel epiſcope, & ceteri præ- „ lati eccleſiæ univerſalis tenent, prædicant „ publice, atque docent.

Qualiter compurgatores jurare debent.

Compurgatores jurabunt per hunc modum: „ Ego N. juro per Deum, & per hæc ſan- „ cta quatuor Dei evangelia quæ manibus meis „ teneo, me firmiter credere, quod talis non „ fuit Inzabbatatus, Waldenſis, nec Pauper de „ Lugduno, nec hæreticus, nec credens eo- „ rum erroribus: & credo firmiter eum in hoc „ verum juraſſe.

Caveat tamen judex, quod ex quo certum numerum compurgatorum duxerit alicui injungendum, non eſt honeſtum quod poſtea mutet, ne ſic Lateranenſe concilium illudatur.

ANNO CHRISTI 1242.

CONCILIUM TARRACONENSE

Præside Petro Albalatio archiepiscopo.

Anno 1242. 3. Idus Maii, Petrus Archiepiscopus Tarraconenſis Concilium celebravit apud Tarraconem cum Epiſcopis Pontio Dertuſenſi, Pontio Urgellenſi, & Vitali Oſcenſi. In eo ſtatutum eſt, ut epiſcopi & Clerici ad Provinciale Concilium veniant. Ut epiſcopi, & eorum officiales juſtitiam gratis A reddant. Ut nullus ſacerdos plures miſſas in uno die celebret, præterquam in Natali Domini. Duæ tamen tolerantur, quando neceſſitas urgens fuerit; ideſt, quando unicus Sacerdos habet duas Eccleſias, quarum una dependet ab altera. *Baluz. lib.* 4. *Marcæ Hiſpan.*

ANNO CHRISTI 1243.

VITA

ANNO CHRIST 1243.

ET EPISTOLÆ

INNOCENTII PAPÆ IV.

INNOCENTIUS IV. priſtino nomine Sinibaldus appellatus, patria Genuenſis, ex nobili Filiſcorum Lavaniæ comitum familia, communi conſenſu cardinalium, per interceſſionem Balduini Conſtantinopolitani imperatoris, & Ludovici Francorum regis, e carceribus Friderici liberatorum, Anagniæ poſt interregnum unius anni & octo fere menſium, electus eſt ſucceſſor Cœleſtini die vigeſima quarta Junii, anno Chriſti 1243. tempore Friderici ſecundi: cui iſta electio non admodum grata fuit, eo quod generoſi & honeſti animi virum eſſe ſciebat; adeoque timebat, ne ex cardinale amico pontificem hoſtem experiretur. Volens tamen pontifex antiquam amicitiam cum Friderico confirmare, urbem Caſtellanam petebat: quo in itinere cum ſibi inſidias tendi per exploratores compertum haberet, Genuenſium navibus impoſitus, felici navigio uſus, in Franciam delatus eſt. Eodem deveniens, concilium anno 1245 habuit, quo Fridericum, qui citatus venire detrectabat, imperio & regno ſimul ſpoliavit, eique adhuc viventi, poſt Henricum Lantgravium Haſſiæ & Thuringiæ, Wilielmum comitem Hollandiæ in regno Germaniæ ſubrogari procuravit. Cumque hac de cauſa Fridericus excandeſcens, multa ædificia amicorum parentumque pontificis Parmæ exiſtentia dejici & funditus erui curaret: profectus eo legatus apoſtolicus Fridericum poſt biennalem Parmenſis urbis obſidionem devicit, omneſque ejus copias fudit. Et cum iſtiuſmodi calamitatibus nihilo melior fieret, ſed magis atque magis peſſum iret: pontifex concilium dimiſit, ac deinceps ad reintegrandam ſanctam militiam, omnem cogitatum ſuum convertit. Populum ad ſequenda Ludovici Franciæ regis vexilla, qui in Africam trajicere decreverat, modis quibus potuit, omnibus adhortatus fuit. Poſtquam Edmundum Cantuarienſem archiepiſcopum in ſanctorum, numerum retuliſſet, in Italiam reverſus, & Peruſiam ingreſſus, Petrum martyrem inter ſanctos habendum declaravit. Idem de Stanislao Cracovienſi epiſcopo judicium tulit. A nobilibus Neapolitanis advocatus, comparere ſtatuit. Verum in ea expeditione mortem ſubiit, VI. Decembris, anno Domini MCCLIV. quando XI. annis, V. menſibus, & XII. diebus pontifex fuiſſet. Sepulturam vero non in ſancto Laurentio, ut habet Platina, ſed in eccleſia cathedrali ſortitus eſt, ut adhuc hodie videre licet. Innocentius in concilio Lugduni habito plures cardinales creavit, primuſque fuit qui cardinalitiam dignitatem rubeo pileo adauxit: ea intentione, ut admonerentur, teſte Martino Polono, ſe ſemper paratos eſſe debere ſanguinem pro Chriſtiana religione profundere, præſertim eo tempore, quo Romana eccleſia a Friderico II. quondam imperatore vehementer oppugnabatur. Multa volumina in tanta rerum difficultate compoſuit. Inter cetera, commentaria in quintum librum decretalium compoſuit: authentica & apologetica edidit. Proinde viros litteratos amabat, & colebat. Cardinalem Hugonem inſtituti Dominicani unice dilexit, qui gloſſas & concordantias in biblia compoſuit, atque libros ſacros in capitula diſtinxit. Hujus inſtinctu plurimi ac doctiſſimi homines ad ſcribendum ſeſe applicuerunt. Inter eos Alexander de Ales, Bernardus Parmenſis, & Compoſtellanus. Ejus etiam

inſti-

institutum fuit, ut nativitas beatæ Mariæ cum octava celebraretur. Primus rosam auream solenni ceremonia ac ritu benedixit, eamque canonicis sancti Justi hospitibus suis Lugduni dono dedit. Circa finem pontificatus Innocentii anno Christi MCCL. defunctus est Fridericus II. Quo loco, quove mortis genere, scriptores variant. Krantzius lib. VIII. Saxoniæ, aliique (quos refert Sanderus de visibili monarchia) scribunt in Apuliam profectum, ibidem morbo correptum esse: a quo dum convalesceret, a Manfredo filio, impositio ori pulvino oppressum esse. Gobelinus ætate sexta cap. LXIV. Et deinde, inquit, ad regnum Siciliæ se totum contulit, & ibi tandem morbo correptus, sine sacramentorum perceptione, & ut dicebatur, sine pœnitentia defunctus est. Abbas Stadensis & Matthæus Paris. hujus temporis scriptores ambo, scribunt, eum post insignem pœnitentiam peractam ab episcopo Panormitano absolutum, & in Sicilia tumulatum fuisse. Quidquid horum sit, sine dubio meruerat impiissimus pater talia pati a filio carnali, qui Romanam ecclesiam matrem suam, patremque suum spiritualem Romanum pontificem, tot modis per tot annos nefarie admodum persecutus fuerat. Post Fridericum imperio amotum, fuit interregnum viginti octo annorum, usque ad Rodulphum primum imperatorem.

ANNO CHRISTI 1243.

EPISTOLA I.

INNOCENTII PAPÆ IV.

AD PRÆLATOS ANGLIÆ.

Auxilium pecuniæ ab Anglis expetit

Innocentius episcopus servus servorum Dei abbatibus eorumque conventibus, exemptis & non exemptis, in Cantuarienſi diœceſi conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ILlam de vestræ sinceritatis affectibus spem gerimus, & fiduciam obtinemus, ut quoties sedi apostolicæ matri vestræ necessitatis articulus imminet, ad vos, tanquam dilectos ejus filios & devotos, ac pro ipsius oneribus relevandis semper paratos & promptos, incunctanter cum omni fiducia recurrere valeamus. Cum igitur sedes ipsa apostolica prædicta, per ea quæ piæ memoriæ Gregorii Papæ prædecessoris nostri authoritate in Anglia aliisque regnis populi Christiani, pro ejusdem sedis subsidio sunt collata & collecta, non adhuc a debitorum suorum, quæ pro catholicæ fidei, ecclesiasticæ libertatis, & patrimonii sui defensione, contraxerat, onere valeat relevari, ad vestræ devotionis effectum, necessitate cogente, fiducialiter recurrentes, universitatem vestram, de consilio fratrum nostrorum, rogamus, attentius monemus, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, & mandando præcipientes, quatenus præscriptæ necessitatis & oneris instantia, qua Romana ecclesia, mater vestra spiritualis, graviter perurgetur, affligitur, & pene opprimitur, affectione pensantes, ut convenit, filiali, & compassionem super hoc habentes debitam erga ipsam, nobis & sibi, pro solutione debitorum illorum prædictorum, in ea subvenire curetis pecuniæ quantitate & summa, qualem & quantam dilectus filius noster magister Martinus, cameræ nostræ clericus, & lator præsentium, vobis ex parte nostra duxerit declarandam exprimendamque. Eamque ipsam pecuniam, per vos collatam, dicto magistro Martino, aut ipsius nunciis, infra terminum, quem idem vobis præfiget, assignetis; preces nostras taliter impleturi, quod nos devotionem vestram merito commendare possimus, & super hoc aliter procedere non cogamur. Datum Laterani septimo Idus Januarii, pontificatus nostri anno primo.

ANNO CHRISTI 1243.

II. AD HENRICUM III. REGEM ANGLIÆ. Pro episcopo Wintonienſi exule.

Innocentius episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio regi Angliæ salutem & apostolicam benedictionem.

POstquam Dei benignitas humilitatem nostram ad apostolicæ vocavit officium dignitatis, illam concepimus de tua serenitate fiduciam, quod in his quæ sunt ad honorem ecclesiæ, se promptam haberet & vigilem exhiberet. Provenit ex hoc, quod cum venerabilem fratrem nostrum, quondam Norwicensem, Wintonienſi ecclesiæ de fratrum nostrorum consilio concessimus in pastorem, preces tibi direximus speciales, ut eidem pro Divina & nostra reverentia te redderes affectu benevolum & effectu serenum, ac si quæ castra & maneria ipsius ecclesiæ, prompta benignitate ei faceres assignari. Tu vero, sicut mirantes audivimus & dolemus, nedum preces hujusmodi voluisti deducere ad effectum: immo, quod est gravius, in verba, nihil debitæ modestiæ vel reverentiæ filialis habentia prorupisti; asserens quod nulla postulatio in regno Angliæ per sedem apostolicam admitti possit vel debeat, te invito, & quod illam quam nos in spiritualibus, tu in temporalibus habeas potestatem: nec quis postulatus possit absque tuo consensu possessionem temporalium obtinere. Adjecisti præterea quod translationem ipsius episcopi reputares invalidam, tanquam a nobis per vitium subreptionis obtentam. Hæc siquidem, fili carissime, non Dei, non ecclesiæ, non tuæ resonant sublimitatis honorem, non sapiunt justitiam, non redolent æquitatem: præsertim cum teneat omnium credulitas pia fidelium, quod apostolicæ sedis authoritas liberam habeat in ecclesiis universis potestatem a Dei providentia: nec arbitrio principum ipsa stare cogitur, ut eorum, in electionum vel postulationum negotiis requirat assensum. In quibus tamen, Dominum habendo præ oculis, sic provide procedit & caute, quod per illam nullius possit honori detrahi, vel justitiæ derogari. Sicut etiam in translatione ipsius episcopi dignoscitur processisse, in quo promovit hominem scientia, moribus & honestate perspicuum, ac in spiritualibus & temporalibus circumspectum, olim tibi carum & amabilem, ac semper tuis beneplacitis secundum Dominum totis viribus intendere cupientem, per cujus industriam probatam in plurimis honoris & commodi proficere poteris incrementis. Sed tamen non suggerat astutia susurronum, a quibus parare dispendia virtuosis pro indifferenti ducitur, dummodo sua specialia commoda vel privata desiderie consequantur. Tuam itaque celsitudinem affectione qua possumus exhortamur, & obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus

ANNO CHRISTI 1243.

tenus ab impia suggestione talium, regiæ pietatis avertens auditum, ecclesiam Dei continuo prosequaris honore, & indultæ sibi desuper libertatis privilegium conservare studeas illibatum: & nunc & in posterum tui regni prælatos, ea quæ in spiritualibus seu temporalibus spectant ad ipsorum ecclesias, libere consequi & pacifice possidere permittas. Ceterum solerti considerans meditatione, quod in apostolici prosecutione officii Divini nominis deservimus honori, quæ de præfato episcopo cum solemni deliberatione fecimus, non ad animum revoces, non aliquo impedimento perturbes. Sed qui cordi nostro statuimus, ut te specialem inter alios terræ principes habeamus, in ipso impartiri procurans honorem, sibi castra & maneria cum fructibus inde perceptis a tempore translationis hujusmodi, omni postposita difficultate resignes, ac benevola benignitate concedas, quod sollicitudinem ei creditam possit cum effectu prosequi, tua favente gratia speciali. Alias autem cum libertatem ecclesiasticam in diebus nostris velimus non minui, sed Deo propitio augeri cupiamus: nullatenus sustinere poterimus, quod nos in ipso episcopo tam præjudicialem injuriam patiamur.

Datum Laterani tertio Kalendas Martii, pontificatus nostri anno primo.

III. Ad fratres ordinis prædicatorum.

Fratres Prædicatores a tramite disciplinæ S. Benedicti exorbitantes corriguntur, & in viam meliorem diriguntur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei magistro & fratribus ordinis Prædicatorum salutem & apostolicam benedictionem.

NOn solum in favorem conversi, sed etiam monasterii, probationis tempus a sanctis patribus est indultum, ut ille asperitates illius, & istud mores illius valeat experiri. In regula quoque B. Benedicti præcipitur, ut ad conversionem noviter venientibus non facilis tribuatur ingressus, sed, sicut docet Apostolus, an sit ex Deo spiritus comprobetur, & dura & aspera, per quæ itur ad Dominum, exponantur. Postea in eadem regula subjungitur, ut dicatur: Ecce lex sub qua militare desideras; si eam observare potes, ingredere; alioquin, liber venisti, liber discedas. Insuper felicis recordationis Gregorius papa prædecessor noster statuit, ut positi in probatione novitii ante susceptum religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, seu ante professionem emissam, ad statum pristinum redire possint libere infra annum. Et ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, cum in quibusdam locis religiosi novitiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum ac professorum habitus discernatur. Licet igitur zelum animarum habentes, eas lucrari Domino sollicite cupiatis: quia tamen decet & expedit, ut conscientiæ puritati non desit judicium rationis, ne unde spiritualis profectus quæritur, inde salutis dispendium subsequatur, vobis de fratrum nostrorum consilio in virtute obedientiæ sub pœna excommunicationis, authoritate præsentium, districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsum, qui est maxime in subsidium fragilitatis humanæ regulariter institutus, quemquam ad professionem vestri ordinis, seu renunciationem sæculi faciendam, recipere præsumatis; nec constitutum in probatione novitium aliquatenus impedire, quo minus infra eumdem annum probationis ad aliam religionem quam maluerit, transeat, sicut de sua processerit libera voluntate, non obstante statuto contracto, si quod a nobis est editum, quod irritum decernimus & inane, vel aliquibus litteris a sede apostolica impetratis, seu etiam impetrandis, quæ de præmissis expressam non fecerint mentionem. Quod si forte contra hujusmodi inhibitionem quemcumque recipere præsumpseritis: decernimus eum qui taliter receptus fuerit, nullatenus vestro esse ordini alligatum, vosque a receptione quorumlibet ad professionem ejusdem ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pœnæ subjciendos, quæ fratribus ipsius ordinis pro culpis infligi gravioribus consuevit. Nulli ergo, &c.

Datum apud civitatem Castellanam 15. Kalendas Julii, pontificatus nostri anno primo.

IV. Ad conventum et priorem ecclesiæ Christi Cantuarienſis.

Dirimitur lis inter episcopum Lincolnienſem & conventum Cantuarienſem.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis conventui & priori ecclesiæ Christi Cantuarienſis salutem & apostolicam benedictionem.

EXhibita nobis venerabilis fratris nostri episcopi Lincolnienſis petitio continebat, quod cum, vobis contendentibus jurisdictionem metropolitani, quam ad vos Cantuarienſi sede vacante in provinciam Cantuarienſem, tam ex privilegio sedis apostolicæ, quo nunquam adhuc usi fuistis, quam de jure communi pertinere dicitis, in eum & suos subditos committendo eorum causas & appellationes ab eis interpositas exercere; ipse grave sibi ex hoc præjudicium generari conspiciens, ad sedem apostolicam, cujus interest quæstiones tam arduas metropolitana sede vacante dirimere, provocasset, vos in eum & in ejus subditos suspensionis & excommunicationis sententias occasione hujusmodi pro vestræ voluntatis arbitrio promulgastis. Quare nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Volentes igitur ex officio nostro sic eidem episcopo & suis subditis subvenire, quod jus alterius non lædamus, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus infra octo dies post receptionem præsentium, absque vestro & partis alterius præjudicio, relaxetis prædictas sententias ad cautelam. Alioquin venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Eboracensi, & episcopo Dunelmensi, damus litteris nostris in mandatis, ut ipsi ex tunc sine præjudicio partium, tam super petitorio, quam etiam super possessorio, sententias relaxent easdem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

V. AD

Datum Anagniæ (a) decimo Kalendas Septembris, pontificatus noſtri anno primo.

V. Ad prælatos Angliæ.

De ſubſidio pecuniario, regi de redditibus ſuis conferendo.

Innocentius epiſcopus, &c. *archiepiſcopis, epiſcopis, & dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis, & aliis eccleſiarum prælatis, & clericis per regnum Angliæ conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

DEbet mater eccleſia hos qui regali præeminent dignitate, illa prærogativa proſequi, & ea muneris gratia prævenire, quod in ipſius devotione poteſtas ſemper ferveat, & ad ejus per conſequens ſubjectorum obſequia pervigil habeatur. Cum igitur inter reges ceteros orbis terræ cariſſimum in Chriſto filium noſtrum regem Angliæ illuſtrem ſingularis dilectionis brachiis amplectamur, qui veluti princeps catholicus & devotus Romanam eccleſiam matrem ſuam filiali ſubjectione & obſequio devotionis ſic ſemper ſtuduit venerari, quod nequaquam ab ipſius beneplacitis declinaret, quinimo quæ ipſi grata novit & placita, ſolicitudine prompta peregit: non eſt mirum, immo condecens eſt & condignum, ſi ipſius precibus facilius annuamus, ſi honoris ipſius & ſtatus quæramus gloriam & augmentum, ſi ad quod affectus ipſius dirigatur, veſtræ liberalitatis effectus conſonet in idipſum. Sane cum idem rex, ſicut ex parte ipſius fuit propoſitum coram nobis, pro quibuſdam negotiis magnis & arduis quæ ſibi imminebant, adeo ſubierit gravia, & ſubire adhuc ipſum oporteat onera expenſarum, quod veſtræ ſubventionis indigere ſubſidio dignoſcatur: univerſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur attente, per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus attendentes prudenter, quod vos decet & convenit, eo libentius ipſius regis ſupportare labores, & gravamina relevare, quo minus poſſet ſine veſtri ſtatus & honoris diſpendio alicujus jacturæ vel incommoditatis onere prægravari, ſibi de veſtris redditibus honeſtum ſubſidium liberaliter conferatis: ut idem expenſarum ſuarum, veſtræ ſubventionis propitiante dextera, perferre levius onus poſſit, voſque proinde vobis ejuſdem regis, cujus bonorum eſtis participes, honoris & gloriæ non expertes, favorem & gratiam, quibus procul dubio indigetis, valeatis futuris temporibus vendicare; & nos, qui haberi volumus ex hoc ad veſtra & veſtrarum eccleſiarum commoda promptiores, devotionis veſtræ promptitudinem non immerito commendemus.

Datum Januæ quarto Kalendas Auguſti, pontificatus noſtri anno ſecundo.

VI. Ad archiepisc. et capitul. Coloniense. De trium Magorum miraculis ac cultu.

ANNO CHRISTI 1243.

Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei fratri archiepiſcopo & dilectis filiis capitulo Colonienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LIcet is, de cujus munere venit ut ſibi a fidelibus ſuis digne ac laudabiliter ſerviatur, de abundantia pietatis ſuæ, quæ merita ſupplicum excedit & vota, bene ſervientibus multo majora retribuat, quam valeant promereri: nihilo minus tamen deſiderantes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Chriſti ad complacendum ei, quaſi quibuſdam illectivis muneribus, indulgentiis ſcilicet & remiſſionibus, invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores.

Cupientes igitur ut eccleſia veſtra, in qua trium ſanctorum Magorum corpora coruſcantia multis miraculis ſub veneranda cuſtodia conſervantur, congruis honoribus frequentetur: omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui eccleſiam ipſam in feſtivitate ipſorum ſanctorum venerabiliter viſitaverint, annuatim de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus authoritate confiſi, quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia annis ſingulis miſericorditer relaxamus.

Datum Lugduni ſexto Kalendas Aprilis, pontificatus noſtri anno quarto.

VII. Ad Raimundum de Pennaforti ordinis Prædicatorum magistrum, & provincialem Hiſpaniæ.

De hæreſi extirpanda.

Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Priori provinciali in Hiſpania, & fratri Raimundo de Pennaforti ordinis Prædicatorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

INter alia deſiderabilia cordis noſtri ſpecialiter id optamus, & ad illud potiſſime dirigimus noſtræ intentionis affectum, per quod ſalus provenit animarum, & nomen Domini glorioſum plenius collaudatur. Quia igitur Deo non eſt acceptabile obſequium abſque fide, ad propagationem & corroborationem ipſius, & Chriſtianæ religionis augmentum, quanta poſſumus ſolicitudine vigilare debemus, & hoc per nos & alios inceſſanter verbo & opere procurare, ut diffundatur per orbem latius cultus Dei, & meſſe agri multiplicata Dominici, frumentum in cœleſtia horrea inferatur. In his autem, nobis fratres veſtri ordinis Dominus ſpecialiter voluit eſſe adjutores: qui ſpretis mundi diſſoluti blanditiis, ſub religionis arctæ rigore, in voluntate Chriſto ad placitum famulantes, de fidelium campo extirpare noxia, & in eo plantare ſalubria, nec non muniti ſpirituali pro defenſione fidei armatura, errorum laqueis irretitos eripere, ac in regione diſſimilitu-

(a) Cum Innocentius IV. ſummus Pontifex electus fuerit an. 1243. die 24. Junii D. Joanni Baptiſtæ feſto, hæc epiſtola data 10. Kal. Septemb. ejus Pontificatus anno primo, anno ſcilicet 1243. præcedere debet tres ſuperiores datas 7. Idus Januarii, 3. Kal. Martii, & 15. Kal. Julii, anni nempe 1244. ut ſcite admonuit doctiſſimus Salmon in libro Gallice exarato, *Traite de l'etude des Conciles* p. 54.

ANNO CHRISTI 1243.

litudinis converſantes ad unitatem matris ecclesiæ revocare diligentia indefeſſa procurant; proficientes ſibi per vitæ meritum, & aliis verbo pariter & exemplo. Unde quia in inquiſitione facienda contra hæreticos eorumdem fratrum ſolertiam novimus plurimum opportunam, ipſis hujuſmodi negotium providimus ſpecialiter committendum. Ideoque devotionem veſtram monemus & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, vobis per apoſtolica ſcripta mandantes: quatenus ad ipſius proſecutionem negotii ſolicite intendens, aliquos fratres ejuſdem ordinis de regno Aragoniæ, quos ad hoc idoneos fore noveritis, inquiſitores hæreticæ pravitatis in provincia Narbonenſi, per diſtrictum tantum cariſſimi in Chriſto filii noſtri Jacobi Aragonum regis illuſtris, authoritate noſtra deputare curetis: injungentes eiſdem, ut in negotio ipſo ſecundum formam a bonæ memoriæ Gregorio papa prædeceſſore noſtro editam, & a nobis poſtmodum innovatam, juxta quam ſiquidem procedunt fratres dicti ordinis in ipſa Provincia, ſicut eidem negotio expedire viderint, tam contra hæreticos, & ad ipſos accedentes, & fautores, & receptatores, ac defenſores eorum, quam alios ipſi negotio adverſantes, neminem præter Deum in hac parte timendo, efficaciter procedere non omittant. Tu vero, Prior, de conſilio ſeniorum & diſcretorum fratrum præfati ordinis, ejuſdem regni inquiſitores hujuſmodi authoritate noſtra removeas transferaſque, alios ſubſtituas, vel ſuperſedere facias, cum ex cauſa rationabili id videris faciendum.

Datum Lugduni decimotertio Kalendas Novembris, pontificatus noſtri anno ſexto.

VIII. AD POTESTATES, RECTORES, CONSILIA, ET COMMUNITATES per Lombardiam.

Conſtitutiones contra hæreticos a magiſtratibus ſæcularibus obſervandæ.

Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis poteſtatibus, ſive rectoribus, conſiliis, & communitatibus civitatum, aliorumque locorum per Lombardiam, Romaniolam, & marchiam Trevisinam conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

AD extirpanda de medio populi Chriſtiani hæreticæ pravitatis zizania, quæ abundantius ſolito ſuccreverunt, ſuperſeminante illa licentius his diebus hominis inimico, tanto ſtudioſius juxta commiſſam nobis ſolicitudinem inſudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus eadem in necem catholici ſeminis pervagari. Volentes autem ut adverſus hujuſmodi nequitiæ operarios conſurgant, ſtentque nobiſcum eccleſiæ filii, ac orthodoxæ fidei zelatores; conſtitutiones quaſdam ad extirpationem hæreticæ peſtis edidimus, a vobis ut fidelibus ejuſdem fidei defenſoribus exacta diligentia obſervandas, quæ ſeriatim inferius continentur. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſinguli conſtitutiones eaſdem conſcribi in veſtris capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, ſecundum eas contra omnem hæreſim ſe adverſus ſanctam hanc eccleſiam extollentem ſine omiſſione aliqua procedatis: alioquin dilectis filiis Priori provinciali, & fratribus inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ordinis Prædicatorum in Lombardia, marchia Trevisina, & Romaniola, damus noſtris litteris in mandatis, ut ſingulos veſtrum ad id per excommunicationem in perſonas & interdictum in terram appellatione remota compellant.

ANNO CHRISTI 1243.

Conſtitutiones autem ſunt hæ.

I.

Statuimus, ut poteſtas, ſeu rector, qui civitati præeſt, vel loco alii ad præſens, aut pro tempore præfuerit in futurum, in Lombardia, Romaniola, vel marchia Trevisina, juret præciſe & ſine tenore aliquo attendere inviolabiliter & ſervare, & facere ab omnibus obſervari, toto tempore ſui regiminis, tam in civitate vel loco ſui regiminis, quam in terris ſuæ ditioni ſubjectis, omnes & ſingulas tam infra ſcriptas, quam alias conſtitutiones & leges, tam canonicas quam civiles, editas contra hæreticam pravitatem, & ſuper his præciſe obſervandis recipiant a quibuslibet ſibi in poteſtaria vel regimine ſuccedentibus juramenta; quæ qui præſtare noluerint, pro poteſtatibus vel rectoribus nullatenus habeantur, & quæ ut poteſtates vel rectores fecerint, nullam habeant penitus firmitatem, nec ullus teneatur aut debeat ſequi eos, etiamſi de ſequela præſtanda eis exhibuerit juramentum. Quod ſi poteſtas vel rector aliquis hæc omnia & ſingula ſervare noluerit, vel neglexerit, præter notam perjurii, & perpetuæ jacturam infamiæ, ducentarum marcarum pœnam incurrat, quæ irremiſſibiliter exigantur ab eo, & in utilitatem communis integra convertantur: & nihilo minus ut perjurus & infamis, & tanquam hæreticorum fautor, de fide ſuſpectus, officio & honore ſui regiminis ſpolietur: nec ulterius poteſtas ſeu rector in aliquo habeatur, aut de cetero ad aliquam dignitatem vel officium publicum nullatenus aſſumatur.

II.

Idem quoque Poteſtas, ſeu rector, cujuslibet civitatis vel loci in principio ſui regiminis, in publica concione more ſolito congregata banno civitatis vel loci ſupponat tanquam pro maleficio omnes hæreticos utriuſque ſexus, quocumque nomine cenſeantur, & teneatur bannum hujuſmodi a ſuis prædeceſſoribus poſitum confirmare. Præcipue autem quod nullus hæreticus vel hæretica de cetero habitet, vel moretur, vel ſubſiſtat in civitate, ſeu aliquo loco juriſdictionis aut diſtrictus ejuſdem; & quicumque ipſum vel ipſam invenerit, libere capiat, & capere poſſit impune, & omnes res ipſius vel ipſorum eis licenter auferre, quæ ſint auferentium pleno jure; niſi auferentes hujuſmodi ſint in officio conſtituti.

III.

Idem quoque Poteſtas, ſeu rector, infra tertium diem poſt introitum regiminis ſui, duodecim viros probos & catholicos, & duos notarios, & duos ſervitores, vel quotquot fuerint neceſſarii, inſtituere teneatur: quos diœceſanus, ſi præſens extiterit, & intereſſe voluerit, & duo fratres Prædicatores, & duo Minores, ad hoc a ſuis Prioribus, ſi conventus ibi fuerint eorumdem ordinum, deputati, duxerint eligendos.

ANNO CHRISTI 1243.

IV.

Instituti autem hujusmodi & electi possint & debeant hæreticos & hæreticas capere, & eorum bona illis auferre, & facere auferri per alios, & procurare hæc tam in civitate quam in tota ejus jurisdictione atque districtu plenarie adimpleri, & eos ducere, & duci facere in potestatem diœcesani, vel vicariorum ejusdem.

V.

Teneatur autem Potestas seu rector quilibet, in expensis communis cui præest, facere duci eosdem hæreticos ita captos, quocumque diœcesanus, vel ejus vicarii, seu inquisitores vel inquisitor, in jurisdictione vel districtu diœcesani episcopi, seu civitatis vel loci, voluerit illos duci.

VI.

Officialibus vero prædictis plena fides de his omnibus habeatur, quæ ad eorum officium pertinere noscuntur, sine aliquo specialiter præstito juramento, probatione aliqua in contrarium non admissa, ubi duo vel tres vel plures præsentes fuerint ex eisdem.

VII.

Porro cum officiales hujusmodi eliguntur, jurent hæc omnia exequi fideliter & pro posse, ac super his semper meram dicere veritatem: quibus ab omnibus in his quæ ad officium eorum pertinent plenius pareatur.

VIII.

Et tam dicti duodecim quam servitores & notarii prætaxati: simul vel divisim plenariam præcipiendi sub pœna & banno quæ ad officium suum pertinent habeant potestatem.

IX.

Potestas autem, vel rector, teneatur habere firma & rata omnia præcepta, quæ occasione officii sui fecerit, & pœnas exigere non servantium.

X.

Quod si dictis officialibus aliquo tempore aliquod damnum contigerit in personis vel rebus, pro suis officiis exequendis, a communi civitatis vel loci, per restitutionem plenariam serventur indemnes.

XI.

Nec ipsi officiales vel eorum hæredes possint aliquo tempore conveniri de his quæ fecerint, vel pertinent ad eorum officium, nisi secundum quod eidem diœcesano & fratribus videbitur expedire.

XII.

Ipsorum autem officium duret tantummodo per sex menses: quibus completis, potestas teneatur totidem subrogare officiales secundum formam præscriptam; qui prædictum officium secundum formam eamdem in aliis sex mensibus sequentibus exequantur.

XIII.

Sane ipsis officialibus dentur de camera communis civitatis vel loci, quando exeunt civitatem vel locum pro hoc officio exequendo, unicuique pro qualibet die decem & octo imperiales in pecunia numerata, quas potestas vel rector teneatur eis dare, vel dari facere, infra diem tertium, postquam ad eamdem redierint civitatem vel locum.

XIV.

Et insuper habeant tertiam partem bonorum hæreticorum quæ occupaverunt, & multarum ad quas fuerunt condemnati, secundum quod inferius continetur, & hoc salario sint contenti.

XV.

Sed ad nullum aliud, quod istud officium impediat vel impedire possit ullo modo, officium, vel etiam exercitium, compellantur.

XVI.

Nullum etiam statutum conditum vel condendum, eorum officium ullo modo valeat impedire.

XVII.

Et si quis horum officialium propter ineptitudinem, vel inertiam, vel occupationem aliquam, vel excessum, diœcesano & fratribus supradictis visus fuerit amovendus: ipsum ad mandatum vel dictum eorum teneatur amovere Potestas aut rector, & alium secundum formam præscriptam substituere loco ejus.

XVIII.

Quod si quis eorum, contra fidem & sinceritatem officii sui, in favorem hæresis deprehensus fuerit excessisse: præter notam infamiæ perpetuæ, quam tanquam fautor hæreticorum incurrat, per potestatem vel rectorem ad diœcesani loci & dictorum fratrum arbitrium puniatur.

XIX.

Potestas præterea militem suum, vel alium assessorem, si diœcesanus vel ejus vicarius, aut inquisitores a sede apostolica deputati, seu dicti officiales petiverint, cum ipsis officialibus mittere teneatur, & cum ipsis eorum officium fideliter exercere. Quilibet etiam si præsens in terra, vel requisitus fuerit, teneatur tam in civitate quam in jurisdictione vel in districtu quolibet, dare ipsis officialibus vel eorum sociis consilium & juvamen, quando voluerint hæreticum, vel hæreticam capere, vel spoliare aut inquirere: seu domum vel locum, aut aditum aliquem introire pro hæreticis capiendis, sub vigintiquinque librarum imperialium pœna vel banno. Universitas autem burgi, sub pœna & banno librarum centum, villa vero librarum quinquaginta imperialium pro qualibet vice solvenda in pecunia numerata.

XX.

Quicumque autem hæreticum vel hæreticam captum vel captam auferre de manibus capientium vel capientis ausus fuerit, vel defendere ne capiatur, seu prohibere aliquem intrare domum aliquam vel turrim seu locum aliquem ne capiatur & inquiratur ibidem, juxta legem Paduæ promulgatam per Fridericum tunc imperatorem, publicatis bonis omnibus in perpetuum relegetur; & domus illa, a qua prohibiti fuerint, sine spe reædificandi funditus destruatur: & bona quæ ibi reperta fuerint, fiant capientium, ac si hæretici fuissent ibidem inventi: & tunc propter hanc prohibitionem vel impeditionem specialem, burgus componat communi librarum ducentarum, & villa librarum centum, & vicinia tam burgi quam civitatis librarum quinquaginta imperialium, nisi infra tertium diem ipsos defensores vel defensorem hæreticorum Potestati captos duxerint personaliter præsentandos.

XXI.

Teneatur insuper Potestas, seu rector quilibet, omnes hæreticos vel hæreticas, qui capti amodo fuerint, per viros catholicos ad hoc electos a diœcesano, si fuerit præsens, & fratribus supradictis, in aliquo speciali carcere tuto & securo, in quo ipsi soli detineantur,

ANNO CHRISTI 1243.

seorsum a latronibus & bannitis, donec de ipsis fuerit definitum, sub expensis communis civitatis vel loci sui facere custodiri.

XXII.

Si quandoque aliqui vel aliquæ non hæretici pro captis hæreticis, ipsis non contradicentibus, fuerint assignati, vel se forsitan assignaverint: prædicti suppositi, perpetuo carceri mancipentur, & hæretici nihilo minus reddi & assignari cogantur: & qui hunc dolum fecerint, juxta legem prædictam, bonis omnibus publicatis, in perpetuum relegentur.

XXIII.

Teneatur insuper Potestas, vel rector quilibet, cum bono & securo comitatu omnes hæreticos & hæreticas, quocumque nomine censeantur, infra quindecim dies postquam fuerint capti, diœcesano vel ejus speciali vicario, seu hæreticorum inquisitoribus præsentare, pro examinatione de ipsis & eorum hæresi facienda.

XXIV.

Damnatos vero de hæresi per diœcesanum, vel ejus vicarium, seu per inquisitores prædictos, Potestas, vel rector, vel ejus nuncius specialis, eos sibi relictos recipiat statim, vel infra quinque dies ad minus, circa eos constitutiones contra tales editas servaturus.

XXV.

Teneatur præterea Potestas, seu rector, omnes hæreticos quos captos habuerit, cogere, citra membri diminutionem & mortis periculum, tanquam vere latrones & homicidas animarum, & fures sacramentorum Dei & fidei Christianæ, errores suos expresse fateri, & accusare alios hæreticos quos sciunt, & bona eorum, & credentes & receptatores, & defensores eorum, sicut coguntur fures & latrones bonorum temporalium accusare suos complices, & fateri maleficia quæ fecerunt.

XXVI.

Domus autem, in qua repertus fuerit aliquis hæreticus vel hæretica, sine ulla spe reædificandi funditus destruatur: nisi dominus domus eos ibidem procuraverit reperire. Et si dominus illius domus alias domos habuerit contiguas illi domui, omnes illæ domus similiter destruantur, & bona quæ fuerint inventa in domo illa & in domibus illis adhærentibus, publicentur, & fiant auferentium, nisi auferentes fuerint in officio constituti. Et insuper dominus domus illius, præter notam infamiæ perpetuæ, quam incurrat, componat communi civitatis vel loci quinquaginta libras imperiales in pecunia numerata: quam si non solverit, in perpetuo carcere detrudatur. Burgus autem ille in quo hæretici capti fuerint vel inventi, componat communi civitatis libras centum, & villa libras quinquaginta, & vicinia tam burgi quam civitatis libras quinquaginta imperiales in pecunia numerata.

XXVII.

Quicumque vero deprehensus fuerit dare alicui hæretico vel hæreticæ consilium, vel auxilium, seu favorem, præter aliam pœnam superius & inferius prætaxatam, extunc ipso jure in perpetuum sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia, vel ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ei super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum, nullius penitus sint momenti. Credentes quoque erroribus hæreticorum, tanquam hæretici puniantur.

XXVIII.

Teneatur insuper Potestas, seu rector, nomina virorum omnium, qui de hæresi fuerint infamati vel banniti, in quatuor libellis unius tenoris facere annotari: quorum unum, commune civitatis vel loci habeat, & alium diœcesanus, & tertium fratres Prædicatores, & quartum fratres Minores; & ipsorum nomina ter in anno & in concione publica solemniter faciat recitari.

XXIX.

Teneatur quoque Potestas, seu rector, filios & nepotes hæreticorum, & receptatorum, defensorum, & fautorum, diligenter investigare eosque ad aliquod officium publicum seu consilium nullatenus admittere in futurum.

XXX.

Teneatur præterea Potestas, seu rector, unum de assessoribus suis, quem elegerit diœcesanus, si fuerit præsens, & inquisitores prædicti ab apostolica sede dati, mittere cum eis quandocumque voluerint, in jurisdictione civitatis atque districtu; qui assessor, secundum quod prædictis inquisitoribus visum fuerit, ibi tres aut plures boni testimonii viros, vel totam viciniam, si eis videbitur, jurare compellat, quod si quos ibidem hæreticos sciverint, vel bona eorum, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita & moribus dissidentes, vel credentes, aut defensores, seu receptatores, vel fautores hæreticorum, eos dictis inquisitoribus studeant indicare. Ipse autem Potestas contra accusatos procedat secundum leges quondam Friderici tunc imperatoris Paduæ promulgatas.

XXXI.

Teneatur insuper Potestas, seu rector, in destructione domorum, & condemnationibus faciendis, & in rebus inventis vel occupatis consignatis & dividendis, de quibus superius dicitur, infra decem dies, postquam accusatio facta fuerit, hæc omnia exequi cum effectu, & condemnationes omnes in pecunia numerata infra tres menses exigere, & dividere illas sicut inferius continetur, & eos qui solvere non potuerint, banno maleficii supponere, & donec solvant, in carcere detinere. Alioquin pro his omnibus & singulis syndicetur, sicut inferius continetur; & insuper teneatur unum de assessoribus suis, quemcumque diœcesanus, vel ejus vicarius, & dicti inquisitores hæreticorum voluerint, ad hæc peragenda fideliter assignare, & mutare pro tempore, si eis visum fuerit opportunum.

XXXII.

Omnes autem condemnationes vel pœnæ, quæ occasione hæresis factæ fuerint, neque per concionem, neque per consilium, neque ad vocem populi, ullo modo aut ingenio, aliquo tempore valeant relaxari.

XXXIII.

Teneatur autem Potestas, seu rector, omnia bona hæreticorum, quæ per dictos officiales fue-

ANNO CHRISTI 1243.

fuerint occupata seu inventa, & condemnationes pro his exactas dividere tali modo : una pars deveniat in commune civitatis vel loci ; secunda in favorem & expeditionem officii detur officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerint ; tertia ponatur in aliquo tuto loco, secundum quod dictis diœcesano & inquisitoribus videbitur, reservanda & expendenda per consilium eorumdem in favorem fidei, & ad hæreticos extirpandos : non obstante hujusmodi divisioni statuto aliquo condito vel condendo.

XXXIV.

Si quis autem de cetero aliquod istorum statutorum, aut constitutionum attentaverit delere, diminuere, vel mutare, sine authoritate sedis apostolicæ speciali : Potestas seu rector qui pro tempore fuerit in illa civitate vel loco, teneatur eum, tanquam defensorem hæreticorum publicum & fautorem, secundum formam præscriptam perpetuo publice infamare, atque punire in libris quinquaginta imperialium in pecunia numerata : quam si exigere non potuerit, eum maleficii banno supponat, de quo eximi non valeat, nisi solverit duplam dictæ pecuniæ quantitatem.

XXXV.

Teneatur sane Potestas, seu rector, infra decem dies sui regiminis syndicare præcedentem proxime Potestatem vel rectorem, & ejus etiam assessores, per tres viros catholicos & fideles, electos ad hoc per diœcesanum, si fuerit præsens, & per fratres Prædicatores & Minores, de omnibus his quæ in statutis istis seu constitutionibus & legibus contra hæreticos & eorum complices editis continentur, & punire ipsos, si excesserint, in omnibus & singulis quæ omiserint, & cogere restituere de propria facultate : non obstante si per aliquam licentiam consilii vel alterius cujuslibet a syndicatione fuerint absoluti.

XXXVI.

Jurabunt autem prædicti tres viri bona fide syndicare præfatos de omnibus supradictis.

XXXVII.

Ceterum teneatur Potestas seu rector cujuslibet civitatis vel loci, delere seu abradere penitus de statutis vel capitularibus communis quodcumque statutum conditum vel condendum, quod inveniatur contradicere istis constitutionibus, seu statutis & legibus quomodolibet obviare, & in principio & medio sui regiminis hæc statuta, seu constitutiones & leges, in publica concione solemniter facere recitari, & etiam in aliis locis extra civitatem suam vel locum, sicut diœcesano, seu inquisitoribus & fratribus supradictis, visum fuerit expedire.

XXXVIII.

Porro hæc omnia statuta, seu constitutiones, & leges, & si quæ aliæ contra hæreticos & eorum complices tempore aliquo authoritate sedis apostolicæ conderentur, in quatuor voluminibus unius tenoris debeant contineri : quorum unum sit in statutario communis cujuslibet civitatis, secundum apud diœcesanum, tertium apud fratres Prædicatores, quartum apud fratres Minores, cum omni sinceritate serventur, ne possint per falsarios in aliquo violari.

Datum Perusii Idibus Maji, pontificatus nostri anno IX.

IX. SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS IN EZELINUM.

ANNO CHRISTI 1243.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam memoriam rei gestæ.

TRuculentam unius hominis rabiem, inhumanam sævamque barbariem Ezelini videlicet de Romano, quem diræ malignitatis enormitas fecit insignem, & mundo non incognita factorum atrocium multitudo spectabilem, humana societas ad eligendum improba a male potentium tyrannide instituta, indigne forsitan pertulisse videtur : sed indignius procul dubio noscitur sustulisse. Hic siquidem sub humani vultus effigie bellualem animum retinens, Christiani sanguinis sitibundus, & viribus rigidus alienis, implacabile adversus communia humanitatis fœdera bellum gerit. Non enim solum ferali hominum excidio debacchatur in corpora, verum etiam super communem modum, mensuram, & numerum, exhausti cruoris profluvio non contentus, per catholicos fidei corruptores spiritualis vitæ operatur exitium in interitum animarum. Nimirum si in suis atrocitatibus propria contra intensos sibi exequeretur odia, jam deferbuisset in eo incalescens animi feritas peractæ ultionis refrigerio mitigata in his quos habere videbatur exosos. Sed ejus effera crudelitas sic in omnes excandescit, ut nec fortunæ nec vitæ pepercerit etiam amicorum, nec sexum miseratus fuerit in quibusliber vel ætatem, nec alicujus religionis vel ordinis veneratus honorem, necans parvulos innocentes, adultos nequiter perimens, diversis excogitatis in eis generibus tormentorum, &, quod pudorosum est cogitare vel loqui, horrido impiæ sectionis cultro, tam fœminas, ut dicitur, eunuchizare quam mares, spem futuræ prolis occidens in superstitibus occisorum, ut ex intentione quodammodo fiat eorum etiam, quos adhuc de lumbis natura non protulit, homicida. Quis ergo dubitet eum in hominibus non tantum personas persequi, sed etiam naturam? Quis ambigat illum quasi non hominem humani generis fore publicum inimicum? Hunc ex genere, cum publice damnati hæretici filius fuerit, hæreticorumque cognatus, hunc etiam ex moribus, cum eum perfidum esse contraria religioni Christianæque fidei opera manifestant, nos eum publicæ opinionis concurrente assensu, unam de subdolis vulpeculis præsumpsimus esse, quæ vineam Domini sabaoth demoliri non cessant, testamentum æterni evangelii corrumpentes. Ad hunc autem nequissimæ intentionis effectum eo ingenii sui calle processit, quia in quos potuit, vasa sceleratissimæ infectionis arripiens, per corporalis necis formidinem, quæ plerumque cadit in fortes, residuos regionis suæ viros redegit in parvulos, ut eis animorum confidentia, libertatis privilegio, & veritatis oraculo destitutis, facile per magistros errorum sub prædicti Ezelini præsidio ad subvertendas fidelium mentes in marchiæ Tervisinæ partibus emergentes, in publicum perversa infectionis hæreticæ dogmata suggerantur. Execrans præterea commune omnibus gentibus & magnum in Christo & ecclesia matrimonii sacramentum, quod non humanæ voluntatis inventio statuit, sed Divinæ institutionis commendat authoritas, quod temporaliter orientis

ex homine Salvatoris nativitas honoravit, quod-
ANNO CHRISTI 1243. que cunctis fere animantibus suggerit in eis insitus ordo naturæ, damnabili & de typho abominationis hæreticæ procedente præsumptionis audacia separat contra legis evangelicæ interdictum legitimæ conjunctionis fœdere copulatos, adeo inter complices suos fœda connubia & adulterina conjugia conjungendo, ex quibus spuria vitulamina prodeunt, radices altas posteritatis prospere non datura. Nos itaque, quos licet immeritos summus fidelium pastor ad arcendos a redempto Christi sanguine grege ferales impetus salutem Christiani populi lædentes & vitam, nec non ad hujusmodi investigandas assiduis vigiliis capiendasque vulpeculas ecclesiæ suæ voluit præsidere, valido clamore Christiani sanguinis, quo idem Ezelinus terram operuit, nec minus evangelicæ fidei, quam molitur evertere, periculo excitati, per religiosos viros discernere curavimus, & videre, an idem Ezelinus illud circa fidem catholicam naufragium pateretur, quod de ipso detestanda nunciabant opera, & vulgata infamia prædicabat. Cum autem ipsi religiosi super his cum diligentia inquirentes, eumdemque de fide Christi non recte sentire, & haberi debere suspectum veris indiciis comperissent: tandem ipse ad sedem apostolicam nuncios destinavit, quibus bonæ memoriæ Sabinensem episcopum concessimus auditorem, coram quo ad jurandum in ipsius Ezelini anima se obtulere paratos, quod idem de Deo & catholica fide credebat secundum quod Romana tenet ecclesia & docet esse credendum. Sed quoniam a dicto episcopo vel a nobis hujusmodi purgatio admissa non extitit, cum in tanto crimine non per nuncios, sed per propriam personam præstanda esset purgatio: coram nobis sibi præfiximus terminum, quo apostolico se conspectui præsentaret, facturus super his quod ordo exigeret rationis, oblata sibi de securitate personæ in veniendo & redeundo plenaria cautione. Unde quia nec in eodem termino, nec post ipsum, venire vel mittere procuravit, ipsum, qui plurium erat alias excommunicationum laqueis irretitus, & quod de fide catholica male sentiret certa ratione suspectus, anathematis vinculo duximus innodandum; alium ei terminum assignantes, quo in nostra compareat præsentia, super præmissis mandatis ecclesiæ pariturus; denunciando publice, quod nisi usque ad terminum ipsum id faceret, extunc procederemus gravius contra eum juxta legitimas & canonicas sanctiones. Cum autem venire seu mittere, licet ultra terminum diutius expectatus, obstinatione damnabili despexisset, & non solum per annum, sed per biennium vilipensis ecclesiæ clavibus prædictum sustinuisset contemptibiliter anathema: nos, quia non debebamus ulterius canonicum contra eum differre judicium, quem tam longum diffugium & tam dura pertinacia reum tanti criminis ostendebant, præsertim quia hujusmodi judicii tarditas periculosam forte aliquibus præbebat audaciam, & quos a malis festinata unius pœna compesceret, protelata forsitan ad illam laxaret: eumdem Ezelinum tanquam hæreticum reputantes, decrevimus ipsum, habito fratrum nostrorum consilio, promulgatis adversus hæreticos sanctionibus subjacere; nisi usque ad Kalendas Augusti tunc proxime secuturas coram nobis comparere curaret, nostris & ecclesiæ pariturus præcise beneplacitis & mandatis. Quem siquidem terminum tunc sibi ex multa benignitate apostolicæ sedis præfiximus, cum eum salvari vellemus potius quam perire. Ipse vero contra Deum & contra homines collo rebellionis extento, & ad omnem fidei Christianæ inobedientiam spiritu obfirmato, tanquam prolapsus in desperationis abyssum, & humani pudoris, Divini judicii, ac salutaris consilii pertinax aspernator, imminentia sibi discrimina quæcumque contempsit: & perire potius eligens quam parere, nec in termino sibi ex multa ecclesiæ miserationis lenitate concesso, nec postmodum diutius expectatus venire curavit. Nos autem illius periculo condolentes, adhuc voluimus ejus duritiam solita sedis apostolicæ benignitate mulcere, si forte ad suscipiendum salutis remedium aliqua in eo scintilla sanioris consilii remansisset: ipsumque non semel vel secundo, sed pluries immo multoties ad . . . judicium edictis legitimis evocatum, duximus prolixis ad convincendum inexcusabilem ejus malitiam temporum spatiis expectandum. Porro idem, sicut aspidis surdissimæ filius, ad omnem monitoris vocem obturans auditum, jam per sex annos & amplius vocationis longanimitate & expectationis nostræ patientia est abusus. Nos igitur ex his attendentes quod diuturnioris erga eumdem Ezelinum tolerantiæ pietas in communem multorum posset redundare perniciem, & ulterior expectatio nihil operaretur in eo nisi contumaciam & contemptum: ne tantum malum in medio Christiani populi diutius toleratum latius pervagetur, de prædictorum fratrum nostrorum consilio, præsente fidelium populo, qui in die cœnæ Domini ex diversis Mundi partibus ad apostolorum limina confluxit, prædictum Ezelinum sicut manifestum hæreticum sententialiter judicamus, ipsum excommunicatum & anathematizatum cum damnatis hæreticis deputando, adscripta illis damnationis stipendia recepturum, nisi forsitan eum, usque ad festum ascensionis Dominicæ proximæ venturum, ad præsentiam nostram personaliter venire audiemus: quod de abundantissima apostolicæ sedis clementia duximus adjungendum.

Datum Laterani quinto Idus Aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

X. AD OTTONEM CARDINALEM TUSCULANUM.

De controversia orta inter archiepiscopum Nicosiensem Latinum ex una parte, & episcopos Græcos regni Cypri ex altera.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Tusculano apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

SUb catholicæ professione fidei atque cultu consistere ac proficere universos, ceteris nostræ mentis desiderabilibus præferentes, illud tanquam acceptabilius pleniori desiderio cupimus, & ad hoc velut operativum salutis præcipuum intimis affectibus anxius aspiramus. Hæc, inquam, unio sive connexio cordi nostro inæstimabilis gaudii rorem infunderet, si varias gentium nationes ejusdem observantia fidei in unum acceptabilem Christo populum adunaret. Id utique anxiæ mentis nostræ ardorum affluentis lætitiæ refrigeraret irriguo, si omnes quos olim in unum catholicum gregem ovile collegit Domi-

mini, cum multi ab eo discesserint, in idem A individuum collegium unius pastoris solidaret magisterium, & custodia communiret. O si orientalibus Oriens ex alto luceret, & sui luminis illustratione ipsos ad catholicam reduceret unitatem: ut cum reliquis orthodoxis in unius aulæ collecti gremio, de matris ecclesiæ ubere fluenta doctrinæ salutaris haurirent. Tunc ipsi ecclesiæ proveniret magnum & desiderabile salutare: tunc ejus uterus sobole geminata concresceret: tunc orientalibus oriretur supernæ illuminationis aurora: tunc eis claresceret Lucifer veritatis: tunc per universam ecclesiam inundantis gaudii erumperet plenitudo: tunc exultatione nimia claresceret totus orbis, quia valde bonum & jucundum exi- B steret fratres simul in domo Domini habitare: tunc eadem ecclesia, multiplicata lætitia, novæ jucunditatis canticum personaret. Verum quia nonnulli Græcorum jamdudum ad devotionem sedis apostolicæ redeuntes, ei reverenter obediunt & intendunt: licet & expedit ut mores ac ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerantes, ipsos in Romanæ ecclesiæ obedientia præservemus: quamquam in iis quæ animarum periculum parerent, vel honestati ecclesiasticæ derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus.

Sane inter venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Nicosiensem, & ejus suffraganeos Latinos ex parte una, & episcopos Græcos re- C gni Cypri ex altera, de quibusdam certis articulis discordiam & turbationem fore subortam, & eorumdem tenorem articulorum ac responsiones ipsorum Græcorum ad illos, nobis, ut melius possimus instrui super eis, plene ac provide per tuas litteras intimasti, solicite requirendo, ut providere super hoc apostolica diligentia curaremus. Nos autem litteris ipsis affectuose receptis, earum seriem, & ipsos articulos, ac responsiones easdem, & cetera quæ continebantur in illis, una cum fratribus nostris perlegimus & intelleximus diligenter, prudentiam tuam multipliciter in Domino commendantes, & meditantes ac deli- D berantes super his, prout rei qualitas exigebat. Circa hæc itaque sic deliberatio nostra resedit.

I.

Ut Græci ejusdem regni in unctionibus quæ circa baptisma fiunt, morem ecclesiæ Romanæ teneant & observent.

II.

Ritus vero seu consuetudo quam habere dicuntur, ungendi per totum baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo vel removeri non potest, cum sive fiat, sive non, quantum ad baptismi efficaciam vel effectum, non multum referat, toleretur.

III.

Nec refert etiam, utrum in frigida vel ca- E lida aqua baptizent, cum parem vim & effectum in utraque baptismum habere, asseverare dicantur.

IV.

Soli autem episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos: quia hujus unctio non debet nisi per episcopos exhiberi: quoniam soli apostoli, quorum vices gerunt episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur.

V.

Singuli quoque episcopi in suis ecclesiis, in die cœnæ Domini possunt secundum formam ecclesiæ chrisma conficere, ex balsamo quidem & oleo olivarum. Nam Spiritus sancti donum in chrismatis unctione confertur, & columba utique, quæ ipsum designat Spiritum, olivæ ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum ritum in hoc Græci potius servare voluerint, videlicet quod patriarcha una cum archiepiscopis & episcopis ejus suffraganeis, & archiepiscopi cum suffraganeis suis, simul chrisma conficiant, in tali eorum consuetudine tolerentur.

VI.

Nulli autem per sacerdotes vel confessores, pro satisfactione pœnitentiæ, unctio aliqua solummodo injungatur.

VII.

Infirmis vero, juxta verbum Jacobi apostoli, unctio exhibeatur extrema.

VIII.

Porro in appositione aquæ, sive frigidæ, sive calidæ, vel tepidæ, in altaris sacrificio, suam si velint consuetudinem, Græci sequantur; dummodo credant & asserant, quod servata canonis forma conficiatur pariter de utraque.

IX.

Sed Eucharistiam in die cœnæ Domini consecratam usque ad annum, prætextu infirmorum, ut de illa videlicet ipsos communicent, non reservent: liceat tamen eis pro infirmis ipsis corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, & non longiori temporis spatio, conservare: ne per diutinam ipsius reservationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum: licet veritas & efficacia semper eadem omnino remaneat, nec ulla unquam diuturnitate seu volubilitate temporis evanescat.

X.

In celebratione vero solennium, & aliarum Missarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione vel consecratione formam verborum a Domino expressam & traditam observent, & celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur.

XI.

Sacerdotes autem dicant horas canonicas more suo: sed Missam celebrare, priusquam officium matutinale compleverint, non præsumant.

XII.

Promovendi vero ad sacerdotium, & presbyteri qui præficiendi fuerint ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si præcipue de horis canonicis & Missarum officiis secundum distinctionem temporum exequendis sint sufficienter instructi; ut ad hæc non nisi digni & idonei admittantur.

XIII.

Ceterum unusquisque sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stanneo calice sacrificet: habens corporale de lino candidum & nitidum, & altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis.

XIV.

Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio omnino repellantur.

XV.

XV.

ANNO CHRISTI 1245. De jejunio vero diei ſabbati quadrageſimali tempore, quamquam honeſtius & ſalubrius Græci agerent, ſi ſic toto illo tempore abſtinerent, ut nec unico die inſtitutum jejunium violarent, teneant & ſervent pro libito morem ſuum.

XVI.

Sacerdotes quoque conjugati, & alii quibus parochiarum cura vel eccleſiarum parochialium regimen per epiſcopos ſuos committitur, licite ac libere poſſint parochianorum ſuorum confeſſiones audire, ipſiſque pœnitentiam injungere pro peccatis: quia cui licet vel conceditur quod eſt majus, competit nimirum, nec B negari convenit, quod eſt minus.

XVII.

Liberum tamen ſit ipſis epiſcopis viros alios idoneos coadjutores & cooperatores habere in audiendis confeſſionibus, & pœnitentiis injungendis, ac ceteris quæ ad ſalutem pertinent animarum, ipſiſque in his per eorum diœceſes, abſque ſacerdotum ipſorum præjudicio & gravamine, committere vices ſuas; cum propter occupationes multiplices, & occaſiones varias poſſit contingere, quod nequeant per eaſdem diœceſes officium ſuum exequi per ſeipſos.

XVIII.

De fornicatione autem, quam ſolutus cum C ſoluta committit, quin ſit mortale peccatum, non eſt aliquatenus ambigendum: cum tam fornicarios quam adulteros a regno Dei apoſtolus aſſerat alienos.

XIX.

Ad hæc volumus & expreſſe præcipimus quod epiſcopi Græci ſeptem ordines ſecundum morem eccleſiæ Romanæ de cetero conferant, cum hucuſque tres de minoribus circa ordinandos neglexiſſe vel prætermiſiſſe dicantur. Illi tamen qui jam ſunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipſorum multitudinem, in ſic ſuſceptis ordinibus tolerentur.

XX.

Quia vero ſecundum Apoſtolum mulier mortuo viro ab ipſius eſt lege ſoluta, ut nubendi D cui vult in Domino liberam habeat facultatem, ſecundas, & tertias, ac ulteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus, nec contemnant, ſed potius illas approbent inter perſonas quæ alias licite adinvicem matrimonio jungi poſſunt.

XXI.

Secundo tamen nubentes presbyteri non benedicant.

XXII.

Et quoniam apud eos conſueverunt contrahi matrimonia inter perſonas contingentes ſe juxta eorum computationem octavo gradu, qui ſecundum computationem & diſtinctionem gra- E duum, quam nos facimus apud nos, quartus habetur: ne id præſumatur deinceps firmiter prohibemus; diſtricte præcipientes, ut, cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto conſanguinitatis vel affinitatis gradu copulari ulterius non præſumant; ſtatutum in hoc generalis concilii obſervantes. Illos tamen qui jam in gradu hujuſmodi contraxerunt, diſpenſative permittimus in ſic contracto matrimonio remanere.

XXIII.

Matt. 12. Denique cum Veritas in evangelio, aſſerat, A quod ſi quis in Spiritum ſanctum blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſæculo, neque in futuro dimittetur ei: per quod datur intelligi, quaſdam culpas in præſenti, quaſdam vero in futuro ſæculo relaxari; & Apoſtolus dicat quod *uniuſcujuſque opus quale ſit ignis probabit: & cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*: & ipſi Græci vere ac indubitanter credere ac affirmare dicantur, animas illorum, qui ſuſcepta pœnitentia, ea non peracta, vel qui ſine mortali peccato, cum venialibus tamen & minutis decedunt, purgari poſt mortem, & poſſe ſuffragiis eccleſiæ adjuvari: nos, quia locum purgationis hujuſmodi dicunt non fuiſſe ſibi ab eorum doctoribus certo & proprio nomine indicatum, illum quidem juxta traditiones & authoritates ſanctorum patrum purgatorium nominantes, volumus quod de cetero apud illos iſto nomine appelletur. Illo enim tranſitorio igne peccata utique, non tamen criminalia ſeu capitalia, quæ prius per pœnitentiam non fuere remiſſa, ſed parva & minuta purgantur: quæ poſt mortem etiam gravant, ſi in vita non fuerint relaxata.

XXIV.

Si quis autem abſque pœnitentia in peccato mortali decedit, hic proculdubio æternæ gehennæ ardoribus perpetuo cruciatur.

XXV.

Animæ vero parvulorum, poſt baptiſmi lavacrum, & adultorum etiam in caritate decedentium, qui nec peccato, nec ad ſatisfactionem aliquam pro ipſo tenentur, ad patriam protinus tranſvolant ſempiternam.

XXVI.

Ordinationes demum & inſtituta regularia ſanctorum patrum de vita & ſtatu monachorum præcipimus ab abbatibus & monachis Græcis inviolabiliter obſervari.

Fraternitatem itaque tuam hortamur attente, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus præmiſſa omnia epiſcopis Græcis præfati regni ſeriatim & diligenter exponi facias: diſtricte ipſis injungens, ut ea ſolicite attendere, ſtudioſe tenere, ac efficaciter obſervare procurent, & a ſuis faciant ſubditis obſervari. Memoratis autem archiepiſcopo Nicoſienſi, & ejus ſuffraganeis Latinis, firmiter authoritate noſtra præcipias, ut eoſdem Græcos ſuper præmiſſis contra hujuſmodi proviſionem & deliberationem noſtram non inquietent aliquatenus, nec moleſtent. Contradictores eadem authoritate, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; non obſtantibus, ſi præfatis archiepiſcopo & ſuffraganeis, vel quibuſcumque aliis, a ſede apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras apoſtolicas plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Laterani 11. Nonas Martii, pontificatus noſtri anno undecimo.

ANNO CHRISTI 1243.

XI. AD OMNES FIDELES.

Contra hæreticos.

Innocentius IV. servus servorum Dei universis Christi fidelibus.

NOverit universitas vestra, quod nos ad instar felicis recordationis Gregorii papæ prædecessoris nostri excommunicamus & anathematizamus universos hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Josepinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios, quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum. Damnati vero per ecclesiam sæculari judicio relinquantur animadversione debita puniendi; clericis prius a suis ordinibus degradatis.

Si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint, ad agendam condignam pœnitentiam in perpetuo carcere detrudantur.

Credentes autem eorum erroribus, similiter hæreticos judicamus.

Item receptatores, defensores, & fautores hæreticorum, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere: firmiter statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, a sua super hoc non curaverit præsumptione cessare, ipso jure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testamenti habeat factionem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum authore damnato damnentur: & in similibus idem præcipimus observari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur. Si qui autem tales, postquam ab ecclesia fuerint denotati, evitare contempserit: excommunicationis sententia percellantur, alias animadversione debita puniendi. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi juxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio feriantur, & usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur: ita quod si per annum in excommunicatione perstiterit, extunc velut hæretici condemnentur. Item proclamationes aut appellationes hujusmodi personarum minime audiantur. Item judices advocati & notarii, nulli eorum officium suum impendant: alioquin eodem officio perpetuo sint privati. Item clerici non exhibeant hujusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta; nec eleemosynas aut oblationes eorum recipiant. Similiter Hospitalarii, aut Templarii, ac quilibet regulares. Alioquin suo priventur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto sedis apostolicæ speciali. Item quicumque tales præsumpserint ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ se noverint subjacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent & projiciant hujusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetua careat sepultura. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam personæ laicæ liceat publice vel privatim de fide catholica disputare: qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Item si quis hæreticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita & moribus dissidentes, eos studeat indicare confessori suo, vel alii, per quem credat ad prælati sui & inquisitorum hæreticæ pravitatis notitiam pervenire: alioquin excommunicationis sententia percellatur. Hæretici autem & receptatores, defensores & fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem, ad nullum ecclesiasticum beneficium seu officium admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane. Nos enim prædictos & quoscumque viros ecclesiasticos, qui ad preces hujusmodi pestilentium personarum, dignitates, personatus, & quæcumque alia ecclesiastica beneficia, sunt adepti, ex nunc privamus taliter acquisitis: volentes ut tales & habitis perpetuo careant, & ad alia vel similia nequaquam in posterum admittantur. Illorum autem filiorum emancipationem nullius momenti esse volumus, quorum parentes post emancipationem hujusmodi ad viam superstitionis hæreticæ a via declinasse constiterit veritatis.

Datum Anagniæ decimoseptimo Kalendas Julii pontificatus nostri anno undecimo.

ANNO CHRISTI 1243

XII. AD FRATRES PRÆDICATORES.

De hæresi extirpanda.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis fratribus ordinis Prædicatorum inquisitoribus hæreticæ pravitatis præsentibus & futuris in Lombardia & marchia Januensi salutem & apostolicam benedictionem.

MAlitia hujus temporis in diversis mundi partibus, & maxime in provincia Lombardiæ perversorum morum peperit corruptelam, ex quibus letifera pestis hæreticæ pravitatis abundantius solito noscitur pullulasse. Ad extirpationem igitur ejusdem pestis juxta officii nostri debitum ex animo intendentes, volumus adversus hujusmodi iniquitatis operarios, qui massam catholicæ puritatis fermento propriæ contagionis inficiunt, fideles, ut consurgant stentque nobiscum pro evangelicis, quas professi sunt, legibus defendendis, salubribus adhortationibus incitari.

Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in locis ubi contra hæreticos vobis inquisitionis officium commissum est, curetis singuli opportuna instantia contra eosdem hæreticos eorumque fautores proponere populis publice verbum crucis: & eos qui tacti zelo fidei ad extirpandam pravitatem eamdem votum assumpserint, crucis charactere consignare.

Ut autem vobis de prædicatione hujusmodi, & fidelibus qui ejusdem crucis ob hoc votum assumpserint, copiosæ mercedis præmium

afferatur, vobis & eisdem fidelibus illam in- ANNO CHRISTI 1243. dulgentiam illudque privilegium elargimur, quæ transeuntibus in terræ sanctæ subsidium in generali concilio conceduntur. Cum autem hujusmodi crucis verbum per vos proponi contigerit: relaxandi omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad audiendum verbum ipsum devote adfuerint, quadraginta vel viginti dies de injunctis pœnitentiis libera sit vobis & singulis vestrum de nostra concessione facultas. Quod si forte, quod non credimus, aliqua civitas, communitas, vel persona, cujuscumque conditionis vel gradus, huic tam salubri negotio se opponere, seu illud præsumpserit aliquatenus impedire, ut per vos, vel per alios authoritate nostra ad hoc deputatos, vel in posterum deputandos, libere procedi non valeat in eodem; immo si quicumque requisiti illud fovere neglexerint; & juxta officium & posse suum studiose juvare: contra eos, tanquam defensores & fautores hæreticorum, sublato appellationis obstaculo, vos vel vestrum singuli authoritate nostra intrepide procedatis. Contra quos, prout audacia ipsorum exegerit, reges & principes Christianos, nec non crucesignatos pro terræ sanctæ succursu, curabimus invocare: cum non minus expediat, immo magis, fidem in locis prope positis, quam procul distantibus defensare.

Porro ut non solum inquisitionis vobis super hæretica pravitate commissæ, sed & hujusmodi prædicationis crucis officium in manibus vestris congruis favoribus adjuvetur, absolvendi juxta formam ecclesiæ, omnes qui contra pravitatem hæreticam assumpserint signum crucis, ab interdicti, suspensionis, & excommunicationum sententiis canonicis, & præsertim ab illis quas pro incendiis, vel effractionibus ecclesiarum, seu injectione manuum violenta in personas ecclesiasticas, incurrerunt: & aliis quoque sententiis a nobis vel authoritate nostra generaliter promulgatis, nisi adeo gravis & enormis excessus fuerit personarum, quod ab his oporteat absolutionis beneficium per sedem apostolicam obtineri: nec non & ab illis sententiis, quas, adhærendo & favendo contra ecclesiam quondam Friderico, se tum pro imperatore gerenti, seu Conrado nato ejus, vel ipsorum fautoribus, incurrerunt: Ezelino de Romanis, Uberto marchione Pelavicino, marchionibus, comitibus, baronibus, capitaneis, potestatibus, rectoribusque civitatum atque locorum, similibusque personis, qui in ecclesias & personas ecclesiasticas sæva exercuisse noscuntur, aut eorum bona nequiter occupasse, dumtaxat exceptis: dummodo assumpto crucis signaculo, votum hujusmodi, qui absoluti fuerint, efficaciter prosequantur; & ipsi caveant quod de cetero contra ecclesiam nunquam erunt; & tam ab ipsis, quam ab aliis præmissis, plena de damnis & injuriis, propter quæ excommunicati noscuntur, satisfactio, vel satisfaciendi sufficiens securitas, impendatur. Nec non & dispensandi cum clericis super irregularitatibus; quas celebrando Divina ligati sententiis canonicis contraxerunt: commutandi quoque vota eorumdem crucesignatorum, voventium & votorum qualitate pensata: terræ sanctæ votis, aliisque perpetuis, quæ commutationis non admittunt remedium, dumtaxat exceptis. Concedendi quoque crucesignatis iisdem, quod tempore generalis interdicti possint interesse Divinis officiis, & ecclesiastica sacramenta recipere, in locis in quibus eadem ex indulto sedis apostolicæ celebrantur: dummodo, si in præmissis casibus ecclesiasticis tenentur ligati sententiis, prius beneficium absolutionis assequantur: vobis & singulis vestrum authoritate præsentium concedimus facultatem. ANNO CHRISTI 1243.

Datum Anagniæ decimotertio Kalendas Julii, pontificatus nostri anno undecimo.

XIII. AD LOMBARDIÆ, ROMANIOLÆ, ET MARCHIÆ TARVISINÆ RECTORES.

Approbat leges a Friderico imp. contra hæreticos, eorumque fautores editas.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis potestatibus, consiliis, & communitatibus civitatum, aliorumque locorum Lombardiæ, marchiæ Tarvisinæ, ac Romaniolæ, salutem & apostolicam benedictionem.

CUm adversus hæreticam pravitatem quondam Fridericus Romanorum imperator promulgaverit quasdam leges, per quas ne pervagetur, compesci poterit pestis illa: nos illas volentes ad robur fidei, ac salutem fidelium observari, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eas, quorum tenores vobis mittimus insertos præsentibus, faciatis singuli in vestris capitularibus annotari, contra hæreticos sectæ cujuslibet secundum eas exacta diligentia processuri. Alioquin dilectis filiis Priori, provinciali & fratribus inquisitoribus hæreticæ pravitatis ordinis Prædicatorum in Lombardia, marchia Tarvisina, & Romaniola litteris nostris injungimus, ut vos ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terram, appellatione remota, compellant. Ex Bullario.

Sequuntur leges dom. Friderici imperatoris.

FRidericus Dei gratia Romanorum imperator, & semper augustus, Hierusalem & Siciliæ rex, dilectis principibus suis, venerabilibus archiepiscopis, aliisque prælatis ecclesiarum, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, potestatibus, scultetis, burgaviis, advocatis, judicibus, ministerialibus, officialibus, & omnibus per totum imperium constitutis, præsentes litteras inspecturis fidelibus suis, gratiam suam, & omne bonum. Ex lib. 1. Epist. Pet de Vineis ep. 25.

Commissi nobis cœlitus cura regiminis & imperialis, cui dante Domino præsidemus, fastigium dignitatis, materialem, quo divisim a sacerdotio fungimur, gladium adversus hostes fidei & in exterminium hæreticæ pravitatis exigunt exerendum: ut perfidiæ vipereos filios contra Deum & ecclesiam insultantes, tanquam materni uteri corrosores, in judicio & justitia persequamur, maleficos vivere non passuri, per quorum scientiam seducentem mundus inficitur, & in gregem fidelium per oves has morbidas gravior infligitur corruptela.

Statuimus itaque sancientes, ut hæretici, quocumque nomine censeantur, ubicumque per imperium damnati fuerint ab ecclesia, & sæculari judicio assignati, animadversione debita puniantur.

Si qui vero de prædictis, postquam fuerint deprehensi, territi metu mortis, redire voluerint

rint ad fidei unitatem, juxta canonicas sanctiones ad agendum pœnitentiam in perpetuum carcerem detrudantur.

Præterea, quicumque hæretici reperti fuerint in civitatibus, oppidis, seu aliis locis imperii per inquisitores ab apostolica sede datos, & alios orthodoxæ fidei zelatores : hi qui jurisdictionem ibidem habuerint, ad inquisitorum & aliorum catholicorum virorum insinuationem eos capere teneantur : & eos captos arctius custodire, donec per censuram ecclesiasticam damnatos, damnabili morte perimant, qui fidei sacramenta & vitæ damnabant.

Simili quoque pœna plecti censemus omnes, quos ad fovendum hæreticorum errorem callidus hostis suscitat advocatos, vel parat illicitos defensores : maxime cum facinus quos inquinat, æquat : nisi monitione præmissa destiterint, & eorum vitæ duxerint consulendum.

Eos præterea qui victi in uno loco de hæresi, ad alia loca se transferunt, ut cautius possint effundere virus hæreticæ pravitatis, debitam censemus subire vindictam : ut super hoc per viros ab eodem errore conversos ad fidem, nec non & per alios, qui eos de hæresi convicerunt, quod & in hoc casu concedimus licite faciendum, evidens testimonium habeatur.

Item mortis sententiæ ducimus addicendos, si quos hæreticorum ad judicium tractos, in extremæ vitæ periculo hæresim abjurantes, postmodum de falso juramento constiterit, & fide mentita convinci, ac eos contigerit ejusdem morbi spontaneam incurrere recidivam : ut sibi damnabilius iniquitas sit mentita, & pœnam debitam mendacium non evadat.

Omne insuper proclamationis & appellationis beneficium, ab hæreticis, receptatoribus, & fautoribus eorumdem, penitus amovemus : volentes ut de finibus imperii, in quibus semper debet existere fida fides, hæreticæ labis germina modis omnibus deleantur.

Ceterum quia quanto majora Divinæ nutu miserationis accepimus, & altiorem locum præ filiis hominum obtinemus, tanto devotiora debemus obsequia gratitudinis conferenti : si quando in nostri nominis contemptores nostri culminis excandescit authoritas, si reos lætæ majestatis, in personis eorum & liberorum suorum exhæredatione damnamus, multo fortius, justiusque contra Dei blasphematores nominis, & catholicæ fidei detractores provocamur, eorumdem hæreticorum, receptatorum, fautorum, & advocatorum suorum, hæredes & posteros, usque ad secundam progeniem, beneficiis cunctis temporalibus, publicis officiis & honoribus, imperiali authoritate privantes, ut in paterni memoria criminis continuo mœrore tabescant : vere scientes, quod Deus zelotes est, peccata patrum in filios potenter ulciscens.

Nec quidem a misericordiæ finibus duximus excludendum, ut si qui paternæ hæresis non sequaces, latentem patrum perfidiam revelaverint : quacumque reatus illorum animadversione plectantur, prædictæ punitioni non subjaceant innocentiæ filiorum.

Ad hæc, notum fieri volumus, fratres Prædicatores de ordine Prædicatorum, pro fidei negotio in partibus imperii nostri contra hæreticos deputatos, ceteros quoque qui ad hæreticos judicandos accesserint, nisi aliqui eorum ab imperio fuerint proscripti, eundo, morando, & redeundo, sub nostri imperii speciali defensione receptos, & quos apud omnes, sub ope ac recommendatione fidelium imperii esse volumus inoffensos. Universitati vestræ mandantes, quatenus quocumque, & apud quemcumque vestrum pervenerint, benigne recipiatis eosdem ; & personas ab incursu hæreticorum eis insidiantium conservantes indemnes, omne consilium, ducatum, & auxilium impendatis, pro tam acceptis coram Deo negotiis exequendis.

ANNO CHRISTI 1243.

Hæreticos vero, quos & ostenderint ipsi vobis, in jurisdictione vestra singuli capientes, diligenti custodia detinendos, donec post ecclesiasticæ damnationis judicium, pœnam subeant, quam merentur. Scituri quod in executione ipsius negotii, gratum Deo, & laudabile nobis obsequium conferetis, si ad expellendam de partibus nostri imperii novam & insolitam hæreticæ pravitatis infamiam, opem, & operam, una cum eisdem fratribus, præstiteritis efficacem, & si quis foret exinde negligens & remissus, ac etiam inutilis, coram Domino & in conspectu nostro poterit merito culpabilis apparere.

Datum Paduæ XXII. Februarii, XII. indictione.

Fridericus Dei gratia, &c.

Ex eodem lib. 1. epist. Petri de Vineis ep. 26.

INconsutilem tunicam Dei nostri dissuere conantur hæretici, & vocabuli vitio servientes, quod significationem divisionis enunciat, in ipsius indivisibilis fidei unitate nituntur inducere sectionem : & oves a Petri custodia, cui pascendæ a pastore bono sunt creditæ, segregare. Hi sunt lupi rapaces intrinsecus, eo usque mansuetudinem prætendentes ovium, quousque ovile possint subintrare Dominicum. Hi sunt angeli pessimi. Hi sunt filii pravitatum, a patre nequitiæ, & fraudis authore, ad animas simplices destinati. Hi colubri, qui columbas decipiunt. Hi serpentes, qui latenter videntur inserpere, & sub mellis dulcedine, virus evomere. Ut vitæ cibum ministrare se simulet, a cauda feriunt : & mortis poculum, velut quoddam durissimum venenum immiscent. Horum sectæ, veteribus, vel ne in publicum prodeant, non sunt notatæ nominibus, vel, quod est forte nefandius, non contentæ, ut vel ab Ario Ariani, vel a Nestore Nestoriani, aut a similibus similes nuncupentur : sed in exemplum martyrum, qui pro fide catholica martyria subierunt, Patarenos se nominant, velut expositos passioni. Hujusmodi miseri Patareni, a quibus abest sancta credulitas divinitatis æternæ, sub uno contextu nequitiæ insimul tres offendunt ; Deum videlicet, proximos, & seipsos. Deum, dum Dei fidem, & Filium non agnoscunt. Decipiunt proximos, dum ipsis sub spe spiritualis alimoniæ, hæreticæ pravitatis oblectamenta ministrant. Crudelius etiam sæviunt in se ipsos, dum post animarum dispendium, corpora denique severæ mortis illecebris, quam per agnitionem veram & veræ fidei possent evadere, vitæ prodigi, & necis improvidi sectatores, involvunt : &, quod est ipso dictu dirissimum, superstites etiam non terrentur exemplo.

Contra tales, sibi, Deo, & hominibus sic infestos, continere non possumus motus nostros, quin debitæ ultionis in eos gladium exeramus :

ramus : tanto ipſos inſtantius perſequentes, quanto in evidentiorem deluſionem fidei Chriſtianæ, prope Romanam eccleſiam, quæ caput eccleſiarum omnium judicatur, ſuperſtitionis ſuæ ſcelera latius exercere noſcuntur. Adeo quod ab Italiæ finibus præſertim a partibus Lombardiæ, in quibus pro certo perpendimus ipſorum nequitiam latius abundare, jamque uſque ad regnum noſtrum Siciliæ, ſuæ perfidiæ rivulos derivarunt. Quod acerbiſſimum reputantes, ſtatuimus in primis, ut crimen hæreſeos, & damnatæ ſectæ cujuslibet, quocumq; nomine cenſeantur ſectatores, prout veteribus legibus eſt indictum, inter publica crimina numerentur. Immo crimine læſæ majeſtatis noſtræ debet ab omnibus horribilius judicari, quod in Divinæ majeſtatis injuriam noſcitur attentatum, quamvis judicii poteſtate alterum alteri non excellat. Nam ſicuti perduellionis crimen perſonas admittit damnatorum, & bona, & damnat poſt obitum memoriam defunctorum : ſic & in prædicto crimine, quo Patareni notantur, per omnia volumus obſervari.

Et ut ipſorum nequitia, qui, quia Dominum non ſequuntur, in tenebris ambulant, detegatur : nemine etiam deferente, inveſtigari volumus diligenter hujuſmodi ſcelerum patratores; & per officiales noſtros, ſicut & alios malefactores inquiri. Ac inquiſitione notatos, etſi levis ſuperſtitionis argumento tangantur, a viris eccleſiaſticis, & prælatis examinari jubemus. Per quos ſi inventi fuerint a fide catholica ſaltem in articulo deviare, ac per ipſos paſtorali more commoniti, tenebroſi diaboli relictis inſidiis, noluerint agnoſcere Deum lucis, ſed in erroris concepta inſtantia perſeverent : præſentis noſtræ legis edicto damnatos mortem pati Patarenos alioſque hæreticos, quocumque nomine cenſeantur, decernimus, quam affectant : ut vivi in conſpectu hominum comburantur, flammarum commiſſi judicio. Nec dolemus, quod in hoc ipſorum ſatisfacimus voluntati, ex quo pœnam ſolummodo, nec fructum alium conſequuntur erroris.

Apud nos pro talibus nemo intervenire præſumat : quod qui fecerit, in ipſum noſtræ indignationis aculeos non immerito convertemus.

Datum Paduæ XXII. Februarii, XII. indict.

Imperator Fridericus ſemper auguſtus, &c.

PAtarenorum receptatores, & complices, & quocumque modo fautores, qui ut a pœna alios poſſint eximere, de ſe velut improvidi non formidant, publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum eſſe cenſemus.

Et ipſorum filii ad honores aliquos nullatenus admittantur. Si tamen aliquis fautorum hujuſmodi, detexerit aliquem Patarenum, de cujus perfidia manifeſte probatur : in fidei præmium quam agnovit, famæ priſtinæ de imperiali clementia reſtitutionis beneficium in integrum conſequatur.

ANNO CHRISTI 1243.

Incipiunt capitula conſtitutionis contra Patarenos editæ per eumdem Fridericum illuſtrem virum, Romanorum imperatorem ſemper auguſtum, Hieruſalem, & Siciliæ regem.

ANNO CHRISTI 1243.

CAtharos, Patarenos, Speroniſtas, Leoniſtas, Arnaldiſtas, Circumciſos, Paſſaginos, Joſepinos, Garatenſes, Albanenſes, Franciſcos, Bagnarolos, Commixtos, Waldenſes, Roncarolos, Communellos, Warinos, & Ortolenos, cum illis de Aquanigra, & omnes hæreticos utriuſque ſexus, quocumque nomine cenſeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus. Cenſentes ut bona talium confiſcentur, nec ad eos ulterius revertantur : ita quod filii eorum ad ſucceſſionem pervenire non poſſint, cum longe ſit gravius æternam, quam temporalem offendere majeſtatem. Ex epiſt. 2. lib. 1. Petr. de Vineis.

Qui autem inventi fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi ad mandatum eccleſiæ, juxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ, propriam innocentiam congrua purgatione monſtraverint : tanquam infames & banniti ab omnibus habeantur, ita quod ſi per annum permanſerint, ex tunc eos ſicut hæreticos condemnamus.

Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut poteſtates, & conſules, ſeu rectores, quibuſcumque fungantur officiis, pro defenſione fidei præſtent publicum juramentum, quod de terris ſuæ ditioni ſubjectis univerſos hæreticos ab eccleſia denotatos, bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt. Ita quod amodo quandocumque quis fuerit in perpetuam honeſtatem *, vel temporalem aſſumptus, hoc teneatur capitulum juramento firmare. Alioquin neque pro poteſtatibus, neque pro conſulibus, ſeu conſimilibus habeantur : eorumque ſententias ex tunc decernimus inutiles & inanes. Si vero dominus temporalis, requiſitus & monitus ab eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica pravitate : poſt annum a tempore monitionis elapſum, terram ipſius exponimus catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, abſque ulla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſervent, ſalvo jure dominii temporalis : dummodo ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat. Eadem nihilominus lege ſervata, contra eos qui non habent dominos principales. * poteſtatem

Credentes præterea, receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum bannimus. Statuentes, ut ſi poſtquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, ſatisfacere contemſerit infra annum, extunc ipſo jure ſit factus infamis, & ad publica officia, ſeu conſilia, vel ad aliquos eligendos hujuſmodi, nec ad teſtimonium admittatur. Sit etiam inteſtabilis, ut nec teſtamenti liberam habeat factionem, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat. Nullus ei præterea ſuper quocumque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur. Quod ſi judex extiterit, ejus ſententia nullam obtineat firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, ejus inſtrumenta confecta per manum ipſius nullius penitus ſint momenti. Adjicimus inſuper quod hæreticus per hæreticum convinci poſſit, & quod dominus Patarenorum,

re-

receptatorum, & defensorum, & fautorum, sive ubi docuerint, sive ubi aliis manus imposuerint, destruantur, nullo tempore * restituendæ.

Datum Paduæ XXII. Februarii, XII. Indict.

Rex Regum apostatantes a fide Catholica penitus execramur, insequimur ultionibus, bonis suis omnibus spoliamus. Et ut a professione vel vita naufragantes, legibus coarctamus. Successiones tollimus, ab eis omne jus legitimum abdicamus.

Datum Perusii, secundo Kal. Novemb. pontificatus nostri anno primo.

XV. AD S. LUDOVICUM FRANCORUM REGEM.

Hortatur ut libros Talmudicos cremari jubeat.

IMpia Judæorum perfidia, de quorum cordibus propter immensitatem suorum scelerum redemptor noster velamen non abstulit, sed in cœcitate, quæ contingit ex parte in Israel, adhuc manere permittit, prout convenit, non attendens, quod ex sola misericordia, pietas ipsos Christiana receptet, & cohabitationem illorum sustineat patienter, illa committit enormia, quæ stupori audientibus, & referentibus sunt horrori. Ipsi enim ingrati Domino Jesu Christo, qui conversionem eorum ex suæ longanimitatis affluentia patienter expectat, nullam prætendentes verecundiam culpæ suæ, nec reverentes honorem fidei Christianæ, omissis seu contemptis lege Mosaica & Prophetis, quasdam traditiones suorum seniorum sequuntur. Super quibus eos in evangelio Dominus objurgat dicens: *Quare vos transgredimini mandatum Dei, & irritum feciſtis propter traditiones vestras, hominum doctrinas & mandata docentes?*

In hujusmodi namque traditionibus (quæ Talmud Hebraice nuncupantur, & magnus liber est apud eos, excedens textum Bibliæ in immensum, in quo sunt blasphemiæ in Deum, & Christum ejus, ac beatam Virginem manifestæ, intricabiles fabulæ, abusiones erroneæ, ac stultitiæ inauditæ) filios suos docent, ac nutriunt, & a legis & prophetarum doctrina reddunt ipsos penitus alienos. Verentes ne veritate, quæ in eisdem lege ac Prophetis est, intellecta, aperte de unigenito Dei Filio venturo in carne, testimonium perhibente, convertantur ad fidem, & ad redemptorem suum humiliter revertantur.

Et his non contenti, faciunt Christianas filiorum suorum nutrices in contumeliam fidei Christianæ, cum quibus turpia multa committunt. Propter quæ fidelibus est verendum, ne Divinam indignationem incurrant, dum eos perpetrare patientur indigne, quæ fidei nostræ confusionem inducunt.

Et licet dilectus filius cancellarius Parisiensis, & doctores regentes Parisiis in sacra pagina, de mandato felicis recordationis Gregorii Papæ prædecessoris nostri, tam prædictum abusionis librum, quam alios quosdam cum omnibus glossis suis perlectis in potestate, ac examinatos, ad confusionem perfidiæ Judæorum, publice coram clero, & populo, incendio concremarint, prout in litteris eorum perspeximus contineri, quibus tu tanquam catholicus Rex & princeps Christianissimus impendisti super hoc auxilium congruum & favorem, pro quo regalem excellentiam dignis in Domino laudibus commendamus, ac prosequimur actionibus gratiarum: quia tamen nondum Judæorum ipsorum abusio profana quievit, nec adhuc dedit eis vexatio intellectum, celsitudinem regiam rogamus & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut qui excessus hujusmodi detestabiles & enormes, commissos in contumeliam creatoris, & injuriam nominis Christiani, pie incœpisti, laudabiliter prosequendo, facias debita severitate percelli. Et tam prædictos abusionis libros, reprobatos per doctores eosdem, quam generaliter omnes cum glossis suis, qui per ipsos examinati & reprobati fuerint, mandes per totum Regnum tuum, ubicumque reperiri poterunt, igne cremari.

Firmiter inhibendo, ne de cetero nutrices seu servientes habeant Christianos, ne filii liberæ filiis famulentur ancillæ. Sed tanquam servi reprobati a Domino, in cujus mortem nequiter conspirarunt, saltem per effectum operis, servos se recognoscant illorum, quos Christi mors & istos liberos, & illos constituit esse servos: ut proinde sinceritatis tuæ zelum possimus in Domino dignis laudibus commendare.

Datum Lateran. V. Idus Maji, anno primo.

XV. AD BLANCAM FRANCORUM REGINAM S. LUDOVICI MATREM.

Super profectione filiorum suorum in subsidium terræ sanctæ.

SOlicita valde, carissima filia, de tuis absentibus filiis turbaris nimium, intrinsecus pericula extrinseca cogitans, quibus proximo devote ac intrepide suas exposuere personas. Anxia quidem nimis tua mens, propter tot & tantorum natorum absentiam, nequit utique vel ad horam quietam habere quietem, quin quocumque se vertat quibuscumque agendis considerationis instantia incumbat, semper se convertat ad ipsos, & tamquam de processu & statu eorum pendula, de illis propensius meditetur. Materna quippe solicitudine pervigil, tremens amore tenero, sedula rememoratione suspirans, & avida expectatione languescens. Nam licet terræ marisque spatio interposito longe absis corpore, ipsis tamen proxime ades corde. Verum prudenter te attendere volumus, quod etsi eorumdem natorum discessus aliqua tibi materia turbationis existat: est & aliud quod causa consolationis non modica esse debet. Multo enim potes gaudio merito exultare quod ipsi recognoscentes humiliter magnifica Dei beneficia, quibus eos inter ceteros orbis principes specialiter exaltavit, & cupientes ei digne retribuere pro receptis: sic ad exequendum arduum ejus placitumque sibi negotium assurrexerunt magnanimiter & potenter, quod universos alios in hoc devotionis exercitio excellentes, principaliter in se pondus illius in vigore spiritus & robore corporis assumpserunt: propter quod omnium fidelium linguæ ipsorum laudem cum exultatione loquuntur, tuæ pariter bonitatis resonantes præconium, cum sic eos ab infantia in timore Domini erudieris, & amore, quod semper recta & salutaria diligentes, in ipsius fuerint beneplacitis continue delectati, quod terra sancta redemptoris rubricata sanguine, quæ inconio-

labiliter hactenus sub jugi jugo gemuit paganorum, sperat jam te * ipsorum natorum confisa succursu ad lætitiam surgere de lamentis. Hos namque veluti singulares athletas fidei Christianæ ardenti desiderio diutius expectavit, & quasi per ipsos a longævæ servitutis oppressionibus potissime relevanda, præsentiam appetit eorumdem. Non turberis itaque nec hæsites de ipsis, Christianissima filia, firma quoque semper confidens, & fiducia certa sperans quod idem redemptor qui suis dilectoribus præsto adest, eorum gressus prospere dirigens, prædictis natis suo totaliter servitio inhærentibus adsit propitius, ipsorum iter salutare disponens, ab adversis eorum eos clementer conservando, cum adversus ipsius adversarios agant fideliter ejus causam: quodque te ac ipsos eorumque posteros, grandium tuorum, ac natorum, eorumque intuitu meritorum, & in præsenti multiplicabit propagine sanguinis, ac sublimibus magnificabit honoribus, & in futuro inæstimabilibus dilatabit præmiis, & electorum suorum consortio congregabit. Confortare igitur & animo fortis esto, jactans tuum penitus in Domino cogitatum, de præfatis natis plus timoris quam expediat non habendo, & pro ipsis, ut eos cum suis idem Dominus ducat incolumes, cum alacritate ac prosperitate reducat, eodem certe negotio, quod illud, cooperante veritate, consummatione concludat optata, nec non & benedicto regno Franciæ ut ipsum in bono & tranquillo statu conservet, instes & insisti facias attentis & crebris supplicationibus apud eum. Nos enim circa hoc solicite vigilantes sibi pro iis devotarum orationum sacrificia incessanter offerimus, & ad ipsum fieri ab aliis diligenti studio procuramus. Ceterum quia de te mater ecclesia sicut de præcordiali filia & virtute præcipua gerit confidentiam pleniorem, cum in cunctis suis necessitatibus tuum sibi auxilium senserit favorabiliter affuisse: celsitudini tuæ ipsius ecclesiæ commendamus negotium, cum fiducia speciali, cujus promotionem plena voluntate novimus affectare. Ideoque serenitatem tuam rogamus, monemus & hortamur attente, quod illud pro Divina & B. Petri reverentia tuaque salute habens quamplurimum commendatum, ipsum consilio utili, opportuno favore, ac efficaci adjutorio persequaris: ita quod te semper eadem ecclesia sui honoris potiorem reperiat promotricem.

ANNO CHRISTI 1243. * *f.* ruorum.

ANNO CHRISTI 1243.

justitia, & dispositionis infallibilis rectitudo, permiserit in bello suo arcum fortium superari, perire arma bellica, & cedere alienigenis triumphum victoriæ Christianæ. Liceat, quæso, Domine Jesu, servorum tuorum servis, sciscitari pauliſper, quid tam aspere purgandum fuit in christo tuo, Christianissimo principum, tibi se suos & sua in tanto fervore fidei exponente? aut quid duxisti tam severe plectendum in devotissimo populorum populo, ducem suum tanta promptitudine in præceptorum tuorum laboribus subsequente? Ostende, clemens pater, ostende ne fidelium tuorum devotio ruat in scandalo, tibique cedant severius judicandi. Si punire voluisti zelo animadversionis congruæ peccatores; aut probare justorum patientiam, glorioſius coronandam. Si enim decreviſti eos ideo tanto tribulationis igne purgandos, ut fierent parato ipsis inenarrabilis mercedis, quæ merita supplicum & vota præcellit, præmio digniores: tibi laus, tibi actio gratiarum, qui per hoc dignatus es prærogare laborantibus fructum quem eis spes productior edidisset. Si autem punire tam acriter, sed temporaliter, voluisti tuorum vel ingratitudinem, vel peccatum, misericorditer cum illis dispensans ne perpetuo damnarentur: qui dixerit tuum hoc quantumlibet durum in hominibus iniquum esse judicium, qui terrenum habent & sordidum fundamentum, in coinquinatione inevitabili domos luteas habitantes, cum luna non sit munda in conspectu tuo, & in stellis repereris pravitatem. Intende, rex inclyte. Dei potentia Damietam Ægypti januam, quæ vix humanis laboribus obtineri multo tempore potuisset, miraculosa facilitate in manibus tuis dedit, in quo forte tibi, & iis quos tecum disposuit de hostium futura decipula eruendos, benigna miseratione providit, ut liberandis opportunum redemptionis præmium non deesset. Sed quis scit si quisquam congratulantium successibus, vel aliorum fidelium animus ex hoc in jactantiam erectus humanam, homini aliquatenus, & non totaliter nomini Domini gloriam arrogaret? Cessemus igitur a curiositate inquisitionis hujus quæ forsitan venia opus habet, & confiteamur in humilitate spirituum Domino Deo nostro, benedicentes nomen ipsius excellentissimæ potestatis, & cantemus ei in consolationis ubere, in gaudio spiritus, & dicamus quod omnia quæ feciſti nobis Domine, in vero judicio feciſti, qui vincis per incommutabilem tuæ justitiæ veritatem, cum a superbæ cæcitatis ignorantia de injustitia judicaris. Assume hinc quæsumus constantiam, fili, quin immo eam omni erga Deum pietate custodi, cum eam te habere credamus, sicut sublimem principem, & invictissimum regem decet, cui & a progenitoribus singularis & eximiæ claritatis, & ab institutione propria competit animus inclytus & erectus, quem serena celsius erigere nequeant, aut nubila inclinare, quot de tui pectoris firmitate subditi tui, & ceteri nihilo minus in quos commune Christianitatis cadit opprobrium, in animos suos ignei zeli possint haurire vigorem. Exigit siquidem in te regalis excellentia mentem quadam cœlestis habitus conformitate divinam, interritam periculis, inter adversa felicem, in tempestatibus placidam, omnia talia ut minora calcantem, & tanquam infirmiora ridentem. Talis itaque mens exiſtat extra jus ditionemque fortunæ, secunda temperans,

XVI. AD S. LUDOVICUM FRANCORUM REGEM,

Consolatur, cum captus esset ultra mare cum suis,

GUstasti plurimum, carissime fili, de amaritudinis calice, quem Christiano populo in siniſtra indignationis pavendum & mirandum dispositionis Divinæ mysterium propinavit, quem & nos tecum hausimus pleno haustu in dolore cordis, in angustia spiritus, in tribulatione mentis nimia, & in multo profluvio lacrymarum. Dolemus quidem, & utinam non inconsolabiliter, sed in infirmiorem hominem, tristissimum casum illum, qui crucis Christi vexilla ferentes humiliavit ante oculos hostium nominis Christiani. Sed anxiamur vehementius non audentes discutere consilii Divini majestatem, ex qua videlicet causa judicii ejus

rans, adversa comminuens, & aliis ponenda contemnens. Vulgus autem, cujus non est lucidum cum ratione discrimen, illum dumtaxat magnum & potentem existimat virum, qui plures in alios viros potest expendere facultates. Non, sed magnus est verius qui potest animo violentiores exterioris insultus impetus tolerare. Oportet itaque ut insuperabilis virtutis constantia vincas adversa, qui circumspectionis prudentia nosti prospera moderari: quia non magnum est in tranquillitate non concuti, ubi quivis constat intrepidus: sed illud magnificum est atque mirificum, ibi altius præeminere ubi ceteri deprimuntur, & ibi non dejici ubi alii consternantur: quia felicitas sufferetur facili animo, calamitas vero forti. Sed vis scire, clarissime regum? quos irruens adversitas frangit, non credimus tuam latere prudentiam illos esse præcipue, qui felicitati suæ, ac si nulli alterationi subjaceant, innituntur. Quid autem natura eorum a periculo mutationis eripit? non terram quæ præ ceteris sensibilibus perstat immota, non cælum a conditione corporeæ corruptionis exemptum, non hanc visibilium machinam, quæ quamvis Deo agente ducatur, non tamen semper hunc felicem sui cursus ordinem obtinebit, & ab illo eam aliquando dejiciet. Dies una ad exterminationem speciei, est in secreto præscientiæ Divinæ consilio assignata. Exulet igitur mœror omnis ab animo, & spera uberem de gravi tentatione proventum; cum quo quidem obveniet, quia quod acerbum fuit perpeti, adhuc erit retulisse jocundum: cum naturale sit, quemlibet mali sui fine gaudere. Fortis nempe vir in ipsis difficultatibus, succrescente sibi animo constitutus, & in arduam spem melioris sortis secuturæ subjectus, sine consolatore homine sibi blanditur, & dicit: Forsan & hæc olim meminisse juvabit. Sustinenda est igitur animoso pectoris objectu quævis adversitas: quia sicut pernicioſior est fugientibus hostis instantia, sic fugientes & adversos omne fortuitum incommodum magis premit. Porro si qua justi doloris est causa, illa forte videbitur in tam multo fidelium excidio attendenda, quorum ab impiis glorioſus fusus est sanguis in sacrificium Deo Patri super sanguinem unigeniti filii ejus, quem ei non impar hostilium manuum impietas immolavit. Sed quis super illis dolendum acriter censeat, qui ratione fidei suadente in meliorem per modica dispendia emissi sunt vitam? Lucidius quidem quam inter hæc humanæ labilitatis incommoda. Itaque tranquillius inter Divina mansuri. Nam etsi visi sunt oculis insipientium mori, illi autem pretioſæ in conspectu Domini mortis compendio sunt in pace, ubi non erit amplius neque luctus, neque clamor, nec etiam ullus dolor, quoniam priora velut in profundum oblivionis obruta transierunt. Desiisse quidem nobis ad tempus, non periisse, dolendi sunt, quorum vita interrupta est quodammodo non perempta, & cito qui venturus est veniet, ipsorum dies repositurus in lucem: propter quod æquanimiter ferendum est illos felicius redituros exisse. Non autem regali excellentiæ idcirco hæc duximus suggerenda, quia in tribulationibus per quas Dominus non ad reprobationis, sed ad probationis indicium, tuam voluit patientiam ad majus meritum experiri, credamus te regii animi magnificentiam non tenere: sed ut de præsenti exhortatione, qua penes te insistimus, valde necessariam nobis in amaritudine multa, quam ut deceret expurgare non possumus, consolationis alicujus dulcedinem capiamus: cum minor compatientem ex animo afflligat molestia, qui proprios dolores & gemitus communicant patienti. Rogamus denique serenitatem tuam, Christianissime rex, attente deposcimus, & per Deum obsecramus, quatenus terram Jerosolymitanam, quæ nunc præsertim sub tui nominis umbra respirat, respicias oculo pietatis: providens sicut expedire cognoveris, ne res tam cara totiens empta pretio, alienari valeat a cultu Christi Domini Dei tui, & cum periculo fidelium in exterorum redigi potestatem. Nos enim in hoc cooperatores tui esse volumus juxta posse: & prout nobis tuæ beneplacitum voluntatis innuerit, parati sumus quidquid defensioni ejusdem terræ opportunum judicaveris pro viribus persequi diligenter. Demum majestatis Divinæ clementiam imploramus, ut te in die tribulationis exaudiens mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te, carissime nobis in Domino fili, ac singularis propugnator fidei Christianæ. Ceterum dilecte fili . . . . . ad celsitudinem tuam duximus transmittendos, a quibus audire velis & attendere benignitatis tuæ clementia consuetum *, quæ per eos tibi proponenda providimus viva voce.

Datum Lugd. II. August. anno VIII.

XVII. AD ARCHIEPISCOPUM ROTOMAGENSEM.

Ut ipse & sui subditi orent pro rege Franciæ & suis captis per Saracenos.

PRopinatum nuper ab Oriente diræ amaritudinis calicem cum lacrymis haurientes, in amara nimis & tristia prorumpere cogimur, & potissimum quem graviter sentimus intrinsecus, insinuare dolorem: quia ubi mœstitudine tanta deprimimur, quo possumus sermonem lugubrem non proferre? licet forte hujus paginæ cursum præcurrentis famæ celerior gressus præcesserit, & jam rumore præloquente noveritis quid nostrarum lingua loquitur litterarum. Sæpe quidem illa orientalis regio absinthii poculo examaricavit ecclesiam, sæpe pavit ipsam esca fellis & duræ tribulationis punctura confodit: sed nunc ei amarissimam intulit potionem, nunc eam immensæ tristitiæ ferculo saturavit, & sui furoris gladio acerrime pupugit, quin immo ad ejus interiora usque pertinxit. Illato itaque adversitatis inopinatæ calici superfundimus ecclesiæ fletum, & potui tam acerbo uberem lacrymarum pluviam immiscemus. Liquet namque omnibus quod carissimus in Christo filius noster Franciæ rex illustris pro deliberatione terræ sanctæ, quam in contemptum Christi & fidelium ejus opprobrium occupatam detinent Agareni, crucis olim susceptæ signaculum, & cum copiosa comitum, baronum, nobilium, & aliorum multitudine, tanquam ultionis injuriarum Domini anxius illuc ferventi desiderio transfretavit, sub cujus studioso ducatu sic prospere ipsius terræ negotium dirigere cœpit Altissimus, quod Rex ipse civitatem Damietam in interitu sicut fertur Ægypti tanquam feram difficilem fortemque clavim multo robore stabilitam, quam dudum populus Christianus non absque magna sui sanguinis effusione obtinuit, & tan-

ANNO CHRISTI 1243.

tandem eventu siniſtro perdidit, mox ut ad ANNO CHRISTI 1243. ipſam applicuit Divino adjutorio profligatis exinde fidei hoſtibus conquiſivit. De quo ingenti concepto gaudio in laudis ſupernæ canticum ſurrexit eccleſia, & univerſi Chriſticolæ hujus communis lætitiæ participio pariter exultarunt, quia dragma quæ longo fuerat tempore perdita, cœleſti erat munere reinventa: & ovis quæ diu per deſertum gentilitatis erraverat, ad gregem revocata Dominicum jam cum aliis paſcuis ſalutaribus paſcebatur. Sed proh dolor! ceſſavit nunc tantum gaudium & in mœrorem nimium eſt converſum: ipſaquemet civitas, quæ grandis cauſam alacritatis attulerat, magni facta materia eſt lamenti. Nam cum poſtmodum idem Rex contra Soldanum Damaſci & Babyloniæ ſuo exercitu comitante proceſſerit, tandem claræ memoriæ R. comite Attrebatenſi germano Regis ejuſdem, & Magiſtro & fratribus dictum * militem templi Jeroſolimytani, ac aliis quam multis commilitonibus, validum cum Sarracenis committentibus bellum, & poſt non modicum Sarracenorum ipſorum excidium in bello ipſo, non abſque ſalutaris triumpho martyrii, paucis evadentibus intentatis, præfatus Rex cum exercitui conſtanter inſiſteret, furorem irruentium ſuſtinuit paganorum: qui ſic illico terræ ac fluminis tranſitus arctaverunt, quod idem exercitus defectum victualium patiebatur extremum, propter cujus intolerabilem tolerantiam, & præ ſuorum multitudine infirmorum vehementer obſtupuit, nec potuit non vereri, quoniam urgentibus undique incommodis premebatur. Cumq; mutuis congreſſibus fieret hinc inde ruina maxima pugnatorum, demum innumerabilitate hoſtium prævalente, Chriſtianæ militiæ agmina fere penitus corruere, dictuſque Rex cum his qui ſecum ſupererant, hoſtilium populorum circumſtantium vallo cinctus & coanguſtatus nimium, coactus eſt reſtituere ad ultimum Damietam, & eo poſtea ingreſſo navigium ad receſſum, nonnullos de ſuis qui in civitate ipſa in lectis ægritudinis decumbebant, & aliis qui navali caruere præſidio, indifferenter manus inimica peremit, non adfuit illis defenſionis brachium, nec pro eis locus refugii eſt inventus. Ah Domine Deus! ubi ſunt inclyti athletæ tui? ubi robuſti pugiles? ubi propugnatores electi, qui fide fulgentes, ferventes devotione, & experientia præcipui, ad tuum prælium contra tui blaſphemos nominis ſalvificæ crucis armis inſignibus ſe accinxerant præliandum. Ah Deus ubi eſt populus tuus egregius, gens illuſtris, & ſtrenua multitudo, qui pro te relictis ſuis omnibus tam longa terrarum & marium ſpatia tranſierunt contra fidei æmulos Chriſtianæ intrepide pugnaturi! Ah Domine quomodo viri belligeri ſic potuere a talibus debellari! quomodo fortes tui tam graviter in prælio ceciderunt! Ecce inebriatus eſt juſtorum ſanguine, ac ſaturatus eorum carnibus gladius impiorum, & turbam illam quam ejuſdem regis ardens devotio ad tuum tam acceptabile obſequium accenderat, voravit mucro feritatis Sarracenicæ fere totam. Madent agri tuorum effuſo pro te cruore fidelium, terra rutilantis eorum ſanguinis aſperſione coruſcat. Jacent tuorum corpora martyrum inhumata, in eſcam cœli volatilibus & terræ beſtiis derelicta. Heu quam funereus hic conflictus, qui tot & tantorum Chriſtianorum vitam debacchante in eos

* *f.* dictis militibus.

A infidelium mucrone finivit! heu quam dolenda ſtrages, in qua tantum tuorum occubuit collegium bellatorum. Sed nequaquam ambigimus, quin hi feliciter concluſerint dies ſuos, quin tu Domine pro quo dormitionem acceperunt, in vitam eos tranſtuleris abſque termino duraturam. Non mirum ergo ſi de tam adverſo ſucceſſu tota gemit eccleſia, cum vix ei caſus contingere gravior potuiſſet, propter quod exacerbatum eſt nimium cor ipſius, & ſuas præ anguſtia ſpiritus aſſiduis fletibus rigat genas, quia non ei dolor ſimilis ſicut iſte: plorat quippe multorum interitum filiorum, licet non exiſtimandi ſint illi mortui, ſed ad vitam renati potius meliorem. Suſpirat etiam B de omiſſione tot ſumptuum & laborum, qui ſic ſteriles abiere, cum ſit probroſe perditum quod per ipſos fuerat honorifice acquiſitum. Dure inſuper ingemiſcit de illorum jactura ethnicorum, qui forſan de hujuſmodi temporali jactura fidelium gloriantes inſultant ipſis, improperant dicendo: Ubi eſt Deus eorum? ubi eſt ipſorum adjutor, de cujus auxilio confidebant? Lugent etiam omnes eccleſiæ filii, ac in plateis & viis publicis voces communiter dant mœroris, nullius facies jocunda cernitur, unuſquiſque in terram oculos præ pudore declinat, alter cum altero condolet, & conceptam mæſtitiam mutua de tam flebili eventu relatione recenſent: vixque de ore alicujus, C verbum percipitur niſi triſte: nec eſt aliquis qui alium conſoletur. O fallax Oriens, quam ſerenus in principio illuxiſti regi Francorum illuſtri, & claro exercitui Chriſtiano! quam amicabilis eis in ingreſſu Ægypti, & quam favorabilis adfuiſti! Noviſſime autem quam torvum oſtendiſti te illis & turbidum, & quam inhumanum! ipſi quamquam contrarium te ſenſerunt! Venerant enim ut te quaſi deſertum incultum excolerent, & ſalutaribus plantariis conſitum, agro Dominico ſociarent: ſed illorum, væ tibi, conſortium repuliſti, viſitationis tuæ tempora non agnoſcens. O nimis infelix tenebrarum Ægypte, cur illum inclytum Deo carum virorum illuſtrium cœtum, D per quem tibi ad effugandam ingnorantiæ tuæ caliginem lumen claræ fidei effulſiſſet, a tua excluſiſti cohabitatione, ac tam exprobrabiliter devitaſti? quem profecto velut indicem viæ vitæ debueras libentius invitare, in hujus quidem propulſione repuliſti. Heu tibi! ſpreviſti & diſtuliſti Chriſtum filium unicum ſummi Patris. O dilecta Jeruſalem regis ſuperni civitas: quot ad te pro ſubventione tua miſit huc uſque mater eccleſia bellatores, quot hactenus crucis armavit ſignaculo, ut a diro te jugo eriperet ſervitutis, & quot in hoc obſequio captivati ſunt, mutilati, cæſi & aliis innumeris tribulationibus cruciati? Quot etiam in hujus perſecutione ſervitii vitæ ſuæ ſpatium finierunt? E O Jeruſalem, Jeruſalem, pro cujus liberatione occiſi ſunt innumeri ad te miſſi; quando ſperatam refundes jocunditatem eccleſiæ, cui tandiu acris triſtitiæ materiam infudiſti? O utinam ſuſcipiat aliquando eccleſia ipſa de tua optata recuperatione lætitiam, pro qua infinitas amaritudines jam guſtavit. Porro nec ex parte ipſius eccleſiæ, nec ex parte regia in præmiſſo negotio commiſſam fuiſſe credimus negligentiam vel defectum, cum & eadem eccleſia omnem quam potuit ad illius profectum diligentiam & ſolicitudinem adhibuerit, & grandia inſuper impendia miniſtrarit, & prædictus

ANNO CHRISTI 1243.

rex

rex sic ex animo negotium ipsum assumpserit, quod pro eo, suo pretioso, magnifico, & famoso regno relicto, ad partes illas cum fratribus suis, ceterisque ipsius regni magnatibus ardenti affectione processerit: quin immo propriis illud præferens commodis se ipsum & sua eidem totaliter deputavit. Unde aliqua forte peccata populi, Divinæ Majestatis oculos graviter offenderunt, propter quæ provocatus Dominus casum istum ad correctionem suorum, quos salvare desiderat, evenire permisit. Non enim odit quos corripit, nec salutem illorum negligit quos flagellat; quin immo eum percutit, quem diligit: tunc ostendit, quia filio quem diligit assidue parat virgam, nec restringit in ira misericordiam, nec cum indignatur, est immemor pietatis, si post illata verbera sentitur continuo propitius consolator. Quare sibi & in prosperis, & adversis gratiarum reddendæ sunt actiones, & benedicendum in omnibus nomen suum, ut in nullo eventu, nullo in tempore suorum lingua taceat laudem ejus: & sub ipsius potenti dextera humiliari debent magni communiter & pusilli, ut mereantur necessitatis tempore suæ clementiæ beneficio exaltari, quoniam hic est Dominus qui humiliat, & sublimat, qui mites benigne respicit, & de longe intuetur excelsos, qui vulnerat & medetur, & post tristitiam exultationem inducit. Quamobrem firmiter est sperandum, quod post hujusmodi percussionis dolorem consolationis opportunæ medelam misericorditer adhibebit. Verum quia perneceſſariæ sunt in iis deprecationes fidelium, cum devotæ orationes & crebro aures Divinæ pietatis inclinent, & ipsarum interventione illius propitiatio facilius impetretur: providimus fore apud Deum in hujusmodi necessitatis articulis attentis & sedulis supplicationibus insistendum, quoniam multum valent assidua justorum precamina penes ipsum: & si forte sit fœtore peccatorum offensus, orationum odore non abnuit complacari, sed cito devotis lenitur precibus, ubi culparum est enormitate commotus. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, mandantes quatenus hoc universale discrimen pia moderatione pensantes, erigatis toto affectu ad Dominum corda vestra, & in conspectu ejus orationes continuas effundatis, & faciatis per vestras civitates & diœceses a clero & populo generaliter supplicari, ut ecclesiam suam tanto consolari dispendio non retardet, & memorato Francorum regi, Christianissimo utique principi, liberum iter præbeat & securum, ipsumque cum suis omnibus a quolibet nocumento custodiat; & ad sui gloriam & totius Christianitatis honorem in incolumitate ac prosperitate præservet, sibique vires augeat, & corroboret contra paganicas nationes, & ad Jerosolymitanum negotium clementer prospiciat, eique celeriter subvenire dignetur, terram illam quam sua sanctificavit præsentia de infidelium manibus eruendo. Speramus etenim dictum negotium posse hujus precum subsidiis efficaciter adjuvari & non minus ipsum per hæc spiritualia quam per temporalia suffragia promoveri, quoniam orationes etsi non aperte, utilius tamen pugnant. Unde cum certabat legifer ille precibus, mox Israel in prælio superabat, & per illius occultum agonem manifestam ipse victoriam obtinebat. Ut autem hæc adjutoria frequentius & devotius præbeantur, præcipimus ut qualibet hebdomada sermonem admonitionis & exhortationis Christi fidelibus proponatis per vos vel per alios in vestris ecclesiis & in aliis earumdem civitatum & diœcesum, & per ipsarum prælatos vel rectores proponi similiter faciatis, ut super his effectuose ac sine intermissione Dominum deprecentur, & nihilo minus ad præfatæ terræ succursum eo celerius & fortius se studeant properare, quo festinantiori & potiori consilio & auxilio illa modo noscitur indigere, nec pro hac adversitate a tam pii, necessarii, & salubris negotii prosecutione torpescant: quin immo ex hujusmodi casu tanquam firmi & stabiles animo, quos tribulationis tentatio non evertit, exurgant ad illius subsidium fortiores, quia nihil grave, nihilque adversum debet ipsos retrahere tam digno & placito servitio Jesu Christi: mandatum nostrum taliter impleturi, quod præter grande præmium, quod exinde a domino consequemini, nostram & apostolicæ sedis gratiam obtineatis plenius, & favorem.

ANNO CHRISTI 1243.

XVIII. AD S. LUD. FRANC. REGEM.

Quod nemini licet regnum Franc. excommunicationi & interdicto subjicere.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio illustri regi Francorum salutem & apostolicam benedictionem.

APostolicæ sedis benignitas sincera obsequentium vota fidelium, favore benevolo prosequi consuevit, & illustrium virorum personas, quas in sua devotione promptas invenit & ferventes, quibuslibet titulis decentius decorare. Ut igitur ex devotione, quam ad nos & Romanam ecclesiam habere dinosceris, favorem apostolicum tibi sentias accrevisse: tuis devotis supplicationibus inclinati, authoritate tibi præsentium indulgemus, ut nullus in terram tuam excommunicationis vel interdicti sententiam proferat, absque mandato sedis apostolicæ speciali. Nos enim decrevimus irritum & inane, si quid contra præmissæ indulgentiæ nostræ tenorem contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani XVIII. Kal. Jan. pontificatus nostri anno I.

XIX. AD GALLIARUM PRÆLATOS.

NE CRUCE-SIGNATOS IN SUIS CRIMINIBUS defendant.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis decanis, archidiaconis, officialibus, & universis ecclesiarum prælatis per regnum Franciæ constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

EX parte carissimi in Christo filii nostri regis Franciæ illustris, fuit propositum coram nobis, quod nonnulli Cruce signati regni sui, cum deberent ab excessibus abstinere, propter libertatem ab eis indultam furta, homicidia, raptus mulierum, & alia perpetrant detestan-

testanda. Nolentes igitur, ut aliqui Cruce-signati occasione libertatis eis indultæ præsumant ad talia extendere manus suas: universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus Cruce-signatos eosdem in hujusmodi criminibus minime defendatis. ANNO CHRISTI 1243.

A Datum Lugduni VIII. Idus Novembris, pontificatus nostri anno IV. ANNO CHRISTI 1243.

Quatuor aliæ sunt ejusdem Innocentii epistolæ, infra, in concilio Lugdunensi.

ANNO CHRISTI 1242. ANNO CHRISTI 1242.

PERTHANUM IN SCOTIA CONCILIUM.

ANNO 1242. HABITUM.

Ex Wilkins t. I. pag. 684 Ex Manfi Suppl. to. II. pag. 1069.

DE eo concilio chronicon Paslatense sequentia habet: His etiam diebus omnes episcopi Scotiæ tenuerunt concilium apud Perth; & rex interfuit cum omnibus comitibus, & baronibus totius terræ suæ, vocatus ad instantiam cleri conquerentis de militaribus infestantibus eum de decimis & immunitatibus ecclesiæ. Intravit autem dominus rex concilium episcoporum, & præcepit, ne quis miles aut baro aliquam injuriam, molestiam, aut gravamen contra sacrosanctæ ecclesiæ consuetudinem eis inferret; statutis super hoc pœnis ultricibus. Sedente rege cum suis baronibus in illo concilio seorsim apud se, conquesti sunt comites de combustione comitis Atholiæ: & rex avisatus, quia nihil voluit de arduis emergentibus sine matura deliberatione & discussione judicii facere, assignavit eis certos diem & locum apud Forfar, ubi eis Willielmus Bisset responderet.

OTTONIS PALATINI COMITIS RENI

Sanctio pro Cleri immuni jure servando.

An. 1243. Ex Meichelberk Hist. Frisc. to. 2. P. 1. pag. 27.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Cum libertas sit rebus omnibus favorabilior, unum justum est bellum, quod pro sua suorumque vel patriæ libertate tuenda quis sustinet, & quod intervertenda libertatis suæ, vel eorum, quorum servitus ad dolorem vel injuriamque nostram porrigitur, metu fit vel promittitur, ratum non habet prætor, sed irritum: & e contrario mortalitate comperta sit servitus, qui clericos persecuntur & opprimunt, & angariando velut in servos redigunt, quid aliud quam clerum extinguere fidemque catholicam, quæ per illum subsistit, cujus illi sunt gubernatores & anchora, radicitus extirpare, & funditus evertere moliuntur? Porro clericorum libertas, & ecclesiarum emunitas a Deo primum & principaliter, secundario & consequenter ab imperio sequente Deum, & a cunctis catholicis retro principibus concessa clericis & ipsis ecclesiis, & infinitis auctoritate Romanorum pontificum, quam sæcularium principum confirmata privilegiis, interdum exigentibus aliquorum clericorum excessibus, interdum sola laicorum malitia faciente in tantum conculcata succubuit, & fere prorsus evanuit, adeo, ut inter Divinum publicumque jus & privata commoda nihil videatur differentiæ remansisse, cum in angariis & perangariis æquales sint hodie sicut populus, sic Sacerdos. Proinde nos Otto Dei gratia palatinus, comes locus confusus. B Reni, & Dux Sawariæ, quia clericorum servitus ad dolorem nostrum pertinet, cum patres nostri sint, quibus prius & potius quam carnalibus, si æqualiter indigeant, subvenire charitas ordinata nos ammonet, imo præcipit, orthodoxæ fidei zelo succensi pro remissione peccaminum nostrorum & dilectæ consortis nostræ Agnetis, & bonæ memoriæ patris nostri Ludovici, & pro salute filiorum nostrorum, clericis plenam libertatem restituimus, & concedimus, promittentes bona fide nos de cætero clericis & ecclesiis, præsertim canonicis cathedralis ecclesiæ, & cæterarum conventualium ecclesiarum servaturos omnem libertatem, omnem emunitatem, omnia jura, C omnia privilegia, quæ eis a canonibus, & a fidelibus principibus sunt concessa. Et licet jus nostrum, si quod ad nos a nostris majoribus, vel consuetudo, vel alius traduxit titulus, facultates nostras non minimum augmentasse quibusdam visum fuerit; promittimus tamen, quod deinceps a clericis, vel ecclesiis, aut possessionibus earumdem nihil exigemus, nec a nostris exigi permittemus indebitum: nihil extorquebimus, non mittemus servos vel milites, vel venatores induendos: non exigemus equos, non albergariam, nisi quod commode potuit & sponte velit nos secundum suum beneplacitum honorare. Non capiemus clericos, nec capi faciemus, imo injuriose capientes pro D nostri officii debito puniemus, & honorem & protectionem clericis, prout potuerimus, impendemus. Excitavit autem nos ad hoc faciendum & promittendum amor & dilectio charissimi patris & domini nostri Cunradi Frisingensis episcopi, qui post multas guerras, & graves discordias nobiscum ad pacem rediit; promittens etiam ipse, quod suis clericis erit propitius, & nihil ab eis exiget, nisi cathedraticum, scilicet viginti quatuor denarios usualis monetæ, & quicquid canones permittunt. Ut hæc mutua cleri defensio sit pignus & memoriale perpetuum pacis & fœderis inter nos divinitus reformati, testes hujus facti sunt. Uto præpositus major. Eberhardus decanus, magister Marquardus de Padua, Præpositus Maticensis, Heinricus Præpositus Monasterienſis, Swikerus Notarius, Magister Dietricus Scolasticus Ilmiinstrensis de clericis. De Laicis vero Fr. junior de Truhending., H. de Neifen, Comes Ch. de Mosburge, Al. de Preising, Syfridus de Urawenhoven, S. de Fraunberch., S. dictus Asinus & alii quam plures. Dat. per manum Ul. Not. nostri apud Landeshut, Anno Domini MCCXLV. Kal. Septemb. E

ANNO CHRISTI 1244. 45.

CONCILIUM WITSLARIENSE

Anno 1244.

1244. odem. DE hoc concilio ista legas apud Menkenium in chronico Sanpetrino Erfurtensi Rerum Germ. to. III. pag. 260. *Anno MCCXLIV. Moguntinus, ut Erphordenses adhuc durius arceret, in octava Epiphaniæ omnem clerum cum religiosis civitatem exire compulit, qui postea insequenti proxima Dominica Lætare in villa Wimaria cleri ac populi conventum statuens, Fridericum imperatorem cum Erphordensibus denunciavit, ac post hoc III. Calend. Junii in Vritslaria concilium faciens eadem confirmavit.*

ANNO CHRISTI 1244.

CONCILIUM (1) TARRACONENSE.

præside petro albalatio

Archiepiscopo, celebratum anno Domini MCCXLIV.

ard. de re Con- Hispan. 3. pag. ANno 1244. pridie Idus Januarias, Petrus Archiepiscopus Tarraconensis Concilium celebravit apud Tarraconem, cui interfuere, Pontius Episcopus Dertusensis, R. Ilerdensis, Vincentius Cæsaraugustanus, Petrus Pampilonensis Petrus Barcinonensis, & procuratores absentium In eo statutum est imprimis, ut constitutiones Concilii Lateranensis, & Concilii Ilerdensis a Joanne Cardinale coacti, quæ in desuetudinem abierant, observarentur inviolabiliter. Excommunicati sunt omnes conspiratores, & colligationes illicitas facientes in clero, ac præterea invasores, raptores, & deprædatores personarum, & rerum Ecclesiasticarum. *Baluzius lib. 4. Marcæ Hispanicæ.*

ANNO CHRISTI 1245.

CONCILIUM OTHONIENSE

in Dania

Coilartii nd. ad XI. Adversus bonorum ecclesiasticorum prædatores, & contemptores cæremoniarum, anno MCCXLV. celebratum.

Authorem habemus hujus coacti concilii Joannem Isacium Pontanum, Danicæ historiæ lib. VII. cujus hæc sunt verba, ad annum MCCXLV. Per idem, *inquit*, tempus, Uffo archiepiscopus Lundensis, synodum contraxit Othoniæ apud Fionios, cui præter ceteros interfuere episcopi ac suffraganei ejusdem, Gunarus Viburgensis, Nicolaus Stigothus Roschildensis, Petrus Arhusiensis, Gunarus Ripensis, Joannes Burglavensis, Eschillus Slesvicensis, cum Petro coadjutore, & Ivaro episcopo Othoniensi. Miserat & nuncium suum Joannem Placentinum pontifex. Hic decreto sancitum, aut repetitum potius, quod Leo olim adversus ecclesiæ prædatores promulgaverat, eos anathematis reos haberi, sicut & illos quibus ecclesiasticæ ceremoniæ contemptui essent. Visumque tum etiam, ut idem pontificis decretum festis omnibus diebus Danice recitaretur: ac publice simul diris devoverentur, cujuscumque status aut conditionis essent, qui rei istius facinoris convincerentur. Simile huic est decretum Gregorii IX. quod is anno octavo pontificatus sui Perusiæ in gratiam earumdem ecclesiarum evulgavit. Et volunt quidam notatos hisce edictis ipsos etiam principes, Ericum præsertim, ejusque fratrem Abelem, quod, dum illi mutuis inter se odiis flagrant, multa præter fas & æquum, cum ab ipsis, tum a milite ipsorum, in ædes & ædificia sacra sint perpetrata, collationes quoque & onera ecclesiasticis eorumque ministris imposita. Quæ cum ægre ferrent, nec mutare possent episcopi, pontificum tandem opem ab ipsis imploratam. Et constat, celebrata superiori synodo Nicolaum Stigotum Roschildensem episcopum, oborta inter ipsum & regem simultate, e Dania ad Norvagios secessisse, & inde conscensa navi in Gallias Claravallam abiisse, ubi quadriennio circiter post in fata concessit.

G. C. Quo sit anni tempore celebrata hæc synodus, Pontanus non indicat: Joannes vero Meursius, qui Danicam historiam post eum scripsit, cum eadem omnia de synodo commemorat, tum illud addit, vere novo celebratam esse. Locus igitur illi ante Lugdunense concilium tribuendus.

CON-

(1) Hujus concilii decreta ex Martene Thesauro Anecdot. Tom. 4. dabimus in tomo sequenti cum Concilio Tarraconensi anni 1329.

ANNO CHRISTI 1245

ANNO CHRISTI 1245.

CONCILIUM LUGDUNENSE I.

GENERALE

AB INNOCENTIO IV. CELEBRATUM.

HISTORIA CONCILII.

QUONIAM singularis Friderici II. Romanorum imperatoris insolentia Innocentium quartum pontificem maximum præcipue ad convocandum Lugdunense concilium incitavit: res ipsa postulat, ut simultates, quas ipse Fridericus cum hoc pontifice & cum aliis gessit, & belli acerbissimi, quod eisdem intulit, initia & causas breviter explicemus. Hic igitur Fridericus, Henrici quinti filius, & Friderici I. nepos, maximis est a sede apostolica beneficiis affectus. Puer enim parentibus orbatus, in tutela fuerat Innocentii tertii: ejusdemque pontificis opera ad ejus dignitatis gradum ascenderat, pulsoque Ottone quarto imperator fuerat designatus. Cui non modo parem gratiam non retulit, sed etiam ecclesiam Romanam multos annos divexavit; & arma, quæ voto obstrictus pro salute communi contra Saracenos capere debuit, magno Christianorum omnium detrimento ingrato animo atque impio contra ipsos pontifices cepit. Et quamquam principio tamdiu Innocentio tertio & reliquis pontificibus obsecutus est, quamdiu id suis rationibus conducere putavit: tamen ubi mortuo Innocentio insignia imperatoris ab Honorio tertio adeptus est, statim cum illo graves inimicitias suscepit. Cum enim & ecclesiarum jurisdictiones, & bona usurparet, & a clericis & ecclesiis tributa exigeret, ac sæpe ab Honorio pontifice, ut ab incœpto desisteret, admonitus resipiscere nollet, ab eodem Honorio fidelium communione privatus est: quam sententiam Gregorius quoque nonus, qui in Honorii locum successerat, confirmavit. Et licet aliquando in gratiam cum Gregorio IX. pontifice maximo imperator rediisset, & ab eo monitus fuisset, ut votum quo tenebatur persolveret, regnumque Hierosolymitanum, quod in summo discrimine, expugnata jam a Saracenis Hierosolyma, eo tempore versabatur, in pristinum statum restitueret: ipse adeo ab hac expeditione refugit, ut eam ob causam in omnium fere Christianorum, præsertim vero Gregorii pontificis offensionem incurrerit. Attulit præterea maximam molestiam eidem pontifici Fridericus. Cum enim ipsius regnum quibusdam pontificis urbibus & oppidis finitimum esset, multa quæ ad sedem apostolicam pertinebant, ausus est occupare, & militum præsidio munire. Qua injuria commotus pontifex vim vi repellere coactus est, & ecclesiæ patrimonium, ne in potestatem Friderici veniret, armis tueri. Et quamvis longo tandem intervallo conscripto exercitu imperator in Syriam sit profectus: tamen, cum nullo commisso prælio, statim cum Ægypti rege, qui Syriam oppressam tenebat, pacem fecisset, & verbo tantum ex pacto Hierosolymam recepisset, non solum pontificis animum non placavit, verum etiam exulceravit vehementius. Itaque Fridericus apertas inimicitias cum Gregorio gessit, bellumque illi tam acerbum intulit, ut magnam Piceni & Latii partem in suam redegerit potestatem: Romaque obsessa, si quos interdum cives in obsidione caperet, crudeliter trucidaret. Cum autem Guelphorum & Gibellinorum factiones eodem tempore ad Italiæ perniciem erupissent; omnesque fere civitates in contrarias partes distraherentur, civesque ipsi, quasi furiis quibusdam agitati, alii alios in exilium pellerent, fortunisque spoliarent: Fridericus, cujus erat flammam nascentem opprimere, illam potius auxit, sibique Gibellinis adjunctis, Guelphos, qui pontificis defensionem susceperant, bello statim aggressus est. His igitur malis ut mederetur Gregorius, hominisque superbi furore atque amentia cæci, qui neque cum Saracenis umquam bellum gerere, neque cum Christianis pacem firmam habere voluisset, aut omnino, aut aliqua certe ex parte nefarios conatus reprimeret: concilium generale convocavit, Romamque tum episcopos, tum alios patres venire jussit. At cum multi ex Gallia & Hispania dicto audientes Romam navigarent, Genuensiumque triremibus veherentur, in Friderici classem inciderunt, victisque Genuensibus capti sunt episcopi & cardinales, & ad ipsum imperatorem perducti. Gravem hunc episcoporum casum ita ægre tulit vir optimus Gregorius, ut præ animi dolore e vita paucis diebus excesserit, cum quatuordecim annos, menses quinque, summa æquitate & prudentia ecclesiam administrasset, maximosque labores ejus causa pertulisset. Successit Gregorio Cœlestinus quartus, qui cum statim de vita migrasset, cardinales vix post viginti menses Innocentium quartum, virum doctrina & virtute præstantem pontificem maximum delegerunt. Hic pontifex statim cum Friderico de pace egit; hominesque gravissimos ad illum misit, qui æquissimas ei pacis conditiones proponerent & postularent, ut patres, qui in pugna navali capti fuerant, ut sæpe promiserat, liberos dimitteret. His pontificis cohortationibus cum Fridericus obtemperare nollet, nullaque amplius conciliandæ pacis reliqua spes esset: Innocentius, ut hominis temeritatem reprimeret, atque aliis ecclesiæ commodis consuleret, Gregorii consilium secutus, synodum statim coegit. Verumtamen quia difficile erat patres Romam venire propter bella

& se-

Joannes Villanus lib. 5. hist. c. 18. Idem libro 5. c. 36.

Vincentius Belvacensis lib. 30. c. 129. & Joannes Villanus lib. 6. c. 15. & sequentibus. Vincentius lib. 30. cap. 138. Matthæus Paris. hist. in Henrico III. & Joannes Villanus loco citato.

Vincentii l. 30. c. & l. 31 c. 1. Villan l. 6. c. 2 & seque bus & a

& seditiones quæ longe lateque diffusæ totam jam Italiam occuparant, se ipse pontifex in Galliam contulit : Lugdunumque urbem clarissimam habendo concilio delegit. Fridericus igitur ad dicendam causam evocatus non venit : misit tamen legatos, in primisque Thadæum quemdam eloquentem virum & eruditum, qui advocati officio fungeretur, dilueretque crimina, de quibus ipse postulabatur. Hic Thadæus ita obiit munus suum, ut & Imperatorem acerrime defenderet, & accusatoribus multa objiceret, illorumque rationes & argumenta refutaret. Sed tandem in ultima actione, causa cognita, diligenterque perspecta, Innocentius de sententia synodi Imperatorem damnavit : eumque e piorum communione ejectum, imperii dignitate & Siciliæ regno privavit.

Præter hanc Imperatoris causam, fuerunt item ab Innocentio alia negotia maximi momenti ad synodum relata. Cum enim omnes pontifices de Christianis, qui Syriam incolebant, essent eo tempore soliciti, in illisque tuendis & confirmandis, repellendisque Saracenis, assiduam curam & diligentiam adhiberent, cumque tunc magnus esset necessario mittendus exercitus, ne regio illa in potestatem Saracenorum iterum perveniret : Innocentius, ne officio suo deesset, omnes ad hanc expeditionem cohortatus est.

Præterea eodem tempore ardebat bello Græcia. Balduinum, qui primus ex Latinis Constantinopolitanus imperator fuit, quidam Græci principes iniquo animo in Græcia dominari patiebantur, qui non solum ab imperatore defecerant, verum etiam & ipsi Balduino, & aliis qui postea rerum potiti sunt, bellum acerrimum ac diuturnum intulerant, & modo aperto Marte, modo insidiis & dolo, ita eos vexabant, ut tandem imperator qui eo tempore Constantinopoli regnabat, de suo statu amplissimo fere dejectus, vix nomen imperatoris & majestatem obtineret. Hoc igitur negotium ad ecclesiam magnopere pertinere Innocentius existimabat. Cernebat enim animo, si Græci Latinos expellerent, periculum esse, ne tota statim Græcia ad pristinam consuetudinem moremque relaberetur, & a Romana ecclesia dissideret.

Egressi item fuerant paulo ante Tartari, qui olim Scythæ Asiatici nominabantur, extra regiones quas incolebant, & multas Asiæ provincias depopulati, tandem Europæ bellum intulerant : magnæque illius parti incredibiles calamitates importarant : & in primis Pannoniæ inferiori, quæ nunc Hungaria dicitur, quam cæde & incendiis vastatam, in suam redegerant potestatem. Occurrebant itaque uno eodemque tempore res magnæ & vehementer arduæ, quæ sine generali concilio vix pro dignitate poterant explicari. Illud etiam accedebat, quod superiores pontifices ad convocanda concilia commovit : mores enim hominum longe a majorum disciplina deflexerant, quotidieque in vitia graviora dilabebantur. Quare optabat pontifex ut ecclesia pristinum illum, qui hisce moribus obsoleverat, dignitatis splendorem recuperaret. Hæc autem cura tantopere illum solicitabat, ut cum reliquæ causæ essent gravissimæ, de hac tamen primo loco in concilio verba fecerit : & quamquam hæc omnia sunt ad synodum delata ; tamen præcipue in omnibus actionibus actum est de causa Friderici imperatoris, & ad exitum perducta.

Fuit autem habitum hoc concilium in templo maximo Lugduni, anno a Christo nato millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Innocentii quarti anno secundo. Convenerunt multi cardinales, episcopi centum quadraginta, abbatesque complures. Accesserunt multi viri clarissimi, & præter ceteros Constantinopolitanus imperator : qui prope pontificem consedit. Interfuit patriarcha Constantinopolitanus, & Antiochenus. Paris. ubi supra.

Absolutum fuit hoc concilium brevi temporis spatio. Prima enim actio habita est quarto Kalendas Julii, secunda octo post diebus, & paulo post tertia, eademque postrema. In his actionibus præter negotium Friderici, in tertia actione de tuendo regno Hierosolymitano eadem innovata sunt, quæ ab Innocentio tertio in generali concilio statuta fuerant. Demum de mittendo imperatori Constantinopolino subsidio, & de Tartarorum impetu, ferociaque comprimenda nonnulla constituta. Illud præterea sancitum fuit, ut dies natalis beatæ Mariæ virginis, Deique matris, octo dierum spatio celebraretur. Alia item decreta edita sunt, quæ majori ex parte in manuscripto Innocentii regesto continentur, & in hanc generalium conciliorum editionem conjiciuntur.

EPISTOLÆ
INNOCENTII PAPÆ IV.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

DEI virtus & Dei sapientia Dominus Jesus Christus, cujus ineffabili subjecta sunt omnia majestati, a fundationis initio splendore virtutum suam illustravit ecclesiam : & sic insignem reddidit singularis privilegio potestatis, ut per ejus ministerium, suum justitia consequatur effectum, & sedato guerrarum turbine, mundo possit tranquillitas provenire. Hujus enim præeminentiam dignitatis dum nos reverenter attendimus, qui regimini generalis ecclesiæ licet immeriti Divina providentia præsidemus, reddimur corde soliciti ; quod tempestatis horror, qua ipsa turbatur ecclesia, & religio Christiana concutitur, per nostræ provisionis auxilium cœlesti pietate propitia propulsetur. Hinc est quod nos, ut ipsa ecclesia per fidelium salubre consilium & auxilium fructuosum, status debiti possit habere decorem, & deplorando terræ sanctæ discrimini, & afflicto Romano imperio, propere valeat subveniri hac inveniri remedium contra Tartaros, & alios contemptores fidei, ac persecutores populi Christiani, nec non pro negotio, quod inter ecclesiam & principem vertitur, reges terræ, prælatos ecclesiarum, ac alios mundi principes duximus advocandos. Rogamus itaque fraternitatem tuam, & hortamur attente, præcipiendo mandantes, quatenus ad præsentiam nostram, omni prorsus * occasione postposita, usque ad proximum festum sancti Joannis Baptistæ personaliter venire procures ; ut ipsa ecclesia ex tuæ visitationis honore spirituale gaudium, & ex tua industria consilium percipiat profuturum ; sciturus quod nos dictum principem in prædicatione nostra citavimus, ut per se vel suos nuncios in concilio celebrando compareat res- * excusatione

ponsurus, nobis & aliis qui aliquid contra ipsum proponendum duxerint, satisfactionem idoneam præstiturus. De personarum autem & evectionum moderato numero illam, cum veneris, providentiam habeas, quod tuæ nimis onerosus ecclesiæ non existas. Ceterum volumus & mandamus, ut suffraganeis tuis, quod eodem termino pro his ad præsentiam nostram accedant, eorum vero capitulis, quod mittant providos nuncios & fideles, qui vice ipsorum utile nobis consilium largiantur, auctoritate nostra præcipere non postponas.

Datum Lugduni tertio Nonas Januarii, anno secundo.

CAPITULO SENONENSI.

DEi virtus, *& cetera usque*, festum sancti Joannis Baptistæ providos & fideles nuncios destinetis: ut ipsa ecclesia ex hujusmodi visitationis honore spirituale gaudium, ac ex illorum industria, *& cetera*, *ut in alia usque ad*, præstiturus.

Datum, *&c. ut in proxima*.

ILLUSTRI REGI FRANCIÆ.

DEi virtus, *& cetera usque ad*, advocandos. Rogamus itaque serenitatem tuam, & hortamur attente, quatenus ad præsentiam nostram, *& cetera usque ad*, proximum festum S. Joannis Baptistæ mittas providos nuncios & fideles, *&c. usque ad*, præstiturus. Hujusmodi autem nostrum desiderium sic, fili benedictionis, adimpleas, ut nos in te gaudentes zelatorem honoris ecclesiæ reperisse, quæ secundum Deum in futurum tibi grata senserimus, paternis affectibus prosequamur.

Datum, *ut supra in proxima*.

EPISCOPO OSTIENSI.

PRo magnis & arduis negotiis, quæ incumbunt ecclesiæ, tuam & aliorum fratrum nostrorum absentium habere præsentiam, nos & fratres nostri jugiter affectamus: maxime cum multum honoris & commodi possit eidem ecclesiæ per industriæ vestræ consilium provenire. Cum itaque nos de ipsorum fratrum consilio concilium duxerimus advocandum: proximo festo beati Joannis Baptistæ super hoc termino assignato, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus te ad iter nostram adeundi præsentiam præparare studeas, ut si forte ita cito, sicut in desiderio nostro vertitur, venire non possis, saltem ad nos, Deo duce, in termino pervenias memorato.

Datum Lugduni secundo Kalendas Februarii anno secundo.

In eodem modo S. tituli sanctæ Mariæ trans Tiberim presbytero cardinali.

In eodem modo R. sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali.

In eodem modo R. sancti Angeli diacono cardinali.

BREVIS NOTA EORUM

QUÆ IN PRIMO CONCILIO LUGDUNENSI

generali gesta sunt.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

Anno ejusdem millesimo ducentesimo quadragesimoquinto.

CUm dominus Innocentius papa quartus ad partes Galliæ propter multa pericula quæ imminebant generali ecclesiæ se transtulisset, concilium advocavit apud Lugdunum: & in vigilia Petri apostoli concilio convocato in majori ecclesia, dominus papa, Missa celebrata, locum eminentiorem ascendit: imperator vero Constantinopolitanus sedit ad dexteram, & quidam alii principes laici sederunt ad sinistram, & diaconus cardinalis vicecancellarius magister Martinus Neapolitanus cum notariis, auditore, & correctore, capellanis, subdiaconis, & quibusdam aliis: inferius vero sic prælati sederunt. Ex opposito tres patriarchæ ordinati fuerunt, videlicet Constantinopolitanus ad dexteram, Antiochenus, Aquilejensis tertio; de quo scandalum est exortum, ex eo quod, ut alii patriarchæ dicebant, sedere non debebat juxta eos, cum non esset de quatuor patriarchis, & destructa est sedes ejus. * Et tandem, ut vitaretur scandalum, de voluntate domini papæ, ut creditur, est refecta. In navi vero ecclesiæ ad dexteram, & in eminentioribus locis sederunt episcopi cardinales, ex altera vero presbyteri cardinales, archiepiscopi, & episcopi post eos: in sedibus autem constitutis in navi ecclesiæ sederunt aliqui de episcopis, abbates, procuratores capitulorum, nuncii regum, & imperatoris Friderici, & multi alii erant ibi. Tunc dominus papa incœpit. Veni Creator Spiritus: & illo hymno communiter ab omnibus decantato, dixit: Dominus vobiscum: & responderunt omnes: Et cum Spiritu tuo. Oremus. Ægidius cardinalis dixit: Flectamus genua. Octavianus respondit: Levate: & sic dixit dominus papa propriam orationem: qua dicta, (a) Galeatius capellanus incœpit litanias. Quibus expletis dominus papa dixit: Oremus, cum oratione de Spiritu sancto, Deus qui corda fidelium: nec dixit Dominus vobiscum. Quibus peractis incœpit prædicare de auctoritate prophetiæ: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes*, &c. incipiens, quod multiplex erat dolor suus, quia quinque dolores circumdederant eum. Primus erat de difformitate prælatorum & subditorum. Secundus erat de insolentia Saracenorum. Tertius de schismate Græcorum. Quartus de sævitia Tartarorum. Quintus de persecutione Friderici imperatoris. *Psal. 93.*

Rediens ad primum articulum de difformitate prælatorum & subditorum, quia non erant tales quales consueverant, & debebant esse, & de eorum excessibus multa dixit. Postea de insolentia Saracenorum, referens rumores de iis quæ tunc acciderant ultra mare, quando Jerusalem occupaverant, & everterant sepulcrum Domini, & cetera sacra loca de partibus illis, & Chri-

* *Forte*, & tamen. *H.*

(a) *Galitianus*. Damus variantes ex MS. Cod. 275. Regii ac Majoris Collegii S. Clementis Hispanorum Bononiæ.

ANNO CHRISTI 1245. Battacius

& Christianos interfecerant infinitos, & quæ cumque ibi per eos fuerant perpetrata. Tertio de schismate Græcorum, quomodo * Vicarius imperator Græcorum cum Græcis schismaticis occupaverunt & destruxerant (*a*) fere usque ad Constantinopolim, & de civitate timeri poterat, nisi a Christianis velocem succursum haberent. Quarto de sævitia Tartarorum, quomodo terram Christianorum intraverant, & Hungariam occupaverant, non parcentes, quin omnes interficerent, sexui vel ætati. Quinto de persecutione dicti imperatoris, quomodo persequebatur ecclesiam, & suum prædecessorem Gregorium fuerat persecutus: & in litteris, quas dictus imperator per mundum mittebat, referebat publice quod non persequebatur ecclesiam, sed (*b*) personam: quod verum non fuerat, prout manifestissime apparebat, quia in vacatione ecclesiæ eam persequi non cessavit. Immo tunc clerum & ecclesiam magis afflixit. Et postquam de afflictione plurima dixit, fecit legi quoddam privilegium aurea bulla munitum ab eodem imperatore, cum esset rex, Honorio prædecessori suo concessum: in quo inter alia potissimum habebatur, quomodo eidem juramentum fidelitatis præstiterat, tanquam vassallus suo domino, & quoddam aliud privilegium, in quo ipse fatebatur, quod regnum Siciliæ & Apuliæ erat speciale patrimonium beati Petri, & illud ab ecclesia tenebat in feudum, & concedebat ac (*c*) quitabat si aliquod jus habuisset in electionibus ecclesiarum regni prædicti, & faciebat eadem ecclesias liberas, francas, & immunes ab omni præstatione. Item fecit legi plura alia privilegia aurea bulla munita, ecclesiæ, dum esset rex, & postea imperator, concessa, in quibus habebatur, quod ipse quitabat, donabat, & concedebat, & confirmabat totam terram a castro Radicofani, usque ad castrum Ceprani, marchiam Anconitanam, ducatum Spoleti, exarchatum Ravennæ, Pentapolim, comitatum (*d*) Romandiolæ, & terram comitissæ Mathildis: & multa alia erant ibi. Quibus dictis judex Thadæus, unus de nunciis imperatoris, surrexit, & fere respondit ad singula quæ dixerat dominus papa, & mirabiliter videbatur imperatorem excusare: & asseruit multa quæ fecisse & procurasse dicebat ecclesiam contra eum, & ostendit (*e*) ibi plurima (*f*) ex contentis litterarum, & multis responsio ejus fuit grata. Sed dominus papa respondit ad singula bene, ac si prævidisset, se & ecclesiam excusando. Et sic illius diei sessio fuit terminata.

Secunda sessio fuit (*g*) ad octo dies postea, & quoad sessionem & officia idem factum fuit quod & in prima. Quibus peractis, surrexit episcopus (*h*) Calmensis, Cisterciensis ordinis de Apulia, qui exul erat, & mirabiliter descripsit vitam malam, & ignominiosam, & progressum dicti imperatoris a pueritia sua, & quæ erat sua intentio, quia ad hoc intendebat præcipue, ut prælati & clerus ad illam reverterentur paupertatem, in qua fuerant tempore ecclesiæ primitivæ: quod maxime patebat per litteras, quas per mundum contra ecclesiam & clerum transmittebat. Postmodum surrexit archiepiscopus de Hispania, qui multum dominum papam animavit ad procedendum contra imperatorem, referendo plurima quæ contra ecclesiam fecerat, & quomodo tota sua fuit intentio ut deprimeret ecclesiam juxta posse, promittens quod ipse & alii prælati Hispaniæ, qui multum magnifice & generaliter (*i*) plusquam aliqua alia natio ad concilium venerant; domino papæ assisterent in personis & in rebus, juxta suæ voluntatis beneplacitum. Hæc eadem promiserunt plures alii in synodo prælatorum. Tunc surrexit prædictus judex Thadæus, & multa gravia proposuit contra dictum episcopum (*k*) Calmensem, quod non zelo justitiæ, sed ex malevolentia, ex eo quod ipsum & suos pro manifestis excessibus punierat, talia contra imperatorem proponere curavit, & sic in prædicta sessione nihil aliud factum fuit. Veruntamen dictus judex Thadæus supplicabat instanter ut prorogaretur tertia sessio, pro eo quod imperatorem expectabat, prout ipse per certos habebat nuncios, ac ipse ad eum plures alios, qui in civitate Taurinensi fuerant, miserat, quod iter arripuerat ad concilium veniendi. Et quia dictus papa hæc quamplurimum affectabat, ut posset inter eos pacis fœdera reformare, usque ad diem Lunæ, post octavam sessionis secundæ, quæ fuerat in die Mercurii, contra multorum prælatorum voluntatem prorogavit tertiam sessionem. Quod non fuit sine tædio multorum prælatorum, & aliorum Templariorum & Hospitalariorum, qui multos armatos ad custodiam domini papæ & concilii (*l*) studuerant destinare, & propter pressuram hominum, & dubitationem quæ in ipsa civitate, quæ custodiebatur per armatos plurimos die ac nocte, fortiter assistebat. Et quia pro certo, domino papæ constitit quod ipse non veniebat, nec cum mandato sollemniter facto aliquos principes destinabat, dicta die Lunæ constituit tertiam sessionem, & peractis officiis, ut in prima, post multa dicta hincinde & audita, antequam (*m*) ad festum accederetur nativitatis beatæ Mariæ virginis gloriosæ, ordinavit octavam, sacro concilio approbante. Deinde dominus papa quasdam constitutiones, quæ pro recuperatione terræ sanctæ, ac aliis, quæ pro subsidiis Romani imperii, & etiam alias quæ contra Tartaros factæ fuerant, fecit legi.

Item postmodum dominus papa dixit, quod omnia privilegia, quæ Romanæ ecclesiæ a principibus mundi tam ab imperatoribus quam a regibus concessa fuerant, (*n*) eidem exemplari fecerit, & in eis apponi fecit omnium qui aderant prælatorum sigilla, & volebat quod vigorem haberent, sicut ipsa originalia quæ ibi lecta erant. Tunc surrexerunt nuncii regis Angliæ pro authenticatione quorundam privilegiorum concessorum a rege Angliæ ipsi ecclesiæ, quæ asserebant facta præter consilium principum terræ, licet privilegiis illis contrarium diceretur adfuturum pontificem, & quibusdam constitutionibus quæ pro subsibio fiendo ecclesiæ (*o*) factæ fuerunt. Tunc surrexit judex Thadæus, percipiens quod jam securis erat posita ad radicem pro multorum privilegiorum authenticatione: & si contra dictum imperatorem vellet procedere, (*p*) appellaret ad futurum summum

ANNO CHRISTI 1245.

(*a*) addit *terram* (*b*) *sed papam* (*c*) *quietabat* & sic ubique (*d*) *Brinenoxi*, Romandiolæ &c. (*e*) *super his* (*f*) plurima *paria* (*g*) fuit *die Mercurii* ad &c. (*h*) *Calinensis* (*i*) *meliusquam* (*k*) *Calimensem* (*l*) *jussi* studuerant (*m*) *ad sententiæ prolationem accederet nativitati beatæ* &c. (*n*) *eadem exemplari fecerat* (*o*) fuerunt, *appellarunt* (*p*) *appellabat ad futurum generale concilium*.

ANNO CHRISTI 1245.

mum pontificem, & concilium generale, Ad quæ dominus papa respondit humiliter & benigne, quod illud erat concilium generale, quia tam principes sæculares quam (*a*) clerici ad illud fuerant invitati; sed omnes qui in jurisdictione imperatoris fuerant, ad illud eos accedere non permisit, propter quod appellationem non admittebat eamdem. Et statim incæpit recitare quantum eum dilexerat antequam esset in papam assumptus, & quantum sibi (*b*) dimiserat postmodum, & etiam postquam fuerat concilium ordinatum, eum semper verbis mirabiliter honorando, ita quod vix credebatur ab aliquibus quod aliquam deberet (*c*) ferri facere sententiam contra eum: & statim incæpit omnia promere ore tenus, & ferre sententiam contra eum, privans ipsum omni honore & imperio, & aliis regnis suis: & postmodum sententia in scriptis in ipsa synodo lecta fuit. Qua lecta dominus papa surrexit, & incæpit, Te Deum laudamus: quo hymno decantato; per omnes fuit concilium dissolutum.

Quæ sequuntur adjeci ex eodem MS.

Sed est diligenter attendendum, quod Papa in illis diebus consilium petierat singulariter a Prælatis, utrum posset vel deberet procedere per ea, quæ manifesta fuerant contra eum; & quantum ad dispositionem ejus omnes concordarunt, & statim ipsi sententiæ, quæ scripta erat sigillum cujuslibet faciebat apponi ita quod in prolatione sententiæ circa centum & quinquaginta sigilla ipsi sententiæ fuerant apposita.

SENTENTIA CONTRA FRIDERICUM IMPERATOREM AB INNOCENTIO PAPA IV. IN CONCILIO LATA.

Sacro præsente concilio, ad rei memoriam sempiternam.

AD apostolicæ dignitatis apicem, licet indigni, dignatione Divinæ majestatis assumpti, omnium Christianorum curam vigili sedulaque solertia gerere, ac intimæ considerationis oculo singulorum discernere merita, & providæ deliberationis statera librare debemus: ut quos justi vigor examinis dignos ostenderit, congruis attollamus favoribus, quos autem reos, pœnis debitis deprimamus; appendentes semper meritum & præmium æqua lance, retribuendo cuique, juxta qualitatem operis, pœnæ vel gratiæ quantitatem. Sane cum dira guerrarum commotio nonnullas professionis Christianæ provincias diutius afflixisset, nos toto cupientes affectu mentis tranquillitatem & pacem ecclesiæ sanctæ Dei ac generaliter cuncto populo Christiano restituere ac reducere, ad præcipuum principem sæcularem, hujus dissensionis & tribulationis auctorem, a felicis recordationis Gregorio papa prædecessore nostro pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales nuncios magnæ auctoritatis viros, videlicet venerabilem fratrem nostrum P. Albanensem, tunc Rothomagensem archiepiscopum, & C. Sabinensem tunc, quondam Mutinensem, episcopos, ac dilectum filium nostrum Guillelmum basilicæ duodecim apostolorum presbyterum cardinalem, tunc abbatem sancti Facundi, qui salutem zelabantur ipsius, duximus destinandos; facientes sibi proponi per ipsos, quod nos & fratres nostri, quantum in nobis erat, pacem per omnia secum habere, necnon cum omnibus hominibus, optabamus, parati sibi pacem & tranquillitatem dare, ac mundo etiam universo. Et quia prælatorum, clericorum, omniumque aliorum, quos detinebat captivos, & omnium tam clericorum quam laicorum quos ceperat in galeis restitutio poterat esse pacis plurimum inductiva, eum, ut illos restitueret, cum hoc idem tam ipse, quam sui nuncii, antequam ad apostolatus vocati essemus officium, promisissent, rogari & peti ab ipso fecimus per eosdem, ac proponi insuper, quod iidem parati erant pro nobis audire, & tractare pacem, ac etiam audire satisfactionem quam facere vellet princeps de omnibus, pro quibus vinculo erat excommunicationis astrictus, & offerri præterea, quod si ecclesia eum in aliquo contra debitum læserat, (quod non credebat) parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare. Et si diceret ipse quod in nullo contra justitiam læserat ecclesiam, vel quod nos eum contra justitiam læsissemus, parati eramus vocare reges, prælatos, & principes tam ecclesiasticos quam sæculares, ad aliquem tutum locum, ubi per se vel solemnes nuncios convenirent; eratque parata ecclesia de consilio concilii sibi satisfacere, si eum læsisset in aliquo, ac revocare sententiam, si quam contra ipsum injuste tulisset, & cum omni mansuetudine ac misericordia, quantum cum Deo & honore suo fieri poterat, recipere de injuriis & offensis ipsi ecclesiæ suisque per eum irrogatis satisfactionem ab ipso. Volebat etiam ecclesia omnes amicos suos sibique adhærentes in pace ponere, plenaque securitate gaudere; ut nunquam hac occasione posset aliquod subire discrimen. Sed licet sic apud eum pro pace paternis monitis & precum instistere curaverimus lenitate: idem tamen Pharaonis imitatus duritiam, & obturans more aspidis aures suas, hujusmodi preces & monita elata obstinatione ac obstinata elatione despexit. Et licet processu temporis in die cœnæ Domini proxima nuper præterita, præcedente coram nobis & fratribus nostris cardinalibus præsentibus carissimo in Christo filio nostro Constantinopolitano imperatore illustri, cœtu quoque non modico prælatorum, senatoribus populi Romani, & maxima multitudine aliorum, qui eodem die propter solemnitatem ipsius de diversis mundi partibus ad apostolicam sedem convenerant, quod staret nostris & ecclesiæ mandatis per nobilem virum comitem Tolosanum, ac magistro P. de Vinea, & T. de Suessa curiæ suæ judices, & nuncios, & procuratores suos, speciale super hoc ab ipso mandatum habentes, præstiterit juramentum: postmodum tamen quod juraverat non implevit; quinimmo ea intentione ipsum præstitisse juramentum probabiliter creditur, sicut ex factis sequentibus colligitur evidenter: ut eidem ecclesiæ ac nobis illuderet potius quam pareret: cum anno & amplius jam

ANNO CHRISTI 1245.

(*a*) *Ecclesiastici* (*b*) *detulerat* (*c*) *ferre sententiam*.

jam elapso, nec ad ipsius ecclesiæ gremium revocari potuerit, nec sibi de illatis ei damnis & injuriis curaverit satisfacere, licet super hoc extiterit requisitus. Propter quod non valentes absque gravi Christi offensa ejus iniquitates amplius tolerare, cogimur urgente nos conscientia juste animadvertere in eumdem. Et ut ad præsens de ceteris ejus sceleribus taceamus, quatuor gravissima, quæ nulla possunt celari tergiversatione, commisit. Dejeravit enim multoties, pacem quondam inter ecclesiam & imperium reformatam temere violando. Perpetravit etiam sacrilegium, capi faciens cardinales sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac aliarum ecclesiarum prælatos & clericos religiosos & sæculares venientes ad concilium, quod idem prædecessor noster duxerat convocandum. De hæresi quoque non dubiis & levibus, sed evidentibus argumentis suspectus habetur: plura siquidem eum commisisse perjuria satis patet. Nam olim cum in Siciliæ partibus morabatur, priusquam esset ad imperii dignitatem electus, coram bonæ memoriæ * C. sancti Theodori diacono cardinali, apostolicæ sedis legato, felicis recordationis Innocentio papæ prædecessori nostro, & successoribus ejus, ecclesiæque Romanæ, pro concessione regni Siciliæ ab eadem ecclesia sibi facta, fidelitatis præstitit juramentum: &, sicut dicitur, illud idem, postquam ad eamdem dignitatem electus extitit, & venit ad Urbem, coram eodem Innocentio, suisque fratribus cardinalibus, & aliis multis præsentibus, ligium * hominium in ejus faciens manibus innovavit. Deinde cum in Alemannia esset eidem I. & ipso defuncto bonæ memoriæ Honorio papæ prædecessori nostro, & ejus successoribus, ac ipsi ecclesiæ Romanæ, præsentibus imperii principibus atque nobilibus, juravit, honores, jura, & possessiones Romanæ ecclesiæ pro posse suo servare, ac protegere bona fide, & quod quæcumque ad manus suas devenirent, sine difficultate restituere procuraret, nominatis & expresse dictis possessionibus in hujusmodi juramento, quod postmodum confirmavit, coronam imperii jam adeptus. Sed horum trium juramentorum temerarius extitit violator non sine proditionis nota, & læsæ crimine majestatis. Nam contra præfatum prædecessorem G. & fratres suos comminatorias litteras eisdem fratribus destinare, ac dictum G. apud fratres ipsos, sicut apparet per litteras ab eo tunc directas eisdem, & etiam, prout fertur, per universum fere orbem terrarum multipliciter diffamare præsumpsit, ac venerabilem fratrem nostrum O. Portuensem, tunc sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, & bonæ memoriæ I. Prænestinum, episcopos, apostolicæ sedis legatos, nobilia & magnæ Romanæ ecclesiæ membra, personaliter capi fecit, & bonis omnibus spoliatos, ac per diversa loca non semel ignominiose deductos, carceribus mancipari. Privilegium insuper, quod beato Petro & successoribus ejus in ipso tradidit Dominus Jesus Christus, videlicet, *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, in quo utique auctoritas & potestas ecclesiæ Romanæ consistit, pro viribus diminuere, vel ipsi ecclesiæ auferre satagit: scribens se præfati G. sententias non vereri, latam ab eo excommunicationem in ipsum, non solum, contemptis ecclesiæ clavibus, non servando, verum etiam per se ac officiales suos & illam & alias excommunicationis vel interdicti sententias, quas idem omnino contempsit, cogendo alios non servare. Possessiones quoque præfatæ Romanæ ecclesiæ, videlicet Marchiam, Ducatum, Beneventum, cujus muros & turres dirui fecit, ac alias, quas in Tusciæ & Lombardiæ partibus, & quibusdam aliis obtinebat locis, paucis exceptis, occupare non metuens, eas adhuc detinet occupatas. Et tanquam ei non sufficeret, quod manifeste contra juramenta præmissa, præsumendo talia, veniebat, per se vel suos officiales earumdem possessionum homines dejerare compulit: ipsos a juramentis fidelitatis, quibus Romanæ tenebantur ecclesiæ, de facto, cum de jure non posset, absolvens, & faciens eosdem fidelitatem nihilo minus abjurare prædictam, sibique fidelitatis hujusmodi juramenta præstare. Pacis vero ipsum violatorem existere plane constat, quia cum olim tempore pacis inter ipsum & ecclesiam reformatæ jurasset coram bonæ memoriæ I. de Abbatisvilla episcopo Sabinensi, & magistro Th. tituli sanctæ Sabinæ presbytero cardinali, præsentibus multis prælatis, principibus, & baronibus, quod staret & pareret præcise absque ulla contradictione omnibus mandatis ecclesiæ, super iis pro quibus erat vinculo excommunicationis adstrictus, causis excommunicationis ejusdem expressis, per ordinem coram eo, tunc omnibus Teutonicis hominibus regni Siciliæ, ac quibuslibet aliis, qui ecclesiæ contra ipsum adhæserant omnem remittens offensam, & pœnam; & quod nullo tempore offenderet, vel offendi faceret ipsos, pro eo quod ecclesiæ astiterant, præstari in anima sua per comitem Acerrarum faciens juramentum, postmodum pacem & juramentum hujusmodi, nequaquam erubescens * irretiri perjuriis, non servavit. Nonnullos enim ex ipsis hominibus, tam nobiles, quam alios, postea capi & incarcerari fecit, & eis bonis suis omnibus spoliatis, uxores eorum & filios captivari, ac insuper terras ecclesiæ contra promissionem, quam eidem T. Sabinensi episcopo & Thomaso cardinali fecerat, irreverenter invasit, licet ipsi ex tunc in eum præsentem, si ullo modo prædictis articulis aut conditionibus contraveniret, excommunicationis sententiam promulgarent. Et cum iidem apostolica ei auctoritate mandassent, ut nec per se nec per alium impediret quin postulationes, electiones, & confirmationes ecclesiarum & monasteriorum in regno præfato libere de cetero fierent, secundum statutum concilii generalis, & quod nullas deinceps in eodem regno viris ecclesiasticis ac rebus eorum imponeret tallias, vel collectas, quodque nullus ibidem clericus, vel persona ecclesiastica de cetero in civili vel criminali causa conveniretur coram judice sæculari, nisi super feudis quæstio civiliter haberetur, ac Templariis, Hospitalariis, & aliis personis ecclesiasticis de damnis & injuriis irrogatis eisdem satisfaceret competenter, ipse mandatum hujusmodi adimplere contempsit. Liquet namque undecim aut plures archiepiscopales, & multas episcopales sedes, abbatias quoque, ac alias ecclesias, ad præsens vacare in regno prædicto, easque, procurante ipso, sicut aperte patet, fuisse diutius prælatorum regimine destitutas, in grave ipsarum præjudicium & periculum animarum. Et licet forte in aliquibus ejusdem regni ecclesiis electiones sint a capitulis cele-

ANNO CHRISTI 1245.

G. — bonæ memoriæ * C. sancti Theodori diacono cardinali

agium. — ligium * hominium

b. 16. — Matth. 16.

* irritare, *vel* irretire.

ANNO CHRISTI 1245.

celebratæ; quia tamen per illa ejusdem familiares clerici sunt electi, probabili potest argumento concludi, quod facultatem non habuerunt liberam eligendi. Ecclesiarum autem ipsius regni non solum facultates & bona fecit, prout voluit, occupari: sed etiam cruces, thuribula, calices, & alios sacros earum thesauros, & pannos sericos, velut cultus Divini contemptor, auferri, licet, ut dicitur, ipsis ecclesiis, exacto tamen prius pro eis certo pretio, in parte fuerint restituti. Clerici quippe collectis & talliis multipliciter affliguntur, non solum trahuntur ad judicium sæculare, sed, ut asseritur, coguntur subire duella, incarcerantur, occiduntur: & patibulis cruciantur, in confusionem & opprobrium ordinis clericalis: præfatis autem Templariis, Hospitalariis, & personis ecclesiasticis, non est de damnis illatis eisdem & injuriis satisfactum. Eum quoque certum est fore sacrilegii patratorem. Nam cum præfati Portuensis & Prænestinus episcopi, & complures ecclesiarum prælati, & clerici tam religiosi quam sæculares, ad apostolicam sedem pro celebrando concilio, quod prius ipse petiverat, convocati per mare venirent, viis terræ ipsis de mandato ejus omnino præclusis, idem destinato Ensio filio suo cum multitudine galearum, & per alios complures longe ante serie præparatos in partibus Tusciæ maritimis insidiis positis contra eos, ut gravius posset virus vomere præconceptum, ipsos ausu sacrilego capi fecit, quibusdam prælatorum ipsorum, & aliis in hujusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemptis, & aliquibus hostili insecutione fugatis, reliquis autem bonis spoliatis omnibus, & de loco ad locum in regnum Siciliæ opprobriose deductis, ac ibidem diris, carceribus mancipatis, quorum aliqui macerati squaloribus & inedia pressi, miserabiliter defecerunt.

Merito insuper contra eum de hæretica pravitate suspicio est exorta, cum postquam excommunicationis sententiam a præfatis I. episcopo Sabinensi, & T. cardinalibus prolatam incurrerit, & dictus G. papa ipsum anathematis vinculo innodavit, ac post ecclesiæ Romanæ cardinalium, prælatorum & clericorum, ac aliorum etiam diversis * temporibus ad sedem apostolicam venientium captionem claves ecclesiæ contempserit, & contemnat, * sibi faciens celebrari, vel potius, quantum in eo est, profanari Divina: & constanter asseruit, ut superius est narratum, se præfati G. papæ sententias excommunicationis non vereri. Præterea conjunctus amicitia detestabili Saracenis, nuncios & munera pluries destinaverit eisdem, & ab eis vicissim cum honorificentia & hilaritate receperit, ipsorumque ritus amplectitur, illos in quotidianis ejus obsequiis notabiliter secum tenens. Eorumdem etiam more uxoribus quas habuit de stirpe regia descendentibus, eunuchos Capuæ, quos, ut dicitur, serio castrari fecerat, non erubuit deputare custodes, & , quod execrabilius est, olim existens in partibus transmarinis, facta compositione quadam, immo collusione verius, cum Soldano, Machometi nomen in templo Domini diebus & noctibus publice proclamari permisit, & nuper nuncios Soldani Babyloniæ, postquam idem Soldanus terræ sanctæ ac Christianis habitatoribus ejus per se ac suos damna gravissima & inæstimabiles injurias irrogarat, facit per regnum Siciliæ cum laudibus ad ejusdem Soldani extollentiam, &, sicut fertur, honorifice susci-

* partibus

* ibi

ANNO CHRISTI 1245.

pi, & magnifice procurari. Aliorum quoque infidelium pernicios & horrendis obsequiis contra fideles abutens, & illis qui damnabiliter vilipendentes apostolicam sedem, ab unitate ecclesiæ discesserunt, procurans affinitate ac amicitia copulari, claræ memoriæ ducem Bavariæ, specialem ecclesiæ Romanæ devotum, fecit, sicut pro certo asseritur, Christiana religione despecta per assassinos occidi, & Batatio Dei & ecclesiæ inimico a communione fidelium per excommunicationis sententiam cum adjutoribus, consiliatoribus, & fautoribus suis, solemniter separato, filiam suam tradidit in uxorem. Catholicorum vero principum actus & mores respuens, neglector salutis & famæ, pietatis operibus non intendit: quinnimo, ut de suis nefariis dissolutionibus sileamus, cum didicerit tantum opprimere, non curat oppressos misericorditer relevare, manu ejus, ut decet principem Christianum, ad eleemosynas inextenta, cum destructioni ecclesiarum institerit, religiosas ac alias ecclesiasticas jugi attriverit afflictione & persecutione personas, nec ecclesias, nec monasteria, nec alia pia loca cernitur construxisse. Nonne igitur hæc non levia, sed efficacia sunt argumenta de suspicione hæresis contra eum, cum hæreticorum vocabulo illos jus civile contineri asserat, & latis adversus eos sententiis debere succumbere, qui vel levi argumento a judicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare? Præter hæc, regnum Siciliæ quod est speciale patrimonium beati Petri, & idem princeps ab apostolica sede tenebat in feudum, jam ad tantam in clericis & laicis exinanitionem servitutemque redegit, quod eis pene penitus nihil habentibus, & omnibus exinde probis fere ejectis, illos qui remanserunt ibidem sub servili quasi conditione vivere, ac Romanam ecclesiam, cujus principaliter sunt homines & vassalli, offendere multipliciter & hostiliter impugnare compellit. Posset etiam merito reprehendi, quod squisatorum annuam pensionem, in qua pro eodem regno ipsi ecclesiæ Romanæ tenetur, per novem annos & amplius solvere prætermisit. Nos itaque super præmissis & compluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum fratribus nostris & sacro concilio deliberatione præhabita diligenti, cum Jesu Christi vices licet immeriti teneamus in terris, nobisque in beati Petri apostoli persona sit dictum: *Quodcumque ligaveris super terram, &c.* memoratum principem, qui se imperio & regnis omnique honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates a Deo ne regnet vel imperet est abjectus, suis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore & dignitate privatum a Domino ostendimus, denunciamus, ac nihilo minus sententiando privamus; omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, a juramento hujusmodi perpetuo absolventes: auctoritate apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cetero sibi tanquam imperatori vel regi pareat vel intendat, & decernendo quoslibet, qui deinceps ei velut imperatori aut regi consilium vel auxilium præstiterint seu favorem, ipso facto excommunicationis vinculo subjacere. Illi autem ad quos in eodem imperio imperatoris spectat electio, eligant libere successorem. De præfato vero

Sici-

Siciliæ regno providere curabimus, cum eorumdem fratrum noſtrorum conſilio, ſicut viderimus expedire. A

Datum Lugduni decimoſexto Kalendas Auguſti, anno tertio.

INSTITUTIONES FACTÆ IN CONCILIO GENERALI apud Lugdunum.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De reſcriptis.*
2. *De eodem.*
3. *De electione & electi poteſtate.*
4. *De officio & poteſtate judicis delegati.*
5. *De judiciis.*
6. *De litis conteſtatione.*
7. *De dolo & contumacia.*
8. *De reſcriptis.*
9. *De eo qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ.*
10. *De confeſſis.*
11. *De appellationibus & recuſationibus.*
12. *De ſententia excommunicationis.*
13. *De uſuris.*
14. *De ſubſidio imperii Conſtantinopolitani.*
15. *Admonitio prælatorum ad populum ſibi commiſſum.*
16. *De Tartaris.*
17. *Super Gruciata.*

CAPITULA

I. De reſcriptis.

CUM in multis juris articulis infinitas reprobetur, * proinde duximus ſtatuendum, ut per illam generalem clauſulam, Quidam alii, quæ frequenter in noſtris litteris inſeritur, ultra tres vel quatuor in judicium non trahantur; quorum nomina in primo citatorio exprimat impetrator, ne fraudi locus forſitan relinquatur, ſi circa ea poſſit libere variare. B C D

II. De eodem.

Præſenti decreto duximus ſtatuendum, ne a ſede apoſtolica, vel delegatis ipſius cauſæ aliquibus committantur, niſi perſonis, quæ vel dignitate ſint præditæ, vel in eccleſiis cathedralibus, ſeu aliis collegiatis honorabilibus conſtitutæ, nec alibi quam in civitatibus, vel locis magnis & inſignibus, ubi haberi valeat juris copia * peritorum, cauſæ hujuſmodi agitentur. Judicibus vero, qui contra hoc ſtatutum ad alia loca alterutram partium citaverint vel utramque, non pareatur impune: niſi citatio de communi utriuſque partis præceſſerit voluntate. E

III. De electione & electi poteſtate.

ANNO CHRISTI 1245.

In electionibus & poſtulationibus, ac ſcrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa, & incerta penitus reprobamus: ſtatuentes, ut hujuſmodi votis pro non adjectis habitis, ex puris conſenſibus celebretur electio, voce illorum, qui non pure conſenſerint, ea vice in alios recidente. De elect. in 6.

IV. De officio & poteſtate judicis delegati

Statuimus ut conſervatores, quos plerumque concedimus, a manifeſtis injuriis & violentiis defendere poſſint quos eis committimus defendendos, nec ad alia quæ judicialem indaginem exigunt, ſuam valeant extendere poteſtatem. De off. & por. jud. deleg. in 6.

V. De judiciis.

Juris eſſe ambiguum non videtur, judicem delegatum (qui a ſede apoſtolica ad hoc mandatum non receperit ſpeciale) jubere non poſſe alterutram partium coram ſe perſonaliter in judicio comparere: niſi cauſa fuerit criminalis, vel niſi pro veritate dicenda, vel juramento calumniæ faciendo, juris neceſſitas partes coram eo perſonaliter exegerit præſentari. De jud. in 6

VI. De litis conteſtatione.

Exceptionis peremptoriæ, ſeu defenſionis cujuslibet principalis cognitionem negotii continentis ante litem conteſtatam objectus, niſi de re judicata vel tranſacta ſeu finita excipiat litigator, litis conteſtationem non impediat, nec retardet, licet dicat objector non fuiſſe reſcriptum obtentum, ſi, quæ ſunt impetranti oppoſita, fuiſſent expoſita deleganti.

VII. De dolo & contumacia.

Actor, qui venire ad terminum ad quem citari adverſarium fecerat, non curavit, venienti reo in expenſis propter hoc factis legitime condemnetur; ad citationem aliam, niſi ſufficienter caverit quod in termino fideliter compareat, minime admittendus.

VIII. De reſcriptis.

Diſpendia litium æquitatis compendio volentes qua poſſumus induſtria coar-

ANNO CHRISTI 1245.

coarctare, ſtatutum felicis recordatio- A
nis * Innocentii papæ III. ſuper hoc
editum ampliantes, decrevimus ut ſi
quis contra alium plures perſonales vo-
luerit movere quæſtiones, non ad di-
verſos judices, ſed eoſdem, ſuper omni-
bus hujuſmodi quæſtionibus litteras ſtu-
deat impetrare. Qui vero contrarium
fecerit, omni commodo careat litterа-
rum, nec proceſſus valeat habitus,
per eaſdem alias reo, ſi eum per ipſas
fatigaverit, in expenſis legitimis con-
demnandus. Reus quoque, ſi eodem
durante judicio actorem ſibi obnoxium B
dixerit reconventionis beneficio, vel
conventionis, ſi litteras contra eum
impetrare maluerit, de jure ſuo debet
apud eoſdem judices experiri, niſi ut
eos ſuſpectos poterat recuſare, ſimili
pœna, ſi contra fecerit, puniendus.

* Gregorii papæ IX. prædeceſſoris noſtri.

IX. De eo qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ.

Eum qui ſuper dignitate, perſona-
tu, vel beneficio eccleſiaſtico obtinen-
dis, cum aliquo litigat poſſeſſore, ob C
partis adverſæ contumaciam cauſa rei
ſervandæ: in ipſorum poſſeſſionem ſta-
tuimus non mittendum, ne per hoc
ad ea ingreſſus patere valeat vitioſus:
ſed liceat in hoc caſu contumacis ab-
ſentiam Divina replente præſentia,
etiam lite non conteſtata, diligenter
examinato negotio, ipſum fine debito
terminare.

X. De confeſſis.

Statuimus, ut poſitiones negativas, D
quæ probari non poſſunt niſi per con-
feſſionem adverſarii, judices admittere
poſſint, ſi, æquitate ſuadente, viderint
expedire.

XI. De appellationibus & recuſationibus.

Legitima ſuſpicionis cauſa contra ju-
dicem aſſignata, & arbitris a partibus
ſecundum formam juris electis, qui de
ipſa cognoſcant, ſæpe contingit, quod
ipſis in idem convenire nolentibus, E
nec tertium advocantibus, cum quo
ambo, vel alter ipſorum procedant
ad deciſionem ipſius negotii, ut tenen-
tur, judex proferat excommunicatio-
nis ſententiam contra eos, quam ipſi
tum propter odium, tum propter fa-
vorem partium, diutius vilipendunt.
Quare cauſa ipſa plus debito prorога-
ta, non proceditur ad cognitionem ne-
gotii principalis. Volentes igitur mor-
bo hujuſmodi neceſſariam adhibere me-
delam, ſtatuimus, ut ipſis arbitris per
judicem terminus competens præfiga-
tur; infra quem in idem conveniant,
vel tertium concorditer advocent, cum
quo ambo, vel alter ipſorum, ejuſdem
ſuſpicionis negotium terminare procu-
rent. Alioquin judex extunc in prin-
cipali negotio procedere non omittat.

ANNO CHRISTI 1245.

XII. De ſententia excommunicationis.

Statuimus, ut nullus judicum parti-
cipantes cum excommunicatis ab eo in
locutione, & aliis, quibus ligatur par-
ticipans excommunicatione minori, an-
te commonitionem canonicam, excom-
municare majori excommunicatione præ-
ſumat: ſalvis conſtitutionibus contra il-
los legitime promulgatis, qui in crimi-
ne præſumunt participare damnato.
Quod ſi ex locutione, & aliis, quibus
participans labitur in minorem, ex-
communicatus fortius indureſcat: pote-
rit judex poſt commonitionem canoni-
cam hujuſmodi participantes conſimili
damnare cenſura. Aliter autem in par-
ticipantes excommunicatio prolata non
teneat, & proferentes pœnam legiti-
mam poterunt formidare.

XIII. De uſuris.

Cura nos paſtoralis ſolicitat & hor-
tatur, ut lapſis conſulamus eccleſiis, &,
ne labantur in poſterum, provideamus
conſtitutione ſalubri. Cum igitur uſu-
rarum vorago multas eccleſias pene de-
ſtruxerit, & nonnulli prælati circa ſo-
lutionem debitorum, præſertim a ſuis
prædeceſſoribus contractorum, negligen-
tes inveniantur admodum & remiſſi,
ac ad contrahenda majora debita, &
obligandas res eccleſiæ nimis proni,
deſides etiam in cuſtodiendis rebus in-
ventis, malentes in propriam laudem
modicum novi facere, quam bona cu-
ſtodire, dimiſſa recuperare, deperdita
reſtaurare, ac reſarcire ruinas: nos,
ne de cetero ſe de adminiſtratione
tam utili excuſare, ac in prædeceſſo-
res ſive alios fundere valeant culpam
ſuam, præſentis concilii approbatione
ſancimus, ut pontifices, abbates, de-
cani, ceterique legitimam & commu-
nem adminiſtrationem gerentes, infra
unum menſem, poſtquam adminiſtra-
tionem adierint, intimato prius proxi-
me ſuperiori, ut per ſe vel per aliquam
perſonam eccleſiaſticam idoneam &
fidelem interſit, præſentibuſque capitu-
lo vel conventu propter hoc ſpeciali-
ter evocatis, inventarium rerum ad-
miniſtrationis ſuſceptæ confici faciant,

in

ANNO CHRISTI 1245.

in quo mobilia & immobilia, libri, chartæ, instrumenta, privilegia, ornamenta, seu paramenta ecclesiastica, & cuncta, quæ ad institutionem urbani fundi seu rustici pertinent, necnon debita ac credita, diligentissime conscribantur: ut in quo statu ecclesiam vel administrationem susceperint, & procedente tempore gubernarint, ac in morte vel cessione dimiserint, per superiorem, si necesse fuerit, & eos, qui sunt ecclesiarum deputati servitiis, liquido cognoscatur. Archiepiscopi vero, qui præter Romanum pontificem superiorem non habent, aliquem ex suffraganeis, ut personaliter, vel per alium, ut est expressum superius, & abbates, ac alii prælati minores exempti, unum vicinum episcopum, qui nihil juris in exempta ecclesia sibi vindicet, ad id studeant evocare: dictumque inventarium tam substituti prælati, quam sui collegii, necnon & superioris suffraganei, seu vicini episcopi, ad hoc vocatorum, muniatur sigillis, in archiviis ecclesiæ cum cautela debita conservandum. Et nihil minus inventarii ejusdem transcriptum tam idem institutus, quam prælatus ad hoc vocatus, penes se habeat simile sigillatum. Inventa quoque custodiantur fideliter, & de ipsis administratio digna geratur: & comperta debita de mobilibus ecclesiæ, si fieri potest, cum celeritate solvantur. Si vero mobilia non sufficiant nd solutionem celerem faciendam, omnes proventus in solutionem convertantur debitorum, quæ usuraria fuerint, vel etiam onerosa, deductis de ipsis proventibus expensis dumtaxat necessariis, prælato collegioque rationabiliter computandis. Si autem debita non fuerint onerosa, vel usuraria, tertia pars eorumdem proventuum, vel major, cum illorum consilio, quos ad conficiendum inventarium vocandos diximus, pro satisfactione hujusmodi deputentur. Porro ejusdem concilii auctoritate firmiter inhibemus, ne prædicti personas suas, vel ecclesias sibi commissas, pro aliis obligent, nec pro se vel ipsis ecclesiis contrahant debita, quibus possit imminere gravamen. Si vero evidens urgeat necessitas, vel ecclesiarum rationabilis suadeat utilitas: prælati cum superiorum, archiepiscopi & abbates exempti cum prædictorum collegiorumque suorum consilio & consensu debita non usuraria, si potest fieri, nunquam tamen in nundinis vel mercatibus publicis contrahant. Et contractum litteris debitorum & creditorum nomina, & causæ, quare contrahatur debitum etiamsi in utilitatem ecclesiæ sit conversum*: & ad id personas ecclesiasticas vel ecclesias, nullatenus volumus obligari. Privilegia siquidem ecclesiarum, quæ securo loco fideliter custodiri mandamus, nequaquam pignori obligentur, nec etiam res aliæ, nisi forte pro necessariis & utilibus debitis cum prædicta solennitate contractis. Ut autem hæc salubris constitutio inviolabiliter observetur, & fructus appareat, quem ex ipsa provenire speramus: ordinandum duximus, & irrefragabiliter statuendum, quod omnes abbates, & priores, nec non & decani, vel præpositi cathedralium seu aliarum ecclesiarum, semel saltem in anno in ipsorum collegiis districtam suæ administrationis faciant rationem: & coram superiore visitante conscripta & consignata hujusmodi ratio fideliter recitetur. Archiepiscopi vero, & episcopi, statum administrationis bonorum ad mensam propriam pertinentium, similiter singulis annis capitulis suis, & nihilo minus episcopi metropolitanis, & metropolitani legatis apostolicæ sedis, vel aliis, quibus fuerit ab eadem sede suarum ecclesiarum visitatio delegata, insinuare debita fidelitate procurent. Computationes vero conscriptæ semper in thesauro ecclesiæ ad memoriam reserventur, ut in computatione annorum sequentium præteriti temporis & instantis diligens habeatur collatio, ex qua superior administrantis diligentiam vel negligentiam comprehendat: quam siquidem negligentiam, solum Deum habens præ oculis, hominis amore, odio, vel timore postpositis, tanta & tali animadversione castiget, quod nec a Deo, nec a suo superiore, vel sede apostolica, mereatur propter hoc recipere ultionem. Non solum autem a futuris prælatis, sed etiam a jam promotis præsentem constitutionem præcipimus observari.

ANNO CHRISTI 1245.

* *Deest*, inserantur, aut aliquid simile.

XIV. De subsidio imperii Constantinopolitani.

Arduis mens nostra occupata negotiis, curisque distracta diversis, inter cetera, circa quæ attentionis invigilat oculo, ad Constantinopolitani liberationem imperii suæ considerationis aciem specialiter dirigit; hanc ardenti desiderio concupiscit; erga eam jugi cogitatione versatur. Et licet apostolica sedes pro ipsa grandis diligentiæ studio & multiplicis subventionis remedio ferventer institerit, ac diu catholici non sine gravibus laboribus, & onerosis sum-

ANNO CHRISTI 1245.

sumptibus, anxiisque sudoribus, & defienda sanguinis effusione certaverint, nec tanti auxilii dextera imperium ipsum totaliter de inimicorum jugo potuerit, impedientibus peccatis, eripere, propter quod non immerito dolore turbamur: quia tamen ecclesiæ corpus ex membri causa cari, videlicet imperii præfati carentia, notam probrosæ deformitatis incurreret, & sustineret debilitatis dolendæ jacturam, possetque digne nostræ ac ipsius ecclesiæ desidiæ imputari, si fidelium destitueretur suffragio, & relinqueretur hostibus libere opprimendum, firma intentione proponimus, eidem imperio efficaci & celeri subsidio subvenire, ut, ecclesia ferventi ad illius exurgente succursum manumque porrigente munitam, imperium ipsum de adversariorum dominio erui valeat, & reduci, auctore Domino, ad ejusdem corporis unitatem, sentiatque post conterentem inimicorum malleum dexteram matris ecclesiæ consolantem, & post assertionis erroneæ cæcitatem, visum, catholicæ fidei professione, resumat. Ad liberationem autem ipsius eo magis ecclesiarum prælatos, aliosque viros ecclesiasticos vigiles & intentos existere, ac opem & operam convenit exhibere, quo amplius ejusdem
* & fidei * ecclesiasticæ libertatis augmentum, quod per liberationem hujusmodi principaliter proveniret, procurare tenentur: maxime quia dum prædicto subvenitur imperio, consequenter subsidium impenditur terræ sanctæ. Sane, ut festina fiat & utilis imperio præfato subventio, ex communi concilii approbatione statuimus, ut medietas omnium proventuum, tam dignitatum, & personatuum, quam præbendarum ecclesiasticarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, personarum illarum, quæ in ipsis residentiam non faciunt personalem, per sex menses ad minus, sive unum habeant, sive plura, eis qui nostris, & fratrum nostrorum, ac suorum prælatorum immorantur obsequiis, aut sunt in peregrinatione, vel scholis, seu ecclesiarum suarum negotia de ipsorum mandato procurant, aut assumpserunt vel assument crucis signaculum in prædictæ terræ, vel personaliter in ejusdem imperii proficiscentur succursum, exceptis, & si aliqui eorumdem exceptorum, præter hujusmodi crucesignatos, & proficiscentes, de redditibus ecclesiasticis ultra valentiam centum marcarum argenti percipiunt, annuatim tertia pars residui, ipsius imperii subsidio colligenda,
* ad per eos qui * hoc ab apostolica fuerint ordinati providentia, usque ad triennium integre deputentur. Non obstantibus quibuscumque consuetudinibus vel statutis ecclesiarum, seu quibuslibet indulgentiis ipsis ecclesiis vel personis ab apostolica sede concessis, juramento aut quacumque firmitate alia roboratis. Et si forte super hoc scienter fraudem commiserint, sententiam excommunicationis incurrant. Nos vero de obventionibus ecclesiæ Romanæ, deducta prius ex eis decima succursui terræ deputanda prædictæ, decimam prædicti pro subventione imperii plenarie tribuemus. Porro, cum idem juvatur imperium, auxilium præstatur potissime ipsi terræ, ac ad recuperationem ejus præcipue insistitur, dum ad ipsius liberationem imperii laboratur:
* deest ico co vel q fimile. *de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum auctoritate confisi, ex illa, quam nobis, licet indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus eidem imperio sucurrentibus illam suorum peccaminum veniam indulgemus, ipsosque illo privilegio, eaque volumus immunitate gaudere, quæ prædictæ terræ subvenientibus conceduntur.

XV. Admonitio prælatorum ad populum sibi commissum.

Perennis obtentu patriæ a longis retro temporibus pro redimenda terra, quam Dei Filius asperfione sui sanguinis consecravit, universitas filiorum ecclesiæ non solum expensas innumeras, sed inæstimabilem cruoris affluentiam noscitur effudisse: sicut ex eo mœsti corde colligimus, quod pridem contra fideles pugnantibus impiis accidit in partibus transmarinis. Verum cum propter hoc sit in sedis apostolicæ voto potissimum, ut de ipsius redemptione terræ, communis desiderii cito Deo propitio proveniat complementum: digne providimus, ut ad procurandum Dei favorem vos nostris litteris excitemus. Rogamus itaque universitatem vestram, & obsecramus in Domino Jesu Christo, mandantes quatenus singuli vestrum fideles populos vestræ curæ commissos in vestris prædicationibus, vel quando pœnitentiam ipsis injungitis, piis monitis inducatis, concessa super hoc, prout expedire videritis, indulgentia speciali, ut in testamentis, quæ pro tempore fecerint, aliquid in terræ sanctæ, vel imperii Romaniæ subsidium, pro suorum peccaminum remissione relinquat: attentius provisuri, ut quod ipsi ad Crucifixi reverentiam

ha-

NO ISTI 45.

habendo reſpectum in pecunia pro hujuſmodi ſubventione dederint, in certis locis ſub ſigillis veſtris conſervari fideliter, & illa, quæ in rebus aliis ad hoc legata fuerint, diligenter in ſcriptis redigi faciatis. Hoc autem pietatis opus, in quo ſola cauſa Dei quæritur, & ſalus fidelium procuratur, ſic veſtra ſinceritas promptis proſequatur affectibus, ut tandem ſecuri de manu ſuperni Judicis cœleſtis gloriæ præmium expectetis.

XVI. De Tartaris.

Chriſtianæ religionis cultum longius latiuſque per orbem diffundi ſuper omnia cupientes, inæſtimabilis doloris telo transfodimur, ſi quando aliqui ſic noſtro in hac parte obviant deſiderio, affectu contrario & effectu, quod ipſum cultum delere penitus de terræ ſuperficie omni ſtudio totaque potentia moliuntur. Sane Tartarorum gens impia, Chriſtianum populum ſubjugare ſibi, vel potius perimere, appetens, collectis jamdudum ſuarum viribus nationum, Poloniam, Ruſciam, Hungariam, aliaſque Chriſtianorum regiones ingreſſa, ſic in eas depopulatrix inſævit, ut gladio ejus nec ætati parcente nec ſexui, ſed in omnes indifferenter crudelitate horribili debacchante, inaudito ipſas exterminio devaſtarit, ac aliorum regna continuato progreſſu, illa ſibi, eodem in vagina otiari gladio neſciente, inceſſabili perſecutione ſubſternit; ut ſubſequenter in robore fortiores exercitus Chriſtianos invadens, ſuam plenius in ipſo poſſit ſævitiam exercere, ſicque orbato, quod abſit, fidelibus orbe, fides exorbitet, dum ſublatos ſibi gemuerit ipſius gentis feritate cultores. Ne igitur tam deteſtanda gentis ejuſdem intentio proficere valeat, ſed deficiat auctore Deo potius, & contrario concludatur eventu: ab univerſis Chriſticolis attenta eſt conſideratione penſandum, & procurandum ſtudio diligenti, ut ſic illius impediatur proceſſus, quod nequeat ad ipſos ulterius quantumcumque potenti armato brachio pertranſire. Ideoque, ſacro ſuadente concilio, univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur, attente mandantes, quatenus viam & aditus, unde in terram noſtram gens ipſa poſſet ingredi, ſolertiſſime perſcrutantes, illos foſſatis vel muris, ſeu aliis ædificiis, aut artificiis, prout expedire videritis, taliter præmunire curetis, quod ejuſdem gentis ad vos ingreſſus patere de facili nequeat. Sed prius apoſtolicæ ſedi ſuus denunciari poſſit adventus: ut, ea vobis fidelium deſtinante ſuccurſum, contra conatus & inſultus gentis ipſius tuti eſſe, adjutore Domino, valeatis. Nos enim in tam neceſſariis & utilibus expenſis, quas ob id feceritis, contribuemus magnifice, ac ab omnibus Chriſtianorum regionibus, cum per hoc occurratur communibus periculis, proportionaliter contribui faciemus, & nihilo minus ſuper his aliis Chriſti fidelibus, per quorum partes habere poſſet aditum gens prædicta, litteras præſentibus ſimiles deſtinamus.

ANNO CHRISTI 1243.

XVII. Super Cruciata.

Afflicti corde pro deplorandis terræ ſanctæ periculis, ſed pro illis præcipue, quæ conſtitutis in ipſa fidelibus noſcuntur noviter accidiſſe, ad liberandam ipſam, Deo propitio, de impiorum manibus, totis affectibus aſpiramus, diffinientes, ſacro approbante concilio, ut ita cruceſignati ſe præparent, quod opportuno tempore univerſis inſinuando fidelibus per prædicatores, & noſtros nuncios ſpeciales, omnes, qui diſpoſuerint transfretare, in locis idoneis ad hoc conveniant, de quibus in ejuſdem terræ ſubſidium cum Divina & apoſtolica benedictione procedant. Sacerdotes autem, & alii clerici qui fuerint in exercitu Chriſtiano, tam ſubditi quam prælati, orationi & exhortationi diligenter inſiſtant, docentes eos verbo pariter & exemplo, ut timorem & amorem Domini ſemper habeant ante oculos, ne quid dicant aut faciant, quod æterni Regis majeſtatem offendat. Et ſi quando in peccatum lapſi fuerint, per veram pœnitentiam mox reſurgant, gerentes humilitatem cordis & corporis, & tam in victu quam in veſtitu mediocritatem ſervantes, diſſenſiones & æmulationes omnino evitando, rancore ac livore a ſe penitus relegatis: ut ſic ſpiritualibus & materialibus armis muniti, adverſus hoſtes fidei ſecurius prælientur, non de ſua præſumentes potentia, ſed de Divina virtute ſperantes. Nobiles quidem & potentes exercitus, ac omnes divitiis abundantes, piis prælatorum monitis inducantur, ut intuitu crucifixi, pro quo crucis ſignaculum aſſumpſerunt, ab expenſis inutilibus & ſuperfluis, ſed ab illis præcipue, quæ fiunt in comeſſationibus & conviviis, abſtinentes, eas commutent in perſonarum illarum ſubſidium, per quas Dei negotium

ANNO CHRISTI 1245.

tium valeat prosperari: & eis propter hoc, juxta prælatorum ipsorum providentiam, peccatorum suorum indulgentia tribuatur. Prædictis autem clericis indulgemus, ut beneficia sua integre percipiant per triennium, ac si essent in ecclesiis residentes, &, si necesse fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare. Ne igitur hoc sanctum propositum impediri vel retardari contingat, universis ecclesiarum prælatis districte præcipimus, ut singuli per loca sua illos, qui signum crucis deposuerunt, resumere, ac tam ipsos quam alios crucesignatos, & quos adhuc signari contigerit, ad reddendum Domino vota sua diligenter moneant, inducant, &, si necesse fuerit, per excommunicationis in personas, & interdicti sententias in terras ipsorum, omni tergiversatione cessante, compellant. Adhuc, ne quid in negotio Domini nostri Jesu Christi de contingentibus omittatur, volumus & mandamus, ut patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, & alii, qui curam obtinent animarum, studiose proponant commissis sibi verbum crucis, obsecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unum, solum, verum, æternum Deum, reges, duces, principes, marchiones, comites & barones, aliosque magnates, nec non communia civitatum, villarum & oppidorum, ut qui personaliter non accesserint in subsidium terræ sanctæ, competentem conferant numerum bellatorum, cum expensis ad triennium necessariis, secundum proprias facultates, in remissionem suorum peccaminum, prout in generalibus litteris, quas pridem per orbem terræ misimus, est expressum, & ad majorem cautelam inferius etiam exprimetur.

Hujus remissionis volumus esse participes non solum eos, qui ad hoc naves proprias exhibebunt, sed illos etiam, qui propter hoc opus naves studuerint fabricare. Renuentibus autem, si qui forte tam ingrati fuerint Domino Deo nostro, ex parte apostolica firmiter protestentur, ut se sciant super hoc nobis in novissimo districti examinis die coram tremendo judice responsuros: prius tamen considerantes, qua scientia quave securitate comparere poterunt coram unigenito Dei Filio Jesu Christo, cui omnia dedit Pater in manus, si ei pro peccatoribus crucifixo servire renuerint in hoc negotio quasi proprie sibi proprio, cujus munere vivunt, cujus beneficio sustentantur, quin etiam cujus sanguine sunt redempti. Ceterum ex communi concilii approbatione statuimus, ut omnes omnino clerici, tam subditi quam prælati, vigesimam ecclesiarum proventuum usque ad triennium conferant in subsidium terræ sanctæ per manus eorum, qui ad hoc apostolica fuerint providentia ordinati, quibusdam dumtaxat religiosis exceptis, ab hac præstatione merito eximendis, illisque similiter qui assumpto vel assumendo crucis signaculo sunt personaliter profecturi. Nos & fratres nostri sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales plenarie decimam persolvemus, sciantque se omnes ad hoc fideliter observandum per excommunicationis sententiam obligatos: ita quod illi, qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.

Sane quia justo judicio, cœlestis imperatoris obsequiis inhærentes, speciali decet prærogativa gaudere, crucesignati a collectis vel talliis aliisque gravaminibus sint immunes, quorum personas & bona post crucem assumptam sub beati Petri & nostra protectione suscipimus: statuentes, ut sub archiepiscoporum, episcoporum ac omnium prælatorum ecclesiæ Dei defensione consistant: propriis nihilominus protectoribus ad hoc specialiter deputandis, ita ut, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, integra maneant & quieta: & si quisquam contra præsumpserit, per censuras ecclesiasticas compescatur.

Si qui vero proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur adstricti, creditores eorum ut remittant eis præstitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus.

Judæos vero ad remittendas usuras per sæcularem compelli præcipimus potestatem, & donec illas remiserint, ab universis Christi fidelibus per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. Iis, qui Judæis nequeunt solvere debita in præsenti, sic principes sæculares utili dilatione provideant, quod post iter arreptum, quousque de ipsorum reditu vel obitu cognoscatur, usurarum incommoda non incurrant, compulsis Judæis proventus pignorum, quos ipsi interim perceperint in sortem, expensis deductis necessariis, computare: cum hujusmodi beneficium non multum videatur habere dispendii, quod solutionem sic prorogat,

gat, quod debitum non absorbet. Porro ecclesiarum prælati, qui in exhibenda justitia crucesignatis & eorum familiis negligentes extiterint, sciant se graviter puniendos. ANNO CHRISTI 1245.

Ceterum quia cursarii & piratæ nimis impediunt subsidium terræ sanctæ, capiendo & spoliando transeuntes ad illam; & redeuntes ab ipsa: nos, eos & principales adjutores & fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus; sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis scienter cum eis communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, & injungentes rectoribus civitatum, & locorum suorum, ut eos ab hac iniquitate revocent, & compescant. Alioquin, quia nolle perturbare perversos, nihil est aliud quam fovere, nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obviare, in personas & terras eorum per ecclesiarum prælatos severitatem ecclesiasticam volumus & præcipimus exerceri. Excommunicamus præterea & anathematizamus illos falsos & impios Christianos, qui contra ipsum Christum & populum Christianum arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum: eos etiam, qui galeas eis vendunt, vel naves, quique in piraticis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel in machinis, aut quibuslibet aliis, aliquod eis impendunt auxilium vel consilium, in dispendium terræ sanctæ, ipsosque rerum suarum privatione mulctari, & capientium fore censemus servos. Præcipientes, ut per omnes urbes maritimas omnibus diebus dominicis & festivis hujusmodi sententia publice innovetur, & talibus gremium non aperiatur ecclesiæ, nisi totum quod de commercio tam damnato perceperunt, & tantumdem de suo, in subsidium prædictæ terræ transmiserint, ut æquo judicio, in quo peccaverint, puniantur. Quod si forte non fuerint solvendo, sic alias reatus talium castigetur, quod in pœna ipsorum aliis interdicatur audacia similia præsumendi.

Prohibemus insuper omnibus Christianis, & sub anathemate interdicimus, ne in terras Saracenorum, qui partes orientales inhabitant, usque ad quadriennium transmittant vel transvehant naves suas, ut per has volentibus transfretare in subsidium terræ sanctæ major navigii copia præparetur, & Saracenis prædictis subtrahatur auxilium quod eis consuevit ex hoc non modicum provenire. Licet autem torneamenta sint in diversis conciliis sub certa pœna generaliter interdicta, quia tamen hoc tempore Crucis negotium per ea plurimum impeditur, nos ea sub pœna excommunicationis firmiter inhibemus usque ad triennium exerceri. Quia vero ad hoc negotium exequendum est permaxime necessarium, ut principes & populi Christiani adinvicem pacem observent, sancta & universali synodo suadente, statuimus ut per quadriennium in toto orbe Christiano pax generaliter observetur, ita quod per ecclesiarum prælatos discordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treguam inviolabiliter observandam: & qui acquiescere forte contempserint, per excommunicationem in personas, & interdictum in terras, arctissime compellantur, nisi tanta fuerit injuriarum malitia, quod ipsi non gaudere debeant tali pace. Quod si forte censuram ecclesiasticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per authoritatem ecclesiæ contra eos, tanquam perturbatores negotii crucifixi, sæcularis potentia inducatur. Nos ergo de omnipotentis Dei misericordia & beatorum apostolorum Petri & Pauli authoritate confisi, ex illa, quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus fuerint corde contriti, & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis juxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinaverint, & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujusmodi quoque remissionis concedimus esse participes, juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congrue ministrabunt, aut circa prædicta consilium & auxilium impenderint opportunum. Omnibus etiam pie proficiscentibus in hoc opere sancta & universalis synodus orationum & beneficiorum suorum suffragium impartitur, ut eis digne proficiat ad salutem. Amen. ANNO CHRISTI 1245

ACTA

ANNO CHRISTI 1245.

ACTA CONCILII LUGDUNENSIS PRIMI.

Ex Matthæi Pariſii Hiſt. Anglic. ad ann. MCCXLV.

ALtius igitur ſolis orbita curſum ſuum peragente, videlicet circa æſtatis medium, congregati ſunt Lugduni ex totius fere Chriſtianitatis latitudine prælati venerabiles, vel eorum idonei, imperatoris quoque, & multorum principum, aliorumque, procuratores, ſecundum papalis mandati tenorem concilium celebraturi. Abſentes autem quamplurimi prælatorum per eos quos promiſerunt procuratores ſeſe ex legitimis cauſis ſufficienter excuſarunt: ſicut quidam ex Anglorum regno, ut ſupra latius dictum eſt. Inter quos abbas ſancti Albani, corpore gravis, & jam ad ſenilem declinans ætatem, magiſtro Martino, qui tunc temporis in Anglia proſpere commorabatur, teſtimonium veritati ſuper hoc perhibente, ſe rationaliter per quemdam monachum ſuum, Joannem videlicet de Bulum, & quemdam clericum ſuum magiſtrum Rogerum de Holdene, ſuam excuſavit abſentiam, & ſic indemnis & quietus remanſit, domino papa per ipſos civiliter ſalutato. Verumtamen de regno Hungariæ, quæ pro multa ſui parte per Tartaros eſt vaſtata, nulli venerunt. De Alemannia, bello imperiali perturbata, pauci prælati ad concilium minime convenire potuerunt. De terra vero ſancta, quæ multo patuit diſcrimini, nullus penitus potuit illuc advenire, ſed nec advocari. Occaſionaliter tamen illuc advenit de terra ſancta epiſcopus Berytenſis, totius Syriæ nuncius generalis, & ſyndicus omnium Chriſtianorum terræ ſanctæ, mandatum bajulans lugubre de exterminio, permittente Deo, in terra ſancta perpetrato.

Quando ſynodus inchoata.

Dum autem dominus papa multos jam prælatos, licet tamen non omnes, vidiſſet congregatos, die Lunæ proxima poſt feſtum nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, intravit dominus papa cum fratribus cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, & aliis prælatis, ad concilium convocatis, ſimul & procuratoribus abſentium tam principum quam prælatorum, in refectorium religioſorum ſancti Juſti apud Lugdunum. Fuerunt itaque ibidem, abſque cardinalibus, duo patriarchæ, ſcilicet Conſtantinopolitanus, qui & Antiochenus, & patriarcha Aquilejæ, qui & Venetiæ, imperator quoque Conſtantinopolitanus, comes etiam Toloſanus, & procuratores Angliæ, comes Bigod, cum ſociis ſuis nobilibus, archiepiſcopi vero & epiſcopi centum & quadraginta.

1. Propoſitio.

Propoſuitque patriarcha Conſtantinopolitanus ſtatum & neceſſitates eccleſiæ ſuæ, aſſerens, quod olim habuit ſub ſe ſuffraganeos pluſquam triginta, quorum vix jam tres remanſerunt. Subjungens inſuper, quod Græci, & quidam alii inimici eccleſiæ Romanæ, totum jam imperium Romaniæ fere uſque ad portas civitatis Conſtantinopolis violenter occuparunt, qui in nullo Romanæ eccleſiæ obedientes, ipſamque deteſtantes, hoſtiliter eidem adverſantur. Unde dolor & confuſio omnium Chriſtianorum immineat, cum ipſa ſua eccleſia primo fuiſſet privilegiata, & merito plus ceteris honoranda: primo enim conſtat, beatum Petrum Antiochiæ, quæ civitas Græcorum imperio vel regno A ſubjecta eſt, ab antiquo ſediſſe, & inde Simonem magum & alios hæreticos confuſos aufugaſſe. Ad quod papa tacuit.

ANNO CHRISTI 1245. 2. Propoſiti

Conſequenter propoſitus fuit ſermo fidelis, & omni acceptione dignus, de canonizatione ſcilicet beati Edmundi Cantuarienſis archiepiſcopi, quem Dominus evidentiſſimis miraculorum ſignis illuſtravit. Cujus rei aſſertioni cum conſtanter teſtimonium octo archiepiſcopi & circiter viginti epiſcopi perhibuiſſent, & inſtanter, ut in ipſo concilio veneranter ad majorem ſolemnitatem canonizaretur, poſtularent, ait dominus papa, non ſuo, ſed aliorum ſpiritu invidorum averſus, dicens: Urgent nos dilationem non capientia eccleſiæ nimis ardua negotia, quare hoc merito ad præſens tempus ſuſpendere debeat expectatum. Sed, vita comite, in poſterum neglectui non commendabitur: & quia Deus & mundus ſanctitati & virtutibus ejus perhibent teſtimonium, in Domino gaudemus, & gratias ipſi referimus uberiores.

Thadæu Frider. II procurato

Adfuit etiam præſens ibidem Thadæus de Sueſſa, domini imperatoris Friderici procurator, vir prudens, & eloquentiæ ſingularis, miles, & legum doctor, & ſacri palatii judex imperialis, pro domino ſuo imperatore, tam conſtanter quam diligenter reſponſurus. Pro cujus pace, & priſtinæ amicitiæ reformatione, obtulit pro domino ſuo imperatore confidenter, ad unitatem Romanæ eccleſiæ totum Romaniæ, id eſt Græciæ, imperium revocare: & quod ſeſe Tartaris, & Choroſminis, & Saracenis, & aliis eccleſiæ hoſtibus & contemptoribus, Chriſto fideliter militando, potenter opponet, & quod ſtatum terræ ſanctæ, diſcrimini magno & manifeſto periculo jam patentem, ſuis ſumptibus propriis perſonaliter, pro poſſe ſuo, reformabit, & ablata Romanæ eccleſiæ reſtituendo, de injuriis ſatisfacere. Ad quæ omnia reſpondit dominus papa, dicens exclamando: O quam multa & quam magna ſunt promiſſa, nunquam vel nuſquam tamen adimpleta vel adimplenda. Sed & hæc, ut conſtat, ſunt promiſſa, ut ſecuris jam ad radicem poſita, illuſo concilio & ſoluto, per dilationem avertatur. Pacem nuper in anima ſua juratam ſecundum formam præſtiti ſacramenti teneat, & aquieſco. Porro

Acta pri ſeſſionisqu

Quo teneam nodo mutantem Protea vultus?

Et ſi concederem ſibi poſtulata, & reſilire vellet, nec aliud ſpero, quis nunc pro eo cavens fidejuberet, ut cogeret reſilientem? Et cum duos reges, videlicet Francorum & Anglorum, Thadæus ad hoc ſpopondiſſet fidejuſſores, reſpondit dominus Papa: Nolumus. Quia ſi pacta commutaſſet, vel penitus infirmaſſet, (nec aliud credimus, propter frequentiam) aliquo tempore in poſterum oporteret nos animadvertere in eoſdem: & tunc haberet eccleſia tres, quibus non ſunt in ſæculari potentia majores, immo nec pares, inimicos. Et cum procuratio Thadæi ad hoc non ſufficeret, neque temporis ſatis habuerit, ut hæc conſummarentur competenter, ſiluit contriſtatus.

Epiſcopus autem Berytenſis, nomine Gualerannus, qui jam ſex menſibus per maris, & uno per terrarum diſcrimina labores itinerum, ut prædictum eſt, continuaverat, ut caſum terræ ſanctæ nunciaret, auxilium & conſilium impetrando, legi fecit litteras, quas magnates qui reſidui erant in terra ſancta, omnibus Chriſtianis

nis occidentalibus miserant consignatas, per os fratris Arnulphi de ordine Prædicatorum, in publico: quæ litteræ præscribuntur in præcedentibus. Quorum tenor lugubris omnes audientes ad lacrymarum, nec immerito, movit effusionem.

ANNO CHRISTI 1245.

Feria vero quarta sequente intravit dominus papa ecclesiam sancti Joannis, indutus pontificalibus, cum omnibus aliis supradictis, veste nuptiali, prout singulis pertinuit, adornatis. Et facta invocatione Spiritus sancti, cum litania sequente, & aliis rite peractis, prædicavit dominus papa, præponens & singultibus interpositis proponens hoc thema: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.* Et satis eleganter sermonem continuans, comparavit quinque dolores suos maximos quinque vulneribus & plagis Crucifixi. Unum, de inhumanis & feraliter Christianitatem vastantibus Tartaris. Alium pro schismate Romaniæ, id est Græcæ ecclesiæ, quæ nostris temporibus & paucis evolutis annis a gremio matris suæ, velut novercæ, insolenter & insolerter decisa est & aversa. Alium, pro serpigine novarum hæresum, scilicet Patarenorum, Bulgarorum, Jovinianorum, & aliorum schismatum, sectarum, & errorum, quæ jam multas civitates Christianitatis, præcipue tamen Lombardiæ, subrependo maculavit. Alium, de terra sancta: in qua Chorosmini detestabiles domos Templi & Hospitalis, civitatem quoque Jerusalem, & alias multas Christianorum civitates, cum magno Christiani sanguinis profluvio usque ad internecionem, solo tenus diruendo destruxerunt. Alium vero, de principe, id est imperatore. Qui cum esse teneretur summus sæcularium œconomus, & protector ecclesiæ, hostis factus familiaris, ecclesiæ Christi efficax & validus factus est inimicus, & ministrorum ejus adversarius jam manifestus. Et prosecutus dominus papa materiam hanc quantum videbatur expedire, cunctos audientes dolore compassionis salubriter sauciavit. Exitus enim aquarum deduxerunt oculi ejus, & singultus sermonem proruperunt. In fine autem prædicationis suæ proposuit enormitates imperatoris Friderici, scilicet hæresim, sacrilegium, & inter alia mala, quod civitatem quamdam in Christianitate construxerat novam, fortem & magnam, quam Saracenis populaverat, ipsorum utens, sed potius abutens, ritibus & superstitionibus, spreto Christianorum consilio & religione: familiaritatemque specialem contraxerat, ut asserebat, cum Soldano Babyloniæ, & quibusdam aliis Saracenorum primatibus: distractusque & obscœnis illectus illecebris, concubitu mulierc[u]larum, vel potius meretricularum Saracenicarum, indifferenter & impudenter polluebatur. Imponebatque ei multiplex perjurium: & quod, spreto veritatis tenore, nunquam pacta, nusquam promissa conservabat. Super quibus, ut magis hæc audientes certificaret, signorum imperialium de auro appensione communitas ostendit epistolas multas & multiplices, quibus evidenter arguit & redarguit ipsum imperatorem super perjurio.

Quibus etiam verbis alacriter se opposuit Thadæus, se tunc erigens imperterritus in publico, ostendens econtra litteras papales bullatas, quæ videbantur jam dictis obviare. Verumtamen diligenter inspecto utrarumque tenore, quem longum esset in hoc scripto diluci-

dare, & plenius demonstrare, non sibi adinvicem contradictorie adversabantur, cum papales epistolæ conditionales fuissent, imperatoriæ vero absolutæ: & apparuit læsio fidei manifeste ex parte imperatoris, qui cum omnia absolute promiserat, nec inde aliquid secundum promissa compleverat. Ad quod Thadæus diligenter & multipliciter, secundum saltem apparentes rationes, nitebatur respondere, dominum suum imperatorem excusando, litteras alias ex adverso papales ostendens, & asserens, quod in eis continebatur, non fuisse observatum: unde dominum suum imperatorem suis promissis parere non debuisse. Ad hoc autem quod de hæresi dominus imperator accusabatur, respondit, respiciens omnes ibidem congregatos, quasi omnes alloquens: Domini mei, super isto articulo, qui est gravissimus, non possit quis certificari, nisi esset dominus meus imperator præsens, ut ex oris sui assertione elici possit quod in cordis sui latet secretario. Sed quod non sit hæreticus, probabile potest haberi argumentum. Non enim in imperio, vel regnis suis, aliquem usurarium habitare permittit; in hoc curiam Romanam redarguens, quam constat hoc vitio maxime laborantem.

Ad hoc autem, quod objectum fuerat, quod imperator specialem habet familiaritatem, & suspectam nimis, cum Soldano Babyloniæ, & quibusdam aliis Saracenis, quos terram suam permittit inhabitare: respondit Thadæus, hoc ultro factum & prudenter esse; ad rebellionem scilicet quorumdam & insolentiam reprimendam sibi jure subditorum, & seditionem expurgandam. Utitur enim ipsis in expeditionibus, quorum non æstimat casum alicui Christiano deplorandum, & sic parcit Christiano sanguini, ne frustra effundatur. Mulierc[u]larum itaque Saracenarum non utitur concubitu: & quis hoc posset probare? sed joculatione, & quibusdam artificiis muliebribus, quas jam, quia suspectas, amovit irrecuperabiles.

Hæc autem cum Thaddæus dicta consummasset, supplicavit humiliter sibi concedi modicam saltem dilationem inducialem, ut domino suo imperatori nunciare posset, & tam affectuose quam efficaciter consulendo persuadere, ut personaliter ad concilium, quod eum expectavit, venire properaret, aut ulteriorem concederet eidem potestatem. Ad quod dominus papa respondit: Absit hoc. Timeo laqueos quos vix evasi. Si enim veniret, statim recederem. Non adhuc opto sanguinem, nec me sentio aptum aut paratum martyrio vel custodiæ carcerali.

Sequenti vero die, ad instantiam procuratorum regum Francorum & Anglorum, maxime vero Anglorum, qui periculo & dedecori ejus plus aliis, propter affinitatem inter ipsum imperatorem & regem Anglorum, & fœdus amicitiæ contractum, tanti principis condoluerunt, concessæ sunt ipsi Thadæo induciæ fere duarum hebdomadarum, non sine multorum gravamine Lugduni expectantium. Hæc cum ipsi imperatori per ordinem omnia nunciarentur, in molestia magna dixisse perhibetur: Video luce clarius, quod ad confusionem meam toto conamine aspirat papa. Stimulat enim eum libido & pruritus ulciscendi in me, eo quod parentes ejus Januenses piraticos, antiquos & publicos imperii inimicos, simul cum prælatis, quorum duces erant & tutores, in mari capi fecerim & incarcerari. Quia nec ob aliud con-

ANNO CHRISTI 1245.

ſtat eum concilium convocaſſe, nec ſacrum decet imperium maxime adverſanti judicio ſiſti ſynodali.

Hæc cum ad notitiam domini papæ & totius univerſitatis pervenerunt, quod ſcilicet, ſic dicens noluit juri pariturus accedere, receſſerunt a favore ejus multi, qui hactenus certatim cum eo ſteterunt, Anglis pro eo maxime redarguti. Conſtanter igitur & acerrime in pleno & jam pleniſſimo concilio imperator Fridericus, quaſi toti eccleſiæ contumax & rebellis, a quatuor Mundi partes inhabitantibus accuſatur. Ex quibus cum unus aſſurgens archiepiſcopus ipſum inſtantius accuſaret, objiciens ei nimis enorme crimen, læſæ ſcilicet majeſtatis in dictis prælatorum captione, & aliis gravibus criminibus, reſpondit jam fere ſolus ſtans Thadæus pro domino ſuo imperatore, ipſum reſpiciens accuſantem: Non tibi fides adhibenda eſt, ſed nec verbis tuis ſilentium accomodandum: filius enim es proditoris, judicialiter in curia domini mei convicti & ſuſpenſi, cujus tu ſequens veſtigia, niteris patriſſare. Siluit igitur ille accuſator, amplius mutire nec auſus nec permiſſus. Eodemque modo quorumdam aliorum accuſationes tam prudenter quam audacter contradicendo caſſavit magiſter Thadæus.

Verumtamen cum a multis in mari ſubmerſorum & incarceratorum conſanguineis & amicis, reſumpto adhuc ſermone & ſpiritu redivivo, eo fortius & confidentius quo jam favorem ejus declinare viderent, ipſe imperator de captione ſæpedicta accuſaretur, reſpondit Thadæus: Vere doluit ſuper hoc dominus meus, & hoc præter intentionem ſuam & occaſionaliter contigit. Sed non potuit ipſos prælatos ab inimicis ſuis in illo repentino & vehementi aſſultu & navali prælio, ut bene ſciri potuit, ſequeſtrare, quin indifferenter cum hoſtibus involverentur. Et ſi præſens dominus meus imperator ibidem extitiſſet, utique diligenter liberationi eorum inſudaſſet. Ad hoc dominus papa replicavit: Poſt eorum captionem, quare inſontes, aliis retentis, liberos abire non permiſit, licet injuria multiformiter afflictos? Ad quod Thadæus: Recolendum eſt, quod alterata forma convocationis & adventus prælatorum ad concilium ſub Gregorio papa celebrandum convocandorum, mutabatur in deterius, & merito cor domini mei imperatoris etiam immutatum exaſperabatur. Quia idem papa cum vocandos tantum vocare debuiſſet, publicos imperii convocavit inimicos: laicos nempe armata manu communitos, utpote comitem de Provincia, & alios: ut patet in epiſtola regi Anglorum ſcripta, quam ſuperius recitavimus. Quos conſtabat non eſſe propter eorum ſapientiam vocatos, vel ad pacem componendam, ſed ſeditionem potius commovendam. Unde tam in Angliam quam alias miſſis epiſtolis regiones, amicabiliter prælatis ſingulis ſupplicavit dominus meus imperator, ne ad tam ſubdolum convenirent concilium, prænoſcens eos, ſi venirent cum hoſtibus ſuis & imperii, invadendos: denegavitque eis per ſuam ſecurum tranſitum ditionem: ſicque miſericorditer & civiliter ipſos de imminenti periculo præmunivit. Unde non immerito tradidit eos Dominus in manus ejus, quem ſuperbe contempſerunt. Adhuc tamen cum iratus fuit, miſericordiæ recordatus, voluit ipſos prælatos & alios imbelles in pace dimittere, ſuorum emollitus conſiliis fidelium: cum ecce Prænestinus, & quidam alii procaces, minas minis accumulantes, dominum meum in facie, etiam vinculati, non deſiſtebant excommunicare, immemores illius ſalubris conſilii: *Humiliamini ſub potenti manu*. 1. Petr. Sicque imbelles de rebellibus, immo imbecilles, ſic facti ſunt de amicis inimici merito incarcerandi. Ad quod papa: Præſumpſiſſe debuit dominus tuus imperator, quod tam bonorum, & tanta congregatio virorum, niſi de ſua cauſa diffideret, eum potius abſolviſſet, ſi abſolvendus fuiſſet, quam ligaſſet. Sed ex hoc manifeſte patet, quod ſua ipſum conſcientia remordebat, & peccatum, quo reus exiitit, ſauciarat. Ad quod Thadæus: Quomodo confidere poſſet dominus meus, ut conjunctos hoſtibus haberet propitios in concilio, ubi præſidere habuit domini mei inimicus capitalis, ſcilicet papa Gregorius, cum recalcitrantes videret eos & comminantes etiam compeditos? Ad quod papa: Et ſi unus objurgans gratiam demeruiſſet, quare alios innocuos communi involvit calamitate? Multiplici merito nihil aliud quam ſua ignominioſa imminet depoſitio. Quod cum intellexiſſent Angli, reclamaverunt pro prole ſua, ne filius patris iniquitatem portaret, nec rivus ſanguinis ab origine contaminaretur.

In tertia vero ſeſſione Thadæus nimis timens & dolens de domini ſui periculo, maxime pro eo quod filia ducis Auſtriæ, vel ipſi imperatori copulata, vel in proximo copulanda matrimonio, amplexus ejus abhorrens evitabat, eo quod excommunicationi ſubjacenti depoſitionis periculum imminebat, apparuit in concilio pro domino ſuo reſponſurus & appellaturus. Et cum cœpiſſet eum multiformiter excuſare, nec audiretur, appellavit pro eo ad concilium proxime futurum generalius. Nec enim nunc omnes prælati, vel eorum, vel principum procuratores, apparent hic impræſentiarum. Cui papa: Satis eſt concilium generale multorum, qui domini tui humilitatem inutiliter non ſine gravamine expectarunt, patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, & aliorum de diverſis Mundi partibus nobilium, vel eorum procuratorum. Et qui abſunt, laqueis domini tui impediuntur irretiti. Unde propter hoc indignum eſt ut ſententia depoſitionis in ipſum deferenda retardetur, ne ex malitia ſua commodum videatur reportare, cum non debeat alicui fraus patrocinari.

Querela Anglorum.

Aſſidentibus autem ibidem Anglicanæ univerſitatis procuratoribus prænominatis, magiſter Willielmus de Poweric eorum procurator aſſurgens, gravamina regni Angliæ ex parte univerſitatis Angliæ proponens ſatis eleganter, conqueſtus eſt graviter quod tempore belli per curiam Romanam exortum eſt tributum injurioſe, in quod nunquam patres nobilium regni vel ipſi conſenſerunt, nec conſentiunt, neque in futurum conſentient. Unde ſibi expetunt exhiberi juſtitiam cum remedio. Ad quod papa nec oculos elevans, nec vocem, verbum non reſpondit. Et poſt paululum ſilentii, dictus Willielmus propoſuit de multiformi redditu extorſione in Anglia per curiam Romanam factam, hanc oſtendens epiſtolam:

ANNO CHRISTI 1245.

Reverendo in Christo patri Innocentio Dei gratia summo pontifici magnates & universitas regni Angliæ recommendationem, cum pedum osculo beatorum.

„ MAtrem nostram Romanam ecclesiam
„ totis visceribus diligimus & amamus,
„ ut debemus, & ipsius honoris incrementum
„ & augmentum affectione quanta possumus
„ affectamus: ad quam habere refugium nos
„ oportet temporibus opportunis, ut dolor
„ aggravans filialis materno solatio mitigetur.
„ Quod quidem solatium mater filio eo tene-
„ tur mitius & facilius impertiri, quo ipsum
„ maternæ dulcedinis alimento gratum repe-
„ rit & devotum. Esse quidem non potest im-
„ memor mater illa illius gratitudinis, quam
„ ei a longe retroactis temporibus regnum An-
„ glicanum impendit, concedendo eidem, ad
„ exaltationem suam, & conservationem ma-
„ jorem, subsidium decens, & non modice
„ fructuosum, ut per hoc inter ecclesiam ipsam,
„ & regnum prædictum fœdus dilectionis firmius
„ iniretur: quod quidem subsidium processu
„ temporis beati Petri denarius extiterit nun-
„ cupatum. Ipsa vero ecclesia hujusmodi sub-
„ sidio non contenta, aliis temporibus, tam
„ per legatos quam per alios nuncios multi-
„ plicatos, subsidia petebat diversa in regno
„ prædicto, quæ ei a filiis suis tanquam de-
„ votis, & matrem suam sinceræ dilectionis
„ brachiis amplexantibus, fuerunt concessa li-
„ beraliter & libenter. Paternitatem etiam ve-
„ stram non credimus ignorare, quod prædece-
„ ssores nostri, sicut viri catholici, creato-
„ rem suum diligentes pariter & timentes,
„ animarum suarum & prædecessorum suorum,
„ necnon & successorum, saluti insistere cu-
„ pientes, monasteria fundaverunt, & bonis
„ suis, tam terris dominicis quam ecclesiarum
„ patronatibus, ditaverunt, ut viri religiosi in
„ monasteriis illis primam religionem laudabi-
„ liter exercentes, & cum summa devotione
„ Altissimo famulantes, pace & plena tran-
„ quillitate possent gratulari, prout religioni
„ dignoscitur convenire, de dictis dominicis
„ necessaria capientes. Et ut clerici sui, pa-
„ tronatuum suorum ecclesias obtinentes, pro
„ eis labores subirent exteriores, & eos de-
„ fenderent, inhærentes religioni secundæ, ab
„ incursibus allorum. Quapropter non sine
„ magna molestia nostra, & gravamine into-
„ lerabili nobis valde, præfati religiosi possent
„ patronatibus suis, aut ecclesiarum collatio-
„ nibus, aliquatenus defraudari. Sed ecce per
„ vos & prædecessores vestros, nullam consi-
„ derationem habentes, quod præter subsidia
„ supradicta, jam ditantur in Anglia Italici,
„ quorum est jam numerus infinitus, ecclesiis
„ ad ipsorum religiosorum spectantibus patro-
„ natus, qui rectores ecclesiarum dicuntur,
„ præfatos religiosos, quos deberent defende-
„ re, relinquentes penitus indefensos, nullam
„ curam animarum gerentes, sed lupos rapa-
„ cissimos gregem dispergere & oves rapere
„ permittentes. Unde vere dicere possunt,
„ quod non sunt boni pastores, quoniam oves
„ suas non cognoscunt, nec pastorum notitiam
„ oves habent: hospitalitati eleemosynarumque
„ largitioni, sicut statutum est in ecclesia,
„ non insistunt, sed fructus tantum percipiunt,
„ extra regnum asportantes, regnum non me-
„ diocriter depauperando, & redditus occu-
„ pando. Quibus redditibus fratres, nepotes,
„ consanguinei nostri, & ceteri bene meriti
„ de regno Angliæ prædicto, beneficiari tene-
„ rentur, qui possent & vellent dicta caritatis
„ opera, & etiam plura alia misericorditer &
„ pie exercere, & ecclesiis ipsis personaliter
„ deservire, ut qui altari deserviunt, vivant
„ etiam de altari, secundum dictum Pauli.
„ Ipsi vero nunc necessitate compulsi laici &
„ exules sunt effecti. Ut autem vobis veritas
„ plenius innotescat, Italici percipientes in An-
„ glia sexaginta millia marcarum, & eo am-
„ plius, annuatim, aliis perceptionibus diver-
„ sis exceptis, plus emolumenti meri redditus
„ de regno reportant, quam ipse rex, qui est
„ tutor ecclesiæ, & regni gubernacula mo-
„ deratur. Porro post creationem vestram fir-
„ miter sperabamus, & adhuc speramus, eam
„ de vobis fiduciam reportantes, quod vestræ
„ paternitatis misericordia mediante, gaudebi-
„ mus eleemosynas nostras prædictas tempore
„ vestro fore statui debito & pristino refor-
„ mandas. Sed tacere non possumus gravamen
„ nostrum, quo non solum gravamur, sed
„ etiam opprimimur ultra modum: videlicet,
„ quod magister Martinus præfatum regnum
„ sine domini regis licentia, cum majori po-
„ testate quam unquam vidimus habere lega-
„ tum a domino rege postulatum, nuper in-
„ gressus, licet non utens legationis insigniis,
„ multiplicato tamen legationis officio, novas
„ quotidie proferens potestates inauditas, ex-
„ cedens excedit: quædam beneficia jam va-
„ cantia triginta marcas vel amplius annuatim
„ valentia personis Italicis conferendo: quibus
„ decedentibus, & patronis ignorantibus, alii
„ supponuntur, & sic patroni suis collationi-
„ bus defraudantur. Adhuc etiam idem magi-
„ ster Martinus beneficia consimilia, cum ea
„ vacare contigerit, personis nititur assignare.
„ Quorumdam beneficiorum collationem sedi
„ apostolicæ reservando, & a viris religiosis
„ pensiones immoderatas insuper extorquendo:
„ contradictores & resistentes excommunica-
„ tionis & interdicti sententiis passim, non
„ absque magno discrimine & animarum pe-
„ riculo, supponendo. Cum igitur præfatus
„ magister Martinus, non sine totius regni
„ perturbatione non modica, jurisdictionem
„ exercens memoratam, quam a conscientia
„ vestra credere non possumus emanasse, eo
„ quod in multis majori fungeretur officio,
„ quam unquam fungi legatum aliquem vide-
„ rimus, privilegio domini regis admodum de-
„ rogando, per quod ei a sede apostolica spe-
„ cialiter indulgetur, ne quis in Anglia lega-
„ tionis fungatur officio, nisi a domino rege
„ specialiter postulatus, sanctæ paternitati ve-
„ stræ supplicandus quantum possumus humili-
„ ter & devote, quatenus, cum pius pater ad
„ relevationem oppressionis filiorum manum
„ misericordiæ teneatur extendere, ab oppres-
„ sionibus & gravaminibus memoratis nos ve-
„ lit vestræ paternitatis benignitas tempesti-
„ vo ac efficaci remedio cito relevare. Quan-
„ tumcumque namque dominus noster rex,
„ qui est princeps catholicus, & jugi vigilatio-
„ ne obsequiis Divinis intendit, corporis sui
„ consumptionem non considerans, in obsequio
„ Jesu Christi sedem velit apostolicam revere-
„ ri, & ecclesiæ Romanæ, sicut filius ejus ca-
„ rissimus, commodi & honoris desideret in-
„ cre-

ANNO CHRISTI 1245.

„ crementum & augmentum; jure tamen regio dignitateque regia plenius conservatis: „ nos tamen qui in negotiis suis portamus „ pondus dierum & æstus, & quibus una cum „ ipso domino rege intendere conservationi regni diligenter incumbit, dictas oppressiones „ Dec & hominibus detestabiles, & gravamina nobis intolerabilia, non possumus æquanimiter tolerare, nec per Dei gratiam amplius tolerabimus, vestræ pietatis remedio „ mediante, quod festinum & tempestivum „ habere credimus & speramus. Placeat igitur „ paternitati vestræ hanc supplicationem nostram taliter exaudire, quod a magnatibus „ & universitate regni Angliæ, tanquam a „ filiis in Christo carissimis, speciales gratias „ debeatis merito reportare.

Anglorum causa differtur.

Cum autem per prædictos nuncios in medio concilio legerentur, & in propatulo manifesto, facto optimo silentio, proponerentur, dominus papa non respondit: quia, ut asseruit, tam arduum negotium morosa indiguit deliberatione. Suspendit igitur ad tempus responsionem, licet urgenter instarent nuncii tam solemnes & magnifici; indistanter tamen se responsa daturum pollicendo. Addebant quoque iidem nuncii prioribus querimoniam gravem & seriam, videlicet de violenta oppressione, intolerabili gravamine, & impudenti exactione, quæ per hanc invisam adjectionem, papalibus litteris frequenter insertam, *Non obstante*, &c. exercetur.

Fridericus secundus imperio deponitur.

Altiori igitur insistens negotio dominus papa, licet in contrarium eleganter magister Thadæus procurator imperialis allegasset, in imperatorem Fridericum sine aliqua palpatione, vel dissimulatione, vel dilationis indulto, talem sententiam excommunicationis in pleno concilio, non sine omnium audientium & circumstantium stupore & horrore, terribiliter fulguravit,

Innocentius episcopus servus servorum Dei, &c. *sacro præsente concilio, ad rei memoriam sempiternam.*

AD apostolicæ dignitatis apicem, licet indigni, &c. *ut supra pagina* 613.

Hæc igitur in medio concilio prolata, cunctis audientibus, ad instar coruscantis fulguris, non mediocriter timorem omnibus incusserunt, Magistri igitur Thadæus de Suessa, & Walterus de Ocra, & alii procuratores imperatoris, & qui cum ipsis erant, emisso ejulatu flebili, hic femur, hic pectus in indicium doloris percutientes, vix a profluvio lacrymarum sese continuerunt. Et ait magister Thadæus memoratus: Dies ista, dies iræ, calamitatis & miseriæ. Dominus igitur papa & prælati assistentes concilio, candelis accensis, in dictum imperatorem Fridericum, qui jamjam imperator non est nominandus, terribiliter, recedentibus & confusis ejus procuratoribus, fulgurarunt.

Procuratores imperatoris recedunt confusi.

Statuta de reparatione terræ sanctæ, & negotio crucis.

De reparatione autem terræ sanctæ, & negotio crucis, dominus papa solicitus, hæc duxit in concilio statuenda hoc modo:

Afflicti corde pro deplorandis terræ sanctæ periculis, &c. *ut supra pagina* 628.

Ecclesiastica censura judices damnabiliter abutuntur, cum de matris ecclesiæ gremio ex alterius culpa indiscrete per eam attentent evellere innocentes: ex qua illicite notatus non læditur, sed errante clavi converti dicitur in damnantem. Volentes igitur insolentiæ, vel potius insolertiæ talium obviare, constitutionem præsenti decreto sancimus, ut judicum nullus excommunicato, &c. *ut supra pagina* 622. c. 12.

ANNO CHRISTI 1245.

Eum qui super dignitate, personatu, vel aliquo alio beneficio ecclesiastico obtinendis, &c. *ut supra pag.* 621. cap. 9.

Exceptionis peremptoriæ, seu defensionis cujuslibet principalis, &c. *ut supra pag.* 620. c. 6.

Expediendis atque absolvendis causarum negotiis obscuritas est invisa & contemptibilis: personarum vero claritas, & locorum celebritas, plurimum opportuna, & commendabilis valde. Proinde præsenti decreto duximus providendum, & arctissime statuendum, ne a sede apostolica, vel delegatis ipsius, causæ aliquibus committantur, &c. *ut supra pag.* 619. cap. 2.

Actor qui venire ad terminum, ad quem adversarium suum citari fecerat, contempserit, vel non curaverit, venienti reo in expensis propter hoc factis legitime condemnetur; ad citationem aliam minime admittendus, nisi sufficienter caverit quod in termino debeat fideliter comparere, *ut supra pag.* 620. c. 7.

Dispendia litium æquitatis compendio volentes qua possumus industria coarctare, ac minuere, statutum, &c. *ut sup. pag.* 620. cap. 8.

Juris esse ambiguum non videtur, &c, *ut supra pagina* 620. c. 5.

Statuimus atque ordinamus ut positiones negativas, &c. *ut supra pagina* 621. c. 10.

De electione.

Cum actus legitimi dies & conditiones abhorreant sanctione legali, inter legitimos actus electio pontificum celeberrimus habeatur, cum per eam inter eligentes & electum spiritualis quædam matrimonii fœdera copulentur, atque reconcilientur in electionibus, seu postulationibus, vel scrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi; vota conditionalia, alternativa & incerta reprobamus & prohibemus; statuentes ut hujusmodi votis pro non adjectis habitis, ex puris consensibus surgat electio.

De offic. delegati 1. 6. ut supr. pag. 619. 620. cap. 3 & 4.

In multis juris articulis numerositas & infinitas reprobatur. Et ideo providere duximus statuendum, ut per generalem clausulam, Quidam alii, quæ frequenter in litteris nostris inseritur, ultra tres vel quatuor diætas in judicio non trahantur. Statuentes, ut si conservatores, quos plerisque concedimus, a manifestis injuriis & violentiis defendere possint, quos eis committimus defendendos, nec ad alia quæ judicialem indaginem & examinationem exigunt, suam possint extendere potestatem.

Cap. 1. electione electi po state in

Statuimus, ut si aliquis electiones, postulationes, vel provisiones factas impugnat, in formam objiciens aliquid, vel personam, & propter hoc ad nos appellari contingat, tam is qui opponit,

nit, quam qui defendit, & generaliter omnes quorum interest, & quos causa contingit, per se, vel per procuratores ad causas instructos, ad sedem apostolicam a die objectionis iter arripiant infra mensem. Sed si pars aliqua non venerit post viginti dies post adventum alterius expectata, in electionis negotio, non obstante cujusquam absentia, sicut de jure fuerit, procedetur. Hæc autem in dignitatibus, personatibus, & canonicis, observari volumus, & mandamus. ANNO CHRISTI 1244.

Adjicimus, ut qui non plene probaverit quod in forma proponit, ad expensas, quas propter hoc pars altera feciſſe docuerit, condemnetur. Qui vero in probatione defecerit ejus quod in personam objicit, a beneficiis ecclesiasticis triennio noverit se suspensum. Atque si infra illud tempus propria se temeritate ingesserit, illis ipso jure perpetuo sit privatus, nullam super hoc de misericordia spem aut fiduciam habiturus: nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum a calumniæ vitio causa probabilis & sufficiens excuset.

Officii nostri debitum remediis invigilat subjectorum. Quia dum eorum excutimus onera, dum scandala removemus, nos in ipsorum quiete quiescimus, & fovemur in pace. Proinde præsenti decreto statuimus, ut ecclesiæ Romanæ legati, quantumcumque plenam legationem obtineant, sive a nobis missi fuerint, sive suarum ecclesiarum prætextu legationis sibi vindicent dignitatem, ex ipsius legationis munere conferendi beneficia nullam habeant potestatem; nisi hoc specialiter duxerimus indulgendum. Quod tamen in fratribus nostris legatione fungentibus nolumus observari: quia sicut honoris prærogativa lætantur, sic eos authoritate fungi volumus ampliori.

Frequens & assidua nos querela circumstrepit, quod spoliationis exceptio nonnunquam in judiciis calumnioſe proposita, causas ecclesiasticas impedit & perturbat. Dum enim exceptioni insistitur, appellationes interponi contingit. Et sic intermittitur, & plerumque perimitur causæ cognitio principalis. Et præterea nos, qui voluntarios labores appetimus, ut quietem aliis præparemus, finem litibus cupientes imponi, & calumniæ materiam amputari, statuimus, ut in civilibus negotiis propter spoliationis objectionem, quæ ab alio quam ab actore facta proponitur, judex in principali procedere non postponat. Sed si in civilibus ab actore, in criminalibus autem se spoliatum reus asserat a quocumque: infra quindecim dierum spatium post diem in quo proponitur, quod asseruit comprobabit. Alioquin in expensis, quas actor interim ob hoc fecerit, judiciali taxatione præhabita, condemnetur; alias etiam, si æquum judici visum sit, puniendus. Illum autem spoliatum intelligi volumus in hoc casu, cum criminaliter accusatur, qui tota substantia sua, vel majori parte ipsius, per violentiam se destitutum affirmat. Et secundum hoc loqui canones sano credendum est intellectu: quia nec nudi contendere, nec in errore inermes opponere nos debemus, habet enim spoliatus privilegium, ut non possit exui jam nudatus. Solet autem inter scholasticos dubitari, si spoliatus a tertia, de spoliatione contra suum accusatorem excipiat, an ei tempus a judice debeat indulgeri, infra quod restitutionem imploret; ne forte sic velit existere, ut omnem accusatorem eludat; quod satis æquitati consonum æstimamus. Et si infra tempus indultum restitutionem non petierit, & causam, cum potuerit, non perducat ad finem: non obstante spoliationis exceptione, deinceps poterit accusari. Ad hæc statuimus, ut rerum privatarum exspoliatio agenti super ecclesiasticis, vel e contrario nullatenus opponatur. ANNO CHRISTI 1245.

Pia consideratione statuit mater ecclesia, quod majoris excommunicationis exceptio in quacumque parte judiciorum opposita, lites differat & repellat agentes: ut ex hoc magis censura ecclesiastica timeatur, excommunicationis periculum evitetur, contumaciæ vitium reprimatur: & excommunicati dum a communibus actibus excluduntur, rubore suffusi & confusi, ad humilitatis gratiam & reconciliationis effectum facilius inclinentur. Sed hominum succrescente malitia, quod provisum est ad remedium, tendit ad noxas. Dum enim in causis ecclesiasticis hæc frequentius exceptio per malitiam apponatur, contingit differri negotia, & partes fatigari laboribus & expensis. Proinde quia morbus iste quasi communis irrepserit, dignum duximus communem adhibere medelam. Si quis igitur excommunicationem opponat, speciem ipsius & nomen excommunicatoris exprimat; sciturus eam rem a se deferri in publicam noticnem, quam infra octo dierum spatium, die in quo proponitur minime computato, probare valeat apertissimis documentis. Quod si non probaverit, judex

De accusationibus. De except. in 6. decr.

ANNO CHRISTI 1245.

dex in causa procedere non omittat, reum in expensis, quas actor ob hoc diebus illis se fecisse docuerit, præhabita taxatione condemnans. Si vero postmodum instantia durante judicii, & probandi copia succedente, de eadem excommunicatione vel alia excipiatur iterum, & probetur, actor in sequentibus excludatur, donec meruerit gratiam absolutionis obtinere: his quæ præcesserunt nihilo minus in suo robore duraturis: provisо ut ultra duas vices non proponatur hæc exceptio, præterquam si excommunicatio nova emerserit, vel evidens & prompta probatio supervenerit de antiqua. Sed si post rem judicatam talis exceptio proponatur, * excusationem impedier: sed sententia, quæ præcessit, non minus robur debitum obtinebit: eo tamen salvo, ut si actor excommunicatus sit publice, & hoc judex noverit quandocumque, etsi hoc reus non excipiat, judex actorem ex suo officio repellere non postponat.

* an accusationem?

De sententia & re judicata in 6.

Cum æterni tribunal Judicis illum reum non habeat queminjuste judex condemnat, testante propheta, & dicente: *Nec damnabit eum cum judicabitur illi*, caveant ecclesiastici judices, & prudenter attendant, ut in causarum processionibus nihil vindicet odium, nihil favor usurpet; timor exulet, præmium & expectatio præmii justitiam non evertat. Sed stateram gerant in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus, quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententiis & ferendis, præ oculis habeant solum Deum. Illius imitantes exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingressus ad Dominum referebat, ut secundum ejus imperium judicaret. Si quis autem judex ecclesiasticus ordinarius, seu etiam delegatus, famæ prodigus, & proprii persecutor honoris, contra conscientiam & contra justitiam, in gravamen partis alterius, in judicio quidquam fecerit per gratiam vel per sordes, ab executione officii per annum noverit se suspensum, ad æstimationem litis parti, quam læserit, nihilominus condemnandus. Sciturus quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se Divinis, irregularitatis laqueo involvetur, secundum canonicas sanctiones; a quo non nisi per sedem apostolicam poterit liberari. Salvis aliis constitutionibus, quæ judicibus male judicantibus pœnas congerunt & infligunt. Dignum est etenim ut qui in tot præsumpserit offendere, pœna multiplici castigetur.

De appellationibus, in 6.

Cordi nobis est lites minuere, & a laboribus relevare subjectos. Sancimus igitur, ut si quis in judicio, vel extra, super interlocutoria, vel gravamine, ad nos duxerit appellandum, causam appellationis in scriptis assignare deproperet, petat apostillos, quos ei præcipimus exhiberi. In quibus appellationis causam judex exprimat. Et cum appellatio non sit admissa, vel si appellationi forsitan ex superioris reverentia sit delatum, post hoc appellatori secundum locorum distantiam, & negotii qualitatem, tempore prosecutionis indulto, si appellans voluerit, & principales petierint, per se & per procuratores instructus, cum mandato ad agendum, rationibus & munimentis ad causam spectantibus, accedant ad sedem apostolicam sic parati, ut, si nobis visum fuerit expedire, finito appellationis articulo, vel partium voluntate omissa, procedant in negotio principali quantum poterit, & de jure debebit; his, quæ in appellationibus a diffinitivis sententiis interpositis antiquitas statuit, non mutatis. Quod si appellator quæ præmissa sunt non observet, reputabitur non appellans, & ad prioris judicis redibit examen, in expensis legitimis condemnandus. Si autem appellatus contempserit hoc statutum, in eum, tanquam contumacem, tam in expensis, quam in causa, quantum a jure permittitur, procedetur. Justum est equidem ut in eum jura insurgant, qui jus, judicem & partem eludit *

* al. illi. De sente excomm carionis 1. in 6.

Cum excommunicatio sit medicinalis, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen in quem lata fuerit non contemnat: caute provideat judex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi quod corrigentis est & medentis. Quisquis ergo excommunicat, in scriptis proferat, & causam expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero scripturæ hujusmodi teneatur excommunicato tradendum infra mensem post diem sententiæ, si fuerit requisitus: super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel literas testimoniales confici sigillo authentico consignatas. Si quis autem judicum hujusmodi constitutionis temerarius violator existat, per mensem unum ab ingressu ecclesiæ & Divinis noverit se suspensum. Superior vero, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans, latorem excommunicationis ad expensas omnes & interesse condemnet, & alias puniat animadversione condigna, ut pœna docen-

ANNO CHRISTI 1245.

cente, discant judices, quam grave sit excommunicationum sententias sine maturitate debita in aliquem fulminare. Et hæc eadem etiam in suspensionis & interdicti sententia volumus observari. Caveant autem prælati, & judices universi, ne prædictam suspensionis pœnam incurrant. Quoniam si contigerit eos sic suspensos Divina officia exequi, sicut prius, irregularitatem non effugient, juxta canonicas sanctiones: super qua non nisi per summum pontificem poterit dispensari.

e sententia communionis, c. in 6.

Solet autem a nonnulliis in dubium revocari, an cum aliquis per superiorem absolvi postulat ad cautelam, dum in se latam excommunicationis sententiam asserit esse nullam, sine contradictionis obstaculo munus debeat ei absolutionis impendi. Et ante absolutionem hujusmodi, qui se offert in judicio probaturum se post appellationem legitimam in excommunicatione notatum, vel intolerabilem errorem in sententia fuisse patenter expressum, sit in ceteris, excepto probationis illius articulo, evitandus. In prima igitur dubitatione sic statuimus observandum, ut petenti absolutio non negetur, quamvis in hoc excommunicator, vel adversarius, se opponat. In quo casu tres tantummodo octo dierum indulgebuntur dilationes, sic dicenti, ut si probaverit quod opponit, nec relaxetur sententia, nisi prius sufficiens præstetur emenda, vel competens cautio de juri parendo, si offensa dubia proponatur. In secunda vero quæstione statuimus, ut si is qui ad probandum admittitur, pendente probationis articulo, etiam ceteris, quæ ut actor in judiciis, acceptaverit, interim evitetur. Extra judicium vero, in officiis, postulationibus, & electionibus, & aliis legitimis actibus, nihilo minus admittatur.

CAPITULA.

LUGDUNENSIS CONCILII

a Binio non edita, collecta ex sexto decretalium.

Apud Labbeum hic dantur, sed cum omnia contineantur in Constitutionibus Innocentii IV. inferius dandis, ideo hic omittuntur. Mansi.

De potestate archiepiscopi, & ejus officialis, in suffraganeos.

NOTÆ SEVERINI BINII.

ANNO CHRISTI 1245.

G. C. *In notas suas incluserat Binius ea quæ jam edidimus ex Matthæo Pariso: quæ nos proprio nomine acta inscripsimus. Ceteris quæ in Binii notis ex Stadensi & Trithemio sequuntur, notarum nomen relinquimus.*

EAdem acta concise & breviter recitantur apud abbatem Stadensem in chronico his verbis: *Anno Domini* 1245. *papa in Burgundiam Lugdunum, quæ prima sedes est Galliarum, veniens, post festum Joannis Baptistæ ibidem concilium celebravit, & quintam partem ab ecclesiis reddituum requisivit. Imperator pro se nuntios misit, inter quos erat quidam Thadæus doctor legum, qui pro eo elegantissime allegavit, ita ut plurimorum sibi audientiam conquireret & favorem. Nihilo minus autem Papa Imperatorem* B *in die Jacobi feria tertia, quæ tertia dies erat concilii, excommunicavit. Papa per totam terram Teuthoniæ lugubrem litteram principibus ecclesiasticis destinavit, conquerens flebiliter quod a gente quadam Saracena, quam Choresminorum populum appellant, sepulcrum Domini esset enormiter violatum, &c.* Et paulo infra, cum alia quædam de Saracenis & prodigiosis orbium cœlestium aspectibus recensuisset, subjungit: *Papa in jam dicto concilio, scilicet die Jacobi, contra Imperatorem excommunicationis sententiam renovavit, & eum ab imperiali culmine authoritate propria deposuit, & hanc depositionem per totam ecclesiam promulgavit: præcipiens sub interminatione excommunicationis, ut nullus eum imperatorem de cetero nominaret. Qua sententia per mundum volante, quidam principum cum multis aliis reclamabant, dicentes, ad papam non pertinere imperatorem vel instituere vel destituere; sed electum a principibus coronare. Interea Papa solicitari fecit principes, quos ad imperium regendum credidit idoneos, ut aliquis eorum onus imperii sumeret & laborem, promittens ei, quicumque imperium assumeret, consilium* C *& auxilium pariter & favorem. Tandem Henricus Lantgravius, cognomento Raspe, multis victus precibus, imperium accepit,*

Trithemius in chronico Hirsaugiensi: *Fridericus imperator secundus*, ait, *in concilio Lugdunensi a papa Innocentio citatus, & non comparens, a Cæsarea majestate deponitur, & omni dignitate privatur: vacavitque deinceps, ut quidam volunt, Romanum imperium per annos viginti octo, usque ad Rodulphum de Habsburg; quamvis tres interea successive per principes fuerint electi, plures autem in dissensione, principibus non concordantibus. Et primo quidem post depositionem Friderici, Papa mandavit principibus; ut imperatorem, quem vellent, eligerent: quorum aliqui Fridericum sequentes, mandatum papæ non curaverunt: ceteri in unum convenientes, Henricum provincialem comitem Hassiæ in regem contra Fridericum eligentes, partes ejus quantum potuerunt defendebant. Electus autem Henricus, bellum cum Conrado habuit filio Imperatoris in campis juxta Francofordiam, & victor evadens* D *Conradum superavit.*

Annis igitur quinque nomen gerens regium, nihil memoria dignum patravit, sed obiit, imperii coronam minime consecutus. Quamdiu enim vixit imperator Fridericus, per annos ferme sex prævalere contra eum nec papa nec aliquis principum potuit: sed non advertens sententiam papæ, quam injustam & frivolam dicebat, se imperatorem gessit: magnamque principum, nobilium & civitatum adhærentiam habuit usque ad mortem. Intravit post depositionem sui in Italiam, & tantis malis papam subjectosque illi populos afflixit, ut pontificem vivere tæderet, voluissetque se nunquam depositionem illius cogitavisse. Maxima enim partialitas populorum in Italia subsecuta est, quæ usque in præsentem ferme diem per annos ducentos & sexaginta, non sine multorum effusione sanguinis duravit. Enimvero qui Romani pontificis sequebantur partes, quorum votis inditum nomen erat Guelforum, fautores Imperatoris, qui Gibellini dicebantur, omni studio omnique virtute persequi & delere penitus satagebant. E *Nec minore studio Guelfos Gibellini persequebantur.* Hæc Trithemius.

G. C. Quod ait Albertus Stadensis, pontificem in hoc concilio, *quintam partem ab ecclesiis reddituum requisivisse*: fallitur. Nam vigesimam tantum petitam esse, idque in triennium, supra legisti c. 17. institutionum hic factarum. Quintam autem exactam a Polonis adversus Fridericum Imper. mox videbimus, ad ann. MCCXLVIII.

G. C. URATISLAVIENSE concilium ad ann. MCCXLV. commemorat Staravolscius. Sed male illud collocat, cum sit anni MCCXLVIII. ut infra ad illum annum leges.

ANNO CHRISTI 1245.

AD LUGDUNENSE I. CONCILIUM OECUMENICUM

Anno 1245. *habitum.*

ADDITIO.

Ann. 1245. OMnium primum ad concilium hoc additamentum ſtatuo collectionem decretorum Innocentii IV. quam idem Innocentius in ſynodo legendam, probandam, recipiendamque in corpus juris canonici dedit. Eam quidem Labbeus ex ſexto decretalium compegit, deditque poſt canones hujus concilii, ratus, & merito quidem, hanc pariter collectionem ad concilii acta pertinere. Sed in eam claſſem ea tantummodo Innocentii decreta contulit, quæ ex titulo lata eſſe illa in concilio Lugdunenſi dicebat. Reipſa tamen alia pariter Innocentii decreta in ea collectione continebantur (eademque dein & in ſextum decretalium tranſierunt) adeoque & propoſita ſunt in concilio, quanquam concilii nomen in titulo non præferunt. Quin & nonnullæ ejus collectionis concilio exhibitæ ſanctiones fruſtra in ſexto decretalium, cum ibi omiſſæ ſint, quærerentur. Ita pariter & præfatio quam eidem collectioni ſuæ ſtatuit Innocentius, nec apud Labbeum, nec in excuſis alibi extat. Præſtat igitur integram illam hic exhibere, qualem reperi in duplici MS. codice Bibliothecæ canonicorum Cathedralis eccleſiæ Lucenſis, in quibus poſt decretales Gregorii papæ IX. ſubditur hoc titolo:

Incipiunt novæ conſtitutiones &c.

IN CONSTITUTIONES INNOCENTII PAPÆ IV.

In Concilio Lugdunenſi Oecumenico lectas acceptaſque

PRÆFATIO EDITORIS.

ACtorum, ſeu Canonum Lugdunenſis concilii œcumenici anno 1245. habiti portionem maximam conficiunt Innocentii papæ IV. conſtitutiones, quas legendas, promulgandaſque in eodem concilio ipſe per ſe pontifex exhibuit. Has dare ſibi viſus eſt Labbeus, ex libro VI. Decretalium, canones illos deſcribens, quorum in titulo legebat: *Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi*. Ita tamen ille agens codicem longe minorem repræſentavit, quam qui concilio Lugdunenſi reipſa oblatus eſt, ut ex codicibus M. S., in quibus ea canonum collectio offertur legenda, intelligimus. Fateor equidem omnes illos, vel fere omnes illos canones, quibus eadem collectio conſtat, in ſexto Decretalium huc illucque diſperſos comprehendi; ſed longe plures ſunt quam qui concilium Lugdunenſe in titulo præferunt: cum illi tantummodo eo titulo præfixi ſint, quos tunc primo Innocentius condidit, non vero quos antea a ſe promulgatos in eamdem conſtitutionum ſuarum complexionem revocavit. E re igitur mea eſſe duxi, integrum, qualem in volumine M. S. Bibliothecæ Cathedralis Lucenſis nactus ſum, codicem conſtitutionum Innocentii IV. hic dare, addita ex eiſdem M. S. codicibus præfatione Innocentii IV. quam nuſpiam excuſam reperi. Cum vero editionem hanc meam ad manuſcriptos codices exegerim, & canones iſti fere omnes huc illucque in VI. Decretalium diſperſi ſint, ideo in adnotationibus ad oram libri dedi variantes, ſi quas ex collatione editorum cum M. S. offendi. Uſus ſum vero in editis conferendis editione Decretalium Pithæana, quam accuratiſſimam reputavi. Adnotanda pariter duxi loca decretalium, in quibus ſinguli collectionis Innocentianæ canones repoſiti ſunt. Hæc ſanctionum repetitio ſuperflua videri nonnullis potuiſſet; cum nemo unus fuerit, cui non ſit in promptu liber ſextus Decretalium, portionem maximam horum canonum Innocentii IV. complectens; verum præter quam canones hic quidam occurrunt, fruſtra in VI. quærendi, alius eſt etiam harum conſtitutionum ordo ab eo, qui in ſexto ſervatus eſt. Sunt inſuper variantes plures ab editis in ſexto canonibus, quæ minus facile animadverterentur ſi ab his conſtitutionibus ex integro referendis parceremus. Denique movit me Labbei exemplum, qui ex ſexto Decretalium eos canones collegit, quos ad Lugdunenſe iſtud concilium ſpectare arbitratus eſt. Æqui, bonique faciant lectores diligentiam hanc meam, ex qua illis id ſaltem accedet commodi, ut hic tandem primo integrum conſtitutionum Innocentii codicem, fruſtra alio quærendum, offendant; quin & alia quædam, rara licet, nanciſcentur, quæ nuſquam comparuerunt.

IN-

INCIPIUNT DECRETALES NOVISSIME

Compilatæ per dominum Innocentium IV. in Concilio Lugdunensi.

INnocentius Episc. servus servorum Dei Dil. fil. universitati magistrorum, & scholarium (*a*) Bononiæ commorantibus salutem, & apostolicam benedictionem. Cum nuper in Concilio generali apud Lugdunum quasdam constitutiones super certis articulis duxerimus promulgandas, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eis, quas sub bulla nostra vobis transmittimus uti velitis admodo tam in judiciis, quam in scholis, ipsas sub suis titulis, prout super qualibet earum exprimitur, inseri facientes.

De rescriptis.

Cum in multis juris articulis infinitas reprobetur, provide duximus statuendum, ut per generalem clausulam, quidam alii, quæ frequenter in literis nostris inseritur, ultra tres, vel quatuor in judicium non trahantur. Quorum nomina in primo citatorio imperator exprimat, ne locus fraudi forsitan relinquatur, si circa ea possit libere variare.

Idem in eodem concilio.

Præsenti decreto duximus providendum ne (*b*) a sede apostolica, vel legatis ipsius causæ aliquibus (*c*) committantur, nisi personis, quæ vel *dignitate* (*d*) sunt præditæ, aut in Ecclesiis cathedralibus seu aliis collegiatis honorabilibus institutæ. Nec alibi quam in civitatibus, vel locis magnis, & insignibus, ubi haberi valeat juris copia peritorum, causæ hujusmodi agitentur. Judicibus vero, qui contra hoc statutum ad alia loca alterutramque (*e*) partium citaverit, vel utramque, non pareatur impune, nisi citatio de communi utriusque partis processerit voluntate.

Idem in eodem.

Dispendia litium æquitatis compendio volentes qua possumus industria coarctare statutum felicis recordationis *Gregorii Papæ IX.* (*f*) super hoc editum ampliantes; decernimus ut si quis contra alium plures personales movere voluerit quæstiones, non ad diversos judices, sed ad eosdem super omnibus hujusmodi quæstionibus literas studeat impetrare. Qui vero contrarium fecerit, omni commodo careat literarum (*g*) *processus* habitus valeat per easdem, *alias* (*h*) *vero* reo si eum per ipsas (*i*) fatigaverit in expensis (*k*) condemnandus. Reus quoque si, eodem durante judicio, actorem sibi obnoxium duxerit, reconventionis beneficio, vel conventionis, si contra eum literas impetrare (*l*) valuerit, de jure suo debeat apud eosdem Judices experiri: nisi eos ut suspectos poterit recusare, simili pœna, si contra hoc fecerit puniendus.

De electione, & electi potestate. Idem.

Statuimus, ut si quis electionem, postula-

A tionem, vel provisionem factam impugnat in formam objiciens aliquid, vel personam, & propter hoc ad nos appellari contigerit, tam is qui opponit, quam qui defendit, & generaliter omnes quorum interest, & quos causa contingit, per se vel procuratores *idoneos* (*m*) ad causam *sufficienter*, (*n*) instructos ad sedem Apostolicam a die objectionis iter arripiant intra mensem. Sed si pars aliqua non venerit per 20. dies post adventum alterius partis expectata in electionis negotio non obstante cujusquam absentia, sicut de jure fuit, procedatur. Hoc autem in dignitatibus, personatibus, & canonicis observari volumus & mandamus. Adjicimus etiam, ut qui non plene probavit, B quod in formam opposuit ad expensas, quas propter hoc pars altera se feciſſe docuerit, condemnetur. Qui vero in probatione defecerit, ejus, quod objicit in personam, a beneficiis ecclesiasticis triennio noverit se suspensum, ad quæ si infra illud tempus se propria temeritate ingesserit, tunc illis ipso jure perpetuo sit privatus, nullam super hoc de misericordia spem aut fiduciam habiturus, nisi manifestissimis constiterit *argumentis* (*o*) quod ipsum a calumniæ vitio causa probabilis, & *manifesta* (*p*) excusat.

Idem in eodem.

C In electionibus, & postulationibus ac scrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa, & incerta penitus reprobamus; statuentes, ut, hujusmodi votis pro non *votis* (*q*) habitis ex puris consensibus celebretur electio: voce illorum, qui non pure consenserint, ea vice in alios *recidente* (*r*).

De supplenda negligentia Prælatorum. Idem.

Romana vero Ecclesia &c. *& infra*. Edictum vero per Remensem provinciam publicatum, ut a subditis episcoporum ipsius provin- D ciæ pro audiendis, & terminandis eorum causis libere ad Remensem curiam accedatur penitus revocamus. Quia etiamsi tenerentur iidem episcopi pro suis culpis vinculo excommunicationis adstricti; non tamen ex culpis (*s*) *ipsis* (cum id non inveniatur a jure concessum) ad Remensem Archiepiscopum jurisdictio devolveretur eorum. Sed alia forte pro illis pœna ipsis (*t*) posset infligi.

De baronibus comitantibus (u) Regem Portugalliæ.

Grandi non immerito *& infra*. M. q. dilectum Filium N. *vicecomitem* (*x*) Bononiensem E (*y*) præfati regis Portugalliæ fratrem de devotione, probitate, ac circumspectione multipliciter commendatum, qui eidem regi, si absque legitimo decederet filio, jure regni regi succederet, quique *examinatione* (*z*) dilectionis, affectu, quos vos, & prædictum regnum prosequitur, magnanimitate, ac potentia sibi plurimum suffragantibus, regnum ipsum (*aa*) reformaturus firma credulitate speratur: præsertim cum ad curam, & administrationem generalem, & liberam regni ejusdem non minus (*bb*) sæpedicti regis, quam ipsius regni utilitatem si provide attendatur ac ad defensio-

ANNO CHRISTI 1245.

(m) *deest in editis.*
(n) *deest in editis.*
(o) In ed. *Documentis*
(p) *Edit.* sufficiens.
Cap. in electionibus in 6.
(q) *Edit.* non adjectis
(r) *Edit.* residente
Cap. Romana De suppl. neglig. Præl. in 6.
(s) Edit. *ex suis.*
(t) Add. in ed. *canonicam*
(u) ed. *& comitibus*
Cap. Grandi lb. in 6. Deest in uno Cod.
(x) *Comitem* Ed.
(y) *Ed.* Bolon.
(z) *Ed.* examinatæ
(aa) *Ad. ed.* maturius.
(bb) *Ed.* tam pro sæpedicti regis quam ipsius &c.

nem ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum regni præfati, & personarum ecclesiasticarum, tam religiosarum, quam sæcularium ; necnon viduarum, orphanorum, & cæterorum ibidem degentium, ac de perditorum inibi recuperationem salubriter in Domino confidimus sit adsumptus; cum ad vos accesserit, fidelitate, homagio, juramento, seu pacto, si aliquibus forte præfato regi vel cuicumque aliæ personæ (*a*) teneamini, aut etiam ipsius regis prohibitione; dummodo personam ejus, & vitam, ac legitimi filii sui, si aliquem ipsum habere contigerit, fideliter conservetis (*b*) eis exhibentes honorem, nequaquam obstantibus in civitatibus, castris, villis, & munitionibus regni prædicti cum omnibus suis recipere, ac ejus dispositioni, ordinationi, & mandatis universaliter singuli, & singulariter universi per omnia, & in omnibus intendere absque difficultate qualibet procuretis impendentes sibi contra quoslibet repugnantes, ac etiam violentos consilium, & auxilium, & favorem de redditibus, proventibus, omnibusque sæpefati Regni (*c*) *viribus* sine diminutione aliqua plenarie reponendo, ut de illis dicto regi secundum quod suam decet excellentiam sibi, ac suis, & præfati regni necessitatibus, pro temporum, ac negotiorum emergentium quantitatem valeat providere. Alioquin venerabili Fratri nostro Bracharensi Archiepiscopo, & episcopo Columbrienſi damus his nostris literis in præceptis, ut vos ad id *mo. Principem Eccles. Apost. Re.* compellant. Per hoc autem non intendimus memorato regi, vel ipsius legitimo filio, si quem habuit, prædictum regnum adimere; sed potius sibi, & eidem regno destructioni (*d*) & vobis ipsis in vita ejusdem Regis, per sollicitudinem, & providentiam comitis consulere supradicti.

ANNO CHRISTI 1243.

(a) Ed. teuemini

(b) Ed. addit debitum

(c) Ed. juribus

(d) In ed. add. expositio

De Officio Vicarii.
Idem.

Cap. Rom. de Offic. Vic. in 6.

Romana Ecclesia &c. & *infra*. Cum Remensis Archiepiscopus in officialem alicujus suffraganei sui excommunicationis sententiam ex aliqua rationabili causa profert, illos, qui vices ipsius gerunt, propter hoc excommunicationis vinculo *non* adstringant. (*e*) Cum non communicent ob id officiali eidem in crimine, qui ecclesiasticæ censuræ districtione, pro eo quod suum exercent officium, non arctantur. Ea tamen, quæ ipsis gerendo hujusmodi vices agunt eo taliter excommunicato existente (*f*), si jurisdictionem tantum recipiunt, ab eodem non possunt obtinere vigorem.

(e) Ed. adstringit.

(f) Ed. manifeste

De Officio & potestate Judicis delegati.
Idem in Concilio Lugdun.

Cap. Statuimus in 6. * Ed. ad. manifestis

Statuimus, ut conservatores, quos plerumque concedimus * ab injuriis, & violentiis defendere possint, quos eis committimus defendendos. Nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam possint extendere potestatem.

De Officio Legati.
Idem.

Cap. Officii in 6.

Officii nostri debitum remediis invigilat subjectorum; quia dum eorum executimus onera, dum scandala removemus, nos in ipsorum quiete quiescimus, & fovemur in pace. Proinde præsenti decreto statuimus, ut Ecclesiæ Romanæ legati, quantancumque plenam legationem obtineant, sive a nobis missi fuerint, sive suarum ecclesiarum prætextu legationis sibi vindicent dignitatem ex ipsius legationis munere conferendi beneficia nullam habeant potestatem, nisi hoc alicui specialiter duxerimus indulgendum. *Quod tamen in fratribus nostris legatione fungentibus* * nolumus observari, quia sicut honoris prærogativa lætantur, sic eos auctoritate fungi volumus ampliori.

ANNO CHRIST 1245.

* Desunt h in uno C

*De Officio * Ordinarii.*

* in uno C additur *dicis* Cap. Rom na de Of Ord. in sed male tribuitur noc. III.

Romana Ecclesia. *Et infra*. Prohibemus quoque, ne Remensis Archiepiscopus Diœcesibus suffraganeorum suorum foraneos officiales constituat: quia cum Metropolitanis ne suorum suffraganeorum ingrediantur Diœceses, ut in eis authoritate propria judicent, disponant, *aliquidve aliud* * agunt canonica prohibeant instituta: nequaquam hoc possunt in illis per alios exercere. *Nec pro eo quod* * causas per appellationem delatas ad ipsos possunt in suffraganeorum suorum Diœcesem delegare: similiter licet eis tales officiales instituere in eisdem, qui eorum vice, cum appellatur ad ipsos, citationes, vel inhibitiones faciant; seu compescant in hac parte rebelles. Quia in causis per appellationem devolutis ad ipsos jam jurisdictionem obtinere noscuntur; propter quod licite possunt super illis committere vices suas. Non sic autem in aliis, in quibus nondum extitit appellatum, & idcirco non debent aliquos constituere pro citationibus in futuris causis appellationum, & inhibitionibus faciendis: nisi aliud Remensis ecclesia, circa talium Officialium institutionem de consuetudine obtineat speciali. A quibus etiam si de consuetudine hujusmodi possint in Remensi Provincia constitui: inhibitiones tamen, ne procedatur in causis prius, quam ad Remensem Curiam appelletur, fieri penitus inhibemus. Officiales autem Remensis archiepiscopi (quamdiu in sua provincia vel circa illam extiterit) in suffraganeos interdicti, suspensionis, vel excommunicationis proferre sententias non attentent. Et hoc idem ab officialibus aliorum Metropolitanorum circa ipsorum suffraganeos, quibus ob reverentiam pontificalis Officii deferri volumus in hac parte præcipimus observari.

* aliud aliud . unus Co * Cod. u sed caus per appel tionem.

De Judiciis.
Idem in Concilio Lugdun.

Cap. juris esse in 6.

Juris esse ambiguum non videtur, judicem delegatum (qui a Sede Apostolica mandatum ad hoc non receperit speciale) jubere non posse alterutram partium coram se personaliter in judicio comparere. Nisi causa fuerit criminalis, vel nisi pro veritate dicenda, vel juramento calumniæ faciendo (*a*) juris necessitas partes coram eo exegerit personaliter præsentari.

(a) Ed. a vel alias

De Foro competenti.
Idem.

Cap. Ron na eccles de foro co pet. in 6

Romana Ecclesia &c. & *infra*. Nec appellatio-

lationis articulo prætermisso, nec alias etiam cum minime appellatum extiterit Remen. Archiepiscopus vel ejus Officialis de causis clericorum tanquam judices, licet in ipsos iidem clerici de facto consentiant, absque Diœcesanorum suorum voluntate cognoscant; neque suffraganeorum Remensis Ecclesiæ subditos ipsorum delegationem suscipere, vel sententias (*a*) *præceptas* exequi, aut in causis (*b*) per appellationem devolutis ad eos, testimonium, nisi aliud in his tribus de consuetudine obtineant, prohibere compellant. Nec etiam suffraganeorum ipsorum officiales, aut archidiaconos, archipresbyteros, aliosque inferiores prælatos suffraganeis eisdem subjectos, dummodo aliud eis contraria consuetudo non tribuat. Nec subditos suffraganeorum ipsorum super salariis advocatorum, & procuratorum in causis, quæ in Remensi ventilantur curia, cogant querelantibus in sua præsentia, respondere. Contrahentes vero aliarum Diœcesum super contractibus initis in Remensi Diœcesi ab eisdem nisi inveniantur ibidem, trahere coram se non debet invitos, licet in possessionem bonorum, quæ ibi habent, etiam cum alibi copiam sui faciunt, si eorum auctoritate citati comparere contemnant, possunt missionem facere contra eos; vel si forte malitiose se ipsos occultent, ne citatio perveniat *vel* (*c*) ad eosdem, decernere faciendam in possessionem bonorum, quæ in alia etiam diœcesi obtinere noscuntur: sed tunc loci diœcesanus ad denunciationem ipsorum faciet ejusmodi missionem Nec clericos, *quos* (*d*) mittant ad suffraganeorum suorum Diœceses pro (*e*) *puniendis*, vel cognoscendis contractibus coram ipsis; nec eorundem suffraganeorum ipsorum subditos compellant coram se occasione huius stare *juris* (*f*). Neque potest Archiepiscopus ipse in suffraganeorum suorum officiales, & subditos, pro eo quod vocati ab ipso nolunt querelantibus in sua respondere præsentia, ecclesiasticam exercere censuram.

ANNO CHRISTI 1245.

(*a*) Ed. & epta inusCod. aliis

(*b*) est in Cod.

(*c*) ius Ed. in is

(*d*) uri

(*e*) excepis in 6.

(*f*) Frein 6.

De lite contestata.

Exceptionis peremptoriæ, seu defensionis cujuslibet principalis cognitionem negotii contingentis ante litem contestatam objectus: nisi de re judicata, transacta seu finita excipiat litigator; litis contestationem non impediat, nec retardet: licet dicat objector, quod rescriptum non fuisset obtentum, si quæ sunt impetranti opposita, fuissent exposita deleganti.

(*g*) Codex addit: am addii rausam ant

De restitutione spoliatorum.

Frequens & assidua nos querela circumstrepit, quod spoliationis exceptio nonnumquam in judiciis calumniose proposita, causas ecclesiasticas impedit, & perturbat; dum enim exceptioni insistitur, appellationes interponi contingit (*g*), & sic intermittitur, & plerumque perimitur causæ cognitio principalis. Et propterea nos, qui voluntarios labores appetimus, ut quietem aliis præparemus, finem litibus cupientes imponi, & calumniæ materiam amputare, statuimus, ut in civilibus negotiis spoliationis objectu (quæ ab alio, quam ab actore facta proponitur) judex in principali procedere non postponat. Sed si in civilibus ab actore *facta proponat* (*h*) in criminalibus aut (*i*) si se spoliatum reus asserat a quacunque intra quindecim dierum spatium post diem in quo proponitur quod asserit comprobaverit (*k*): alioquin in expensis, quas interim actor ob hoc fecerit judiciali taxatione præhabita, condemnetur; alias, si judici æquum visum fuerit, puniendus. Illum autem spoliatum intelligi volumus in hoc casu, cum criminaliter accusatur, qui tota sua substantia vel majore parte ipsius se per violentiam destitutum affirmat, & secundum hoc loqui canones, sano credendum intellectu: quia nec nudi contendere, nec inermes inimicis nos opponere debemus; habet enim spoliatus privilegium ut non possit exui jam nudatus. Solet autem inter scholasticos dubitari, si expoliatus a tertio, de expoliatione contra suum actorem excipiat, an ei tempus a Judice debeat indulgeri, infra quod restitutionem imploret, ne forte sic velit existere (*l*) ut omnem accusationem eludat, quod satis æquitati, & juri consonum extimamus (*m*) *Et* si infra tempus indultum restitutionem (*n*) petierit, & causam cum potuerit non perducat ad finem, non obstante expoliationis exceptione, deinceps poterit accusari. Ad hoc sancimus ut rerum privatarum spoliatio agenti super Ecclesiasticis, (*o*) vel e contrario nullatenus opponatur.

(*h*) Edit. *autem se*

(*i*) Edit. *comprobavit*

(*l*) *Codex alius* persistere

(*m*) *Edit.* quod si

(*n*) *Ed.* non petierit

(*o*) *Codex alius*; rebus

De Dolo, & contumacia.
Idem in Concilio Lugdunensi

Actor, qui ad terminum venire, ad quem citari adversarium fecerat, non curavit. venienti reo (*p*) in expensis propter hoc factis legitime condemnetur. Ad citationem aliam minime admittendus nisi sufficienter caverit, quod in termino fideliter debeat comparere.

Cap. Actor in 6.

(*p*) *Codex alius* addit: *sufficienter*

De eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandæ
Idem.

Eum, qui super dignitate, personatu, vel beneficio ecclesiastico obtinendis cum aliquo litigat possessore ob partis adversæ contumaciam, causa rei servandæ in ipsorum (*q*) possessionem statuimus non mittendum: ne per hoc ad ea ingressus patere valeat vitiosus. Sed licet in hoc casu, contumacis (*r*) absentiam divina replente præsentia (*s*) etiam lite non contestata, diligenter examinato negotio, ipsum fine debito terminare.

Cap. eum qui in 6

(*q*) Collex alius *in bonorum* alius *in ipsius*.

(*r*) Codex alius: *ob absentiam*

(*s*) Codex alius: *in lite*

De Confessis.
Idem.

Statuimus, ut positiones negativas (quæ probari non possunt nisi per confessionem adversarii) judices admittere possint, si æquitate suadente viderint expedire.

Cap. Statuimus in 6.

De Testibus & attestationibus.
Idem.

Romana Ecclesia &c. *& infra*: In appellationis causa, is, qui appellantis procurator, vel advocatus in priori judicio fuerit, non recipiantur in testem. Neque indistincte ipsi appellanti, præsumptione faciente pro eo deferatur etiam juramentum: Sed tunc, cum inspectis personarum, & ipsius causæ circumstantiis, id fuerit faciendum.

Cap. Romana in 6.

Idem.

ANNO CHRISTI 1245. Exordium *deest in editis.*

Ad hæc quia in quadam epistola felicis recordationis Gregorii papæ IX. prædecessoris nostri quædam invenimus declarata, ipsius tenorem epistolæ vobis transmittimus sub titulo de testibus annectendam, quæ talis est.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Venerabili fratri archiepiscopo Rothomagensi salutem, & apostolicam benedictionem.

Præsentium auctoritate mandamus quatenus in causa, quæ inter abbatem, & conventum sancti Nicolai Andegavensis ex una parte, & priorem & conventum de *Spalinge* (a) *Lyconien.* (b) Diœcesis ex altera super eo quod iidem abbas, & conventus se ab ipsis priore & conventu de Paldigen (c) possessione subjectionis ejusdem prioratus asserunt spoliatos; & super irritanda quadam compositione olim inita inter partes, & rebus aliis, vertitur ab eisdem abbate, & priore nomine suo & in animas conventuum eorundem, vel majoris, & sanioris partis ipsorum, recepto juramento de veritate dicenda, injungas dictis, abbati, & priori, ut tam ponendo, quam respondendo dicant veritatem, quam super positionibus tibi sub bulla nostra transmissis ipsi sciant, & per vos intelligant, in quorum animas intraverunt. Præterea sigillatim super quolibet articulo, in qualibet positione contento facias a (d) partibus sufficienter ad invicem responderi: nulla prorsus ab eis super ipsis positionibus contradictione recepta: Sine juramento autem a syndico utriusque partis, quid sciat de hujusmodi positionibus, vel credat inquiras. Testes etiam, quos super articulis sub eadem bulla transmissis pars dictorum prioris, & conventus duxerit producendos ad reprobandos testes partis alterius in causa principapali productos (quorum nomina in eisdem articulis continentur) usque ad (e) Kalendas Novembris proximo futuri (f) examines (secundum partis adversæ interrogatoria, quæ tibi, sub eadem bulla transmittimus) diligenter (g) primo tamen in personam cujuslibet testis a prædictis abbate, & conventu producti facta singillatim specificatione criminum, & aliorum objectorum sibi in eisdem articulis contentorum. Si vero dicti abbas, & conventus, aliquos testes coram te produxerint, contra testes ab eisdem priore, & conventu producendos (h) juxta articulos (quos ipsi abbas & conventus tibi super reprobatione testium productorum prioris, & conventus in eadem causa produxerint) recipere, ac eos usque ad Kalendas februarii proximo futuri diligenter examinare procures: simili specificatione criminum, & aliorum (quæ contra testes eorundem prioris, & conventus objecta fuerint) observata; prius tamen præstito Sacramento (i) a procuratore dictorum abbatis, & conventus, quod ad hoc ex malitia non procedant. (k) Cæterum nobis sub sigillo tuo dicta testium prædictorum in scriptis redacta una cum prædictis positionibus, & responsionibus transmittas usque ad Kal. aprilis proximo futuri, quem, procuratoribus partium in nostra præsentia constitutis, peremptorium terminum duximus præfigendum. In quo sufficienter instructæ cum omnibus rationibus, privilegiis, & monumentis suis per se, vel per procuratores idoneos A compareant coram nobis justam, dante Domino, sententiam recepturæ. Datum &c.

Cap. præsentium de test. & attest. in 6.

(a) Codex alius: *de Spata*

(b) Edit. *Lyconens.*

(c) Codex alius: *Spaldigen*

(d) Codex alius: *pro partibus*

(e) Codex alius: *Februarii*

(f) In codice alio deest: *proximo futuri*

(g) Codex alius addit *examines*

(h) Codex alius: *productos*

(i) Codex alius *juramento*

(k) Quæ sequuntur, sunt in uno codice, & non in alio. Desunt pariter in editis

ANNO CHRISTI 1245.

De exceptionibus.
Idem.

Pia consideratione statuit mater (l) ecclesia, quo majoris excommunicationis exceptio, in quacunque parte judiciorum opposita lites differat & repellat agentes, ut ex hoc magis sententia ecclesiastica timeatur, & *ex communionis* (m) periculum evitetur; contumaciæ vitium reprimatur, & excommunicati (dum a communibus actibus excluduntur) rubore suffusi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinetur; sed hominum succrescente malitia, quod provisum est ad remedium, tendit ad noxiam. Dum enim in causis ecclesiasticis frequentius hæc exceptio per malitiam *opponatur*, (n) contingit interdum differri negotia, & partes fatigari laboribus & expensis: proinde (quia morbus iste quasi communis irrepsit) dignum duximus communem adhibere medelam: Si quis igitur excommunicationem opponit, speciem illius & nomen excommunicationis exprimat, sciturus eam rem se deferre *debere* (o) in publicam notionem, quam intra octo dierum spatium (die in quo proponitur minime computato) probare valeat apertissimis documentis. Quod si non probaverit; Judex in causa (p) procedere non omittat, reum in expensis, quas actor ob hoc diebus illis se fecisse docuerit, præhabita taxatione condemnans. Si vero postmodum instantia durante judicii, & *probandi* (q) copia succedente, de eadem excommunicatione, vel alia excipiatur iterum, & probetur, actor in sequentibus excludatur, donec meruerit absolutionis gratiam obtinere, iis, quæ, præeesserunt, in suo robore duraturis. Proviso quod ultra duas vices, hæc non opponatur exceptio: præterquam si excommunicatio nova emerserit, vel evidens, & prompta probatio supervenerit de antiqua. Sed si post rem judicatam talis exceptio proponatur, * executionem impediet, sed sententia, quæ præcessit, non minus robur debitum obtinebit; eo tamen salvo, ut si actor excommunicatus sit publice & hoc judex noverit quandocunque, etsi de hoc reus non expediat, judex officio suo actorem repellere non postponat.

Cap. Pia consideratione in (l) Unus codex addit *sancta*

(m) Ed. *cet jura &c. communion periculum &c.*

(n) Ed. *ponitur.*

(o) deest in uno cod.

(p) Unus cod. addit *principali*

(q) Ed. *probationis*

* sic legendum non excusationem ut sup. pag. 645.

* pag. 645 legitur melius *excipia*

De Sententia, & re judicata.

Cum æterni Tribunal Judicis illum reum non habeat, quem injuste Judex condemnat, testante Propheta, *non damnabit eum, cum judicabitur illi*: caveant ecclesiastici judices, & prudenter attendant ut in causarum processibus nihil vendicet odium, vel favor usurpet, timor exulet, præmium, aut expectatio præmii justitiam non evertat, sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus, quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententiis & ferendis, præ oculis habeant solum Deum, illius imitantes exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingressus ad Dominum referebat; ut secundum ejus imperium judicaret. Si quis autem judex ecclesiasticus, ordinarius, aut etiam Delegatus, famæ suæ prodigus, & proprii persequutor honoris contra conscientiam, & contra justitiam in grava-

vamen partis alterius in judicio quicquam fecerit per gratiam, vel per sordes ab executione officii per annum noverit se suspensum; ad æstimationem litis parti quam læserit nihilominus condemnandus : Sciturus quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se Divinis, irregularitatis laqueo se involvet secundum canonicas sanctiones, a qua nonnisi per Sedem Apostolicam poterit liberari, salvis aliis constitutionibus, quæ judicibus male judicantibus pœnas ingerunt & infligunt. Dignum est enim, ut qui in tot præsumpserit offendere, pœna multiplici castigetur.

Innocentius IV. sacro præsente Concilio ad rei memoriam sempiternam.

Ad Apostolicæ dignitatis : *& infra*. Sane cum dura guerrarum commotio nonnullas professionis Christianæ provincias diutius afflixisset, nos *toto cupientes mentis affectu tranquillitatem, & pacem Ecclesiæ sanctæ Dei, ac generaliter cuncto populo Christiano* ad Federicum præcipuum principem sæcularem hujus dissensionis & tribulationis auctorem a felicis recordationis Gregorio papa prædecessore nostro pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales nuntios, & magnæ authoritatis viros videlicet Ven. fratres nostros P. Albanensem, & V. Sabinensem, ac dilectum filium V. Basilicæ XII. apostolorum presbyterum cardinalem, qui salutem zelabantur ipsius, duximus destinandos, facientes sibi proponi per ipsos, quod nos, & fratres nostri quantum in nobis erat, pacem per omnia secum habere, nec non cum omnibus hominibus optabamus, parati sibi pacem, & tranquillitatem dare, ac mundo etiam universo. Et quia prælatorum, clericorum, omniumque aliorum, quos detinebat captivos, & omnium tam clericorum, quam laicorum, quos ceperat in galeis restitutio poterat esse pacis plurimum inductiva, unde illos restitueret; & cum idem tam ipse, quam sui nuncii antequam ad apostolatus vocati essemus officium promisissent, rogari, & peti ab ipso fecimus per eosdem, ac proponi insuper quod iidem pro nobis parati erant audire, & tractare pacem, ac etiam audire satisfactionem, quam facere vellet princeps de omnibus, pro quibus erat vinculo excommunicationis adstrictus; & offerri præterea, quod si Ecclesia eum in aliquo contra debitum læserat, quod non credebat, parata erat corrigere ac in statum debitum reformare. Et si diceret ipse quod in nullo contra justitiam Ecclesiam læserat, vel quod nos contra justitiam læsissemus, parati eramus vocare reges, prælatos, & principes tam Ecclesiasticos, quam sæculares ad aliquem tutum locum, ubi per se, vel per solemnes nuncios convenirent; eratque parata Ecclesia de consilio concilii sibi satisfacere, si eum læsisset in aliquo, ac revocare sententiam si quam contra ipsum injuste tulisset, & cum omni mansuetudine, & misericordia quantum cum Deo, & honori suo fieri poterat, recipere de injuriis & offensis ipsi Ecclesiæ suisque per eum irrogatis satisfactionem ab ipso volebat, & omnes amicos suos sibi adhærentes in pace ponere, plenaque securitate gaudere, ut nunquam hac occasione possent aliquod subire discrimen. Sed licet sic apud eum paternis monitis pro pace curaremus & precum instistere lenitate. Idem tamen Pharaonis imitatus duritiam, & obturans more aspidis aures suas, preces hujusmodi, & monita elata obstinatione, ac obstinata elatione despexit; propter quod non valentes absque gravi Christi offensa ejus inquitates amplius tolerare cogimur, urgente nos conscientia, juste animadvertere in eundem; ut ad præsens de cæteris ejus sceleribus taceamus, quatuor gravissima, quæ nulla possunt tergiversatione celari, commisit. Dejeravit enim multoties pacem quandam inter Ecclesiam & Imperium reformatam temere violando &c. *& infra*. Perpetravit etiam sacrilegium capifaciens Cardinales S. R. E., ac aliarum Ecclesiarum prælatos & Clericos religiosos, & sæculares venientes ad Concilium, quod idem prædecessor duxerat convocandum &c. *& infra*. De hæresi quoque non dubiis & levibus, sed difficilibus & evidentibus argumentis suspectus habetur &c. *& infra*. Præter hoc regnum Siciliæ, quod est speciale patrimonium B. Petri & idem princeps ab Apostolica sede habebat in feudum jam ad tantam a clericis, & laicis exinanitionem servitutemque redegit, quod eis pene penitus nihil habentibus, & omnibus exinde fere probis ejectis, illos, qui remanserunt ibidem sub servili quasi conditione vivere, ac Romanam ecclesiam, cujus sunt principaliter homines & vassalli offendere multipliciter & hostiliter impugnare compellit. Posset etiam merito reprehendi, quod mille quidem sanctorum annuam pensionem, in qua pro eodem regno ipsi Romanæ ecclesiæ tenetur per novem annos, & amplius solvere, prætermisit. Nos itaque super præmissis, quam pluribus aliis ejus nefandis excessibus cum fratribus nostris, & Sacri concilii (*a*) deliberatione præhabita diligenti, cum Jesu Christi vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobisque in B. Petri persona sit dictum : *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis;* (*b*) *& quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis;* memoratum principem, qui se imperio & regnis omniumque honore, & dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates (*c*) ne regnet vel imperet est abjectus, suis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore & dignitate privatum a Domino ostendimus, denunciamus, & nihilominus sententiando privamus. Omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti a juramento (*d*) absolventes auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tanquam imperatori, vel regi pareat, vel intendat. Et decernendo quoslibet, qui deinceps ei veluti imperatori, vel regi consilium vel auxilium præstiterint, seu favorem ipso facto excommunicationis vinculo subjacere. Illi autem, ad quos in eodem imperio imperatoris spectat electio, eligant libere successorem. De præfato Siciliæ regno providere curabimus cum eorumdem fratrum nostrorum consilio, sicut videbimus expedire.

(a) Ed. *& sancto concilio*

(b) *& quodcumque &c.* deest in edit.

(c) In ed. additur *adeo*

(d) In ed. additur *perpetuo*

Idem præceptori hospitalis Jerosolymitani in Hispania & commendatori, ac fratribus domus de Curavia hospitalis ejusdem.

Abbate sane : *& infra*. Abbas de Bonafonte (*e*) pro se, & conventu suo proponens locum de Rosel (*f*) vel esse prædicti monasterii jure dominici vel quasi, & cum suis finibus

Cap. Abbate sane in 6.
(e) ed. *de Besac*
(f) ed. *Rosellis*

bus ex largitione (*a*) regis Aragonum ad ipsum monasterium pertinere, petiit adjudicari eidem monasterio locum ipsum, & vos exinde amoveri. Allegabatur autem pro parte vestra, quod facta vobis donatio de prædictis valida existebat, quamvis illa tunc sub Saracenorum consisteret potestate, quia non simpliciter, sed sub conditione, fuere donata: videlicet si ad manus fidelium devenirent, in quo casu concessio poterat, & debebat habere vigorem, quia ipsi donationi rerum donatarum natura, vel qualitas non obstabat, & salubre & laudabile quidem erat expectare, ac præstolari tempus, quo illa Christianorum dominio subderetur; quare mox cum pervenit ad ipsos, fuerunt ad vos totaliter devoluta. Multum quoque distabat an ipsi mon. *deberet fieri* (*b*), vel prædicto monasterio Popilenti (*c*) ab eodem rege donatio vel facta fuisset; quod & si liquebat prædicta monasteria Popilenti ab ipso rege, ac ab illo Abbati, ac conventui de Bona facie (*d*) fuisse collata, non tamen ob hoc constabat dictum regem ipsi Monasterio de Bona facie donasse, vel mandasse. Nec pro eo quod voluit & statuit, ut ædificaretur ibi monasterium, poterat, & debebat intelligi eum prædicta, vel eorum aliqua constituendo monasterio donasse; cum illa potius sua videretur fuisse intentio, ut quia præfatum monasterium *completum* (*e*) tot & tantorum bonorum largitione ditabat abbates (*f*) & conventus ipsius pro sua suorumque salute monasteria construere teneretur; præsertim quia monasterio, quod nondum erat, aliqua fieri donatio non valebat; præmissa vero concessio facta monasterio de Bona facie ab *Abbate* (*g*) *monasterii Polyenti* nullum prorsus ei videbatur afferre suffragium; pro eo potissime quod post litem contestatam & processum judicii facta fuerat, sicut dare patebat ex instrumento prædicto. Unde cum *jussu quidam* (*h*) in prædictis ipsi monasterio de Bonafacie ex concessione hujusmodi competebat, in judicium minime eduxisse, quia videri non potest in illud venisse, quod postmodum accidit. Pronunciari utique super prædictis non poterat ex eadem.

Parte autem altera dicebatur, quod cum rex ipse sua probitate, ac studio ab infidelibus loca conquisierit supradicta, donatio avi, vel patris ipsius prius facta de illis cum ad cultum fidei pervenirent, regem eundem quoad hoc sic per eum postmodum acquisita obligare non potuit, cum sua propria facta essent, & viderentur ab aliis bonis hæreditariis separata. Porro præfata concessio facta monasterio de Bona facie a monasterio Populenti licet post acceptum judicium causæque processum intervenerit, prodesse tamen, & valere debebat, cum pro actore qui de jure suo ex causa idonea quamvis supervenienti appareat satis sufficere videatur, satisque esse, si prout servatur in reo, interest ipsius tempore sententiæ proferendæ. Sed ad hoc pars *altera* (*i*) respondebat quod cum tam supradicti avi donatio, quam locorum acquisitio præmissorum nomine fuerint regni factæ, memoratus rex donationem servare hujusmodi tenebatur. Cæterum prædicta monasterii Populenti concessio monasterio de Bona facie auxiliari non poterat in hac parte, quia cum quis egit ex aliqua certa & speciali causa, & postea sive alia, sive similis ei, quam exposuit, accidit, videri non A poterit illam in judicium deveniſſe; cui judex tunc prospicere, aut attendere debeat diligenter, an ex (*k*) omnino eadem quæ prius expressa extitit, utpote quæ tunc etiam competenter actoris intentio sit fundata. Secus autem si *cum agit*, (*l*) vel petiit in genere nullius certæ, vel specialis causæ faciens mentionem, videlicet quia generaliter forte proposuit aliquid (*m*) obnoxium esse sibi, vel ad se jure dominii vel quasi rem aliquam pertinere; tunc enim hoc præcipue inspiciendum est judici, an sufficienter vel minime de jure vel intentione constet actoris; ut (*n*) si de hoc ex causa etiam postmodum accidenti liqueat, B poteſt & debet judex, & si appareat minus juste a principio fore actum, suum exinde animum informare, quoniam si petitum fuit indebite, non ob hoc tamen minus valuit, & tenuit judicium subsecutum, nec illius acta vel gesta propterea minus valida extiterunt; nec etiam judex ipse cognita taliter veritate pronunciare in contrarium possit cum libera conscientia & secura. Non prodesset & multum reo si tum forte in ipsum ex hujusmodi supervenienti causa condemnatio non ferretur, cum mox alio instituto judicio foret ex illa merito condemnandus. Unde & si actori suam ex supervenienti causa intentionem sufficiat fundavisse, cum egit aliqua specialiter non expressa, secus tamen est, si certam & spe- C cialem in suam petitionem subjunxit; nisi postmodum intentionem ex eadem prorsus quam prius expressit, & tunc etiam competenti causa fundarit. Quare cum memoratus Abbas monasterii de Bona facie proponit sæpefatum locum de Rosel. cum suis terminis ad ipsum monasterium ex prædicti (*o*) *verbis* Regis largitione spectare, nec de aliqua facta ipsi monasterio super hoc ab eodem rege concessione docuerit; ostenderit autem donationem quondam factam illi de iis abbate, & conventu Populenti, quæ nec in sua petitione fuerat expressa, nec & ante facta, nullum profecto commodum ex ea deportare debebat.

Præfatus ergo Cardinalis præmissis omnibus, D& aliis, quæ hinc inde fuere proposita diligenter auditis, atque utriusque partis meritis æqua justitiæ lance discussis prudenter attendit, ad quod prædicti abbas & conventus de Bona facie proposuerunt intentionem videlicet actoris ex his, quæ post litem (*p*) contra ac cidunt, debere in judicium devenire, tum locum habere sicut congrue allegatum est supra (*q*) quando certa & expressa causa specialiter non est actum. Ex iis enim quæ post inchoatum judicium eveniunt quando causa fuit exposita specialiter (*r*) nec potest, nec debet judicis animus ad proferendam sententiam informari; quia cum certæ causæ facta est mentio utpote donationis, vel venditionis, aut al- E terius specialis *contractus*, (*s*) oportet accepti (*t*) judicii tempus attendi, ut liquido agnoscatur, an vel tunc interfuit actionis propter illa, quæ specialiter committantur causam, & necessario adesse debent, veluti tempus, & locus & his quæ sunt sollicite attendat, sine quibus (*u*) vacua & invalida censeretur. Sed cum est in genere, absque alicujus causæ declaratione petitum, non oportet sic accepti judicii tempus inspici, quia non requiruntur nec sunt opportuna, nec attendi possunt hujusmodi comitantia in hoc casu; & licet aliquibus curiosis, & qui de his quæ non multum expe-

diunt

ANNO CHRISTI 1245.

(a) ed. *Litigacione.*

(b) Ed. de *Bonefac.*

(c) ed. *Populeti.*

(d) ed. de Bonefac.

(e) ed. *Populeti.*

(f) ed. *Abbas.*

(g) Ed. ad. *& conventu monasterii Populeti.*

(h) Ed. *juſſi. quod.*

(i) *veſtra.*

(k) ed. *ea.*

(l) ed. *cum egit.*

(m) Edit *aliquem.*

(n) Edit. *unde.*

(o) Deeſt in editis.

(p) Edit. *poſt litis conteſtationem accidunt poſſe fundari ea que.*

(q) Edit. addunt *Videlicet.*

(r) Edit. *ſpecialiter*

(s) *In edit deeſt.*

(t) *Ed.* incepti.

(u) *Ed ad* cauſa.

diunt, sæpe disceptant, aliter forsan appareat, quando actum est causa aliqua non expressa ; utilius tamen videtur negotia tali expedire compendio, quam per quandam subtilitatem exactam longo dispendio prorogari : præsertim cum nonnulla pro utilitate communi contra juris asperitatem ex æquitatis mansuetudine tolerari noscantur. Unde idem cardinalis considerans, quod ipsi abbas, & conventus de Bona facie non probaverunt largitionem super his regiam (*a*) sibi factam, ex qua specialiter vos impetere videbantur ab his eorumdem abbas, & conventus in petitione de mandato nostro præhabito fratrum nostrorum consilio vos duximus (*b*) similiter absolvendos. Nos igitur cardinalis ejusdem sententiam ratam habentes, eam authoritate Apostolica confirmamus.

A

B

De appellationibus.
Idem.

Cordi nobis est lites minuere & a laboribus relevare subjectos. Sancimus igitur, ut si quis in judicio, vel extra super interlocutoria vel gravamine (*c*) ad nos duxerit appellandum, causam appellationis in scriptis assignare deproperet, petat apostillos, quos ei præcipimus exhiberi. In quibus appellationis causam exprimat, & cur appellatio non sit admissa, vel si appellationi forsan ex superioris reverentia sit delatum. Post hoc appellatori secundum locorum distantiam, personarum, & negotii qualitatem tempore prosecutionis indulto, si voluerit appellatus, & petierit principales personæ per se, vel per procuratores instructos cum mandato ad agendum, & cum rationibus, & monimentis ad causam spectantibus accedant ad Sedem Apostolicam sic parati, ut, si nobis visum fuerit expedire, finito appellationis articulo, vel de partium voluntate omisso, procedatur in negotio principali, quantum de jure poterit, & debebit. Iis, quæ in appellationibus, ac definitivis sententiis interpositis antiquitas statuit, non mutatis. Quod si appellator, quæ præmissa sunt, non observet, reputabitur non appellans, & ad prioris judicis redibit examen in expensis legitimis condemnandus. Si autem appellatus contempserit hoc statutum, in eum tamquam in contumacem tam in expensis, quam in causa (quantum a jure permittitur) procedatur. Justum est equidem, ut in eum jura insurgant, qui jus & judicem & partem eludit (*d*).

C

D

Idem.

Legitima suspicionis causa contra judicem assignata, & arbitris a partibus secundum formam juris electis, qui de ipsa cognoscant, sæpe contingit, quod ipsis in eidem convenire nolentibus, nec tertium advocantibus, cum quo ambo, vel alter eorum procedat ad decisionem ipsius negotii, ut tenetur, judex proferat excommunicationis sententiam contra eos *quia* (*e*) ipsi tum propter odium, tum propter favorem (*f*) partium diutius vilipendunt; quare causa ipsa plus debito prorogata non proceditur ad cognitionem negotii principalis. Volentes igitur morbo huic necessariam adhibere medelam, statuimus, ut ipsis arbitris per judicem competens (*g*) terminus præfigatur, intra quem in idem conveniant vel tertium concorditer advocent, cum quo ambo, vel alter eorum, ejusdem suspicionis negotium terminare procurent. Alioquin judex ex tunc in principali negotio procedere non omittat.

E

ANNO CHRISTI 1245.

Idem.

Romana ecclesia: *& infra*. Cum suffraganeorum Remensis ecclesiæ, suorumque officialium (qui generaliter de causis ad ipsorum forum pertinentibus eorumdem vices supplendo cognoscunt) unum, & idem consistorium sive auditorium sit censendum; ab ipsis officialibus non ad dictos suffraganeos, (ne ab eisdem ad seipsos interponi appellatio videatur) sed de jure ad Remensem est Curiam appellandum. Ibid.

De concessione præbendæ & ecclesiæ non vacantis.
Idem.

Quia cunctis &c. *& infra*. Proponebatur itaque pro parte tua, quod cum prædicta præpositura dum vacabat tibi per eum, qui conferre potuit ipsam, collata fuisset, collatio hujusmodi canonica existebat, maxime cum nulla per priorem ipsum, quæ illam impedire posset, inhibitio præcessisset. Dicebat autem pars altera, quod cum præmissæ literæ (*h*) Sede Carnoten. vacante fuissent in capitulo publicatæ, ac præfatus episcopus tunc de capitulo ipso esset, ibique præsens existeret, ignorare non potuit mandatum Apostolicum (super conferenda memorato B. (*i*) præbenda vel dignitate sine cura, quam ipse duceret acceptandam, cum primo in ecclesia ipsa vacaret) alii (*k*) fuisse directum, & sic per consequens facultatem sibi esse sublatam conferendi hujusmodi dignitatem : propter quod videbatur, quod nec per se, nec per alium præfatam præposituram, curam non habentem animarum adnexam, quæ primum post mandatum ipsum in ecclesia prædicta vacavit, potuerit alicui personæ conferre. Præsertim cum jam dictus prior eodem publicato mandato mox præfato B. præbendam, vel dignitatem, curam hujusmodi non habentem, quam primo in eadem ecclesia vacare contingeret, contulisset, nec alias etiam, prout allegabatur, prodesse poterat ipsius episcopi ignorantia in hac parte. Nam si alicui a Sede apostolica concedatur, quod excommunicari non possit: licet id forsan suus ignoret episcopus, non tamen propter hoc ejus ligatur sententia, si quam proferat in eundem. Similiter si alicui conferendi præbendam aliquam tribuatur a Sede apostolica potestas: ex hoc ipso videtur quod sit episcopo conferendi tunc eam penitus interdicta facultas. Nec obstaret, si forte obiceretur, quod lex, seu constitutio, & mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad notitiam pervenit eorundem, aut nisi post tempus intra quod ignorare minime debuissent; quia in privilegiis, & indulgentiis, seu concessionibus specialibus secus existit, in quibus sufficit, quod ad illorum, quibus conceduntur, notitiam perveniant: ut patet cum indulgetur alicui quod excommunicari non possit, sicut superius est expressum. Et quidem cum tribuatur alicui potestas conferendi præbendam, videtur proculdubio ei concedi aliquid speciale. Adiiciebatur insuper, quod cum sententia statim arctet etiam ignorantem: quoniam si contra prælatum aliquem absentem depositionis sententia proferatur, Cap. quia cunctis &c. de concess. præb. in 6.

(h) In uno codice deest: *Sede Carnoten. vacante.*

(i) Ed. D.

(k) Codex alius: *illi*.

☞ tur, contractus, quos inivit ignoranter postea ut prælatus nullum robur obtinent firmitatis; & in supradictis literis irritum decernimus, & inane quidquid super hujusmodi præbenda, vel dignitate contra nostrum contigerit mandatum attentari: collatio, quam idem episcopus post tale nostrum decretum, sive illud ignoraverit, sive non, de præfata præpositura per se, vel per alium fecerat, non valebat. Ex parte vero tua extitit replicatum, quod de illis privilegiis & indulgentiis, æquitate suadente debent intelligi, quæ vim suam habent mox cum ad illos, quibus conceduntur, *notitiam* (*a*) perveniunt; ex quorum tenore liquido nosci potest, quod talis circa ea fuerit intentio concedentis, utpote cum alicui conceditur quod excommunicari non possit: ex hoc enim evidenter apparet aliis excommunicandi eum ademptam esse penitus facultatem. Non sic autem si alicui conferendi præbendam sive certam, sive incertam tribuatur potestas: non enim tunc esse videtur tribuentis intentio, ut per hoc ei, ad cujus donationem præbenda ipsa pertinet, conferendi possibilitas adimatur: nisi prius ille tibi (*b*) notificet, quod eam velit per hujusmodi potestatem conferre, aut ei collationem interdicat illius, vel postquam ipsi notificaverit talem potestatem fore sibi concessam vacuum decernat & irritum si secus de ipsa præsumat. Quia cum illi non amplior detur potestas, quam ipse Romanus pontifex habeat in hac parte, sicut per eam, quam obtinet ipse Romanus pontifex, facultas conferendi beneficium, vel præbendam, nisi suam *in hoc* (*c*) insinuet voluntatem, alicui non aufertur; similiter & per eam, quæ taliter illi ab ipso conceditur ei, ad quem ipsius præbendæ spectat collatio, priusquam insinuet ille sibi, quod eam velit concedere, vel etiam conferat si forte vacet, potestas non tollitur conferendi, nisi forsan quod ipsam conferre non possit exprimatur in concessione hujusmodi potestatis; tunc enim licet talem concessionem fortassis ignoret, sua tamen collatio si postmodum præbendam ipsam conferat, nihil valet, cum satis super hoc concedentis intentio agnoscatur, sicut cum indulgetur alicui quod excommunicari non valeat, ut in superioribus est expressum. Subjunctum etiam extitit quod cum memorato priori (*d*) per præfatas literas mandassemus ut memorato D. præbendam vel dignitatem sine cura, quam acceptandam duceret, si vacaret tunc, vel quam primum eam vacare contingeret in ecclesia prædicta conferret: idem prior providendi ei de præbenda, vel dignitate ipsa, nisi post acceptationem ipsius non habeat aliquam potestatem. Unde cum supradicta *præbenda vel* (*e*) præpositura fuerit tibi ante quam illam D. acceptaret præfati episcopi authoritate collata; hujusmodi collatio talis mandati nostri prætextu, etiamsi prius illud episcopus ipse sciviſſet, non poterat vacuari. Nostrum autem in hac parte decretum ad præbendam, seu dignitatem, quam prædictus D. acceptaret, referri debebat: alioquin super incerto fuisset editum, nec aliquem adstrinxisset. Sed extitit ex adverso responsum, quod etsi præfatus prior jam dicto D. præbendam, vel dignitatem hujusmodi cum vacaret ante hujusmodi acceptationem conferre nequiret, idem tamen D. præbendam, vel dignitatem talem licite posset, & libere acceptare: quare prædictus episcopus præfatam præposituram (cum non prius eum requisierit an acceptare eam vellet) cuiquam conferre non potuit; quinimmo ipsius collatio (cum idem D. præposituram ipsam postmodum acceptaverit) irritari debeat, & concessio per jam dictum archipresbyterum sibi facta de illa stabilis permaneret. Sicut cum legatur alicui unus ex servis, quem elegerit, vel optaverit, & *hærus* (*f*) ante optationem vel electionem illius manumittit aliquem, vel alienat ex illis: profecto talis manumissio, vel alienatio irritatur, ceditque ille legato, si legatarius eum duxerit eligendum. E contrario pro parte altera propositum extitit, quod in ultimis voluntatibus tenet, nec præmissa in legatis futuris quemadmodum in extantibus habent locum: quia nec etiam adoptandum seu eligendum ex illis sicut ex istis potest terminus assignari. Et gravis inesset conditio *quodammodo* (*g*) *quia nec etiam adoptandum incongruum videtur* si quando mandaretur alicui de beneficio, quod duceret acceptandum in aliqua provincia quam primo illud vacare contingeret, provideri: oporteret ipsum in singulis beneficiis postmodum inibi vacantibus (prorogata non absque periculo forsitan ipsorum collatione) requiri: unde cum sæpe præfato priori fuisset injunctum, ut jam dicto D. præbendam, vel dignitatem *sive curam*, (*h*) quam acceptandam duceret, si vacaret in ecclesia memorata, vel quam cito contingeret eam vacare, sibi auctoritate apostolica conferret; & ita eidem D. circa futuras, sive vacaturas præbendas, seu dignitates tales ipsius ecclesiæ optio data esset, non poterat per hoc memorati episcopi collatio, cum vacaret, *aliquatenus* (*i*) impediri: nisi forsan cum aliquam ex eis vacare contingeret, illam ipse D., priusquam eam conferret episcopus, acceptaret, vel etiam nisi ante vacationem alicujus ipsarum vacaturarum ex his primam, vel ea omissa ex aliqua causa ulteriorem duceret acceptandam, quia taliter acceptatam conferre postmodum episcopus non valeret. Nos ita quæ tam tuis, quam præfati D. rationibus plenius intellectis, quia sæpe dictam præposituram ad te novimus pertinere, ipsam tibi (habito fratrum nostrorum consilio) adjudicare curavimus: ipsi D. super eam perpetuum silentium imponentes.

(a) codex alius tollit: *notitiam* deest etiam in edit.

(b) codex alius *sibi* ut etiam in editis.

(c) *Deest in edit.*

(d) codex alius addit *post*.

(e) *Deest in edit.*

(f) *Ed.* hæres.

(g) *Ed.* quoddam quæ incongruum videretur si quando &c. *Codex alius.* Quod incongruum videretur si &c.

(h) Deest in edit.

(i) Ed. *collatio.*

De rebus ecclesiæ non alienandis. Innocentius IV. Rectori Ecclesiæ Halgleton (*k*)

(k) *Deest titulus iste in edit.* Cap. Dudum de reb. Eccl. non alien. in 6.

Dudum &c. *& infra*. Dictus vero Archidiaconus ex adverso respondit illas decimas illi ecclesiæ restitui non debere: proferens in medium ordinationem quandam Episcopi Dulmen de consensu capituli sui factam inter alia continentem, quod idem Episcopus attendens proventus Archidiaconatus Dulmen. adeo forte tenues & exiles, quod non sufficiebant ad ipsius onera supportanda, præfatas decimas archidiaconatui memorato concessit: *& infra*: Quia in concessione hujusmodi prædicta Ecclesia legitimo caruit defensore, qui sibi prius ab eodem Episcopo debuerat deputari. Quia etiam solemnis tractatus diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem, ordinationem, & concessionem ipsam (præsertim cum evidens necessitas, quare fieri deberet, vel utilitas non subesset)

de

de fratrum noſtrorum conſilio decernimus non valere : dictas decimas ipſi Eccleſiæ tanquam pertinentes ad eam ſententialiter adjudicare curantes.

ANNO CHRISTI 1245.

Idem.

Non ſolum in favorem converſi, ſed etiam monaſterii probationis tempus a SS. PP. eſt indultum, ut ille aſperitates iſtius, & iſtud mores illius valeat experiri. In regula quoque B. Benedicti præcipitur, ut ad converſionem noviter venienti non facilis tribuatur ingreſſus; ſed ſicut docet Apoſtolus, an ſit ex Deo ſpiritus comprobetur, & dura & aſpera, per quæ itur ad Dominum, exponantur. Præterea in eadem regula ſubjungitur, ut dicatur : *ecce lex, ſub qua militare deſiderans, ſi eam potes obſervare, ingredere ; alioquin libere veniſti, libere diſcede.*

Inſuper felicis recordationis Gregorius Pp. prædeceſſor noſter ſtatuit, ut poſiti in probatione novicii ante ſuſceptum religionis habitum, qui dare profitentibus conſuevit, ſeu ante profeſſionem emiſſam, ad ſtatum priſtinum libere redire poſſint infra annum, & ad omnem ambiguitatem penitus removendam, cum quibuſdam locis religioſis novitiorum habitus non diſtinguatur ab habitu profeſſorum, profeſſionis tempore benedicantur veſtes, quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum ac profeſſorum habitus diſcernatur. Licet igitur zelum animarum habentes, eas lucrari Domino ſollicite cupiatis, quia tamen decet, & expedit, ut conſcientiæ puritati non deſit judicium rationis, ne unde ſpiritualis profectus quæritur, inde ſalutis diſpendium ſubſequatur, vobis de fratrum noſtrorum conſilio in virtute obedientiæ ſub pœna excommunicationis auctoritate propria diſtrictim inhibemus, ne ante annum probationis elapſum, qui eſt maxime in ſubſidium fragilitatis humanæ regulariter inſtitutus, quemcumque ad profeſſionem veſtri ordinis ſeu ad renunciationem ſæculi faciendam recipere præſumatis ; nec inſtitutum in probatione novitiorum aliquatenus impedire, quo minus intra eundem annum probationis ad aliam religionem, quam maluerit, tranſeat, ſicuti de ſua proceſſerit voluntate libera, non obſtante ſtatuto contrario ſi quod a vobis eſt edictum, quod irritum decernimus & inane, vel aliquibus literis a Sede Apoſtolica impetratis, ſeu impetrandis, quæ de præmiſſis expreſſam non fecerit mentionem. Quod ſi forte contra hanc noſtram inhibitionem quemquam recipere præſumpſeritis, decernimus eum, qui taliter receptus fuerit, nullatenus veſtro eſſe ordini alligatum. Vos quoque a receptione quorumlibet, & profeſſione ejuſdem ordinis fore ipſo jure ſuſpenſos, & inſuper pœnæ ſubiiciendos, quæ fratribus ipſius ordinis pro culpis gravioribus infigi conſuevit. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & B. Petri & Pauli Apoſtolorum ſe noverit incurſurum.

De cenſibus, exactionibus, & procurationibus Idem.

Romana Eccleſia : & *infra*. Statuimus ut quilibet Archiepiſcopus ſuam volens viſitare provinciam, prius Eccleſiæ ſuæ Capitulum, ac Civitatem, & Diœceſim propriam plene viſitare procuret ; nec ſit ſolum erga majorum, ſed etiam minorum Eccleſiarum, nec circa Clericorum tantum, ſed etiam populorum viſitationem intentus. Et ſi commode, vel abſque difficultate accedere ad unamquamque non poterit, de pluribus locis ad unum *congruum* (a) clericos, & laicos ſtudeat convocare, ne in illis viſitatio poſtponatur. Deinde liceat ei per totam provinciam vel ejus partem viſitationis officium exercere. Civitates & Diœceſes, Suffraganeos ſuos, & eorum ſubditos, Cathedralium & aliarum Eccleſiarum Capitula, & monaſteria, Eccleſias & alia Religioſa & pia loca, Cleros, & populos libere viſitando, ac procurationes a locis tantum recipere viſitatis. Ex quo tamen aliquam de ipſis Diœceſibus viſitare cœperit, numquam poſtea ſive totam, ſive partem ejus viſitaverit, revertatur cauſa viſitationis ad illam, priuſquam omnes reliquæ ipſius provinciæ & (b) Diœceſes in toto, vel in parte (quas ſecure viſitare poterit) & ſua denuo *ab eo* (c) fuerint viſitatæ. Quod ſi forte eadem Diœceſis vel aliqua ibi Eccleſia plus aliis indiguerit viſitari : tunc aliarum viſitatione intermiſſa redeat ad eandem, ſi a loci Diœceſano requiſitus extiterit, vel de omnium, aut majoris partis Epiſcoporum ejuſdem Provinciæ proceſſerit conſilio, & aſſenſu ; ad quod *iidem* (d) ſe pronos exhibeant, ne animarum profectus aliquatenus negligatur. Si vero malitioſe in *iis* (e) difficultatem adhibuerint, Archiepiſcopi licentiam ſuper hoc a Sede Apoſtolica poſtulet confidenter. Poſtquam autem ſemel omnes provinciæ ſuæ Diœceſes viſitaverit, licitum ſit ei poſtea (prius tamen Suffraganeorum ſuorum requiſito conſilio, & ipſius definitione ſuper hoc habita coram eis, *quo* (f) in ſcriptis redigi volumus, ut poſſint aliis eſſe nota) viſitationem per eandem reiterare Provinciam juxta modum ſuperius annotatum, etiamſi non interveniat in hoc Suffraganeorum ipſorum aſſenſus : illam ſemper providentiam adhibendo, ut in poſterioribus viſitationibus illas Eccleſias, eoſque *Clericos*, (g) & populos prius viſitet, qui non fuerant ab eo in prioribus viſitati : niſi magis ſit aliis viſitationis officium opportunum. Sane hujuſmodi impenſurus officium, propoſito verbo Dei, quærat de vita & converſatione Miniſtrantium in Eccleſiis, & locis aliis Divino cultui deputatis, ac cæteris, quæ ad officium ipſum ſpectant, abſque coactione, & exactione qualibet juramenti, ad ipſorum emendationem per ſalubria monita nunc levia, nunc aſpera, juxta datam ſibi a Deo prudentiam, diligenter intendens. Quod ſi de aliquibus orta fuerit infamia contra eos, Ordinariis ipſorum, & ſuper his ſolenniter inquirant, denunciet, ſi viderit expedire. Notoria vero crimina, quæ examinatione non egeant (cum ſuper his merito notari poſſit Ordinariorum negligentia eorumdem) libere corrigat, pœnam pro illis debitam infligendo. Procurationes autem recipiat, ſecundum quod eſt in canonibus conſtitutum : nullam tamen pecuniam ipſe vel aliquis de ſua familia, occaſione alicujus officii, aut conſuetudinis, ſeu quolibet alio modo earum nomine, ſed in victualibus expenſas tantum recipiat moderatas. Caveat inſuper ne ipſe vel quiſquam ſuorum aliquod munus, quod.

ANNO CHRISTI 1245. mana decenſibus in 6. Deeſt in uno Cod.

(a) Deeſt in ed.

(b) Deeſt in ed.

(c) Deeſt in ed.

(d) In ed. *idem*.

(e) Deeſt in ed.

(f) Ed. *quæ*

(g) Ed. *deros*

☞ quodcumque sit, & qualitercumque offeratur, A
præsumat recipere ; ut non quæ sua sunt videatur quærere, sed quæ Jesu Christi. Quod si fuerit contra præsumptum, recipiens maledictionem incurrat, a qua numquam, nisi duplum restituat, liberetur : volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari. Hanc autem visitandi formam ab universis Episcopis, aliisque Prælatis ordinario jure suos subjectos visitantibus plene observari præcipimus ; salvis super hoc rationabilibus & approbatis Religiosorum consuetudinibus, & regularibus institutis.

ANNO CHRISTI 1245.

De privilegiis,
Idem.

Volentes libertatem (quam nonnullis Apostolicæ sedis privilegio exemptionis indulsit) sic integram conservari, ut contra illam alii non insurgant, & ipsi ejus limites non excedant; declaratione irrefragabili definimus, ut quantumcunque sint exenti & (*a*) gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, sive contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possint coram locorum ordinariis conveniri, & illi, quoad hoc, suam in ipsos jurisdictionem, *possunt* (*b*) prout jus exigit, exercere. Nunquid ergo carent omnino in his commodo libertatis? non utique : quia nec coram ordinariis ipsis ; dummodo sit in loco exempto commissum delictum, vel contractus initus, aut res litigiosa, nec ubi domicilium, habent si alibi delinquant, vel contrahant, aut res ipsa consistat, conveniri possunt aliquatenus super istis, neque domicilium præextu locorum Diœcesani (si alibi deliquerunt vel contraxerunt, aut res ipsa exigit, illic conveniatur) remittendi eos illuc, vel ipsis ut illic respondeant injungendi habeant aliquam potestatem, salvis nihilominus casibus aliis, in quibus eos episcoporum jurisdictioni subesse canonica præcipiunt instituta. Etiam idipsum decernimus circa illos, quibus ut nonnisi sub uno certo Judice teneantur de se conquerentibus respondere, apostolico privilegio est concessum. In eos autem, quibus ne interdici suspendi, vel excommunicari a quoquam valeant a Sede Apostolica est indultum, sicut sunt Religiosi quamplures, in quorum privilegiis continetur, ne quisquam Episcopus, sive Archiepiscopus Monasteriorum suorum Monachos pro ulla causa, ullove loco interdicere, suspendere, vel excommunicare præsumat, iidem Ordinarii jurisdictionem (*c*) quantum ad ista ubicumque illi fuerint penitus exercere non possint. Nisi forsan ipsi Monachi ad Monasteriorum suorum prioratus Ordinariis eisdem subjectos (ut vel gerant eorum regimen, vel in eis tamquam proprii locorum ipsorum Monachi resideant) fuerint destinati : tunc enim, & si libere possunt ad eadem monasteria revocari, ac tam illorum, quam ipsorum prioratuum monachi reputentur (cum non sit inconveniens aliquem *sic* (*d*) utrobique locum habere Monachicum) unum alteri subesse Monasterio, vel ab ipso noscitur dependere ; ratione tamen eorumdem Prioratuum dicti Ordinarii sua jurisdictione in ipsis etiam quoad præmissa, quandiu morantur in illis, licite (*e*) *possunt*.

(a) Deest & in ed.

(b) Deest in ed.

(c) ad edita *suam*

(d) Deest in ed.

(e) Ed. *uti possunt*

De Homicidio,
Idem.

Pro humani redemptione generis de summis Cœlorum ad ima mundi descendens & mortem tandem subiens temporalem Dei Filius Jesus Christus, ne gregem sui pretio sanguinis glorioſi redemptum ascensurus post resurrectionem ad Patrem absque pastore desereret, ipsius curam B. Petro Apostolo (ut suæ stabilitate fidei cæteros in Christiana Religione firmaret, eorumquo mentes ad salutis opera suæ accenderet devotionis ardore) commisit ; unde nos ejusdem Apostoli effecti, disponente Domino, B licet immeriti, successores, & ipsius Redempt. locum in terris, *tamen* (*f*) indigne tenentes circa gregis ejusdem custodiam sollicitis excitati vigiliis *animarum salutis vigili* (*g*) attentione cogitationis intendere submovendo noxia, & agendo profutura debemus, ut excusso a nobis negligentiæ somno, nostrique cordis oculis diligentia sedula vigilantibus, Animas ipsas Deo lucrifacere, sua nobis cooperante gratia, valeamus.

Cum igitur illi, qui sic horrenda inhumanitate, detestandaque sævitia, mortem sitiunt aliorum, ut ipsos faciant per assassinos occidi, non solum corporum sed mortem procurent etiam animarum (nisi eos exuberans gratia divina prævenerit, ut sint armis spiritualibus præmuniti, ac omnis potestas tribuatur a Domino ad justitiam, rectumque judicium exercendum). Nos tanto periculo volentes occurrere animarum, & tam nefarias præsumptiones ecclesiasticæ animadversionis mucrone ferire, ut metus pœnæ, meta hujusmodi præsumptionis existat : præsertim cum nonnulli magnates taliter perimi formidantes, coacti fuerint securitatem ab eorumdem assassinorum Domino impetrare, sicque ab eo non absque Christianæ dignitatis opprobrio redimere quodammodo vitam suam. Sacri approbatione Concilii statuimus, ut quicumque Princeps, vel prælatus, seu quævis alia ecclesiastica secularisve persona, quempiam Christianorum D per prædictos assassinos interfici fecerit, vel (*h*) mandaverit, quamquam mors ex hoc forsitam non sequatur, aut eos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit, excommunicationis, & depositionis a dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat sententias ipso facto ; & illa libere aliis per illos, ad quos collatio pertinet, conferantur ; sit etiam cum suis bonis mundanis omnibus tanquam christianæ religionis æmulus a toto christiano populo *perpetuo* (*i*) diffidatus ; & postquam probabilibus constiterit argumentis *aliquod scelus* (*k*) tam execrabile commisisse, nullatenus E alia excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis adversus eum sententia requiratur.

(f) ed. *quamquam*

(g) ed. *jugi attentione*

(h) ed. *ad etiam*

(i) Deest in ed.

(k) ed. *in aliquem scelus*.

De pœnitentiis,
Idem.

Romana Ecclesia : *& infra*. Liceat autem Remen. archiepiscopo suam provinciam visitanti eos, qui tunc sibi, vel suæ familiæ, aut aliis, quos propter hoc per eamdem provinciam dirigit, & etiam quando concilium convocat, eos, qui Nunciis suis, quos pro illo vel alias per provinciam ipsam *suam* (*l*) debi-

Cap. pro humani de homicid. in 6.

Cap. Romana eccl. de pœnis in 6

(l) Ed. *su*

ta

ta jurisdictione utendo transmittit injuriari præsumunt; si hac occasione sua in his impediatur jurisdictio; pro injuria hujusmodi, dummodo existat notoria, propria auctoritate punire, nisi amplius ei de Remen. Ecclesiæ consuetudine sibi competere dignoscatur. Sibi etiam, & Metropolitanis aliis in suis Provinciis (dum sic in illis jurisdictionem exercent) puniendi manifestas & notorias offensas tunc eisdem illatas, vel suis (etiamsi exinde impediri jurisdictionem hujusmodi non contingat) libera sit de nostra speciali concessione facultas.

ANNO CHRISTI 1245.

De pœnitentiis, & remissionibus. Idem.

Romana Ecclesia: & *infra*: Quæstoribus autem fabricæ Remen. ecclesiæ Remen. archiepiscopus, sive ejus officiales citandi suffraganeorum ipsius ecclesiæ subditos (quos iidem quæstores sibi resistere, aut nolle parere dixerint) ut super hoc compareant coram ipsis, nequaquam tribuant potestatem. Super benigna vero eorum receptione aut subventione ipsi fabricæ facienda possunt eosdem suffraganeos, & alios Christi fideles Remen. provinciæ charitative monere. In concedendis vero (a) indulgentiis non excedat Remen. archiepiscopus statutum concilii generalis.

Rom. de pœn. & rem. in 6.

Ed. quo-

De sententia excommunicationis. Idem.

Solet a nonnullis in dubium revocari, an cum aliquis per superiorem absolvi postulat ad cautelam, dum in se latam excommunicationis sententiam asserit esse nullam; sine contradictionis obstaculo munus ei debeat absolutionis impendi? Et an ante absolutionem hujusmodi, qui se offert in judicio probaturum se post appellationem legitimam excommunicatione innodatum; vel intolerabilem errorem in sententia fuisse patenter expressum; sit in cæteris, excepto probationis illius articulo, evitandus. In prima igitur dubitatione sic statuimus observandum, ut petenti absolutio non negetur, quamvis in hoc excommunicator, vel adversarius se opponat: nisi eum excommunicatum per manifestam dicat offensam. In quo casu terminus octo dierum indulgebitur sic dicenti, ut si probaverit quod opponit, non relaxetur sententia nisi prius sufficiens præstetur emenda vel competens cautio de parendo juri, si offensa dubia proponatur. In secunda vero quæstione statuimus ut is, qui ad probandum admittitur, pendente probationis articulo in cæteris quoque *quæ ut* (b) actor in judiciis attentaverit, interim evitetur. Extra judicium vero in officiis, postulationibus, & electionibus & aliis legitimis actibus nihilominus admittatur.

solet de excom.

d. quæ

Idem.

Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans: dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat, caute provideat Judex ecclesiasticus ut in ea ferenda ostendat se prosequi *quidquid* (c) corrigentis est, & medentis. Quisquis igitur excommunicat in scriptis proferat, & causam expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere intra mensem post diem sententiæ si fuerit requisitus; super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel literas testimoniales confici sigillo authentico consignatas. Si quis autem judicum hujusmodi constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem unum ab ingressu ecclesiæ & divinis (d) noverit se suspensum. Superior vero, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans, latorem, excommunicato ad expensas, & omne interesse condemnet, & alios (e) puniat animadversione condigna, ut pœna docente discant judices quam grave sit excommunicationum sententias sine maturitate debita fulminare. Et hæc eadem in suspensionis, & interdicti sententiis volumus observari. Caveant autem ecclesiarum prælati, & judices universi ne prædictam pœnam suspensionis incurrant; quoniam si contigerit eos sic suspensos divina officia exequi sicut prius, irregularitatem non effugient juxta canonicas sanctiones, super qua nonnisi per summum (f) pontificem poterit dispensari.

(d) Ed. ad. *efficiis*

(e) Ed. *alia.*

(f) Ed. *Romanum*

Idem.

Statuimus ut nullus judicum participantes cum excommunicatis ab eo in locutione, & aliis quibus ligatur participans excommunicatione minori ante commonitionem (g) canonicam excommunicare majori excommunicatione prætumat: salvis constitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine præsumunt participare damnato. Quod si ex locutione, & aliis, quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius indurescat: poterit judex post commonitionem canonicam hujusmodi participantes consimili damnare censura. Aliter autem in participantes excommunicatio promulgata (h) non teneat, & proferentes pœnam legitimam poterunt formidare.

Cap. statuimus de sent. excomm. in 6.

(g) Ed. *monitionem*

(h) Ed. *prolata*

Idem in eodem.

Quia periculosum est Episcopis & eorum superioribus propter exequutionem pontificalis officii, quod frequenter incumbit ut in aliquo casu interdicti, vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto; nos deliberatione provida duximus statuendum ut episcopi, & alii superiores prælati nullius constitutionis occasione sententiæ (i) sive mandati prædictam incurrant sententiam ullatenus ipso jure: nisi in ipsis de episcopis & *superioribus* (k) expressa mentio habeatur. * Huic etiam adiicimus sanctioni, ut illud, quod in constitutione solet apponi a nonnullis a nobis hactenus promulgata, fuerat constitutum, ut cum aliquis se offert in judicio probaturum se per Apostolorum limina excommunicationis sententia innodatum pendente *appellationis* (l) articulo, in his, quæ extra judicium agitantur *ab* (m) electionibus, postulationibus, officiis, ac aliis legitimis actibus, non debeat evitari. Quod ad episcoporum, & *archiepiscoporum* (n) sententias nullatenus extendatur, sed illud obtineat in futurum, quod olim in talibus extitit observatum.

Cap. quia periculosum de sent. excom. in 6.

(i) ed. ad. *interdicti*

(k) Deest in edit.

* Hucusque editus, cætera dat codex uterque MS.

(l) Alter Cod. *probationis illius*

(m) In uno Cod. deest *ut*

(n) Cod. al. *superiorum*

Cum inalis

uno co-

eest in

ANNO CHRISTI 1245.

Idem.

Romana Ecclesia : *& infra*. Cæterum interdicti *vel* (*a*) suspensionis, vel excommunicationis sententias latas ab Officialibus archidiaconorum (*b*) seu quibuslibet aliis jurisdictionem habentibus suffraganeorum Remen. Ecclesiæ subditis Remen. archiepiscopus, & ejus officiales (omissis ipsis excommunicationibus) non relaxent, salva contraria super hoc consuetudine, si quam habent. Porro excommunicationum sententiæ a Remen. Archiepiscopo, suisque officialibus generaliter promulgatæ subjectos ejusdem jurisdictioni Archiepiscopi tantum ligant. Sed nec in specie, nec in genere pro culpis, vel offensis præteritis, vel præsentibus excommunicationum sententias absque competenti monitione præmissa promulgent: & si contra præsumpserint, injustas noverint esse illas. Caveant etiam ne tales sententias sive specialiter, sive generaliter in aliquos pro futuris (*c*) culpis, videlicet si tale aliquid fecerint, vel etiam pro jam commissis sub hac forma; *si de illis intra tale tempus minime satisfecerint*, proferre præsumant, nisi mora in exhibenda satisfactione, vel culpa, seu offensa præcesserit, quibus merito ad injungendam satisfactionem hujusmodi subsit (*d*). In universitatem, vel collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus, volentes animarum periculum evitare, quod exinde sequi possit, cum nonnunquam contingeret innoxios *etiam* (*e*) hujusmodi sententia irretiri, sed in illos dumtaxat de collegio, vel universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgentur.

(a) Deest in ed.

(b) Codex alius : *Archidiaconis*

(c) In uno Codice deest *culpis*

(d) Codex alius addit : *& taliter prohibenda similia inducantur, aut alia rationabili, quam in ipsis sententiis exprimant causa subsit*

(e) Deest in ed.

Innocentius IV.

Fratri Johanni Lemonic de ordine fratrum minorum, pœnitentiario (*f*).

(f) Titulus iste deest in ed.

Hæc unus tantum codex suppeditat.

Dilecto filio Decano Aurilien. *& infra:* Præterea cum omnes leges omniaque jura vim vi repellere cunctisque sese defensare permittant; licuit itaque ipsi decano, si prædictus Balivus cum bonis suis mundanis injuriosos spoliare, vel ea violenter occupare præsumpserit, ut superius est expressum, contra illius violentiam & injuriam se tueri. Et quoniam advertus ejus nimiam potentiam sufficiens temporalis defensio sibi forte non aderat, & potuit etiam se spiritualiter, gladio videlicet utendo ecclesiastico, defensare, ac recurrere propter hoc ad arma spiritualia, quæ sunt Ecclesiæ propria, & pro sua munitione illis uti. Præsertim cum dictus Basilivus, post latam in eum ab eodem decano ex aliis causis excommunicationis sententias, sicut idem decanus asseruit, ipsum tanquam exinde provocatus sententiis ipsius contemptis, bonis spoliasset eisdem, & propter hoc postmodum ipse decanus sententiam tulerat interdicti tanquam spirituali se mucrone defendens contra illius injuriam, & violentiam sibi ab eodem occasione prædictarum sententiarum, & in ipsarum contemptum illatam. Et quidem cum liceat cuilibet suo vicino, & proximo pro repellenda ipsius injuria suum impertiri auxilium; imo, si potest, etiam negligat, videatur injurantem fovere ac esse particeps ejus culpæ; licuit profecto ipsi decano proprio sibimet subvenire subsidio; & suam & temporalem injuriam sua propria spirituali defensione tueri; sicque utrumque quodammodo gladium, & temporalem, & ecclesiasticum, alterum videlicet altero adjuvare. Maxime quia hi duo gladii consueverunt, exigente necessitate, sibi ad invicem suffragari, & in juvamen alterius subventione mutua frequentius exerceri.

Cap. Rom. eccl. de sent. excom. in 6.

ANNO CHRISTI 1245.

De verborum significatione.

Veniens : *& infra*. Per illa verba privilegii : in speciales, & proprios Ecclesiæ Romanæ filios vos recepimus, dictos fratres exemptos non intelligi & illos, & ipsos (*g*) in proprios ejusdem Ecclesiæ filios fuisse receptos. Quod ab alio, quam a Romano Pontifice vel Legato ab ejus latere destinato interdici vel excommunicari a quoquam (*h*) declaramus. Illum locum desertum in præmissis intelligimus qui non habitatus penitus, neque cultus fuerit ultra memoriam hominum; vel secundum indulgentiam Lucii est sub Saracenorum potestate detentus. Censemus Ecclesias in talibus desertis locis a fratribus istis constructas, seu etiam construendas in eo plena libertate gaudere, ut secundum indulgentiam Lucii nihil ab ipsis legis diœcesanæ nomine valeat per Episcopos exigi. Quia (*i*) secundum privilegium Alexandri non possunt interdicto, vel excommunicationi supponi quasi in locis hujusmodi dicti fratres habeant potestatem petita a Sede Apostolica licentia construendi (*k*) easque cum suis plebibus per suos Clericos gubernant idoneos; qui ratione plebium examinandi causam (*l*) episcopis præsententur, ut ab eis curam accipiant animarum, cum plebes Episcopis sint subjectæ. Cæterum dicti fratres decimas de latoribus & novalibus suis, quos propriis manibus aut sumptibus excolunt, & aliis habitis (*m*) sibi a Deo præstitis convenientibus Clericorum ordinis sui, a quibus quarta, vel tertia nullatenus exigatur. Cum integritate persolvant salva moderatione (*n*) concilii generalis in aliis eorum possessionibus jure communi, seu quolibet alio Ecclesiis parochialibus & Diœcesano Episcopo reservato. Per declarationem hujusmodi autem nolumus defensoribus seu juribus partium derogari.

Cap. Veniens de verb. signific. in 6.

(g) Codex alter: *& ipsi ex illo*

(h) Alter codex habet *non valeat declaramus illum locum desertum*.

(i) Codex alius : *sed in privilegium*

(k) Codex alius : *constituendi*

(l) In uno Cod. deest *causam*

(m) Codex alius: *bonis*

(n) Codex alius : *prefati*.

„ Addere etiam hic juvat ad plenam concilii hujus narrationem longiusculam illam adnota-
„ tionem, quam Raynaldi annalibus ad hunc annum subjeci.

Lugdunense I. concilium œcumenicum, isto quidem anno celebratum fuit, ut contra nonnullos evidenter demonstrat veterum coævorum & concilio ipsi præsentium scriptorum authoritas, inter quos anonymus Erfordiensis, Nicolaus de Curbio, qui pontificis lateri adhærebat, Parisius, aliique. Sed ejus indictio anno superiori labente primum facta est. Quanquam etiam encyclicæ ea de re literæ nonnisi hoc anno ineunte expeditæ sunt. Lugduni tamen de synodo futura denunciationem die festa S. Joannis evangelistæ a pontifice in plena populi concione factam, scribit Nicolaus de Curbio in vita Innoc. cap. XVIII. Nec minus constat de die, qua pontifex patribus convocatis in triclinium cœnobii S. Justi de rebus ad concilium pertinentibus tractare cœpit, cui rei diem XXVI. Junii omnes assignant. Biduo

duo post, die XXVIII. Junii sessio prima concilii habita, in qua ea tractata sunt, quæ ab annalista hic narrantur. Octava post hæc die V. Julii ad sessionem alteram processum fuit. Tertia demum prorogata usque ad diem XVIII. Julii Certa tamen tertiæ hujus sessionis dies ambigua, nam si acta Vaticana consulantur, sententiæ in Fridericum, in tertia hac sessione latæ, subiicitur dies XVII. Junii: attamen ascripta eidem sententiæ apud alios veteres scriptores relatæ dies variat, teste Spondano ad hunc annum num. XV. Nicolaus vero de Curbio, cujus in hac re authoritas mihi potissime spectatur, non uno in loco asserit Fridericum damnatum fuisse in concilio XV. Kal. Augusti; hæc ergo dies sessioni concilii tertiæ assignanda, reformata Vaticanorum actuum in re parvi momenti lectione.

Nec minus apud me ambiguus est numerus patrum, qui concilio huic adfuerunt. Ad centum quadraginta ex Parisii authoritate Spondanus & Binius definiunt; sed ex veteri & coævo testimonio paratam habemus rationem, cur definitum hunc numerum præsulum in dubium revocemus. Anonymus enim Erfordiensis, qui historiam suam anno 1254. quo & floruisse arbitror, absolvit, ad hunc annum 1245. ita scribit: *In mense junio Lugduno Galliæ celebratum est concilium, præsidente papa Innocentio cum CCL. episcopis, ubi per sententiam Friderico quodam imperatori omne jus regnandi abdicatum est, & eadem sententia Prædicatoribus, atque Minoribus denuncianda commissa.* Ex Germania raros, ex Hungaria nullos, e Syria unicum venisse episcopum Parisius affirmat; sicut & neminem e regno Siciliæ Malaterra, vulgatus a Muratorio Rer. Ital. t. V. pag. 605. qui Nicolaus de Curbio in eo adstipulatur, quod archiepiscopum una cum Thaddeo a Friderico missos fuisse ad concilium asserit.

Quid in eo tractatum deliberatumque sit fuse prosequitur annalista, cujus tamen narrationi plura addenda sunt, videlicet de canonibus in eo editis ac stabilitis. In codice Vaticano synodi hujus canones XVII. sunt, quos in collectione Labbeana legimus, sed multo plures sancitos colligimus ex additamento novem aliorum canonum, quos Labbeus ex sexto decretalium collegit, & actis concilii hujus subjunxit, ex quo intelligimus acta illa Vaticana mutila esse, nec omnia ejus concilii gesta continere. Porro canones illi tum qui e Vaticano codice deprompti sunt, cum qui ex sexto decretalium collecti in digerenda fori ecclesiastici disciplina fere omnes versantur.

Cæterum alia insuper plura ibi a patribus definita sunt, quæ annalistæ Binii, & Labbei diligentiam fugerunt. Primo enim octava dies nativitatis B. M. V. hic non quidem primo instituta, sed antiquior ejus institutio, jam neglecta, renovata fuit. Durandus, qui non longe ab his temporibus scribebat, ejus innovandæ rationem hanc affert in opere de Divin. offic. lib. VII. cap. 149. *Vacante Romana ecclesia per obitum Gregorii papæ IX. cardinalibus concordare nequientibus, Romani per plures dies eis inclusis multiplices molestias inferebant, propter quod dicti cardinales Reginæ cœli noverunt, quod si ejus meritis concordarent, & abire liberi possent, octavam suæ nativitatis diu neglectam celebrandam de cætero statuerunt. Sicque in Cœlestinum papam convenerunt, & liberati sunt; sed quia Cœlestinus vixit solum XVIII. diebus, non potuit votum implere, quod postmodum dictus Innocentius successor implevit.* In hoc pariter concilio definitum fuisse electorum imperii numerum septenarium Baronius ad A. 996. num. 55. opinatur, idque probat adducto Matthæi Parisii testimonio, qui gesta in hac synodo narrans, septem electores enumerat, quibus negocium commissum fuit, ut novum imperatorem eligerent. Verum additamentum id Parisiii esse non verba ex actis synodalibus expressa, notat Pagius in critica ibid. num. 16. Quæ mea sit in re hac sententia paucis expedio. Jus electionis imperialis, quod olim penes omnes Germaniæ principes residebat, ad delectos quosdam principes redactum ante hos annos jam fuisse penes me exploratum est, idque deduxisse mihi videor ex decreto electionis Conradi filii Friderici in regem Romanorum, quæ contigit anno 1237. januario mense, ut ad eundem annum probavi. In eo enim consessu licet imperii principes permulti adessent, ut ex subscriptionibus chartæ pro monasterio Cistercienſi ibidem datæ, cujus ad eundem annum 1237. memini, liquet, electores tamen nonnisi XII. sese offerunt, iidemque se *tenere locum Romani senatus, & reputari patres & imperii lumina* profitentur. Decretum istud multo castigatius, & integrius, quam in miscellaneis Baluzii tom. I. pag. 472. extat in chronico F. Pippini Bononiensis lib. III. cap. 2. vulgato a Muratorio rer. Italic. t. IX. pag. 675. & ex Italici veteri versione quanquam non satis accurata, & correcta in Deliciis Lamii ad chronicon Leonis Urbevetani pag. 235. Ex eo igitur decreto liquet ante concilium istud electorum numerum jam tunc intra fines angustiores constitisse, quanquam non adhuc septem tantummodo delecti erant. Nunc vero occasione hujus concilii Parisius septem electores definit. An vero ille id expresserit ex mente concilii, vel ex sententia sua, incertum. Ex iis quidem, quæ idem Parisius notat ad an. 1258. intelligimus ad electionem eo tempore faciendam jus sibi alios etiam principes supra septem arrogasse. Quanquam tunc pariter electio septenis electoribus reservanda esse contenderetur, ut ex literis Urbani IV. a Pagio ibid. num. XIII. relatis intelligimus, atque *ita servatum a tempore, cujus memoria non exstitit* asserebatur. Deduci hinc posse arbitror septenum electorum numerum reipsa quidem in concilio Lugdunensi, vel etiam ante illud, ex quo facultatis eligendi imperatorem limites contracti sunt, definitum fuisse; sed eum principes alii id ægre admitterent, ideo persæpe sese in eam electionem ingessisse.

In concilio hoc Lugdunensi stabilitum pariter fuit & constitutum, ut cardinales rubro galero tegerentur, quod affirmat Nicolaus de Curbio in vita Innocentii cap. XXI. his verbis: *Dictus pontifex post concilium annon secundo Cluniacum ivit cum rege Franciæ, & ipsius fratribus loquuturus, & domini cardinales primo capillos rubeos receperunt, sicut in ipso concilio fuerat ordinatum.*

Denique Joannes Iperius in chronico S. Bertini cap. 48. par. III. affirmat Simonem abbatem S. Bertini obtinuisse in eo concilio a summo pontifice, ut quoties ipse statuta Gregorii IX. pro ordine S. Benedicti edita transgressus fuisset, ab alio abbate absolutionem impetraret, & pœnarum commutationem acciperet. Insuper ut in monasterium adscire li-

ce-

ceret clericum, qui monachis scholam habe-
ret. Denique impetravit ne per literas apostolicas facultati illi perspicue non derogantes, cogi possent quempiam in monachum recipere,

ANNO CHRISTI 1245.

Anonymus author historiæ priorum Grandimontensium, quem vulgavit Martenius anecdot. to. VI. quædam narrat concilii hujus historiæ addenda: *Cujus prioris tempore* (Guillelmi Dongres) *Innocentio papa IV. apud Lugdunum existente, anno Dom. MCCXLVII.* (lege 1245) *Friderico Romanorum imperatore, in concilio generali depositæ fuerunt regula & privilegium Grandimontensium per ipsum Innocentium renovata, & in formam meliorem reducta, & impetratum etiam fuit a dicto Innocentio exemptionis privilegium, quod ratione delicti vel contractus aut rei*, de qua ageretur contra fratres ordinis Grandimontensis ipsi fratres exempti *non tenerentur locorum ordinariis respondere*.

„ Denique ad plenam actorum Concilii hu-
„ jus collectionem dandæ sunt geminæ Fride-
„ rici II. imperatoris literæ, quibus accitos
„ ad Concilium Præsules absterrere conatus
„ est, ne vocanti pontifici parerent. Vulgavit
„ illas Baluzius Miscellan. tom. I. pag. 458.
„ Quanquam utramque Friderico ipsi adscri-
„ bendam si Baluzius contenderit, assentien-
„ dum esse non censeo. Prior enim, ut ex
„ tota ejus serie colligitur, ab episcopo aliquo
„ ex imperatoris factione data est, negante
„ parendum pontifici vocanti quod res illa
„ fuerit plena periculi.

Ad universos papali vocatione vocatos.

Universis papali vocatione vocatis. Scribens in ambiguo mandato mandatis sic habere providentiæ spiritum & intelligentiæ complementum quod per improvidentiæ lubricum inter præparatos laqueos non labantur & in plicas inexplicabiles non plicentur. Ad cognoscendum itaque quid in vocatione vocatis expediat fieri, consideranda sunt omnia per quæ via tutior posset eligi, & habendum super hoc a vobis consilium tam prudenter quam utiliter terminari. Nam prius, ut arbitror, debet attendi forma rescripti, videri motus scribentis, considerari causa mandati, pensari, si posset, intentio mandatoris, debitæ executioni mandari, & tam eminentium quam latentium periculorum inevitabilis multitudo provida circumspectione vitari. Quæ qui plene cognosceret, de facili scire posset, quid in hoc vocatis ambiguo facere expediret. Ut autem de gravioribus discussio prima fiat; primo periculorum mari pericula piratarum: qui si vobis occurrent, in vos taliter irruent, quod præter alia flagitia inferenda, personas cum rebus capiant vel submergent. Cumque navigatur in portu, frequenter evenit quod ex concussione navis in terram vel petram in portu pereunt navigantes, vel subita ventorum impulsio veniens ex adverso sic eos a portu repellat, quod consumptis cibariis eos in mari latitudine periculorum sævitia, quam jam evasisse credebant, impetit & impellit; ubi, nisi periculis pereant, saltem fame & siti peribunt. Præter hæc, quædam etiam inevitabilis periculorum abominatio, quam tolerare vel evadere nullus potest: quia cum repentinas mutationes natura non sustineat, propter mutationem aeris & arborum & motum violentum ac continua continue stomachus vi provocatur ad vomitum; quod cum abominatione recipit, evomit cum dolore, fitque frequenter, ubi secundum diversas naturas diversimode ex diversis tanta ventris constipatio, quod ventris virtus naturaliter expulsiva motum animi amittere cogitur naturalem. Quandoque tanta est dissolutio, quod vix remanere videntur intrinsecus intestina. Cumque navis licet parva, receptaculum sit multorum, sit ibi distinctio locorum secundum multitudinem contentorum, & pressura premente unus juxta alium morborum perversitate torquetur; motumque ventris tam violenter quam inevitabiliter expulsivum superius & inferius patientes infirmi quidam subtus, quidam supra, non in loco talibus deputato publice, inter omnem ventris putredinem cogantur admittere defectu virtutis propriæ communem, sic quod juxta peregrinum nullus moritur peregrinus, & in mari projicitur semivivus, & abominationes intolerabiles extraneus ab extraneo cogitur tolerare, quas nequaquam in terra de patre vel de filio sustinere. Et si potentes propter potentiam hujusmodi pressuras evaserint, firmiter tamen aerem corruptum ex mortuorum & infirmorum corruptionibus ascendentem non pote unt evitare. Cumque sit ibi infirmorum mistio & sanorum, velut ignis ardentis inflammatio in domos continuas morborum contagiosa diversitas ab una in aliam transvolat & prorumpit, sicque de mille vix unus evaderet nisi mortuus vel infirmus. Quod si forte aliquis remanserit semivivus, in terra maris & morbi concepto contagio morietur. Vel si mortem evaderet, morbum interminabilem non evadet, ut perpetuo languore detentus non possit propitia vita frui, sed continua morte mori; multaque maris corruptio corruptis humoribus & aeris corruptione infectis spiritibus de mari redeunt, sic corrupti quod sepulchri vel inferni faciem afferre videntur, & possunt potius monstra quam homines judicari. Sed cum metalla quælibet in mari naturali colore innaturabiliter destituta, maris violentia colorem cogantur inducere peregrinum; quid mirum si quolibet momento mutabilis humana natura nequeat sustinere quæ metallorum non potest insensibilitas tolerare, facies de mari viventium forma propria destituta, quod in mari formis propriis destitutis formas velitis recipere sic deformes. Verum ne inevitabilis maris periculorum prolixitas sub brevi locutionis oraculo concludatur, in mari semper imminent omnis timor, nulla securitas, motus continuus, nulla requies, semper adversitas, nunquam prosperitas, nunquam bonum, sed generaliter omne malum. Sane cum sint maris pericula tot & tanta, quod in mente hominis eorum non posset cadere multitudo, prætermisso de generali, ad specialia discurrendo de singulis descendatur, primoque de primis & currentibus providus sit tractatus. Venit quidem a tyrano sævissimo in terra potentissimo & in mari certæ prohibitionis edictum, ut si quis viam, quam multis prohibuit incedere, præsumat ingredi, persona vel rebus aliquatenus non confidat. Quis igitur ejus insidiis se exponet? Quis illius laqueis se involvet, qui dominatur in terra, principatur in mari, & imperat in utroque, qui prodigus in pœna, parcus misericordia, furore repletus, pietate deficiens, verbo falsus, opere imperfectus, vitiis deditus, Domino indevotus, crudeli.

ANNO CHRISTI 1245.

delitate fecundus Herodes, impietatibus alter Nero, qui cum a mari usque ad mare, præter Januam possideat omnes portus, potens sit in navigio & in armis, de Pisis, Corneto, Neapoli, & Gajeta ac aliis regionibus tanquam ad insidiandum congregabit multitudinem galearum, cum tanta multitudine piratarum & abundantia armatorum, quod transire nequibitis, quin in præparatas insidias incidatis. Quod si per maris altitudinem aliquantulum insidiantium cursum vitetis, tandem tamen ad portum quem tenditis accedere vos oportet, in quo est ipsius potestas quæ nullius reprimine reprimetur. Et in ipso portu, cum veneritis, vos capiet vel submerget, vel in terram ejus aura forte contraria vos impellet; vel cum sit vir magnæ sagacitatis & versutiæ imminentis, paratos nautas forsitan jam corrupit, quod ventum contrarium præponentes ejus insidiis vos exponent, ut sic idem habeat, quod intendit, & vobis eveniat quod timetis. In quibus casibus forsitan esset festinatæ mortis supplicium minus grave quam in manus incidere tam crudeles: quia quomodo vobis parcet qui tenet & filium proprium carceris custodia mancipatum, ipsum dignaretur miserando miseria misereri? Qualiter circa vos pietate movebitur qui super captivum filium paternis compassionibus non movetur? Quod si forsan super inopinato casu vel impossibili Romam veneritis, tot minanda pericula mirabiliter evadentes, Romæ securi qualiter eritis, cum pro diversis adversariis omnibus civibus in diversa divisis sit ibi conflictus continuus inter cives & divisio inter fratres. Quod si securitas ita vobis patuerit, generalis tamen afflictio non latebit, quia cum æstivi caloris dominio vos servos oportet ibi esse; sicque ibi perseverans & intolerabilis caloris ebullitio, aquarum putrefactio, ciborum grossities, aer palpabilis, muscarum abundantia, copia scorpionum, gens immunda, gens abominabilis, gens pessima, gens furoris, sicque ibi civitas tota per circumferentiam cavernosa, cavernæ plenæ reptilibus venenosis, ex quibus fumus inficitur, & inficiens evaporat; & sic omnes ibi tunc morantes generaliter moriuntur, quod de milibus decem vix evadere possunt. Sic ergo qui indignationem maris evaserit, vorax Roma venenosa voragine devorabit. Et qui illam evasisse crediderit, incidet in Charybdim. Verum si miraculo vel fortuna tot pressuras evaserint, quis eis de reditu securo providebit? Quia cum hosti insidianti magnates urbi ad prælium voluntarie famulentur, non est ingressus aliquis nisi velint; vel si ingressus forte non poterunt impedire, saltem eidem patefacient gressus sive motus vestros, ut statim cum ingressi mare fueritis, vos expectans manus susceptiat & torqueat inimici, vel saltem in prænominata pericula incidetis. Sicque maris gulositas insatiabilis in vos, quos vomit, tanquam canis ad vomitum revertetur, quia mare, tempestates, & venti pro vobis naturales potentias non amittent. Non estis dii vel sancti, ut in potestate vestra suæ resideant tempestates. Porro si vobis de ductu & reditu securitas promittatur, videte quæ de vita tuenda & morte cavenda cautio dari possit. Contra quem enim de morte post mortem, de mortis passionibus actionem habebitis, cum omnes morte quoad mortuos pareant actiones, pactiones tollantur, & promissiones quælibet viribus vacuentur, nec canonici juris beneficio, vel civilis aut appellationis vel provisionis alicujus remedio post mortem vita redeat jam amissa. Si vero Legati subtilitas ad arreptionem itineris diversis suasionibus vos inducat, cogitate quoniam cogitur non redire. Est enim sua mansio, & non vestra. Via sibi patet unica, vobis duplices imminent, scilicet pericula transitus & regressus. Insuper attendatis quod mandator in mandato tam aspero circa vos motu rationabili moveatur, utrum mansuetudine repleatur, si charitatis adminiculo accendatur, qui cum insidias Principis non timeat adversantis, sed in tuto maneat & quieto, vos voragini tam communi periculorum exponere non formidet. Esset quidem tolerabilius sustinendum si vobiscum communicatis periculis in loco congruo convenirent. O si rationis judicio fungeretur, contentusque finibus æquitatis, motus providentiæ non exiret! Nunquam inter flores ecclesiæ rosas electas exponeret tantis periculis perituras. Si vero pro generali ecclesiæ statu, quæ ab appellantis hostis impulsibus contrahi conqueritur, vos vocavit, ex tali vocatione videtur, quod eam de casu velit in casum cadere graviorem. Quod si contingat, ut patet apertis indiciis, tam excellentibus ecclesiam viduari, quis ecclesiæ aptior, quæ confusio gravior, quæ desolatio durior quam sponsam inclitam summi regis tam aspera incommoda sustinere? Quis enim tanti lapsus gravedinem reparabit? quis tantæ desolationis remedia procurabit? Post hoc etiam attendatur forma rescripti, consideretur causa mandati, & notetur quid ex mandato hujusmodi possit sequi. Continet enim tenor prioris rescripti, quod grandes apostolicæ sedis eventus & causas vos ignorare non convenit, ut habeat separatum in vestra visitatione solatium & gratum providi consilii fulcimentum; cum post receptionem talis rescripti crudelitas adversantis tyranni inde honesta haurit, quod vos de præparatis insidiis præmunivit. Sed rescripti conditor circumstantia periculorum flagitia, salva sanctitatis reverentia, non attendens, & in subversione vestra subversionem status generalis ecclesiæ non advertens, obedientiæ virtute mandavit, quod cum tam sanctum ejus propositum, utilitatem respiciens singulorum, humanis non debeat versutiis retardari, Deum homini & meritum obedientiæ exclusis difficultatibus omnibus præponendo. Ut autem rescripti hujusmodi seriatim series differatur, quas habet apostolica sedes causas, quæ negotia nisi contra rebellem Principem, quæ majores vel minimi non ignorant. Quod si causas vel quæstiones habeat sive negotia latentia vel obscura, nunquid necessitatem subventionis pro libito vobis & consubditis vestris per Legatum imposuit? Nam per ipsum vel litteras revelare non potuit, quod intendit, ut certi mandati forma certum consilium firmaretur, & vitando pericula notarentur. Qualiter insuper præsumetur sanctitatis vestræ propositum, qualiter credetur utilitatem respicere singulorum, quod in armario secretorum sic silentio tegitur quod nec in aures publicas nec in consiliarias promulgatur? Si vero quam vobis inconsultis contra crudelem principem tempestatem incepit, concilio vestro diffinire disponit, num qui sine vobis ab initio vilipensis procedere incepit, processum suum sine vobis poterit terminare? Vel si consilio vestro finaliter

uti

☞ uti velit, qui primordialiter non curavit, num-
quid tutius fuit consilium per litteras vel Le-
ANNO CHRISTI 1245. gatum a vobis requirere, quam vocatis inter
tanta pericula vos parare, ut conceptum ab
ipso negotium generaliter ecclesiam tangeret
generalem? Quare consilium vestrum ab ini-
tio non quæsivit; quia cum finis eventum juxta
qualitatem principii sortiatur, fuisset consultius
de principio consilium quærere quam de fine?
Verum de causa mandati & mandatoris veri-
tas satis potest ex forma rescripti elici vel
præsumi. Cum autem contra tyrannum poten-
tissimum incipiendo quod per se incepit videat
imperfectum, tendit ut gravetur rigor senten-
tiæ contra ipsum, vel depositionis sententia
promulgetur, aliusque pro suo libito præficia-B
tur imperio, vobis, si deceat, juxta libitum
suum præstantibus consilium & assensum, ut
sitis organa sonantia juxta deductionem & li-
bitum organistæ. Cumque nec iste dejici, nec
ille præfici recte, nec defendi possit sine gra-
vibus oneribus expensarum, statuat & dissipet;
ut quod communi consilio statuetur, expensis
omnium defendat, ut sic, prout ejus rescri-
ptum obscure continet, in vestra visitatione
pro libito consilium expectatum habet in pro-
cessu & speratum solatium in expensis. Satis
enim videbitur contrarium rationi, ut qui de
processus principio consiliarii non fuistis, finis
opera expectetis, sitque deceptio pro negotiis
universalis ecclesiæ. Et licet ab initio consi-G
lium ejus vel consensus contemnatur, tributa-
ria statuetur, & perpetuæ servitutis patibulo
suspendetur. Sed propositum intentionis pro-
priæ tacuisse videtur; quoniam ad hoc vos præ-
sentes judicat facilius quam absentes, nisi pru-
denter caveritis, ne sub involucro vos involvat. Cumque virtus obedientiæ, qua vos vocat ad subeundum, inevitabilia rerum, personarum & Ecclesiæ pericula, vos non cogit, cum ex causa necessaria non causetur, si vos in tantis specialitatis & generalitatis periculis non cogente necessitate repererit ita debiles, ita molles in obediendo per vos meritum demerebitur; homo Deo, non Deus homini præponetur; vosque de cætero reputans arun-D dinem flexibilem omni vento, perpetuis, ut incepit, libertatis fœdere violato, ligabit vinculis servitutis, sicque gradatim de gravi in gravius gravissimum vel gravissime vel generalissime comparetur. Vel si forsan in iis vos fortes invenerit, plus in aliis offendere vos timebit: qui intellecta sententia veritatis, plus humiliatur, plus erigitur, plus repugnans. Consideratis igitur universorum periculorum circumstantiis universis, quis erit adeo prodigus vitæ suæ, quis adeo contemptor negotii libertatis, quis adeo rerum negligens conservator, quis adeo pene vilipensor, quis adeo felicitatis continuæ non amator, quod felicitatis pro in-
felicio propriam, pro exilio res, pro defectu E
libertatem, & communem pro servitute propria
& communi, & tandem vitam pro morte ve-
lit aut audeat infelici commercio commutare?
Timeo tamen, ut quosdam vestrum ambitio
ad majora, quosdam desiderabilis amicorum
promotio, quosdam favor curiæ acquirendus,
ex exauditionis favore in exauditionem clamantium oppressorum ad subjiciendum vos & uni-
versalem ecclesiam periculis importunitatibus A
vos impellant. Sic diversis cogitationibus agi-
tati eritis sicut qui non habent nec habituri
sunt, semetipsos perdere non verentur. Ego
tamen, quantum sufficio, pensans & ponde-
rans universa in præmissis eligendis arbitror
non parere potius quam perire, nisi causa ma-
nifesta & necessaria primitus exprimatur, ex
qua debeat obedientiæ vinculum inviolabile
observari.

ANNO CHRISTI 1245.

AD CARDINALES ROMANÆ ECCLESIÆ (a)

(a) Hanc esse Fridericii prout in Baluzino codice inscribitur vix dubit

ILlam pro firmo gerimus de vestra sincerita-
te fiduciam, illam in vobis & cæteris fra-
tribus vestris esse constantiam opinamur, quod
quantumcumque devotionis & reverentiæ vin-
culo Romano pontifici satis astricti, quantum-
cumque sui processus impetum contra nos ha-
bitum sub generalis ecclesiæ nomine periculis
vestris ascribat, causam propriam redigens ad
communem, vos velut orbis cardines & co-
lumnæ firmissimæ, nec ad circumventionem
innocentiæ nostræ leviter possitis induci, nec
ad depressionem nostræ justitiæ leviter com-
moveri. Et quamquam ad evitanda desolatio-
nis dispendia, ut credimus, per scissuram,
currentis temporis furori cesseritis, libenter ta-
men vos invenire velle remedia credimus per
cautelam, quibus orta per impetum valeant
reparari discrimina & excitata mundi dissidia
conquiescant. Verum summa videtur circum-
spectione cavendum, ut sine præjudicio ve-
stræ discretionis immensæ loquamur, ne dum
per liquoris infusionem extingui credatur in-
cendium, accensus ignis ardentius furiat, for-
sitan oleum jaciat in caminum. Illud etiam
non minori diligentia cavendum credimus,
ne materiæ minus crudæ cauterium apponatur, & ex quo sequitur vulnus insanabile potius quam vulneris medicina. Nuper enim audivimus, unde justissima ratione movemur, quod nobis excogitati consilii qualitatis ejus & temporis prorsus ignari, per summum pontificem adhuc publicum hostem imperii & nostrum capitalissimum inimicum, pro pacis negotio, licet hoc vocationis emissæ forma non exprimat, concilium convocatum, illo simpliciter adnotato quod pro magnis & arduis ecclesiæ Romanæ negotiis & transmarinorum prælatorum & cismarinorum principum synodus evocetur. Verum quæcunque sit causa vocationis hujusmodi litteris ad apostolicam famam tacita vel expressa, satis tamen suspicionis nostræ causam perlucide & initia manifesta quod pro nobis, non pro pace, sed contra nos, & discordia potius, tale concilium evocator, dum non a vobis saltem communi electæ personæ, sed ab inimico nostro & nonnulli nostri culminis inimici vocantur. Prius igitur pax inter nos tractari debuit & tractata firmari, quam a tam remotis partibus pacis suffragia quærerentur. Nos enim de hoc inimicorum de parvo vel nullo qui se offerunt non timemus, si cum eo pacem habebimus, quem patrem habere, si datum esset, deberemus in terris.

ANNO CHRISTI 1245.

STATUTA ODONIS

Episcopi Tusculani & A. S. L. pro ecclesia Meldensi.

Ex cartario Meldensi.

1245. Mart. t. IV. 89.

VEnerabili in Christo patri Dei gratia episcopo & dilectis in Christo decanis & capitulo Meldensi, Odo miseratione divina Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, salutem & sinceram in Domino caritatem.

Cum ad excolendam vineam Domini Sabaoth inter alios operarios, licet immeritos, is qui est super omnes operarios constitutus, nos decreverit ordinandos; dignum est ut culturæ ejus, prout scimus & possumus, diligentius intendamus. Hinc est quod ad ecclesiam Meldensem vestram visitationis gratia descendentes, quædam, licet pauca eradicare & alia plantare decrevimus, ut in omnibus decor ecclesiasticus reformetur.

I.

In primis igitur quia hactenus in dubium vertebatur quis clericorum chori curam haberet, eorum scilicet qui nec proprios habebant dominos, nec ecclesiastica beneficia possidebant, præsenti ordinatione sancimus, ut tam canonicorum quam aliorum clericorum, qui chorum frequentare noscuntur, illis duntaxat exceptis, qui extra ecclesiam cathedralem beneficium ecclesiasticum obtinent, decanus curam habeat animarum: ita quod omnes ei confiteri annis singulis teneantur, vel illi cui super hoc licentiam dederit specialem; salva tamen jurisdictione cantoris, & eorum qui in dictos clericos jurisdictionem habere noscuntur.

II.

Quia vero super loquela in choro ordinationem per capitulum novimus esse factam, ut beneficium horæ perderet, qui ita vocem in loquendo extolleret, ut de quarta sede posset audiri & intelligi, nisi forte de his quæ ad divinum servitium pertinere noscuntur: quamvis per aliquorum incuriam postea fuerit revocata, nos eamdem ordinationem idoneam reputantes, legationis, qua fungimur auctoritate decrevimus eam in perpetuum observandam, sub interminatione divini judicii obsecrantes, ne beneficium horæ percipere audeat quicumque in hoc se manifeste cognoverit deliquisse.

III.

Insuper quod de septem canonicis diaconis in ecclesia ordinandis statutum fuit, & de tabula scribenda in diebus festivis, prout antiquitus fuerat observatum, volumus & præcipimus in posterum observari.

IV.

Ut autem omnis occasio scandali & ridiculi ab ecclesia abscindatur, volumus & mandamus, ut festum Innocentium secundum modum & cultum aliarum festivitatum, quæ per anni circulum celebrantur, per omnia reducatur; ita quod nec pueri in choro serta portare audeant, nec stalla in choro superiora tenere, aut alia hujusmodi agere, quæ non decent ecclesiasticam honestatem.

V.

Injungimus insuper, ut omnia mercimonia ab ecclesia segregentur, nec aliquorum strepitus aut alius tumultus exerceatur in ea, seu aliud per quod divinum officium valeat impediri.

VI.

Quia vero nonnulli, quamvis divinis horis non plene interfuerint, stipendia tamen horæ debita percipere non formidant, intrantes, & egredientes, in animarum suarum periculum Dominum irridentes; districtius inhibemus, ne aliquis de choro præsumat egredi officio non completo, nisi necessitas urgeat, aut aliqua utilitas id exposcat. Qui vero mandati hujus transgressor fuerit, sciat se ex nostra constitutione beneficio illius horæ privatum. Quod si scienter in contemtum hujus nostræ constitutionis idem beneficium præsumserit usurpare, ipso facto si per magistrum Petrum de Bolliancico Meldensem canonicum presbyterum vel ejus successorem in præbenda, cum idem P. canonicus esse desierit, neglexerit emendare, sententiam suspensionis incurrat. De qua tamen transgressione & contemtu, si postmodum resipuerit, per manum supradicti Petri vel ejus successoris, injuncta sibi salutari pœnitentia, absolvatur.

Hæc autem in ecclesia vestra ad præsens ordinavimus, ad aliorum ordinationem cum vacare poterimus processuri, si necesse fuerit & viderimus expedire. Datum Meldis quartodecimo Kal. Martii anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto.

DECRETA ODONIS.

Episcopi Tusculani & A. S. L. pro ecclesia Senonensi.

Ex Mart. Anecd. t. IV. p. 1078.

VEnerabili in Christo Patri . . . . . Dei gratia archiepiscopo, & dilectis in Christo decano & capitulo Senonensi, Odo miseratione divina Tusculanensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, salutem & sinceram in Domino caritatem.

Rationis reddendæ necessitas de villicatione suscepta, nos invitat & urget, ut de regno Dei suborientia tollamus scandala, illa præcipue quæ divinum cultum obfuscare seu dehonestare noscuntur. Ideoque ad vestram ecclesiam personaliter accedentes, quædam licet pauca, reperimus, quæ propter honestatem & decorem tantæ ecclesiæ omnino oportuit amoveri; alia vero in melius reformari.

I.

In primis igitur legatione, qua fungimur,

auctoritate diſtricte præcipiendo mandamus, A quatenus illa feſtorum antiqua ludibria, quæ ANNO CHRISTI 1245. in contemptum Dei, opprobrium cleri, & deriſum populi non eſt dubium exerceri, videlicet in feſto S. Johannis Evangeliſtæ, Innocentium, & Circumciſionis Domini, juxta modum priſtinum nullatenus faciatis, aut fieri permittatis. Sed juxta formam & cultum aliarum feſtivitatum, quæ per anni circulum celebrantur, iſta volumus & præcipimus celebrari: Ita quod ipſo facto ſententiam ſuſpenſionis incurrat, quicumque in mutatione habitus, aut in ſertis de floribus, ſeu aliis diſſolutionibus, juxta præcedentem ritum reprobatum adeo in prædictis feſtivitatibus, ſeu aliis a modo præſumſerit ſe habere.

II.

Ceterum, quoniam divinum officium in quibuſdam in eccleſia veſtra cognovimus minus decenter impleri, ab his præſertim qui invitatorio cantando hora debita non interſunt; & ab his etiam qui recedunt a laudibus, beneficio temporali ſuſcepto; nec non etiam ab illis qui frequenti egrediendo de choro ſyncopant matutinum; volumus, & præſenti conſtitutione ſancimus, ut quicumque pro tempore a modo pro cantando invitatorio in tabula inſcribentur, ita ſe ſtudeant præparare, quod & chorum ſimul intrent, & ſine aliquo intervallo, poſtquam ſacerdos matutinalem horam incœperit, ſimul invitatorium incipiant decantare. Quicumque vero ſuper hoc defectum fecerit, emolumentum temporale matutinarum amittat.

III.

Et quia iuſtum eſt, ut quos amor ad ſervitium ſuum retinere non valet, beneficiis ſaltem temporalibus teneantur; volumus & ordinamus, ut tertia pars retributionum matitunalium nulli a modo tribuatur, niſi ei qui laudibus ſtuduerit intereſſe. Et hoc uſque adeo volumus obſervari, donec eis, qui matutinalibus interſuerint, dictum capitulum, ſeu alius competentem reditum duxerit aſſignandum.

IV.

Illo vero tempore, quo horæ decantantur in choro, nullus de choro ingredi abſque neceſſitate, ſeu aliqua utilitate præſumat: quod ſi fecerit, illius horæ beneficio ſit ipſo facto privatus. Egreſſi vero plauſum aut tumultum non faciant, per quæ ſervitium valeat impediri, ſed nec in aliquo, uti ab his qui in choro fuerint videri valeant, audeant commorari.

V.

Item, quicumque in choro officium eccleſiæ turbaverit, aut aliud quam de neceſſariis locutus fuerit; & hoc etiam voce ſubmiſſa, aut cauſa garriendi de ſtallo in ſtallum tranſierit, beneficio illius horæ careat, in qua hujuſmodi præſumpſerit perpetrare. Et hoc idem in anniverſariis volumus obſervari.

VI.

Nullus præterea clericus, ſeu canonicus, dum horæ in eccleſia decantantur, extra domum in clauſtro abſque regulari habitu diutius commorari præſumat; & quicumque ſuper hoc notabilis inventus fuerit, ſi per decanum aut præcentorem, prout juriſdictioni eorum ſubeſſe noſcitur, ſe ſuper hujuſmodi noluerit emendare; ſi clericus eſt, ejiciatur a choro; ſi canonicus, per capitulum pœna debita puniatur. Sed nec clericus, ſeu canonicus extra clauſtrum quacumque occaſione, ſine cappa vel pallio, pueris de choro dumtaxat B exceptis, incedere ſeu ſtare præſumat.

VII.

Ille vero qui ad impoſitionem regentis chorum, antiphonam, ſeu aliud quidpiam ſibi impoſitum legere neglexit, vel cantare; illius horæ temporali beneficio ex noſtra ordinatione noverit ſe privatum.

VIII.

Ille etiam modus cantandi habeatur in choro, ut in pſalmodia in medio verſus metrum cum pauſa ab omnibus obſervetur, nec unus C chorus aliquo modo incipiat, quouſque alter chorus plene finierit verſum ſuum.

IX.

Item, diſtrictius inhibemus, ne canonicus aliquis, cappellanus, ſeu clericus de choro in domo propria, ſeu propinqua mulierem aliquam tenere præſumat ad ſervitium, vel ad cibum, nec etiam in domo ſua pernoctare permittat, niſi ſit mater, vel ſoror, ſeu propinqua ſaltem in tertio gradu canonici ſeu capellani, penes quos pernoctabit: vel niſi aliquæ magnates mulieres, quæ ſine ſcandalo evitari non poſſunt, ad eorum domos cauſa familiaritatis honeſtæ duxerint divertendum; vel niſi, neceſſitate urgente, matronas aliquas ab eiſdem aliquando vocari contigerit ad cuſtodiam infirmorum.

X.

Hæc autem ad præſens vobis præſentibus litteris exprimenda decrevimus. Alia vero ſuper quibus plene deliberare non poteramus ad præſens, cum nobis vacaverit, & opportunum fuerit, tranſmittemus; obſecrantes in Chriſto, ut hæc, quæ pro ſalute animarum veſtrarum, & honore eccleſiæ veſtræ duximus ordinanda, recipiatis benigne & cum omni diligentia curetis effectui mancipare: facientes ea, ſaltem E in hac novitate, quater in anno in capitulo legi, ne aliqui forte per ignorantiam ſe valeant excuſare. Nulli ergo omnino hominum liceat aliquatenus præmiſſa infringere, vel eis auſu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Senonis quarto idus Novembris anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto.

CON-

ANNO CHRISTI 1243.

CONCILIUM PROVINCIALE MOGUNTINUM

Anno Christi MCCXLIII.

thzeim c. Germ. 5.

ANno Domini MCCXLIII. VII. Kal. Julii, cum Concilium in Ecclesia Moguntina esset indictum, & cum p. m. Syffridus ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus, tunc temporis in die Concilii ad Concilium cum Coepiscopis suis considere vellet, ut indictum Concilium turbaretur Domini Episcopi Hildensheimensis, & D. Warburnensis, & D. Wormacensis jus Domini Episcopi Eystatensis, & suæ Ecclesiæ, ut supra notatum est, quilibet eorum pro se & sua Ecclesia, quod primus esse deberet post Moguntinum, proponebant, & super hoc sibi fieri justitiam postulabant. Dominus vero Eystensis Episcopus Fridericus nomine, dictus de Parsperg, & Jurisperitus, cum audiret dictos Episcopos jus Ecclesiæ suæ, & jus alienum impetere, & tanquam rem suam petere, ipse ut homo providus & literatus, Pontificalibus indutus & vestitus, jus Ecclesiæ suæ laudabiliter defendebat, & testes, quos ad probandam intentionem suam induxit, taliter jurati deposuerunt.

Duo Præpositi, & unus Decanus, quorum quilibet se circa centum annos esse dicebat, sic dixerunt, & concordaverunt in omnibus supra notatis adiicientes, quod quando Maguntinus vellet præsidere Concilio, quod ab una parte Monasterii Sedes deberet esse, quæ caperet, nisi duas personas Maguntinum, & Eystetensem Episcopum, ex alia vero parte Domini Episcopi, ejusdem Sedis suffraganei deberent sedere per ordinem, & si Dominus Maguntinus medio tempore inciperet ægrotare, Dominus Eystetensis dicto Concilio deberet præsidere, & tractare ea, quæ tractanda, & decidere, & concilium consummare, & quod tunc non de propriis, eum eandem Ecclesiam sibi regeret, sed bonis Ecclesiæ Maguntinæ deberet procurari, & in reditu donec ad villam, quæ vocatur Perglen quæ attinet Ecclesiæ Eystetensi, ibi de propriis deberet sustentari.

Dixerunt etiam, quando Dominus Eystetensis vocaretur venire Magunciam sive esset in Cœna Domini, sive in aliis festivitatibus, & Dominus Maguntinus qualicumque de causa non posset exequi officium suum, & Dominus Eystetensis ratione juris sui, & suæ Ecclesiæ, quod ex antiquo sibi in Ecclesia Maguntina scitur esse concessum, ad exercendum ibi Divinum officium, & in Diœcesi, si necesse esset ad Ecclesias consecrandas vocaretur, quod procuratores Domini Maguntini deberent occurrere Domino Eystetensi apud villam, quæ dicitur Perglen, quæ ad Ecclesiam Eystetensem spectare dignoscitur, & cum in sero vixisset ibi de propriis, de mane procuratores Ecclesiæ Maguntinensis deberent ex tunc procurare de rebus Ecclesiæ Maguntinæ Domi-

num Eystetensem cum XXXVI. Equitatibus ibi & veniendo Magunciam & ibi commorando, & redeundo Domum iterum, donec ad villam Perglen, ibi tunc primum de propriis deberet substentari, dixerunt; & quando taliter vocatus D. Eystetensis veniret Maguntiam, quod ex tunc a Canonicis majoris Ecclesiæ suscipi, & recipi deberet processionaliter.

Cum vero testes prænotati in hunc modum jurati deposuissent, & per omnia concordassent, D. Eysterensis sub forma judicii justitiam sibi, & suæ Ecclesiæ fieri petivit, & instanter, præmissis tamen allegationibus suis, & probationibus hoc de jure fieri debere, Dominus vero Maguntinus de concilio DD. Episcoporum, & Capituli sui intentionem D. Episcopi Eystetensis pro se, & suo Capitulo sufficienter esse probatam, interloquendo pronuntiavit, & talem prærogativam super qua vertebatur quæstio Domino Eystetensi Episcopo, suisque successoribus, prout rite probatum fuerat, sentencionando adjudicavit: Dominus vero Eystetensis de secunda hora Concilii ad renovationem sui juris cum Domino Maguntino in una Sede, secundum quod testes deposuerunt, Concilio laudabiliter præsedit, & loco Domini Maguntini ea, quæ ibi tractabantur in publico lucidissime diffinivit; & die tertia, quia Dominus Maguntinus officium personaliter exequi non poterit, Monasterium in Ecclesia Maguntina omnibus qui erant Episcopis sibi cooperantibus, & Rege Conrado præsente glorioſissime dedicavit.

Testes omnium præcedentium sunt hi: Dominus Herbipolensis, Dominus Argentinensis, Dominus Bbenbergensis, Dominus Spirensis, Dominus Vormacensis, Dominus Barbrunnensis, Dominus Halberstadensis, & alii quamplures Prælati, clerici, & laici.

Ulricus, de Hazestein præpositus Herridiensis, Conradus comes de Castell, Otto de Ponte, Hermannus de Thanhausen, Canonici Eystetenses. Henricus Notarius Canonicus Herridiensis, & ministeriales Ecclesiæ, Conradus junior dapifer, Cuno de Lapide, & alii quamplures simili modo interfuerunt.

Acta sunt hæc regnante Domino Papa Innocentio IV. & Imperatore Friderico, & filio suo Rege Conrado regnantibus, qui Imperator per eundem Papam Innocentium post hæc apud Lugdunum justitia exigente est destitutus anno MCCXLIII. VII. Kal. Julii.

Ex libro Episcopali Eystetensis Ecclesiæ descripsit Cl. D. Joannes Georgius Joannis.

Gretserus Epitomen hujus Synodi scripsit lib. 1. observationum in Philippi Eystatensis Episcopi commentarium cap. XV. pag. 773. tom. X. novis. editionis.

ANNO CHRISTI 1246.

CONCILIUM LANCICIENSE

CONTRA CONRADUM DUCEM MAZOVIÆ.

Bonorum ecclesiasticorum invasorem,

ANNO CHRISTI 1246.

Matthias Michovienſis, hiſtor. Poloniæ, lib. III, cap. XLI. In Prandotham, *inquit*, epiſcopum Cracovienſem, quia Boleslao Pudico *Poloniæ regi* adhærebat, Conradus dux Mazoviæ ſuos armigeros miſit, & curias epiſcopales tres expilatas, cum villis ipſarum incendit, & prædam in Mazoviam intulit. Propter quod Prandotha epiſcopus Cracovienſis, A eum authoritate propria anathematizavit. Cujus proceſſus Fulco archiepiſcopus Gneſnenſis in ſynodo Lancicienſi confirmavit, & in ſingulis eccleſiis denunciari mandavit,

G. C. Hæc Michovienſis ad annum MCCXLIV. quæ cum eamdem Cromerus lib. VIII. referat paulo ante ann. MCCXLVII. annum, quo Staravolſcius Polonus hoc concilium in epitome ſua configuavit, mutare nolui.

CONCILIUM BITERRENSE

PROVINCIALE

XIII. Kal. Maii, ann. Dom. M. CC. XLVI. celebratum.

Ex Sirmondi MS. nunc primum editum.

Statuta concilii Biterrenſis provincialis, per Dominum G. * archiepiſcopum Narbonenſem.

* Guillielmum,

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut ſint laici qui diligenter hæreticos perquirant.*
2. *Ut nemo hæreticum in terra ſua morari permittat.*
3. *Quando confiſcanda bona eorum, qui accuſantur.*
4. *Ut hæreticorum bona quæ tenebant ab eccleſiis, ad eccleſias revertantur.*
5. *Ut queſtores nihil prædicent, niſi quod in papæ & epiſcopi ſui litteris continetur.*
6. *Ut pœnitentibus, quibus ob hæreſis crimen crux eſt impoſita, irriſio non fiat.*
7. *Ut parochiales ſacerdotes articulos fidei ſimpliciter doceant diebus Dominicis.*
8. *Ut hæretici, & eorum fautores, ſingulis Dominicis excommunicentur.*
9. *Ut poteſtates ſæculares adjuvent eccleſiam contra hæreticos.*
10. *De iis qui conſilium vel patrocinium præſtant hæreticis & fautoribus.*
11. *De notariis qui conficiunt iiſdem inſtrumenta.*
12. *De medicis eorumdem.*
13. *Ut hæretici, vel ſuſpecti, a bajuliis amoveantur.*
14. *Ut excommunicentur qui tales in bajuliis conſtituunt.*
15. *Ut eccleſiarum rectores hoc populo ſæpe exponant.*
16. *Ut juramentum pacis renovetur.*
17. *Ut nullus a poſſeſſione pellatur ſine ordine judiciario.*
18. *Ut excommunicentur qui eccleſiaſticam libertatem impediunt.*
19. *De vita & honeſtate clericorum.*
20. *Ut monachi, clerici regulares, & presbyteri, in foro ſæculari advocare non præſumant.*
21. *Ut qui curam animarum habere debent, ad ſacerdotium promoveantur.* B
22. *Ut canonici ſæculares ſint in ſacris ordinibus.*
23. *Ut regularium habitus non ſit reprehenſibilis.*
24. *Ut iidem proprium non habeant.*
25. *Ut monachi commatres ſibi non faciant.*
26. *Ut presbyteris idonea portio aſſignetur in eccleſiis.*
27. *Ut regulares in eccleſiis ſint ſaltem duo vel tres.* C
28. *Ut clerici, occaſione patrimonii, non tallientur.*
29. *Ut nova pedagia non imponantur.*
30. *De Divino officio in ruralibus eccleſiis.*
31. *Ut eccleſiis de libris, calicibus, & aliis, provideatur.*
32. *Ut ſæculares poteſtates manus non extendant in laicum pro illata clerico injuria excommunicatum.* D
33. *Quinam excommunicandi, Dominicis & feſtis.*
34. *De ſimonia.*
35. *Ut animarum cura perſonis idoneis committatur.*
36. *De ſententia excommunicationis.*
37. *De Judæorum uſuris comprimendis.*
38. *Varia de Judæis.*
39. *Ut a Chriſtianis iidem ſigno diſcernantur.* E
40. *Ut publice non operentur diebus feſtis.*
41. *Ut a die cœnæ uſque ad Paſcha domo non prodeant: & ut illa ſeptimana non vexentur a Chriſtianis.*
42. *Ut quotannis ſex denarios perſolvant eccleſiæ.*
43. *Ut iis Chriſtiani cauſa medicinæ non utantur.*
44. *De teſtamentis.*
45. *Ut pejuri puniantur.*
46. *De fidelium confeſſionibus audiendis.*

PRÆ-

ANNO CHRISTI 1246.

PRÆFATIO,

REctitudo conditionis humanæ, hostis antiqui calliditate distorta & miserabiliter sauciata, ad statum justitiæ non poterat reparari: nisi verus Samaritanus vinum & oleum sauciati vulneribus infudisset. Quia vero frequenter patitur recidivum, adhiberi debuit medicina, quæ foret utilis ad salutem juxta qualitatem morbi, nunc fomenta, nunc acriora remedia salubriter apponendo. Propter quod sacrosancta Romana ecclesia diversos canones edidit, nos quandoque magisterio edocens, quandoque pro moderamine puniens transgressores. Ceterum quia fides catholica & pax secura, totius Christianæ religionis fundamentum existunt: ad horum observantiam sedes apostolica per se suosque legatos diversis temporibus contra hæreticos ac violatores pacis varia edidit instrumenta. Quibus prout expedit cum debita veneratione susceptis: Nos G. Dei gratia Narbonensis archiepiscopus, assensu venerabilium fratrum suffraganeorum nostrorum, & capituli nostri, ac toto concilio approbante, aliquid ad pensum sanctæ institutionis adjicere cupientes ad firmitatem fidei orthodoxæ, pacisque securitatem habendam, pro salute maxime animarum & pro ecclesiastica libertate ac bono statu terræ, conscripta inferius authore Domino promulgamus.

CAPITULA.

I.

Ut sint laici qui diligenter hæreticos perquirant.

FIdei Catholicæ cultum ampliare volentes, ad hæreticam rabiem de Narbonensi provincia penitus extirpandam, de consilio suffraganeorum ecclesiæ Narbonensis, & totius approbatione concilii statuimus, ut episcopi per suam diœcesim in locis suspectis, bonæ opinionis viros laicos, duos vel tres cum rectore ecclesiæ, vel eo qui ejus curam gerit, instituant, & juramenti religione adstringant, quod diligentem curam & solicitudinem adhibeant circa hæreticos, credentes, receptatores, fautores, defensores eorumdem, perquirendos: ut si quos tales repererint, episcopo loci vel dominis locorum sive bailivis vel officialibus eorundem, studeant cum omni festinantia intimare. Cautela tamen adhibita circa hæreticos ne fugere valeant, si eos non potuerint detinere.

Avoc. 2. IV.

II.

Ut qui hæreticum in terra sua morari permiserit, excommunicetur.

Statuimus etiam ut quicumque in A terra sua scienter hæreticum morari permiserit propter pecuniam vel aliam quamcumque causam, quod ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, præter alias pœnas contra tales editas in concilio Tolosano *. Si quis autem de hoc convictus fuerit vel confessus, tamdiu excommunicatus nominatim & publice nuncietur, donec de tanto excessu sanctæ matri ecclesiæ ad cognitionem diœcesani satisfecerit competenter.

* an. 1229.

III.

Quando confiscanda bona eorum, qui super hæresis crimine impetuntur.

Bona eorum qui super crimine hæresis impetuntur, nullatenus confiscentur, donec per sententiam fuerint condemnati, nisi scienter eisdem criminosis in eodem crimine adhæsissent, postquam eos infectos hujusmodi crimine cognoverint. Idem quoque dicimus observandum circa eos qui deponunt vel commendant aliquid, aut contrahunt alias cum talibus bona fide qui Catholici publice reputantur: quod contrahentes hujusmodi nihil amittant, licet illi cum quibus contrahunt, hæretici sint occulte: nisi scientes eos esse tales, contraxissent cum ipsis, fraude super * penitus excludenda.

* f. super hoc.

IV.

Ut hæreticorum bona quæ tenebant ab ecclesiis, ad ecclesias revertantur.

Quia vero plures de hæresi condemnantur, qui ab ecclesiis, monasteriis, seu viris ecclesiasticis, possessiones, census, aut alia bona tenebant mobilia vel immobilia: statuimus quod bona hujusmodi ad ecclesias sive monasteria vel personas ecclesiasticas, a quibus dicta bona quoquo modo tenentur, libere revertantur, conditione cujusquam in aliquo non obstante. Qui vero statutum hujusmodi violare præsumpserit, nisi monitus legitime, a sua præsumptione destiterit, ex tunc excommunicetur. Idem de bonis fayditorum præcipimus observari.

V.

Ut quæstores nihil prædicent, nisi quod in papæ & episcopi sui litteris continetur.

Ad quorundam insolentiam reformandam, ne profectus fidei retardetur, præcipi-

ANNO CHRISTI 1246.

cipimus quod quæstores non permittantur in ecclesiis aliud populo prædicare, quam in indulgentiis domini papæ, & sui diœcesani litteris continetur, nec cartelli vel cellulæ * recipiantur ab eisdem, nec ad hoc de cetero aliquis admittatur, nisi frater fuerit, vel alia persona idonea, majoris sui testimoniales litteras secum portans. Cum certum sit per venales ac conductores quæstores, tum ex prava ipsorum vita, tum ex prædicatione erronea, multa scandalosa proveniſſe, damnatis in inferno liberationem pro modica pecunia promittentes.

* *f.* cedulæ *sic enim scribebant pro* schedulæ.

V I.

Ut pœnitentibus, quibus ob hæresis crimen crux est imposita, irrisio non fiat.

Cum peccatores sint ad pœnitentiam invitandi juxta Dominicam vocem, gaudere oportet si pœnitentiam impositam libenter suscipiunt & supportant. Quocirca statuimus, & in virtute sancti Spiritus inhibemus, ne pœnitentibus, quibus cruces pro crimine hæresis imponuntur, irrisio ulla fiat, nec a locis propriis seu communibus commerciis excludantur, ne retardetur conversio peccatorum, & ne conversi propter scandalum abjecta pœnitentia relabantur. Et si moniti desistere noluerint, per censuram ecclesiasticam compellantur.

V I I.

Ut parochiales sacerdotes articulos fidei simpliciter doceant diebus Dominicis.

Præcipimus etiam quod sacerdotes parochiales studeant exponere populo diebus Dominicis articulos fidei simpliciter ac distincte, ne velamen ignorantiæ deinceps prætendere quisquam possit, & hoc in synodis præcipiatur eisdem. Pueri quoque a septimo & supra, ad ecclesiam a parentibus adducantur diebus Dominicis & festivis, & in fide catholica instruantur, & doceant eos salutationes B. Mariæ, *Pater noster*, & *Credo in Deum*.

V I I I.

Ut hæretici, & eorum fautores singulis Dominicis excommunicentur.

Adjicientes ut hæretici, vel eorum credentes, fautores & receptatores & defensores eorum, singulis diebus Dominicis excommunicentur. Et si quis prædictorum credentium, fautorum, receptatorum, & defensorum, perso naliter monitus & excommunicatus nominatim, infra quadraginta dies resipiscere noluerit, sed in eorum defensione perstiterit, vel inquisitionem impediverit eorumdem: tanquam hæreticus puniatur, cum perseverantia & defensio erroris hominem in talibus faciat hæreticum judicari.

ANNO CHRISTI 1246.

I X.

Ut potestates sæculares adjuvent ecclesiam contra hæreticos.

Moneantur etiam comites, barones, rectores & consules civitatum, & aliorum locorum, ac aliæ potestates sæculares quibuscumque fungantur officiis, quod ad commonitionem diœcesanorum promittant juramento corporaliter præstito, quod fideliter & efficaciter contra hæreticos & eorum complices adjuvabunt ecclesiam bona fide juxta officium & posse suum, & quod de terris suæ jurisdictioni subjectis universos hæreticos ab ecclesia denotatos pro viribus exterminare curabunt: & ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam compellantur.

X.

De iis qui consilium vel patrocinium præstant hæreticis & fautoribus.

Item & omnes alii qui consilium, patrocinium, vel favorem occulte vel aperte hæreticis, receptatoribus, & eorum credentibus præstabunt.

X I.

De notariis qui conficiunt iisdem instrumenta.

Idem præcipimus de notariis sive scriptoribus qui in vita vel in morte scienter conficiunt instrumenta hæreticis vel fautoribus eorumdem.

X I I.

De medicis eorumdem.

Idem de medicis eorumdem præcipimus observari.

A

XIII.

Ut hæretici, vel de hæresi suspecti, a bajuliis amoveantur.

ANNO CHRISTI 1246.

Qui vero quondam hæretici vestiti vel notati fuerint, aut merito suspecti sunt, a bajuliis & officiis publicis, si qua habent, præcipimus amoveri ex toto, nec de cetero ad hujusmodi assumantur.

XIV.

Ut excommunicentur qui tales in bajuliis constituunt.

Si vero aliqui sint qui in suis bajuliis hujusmodi personas constituunt, nisi legitime moniti eos amoverint, excommunicentur.

XV.

Ut ecclesiarum rectores hoc populo sæpe exponant.

Sint etiam soliciti ecclesiarum rectores, vel eorum locum tenentes, quod pœnas contra prædictos editas sæpius publicent populo & exponant.

XVI.

Ut juramentum pacis renovetur.

Cum tempore pacis fides liberius valeat prædicari, & inquisitio contra hæreticos fieri, & sacramenta ecclesiastica ministrari: tranquillitati pacis congaudentes, statuimus quod juramentum pacis in castris, villis, ac civitatibus, renovetur secundum statuta concilii Tolosani *, juxta formam hactenus observatam. Præterea libertatem ecclesiasticam cum Dei reverentia juxta statuta canonica amplectentes, præcipimus, quod episcopi, abbates, & alii viri ecclesiastici cum suis hominibus pacem sequantur contra turbatores pacis, cum a vobis fuerint requisiti, salvo jure episcoporum in subditis eorumdem.

XVII.

Ut nullus a sua possessione expellatur sine ordine judiciario.

Item ut statuta pacis melius observentur, præcipimus ut nullus a sua possessione expellatur ordine judiciario prætermisso, & si expulsus fuerit, plenarie restituatur.

XVIII.

Ut excommunicentur qui ecclesiasticam libertatem impediunt.

Item legitima monitione præmissa excommunicentur statuarii *, scriptores, consules & rectores locorum ubi statuta sunt edita contra ecclesiasticam libertatem: necnon & illi qui secundum ea præsumpserint judicare, vel in publicam formam redigere judicata: & illi similiter qui interdicunt clericis ac viris religiosis introitum castrorum ac villarum suarum, aquas, molendina, furnos, & alia quæ consueverunt eis & aliis omnibus esse communia. Et illi qui vineis, bladis, arboribus, talam faciunt, & aliis bonis quæ ad ecclesiam pertinent, destruunt & confundunt.

XIX.

De vita & honestate clericorum.

Circa rubricam istam legantur constitutiones de vita & honestate clericorum editæ in concilio generali, quæ sic incipiunt, Ut *clericorum mores*, &c. *A crapula*, &c. *Clerici*, &c. Volumus etiam & præcipimus, ut nulli rectores ecclesiarum, vel clerici in sacris ordinibus constituti, mulieres secum teneant, de quibus sinistra suspicio possit haberi.

XX.

Ut monachi, clerici regulares, & presbyteri, in foro sæculari advocare non præsumant.

Adjicimus insuper ut monachi vel canonici regulares, vel etiam sacerdotes, nisi pro ecclesiis suis & miserabilibus personis, in foro sæculari & in sæcularibus negotiis advocare nullatenus præsumant. Quod si forte pars adversa tales repellere neglexerit, vel noluerit, a judice repellantur omnino.

XXI.

Ut qui curam animarum habere debent, ad sacerdotium promoveantur.

Præterea quod in multis canonibus & frequenter ordinatum est & statutum, ut archipresbyteri, præpositi, abbates, & alii qui curam habent animarum, debeant ad sacerdotium promoveri, mandamus & præcipimus, ut tales, & il-

n. an. c. 16. — 1229. — Lateran. IV. c. 14. 15. 16. — Natbon. an. 1228. c. 11. — Ibid. c. 16.

ANNO CHRISTI 1246.

illi qui ecclesias parochiales habent, ad sacerdotii gradum promoveantur, & ibi serviant ut tenentur. Ad quod per subtractionem beneficiorum, si necesse fuerit, compellantur.

XXII.

Ut canonici sæculares sint in sacris ordinibus.

Inhibemus ne aliqui sæculares canonici stallum in choro, vel vocem habeant in capitulo, nisi fuerint in sacris ordinibus constituti: nisi ex causa cum eis ab episcopo fuerit dispensatum.

XXIII.

Ut regularium habitus non sit reprehensibilis.

Regularibus autem tam monachis quam canonicis prohibemus, ne sit eorum habitus notabilis vel reprehensibilis, nec affectent vestibus placere, sed moribus. Cappis etiam & palliis, caligis de aliqua bruneta clara vel nigra, vel stamine forti, vel camelotto, vel aliquo alio colorato panno, non utantur: nec accipiant a suo majore aliquam pro vestibus pecuniæ quantitatem, quia ex hoc datur eis materia proprium retinendi; sed omnes de eodem vestiario vestiantur.

XXIV.

Ut idem proprium non habeant.

Quod autem proprium non habeant, sub attestatione Divini judicii, & in virtute obedientiæ penitus inhibemus.

XXV.

Ut monachi commatres sibi non faciant.

Prohibemus etiam ne monachi commatres sibi faciant.

XXVI.

Ut presbyteris idonea portio assignetur in ecclesiis.

Later. IV. c. 32. Narbon. an. 1228. c. 9.

Item cum in concilio Lateranensi & aliis consequenter sit per Romanum Pontificem constitutum, quod presbyteris in ecclesiis monachorum vel aliarum personarum ad suam & suorum sustentationem portio sufficiens adsignetur: ne a domino papa possimus meri-

A to reprehendi, vobis abbatibus, prioribus, & aliis regularibus & sæcularibus, qui habetis vel tenetis ecclesias hujusmodi, præcipimus ut in vestris ecclesiis, episcopis personas præsentetis idoneas, quibus per episcopos animarum cura commissa, usque ad festum Pentecostes proxime venturum secundum facultates ecclesiarum, arbitrio bonorum virorum portionem idoneam adsignetis. Videlicet qua tam ipsi quam sui valeant sustentari honeste, & alia facere quæ continentur in pluribus constitutionibus, quæ jamdudum super hoc a sede apostolica emanarunt. Et super hoc legatur decretalis de suppl. negl. *Sicut nobis.*

XXVII.

Ut in ecclesiis regulares non pauciores quam duo vel tres morentur.

Illud præterea duximus exprimendum, ut in ecclesiis vestris non pauciores faciant moram, quam duo vel tres monachi, vel canonici regulares, sicut alia vice per dominum Petrum Beneventanum, tunc Apostolicæ sedis legatum, fuit in provinciali concilio constitutum & postmodum observatum.

Conc. Monspel. an. 1214. c. 30. Narbon. 1228. c. 10.

XXVIII.

Ut clerici, occasione patrimonii, non tallientur.

Item statuimus ut clerici occasione patrimonii sui vel personæ nullatenus tallientur, & tam domini locorum, quam consules & alii laici, ab hujusmodi talliis & exactionibus per censuram ecclesiasticam, si necesse fuerit, compescantur. Idem de ecclesiis & hominibus ecclesiarum præcipimus observari.

XXIX.

Ut nova pedagia non imponantur.

Excommunicamus etiam omnes illos qui scienter imposuerint nova pedagia, sive imponunt vel augent antiqua.

Ibid. c. 25

XXX.

De Divino officio in ruralibus ecclesiis frequentando.

De ruralibus ecclesiis hoc mandamus inviolabiliter observari, ut in eis Divinum officium frequentetur, ne fraudentur animæ defunctornm, & omni occasione postposita reparentur.

XXXI.

ANNO CHRISTI 1246.

XXXI.

Ut ecclesiis, de libris, calicibus, & aliis provideatur.

Item præcipimus de libris & aliis ecclesiæ ornamentis necessariis provideri. Generaliter autem præcipimus omnibus ecclesiis de calicibus argenteis, libris, & ornamentis necessariis provideri.

XXXII.

Ut sæculares potestates manus non extendant in laicum pro illata clerico injuria excommunicatum.

Item inhibemus & sub attestatione Divini judicii præcipimus principibus, baronibus, baillivis & consulibus, ne si contingat aliquem laicum pro injuria dicto vel facto illata clerico, vel aliqua alia quæstione ecclesiastica, excommunicari per ordinarium vel judicem delegatum, vel alias pro tali causa, ut ad res vel bona ejusdem seu parentum suorum occasione prædicta manus suas extendere non præsumant, aut interdicere ei furnum, molendinum, aut aliquod aliud commercium commune. Quod si fecerint, nisi legitime moniti cessaverint, excommunicentur.

XXXIII.

Quinam sint excommunicandi singulis Dominicis & festis.

De publicis usurariis, incestuosis, concubinariis, adulteris, sortilegis, divinis, & raptoribus, est in præsenti concilio constitutum, ut singulis diebus Dominicis & festivis publice in ecclesia excommunicentur. Similiter & illi qui testamenta defunctorum publicare & complere post competentem admonitionem noluerunt, excommunicationi subdantur. Item illi qui scienter instrumenta vel chartas retinent, postquam eis plene fuerit satisfactum.

XXXIV.

De simonia.

Ad abolendam etiam simoniæ corruptelam, quæ in eis partibus inolevit, super eo videlicet quod episcopi clericos ad sacros ordines promovendos nolunt aliquatenus promovere, nisi prius præstito juramento vel alia cautione, quod ratione tituli patrimonialis, vel alterius minus idonei, ipsos vel eorum A non impetant successores, districtius inhibemus ne talia præsumant de cetero attentare. Quod si fecerint, a celebratione ordinis noverint se suspensos, quia sanctius est, maxime in ordine sacerdotii, paucos quam multos malos habere ministros, sicut est in Lateranensi concilio constitutum.

XXXV.

Ut animarum cura personis idoneis committatur.

Quia circa majora periculum vertitur, præcipimus quod animarum cura personis idoneis committatur. Talibus enim sunt ecclesiæ parochiales & dignitates maxime concedendæ, qui verbo possunt proficere pariter & exemplo. Cum autem ecclesias & ecclesiasticas dignitates vacare contigerit, fructus extantes, & qui medio tempore colligentur, futuro successori fideliter reserventur, deductis ministrorum & sibi servientium expensis, qui ecclesiam interim decantabunt, donec de rectore ecclesiæ sit provisum.

XXXVI.

De sententia excommunicationis.

De sententia excommunicationis legantur; *Sacro approbante concilio, &c. Cum medicinalis, & soli, Quia periculosum.* Felicis recordationis Lodoicus rex Francorum, attendens quanta pertinacia laici provinciæ Narbonensis, & quarumdam partium adjacentium, in præjudicium animarum suarum, sententiam excommunicationis contemnerent: contra hujusmodi pertinaciam olim apud Apamiam constituit de consilio domini Romani S. Angeli diaconi cardinalis, apostolicæ sedis legati, omnium etiam prælatorum & baronum de Francia, qui præsentes fuerant pro ecclesiastica libertate, constituit, ut quicumque post legitimam admonitionem se excommunicari permiserit, in novem libris & uno denario Turonensi puniatur. Si vero per annum contumaciter in sententia excommunicationis permanserit, bona ejus omnia cadant in commissum. Quam constitutionem nos G. archiepiscopus Narbonensis de concilio fratrum & suffraganeorum nostrorum, & approbatione totius provincialis concilii mandamus & statuimus atque præcipimus de cetero in provincia Narbonensi ab omnibus inviolabiliter observari, sicut a prælatis Franciæ observatur. Ita vi-

ANNO CHRISTI 1246.

delicet, quod si forte excommunicatus in prædicta summa puniri nequiverit, minori, vel alias secundum providentiam sui episcopi, puniatur. Si autem universitas culpa sua fuerit interdicta, pœna puniatur eadem. Si vero pro culpa domini, ipse dominus pœna simili puniatur.

XXXVII.

De Judæorum usuris comprimendis.

Quia Judæi usurariis exactionibus plurimum opprimunt Christianos, cum a Domino generaliter prohibeantur usuræ: provinciali concilio duximus providendum, ne Judæi a Christianis aliquatenus immodicas usuras accipiant. Quod si fecerint, eas ab ecclesia restituere compellantur. Videlicet per excommunicationem in Christianos, qui cum eis in commercio vel aliis participationem habebunt.

XXXVIII.

Varia de Judæis.

Nec in domibus suis habeant Christiana mancipia vel nutrices, nec carnes venales teneant publice diebus quibus abstinent Christiani, nec in bajuliis, vel aliquibus officiis, Christianis permittantur præesse. Carnes etiam quas ipsi faciunt. privatim tantum in domibus suis vendant, & non in Christianorum macellis.

XXXIX.

Ut a Christianis iidem signo discernantur.

Ibid. c. 3. Ad hoc ut Judæi a Christianis discerni possint, statuimus & districte præcipimus, ut in medio pectoris deferant signum rotæ, cujus circulus sit latitudinis unius digiti, altitudo vero unius dimidii palmi de canna.

XL.

Ut publicæ non operentur diebus festis.

Ibid. c. 3. Nihilominus inhibemus eisdem, diebus Dominicis & festivis publice operari, ne Christianos scandalizent, vel scandalizentur ab eis.

XLI.

Ut a die cœnæ usque ad Pascha domo non prodeant, & ut illa septimana non vexentur a Christianis.

Volumus & mandamus, ut in septimana sancta a die cœnæ mane usque ad diem resurrectionis Domini, nullatenus, nisi causa necessitatis, exeant domos suas: & prælati tunc faciunt eos a Christianorum vexationibus custodiri, maxime in septimana prædicta. Ibid. c. Ad hoc pitulum tinere v dentur ex treme vo præcedent

XLII.

Ut quotannis sex denarios persolvant ecclesiæ.

Ibid. c.

Statuimus insuper, ut Judæi singulis annis in festo Dominicæ resurrectionis sex denarios Melgorienſis monetæ, pro singulis familiis, pro oblationibus, ecclesiæ parochiali persolvant.

XLIII.

Ut iis Christiani causa medicinæ non utantur.

Præterea excommunicentur Christiani, qui in infirmitate positi, causa medicinæ se committunt curæ Judæorum.

XLIV.

De testamentis.

Narbon. a 1227. c. 5

Quia ultima voluntas defuncti debet inviolabiliter observari; volumus & præcipimus, ut testamentum, vel ultima voluntas cujusque, in præsentia semper catholicorum virorum & parochialis sacerdotis, vel alterius ecclesiasticæ personæ, locum ipsius tenentis, condatur. Præsertim ut idem sacerdos, vel locum ejus tenens, valeat de ipso testatore laudabile testimonium perhibere, ne de ipso aliqua infidelitatis suspicio possit haberi; & maxime ut ea quæ in piis causis reliquerit, fidelius & citius sine fraude solvantur. Quod si testator vocare, ut diximus, sacerdotem aut viros catholicos contempserit: careat ecclesiastica sepultura, donec de hujusmodi mandati contemptu ecclesiæ satisfactum fuerit competenter. Notariis vero, qui absque solennitate superius expressa notare, vel scribere præsumpserint testamenta vel ultimas voluntates, ecclesiæ introitus interdicatur

tur usque ad satisfactionem condi- A
ANNO CHRISTI 1246. gnam.

XLV.

Ut perjuri puniantur.

Cum religio juramenti, peccatis exigentibus, fere ab omnibus in istis partibus contemnatur : contra hujusmodi contemptores aliquid securitatis pro salute animarum duxit præsens concilium B statuendum. Videlicet ut quicumque in transgressione ista juramenti de cetero manifeste deprehensus fuerit, in ecclesia publice pronuncietur esse perjurus. Quod si admonitus, satisfacere noluerit, excommunicetur accensis candelis & pulsatis campanis, singulis diebus Dominicis & festivis, & denuncietur intestabilis & infamis : & nec ad testimonium, nec ad alios actus legitimos admittatur.

XLVI.

ANNO CHRISTI 1246.

Ut confessionum diligens ratio habeatur.

Statuit etiam præsens concilium, quod Ibid. c. 7.
nomina illorum omnium, qui peccata sua confessi fuerint, scribantur a propriis capellanis, qui confessiones audierunt eorumdem, ut laudabile testimonium de confessionibus eorum valeant B perhibere. Illis vero, qui confiteri proprio sacerdoti contempserint, saltem semel in anno, a quatuordecim annis supra, vivis introitus ecclesiæ usque ad satisfactionem condignam; mortuis vero interdicatur ecclesiastica sepultura. Qui autem confessiones eorum audierint, in loco patenti audiant, non in occulto. Qui vero proprio sacerdoti semel in anno confessi non fuerint, vel alii de ejusdem capellani licentia spe- C ciali, ad sacramenta ecclesiastica minime admittantur. Et hoc præcipimus, diebus Dominicis & præcipuis festivitatibus, per rectores ecclesiarum in ecclesiis publice nunciari.

☞ STATUTA SYNODALIA RICHARDI

(*de la Wich, ejus nominis secundi*) *Cicestrensis episcopi,*

Anno 1246. *in synodo edita.*

CUM ex injuncto nobis officio saluti subditorum & correctioni teneamur spiritualiter providere, ne quis prætextu simplicitatis deviet a justitia, seu in præsumptionem se attollens, canonicis institutis audeat contraire; ad salutem subditorum, in sanctæ synodi præsentia quædam duximus proponenda; ne nos, qui de aliis tenemur reddere rationem, in districto examine de nostra negligentia arguamur. Inprimis enim præcipimus, ut ecclesiastica sacramenta baptismi, confirmationis, eucharistiæ, pœnitentiæ, extremæ unctionis, ordinis, & conjugii eo modo, solennitate, & ordine dispensentur, quo dispensanda sunt. Sunt autem ecclesiastica sacramenta septem, baptismus ingredientium, confirmatio præliantium, eucharistia itinerantium, pœnitentia redeuntium, extrema unctio exeuntium, ordo ministrantium, conjugium laborantium.

De forma baptismi.

Forma baptizandi hæc est : „ Ego baptizo „ te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus „ Sancti. Hanc doceant sacerdotes laicos, & patrem & matrem, ut integre proferant illam in sua lingua, vel in Latina, & baptizent pueros, si necessitas exigat, & non aliter. Si autem puer a laico baptizetur, inquirat sacerdos, quid laicus dixerit, & quid fecerit. Et si invenerit distincte, & in forma ecclesiæ pue- D rum esse baptizatum, etiam in aqua, quæ de necessitate requiritur, & hoc immergendo vel aspergendo, cætera sine immersione a sacerdote suppleantur. Sed si dubitet sacerdos de puero invento, vel alio, an sit baptizatus, sic dicat nomen imponendo : „ Si tu non es ba- „ ptizatus : ego baptizo te in nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus Sancti. Prohibemus etiam, quod diaconi confessiones audire, pœnitentias injungere, pueros baptizare non præsumant, nisi sacerdote absente, & mors pueri, vel ægroti immineat. Item fontes cooperiantur & honeste custodiantur propter sortilegia; similiter & oleum, chrisma, & eucharistia sub clave, sub pœna suspensionis eis infligenda. Item aqua, in qua baptizatus fuerit E quis, ultra septem dies non servetur in baptisterio; & aqua, in qua baptizaverit laicus, vel in ignem fundatur, vel ad ecclesiam in baptisterium deferatur. Pro baptizato confessione, seu funere mortuorum, aut aliquo alio sacramento ecclesiastico nihil omnino exigatur, sed si quid gratis offeratur, licite accipiatur. Panni autem chrismales in solos usus ecclesiasticos convertantur. Ad levandum puerum de fonte tantum tres recipiantur. In baptismo maris, duo mares & una fœmina; fœmina autem suscipiatur ab uno mare, & duabus fœminis. Si mulier in puerperio decesserit, scindatur, si infans vivere credatur, & baptizetur infans.

ANNO CHRISTI 1246.

De confirmatione

Si dubitatur de confirmatione, confirmetur, & injungatur parentibus, ut infra annum pueros suos episcopo præsentent confirmandos, cum mundis & honestis ligaturis. Quod nisi fecerint post annum, puniantur.

De adultis.

Ab adulto ad confessionem veniente requiratur a sacerdote, an fuerit confirmatus; quod si non fuerit, post confessionem sine dilatione ad episcopum mittatur confirmandus. Datur enim confirmatio ad robur.

De honestate ornamentorum ecclesiasticorum.

Nullus sacerdos in vestimentis sordidis vel attritis, nec nisi in calice argenteo vel aureo, & integro, & in corporalibus mundissimis, & ad minus in duabus pallis benedictis, super altare positis, celebret. Celebret sacerdos cruce anteposita, cum pane ex tritico purissimo, & vino in debita quantitate, nullo modo corrupto, & modica aqua, quæ a vino penitus absorbeatur, nec bis, nisi in Nativitate, & in Resurrectione & pro corpore præsenti, & hoc in propria parochia. Et vinum post primam celebrationem & sanguinis sumptionem, quod digitis fuerit superfusum, in vase mundo reservetur, donec secunda celebratio impleatur, ut tunc ab ipso sacerdote sumatur, nisi post primam missam sumptum fuerit a ministro. Eucharistiæ ultra septem dies non serventur, sed qualibet Dominica innoventur, & sub clave custodiantur, & cum reverentia ad ægrotos deferantur in pixide munda, cum cruce, lumine, aqua benedicta & tintinnabulo præcedentibus. Sacerdos vero in superpellicio ad ægrotum decenter incedat, nisi aeger valde fuerit remotus.

De pœnitentia.

Sequitur de pœnitentia, per quam baptizati redeunt post lapsum. Sunt autem ad pœnitentiam ista necessaria; contritio, confessio, & satisfactio. Ad contritionem moneat sacerdos confitentem, sive ut detestetur peccatum, & amaritudinem animi habeat pro præteritis, cautelam pro futuris, pudorem pro præsentibus. Confessio sit vera, integra & propria, ut nullum alium accuset. Personarum nomina, cum quibus confitentes peccaverunt, non inquirant sacerdotes, sed conditionem possunt inquirere, utrum sc. clericus fuerit, vel laicus, sacerdos, vel monachus, vel si conjugata, vel soluta aut monialis; & sic de cæteris, quæ circumstantiæ aggravant peccatum. Confessiones mulierum extra velum audiantur. Omnes moneantur a sacerdote, cujuscunque sint conditionis, ut semel in anno saltem in Quadragesima omnia peccata sua confiteantur proprio sacerdoti, vel alteri de sua licentia. Satisfactio consistit in excisione causarum peccati, & in oratione, jejunio, & eleemosyna: jejunium præcipue valet contra gulam & contra luxuriam. Nullus sacerdos in furto, rapina, usura, & fraude injungat missarum celebrationem, vel eleemosynarum largitionem, sed potius ut fiat restitutio, vel quibus injuriatum est, vel eorum hæredibus, si extiterint. Sin autem, de consilio sacerdotum satisfiat, quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si fieri potest. Oratio contra superbiam, invidiam, iram & accidiam; eleemosyna contra cupiditatem & avaritiam.

ANNO CHRISTI 1246.

De conjugatis nulla pœnitentia injungenda.

Conjugatis nulla injungatur pœnitentia, excipe quando suspecti habentur ad invicem. Sacerdotes publice pœnitentes cum literis suis veritatem continentibus, ad pœnitentiarium episcopi transmittunt; vel in propriis personis cum illis veniant, nec revertentes pœnitentes tanquam absolutos recipiant, nisi de pœnitentia eis injuncta constiterit per literas episcopi, vel pœnitentiarii sui patentes: & nisi illam perficiant, ab ecclesia excludantur, & ad pœnitentiarium remittantur.

Sacerdotes in dubiis consulant superiores & majora majoribus reservent, ut homicidia, sortilegia, peccata contra naturam, vota fracta, & perjuria, de assisis, vel aliis causis, partus suppositionem, & testamenti immutationem, & similia, nisi sint occulta, & ad pœnitentiam imponendam sufficiat discretio sacerdotis. Sacerdotes in capitulis ad audiendum aliorum sacerdotum confessiones deputentur, nec alii sacerdotes relictis confessoribus aliis confiteantur, nisi ob justam causam, petita ab altero ipsorum licentia. Nullus sacerdos aliquo modo confessionem nutu, signo, vel verbo revelet specialiter vel generaliter, ut dicendo: ego scio quales estis. Quod si fecerit & convictus fuerit, sine spe veniæ degradabitur. Nullus sacerdos deneget parochiano suo licentiam confitendi alii sacerdoti, si justam habuerit causam, dummodo sciat cui confiteatur, & dicat se hoc bona fide petere. Generalitatem missarum inhibemus, & ne sacerdotibus tricennalibus ad propriam ruinam se onerent, ad quæ per seipsos sufficere non possunt. Sacerdotes fidem Trinitatis & individuæ unitatis, incarnationis, nativitatis Christi, passionis, resurrectionis, ascensionis, & generalem resurrectionem mortuorum in prædicationibus annuncient frequenter; & quod omnis coitus extra matrimonium est mortale peccatum.

De honestate clericorum, & qui sunt ordinandi.

Dum in ecclesia Domini sint majores & minores ordines instituti, quatenus ex officiorum diversitate rite disposita decor ecclesiæ illucescat, præcipimus, ut quilibet pro modo sui ordinis se gerat, & habeat competenter, ita videlicet, ut ab inferioribus reverentia & obedientia superioribus impendatur. Superiores vero impendant vicissitudinem inferioribus, prout decet sui ordinis dignitatem. De his igitur personis quædam statuta duximus innovanda, videlicet, ut nullus se nobis offerat ordinandus, nisi liberæ conditionis existens, & legitime fuerit præsentatus, de legitimo matrimonio natus, & examinatione canonica examinatus, & approbatus. Specialiter vero inhibemus, ne quis ad sacrum ordinem audeat aspirare, nisi firmum propositum habeat continendi, cum omnis sacer ordo annexum habeat votum castitatis. Monemus etiam, ne quis sacrum ordinem suscipiat, nisi ad hoc accedat ex proposito principali, ut ratione ordinis specialius valeat Domino famulari. Prohibe-

☞ hibemus etiam, ne quis pecunia, favore, seu gratia aliquem nostris supponat manibus ordinandum, quem sacri canones non permittunt. Ne autem ignorans ignoretur, irregulares secundum canones ab ordinibus prohibitos, seriatim & per ordinem hic duximus specificandos. Sc. homicidæ, advocati, & judices in causa sanguinis, executores servorum in publicis administrationibus, incendiarii, ecclesiarum violatores, simoniaci, interventores simoniacarum pactionum, & quicunque labe alia infecti scienter ordines susceperint. Qui etiam ab episcopis hæreticis, schismaticis vel nominatim excommunicatis scienter sint in sacris ordinibus promoti. Item bigami, corruptarum mariti, sanctarum fœminarum violatores, & qui excommunicati scienter vel furtive ordines sacros susceperint, vel in taliter susceptis ministrare præsumpserint. Item sortilegi, & maxime qui dæmonibus immolaverunt, vel eos scienter in carminibus invocaverunt: omnes isti ab officii sui executione se noverint esse suspensos, donec superioris vel nostrum super hoc fuerit consilium requisitum. Qui vero de non legitimo matrimonio nati, & absque suorum episcoporum, vel alicujus alterius superioris dispensatione ordinati fuerint, vel a non suis episcopis præter suorum licentiam prælatorum ad ordines promoti, & qui adulterio se polluerint, omnes tales suspendimus, donec a nobis dispensationis gratiam fuerint consecuti. Item monemus, ut omnes qui in conscientia mortalis peccati prius perpetrati, vel propter quæstum temporalem tantum ordinem susceperunt, officium suum non exequantur, nisi prius plene de hoc confiteantur. Si quis vero furtive vel simoniace fuerit ordinatus, vel alias contra canonicas sanctiones, non exequatur officium, quousque cum ipso fuerit dispensatum

NNO RISTI 246.

De sacramento conjugii.

Ut autem conjugii sacramentum secundum statuta canonica celebretur, quædam circa illud duximus innovanda, quatenus ex eo in majori reverentia habeatur, quod ab ipso Domino ante alia sacramenta in paradiso legitur institutum, & pericula, quæ circa ipsum frequenter solent contingere, devitentur. Statuimus igitur, ne sacerdotes aliquos conjungant matrimonialiter sine trina denunciatione in ecclesia publice facta tribus diebus festivis, a se distantibus. Fides etiam de contrahendo matrimonio, non nisi publice, & coram testibus idoneis detur; proponatque sacerdos, quod si talem fidem carnalis copula fuerit subsecuta, ecclesia reputabit ibi matrimonium. Clandestina matrimonia non celebrentur, nec eis intersint sacerdotes sub pœna concilii, quæ est suspensio per triennium. In nuptiis prohibeantur sub pœna excommunicationis sortilegia, maleficia, celatio legitimorum matrimoniorum & aliorum impedimentorum. Moneantur conjugatæ, ne voveant, nisi de consensu virorum, & consilio sacerdotum. Non transeat ad religionem alter conjugatorum, nisi de licentia episcopi. Prohibeant sacerdotes mulieribus, ne infantes secum in lectis suis collocent.

De sacramento extremæ unctionis.

Sacramentum extremæ unctionis omnibus in necessitate petentibus exhibeatur; nec propter illud vitetur thorus; iterari enim potest, quod non potest baptismus vel confirmatio.

ANNO CHRISTI 1246.

De archidiaconis & aliis.

Volentes etiam, ut unicuique quod suum legitime conservetur, statuimus ut archidiaconi & alii, qui alicui jurisdictioni præesse videntur, taliter suis finibus sint contenti, ne quid in præjudicium episcopalis dignitatis, juris, aut possessionis seu consuetudinis sanctæ Cicestrensis ecclesiæ, diu obtentæ, & approbatæ, audeat attentare. Statuimus etiam in visitationum temporibus, ut procurationibus sibi debitis, archidiaconi secundum tenorem constitutionis sint contenti, inhibentes expresse, ne archidiaconi, decani, officiales, & alii, qui officio alicui vel jurisdictioni præsunt, pro justitia facienda, differenda, vel acceleranda aliquid accipiant. Et ne pro aliquo spirituali aliquid ex pactione promittatur, detur, vel accipiatur; quod si fiat, tam dans quam accipiens sententia excommunicationis se noverit innodatum. Præterea archidiaconis, officialibus, & decanis injungimus præcipiendo, quod diffamati fama publica & verisimilibus indiciis super aliquo crimine, de quo convinci non possunt, moneantur semel, secundo, & tertio, ut confiteantur & satisfaciant. Si vero incorrecti in negatione perstiterint, indicatur eis purgatio, quæ occasione captandæ pecuniæ de die in diem nullatenus differatur, sed statim primo die, si parata fuerit, recipiatur, & canonicus usus observetur: archidiaconus, officialis, sive decanus, contra statutum veniens, se noverit ab officio suspendendum. Adhæc vestigiis venerabilis patris nostri S. Cantuarienſis archiepiscopi, & aliorum prædecessorum nostrorum insistentes, pro utilitate ecclesiarum & clericorum de procuratione archidiaconi & officialis sui olim provisa, ad præsens nihil volumus immutare: ista tamen ad memoriam reducantur; videlicet quod archidiaconi in archidiaconatu suo, illos, a quibus ad procurationem sunt admittendi, visitantes, septenarium numerum non excedant. Officiales vero loco eorum admittendi tribus equis, vel ad plus quatuor sint contenti. Ecclesia vero, cujus fructus valent per annum xx. marcas & amplius, semel in anno procurabit archidiaconum. Quæ vero x. marcas & amplius usque ad xx. valet, archidiacono semel in biennio, vel officiali semel in anno procurationem exhibeat. Ibi vero semel in biennio procurationem officialis accipiet, ubi reditus ecclesiæ annui quinque marcas & amplius usque ad decem valere noscuntur. Observato tamen, quod nusquam recipiant temporalia, nisi de officio suo ibi ministrent spiritualia. Ad redemptionem autem procurationum nullo modo cogantur.

Ne dignitates dimittantur ad firmam.

Item sub pœna in concilio statuta prohibemus, ne quis archidiaconatum seu decanatum, vel dignitatem aliam dimittat ad firmam, cum per hoc non solum ad procurationum redemptiones inhibitas, verum etiam ad earundem augmenta, quæ de novo avaritia introduxit, consueverit evenire, quod imposterum fieri firmiter prohibemus. Adjicimus etiam constitutionem Domini O. legati de ecclesiis dandis

vel

☞ vel non dandis ad firmam, quæ sic incipit :
„ Eccleſias dari ad firmas &c. “ & in qua
ANNO CHRISTI 1246. ſic ſtatuitur, diſtrictius prohibemus, ne dignitates vel officia, puta decanatus, vel archidiaconatus, ſive proventus ex eccleſiaſticæ vel ſpiritualis juriſdictionis exercitio, ſeu ex pœnitentia, vel altari, aut aliis ſacramentis quibuslibet venientes, ad firmam de cætero ullatenus concedantur. Item de eodem concilio. Cum laicis dare ad firmam eccleſias ſit penitus inhoneſtum, & clericis quibuſcunque ad longum tempus propter continuationem temporis, quæ afferre conſuevit periculum eccleſiis, poſſit eſſe damnoſum, utrumque diſtrictius inhibentes, ſtatuimus, ut nec laicis unquam nec & perſonis eccleſiaſticis ultra quinquennium ulterius ad firmam eccleſiæ concedantur, nec finito quinquennio, renoventur eiſdem, niſi prius ipſas alii habuerint mediate. Et ut omnia ſint in tuto, præcipimus ut præſentibus epiſcopis vel archidiaconis firmarum fiat conventio, ex qua plures literæ conſcribantur, quarum una remaneat penes ipſos. Item ſtatuimus, ne penſiones eccleſiarum veteres ſine noſtro aſſenſu augeantur, nec novæ eiſdem imponantur; decimæ aliquæ de novo non retineantur a patronis, nec diminuantur, in quarum poſſeſſione prius eccleſiæ extiterant: quod ſi ſecus ab aliquo factum fuerit, & factum ejus irritum habeatur, & ipſe ab eccleſiarum collatione ſe noverit auctoritate conciliorum prædictorum eſſe ſuſpenſum. Prohibemus etiam, ne a ſacerdotibus annuis pro miniſtrandi licentia aliquid exigatur. Præcipimus etiam, ne archidiaconi vel eorum officiales vel decani a capellanis annuis vel aliis pro miniſtrandi licentia aliquid extorquere præſumant; adjicientes conſtitutionem domini legati, quæ ſic inquit: „ De ar„ chidiaconis quoque &c. “ De archidiaconis quoque ſtatuimus, ut eccleſias utiliter & fideliter viſitent, de ſacris vaſis, & veſtibus, & qualiter diurnis ac nocturnis officiis eccleſiæ ſerviatur, & generaliter de temporalibus, & ſpiritualibus inquirendo, & quæ corrigenda invenerint, corrigant diligenter. Eccleſias autem ſuperfluis non gravent expenſis, ſed procurationes exigant duntaxat, cum viſitant, moderatas. Non ſecum ducant extraneos, ſed modeſte ſe habeant tam in familia, quam in eccleſiis, nec ut non viſitent aut corrigant ſeu crimina puniant, aliquid ab aliquo recipere præſumant, nec ſententiis aliquos involvant injuſte, quo ab eis pecuniam poſſint extorquere. Cum enim hæc ſimoniacam ſapiant pravitatem, decernimus, ut qui talia agere præſumpſerint, ſic extorta in duplum erogare in pios uſus, arbitrio epiſcopi, compellantur, alias nihilominus ſalva pœna canonica contra eos. Sint autem ſoliciti frequenter intereſſe capitulis per ſingulos decanatus, in quibus diligenter inſtruantur inter alia ſacerdotes, ut bene ſciant & ſane intelligant verba canonis & baptiſmatis, quod ſc. ſint de ſubſtantia ſacramentorum. Canonem autem miſſæ ſecundum conſuetudinem Ciceſtr. eccleſiæ omnes correctum habere præcipimus, & verba canonis in libro rotunde legantur & diſtincte. Similiter omnes horæ & omnia officia aperte & diſtincte dicantur. Item quod ex feſtinatione nimia verba non præcidantur, vel ſyncopentur; quod ſi non fuerit obſervatum, ſacerdotes uſque ad condignam ſatisfactionem ſuſpendantur. Decanos vero rurales a cognitione cauſarum matrimonialium, necnon & aliarum, quæ majorum judicum requirunt examen, ſpecialiter præcipimus abſtinere. Alios quoque judices majores ab illarum cauſarum cognitione eſſe mandamus & volumus alienos, quarum cognitio eiſdem nec jure generali, nec ſpeciali noſcitur attributa, in his vero cauſis, de quibus cognoverint, poſt publicationem atteſtationem faciendam eſſe litigatoribus, copia earundem fiat per tranſcriptum, originali penes judicem reſervato. Item præcipimus, ne archidiaconi vel eorum officiales interdicto ſupponere præſumant eccleſias clericorum, niſi noſtra interveniat auctoritas ſpecialis vel generalis. Prohibemus etiam, ne ſacerdotes alienæ ordinationis ad miniſtrandum in eccleſiis ſeu capitulis admittantur, abſque noſtra ſcientia & mandato. Inſtitutionem vero & reſtitutionem decanorum ruralium, ſicut hactenus obtentum fuerat, diſpoſitioni noſtræ ſpecialiter reſervamus.

ANNO CHRISTI 1246.

De litigatoribus.

Litigatoribus autem in foro noſtro ſeu ſubditorum noſtrorum, quandocunque voluerint, licet a judicio per compoſitionem recedere; dum tamen petita ſit licentia componendi, niſi tale ſit genus cauſæ, quod compoſitionem non admittat, nec propter hoc eis pœna aliqua infligatur alicui ordinario ſolvenda. Quod etiam, licet in lite uſque ad finem perſeverare maluerint, liceat eis, donec quis fuerit convictus ſuper delicto, aut de calumnia actoris vel rei conſtiterit evidenter: ita videlicet, ut tunc ea pœna cum moderamine imponatur, non quod ſaluti delinquentium magis videbitur expedire, ſed quod generalibus conciliis & ſpecialibus noſcitur conſtitutum. Et hoc dicimus, excepta ea pœna temere litigantium, qua in expenſis juncti victoribus condemnantur.

De rectoribus eccleſiarum.

Omnes eccleſiarum rectores ſaluti debent intendere ſubditorum, & bona ipſorum, ut facultas ſuppetit, ſunt pauperibus eroganda: decernimus ut in eccleſiis propriis reſideant, hoſpitalitati pro modo facultatum & aliis operibus charitatis intendentes, niſi ipſis, ut ad tempus abeſſe poſſint, ex cauſa neceſſaria a nobis licentia concedatur. Hic recurratur ad concilium generale „ De reſidentia facienda, „ & De clericis habentibus plura beneficia “ contra concilium. Decimas autem de omnibus, quæ renovantur per annum, dandas decernimus & diſtricte præcipimus, ita ut occaſione mercedis ſervientium ſeu meſſorum eccleſiæ decima parte non fruſtrentur. Detentores autem decimarum debitarum & conſuetarum, ſi ſemel, ſecundo, & tertio commoniti ſufficienter exceſſum ſuum non emendaverint, uſque ad ſatisfactionem congruam, anathematis vinculo feriantur. Cum autem hi, qui decimas detinuerint, vel ſurripuerint, ad pœnitentiam acceſſerint, non admittantur, niſi vel per ſe vel per manum ſacerdotis illi, cui decimæ debentur, ſatisfaciant competenter. Prohibemus inſuper, ne fructus eccleſiarum contra tenorem concilii provincialis laicis perſonis, ſeu aliis ad firmam concedantur, ne in laico feudo reponantur.

De ornamentis ecclesiæ.

Ecclesiæ vero honeste cooperiantur, calices & libri & omnia ornamenta ecclesiastica sufficientia sint, & honesta, & de bonis clericorum decedentium, secundum quod cautum fuerit, suppleantur, nisi in vita sua ecclesias ornaverint competenter. Cœmeteria claudantur a parochianis, quorum interest, bene & honeste; & ad hoc arceantur, si necesse fuerit, censura ecclesiastica per loci capellanum. Præterea prohibemus, ne in cœmeteriis choreæ, vel turpes & inhonesti ludi, qui ad lasciviam invitant, agantur, & ne tractentur causæ seculares, nec mercatus, nec alibi dominicis diebus, nisi forte de victualibus necessariis: ædificia in solo ecclesiæ constructa, in statu debito conserventur, & diruta reparentur. Alia etiam quæ de statu ecclesiarum, seu ecclesiasticarum personarum in provinciali concilio continentur, quatenus personas eorum contigerit, ab ipsis præcipimus firmiter obtervari. De executoribus testamentorum tam laicorum, quam clericorum statuimus, quod si negligenter, vel fraudulenter, utpote de rebus defunctorum gratiosas sibi invicem vel aliis venditiones faciendo, versati fuerint, seu alias ex verisimilibus præsumptionibus suspecti apparuerint, si de civitate fuerint, coram decano; si de diœcesi extranea, coram archidiaconis, vel aliis bonis viris, ad hoc deputatis, administrationis suæ compellantur reddere rationem & si culpabiles inventi fuerint, debita animadversione puniantur. Vicarios vero cum propriis personis divina teneantur populo administrare; qui non sunt, præcipimus fieri sacerdotes, quatenus in sacerdotio constituti, pœnitentias & alia sacramenta convenienter administrare valeant, ut tenentur: iisdem etiam interdicimus studia secularium facultatum. Adiicimus etiam constitutionem domini legati, quæ sic incipit: Ad vicariam statuimus nullum de cætero admittendum, nisi jam in presbyterum ordinatum, vel saltem diaconum in proximis quatuor temporibus ordinandum. Qui renuncians beneficiis aliis, si quæ habet curam animarum habentia, juret residentiam ibi facere, ac eam faciat continue corporalem; alioquin institutionem ipsius decernimus nullam & vicariam alii conferendam. Sic illuditur illi dolo, quo sæpe assignato alicui nomine personatus aliquo modico, simulate dabatur alii ecclesia, ficto nomine vicariæ, qui timens alia perdere beneficia, metuebat eam recipere ut persona. De jam vero institutis vicariis, qui non sunt presbyteri, cum vicarii teneantur in propriis personis ecclesiæ deservire, statuendo præcipimus, ut infra annum ad minus se faciant in presbyteros ordinari; aliquin si per eos steterit, quominus infra annum, ut diximus, ordinentur, eos ex tunc vicariis eisdem fore decernimus privatos. Et de residentia circa eos statuimus, quod de instituendis supradiximus statuendum.

De capellanis annuis.

Si vero alicubi contigerit capellanos annuos ex causa necessaria in ecclesiis parochialibus ministrare, de ipsis ita statuimus observandum; ut nullus sufficientis literaturæ & honestæ conversationis amoveatur, nisi ex justa causa & probabili fuerit amovendus. Eisdem quoque & clericis ipsorum, secundum vires facultatum ecclesiarum, quibus deserviunt, nomine stipendiorum assignetur portio sufficiens & honesta, usque ad quinque marcarum æstimationem ad minus. Item nullus sacerdos alium modo quolibet audeat supplantare, sub pœna executionis officii. Nullus etiam sacerdos alterius parochianum recipiat ad sacramenta, in præjudicium alienum, sub pœna superius annotata. Capellani in capellis ministrantes, saltem quater in anno veniant ad capitulum, statuta synodalia audiant & obedientiam faciant episcopo, & archidiacono, ut tenentur. Volumus etiam, ut omnes in ecclesiastico gradu constituti ea observent diligenter, quæ de vita & honestate ipsorum tam generali quam speciali concilio sunt statuta. Adjicimus etiam constitutionem domini legati, quæ sic incipit: " Quum de habitu clericorum, qui non clericalis videtur, sed potius militaris, grave scandalum laicis generatur; firmiter statuendo præcipimus, ut ad formam tam de vestibus clericorum, quam etiam de ornamentis equorum in generali concilio editam, per subtractionem beneficiorum ab episcopis restringantur: ita quod in mensura decenti vestes habeant, & cappis & supertunicis clausis utantur in sacris ordinibus constituti, maxime in ecclesia sua, & coram prælatis suis, & in conventibus clericorum, & ubique in parochiis suis, qui cum animarum causa regendas ecclesias susceperunt. „ Quæ autem superius de cappis & supertunicis clausis diximus, ad sacerdotes præcipue volumus referri, & quod nullo modo novæ adinventionis quocunque nomine censeantur, desuper deferant indumenta. Clerici vero comam non nutriant, sed ordinate circulariter & decenter tondeantur, & ita se in omnibus habeant, ne de superbiæ vitio notari possint.

ANNO CHRISTI 1246.

Ne clerici vel alii beneficiati habere audeant concubinas.

Specialiter etiam prohibemus, ne beneficiati, vel sacerdotes, vel alii infra sacros ordines constituti, habere audeant concubinas. Quod si qui præsumpserint, nisi moniti reliquerint, per subtractionem beneficiorum decernimus compellendos; adjicientes constitutionem domini legati, quæ sic incipit: „ Licet ad profugandum, " &c. in medio, statuimus & statuendo præcipimus, ut nisi clerici, & maxime in sacris ordinibus constituti, qui in domibus suis vel alienis publice detinent concubinas, eas a se prorsus removerint infra mensem, ipsis vel alias ullatenus detentis, ab officio & beneficio sint suspensi; ita quod quousque super hoc digne satisfecerint, de beneficiis ecclesiasticis se nullatenus intromittant; alioquin ipso jure ipsis eos decernimus fore privatos. Volumus quoque & districte præcipimus, ut archiepiscopi, & episcopi, super hoc diligentem per omnes decanatus faciant inquisitionem fieri, & quod statuimus observari. Concubinas vero eorundem publicas & maxime cohabitantes, si incorrigibiles extiterint, vivas a communione fidelium decernimus excludendas, & mortuæ christiana careant sepultura, & in testamentis clericorum, cum quibus in scandalum ecclesiæ deliquerunt, esse volumus non capaces, & si quid eisdem relictum fuerit, fabricæ Cicestrensis ecclesiæ conferatur

Et

☞ Et quia cum peccaverit sacerdos, peccare faciat populum Domini, maxime a filia sua pœnitentiali se abstineat, & ab illis similiter, quibus alia ecclesiastica dispensavit sacramenta, sciens quod in detestatione tanti peccati secundum canonis & sanctorum patrum constitutiones xv. anni debentur pro pœnitentia, & postmodum detrusio in monasterium.

ANNO CHRISTI 1246.

De regularibus.

Præcipimus ut regulares monachi, canonici, & moniales ea studeant firmiter observare, quæ in regulis sui ordinis vel conciliis generalibus & specialibus, seu in capitulis eorum circa eorundem personas sint statuta. Monentes specialiter, ne quis ignotus seu juvenis ad professionem cujuslibet ordinis admittatur, nisi cum admittenda persona in ipso claustro, vel in ipso ordinis habitu, tempore congruo, fuerit approbata: adjicientes constitutionem domini legati, quæ sic incipit: Inprimis igitur duximus statuendum, ut nullus ante vicesimum annum completum ad professionem, & nonum decimum annum ad probationem admittatur de cætero. Item qui ad probationem admissus erit, professionem incontinenti faciat, anno probationis elapso, vel exeat monasterium. Alioquin abbas vel prior, qui aliquem sine professione sustinuerit ultra annum, per præsidentes capituli graviter puniatur, & ille novitius nihilominus profiteri cogatur, & haberi debeat pro confesso. Item statuimus, quod abbates vel priores continue juxta regulam sibi faciant constitutiones & sanctiones summorum pontificum, ad eos vel eorum ordinem pertinentes, quæ in compilatione domini Gregorii papæ IX. continentur. Item statuimus, quod in maneriis monachi non morentur, nec etiam in ecclesiis, nisi plures fuerint, saltem duo. Soli vero & indecenter per villas & oppida religiosi non incedant; quod si per negligentiam prælati contra fuerit attentatum, tanquam sacri concilii contemptores puniantur. Inter alia viris religiosis super omnia simoniacum ingressum in periculo animarum suarum interdicimus, & tam regulares quam seculares, tam clericos quam laicos, qui merces suas vendunt ad terminos, ut propter ipsos terminos carius vendant, tam culpæ quam pœnæ usurariorum apud Dominum denunciamus obnoxios. Prohibemus etiam, ne clerici in sacris ordinibus constituti, & præcipue sacerdotes, turpia lucra sectentur, nec aliquam negotiationis speciem ordini suo contrariam exerceant, nullusque eorum secularem administrationem subeat, ex qua eum oporteat laicæ personæ actus sui reddere rationem. Nec advocati sint clerici, vel sacerdotes in foro seculari, nisi vel causas suas, vel suorum, vel miserabilium prosequantur personarum, & hoc in civili. In foro autem ecclesiastico si voluerint postulare, secundum constitutionem domini legati de talibus editam, admittantur. Clericis vero, ne venationibus intendant, omnino prohibemus. Volumus etiam ut in ecclesiis parochialibus religiosorum constituantur vicarii, qui velint & valeant saluti intendere animarum, quibus talem volumus assignari portionem, unde ministri ecclesiæ commode sustententur, & vicarii pauperibus se exhibere valeant hospitales, habita tamen ratione ad ecclesiæ facultates.

De inclusis.

Inclusis etiam præcipimus, ne quam personam in domibus suis recipiant vel habeant, de qua sinistra suspicio oriatur. Fenestras quoque arctas habeant, & honestas: eisdem etiam cum his tantummodo personis secretum tractatum habere permittimus, quarum gravitas & honestas suspicionem non admittit. Inclusis vero mulieribus custodia vestimentorum ecclesiæ non tradatur; quod si necessitas hoc exegerit, ita caute tradi mandamus, ut non inspiciantur inclusæ a tradente.

De celebratione divinorum.

Præterea volumus, quod fideles laici diebus dominicis & aliis solennibus saltem interfint celebrationi divinorum, nisi valetudine aut aliqua causa necessaria fuerint occupati, ne forte propter hoc, quod ab auditione divinorum cessaverint, corda eorum indurescant. Volumus etiam, ut a propriis sacerdotibus laici moneantur, ut orationem dominicam, & symbolum apostolorum addiscant; & salutationem beatæ virginis; & hæc sacerdotes parochianos in lingua saltem materna diligenter & frequenter doceant, & in ecclesiis orationibus vacent, & otiosis fabulis non intendant.

De Judæis.

Judæi vero districte compellantur ad ea observanda, quæ de personis illorum in generali & speciali concilio continentur, ut non synagogas erigant novas, & quod tabulam in loco eminenti in signum cognitionis portent. Prohibemus autem, ne Christianus vel Christiana cohabitent cum eisdem.

De excommunicatis.

Sanctorum igitur prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, denunciamus & per totum episcopatum nostrum denunciari præcipimus quater in anno, per dies solennes, omnes illos communi sententia excommunicationis innodatos, qui ecclesias suo jure malitiose privare præsumunt, aut per malitiam libertates earundem infringere vel perturbare contendunt. Item omnes illos, qui scienter & prudenter falsum perhibent testimonium, vel perhiberi procurant, ne matrimonia vera debitum sortiantur effectum, vel ut contra justitiam processus causæ diutius suspendatur. Item omnes illos, qui rationabilia defunctorum testamenta malitiose impediunt. Item omnes incendiarios, usurarios, pudicitiæ raptores, immunitatum ecclesiarum violatores, item debitarum & consuetarum decimarum detentores. Item omnes illos, qui gratia lucri, odii, vel favoris, vel alia quacunque de causa alii malitiose crimen imponunt, cum infamatus non sit apud bonos & graves, ut sic ei saltem purgatio indicatur, vel alio modo gravetur. Item omnes illos, qui vacante ecclesia, malitiose opponunt, vel opponi procurant patronatus quæstionem, ut sic verum patronum illius ecclesiæ collatione saltem in vice defraudent. Item omnes illos, qui gratia lucri, vel odii, aut alias contemnunt exequi domini regis mandatum contra excommunicatos editum, claves ecclesiæ contemnentes.

Has

Has igitur conſtitutiones, una cum his, quæ in generali ſeu provinciali concilio ſunt ſtatuta, volumus inviolabiliter obſervari: ita videlicet ut in qualibet eccleſia noſtræ diœceſi circa Paſcha proximum ſcriptæ habeantur, quatenus rectores eccleſiarum eas ſæpius recitantes, ſe & ſubditos ſuos perducere valeant ad ſalutem. Has igitur conſtitutiones, quas diſtricte præcipimus obſervari, in publico fecimus recitari, ut nullus prætextu ignorantiæ ſe valeat excuſare.

Ex auctoritate Dei Patris omnipotentis, Filii, & Spiritus Sancti, & præſentis ſynodi præcipimus in virtute obedientiæ, quod omnes ſacerdotes, qui in epiſcopatu noſtro curam gerunt animarum, has conſtitutiones omnes habeant in libellis ſuis ſcriptas, eaſque diligenter obſervent, habentes eas ſæpe præ manibus, & præ oculis. Et cum item ad ſynodum venturi ſunt, deferat unuſquiſque ſecum libellum ſuum, redditurus rationem de tranſgreſſione ſingulorum præceptorum.

CONSILIUM

Concilii Provincialis

Archiepiſcopi Narbonenſis & ſuffraganeorum ſuorum, qualiter ſit in inquiſitione procedendum contra hæreticos, habitum Biterris.

*B * DEI GRATIA NARBONENSIS archiepiſcopus dilectis in Chriſto inquiſitoribus contra hæreticos, in Arelatenſi, Aquenſi, Ebredunenſi, & Viennenſi provinciis, authoritate Apoſtolica conſtitutis, fratribus ordinis Prædicatorum, ſalutem in Domino.*

Litteras reverendiſſimi patris P * Dei gratia epiſcopi Albanenſis recepimus ſub hac forma.

„ Venerabili in Chriſto patri & amico cariſſimo Dei gratia archiepiſcopo Narbonenſi. „ P. ejuſdem miſeratione Albanenſis epiſcopus, „ ſalutem in Domino. Etſi olim in partibus „ Provinciæ domini papæ vicem gerentes, vo„ bis ſcripſimus, ut mandaretis inquiſitoribus „ hæreticorum, quod cum veſtro & diœceſa„ norum (quos ipſi expedire viderent) conſi„ lio, in inquiſitione hæreticæ pravitatis pro„ cederent, juxta conſuetam formam eis ſu„ per his traditam in pœnitentiis injungendis: „ negotii tamen qualitate penſata, volumus, „ & authoritate domini papæ vobis manda„ mus, quatenus prædictis inquiſitoribus injunga„ tis, ut in hæreſis negotio cum veſtro, diœ„ ceſanorum, ſeu aliorum prælatorum conſi„ lio quos expedire viderint, juxta formam in „ talibus conſuetam, & litteras apoſtolicas eis „ miſſas, procedere non omittant. De expen„ ſis vero eidem negotio opportunis, juxta „ concilium apud Montempeſſulanum per re„ verendiſſimum patrem Avenionenſem epiſco„ pum, tum Apoſtolicæ ſedis legatum, pro„ inde celebratum, faciatis eiſdem inquiſito„ ribus providere. Datum Lugduni nonis „ Martii.“

Hujus igitur authoritate mandati vobis injungimus quatenus in præfato inquiſitionis negotio vobis commiſſo procedere ſecundum tenorem mandati ejuſdem ſine moræ diſpendio procuretis.

Ad hæc nos epiſcopus memoratus: R [1] Toloſanus: C [2] Carcaſſonenſis: B [3] Helenenſis: G [4] Lodovenſis: P [5] Agathenſis: Bitterenſis. R [6] Nemauſenſis: Uticenſis: Dei gratia epiſcopi, abbates, ceterique prælati provinciæ Narbonenſis apud Bitterras in provinciali concilio congregati, quorum ſigilla præſentibus ſunt appenſa, veſtris devotis precibus annuentes libenter, quibus a nobis petiſtis humiliter, noſtris conſiliis in toto memorato negotio dirigi & muniri, veſtraſque dubitationes prout poſſumus amputantes, ſimulque devotionem veſtram adjuvare volentes, ſicut nobis ab ipſa ſede apoſtolica mandatum eſt: ut qui noſtra portatis onera, conſilium a nobis & auxilium in ipſo noſtro negotio caritate mutua reportetis.

ANNO CHRISTI 1246.
1. Raymundus.
2. Clarus.
3. Berengarius.
4. Guillelmus.
5. Petrus.
6. Raymundus.

CAP. I.

Conſulimus, ut infra terminos inquiſitionis limitatæ vobis, ad locum de quo expedire videritis, juxta mandatum Apoſtolicum declinetis, ut inquiſitionem de illo, vel de locis aliis faciatis: cum tutum non ſit vos ad loca ſingula declinare: atque ibi convocatis clero & populo, & propoſito verbo Dei, mandatum vobis factum, & adventus veſtri cauſam, lectis litteris, quarum authoritate procedere habetis, ſicut oportere noveritis, exponatis. Ac deinde mandetis, ut omnes qui ſe vel alios ſciverint in crimine labis hæreticæ deliquiſſe, compareant coram vobis veritatem dicturi.

CAP. II.

Aſſignato eis termino competenti, quod tempus gratiæ vocare ſoletis, quibus tamen alias hujuſmodi gratia non eſt facta: infra quem terminum venientes pœnitentes, & dicentes plenam de ſe & de aliis veritatem, habeant impunitatem mortis, immurationis exilii, & confiſcationis bonorum.

CAP. III.

Ut cum de locis aliis fuerit inquiſitio facienda, hujuſmodi generalem faciatis citationem, ac tempus gratiæ aſſignetis: clericis & laicis in loco illo, de quo fiet citatio, convocatis, per aliquam perſonam eccleſiaſticam, cui hoc per veſtras patentes litteras committatis: qui in teſtimonium recepti mandati ſigillum ſuum litteris eiſdem appendat, & nihilo minus reſcribat per ſuas patentes ſimiliter litteras cum ſuo ſigillo pendenti, qualiter, & coram quibus, & quando, mandatum impleverit ſibi factum.

CAP. IV.

Ab illis qui ſic citati coram vobis infra tempus comparuerint aſſignatum, recipiatis juramenta de mera & plena ſuper facto labis hæreticæ, tam de ſe quam de aliis vivis & mortuis, dicenda, quam noverint, veritate. Ac poſtmodum per vos, vel per ſcriptores, diligenter interrogantes eoſdem de ſingulis, de quibus requirendi videbuntur, faciatis confeſſiones ac depoſitiones ipſorum fideliter ſcribi, & in actis inquiſitionis deponi, aut per publicam, ſi poteſtis habere perſonam, aut per aliam idoneam, & juratum, cui & alius vir idoneus juratus ſimiliter adjungatur: ut ſic

ANNO CHRISTI 1246.

scriptura hujusmodi vel per manum publicam, vel per duos, ut tetigimus, viros idoneos in actis reposita & conscripta, ac ei qui confitetur, & deponit coram inquisitore & notario, vel dictis duobus viris idoneis recitata, robur obtineat firmitatis. Juramenta vero supradicta publice ac præsentibus omnibus, qui ad confitendum conveniunt, recipere procuretis: ut ex forma juramenti secundum quam exigitur, quilibet tam de se, quam de aliis teneatur dicere veritatem. Intelligant singuli, quod sit contra ipsos inquisitio, & de quibus; atque ita capitula, de quibus inquiritur, singulis quasi exposita videantur. Propter quod nec sit necesse, ut testes qui semel deposuerint in tam generali ac notoria inquisitione, producantur iterum, si etiam post hujusmodi depositionem contra quemcumque de quo quid noverint, dixerint, fieri cœperit inquisitio specialiter: nisi de aliquibus circumstantiis, de quibus requisiti non fuerant, viderentur forsitan requirendi: præsertim cum, sicut tangemus inferius, testium nomina nullatenus sint in hac causa favorabili, tanquam privilegiato negotio publicanda.

A B

CAP. V.

Talibus infra tempus gratiæ sponte ac plene confitentibus, & ad ecclesiasticam se redire dicentibus unitatem, beneficium juxta formam ecclesiæ absolutionis impendatis, facientes videlicet ipsos abjurare omnem hæresim extollentem se adversus sanctam & Romanam ecclesiam & fidem orthodoxam, quibuscumque nominibus censeatur; & jurare quod fidem catholicam, quam eadem sacrosancta Romana tenet ecclesia & prædicat, servabunt pariter ac defendent; & hæreticos cujuscumque sectæ, vestitos pariter & condemnatos, credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum persequentur pro viribus; investigando, accusando, & capiendo, vel saltem eos inquisitoribus seu aliis fidelibus, qui eos opportunius capere velint & valeant, bona fide manifestando: & quod super his, qui inventi sunt, vel fuerint in eodem crimine deliquisse, stabunt mandatis inquisitorum, & ecclesiæ, ac pœnitentiam quæ sibi fuerit quandocumque per ipsos injuncta, recipient & implebunt: pro ea recipienda & implenda, bona sua omnia inquisitioni & ecclesiæ solemniter obligantes.

C D

CAP. VI.

Illos, qui cum sint culpabiles, contemnunt comparere infra tempus gratiæ, aut malitiose supprimunt veritatem, citetis suo tempore nominatim.

CAP. VII.

Eisque, si veritatem contra se inventam confiteri noluerint, exponatis capitula, super quibus inventi sunt culpabiles, & dicta similiter testium publicetis.

E

CAP. VIII.

Ac datis dilationibus competentibus, & defendendi facultate concessa, benigne admittatis exceptiones & replicationes legitimas eorumdem.

CAP. IX.

Et si quidem in sua defensione defecerint, nisi culpam probatam gratis confiteri voluerint, assignato ad sententiam termino peremptorio competenti, damnetis eosdem; non enim sunt ad misericordiam admittendi, dum in sua negatione persistunt, quantumcumque voluntati ecclesiæ se supponant.

ANNO CHRISTI 1246.

CAP. X.

Illud autem caveatis secundum providam sedis Apostolicæ voluntatem, ne testium nomina signo, vel verbo aliquo publicentur. Sed si instat contra quem inquisitio fit, dicens forte se habere inimicos, vel in se aliquos conspirasse; inimicorum ab eo, seu conspiratorum nomina, inimicitiarum seu conspirationis causa, & veritas, exigantur, ut sic & testibus consulatur, & ipsis etiam convincendis.

CAP. XI.

Ad nullius vero condemnationem procedatis sine confessione propria, vel probationibus dilucidis & apertis: satius enim est relinquere facinus impunitum, quam innocentem damnare.

CAP. XII.

Quamvis in hujusmodi crimine omnes criminosi & infames, ac participes criminis, ad accusationem & testimonium admittantur.

CAP. XIII.

Illis tantum exceptionibus fidem testium evacuantibus in totum, quæ non ex zelo justitiæ, sed de malignitatis fomite procedere videantur; ut sunt conspirationes & inimicitiæ capitales. Alia vero crimina, etsi debilitent, non repellunt: maxime ubi testes de crimine fuerint emendati.

CAP. XIV.

Eos qui se contumaciter absentant, faciatis citari solemniter in parochiali, seu cathedrali ecclesia eorumdem; & in locis in quibus domicilium vel habent, vel habere solebant; & ita contra eos legitimis edictis propositis, præcedenti expectatione matura, diligenti etiam discussione habita super actis: ac prælatorum, de quibus expedire videritis consilio sigillato ad talium condemnationem, eorum absentiam Dei & evangeliorum supplente præsentia, pro culparum exigentia procedatis.

CAP. XV.

A quibus postmodum redire atque obedire volentibus, & generaliter ab omnibus, qui prius contumaces, seu inobedientes fuerunt, vel de quorum fuga merito timere possetis, cautiones recipiatis fidejussorias: vel faciatis detineri eosdem ubi magis videbitis expedire.

CAP. XVI.

Perfectos hæreticos seu vestitos coram discretis

tis aliquibus & fidelibus examinetis secreto, A ipsos ad conversionem prout poteritis inducentes, & converti volentibus vos exhibeatis favorabiles, & benignos, cum per tales multum fuerit illuminatum negotium & promotum. Ac ipsorum pœnitentias pro qualitate conversionis & meriti mitigetis, vel quantum vobis visum fuerit, deferatis.

CAP. XVII.

Converti nolentes, ubi commode poteritis, damnare tardetis, ipsos frequenter tam per vos, quam per alios ad conversionem monentes. Ac tandem in sua malitia pertinaces, faciatis errores suos, ad eorum detestationem B & occultæ camerulæ, sicut fieri poterit in singulis civitatibus diœcesum corruptarum, ut alterutrum vel se, vel alios pervertere nequeant; publice confiteri: & sic eos damnatos præsentibus sæcularibus potestatibus, eorumve baillivis secundum mandatum Apostolicum relinquentes.

CAP. XVIII.

Ad hæreticorum seu credentium condemnationem, qui non fuerunt reconciliati canonice ante mortem, citatis eorum hæredibus, sive aliis, qui de jure citandi fuerint, & concessa eisdem opportuna copia defendendi, similiter procedatis.

CAP. XIX.

Ab eorum hæredibus, qui confessi & reconciliati, non accepta pœnitentia decesserunt, satisfactionem congruam exigatis; ne tantum ac tale crimen, quod etiam publice in judicio confessi sunt, remaneat in aliquibus impunitum. Et idem faciatis de illis qui decesserunt accepta pœnitentia, nec impleta: Si esse in mora cœperint, vel pro illa implenda obligaverint, ut supra tetigimus, bona sua, vel injunctus fuerit transitus transmarinus.

CAP. XX.

Damnatos hæreticos relapsos, contumaces, D & fugitivos redire volentes, similiter etiam deprehensos, qui videlicet post tempus gratiæ, non nisi nominatim citati venire curarunt, aut veritatem suppresserunt scienter & contra proprium juramentum: ex apostolico mandato in perpetuo carcere detrudatis, nec injungatis alicui pœnitentiam carceris temporalis, sed hujusmodi perpetui carceris pœnam seu pœnitentiam, ex domini Papæ indulgentia super hoc vobis concessa, mitigare vel commutare poteritis de prælatorum, quorum jurisdictioni subsunt, consilio, postquam fuerint in carcere aliquandiu detenti vestris humiliter parendo mandatis, & signa pœnitentiæ apparuerint in E eisdem, quæ vos ad misericordiam moveant, simulque noveritis expedire.

CAP. XXI.

Receptis prius ab illis bonis satisdationibus, quod injunctas sibi pro posse faciant pœnitentias, & juramentis de persequenda hæresi, & fide catholica defendenda, sicut in reconciliandis superius est expressum: lata etiam in ipsos sententia, quod si levi argumento comperiri poterit, eos de cetero deviare a fide, pœna, sine misericordia, debita puniantur.

CAP. XXII.

Hac semper vobis potestate retenta, ut si videritis negotio fidei expedire, sine nova etiam causa, possitis ad carcerem reducere supradictos. In damnatis etiam fugitivis, relapsis & contumacibus adhibeatur ante immurationem ipsorum de juramentis & satisfactionibus cautela superius memorata.

CAP. XXIII.

Curetis tamen ut talibus immurandis, fiant juxta sedis Apostolicæ ordinationem, separatæ & occultæ camerulæ, sicut fieri poterit in singulis civitatibus diœcesum corruptarum, ut alterutrum vel se, vel alios pervertere nequeant; & eos enormis rigor carceris non extinguat, quod ab illis, qui bona illorum tenuerint, fieri, & in necessariis provideri faciatis eisdem, secundum statuta concilii Tolosani.

CAP. XXIV.

Hæc autem perpetui carceris pœna seu pœnitentia nulli ab initio de præfatis culpabilibus remittatur, aut in aliam commutetur: nisi vel hæreticos redderet, vel propter ejus absentiam evidens mortis periculum ejus liC beris vel parentibus immineret: vel propter aliam causam, quæ multum justa & rationabilis videretur.

CAP. XXV.

Sit autem liber accessus uxori ad virum immuratum, & e converso, ne cohabitatio denegetur eisdem, sive ambo immurati fuerint, sive alter.

CAP. XXVI.

Ceteris qui propter vel promissam gratiam, vel propter qualitatem delicti, vel propter D aliam rationabilem causam, immurandi non fuerint, hujusmodi pœnitentias injungatis: videlicet ut fidem, & ecclesiam, quam taliter offenderunt, defendant ad tempus, pro vestro arbitrio designatum, per se, vel per alios magis idoneos ultra mare, vel citra, contra Saracenos, vel hæreticos, & fautores eorum, aut aliter fidei & ecclesiæ rebellantes. In detestationem etiam erroris veteris, portent in superiore veste duas cruces coloris crocei, longitudinis duorum palmorum & dimidii, latitudinisque duorum, & in se trium digitorum habentes latitudinem, unam anterius in pectore, & aliam posterius inter scapulas. Vestes, E in quibus cruces portaverint crocei coloris non habentes, superiori veste intellecta, supra quam in domo, vel extra, alia non portetur. Et si fuerint vestiti hæretici, vel damnati, portent crucem tertiam competentis quantitatis, seu coloris ejusdem in caputio vel in velo. Et si forte dejeraverint, aut induxerint alios ad dejerandum, portent in superiori parte duarum crucum (quas portare habent in pectore, & inter scapulas,) brachium transversale palmi unius vel circa. Qui autem transfretare debebunt, portent cruces prædictas donec applicuerint ultra mare: & eas ulterius non teneantur portare, donec in littore trans-

ANNO CHRISTI 1245.

marino navem ad redeundum intrantes resumant easdem circa mare, & in mari, & in insulis eas exinde perpetuo portent. Intersint diebus Dominicis & festivis Missæ ac Vesperis, & Sermoni, si fiat in villa, in qua fuerint: ac ceteris similiter diebus, vel Missas audiant, vel saltem ante prandium ad ecclesiam veniant ad orandum: nisi impedimentum habuerint, sine fraude. Et in Missa cujuslibet diei Dominicæ ac festivæ, inter epistolam & evangelium, veste superiori & velo sive capuccio depositis, nisi & in velo seu capuccio portent cruces, sacerdoti Missam præsenti populo celebranti, cum virgis in manu publice se præsentent: ibique data illis disciplina, exponat sacerdos, quod propter culpam labis hæreticæ pœnitentiam illam agunt. Sequantur etiam processiones, quæ fiunt in villis, in quibus fuerint quandocumque: ita videlicet, ut superiori veste depositâ, & capitibus velo seu capuccio denudatis, nisi & in eis cruces portaverint, a processionis initio portent alte in manu dextra inter clerum & populum, virgas longas: & in statione ultima, præsentent se illi, qui processioni præfuerit, ut exponat populo, quod talem pœnitentiam faciunt propter illa quæ in crimine commiserunt hæreticæ pravitatis.

A

B

CAP. XXVII.

Peregrinationes similiter, ac pœnas seu pœnitentias pecuniarias pro carceribus construendis, & ministrandis necessariis expensis, immurandis pauperibus, ac personis negotio inquisitionis necessariis injungatis culpabilibus memoratis: & ne usuras exerceant, ac restituant jam acceptas.

C

CAP. XXVIII.

Et ne bailivias seu administrationes teneant, nec sint in consiliis, vel familiis potentum: neque utantur vel medici vel notarii officio: nec ad alia officia publica, vel ad actus accedant legitimos: nec portent aurifrisia, vel similia ornamenta, vel vittas croceas, nec sericum, vel corrigias auro vel argento membratas, vel sotulares inciſos, seu pictos: & ubi expediens visum fuerit, ejiciantur de villa in qua conversati fuerant, in alia certa villa seu provincia moraturi ad tempus.

D

CAP. XXIX.

Hæc autem de pœnitentiis arbitrariis ita perstrinximus, non ut vos omnes, vel æqualiter omnibus imponatis: sed ut eas secundum discretionem vobis traditam a Domino, negotii utilitate, qualitate personarum, culparum quantitate, aliisque pensatis circumstantiis, ita caute ac provide dispensetis: ut sive plectendo sive ignoscendo, vita culpabilium corrigatur: aut saltem apparere valeat, quis in tenebris ambulet, quis in luce, quis vere sit pœnitens, quis ficte conversus. Hujusmodi autem pœnitentias injungatis publice: nisi ubi esset peccatum occultum, quod neque esset revelatum per alium, nec revelari speraretur. Facientes eos culpas suas convocatis clero & populo publice confiteri: & abjurare ac jurare, sicut in reconciliandis est expressum. Ita quod singuli mandent inde fieri publica instrumenta continentia culpas, abjurationes, promissiones, & pœnitentias eorumdem. Et singulis dentur testimoniales vestræ litteræ, hæc eadem continentes. Vobis semper potestate retenta, ut possitis ex causa rationabili, pœnitentiis injunctis addere, vel detrahere, vel ipsas etiam commutare. Et hac potestate consulimus vos usuros, quotiescumque saluti animarum & utilitati negotii videritis expedire. Quibus autem fuerint peregrinationes injunctæ, teneantur dictas testimoniales litteras ostendere in singulis peregrinationibus, ei qui præfuerit ecclesiæ quam visitaverint: & ejusdem litteras de peregrinatione illa peracta, vobis reportare. Qui vero transfretaverint, cum fuerint ultra mare, ut citius poterunt, præsentent se cum vestris litteris, venerabilibus patribus, vel patriarchis Hierosolymitano, vel Aconensi, aut cuicumque episcopo, vel eorum cujuslibet locum tenenti: & reportent vobis cum redierint de sua peregrinatione laudabiliter ibi completa, litteras cujuslibet episcopi transmarini.

E

ANNO CHRISTI 1246.

CAP. XXX.

Ne autem per tales religionis corrumpatur simplicitas, nullum de præfatis culpabilibus, sine apertis conversionis signis, & nisi omne scandalum atque periculum abesse noveritis, religionem quamcumque ingredi permittatis: & si secus actum fuerit, revocetis.

CAP. XXXI.

Ut autem, adjuvante Domino, hæresis melius extirpetur & citius, fidesque plantetur in terra: statuta & jura per sedem Apostolicam, ejusque legatos, ac principes, super his edita, faciatis plenissime observari. Præterea universos tam mares, quam fœminas, masculos a XIV. fœminas a XII. anno & supra, faciatis abjurare omnem hæresim: & jurare quod fidem servent & defendant catholicam, & hæreticos persequantur, prout supra in juramento, quod reconciliandi habent facere, plenius de his & latius continetur: conscriptis singulorum nominibus, tam in actis inquisitionis, quam in parochiis eorumdem. Et qui præsentes infra tempus assignatum, vel absentes infra xv. dies post suum reditum, tale juramentum non præstiterunt, suspecti de hæresi habeantur. Hanc autem universalem abjurationem fieri procuretis quam citius, vel per vos ipsos, vel per vestros notarios seu scriptores, vel per alios ecclesiasticos viros, quibus hoc duxeritis committendum.

CAP. XXXII.

Adjecto in juramento comitum, baronum, rectorum & consulum, ac bailivorum civitatum, ac aliorum locorum, quod fideliter & efficaciter, cum ab eis fuerit requisitum, ecclesiam contra hæreticos, & eorum complices adjuvabunt juxta officium & posse suum: & de terris suæ jurisdictioni subjectis bona fide pro viribus exterminare studebunt universos hærecos ab ecclesia denotatos.

CAP. XXXIII.

Post hujusmodi autem abjurationem, quicum-

cumque lapsi fuerint, & qui non servaverint, A vel fecerint injunctas sibi pœnitentias, pœna relapsis debita puniantur.

ANNO CHRISTI 1246.

CAP. XXXIV.

In singulis etiam parochiis, tam in civitatibus, quam extra, sacerdos unus, vel duo, vel tres bonæ opinionis laici, vel plures si opus fuerit, juramenti vinculo astringantur, amovendi vel mutandi, quando vobis visum fuerit: qui diligenter, fideliter, & frequenter, investigent hæreticos in villis & extra domos singulorum, & cameras subterraneas, cabannas, & clausella, & alia latibula perquirendo: quæ omnia obturari, vel destrui faciatis. Præfatis etiam sacerdoti, & laicis sic juratis, committatis curam observationis pœnitentiarum, quæ singulis de sua parochia injungentur: ita ut ipsi penes se habentes singulorum parochianorum pœnitentias, & circa earum observationem solicite vigilantes, contemptores, si qui fuerint, vobis denuncient sine mora, in eos tanquam in relapsos, ut dictum est proxime, processuris.

CAP. XXXV.

Domos etiam in quibus inventi sunt, vel fuerint hæretici vivi, vel mortui, vestiti seu damnati, scientibus & consentientibus dominis domorum existentibus legitimæ ætatis, dirui faciatis, & bona omnium ibidem tunc habitantium confiscari: nisi suam innocentiam & justam ignorantiam probare poterunt manifeste. Bona quoque hæreticorum & credentium, quos damnaveritis, vel pro hæreticis, vel ad murum, faciatis similiter confiscari: & marchas solvi capientibus hæreticos, ab his, qui D secundum statuta solvere tenebuntur.

CAP. XXXVI.

De bailivis negligentibus, vel suspectis, & aliis culpabilibus non ponendis in administrationibus, vel officiis publicis, vel consiliis seu familiis potentum, & de libris theologicis non tenendis etiam a laicis in Latino, & neque ab ipsis, neque a clericis in vulgari, & de pœnis contra prædictos; nec non & contra sacerdotes qui circa hujusmodi, ad quæ ex officio, vel ex commissione tenentur, negligentes extiterint, & de confessione peccatorum, B & communione ter in anno facienda, de Missis etiam & sermonibus audiendis ex integro diebus Dominicis & festivis, & de omnibus aliis, quæ ad hæresim extirpandam, fidemque plantandam pertinent, teneri faciatis ad plenum, quicquid justum noveritis & statutum: & expresse de filiis hæreticorum, receptatorum, & defensorum, usque ad secundam generationem, ad nullum beneficium ecclesiasticum vel officium admittendis.

CAP. XXXVII.

C

Inter alia, quæ ad vestrum laboriosum latissimumque spectant officium, hoc summopere providere curetis, ut juris ordinem (nisi in quantum privilegiatum est hoc negotium, & nos supra expressimus, & consulimus) servare studeatis: & omnia quæ feceritis, videlicet citationes, gratias sive indulgentias, interrogationes, confessiones, depositiones, abjurationes, & obligationes, sententias & pœnitentias, & cetera omnia quæ occurrerint, taliter in actis inquisitionis, vel per manum publicam, vel per duos viros idoneos, ut prædiximus, D & juratos designatis locis, & temporibus, & personis, competenti conscribi ordine faciatis. Quod si super processu vestro fuerit in aliquo suborta contentio, per hæc possit veritas declarari. Datum apud Biterras XIII. Calend. Maii, anno Domini MCCXLVI.

CONCILIUM (1) TARRACONENSE

PRÆSIDE PETRO ALBALATIO ARCHIEPISCOPO,

Celebratum anno Domini MCCXLVI.

ANno 1246. Kalendis Maii celebratum est E Concilium a Petro Archiepiscopo Tarraconensi, Pontio Episcopo Dertusensi, R. Ilerdensi, Petro Barcinonensi, Arnaldo Valentino, Roderico Cæsaraugustano, & Berengario Gerundensi. Confirmata est in eo Concilio excommunicatio, quæ anno 244. decreta fuerat adversus invasores, raptores, & deprædatores personarum, & rerum Ecclesiasticarum. Et quoniam nonnulli superiorem constitutionem coercebant ad res modicas, & ad ea quæ non ex proposito nocendi, sed ex necessitate aliqua a non credentibus offerre capiuntur; præsens synodus declaravit illos tantum intelligi excommunicatos, qui ex proposito cum armis violenter invaserint, & destruxerint loca ecclesiarum, & ceperint homines ipsarum. Decrevit præterea, ut Sarraceni captivi, qui ficte veniunt ad baptismum, ut jugum possint evadere servitutis, diebus aliquot apud Rectorem ecclesiæ illius ad quam veniunt pro baptismo suscipiendo permaneant; ut dignosci possint, utrum in tenebris ambulent, vel in luce; & si perseveraverint in proposito baptizandi, baptismus eis ulterius non negetur. *Baluzius lib. 4. Marcæ Hispanicæ.*

CON-

(1) Hujus Concilii Canones habes in Concilio Tarraconensi anni 1329. insertos.

ANNO CHRISTI 1246.

CONCILIUM PROVINCIALE FRITZLARIÆ

A Sigifrido III. Moguntino Archiepiſcopo, celebratum anno Chriſti MCCXLVI.

Harthzeim Concil. Germ. tom. 3.

ANno MCCXLVI. Sigifridus III. Epſteinius, Archiepiſcopus Moguntinus, inter tantos Reipublicæ Germanicæ motus (ob Fridericum II. Imp. & Filium ejus ab Innocentio IV. anno MCCXLV. Lugduni excommunicatos ſecundo ob Henricum Landgravium Thuringiæ apud Herbipolim electum Regem, ſed anno MCCXLVI. Ulmæ ictu ſagittæ interfectum, ob Wilhelmum Hollandiæ Seelandiæ, & Frigiæ Dominum anno MCCXLVI. coronatum) officii ſui memor magna conſtantia erga Innocentium IV. Eccleſiam ſuam tutatus eſt, & Provincialem Synodum convocavit Uritzlariæ, & quidquid ad Cleri commodum facere potuit, non omiſit.

I. *De Baptiſmo.*

Baptiſmus cum ſumma reverentia celebretur, maxime in diſtinctione & prolatione verborum, in quibus Sacramenti virtus conſiſtit, his ſcilicet verbis: *Ego baptizo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Sacerdotes etiam doceant tam mares, quam fœminas in neceſſitate parvulos Baptizare eadem forma in ſuo idiomate, & quod patres, & Matres, infantes proprios, ſi ſumma neceſſitas exigat, poterunt Baptizare, & ſi Sacerdotes ſuper hoc diligentius inquirentes, debitam formam ſervatam in Baptiſmate invenerint, quod factum eſt, approbent; ſupplentes circa Baptizatum quod unctionem olei in pectore, & in ſcapulis, & criſmate in vertice, quod a laicis eſt omiſſum; ſi autem in Baptiſmate debitam formam non invenerint obſervatam, non differant pueros baptizare.

II. *De Cuſtodia Euchariſtiæ.*

Statuimus ut in cunctis Eccleſiis, Baptiſmus, Chriſma, & Euchariſtia ſub Fideli cuſtodia, clavibus adhibitis, conſervetur, ne poſſit ad illa temeraria manus extendi; pellæ quoque Altaris vaſa, corporalia, & veſtimenta Miniſtrorum, munda & nitida conſerventur: nimis enim videtur abſurdum in ſacris Sacerdotes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis.

III. *De conſacratione Eccleſiæ.*

Eccleſiam, aut Cimiteriam, per ſanguinis aut ſeminis humani effuſionem, aut per excommunicati corporis tumulationem, violatum, ſive pollutum, per alium quam per Epiſcopum reconciliari non poteſt, cum ea quæ ſunt Epiſcopalis ordinis, non niſi ab Epiſcopo valeant emendari.

IV. *De Pœnitentia.*

In confeſſionibus audiendis maximam adhibeant diligentiam Sacerdotes, ita ut a pœnitente uſitata peccata & communia ſigillatim; inuſitata vero tantum per quoſdam; circumlocutiones caute perquirant, ne inexpertis detur materia quod ante neſcirent perpetrandi. Caveant autem omnino Sacerdotes ne verbo, aut ſigno, aut alio modo prodat aliquatenus peccatorem ſed ſi prudentum conſilio indiguerit, illud abſque omni expreſſione perſonæ cautæ perquirant quoniam, qui peccatum inpœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum. Verum quia, quidam Confeſſores, etſi perſonam confitentis non exprimant, circumlocutionibus tamen confitentium, & peccati circumſtantiis ſub quadam generalitate indiſcrete publicant confitentem; ſtatuimus igitur, ut nullus Sacerdos expreſſa religione, conditione, ſeu ſtatu alicujus, peccatum recitet pœnitentis; immo nec peccati qualitas locus, ſeu vicinia perpetrati facinoris ſpecificetur ullo modo, cum ex hujuſmodi circumlocutionum indiciis, auditoris induſtria perſonam interdum eliciat peccatoris, & ex ſpecificatione peccati humana fragilitas ad perpetrandum ſimilia forſitan provocetur.

Prohibemus etiam, ne quis Sacerdos ab uno ſibi confitente de aliorum peccatis, nominibus expreſſis, inquirat, & ne Miſſas, quas pœnitentibus procurandas injunxerit, celebrare præſumet, ne pro his fiet aliquod Tricenarium, vel annuale.

Et quia plerumque infirmus ſua confiteri peccata, propter multorum præſentiam, erubeſcit id a Sacerdotibus, præcipimus diſtrictiſſime obſervari, ut prius familiariter & ſecrete audiat confeſſionem infirmi, ſi mortis periculum non obſiſtat, & poſtea ad eum deferat cum devotione, habitu, & reverentia condecentibus Euchariſtiam ſalutarem.

Sunt autem tria peccata, quæ in ſatisfactionibus injungendis ſunt Domino Apoſtolico reſervanda, ſcilicet in Clericos, vel quoſcumque Religioſos injectio manuum violenta. Eccleſiarum, vel religioſorum locorum incendia, & ſimonia in ordine perpetrata.

Inſuper, quia in pœnitentiis injungendis quidam caſus frequenter emergunt; qui etiam diſpenſationem Epiſcopalem requirunt, in illis caſibus ad Epiſcopum, vel ſuos pœnitentiarios habeatur recurſus, ſive occulti fuerint, ſive etiam manifeſti. Statuitur itaque, quod Sacerdotes, in ſatisfactionibus injungendis, majora pœnitentiariis Epiſcopi reſervent, utpote homicidia; Sacrilegia; incendia; peccata contra naturam; concubitus perſonarum conventualium, præſertim in Sacris ordinibus conſtitutorum, inceſtus, videlicet cum conſanguinea vel affine, compatre vel commatre, vel cum ea, quæ votum caſtitatis emiſit, injectio manuum in parentes, oppreſſiones parvulorum per negligentias parentum, in igne, in aqua,

natos amittentium; veneficia, perjuria solemnia; fidei fractiones; votorum transgressores, simoniam; adulteria; hæreses; apostasias; maleficia eorum, qui maleficiunt conjuges, ut non possint coire, vel qui procurant sterilitatem mulierum, vel abortum; falsarios, qui sigilla, literas vel monetam falsificant, falsa instrumenta conficientes; falsum testimonium reddentes, blasphematores Dei, & Sanctorum; sortilegos, ac majori excommunicatione in hujus modi peccatis vel similibus detentos, mittant Sacerdotes ad Episcopos, vel eorum pœnitentiarios, absolvendos, nec absolvant, præterquam in mortis periculo, absque loci Episcopi licentia speciali, declarantes quod illis quibus hoc committitur, potestatem non haberent illud aliis personis committendi.

ANNO CHRISTI 1246.

V. *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.*

Cum beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferri debeant, quidam Ecclesiarum Patroni, personis idoneis prætermissis, tales ad ea præsentant, qui portione aliqua debent esse contenti, reliquum suis usibus totaliter applicando; unde ad hujusmodi mali perniciem extirpandam statuimus quod si tales Clerici se de portione debita spoliari videntes ad suum Episcopum querelam non detulerint, auctoritate hujus Concilii sint ipso jure suspensi, & nihilominus eisdem Ecclesiis spolientur per Episcopum, & Presbytero idoneo provideatur de ipsis; si vero ad superiorem super hoc detulerint quæstionem, ipse patronum per censuram Ecclesiasticam ab hujusmodi molestatione compescat, adiicientes nihilominus quod si in hoc pertinax patronus extiterit, ad præsentationem talis Ecclesiæ de cætero nullatenus admittatur.

VI. *De concessione Prebendæ.*

Statuitur quod nullus in Canonicum eligi debet, beneficio non vacante, nisi justa necessitas, vel utilitas Ecclesiæ id requirat, & tunc unus tantum, & non plures assumi debent; si qui autem contra hoc statutum præsumpserint quod factum est, ipso jure non teneat, & Episcopus tot prebendas conferre potestatem habeat, quot personæ fuerint sic assumptæ.

VII. *De institutionibus.*

Statuimus ut nullus Clericus ad curam animarum ab Episcopo, vel suo Vicario admittatur, nisi prius juraverit, quod nullam in acceptione beneficii, ad cujus curam est præsentatus, commiserit simoniam, quodque bona ejusdem beneficii non velit alienare, sed alienata pro posse etiam recuperare.

VIII. *De Parochiis.*

Valde gravis, & clamorosa querela nostris auribus inculcatur, quod nonnulli suis juribus & finibus non contenti, Parochianos alienos præsumunt recipere temere ad Divina, contra Canonicas sanctiones, & cum dictorum Parochianorum judices non existant, nec ligandi nec solvendi in eos habeant potestatem sed tamen judices faciendo in foro spirituali periculose absolvunt & ligant pro suæ libu voluntatis, sicque illud salutiferum peregrinationis viaticum, quod non proficit, nisi prius a criminum labe mundatis, in animarum suarum & eorum, qui id non dijudicantes indiscrete recipiunt, perniciem conferre non verentur; sicque dicti eorum Sacerdotes, qui curam recipiendo eorum, suam pro ipsis animam obligarunt, dum sibi taliter subtrahuntur, statum ignorantes ipsorum, non possunt, quod in eis ægrotum est, sanare, nec consolidare infirmum, nec alligare confractum, & sic dum curationis necessariæ non adhibentur remedia, invalescentibus morbis, usque ad interemptionem læsio dilatatur, unde Sacerdotes nullam possunt de sic pereuntibus animabus superno judici reddere rationem. Nos, Sanctorum Patrum, qui Ecclesiæ Sancti Dei, & personis Ecclesiasticis, terminos, quos non licet transgredi, posuerunt, statuta considerantes: hujus sacri Concilii approbatione, universis Sacerdotibus tam religiosis, quam sæcularibus cujuscumque ordinis, conditionis, seu status existant, in Civitate, Diœcesi, vel provincia Moguntina degentibus, sub debito juramenti, quod Episcopo in receptione Sacerdotii præstiterunt, ac sub interminatione Divini judicii firmiter inhibemus: ne quis alienum Parochianum, cujus cura per Episcopum, vel loci Archidiaconum, seu ejus super eo Vicarium alteri est commissa, præsumat, excepta necessitatis causa, quæ legem non habet, ad confessionem recipere, vel ei aliquod Ecclesiasticum Sacramentum porrigere, nisi petita desuper, & obtenta licentia proprii Sacerdotis; cum certi & indubitati juris existat, talem a tali crimine solvi non posse aliquatenus vel ligari; & ex hoc ordine Ecclesiæ per majores & Sanctos Patres per divinam providentiam institutum confundi; quod per universos Plebanos singulis diebus Dominicis, & festivis, coram suis pebibus præcipimus publicari.

IX. *De Vicariis.*

Statuimus ut rectores Ecclesiarum sufficientem assignent portionem ipsis Vicariis de bonis Ecclesiarum Parochialium suarum, ut de eis congruam sustentationem habere, & jura Episcopalia, & Archidiaconalia persolvere, ac alia onera incumbentia valeant supportare; alioquin hujus sacri Concilii autoritate decernimus dictos Rectores, huic statuto non parentes, dictis Ecclesiis spoliandos.

Volumus insuper, quod ipsi Vicarii, passim singulis annis mutari non debeant ad voluntatem ipsorum Rectorum, qui hoc propter turpem questum facere satagunt; sed tunc demum, cum ipsi Rectores, actu Sacerdotes existentes in ipsis Ecclesiis per se deservire volunt, vel alias ipsi Vicarii ex causis legitimis merito sunt removendi.

X. *De Clericis peregrinis.*

Peregrini, & ignoti Clerici nullo modo recipiantur ad ordines vel officium, nisi litteris Episcoporum suorum commendatitiis, & dimissoriis sint muniti.

XI. *De Cohabitatoribus.*

Ad abolendam de domo Domini consuetudinem, vel potius corruptelam, seu temeritatem, qua Clerici, qui signum pudicitiæ ostendere

dere deberent Laicis, quibus sunt positi in exemplum, in argumentum suæ finalis impudicitiæ, fructus præbendarum suarum concubinis & spuriis legant in ultima voluntate, contra quas rigor Ecclesiasticus debet exerceri; quare sub anathematis vinculo prohibemus ne de cœtero Clerici gratiæ anni abutentes, cum de rebus Ecclesiæ nullum possint condere testamentum fructus beneficiorum Ecclesiasticorum spuriis, vel concubinis dimittant qui vero contra hanc inhibitionem venire præsumpserint, in signum suæ perditionis, Ecclesiastica careant sepoltura, & quibus taliter fructus legantur, careant ipso jure: qui autem testamentum tale, post mortem defuncti, manutenere volunt, & per quorum manus personis illis fructus præbendæ fuerint ministrati excommunicationis mucrone percellantur.

ANNO CHRISTI 1246.

XII. *De Clerico excommunicato.*

Cum scriptum sit in lege Domini, quod quicumque non obtemperasset Sacerdotibus, is extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio cervice subjecta expiabat contemptum, & in primitiva Ecclesia inobedientes, ejecti de Ecclesia rapido ore dæmonium trahebantur; multi nomine Sacerdotes, censuram Ecclesiæ contemnentes excommunicati, vel suspensi a Prælatis suis exigentibus eorum culpis, & immemores, quod Episcopis, & Prælatis clavium Cœlorum sit collata potestas attentare sibi interdicta ministeria non verentur; contra quos volumus rigorem Ecclesiasticum exercere. Statuimus igitur, ut tales sine spe restitutionis ab officiis deponantur, & infames, ac detestabiles facti, de cetero ad beneficia Ecclesiastica nullatenus admittantur, nisi per pœnitentiam approbatam, & conversationem laudabilem Sedis Apostolicæ meruerint gratiam obtinere.

XIII. *De his, quæ vi, metusve causa fiunt.*

Quia Clerici, & Religiosi nonnulli non attendentes quantum sit obedientiæ bonum, quod victimis antefertur, & quod peccatum est ariolandi nolle acquiescere, & scelus idolatriæ obedire non velle amissionem rerum suarum, & corporis vanum metum allegant frequenter, ne cogantur mandatum ex Prælatorum, qui cum prosperitatis tempore multa dona, & laude vixerint de patrimonio crucifixi imminente Ecclesiæ necessitatis articulo pro honore illius adversitates, substinere detrectant qui cum foret summe dives ad obediendum Deo Patri pro salute nostra onus subiit voluntariæ paupertatis, ex quo propter contemptum clavium Ecclesiæ, nervus Ecclesiasticæ disciplinæ dissolvitur, & animas miserabiliter periclitari contingit; Sacra hujus Concilii præhabita deliberatione, statuimus: ut nulla rerum perditio, aut metus corporis, nisi legitime probatus, subditi inobedientiam, mandatum Prælati non exequentis seu exequi non curantis, valeat excusare, adeo quod si metus corporis, non simplici proprio juramento, sed legitimis coram eo, a quo mandatum subditus recepit, ostensus fuerit documentis, nihilominus loco cedet, ne notam transgressionis incurrere videatur; in his autem, quæ in non faciendo consistunt, utpote dum mandatur *non communicare excommunicatis, non celebrare coram interdictis*, ac alia ejusmodi, nullus omnino nec rerum nec corporum, quocumque modo probatus metus excuset, cum pro nullo metu quis debeat peccatum mortale committere, quod ex inobedientia insurgere, Sanctorum Patrum auctoritatibus comprobatur.

ANNO CHRISTI 1246.

XIV. *De crimine falsi.*

Quia plerique Falsarii, literis apostolicis, & aliorum Prælatorum Testimoniis, asserunt se munitos; hoc igitur decrevit Sanctum Concilium statuendum: ne tales, qualicumque scripta deferant, a Clericis, vel a quibuscumque personis Ecclesiasticis recipiantur in Ecclesiis, vel in domo, nisi prius ipsorum litteræ per Diœcesanum ipsum, si ejus copia possit haberi, alioquin per Capitulum Ecclesiæ Cathedralis examinatæ fuerint diligenter, & nisi ipsius Episcopi, vel capituli litteris testimonialibus sint muniti, & hoc ideo, quod per Sacerdotes simplices non potest de facili litterarum veritas, vel falsitas indagari; sane quæcumque persona contra hanc formam tales receperit, ipso jure, ab officio & beneficio per triennium sit suspensa, alia pœna nihilominus juxta superioris arbitrium punienda.

Illud quoque, præsentis autoritate Concilii, huic capitulo duximus annectendum, utsi tales sine dictis literis testimonialibus petitiones suas præsumpserint promovere, plebani Civitatum, & Villarum, & alii ad quos venerint, eos cum rebus eorum per sæculare judicium... *Reliqua desunt.*

Hæc Schannatus descripsit,
Sed unde non addidit.

CONCILIUM ILERDENSE

Præside Petro Albalatio

Archiepiscopo Tarraconensi celebratum anno Domini MCCXLVI.

ANno 1246. habitum est aliud Concilium apud Ilerdam ob causas Berengarii Episcopi Gerundensis, cui Rex Aragonum linguam abscindi jusserat, ob hoc quia Innocentium IV. Papam secreto monuerat, injuste Regem facere, qui Violantem Reginam repudiaret. Missi ab Innocentio in Cataloniam Episcopus Camerinus, & Desiderius presbyter cum potestate reconciliandi Regem (nam is excommunicatus erat, & terra ejus interdicto suppositа); modo pœniteret. Ilerdæ Conventus Episcoporum & procerum est habitus. Affuerunt

Ar-

ANNO CHRISTI 1246.

Archiepiscopus Tarraconensis, Episcopis Cæsaraugustanus, Urgellitanus, Oscensis, & Helenensis. His præsentibus Rex verbis gravissimis castigatus, criminis venia donatus est ea lege, si monasterium Benefacianum, quod in Dertusæ montibus ante 20. annos post captum Morellam oppidum inchoatum, tardis incrementis surgebat, magnis ipse molibus, & cæmentis A ad culmen usque suo sumptu perduceret, & argenti pondo 140. circiter annua tribueret, unde Cistercienses in eo Monachi vitam sustentarent. Alia quoque addita. Accepit Rex conditiones, & 14. Kal. Novemb. Ilerdæ solenni cæremonia piorum societati, templisque redditus est. *Balluzius lib. 4. Marcæ Hispanicæ.*

ANNO CHRISTI 1246.

CONCILIUM ARELATENSE

Anno MCCXLVI. III. Idus Decembr. celebratum.

Hujus concilii nulla, quod quidem sciam, extat memoria, nisi quæ superius habetur ad B *calcem alterius Arelatensis concilii, anno MCCXXXIV. habiti.*

FRAGMENTUM STATUTORUM ECCLESIÆ NIVERNENSIS,

Anno 1246. editorum.

Ex chartario ecclesiæ Nivernensis.

I.

NON curantes, & pœna temporalis seu pecuniaria magis metuitur quam æterna, ut quos spes de bono aut timor de malo futuro non excitat ad servicium Deo debitum exhibendum, saltem coerceat beneficii subtractio temporalis, auctoritate qua fungimur duximus injungendum, ut qui circa lectionem vel responsorium, seu aliud per scripturam tabulæ, aut per mandatum illius qui officium injungendi habebit, quod sibi injunctum fuerit, neglexerit adimplere, & pœna temporali hujusmodi defectum facientibus puniatur, & ab ipso sine relaxatione lavetur pœna pecuniaria, quæ pro hujusmodi defectibus D noscitur instituta, nisi super hoc infirmitate corporali seu alia ratione probabili excusetur: quam si solvere contradixerit, omnes quotidianas distributiones amittat, quousque ad arbitrium capituli contemtum hujusmodi curaverit emendare.

II.

Et quia domus Dei domus orationis est, Domino attestante, & sic non debet aliis usibus deputari, districtius inhibemus ne in ecclesia Nivernensi merces aliquæ aliquo die vel tempore vendantur, & quicumque canonicus, quemquam vendentem in ecclesia merces invenerit, eidem ejiciendi ab ecclesia venditorem cum mercibus concedimus potestatem.

III.

Item, quia in festo stultorum, scilicet Innocentium, & anni novi in ecclesia vestra multa fiunt, sicut intelleximus, inhonesta, sub pœna excommunicationis inhibemus districte, ne talia festa irrisoria de cetero facere præsumant, firmiter injungentes, ut sicut aliis diebus solemnibus servitium divinum faciatis; ita in his festis cum omni honestate & devotione facere procuretis.

IV.

Inhibemus etiam sub eadem pœna, ne prisiones canonicorum, clericorum, seu servientium ipsorum quas inter Pascha & Pentecosten aliqui vestrum usu detestabili quandoque faciunt, de cetero faciatis, quod si quis facere præsumpserit, tamquam excommunicatus ab omnibus evitetur: quousque super hoc satisfecerit, & absolutionem obtinuerit ab eo, qui absolvendi habuerit facultatem.

nes nihil aliud fuisse credo quam lucrudias quasdam captationes canonicorum e quibus se pecunia soluta expediebat.

V.

Sub eadem pœna similiter inhibemus, ne quando legitur biblia, secundum ecclesiæ vestræ usum, clerici aliqui seu canonici merrementa, (*a*) seu ligna aliena comburere præsumant: quod si præsumserint, tamquam excommunicati similiter evitentur, quousque damnum passo satisfecerint, & obtinuerint se absolvi.

(a) Materiam ligneam ædificandis domibus aptam. Vide Cangium V. *Materiamen.*

VI.

Et ut clerici a laicis, non tantum & moribus, sed etiam habitu distinguantur; districtius inhibemus, ne canonici seu clerici de choro casu aliquo clericis indecentia deferant indumenta, aut aliquis prædictorum parvis dumtaxat exceptis, per villam Nivernensem præsumat sine vestimento de choro, aut cappa incedere, vel mantello.

VII.

Ad hæc quia, sicut audivimus, quidam vestrum missas quandoque privatas in ipsa majori ecclesia in mane audiunt in habitu sæculari, & absque vestimentis de choro contra omnem decentiam, & ecclesiæ honestatem? quam districte possumus inhibemus, ne quis canonicus seu clericus de choro ab ortu diei quousque hora sexta fuerit decantata, & a pulsatione nonæ usque post finitum completorium sine habitu de choro per ipsam ecclesiam transitum facere audeant, aut in ipsa aliquatenus immorari. Quod si quis præsumserit; si canonicus est, X. solidos; si clericus V. solidos pro unoquoque excessu fabricæ ipsius ecclesiæ sine relaxatione aliqua solvere teneatur, & quousque hujusmodi pœnam solverit rectori fabricæ a

perceptione anniversariorum & omnium distributionum ecclesiæ hac constitutione se noverit privatum. Quod si quis in consuetudine duxerit, pœnæ subjaceat graviori. ANNO CHRISTI 1246.

VIII.

Item, licet illis qui beneficia pravis conferunt & indignis, diversæ pœnæ a jure & canonibus infligantur; quia tamen in collatione beneficiorum capitulum ipsum audivimus quam plurimum deliquisse, non sine salutis propriæ detrimento & scandalo plurimorum; sub obtestatione divini judicii, quanta districtione possumus, vobis duximus injungendum, quatenus cum beneficia aliqua conferre habueritis, sufficientibus personis & honestis eadem conferatis, & talibus etiam quæ in ipsis beneficiis velint & valeant personaliter residere.

IX.

Et quia intentionis nostræ non est, impor- tabile quid, sive grave cuiquam imponere, qui omnes potius vellemus solvere quam ligare, concedimus quod si quis vestrum occasione hujusmodi statutorum excommunicationis, suspensionis, seu interdicti sententiis noverit se ligatum, postquam satisfecerit & ea restituerit, quæ contra statuta vestra præsumpserit usurpare, per decanum, seu hebdomadarium ecclesiæ ab hujusmodi sententiis absolvatur, quibus absolvendi tales ex gratia concedimus facultatem. ANNO CHRISTI 1246.

X.

Hæc autem ad præsens in ecclesia vestra ordinavimus, & vobis injungimus observanda; ad corrigenda & ordinanda alia processuri, cum vacare poterimus & viderimus expedire. Datum Bitur. IX. Kalendas Julii, anno Domini M. CC. XLVI.

ANNO CHRISTI 1247.

CONCILIUM COLONIENSE

ANNO CHRISTI 1247.

PRO ELECTIONE IMPERATORIS,

Anno MCCXLVII. celebratum.

De eo Abbas Stadensis in Chronico hæc habet ad an. 1247. Papa Henricum Landgravium mortuum intelligens, Petrum Capucium de aureo velo Diaconum Cardinalem misit in Teutoniam, qui evocatis Archiepiscopis & Episcopis, quos potuit, Concilium prope Colo- niam celebravit festo Michaelis: & feria quinta post Michaelis Willelmus frater Comitis Hollandiæ a quibusdam Episcopis & Comitibus in Regem Romanorum ad gubernandum Imperium est electus.

Ex Card. de Aguirre Concil. Hispan. tom. 3. p. 504.

CONCILIUM[a] TARRACONENSE

PRÆSIDE PETRO ALBALATIO

Archiepiscopo celebratum.

Anno 1247. septimum Concilium Tarraconense celebravit Petrus Albalatius Archiepiscopus, in quo prohibitum est, ne donationes beneficiorum Ecclesiasticorum occulte fiant; quod statutum antea fuerat anno 1239. in primo ejusdem Archiepiscopi Concilio. *Baluz. lib.* 4. *Marcæ Hispan.*

STATUTA SINODALIA ECCLESIÆ CENOMANENSIS

An. 1247. Ex Marr. Vet. Mon. t. VII. p. 1369.

ANNO MCCXLVII. EMENDATA.

Ex vetere codice monasterii sancti Germani a Pratis.

Incipit liber Synodalis secundum usum ecclesiæ Cenomanensis.

Ex Suppl. Manst pag. 1126.

DIE Dominica præcedenti synodum sacerdotes, qui capellanos non habent in suis parochiis, diligenter inquirant publice in ecclesia, si qui sint infirmi in parochia. Feria subsequenti, seu antequam iter arripiant, eos visitent etiam non requisiti, & quicquid necesse fuerit ad salutem animarum procurantes, nihilominus visitationem eorum . . . . . quam facere solent per capellanos vicinos in aliis ecclesiis remanentes.

Præcipitur ut omnes veniant ad synodum, maxime curam animarum habentes; & si inevitabili necessitate detenti fuerint, mittant capellanum suum aut clericum loco sui; & in eundo & redeundo honeste ambulent, & honesta quærant hospitia, & in eis circumspecte se

(a) Hujus Concilii decretum invenies in Concilio Tarracon. anni 1329.

se habeant, ne ſtatus clericorum vertatur in opprobrium populo & contemtum, & qui ex cauſa remanſerit, eam decano, & decanus epiſcopo ſtudeat intimare.

Præcipitur ſacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis, quod a tempore pulſationis ſynodi, omni occaſione poſtpoſita, jejuni & induti ſuperpelliciis, & ſtola cum libro ſynodali majorem eccleſiam vel locum ſynodi intrare feſtinent: ceteri autem perſonatum habentes vel vicarium, ſuperpelliciis tantum, & abbates cappis ſint induti.

Incipit prima pars.

De Trinitate. De Incarnatione. De ſacramentis, ſcilicet de baptiſmate cum particulis ſuis. De confirmatione. De pœnitentia cum particulis ſuis. De ſacramento altaris cum particulis ſuis. De conjugio cum ſuis particulis. De extrema unctione. De ordinibus. Ne venalia proſtituantur eccleſiæ ſacramenta. De ſeptem vitiis capitalibus. De ſobrietate. De jejuniis. De feriis.

De Trinitate

In fide Trinitatis & Incarnationis & ſeptem ſacramentorum, & in ſeptem operibus miſericordiæ, quæ ſeptem vitiis capitalibus opponuntur, populum tam majorem quam minorem ſacerdotes ſtudeant inſtruere diligenter. De Trinitate docere tenentur ad minus, quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt tres perſonæ; & illæ tres perſonæ ſunt unus Deus, & una perſona non eſt alia.

Dicatur autem ſæpe laicis, ut citra iſtum vel alios articulos fidei, aut citra ſacramenta non quærant rationem, vel quomodo, vel quare ita ſit; quia ſit; quia tanta eſt ſubtilitas fidei, quod ea quæ ſubſunt fidei, non poſſunt intellectu comprehendi, nec expedit: quia fides non habet meritum, cum humana ratio probet experimentum. Credant igitur omnia firmiter ſine hæſitatione, quæcumque catholica fides aſſerit, quamvis non intelligant, majorem fidem adhibentes teſtibus fidei, quam oculis carnis, qui poſſunt decipi. Teſtes fidei ſunt apoſtoli, martyres, confeſſores, virgines, quorum plurimi pro teſtimonio fidei diverſis cruciatibus ſunt afflicti & probati inventi ſunt; quis & in vita eorum & poſtea, propter eorum tormenta, divina potentia mortuos ſuſcitavit, cæcos illuminavit, contractos erexit, & ſanavit infirmos.

De Incarnatione.

Circa fidem Incarnationis docere debent presbyteri, & maxime infirmos quando communicant, veri Dei Filium pro redemptione humani generis carnem aſſumſiſſe in beata Virgine, de carne ejusdem Virginis, non humana, ſed ſancti Spiritus operatione; & qui prius erat Deus tantum, factus eſt in ea verus homo & verus Deus: & eumdem de Virgine natum eſſe, virginitate integra manente in conceptione, partu, nativitate: unde, propheta, *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*. Pluvia enim deſcendens in vellus, vel extracta a vellere, illud non corrumpit, ſed mundius facit. Et eumdem conſputum, alapis cæſum, flagellatum & multipliciter irriſum, in cruce mortem A viliſſimam ſuſtinuiſſe. Eumdemque ad inferos in anima deſcendiſſe, ut animas ſanctorum ibidem detentas educeret; & in corpore jacuiſſe in ſepulcro; & eumdem in eadem carne glorificata tertia die a mortuis reſurrexiſſe: per quem nos omnes in carne quam gerimus, reſurgemus; boni in carne glorificata, mali in carne corrupta: unde Apoſtolus: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*. Et eumdem quadrageſimo die ad cœlos aſcendiſſe, & quinquageſimo Spiritum ſanctum Apoſtolis, ſicut prædixerat, miſiſſe. Et eumdem venturum ad judicium, & redditurum unicuique ſecundum opera ſua, bonis vitam æternam, malis autem ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. ANNO CHRISTI 1247.

De baptiſmo.

De baptiſmo docere debent presbyteri, quod in ſacramento baptiſmi conſiſtit ſalus omnium; in ſuſceptione baptiſmi conſiſtit ſalus puerorum, quia ſine baptiſmo non ſalvantur. Qui vero habent uſum liberi arbitrii, in propoſito & ardenti voluntate ſuſcipiendi illud, ad hoc laborando quantum in ſe eſt, ſine ſuſceptione ſalvari poſſunt adulti.

Baptiſmus cum omni reverentia & honore celebretur, & cum magna cautela, maxime in diſtincta prolatione verborum, in quibus virtus ſacramenti conſiſtit, ſcilicet: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*. Et in Romano ſub hac forma doceant presbyteri frequenter laicos debere pueros baptizare, etiam patrem & matrem pueri in ſumma neceſſitate. Laici tamen puero non imponant nomen. Forma autem verborum prædicta ab eo qui baptizat integre, ordinate, continue, ſine interpoſitione aliqua proferatur. Interrogetur autem laicus, qui puerum baptizavit, diligenter a ſacerdote, quid dixerit, quid fecerit; & ſi invenerit eum modo debito baptizaſſe, allato puero ad eccleſiæ fores, nomen ei imponatur & ſuppleatur quod deeſt, pabulum ſalis benedicti, & aurium linitio cum ſaliva: exorciſmi tamen ſuper puerum non dicantur. Super fontes autem fiant omnia quæ ſolent fieri, ſola immerſione excepta. Si vero dubium fuerit in qua forma verborum puer fuerit baptizatus, item * ſacerdos omnia faciat, dum tamen immergens dicat: *Si tu non es baptizatus, ego baptizo te in nomine Patris*, &c. Et iſtud ideo apponitur, ne baptiſmus, qui ſemel tantum recipi debet, videatur aliquatenus iterari; quod & de ſacramento confirmationis tenendum eſt docendus. Ad elevandum vero puerum de ſacro fonte tres tantum patrini recipiantur.

* f. iterum

De confirmatione.

De confirmatione doceant ſacerdotes, quod ſi digne recipiatur, in ea Spiritus ſanctus recipitur, in bono confirmans eum qui recipit, & roborans contra diabolum & peccata. Jejuni debent eſſe, & contriti de peccatis, & ea confiteri ſi tempus habent, vel poſtea quam cito poterint: aliter enim indigne ſuſcipiunt, ſi prius erant in mortali.

Sacerdotes ſcientes venturum epiſcopum ad dedicationem eccleſiarum vel cimiteriorum, citra ſe uſque ad duas leucas moneant populum ſuum diligenter, etiam per hoſpitia, ſi

opus fuerit, ut omnes conveniant coram episcopo ad audiendum sermonem, maxime qui consilio episcopi indigent; & confirmandi bendellos secum deferant latos, mundos & satis longos. In crastino vero presbyteri veniant, populos cruce præcedente, & tunc celebrent summo mane.

ANNO CHRISTI 1247.

De pœnitentia.

De pœnitentia, quæ consistit in contritione, confessione & satisfactione, doceant sacerdotes, quod sicut puero non est salus sine baptismo, ita adulto, qui fœdus baptismi violavit, non est salus sine pœnitentia ad minus contritionis. In proposito & ardenti voluntate confessionis & satisfactionis salvari possunt adulti: sed vera pœnitentia liberat hominem a diabolo, mundificat a peccato, & reconciliat Deo.

Præcipitur quod sacerdotes episcopo vel pœnitentiariis suis semel similiter in anno confiteantur: permittit & episcopus quod possint interim aliis sacerdotibus confiteri.

Clerici antequam ordines recipiant, episcopo vel pœnitentiariis discretis confiteantur, ne forte per simplicitatem confessoris irretiti irregularitate ordinentur.

Theodorus. Sacerdos autem quilibet si inebrietur per ignorantiam, septem dies pœniteat in pane & aqua: si per negligentiam, quindecim dies: si per contemptum, quadraginta dies; si diaconus, triginta dies pœniteat. Reliqui clerici ministri juxta ordinem sui sacerdotis puniantur judicio.

Beda. Si quis vero ea die qua eucharistiam sumsit, per voracitatem aut ebrietatem vomitum fecerit, gravius puniatur.

Theodorus. Si quis in evangelio, vel psalterio, vel rebus aliis furta vel deperdita inquirere præsumserit, quadraginta dies pœniteat.

Ex concilio generali. Doceatur maxime ante quadragesimam, quod omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, a principio quadragesimæ, vel etiam ante, omnia peccata sua fideliter confiteatur, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat, pro viribus adimplere. Si quis autem alieno sacerdoti justa de causa sua voluerit confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille non possit eum solvere vel ligare. Sacerdos autem sit cautus & discretus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati.

De confessione & pœnitentia.

Ad audiendam confessionem eminentem locum eligant sacerdotes, ut communiter possint videri; nec in locis abditis extra ecclesiam recipiant confessiones, nec diaconis committant aliquorum confessiones, etiam parvulorum.

In confessione habeat sacerdos vultum humilem & oculos in terram, ne indiscrete vel frequentius respiciat faciem confitentis, maxime mulieris, & patienter audiat quod dixerit in spiritu lenitatis, & ei pro posse suo plurimis modis persuadeat, ut confiteatur integre, A nude, vere & aperte, & dicat ei aliter non valere. In confessione sibi caveant sacerdotes, ne inquirant nomina personarum cum quibus peccaverunt confitentes, sed circumstantias tantum, quæ possunt aggravare peccatum. Caveat sacerdos omnis, ne verbo aut signo aut alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentiori consilio indiguerit, absque ulla expressione personæ caute requirat, quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumserit revelare, eum non solum a sacerdotali officio decrevimus deponendum, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arcto monasterio detrudendum.

Ex concilio generali. Quia per experientiam certam didicimus pro fornicatione, vel etiam pro majoribus peccatis fere nullam vel minimam pœnitentiam pœnitentibus injungi a sacerdotibus ignorantibus seu negligentibus canonica instituta, præcipimus quod sacerdotes studeant inquirere diligenter & peccata usitata & usitatas circumstantias peccati maxime gulæ, luxuriæ & cupiditatis, quibus genus humanum corrumpitur frequentius & fœdatur.

De vitio gulæ.

Vitium autem gulæ in excessu juxta potum attenditur, quod maxime fit in quinque. Inquirant igitur a pœnitente utrum aliquando excessum fecerit, quærendo cibos nimium sumtuosos vel nimium delicatos, sicut dives qui epulabatur quotidie splendide, & Judæi qui carnes in deserto concupierunt. Item, utrum peccaverunt nimia ciborum & vilium sumtione, sicut Sodomitæ, quorum peccatum fuit ex abudantia panis. Item, utrum sumendo convivio aviditate, sicut Esau. Item, utrum cum nimio apparatu, sicut filii Heli. Item, utrum ante horam, sicut Jonathas: quod si fecerit, moneatur a talibus abstinere, & ut curare contraria contrariis studeat diligenter. Hi siquidem sunt satellites Nabuzardan, qui interpretatur princeps cocorum, qui Jerusalem, idest fidelem animam funditus destruxerunt.

Beda. Inquiratur utrum pœnitens aliqnando ebriatus fuerit, & si per ebrietatem vomitum fecerit, tres dies pœnitere debet sine carne, vino & camisia. Si autem sine vomitu fuit ebrius, pro singulis ebrietatibus quæ turbant statum mentis, solent aliqui etiam periti in jure injungere singula ad minus jejunia in pane & aqua, etiam privatis personis.

Beda. Si quis per nequitiam alium inebriaverit; quadraginta dies pœniteat: quod si ex consuetudine habeat, communione privetur, donec digne pœniteat & emendare promittat. Qui cogit hominem ut inebrietur humanitatis gratia, acerrime puniatur vel corrigatur, & septem dies pœniteat.

De peccato luxuriæ.

Circa peccatum luxuriæ quæratur utrum pœnitens accesserit ad prægnantes, mulieres, seu viduas vel alias, & quæratur numerus illarum cum quibus peccavit: si nesciat numerum, saltem æstimationem dicat quam credit. Quæratur etiam de vicibus, & quanto tempore in peccato fuerit, & quo loco, sacro videlicet vel non sacro; puta in ecclesia vel in cimiterio. De persona utrum sacerdos, diaconus, subdiaconus,

nus, vel monachus. De tempore, utrum in solemnitatibus præcipuis: quod si fecerit, honestum videtur ut in vigiliis sanctorum festorum quæ violavit, jejunet omnibus diebus vitæ suæ in pane & aqua, vel saltem redimat competenter,

Si solutus laicus cum soluta concubuerit, tres annos pœniteat secundum canonum rigorem, secunda, quarta & sexta feriis, cibis jejunando communibus; si cum vidua, quatuor annos. Sed quia fragilitas nostri corporis tanti rigoris non patitur manere censuram, hujus pœnam commutent vel temperent sacerdotes in orationibus vel eleemosynis, vel aliis satisfactionibus, quando & prout viderint expedire: & quando sæpius & negligentius ea peccata commiserit, tanto majus tempus addatur; & modus pœnitentiæ secundum hoc moderamen intelligatur in omnibus pœnitentiis pro quocumque crimine imponendis.

De prostantibus pœnitenti periculum ostendatur. Semper enim forte conjugatæ vel moniales vel a parentibus eorum cognitæ, vel leprosis sæpius se supponunt; per quod accedentes ad eas incurrunt sæpius morbum lepræ. Si aliquis ad tales accesserit, maxime ignotas, tutum est ei infligere pœnam pro adulterio imponendam.

De adulterio.

Quæratur utrum ad conjugatas accesserit, cum quot, quo loco, quo tempore. Si conjugatus solutam cognoverit, ille septem annis pœniteat, quia fœdus conjugii violavit, & illis quinque, secunda & quarta & sexta feria jejunet, habito moderamine prænotato. Si autem conjugatus conjugatam cognoverit, cum constet majus esse peccatum, major & pœnitentia injugatur.

De defloratione virginum.

Quæratur de virginibus defloratis; quot autem defloravit, tot debet maritare si potest, vel alias pauperes mulieres loco earum, vel saltem ipsas corruptas, si indigeant, sustentare, vel ingressum religionis, si voluerint, procurare, injuncta pœnitenti nihilominus pœnitentia, quæ pro simplici fornicatione est sæpius annotata: sin autem, quia eis viam aperuerit ad peccandum timeat quod omnibus peccatis quæ illæ per carnis lubrica perpetrabunt, communicabit.

De sanctimonialibus.

Quæratur si cum sanctimonialibus peccaverit, & eodem modo ut supra: quod si fecerit ad episcopum debet mitti.

De incestu spirituali.

Mulierem quæ a proprio sacerdote cognita est, vel ab alio qui ejus confessionem audivit, vel eam baptizavit, propter enormitatem criminis, maxime si scandalum inde fuerit, ad episcopum esse mittendam. Sed volentes in hac parte linguas compescere detractorum, qui forte dicerent nos istud injungere in gravamen & odium sacerdotum, pœnam injungendam volumus sacerdotibus declarare. Fœmina soluta quæ cum spirituali fornicata fuerit, omnia dereliquat, & res suas pauperibus tradat, & conversa in monasterio, Deo usque ad mortem serviat. Cum autem per fragilitatem sexus rigor ille non valeat animo observari, provideant sacerdotes quibus tales confessæ sunt, ut vino correptionis oleum discrete misericordiæ conjungentes, sic temperent pœnitentiam, ne immensitate ponderis pœnitentes obruantur; neque pro relaxatione indebita igni purgatorio crudelissime relinquantur. Nobis autem videtur tutum esse, ut tales quamdiu vixerint, arctæ debeant pœnitentiæ subjacere. Si autem conjugata fuerit, gravius est peccatum, & gravius puniendum; non jugum matrimonii impediret.

De incestu naturali & regulari.

Quæratur si ad consanguineas suas accesserit vel uxores consanguineorum suorum, vel ad cognitas ab eis, & in quo gradu, proximo videlicet vel remoto, & de aliis ut supra: & tales ad episcopum mitti debent. Item, quæratur si mulierem indebito modo cognoverint, & si cognoverint, quæratur quomodo & quoties, &c. Quæratur si in puerperio, si tempore menstruorum, quod in lege prohibetur, mulierem cognoverint: est enim periculum corporale patris & matris, scilicet periculum, elephantiæ, menstruorum tempore commiscendi: est & prolis periculum, quia ex corrupto semine corruptus nascitur sexus, & semper fere, ut asserunt physici, vel gibbosus vel contractus, vel hujusmodi.

Ex Romano pœnitentiali.

Si quis cum muliere in puerperio concubuerit, decem dies pœniteat in pane, & aqua. Eadem pœnitentia potest ei injungi qui modo indebito uxore sua utitur: in usu etiam naturali eadem pœna potest ei injungi, qui scienter ad mulierem menstruatam accedit. Mulier vero si viro volenti accedere ad eam non revelaverit morbum suum, eamdem pœnitentiam subeat: & si revelaverit, & vir nihilominus accesserit ad eam, mulier minus est in culpa.

Item, quæratur si ad mulierem prægnantem accesserit, & utrum mulier cognita abortivum fecerit, & tunc si ob istam causam evenerit, ad episcopum transmittatur.

Item, quæratur si cum mulieribus tantum peccavit: si dicat cum alio se peccasse quæratur cum qua re, & de aliis circumstantiis ut supra.

De pollutione nocturna.

Quæratur utrum dormiendo aliquando contigit ei pollutio: quod si ex ebrietate vel præcedenti cogitatione illicita evenerit, magis est timendum.

De peccato mollitiei.

Quæratur utrum pollutio ei contigerit etiam vigilando per se solum: si dixerit sic, quæratur utrum ei placuerit; & si hoc; quæratur utrum aliquid fecerit, per quod hujusmodi pollutio compleretur. Si dicat sic, quæratur quid fecerit & quomodo. Cum autem peccatum mollitiei adulterium vincat, consulimus quod cum septem annis pœnitentiæ, singulis septimanis singulæ disciplinæ injungantur.

Item,

☞ Item, quæratur utrum mulierem lascive aspexit, concupivit, tractavit, osculatus sit, nam secundum canones, si quis lingua lascivus fuerit, triduana ei pœnitentia injungatur. ANNO CHRISTI 1247.

Si quis obtrectavit pectus puellæ vel turpitudinem, si laicus sit, tres dies pœniteat: si clericus vel diaconus, si monachus vel sacerdos, a divino officio suspensus viginti dies pœniteat. Scriptum est enim, *neque tetigeris vel obtrectaveris pectus vel turpitudinem fœminarum*.

Item, quæratur utrum aliquando pro aliquo sollicitavit vel peccato alterius consensit, consilium, auxilium vel consensum impendit; utrum coniungatam vel aliam, utrum pro conjugato alio, quomodo & quando, ut supra. Sollicitatores mulierum pro alio, sive consentientes peccato aliorum, secundum quod magis vel minus peccaverint puniantur: & quandoque non minus peccant quam illi qui peccatum operantur,

Quomodo communiendi sunt pœnitentes contra peccatum carnis.

Contra peccatum carnis solent muniri pœnitentes sic, ut dicat ei sacerdos semper labora, & cogita vitare malam societatem & opportunitatem peccandi, quod est vitare loca & personas cum quibus vel per quas peccare possumus vel solemus, *quar l'aise fait le laron*.

De sortilegiis.

Quæratur utrum sortilegia fecerit: quod si fecerit, de sacramentis ecclesiæ vel dæmonibus immolans vel dæmonia invocans, ad episcopum mittatur. Si peccaverit ad fascinum, vel qualescumque precantationes fecerit, excepto symbolo & oratione dominica, vel alia oratione canonica, & qui cantat, & cui cantatur, tres quadragesimas pœniteat.

De cupiditate, & quomodo, & quibus facienda restitutio.

Quæratur a pœnitente utrum habuerit rem alienam injuste, videlicet per furtum, rapinam, usuram: & si hoc, caveat sacerdos ne missas vel eleemosynas pro restitutione injungat. Est enim regula, quod non nisi domino facienda est restitutio, si de facili possit inveniri. Ad hoc ut fur vel raptor possit absolvi, mortuo, vel non invento vero domino, restituendum est proximioribus personis, ut uxori, quod justum fuerit, vel filiis, vel patri, vel matri, & illis præcipue qui constituti sunt hæredes testamenti, si qui sunt, vel eis qui ab intestato succedunt. Si vero verus dominus est, vel non possit inveniri cui debeat restitui tunc demum ad consilium ecclesiæ eroganda sunt pro illis qui jus in rebus male habitis habuerunt; quod & similiter de inventis faciendum est. Non autem sufficit circa male habita restitutio sola, sed condigna injungi debet pœnitentia pro peccato. Quando certus est verus dominus & inventus, injungendum est læsori ut ei si potest satisfaciat immediate, si audeat revelare; sin autem, mediante sacerdote vel alio bono viro, nemine nominato; vel compenset læsor per servitia quæ poterit animo restituendi. Si vero grave sit damnum, & læsor non possit solvere, debet petere veniam personaliter a damnificato, si audeat; alioquin hoc faciat aliquo bono viro mediante, nemine nominato, & ipse satisfaciat jejuniis & orationibus & corporalibus disciplinis, habens in proposito, quod omnia restituet, si ad fortunam venerit pinguiorem. ANNO CHRISTI 1247.

De eo qui alieno damno consensit.

Quæratur si alieno damno consensit, vel simplicitate vel negligentia, non impediens lædentem cum posset, vel lædendum non præmuniens. Quod si fecerit, distinguendus: est quod si consensit tantum, non videtur teneri ad restitutionem damni; sed ad satisfactionem pœnitentiæ pro negligentia: inducat tamen læsorem prout poterit ad satisfaciendum læso. Si vero præbuerit consilium vel auxilium vel favorem in damnum alterius, vel partem habuerit, damnum tenetur restituere in solidum, nisi quantum noverit ab aliis esse solutum,

Item, quæratur utrum illi qui injuste rem suam detinebat damnum intulerit: quod si fecerit, si æquale fuerit, poterit sustineri, de dolo tamen pœniteat; si majus est, quod supereſt reddat.

Item, quæratur utrum ille stupri causa aliquid habuerit ab conjugata; & si hoc, marito reddat; si a persona religiosa, ecclesiæ suæ reddat; si ab ancilla de rebus domini sui, ipsi domino est reddendum. Diligenter attendat sacerdos, cujus officii sit pœnitens; nam si mercator vendens vel emens ad mensuram, prohibendus est ne habeat pondus & pondus, mensuram & mensuram; & si habuerit, vel falso mensuraverit, tenetur restituere, si sciat quibus. Similiter de omni male acquisito restitutio facienda est, ut dictum est. Si autem nesciat quibus propter minutias multas satisfaciat ecclesiæ vel ecclesiasticis, quorum illos credit parochianos, vel pauperibus tamen ad consilium ecclesiæ. Similiter de aliis officis faciendum est suo modo.

Theodorus. Si quis per necessitatem furatus fuerit pecus vel cibaria per famem, vel vestes per nuditatem pœniteat hebdomadas tres: si reddiderit, non cogatur jejunare. Si quis furtum capitale commiserit, videlicet quadrupedia tulerit, vel capsas effregerit, septem annos pœniteat secundum canones; & quod furatum est reddat. Si vero de minoribus semel aut bis furtum fecerit reddat quod tulit, & unum annum pœniteat.

Quomodo familia usurarii possit uti male acquisitis.

Dicendum est filiis fœneratorum & omnium raptorum, quod de hujusmodi arctissime debent vivere prout possunt, & reddere damnificatus, etiam insciis dominis: & si pinguior eis obvenerit fortuna, reddere debent etiam de proprio quantum possunt & ad eos pervenerit. Consulatur militibus quod largas eleemosynas & spontaneas faciant, vestiendo pauperes, ecclesiis conferendo; quod sanctius videretur, si damnitur vel potius redderetur. Item, quæratur utrum pro cupiditate aliqua peccaverit, vel fidem violaverit, vel ecclesiam vel cimiterium; quod si hoc, ad episcopum mittatur.

De

De ira.

Quæratur utrum ex ira alicui conviciatus fuerit, vel in triſtitiam mentis inciderit, quæ mortem operatur æternam, vel aliquem odio habuerit: quod ſi fecerit, moneatur diligenter ut deponat rancorem. Debita vero vel querelam non tenetur remittere; ſed petere poteſt pacato animo coram judice.

Ex concilio Rothomagenſi. Si quis alium per iram percuſſerit & ſanguinem effuderit; ſi laicus eſt, viginti dies pœniteat: ſi clericus, triginta. Illi autem qui gradum habuerint ſublimiorem, amplius puniri debent; diaconus ſex menſes, presbyter unum annum.

De invidia.

Quæratur utrum per invidiam doleat vel doluit de utilitate proximi, vel de ejus infortunio lætus fuerit: vel utrum per invidiam alicui detraxerit, & maxime ei qui præeſt. Si quis detraxerit ei qui præeſt, ſeptem dies pœniteat.

De acedia.

Quæratur utrum pœnitens otioſus fuerit in his quæ pertinent ad ſalutem, id eſt negligens & indevotus; & talis timeat illam ſententiam: *Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter.*

De pœnitentia, quod ſit portabilis.

Sacerdos debet eſſe ſollicitus, ut pœnitenti onus importabile non ponat, licet recipere pœnitens ſit paratus: ſed ſic pœnitentiam temperet, ut a ſtudio non cogatur ceſſare ſcholaris, a fabrica faber, ab agro agricola, vel alius laborioſus ab opere licito & competenti, ut a cura domus ſeu familiæ ut eis providere non poſſit, nec curſor a curſu, ut ſequi dominum non poſſit. Item vero pro peccato occulto pœnitentiam publicam non injungat, nec peccatores occultos faciat publice pœnitere.

De compenſatione pœnitentiarum.

Sciendum eſt quod omnibus qui ex juſta cauſa viderentur non poſſe ſine magno gravamine frequenter in arcta dieta jejunare, poſſunt redemptiones vel compenſationes adhiberi per orationes, per eleemoſynas, vel per abſtinentiam a carnibus vel piſcibus, per diſciplinas vel hujuſmodi ſecundum ſtatum perſonarum, vel animo, vel in quadrageſimalibus cibis: propter viam aut peregrinationes, facilius quam propter aliud eſt relaxatio indulgenda vel commutatio. Similiter propter ſocietatem, non tamen quamlibet; ſed ſi accedat ad menſam alienam, vel aliquis ad ſuam, cui debet ſe conformare, & ſi ſine gravi damno vel ſcandalo nequiverit evitare, vel pro ſolemnitate diei, ſi divinis interfuerit. Conſulimus & monemus ne ſacerdos miſſas injungat confitentibus: ſed ut cupiditatis notam fugiat in hac parte, fructus qui ex tali injunctione ſolet ſacerdotibus provenire, conſulatur pauperibus erogare.

De Confeſſione & pœnitentia infirmorum.

Ab infirmis in mortis periculo conſtitutis pia A eſt inquirenda peccatorum confeſſio, non pœnitentia injungenda eſt; tamen eis intimandum, ut convertantur & doleant de peccatis ſuis univerſis & ſingulis, non tantum timore pœnæ quam peccando meruerunt; ſed quia Deum Patrem & creatorem & redemtorem ſuum offendere præſumſerunt. Inducantur tamen infirmi ut acerbitates ægritudinis quas ſuſtinent, quaſi flagella pii patris, quamdiu ei placuerit, cum gaudio tollerare laborent. Si autem convaluerint, ſtatim ad ſacerdotem accedant, ut tunc eis pœnitentia competens injungatur. ANNO CHRISTI 1247.

De his qui mittendi ſunt ad epiſcopum.

B Sacerdotes in confeſſione majora majoribus reſervantes, mittant ad epiſcopum pœnitentes de homicidio, de perjurio ſeu fide mentita. Item de injectione manuum in parentes, ſive in clericos vel quoſcumque religioſos. Item de incendio de ſimonia. Item litterarum falſitate. Item de inceſtu tam naturali quam legali & ſpirituali, videlicet qui conſanguineam ſuam cognovit, & conſanguineam uxoris, vel conſanguinei uxorem, & qui cognovit filiam ſpiritualem, ſcilicet filiolam, vel qui ejus confeſſionem audivit. Item de lapſu carnis cum monialibus. Item de violatione cimiteriorum vel eccleſiarum. Item de hæreſi: item de ſchiſmate: item de ſortilegiis factis de ſacramentis eccleſiæ C & omnes etiam qui ad hoc conſilium vel auxilium præſtiterunt. Item mittendi ſunt ad epiſcopum qui abortivum coeundo vel alio modo facere præſumſerunt, & qui ad hoc conſilium vel auxilium impenderunt. Item clerici qui furtum commiſerunt. Item clerici quocumque modo irregulares facti ſint, qui bis ſe permiſerunt baptizari, vel qui interfuerunt. Item, qui ſine prima tonſura a iquem ordinem ſuſceperunt. Item, qui ſuſcipiendis ordinibus ſaltum feceruntItem, qui quocumque modo per ſe vel per alium homicidium perpetraverunt, vel judicio ſanguinis interfuerunt, & qui auctoritatem, conſilium vel auxilium, vel conſenſum in aliquo præbuerunt, unde mors hominis, vel D membrorum mutilatio ſequeretur, ſive occaſio fuerit aliqua, ſive cauſa. Item, qui litteras ſcribit dictat aut legit, vel aliquod adminiculum præſtat ut aliquis mutiletur vel occidatur. Item clerici ſeu presbyteri qui in ſuſpenſione vel excommunicatione promoti ſunt, vel divina celebraverunt. Item, ſacerdos vel miniſter, cujus negligentia aliquid circa ſacramentum altaris inhoneſtum quocumque modo evenerit, ad conſilium epiſcopi ſunt mittendi. Quia quidam presbyteri, quos conſcientiæ reatus accuſat, timentes quod ſi parochiani ſui vel ipſi fratribus Prædicatoribus vel Minoribus confeſſi fuerunt peccata ſua, fingentes mendaciter contra ipſos E dicunt quod confeſſiones confitentium detegere non verentur, ſub pœna emendæ vel alterius graviſſimæ pœnæ diſtrictius, inhibemus ne dictos fratres ſuper detectione confeſſionum audeant infamare.

Peccata notoria, de quibus ſcandalum in populo generatur, decano ſignificent ſacerdotes, & decanus archidiacono vel epiſcopo, niſi forte per eos ſint ſopita, timentes ne pœnam incurrant, ſi per alios ad epiſcopum ſcandalum deferatur.

De

ANNO CHRISTI 1249.

De sacramento altaris.

De sacramento altaris doceant sacerdotes, quod ex virtute verborum quæ Dominus dixit in cœna super panem & vinum, & ex virtute ordinis sacerdotalis, sive bonus sive malus sit sacerdos, cum debita materia contingit, quod per prolationem verborum super panem & vinum cum intentione conficiendi, ubi erat prius purus panis, est verum corpus Christi de Virgine natum, in cruce passum, ad dexteram Dei collocatum, impassibile vero quale fuit in vita, sed glorificatum, quale est in patria: & ubi erat prius purum vinum, est verus Sanguis Christi qui de latere ejus fluxit. Sub utraque forma tamen est totus Christus: quia nec vere corpus est sine sanguine, nec vere sanguis sine corpore, nec corpus sine anima, nec utrumque sine divinitate; & sacramentum hoc est cibus & refectio animæ viventis per gratiam, & damnatio animæ mortuæ in peccato: quia qui manducat indigne, judicium sibi manducat & bibit.

Ut semel in die celebrare sufficit.

Innocentius Papa. Nullus audeat bis in die missam celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate, sive corpore humano præsente in die solemni, vel quadragesimali, & in die paschæ; quibus casibus propter necessitatem bis poterit celebrare. Celebraturus autem missam secundam, vinum perfusionis non sumat, sed ministro bonam habenti conscientiam conferat.

De his quæ circa sacramentum altaris sunt attendenda.

Sacerdos vel minister qui in altaris ministrat officio, diligenter attendat, ut ad conficiendam eucharistiam ad missam, & ad communicandos infirmos, formas panis quam pulchras, quam decentes, quam honestas poterunt quærere non omittat, ne per informitatem formarum aliorum devotio minuatur. Attendat igitur quod hostia sit integra & integrum habeat circulum; & quod vinum non sit acetosum, & quod aquam non omittat. Si autem aquam omiserit, quando advertit, apponat eam si fieri potest sine scandalo. Si vero per negligentiam evenerit quod perlecto canone & peracta consecratione corporis, nec vinum nec aqua reperiatur in calice, debet statim infundi utrumque, & hostia sic consecrata seorsum reverenter observetur: hostia autem nova, sicut fieri solet, ante calicem apponatur, & reincipiatur canon missæ *Te igitur*: post canonem vero prior hostia ab ipso sacerdote sumatur. Caveant sacerdotes ne panis vel vinum remaneat supra altare infra missam, præter ipsa quæ ab ipso sunt consecranda; & si quid forte remanserit, securius est propter fatuam quorumdam conscientiam, ut ab ipso sacerdote sumatur, vel ab alio aliquo mundam conscientiam habente. Unde non est tutum hostiam eligere super pallam, quia posset ibi aliqua fractio remanere, quam aliquis fatuus intelligeret consecratam. Quod autem ad illos qui sciunt consecrationem non fieri nisi communicetur intentio, non est de talibus disputandum.

Præcipitur presbyteris, quod quando incipiunt canonem missæ *Qui pridie*, tenentes hostiam, nec elevent eam, sed ante pectus teneant donec dixerint, *Hoc est enim corpus meum*, & elevatam tamdiu eam teneant, quod ob omnibus possit videri, tunc pulsetur campana. Hoc autem dictum est, ne purus panis adoretur a populo, si ante prolationem verborum hostia elevetur. Post totalem vero sumtionem corporis & sanguinis Domini, presbyter aliquantulum ab expuendo abstineat; & si abstinere non possit, in loco mundo hoc faciat, quod non possit conculcari.

De periculis circa altaris sacramentum.

Si quid de sanguine Christi ceciderit super corporale, fugenda est pars intincta, & ipsum corporale panno aliquo involutum pro reliquiis est servandum. Si supra pallam vel super aliquod sacrum indumentum ceciderit, pars intincta fugatur, & postea scindatur, & consunta panno mundo servetur pro reliquiis, ita tamen quod super pannum cedula consuatur, continens; super hoc linteamen stilla cecidit sacramenti. Si supra aliquod commune vestimentum ceciderit, pars intincta prius scindatur & post fugatur & comburatur, & cinis in sacrario reponatur. Si autem super lapidem, lignum, terram ceciderit, lingendus, tergendus & radendus est locus ille, & pulvis in sacrario reponendus. Si autem de Corpore Christi super pallam ceciderit vel aliquod aliud ornamentum, pars super quam ceciderit abluatur, & ablutio a sacerdote sumatur, vel ab alio bonæ conscientiæ. Si vero super lapidem vel terram ceciderit, locus radatur, & pulvis in sacrario reponatur.

Bernardus. Si musca vel arenea, vel aliquid tale in ipsum calicem ceciderit, quod sine vomitu aliquando vel sine periculo corporis sumi potest, sanguis sumatur, & superfuso vino ipsum quod cecidit abluatur, & ablutio a sacerdote sumatur, vel ab alio bonæ conscientiæ; & postea id quod cecidit in sacrario comburatur. Quod si fides ipsa illud quod cecidit sumere quempiam fecerit. Deo gratias.

Sacerdotes die octavo semper renovent sacramenta eucharistiam & fontem benedictum, ne eorum vetustate aliqui ad indevotionem moveri valeant.

Ex concilio Lateranensi. Inhibetur presbyteris, ne hostias non sacratas dent pueris, nisi loco panis benedicti die Paschæ, & tunc statim utantur, nec extra ecclesiam portent.

De communione Paschæ.

Doceant sacerdotes populum, ut tales se exhibere procurent, quod saltem in die Paschæ digne communicare valeant & communicent. Legitur enim in libro Numerorum, quod si quis mundus fuerit, & non fecerit Pascha, hoc est non communicaverit, anima peribit de populo. Et si hoc de mundo dicitur qui non communicat, multo fortius de immundo, qui tantum propter immunditiam suam abstinere debet, quamdiu talis est, & nullatenus communicaturus.

De communione infirmorum.

In ecclesiis suis dicant sæpe presbyteri, ut quam cito viderint aliquem infirmari, presbyte-

terum incontinenti ad audiendam infirmi confessionem, & ad communicandum advocare procurent; nec expectent noctem ad vocandum presbyterum, si de die contigerit aliquem infirmari.

Singuli sacerdotes singulos habeant calices, in quibus communicentur infirmi, qui decori sint & mundi, ne immunditia horrorem inducat infirmo, sed potius in eis infirmi devotio excitetur.

Item, si quid de corpore Christi in ore infirmi remanserit, vel inde exierit, quod ab eo recipi non possit, aliquam formam panis habens, ab ipso sacerdote convenienter debet consumi, vel comminutum in calice cum modico vino alicui habenti bonam conscientiam dari. Si autem infirmus adeo fuerit coartatus, quod sub magna forma corpus Domini recipere non possit, sub minima forma detur ei in calice imminutum, & cum modico vino infirmi stilletur in ore, maxime si propter adstantes timeatur, ne eis sine viatico decedere videatur infirmus. Videtur tutum, ut quilibet sacerdos infirmum in extremis laborantem absolvat de omnibus, quibus eum absolvere potest.

Item, cum presbyteros ad communicandum infirmos contigerit evocari, omni dilatione & occasione postpositis, ad eos accedant, & corpus Christi cum magna reverentia & maturitate deferant in pyxide idonea & bene clausa propter casum, nec ad hoc diaconos mittant: ac eundo & redeundo septem psalmos pœnitentiales vel saltem letaniam dicant. Moneant etiam parochianos, & diligenter inducant, ut cum presbyterum deferre contigerit corpus Christi, creatori suo cum manuum junctione & genuum flexione dum transit, orantes devotius studeant inclinare. Eis siquidem qui corde contrito presbyterum cum corpore Christi devote duxerint & reduxerint, decem dies de condigna pœnitentia misericorditer relaxamus, & hoc volumus in ecclesia sæpius publicari.

Ex concilio generali. Statutum est in concilio generali, & districte injunctum medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, quod medicos advocent animarum, ut postquam infirmo fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur. Si quis autem medicorum constitutionis hujus transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu ecclesiæ arceatur, quousque satisfecerit competenter. Ceterum cum anima corpore sit multo potior, sub anathemate prohibetur, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in animæ periculum convertatur.

De conjugio.

De sacramento conjugii doceant sacerdotes, quod omnis voluntaria seminis emissio est mortale peccatum tam in mare quam in femina, nisi per legitimum matrimonium excusetur: sed fides habet coitum inter marem & feminam legitimo conjugio excusari, si tamen modo debito misceantur.

Quomodo debent fieri sponsalia.

Conjugii matrimonium affectantes fidem licite dare possunt de matrimonio contrahendo, si sancta ecclesia poterit sustinere: hoc tamen non fiat sine præsentia sacerdotis. Nunquam tamen consentiant contrahentes per verba de præsenti, donec sint ante fores ecclesiæ, quando debet nuptialis benedictio celebrari. Et communicent presbyteri in ecclesiis suis illos, qui bannis tantumdem factis, per verba de præsenti ad invicem consentiunt, antequam fieri debeat benedictio nuptialis, nisi ex permissu episcopi specialiter concedatur alicui & cum causa. ANNO CHRISTI 1247.

Ex concilio generali. Cum pluries inhibitum fuerit, ne personæ matrimonium contrahentes per verba de presenti consentiant, antequam ad benedictionem nuptialem veniant ante portam ecclesiæ; & ex iis constitutionibus nullus aut rarus fructus hucusque provenerint; statuimus quod tam personæ sic contrahentes, quam illi qui ad hoc concilium præstiterint & auxilium, excommunicationis emendam solvere teneantur.

De bannis. Ex concilio generali.

Clandestina conjugia penitus inhibemus, prohibentes ne quis sacerdos talibus interesse præsumat: ac præcipimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, ea proponant presbyteri in ecclesiis suis competenter, videlicet per tres dies dominicos vel festivos, sub pœna excommunicationis indicentes, ut qui sciunt legitimum impedimentum, opponere non differant vel omittant. Ipsi etiam presbyteri per se nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura vel dubitatio contra carnalem copulam contrahendam, contractus impediatur expresse, donec per episcopum vel ejus allocatorem, quid super eo fieri debeat, fuerit deffinitum: ceteri autem de talibus nec cognoscere possunt, nec judicare. Si quis vero clandestina matrimonia inire præsumserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum illi taliter contrahentes, non expertes scientiæ, sed affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum, id est si bannis in conspectu ecclesiæ factis, contrahere præsumserint. Sane parochialis sacerdos, qui conjunctiones prohibitas celebrare præsumserit, aut quilibet presbyter etiam regularis, qui eis præsumserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. Eis etiam qui clam præsumserint copulari, licet in gradu concesso, condigna pœnitentia injungatur.

De impedimentis matrimonii.

Copulam carnalem impediunt consanguinitas & affinitas, dispar cultus, publicæ honestatis justitia, votum solemne, coactio, error personæ, error conditionis, minor ætas, delicti enormitas, compaternitas, quæ tantum excludit sex personas, compatrem videlicet & matrem, filiolum, & filiolam, fratrem & sororem spirituales. Sciendum tamen est, quod in quinto gradu consanguinitatis & affinitatis, & supra, possunt ambo licite matrimonialiter copulari. Si quis autem ad impediendam legitimam copulam malitiosum impedimentum ob-

jecerit, non effugiet ecclesiasticam ultionem. Semper prohibeant sacerdotes in nuptiis sub pœna excommunicationis sortilegia fieri: & alter conjugum ad religionem non transeat aut recipiatur, nisi per episcopum.

ANNO CHRISTI 1247.

De concubinis.

Prohibeant sacerdotes, ne laici publicas teneant concubinas. Et qui post admonitionem trinam præsumserit retinere, tam ipse quam ipsa ab ingressu ecclesiæ arceantur gravius puniendi per majores, si perseveraverint.

De extrema unctione.

De sacramento extremæ unctionis doceant sacerdotes, quod, sicut dixit beatus Jacobus, per eam venialia dimittuntur, & quandoque alleviatur infirmus, quandoque etiam ad veram contritionem, & æterni gaudii considerationem per eam incitatur. Doceant sacerdotes omnes hoc sacramentum debere recipere tam divites quam pauperes, senes & juvenes, maxime postquam decimum quartum annum compleverint: & posse licite iterari sine periculo operis conjugalis quoties infirmis metum contigerit imminere. Quando enim fuerit requisitus sacerdos, sanctum oleum honeste deferat, & cum reverentia illud impleat sacramentum.

De ordinibus.

De sacramento ordinis doceant, quod sacramentum eucharistiæ non conficit quis nisi sacerdos, nec confert quis sacrum ordinem nisi episcopus, & eam habent virtutem ordines, quam ecclesia profitetur.

Cum quater in anno regulariter soleant ordines celebrari, scilicet in jejuniis solemniter institutis, statuimus, & perpetua ac peremtoria citatione districte præcipimus, ut omnes parochialem habentes ecclesiam, quamdiu non sunt presbyteri, ad ordines saltem prædictis temporibus veniant successive, seque præsentent idoneos & habiles cum effectu. Quod si quis jam plene receptus ad ecclesiam, hæc non fecerit, futuros ex tunc ecclesiæ suæ reditus & proventus ipsius ecclesiæ suæ necessitatibus applicamus, & suos in tantum efficimus, ut sint ei penitus alieni, pœna nihilominus perjurii remanente per episcopum infligenda, nisi quis legitime se doceat excusatum, vel episcopali injunctum licentia speciali.

Ne venalia prostituantur ecclesiæ sacramenta.

Ex concilio generali. Cum vitium pullulare novimus avaritiæ & vitium simoniæ, ut quidam presbyteri ecclesiastica sacramenta vendere videantur, confessionem, eucharistiam, benedictionem nuptialem, sepulturam subditis denegando tacite vel expresse, quousque super consuetudinibus parochialibus, vel, debitis aliis ad voluntatem eorum sibi fuerit satisfactum; sub pœna magnæ emendæ districtius inhibemus, ne cum sacramenta imminent exhibenda, ante sacramentorum ipsorum exibitionem plenariam aliquid exigant a subjectis, neque plegios petant; sed cum ea gratis exhibuerint, tunc jura parochialia & alia consueta & debita licite petant, & plegia accipiant, & pactiones faciant, prout justum fuerit, & viderint expedire.

De septem vitiis capitalibus, & operibus misericordiæ.

Suadeant sacerdotes omnibus septem principalia vitia fugere, & plusquam mortem timere temporalem, quæ solum corpus interimat, dicta vitia corpus & animam mittere in gehennam, videlicet gulositatem, luxuriam, vanam gloriam sive superbiam . . . . . Suadeant etiam operibus misericordiæ inhærere, quæ sunt pascere esurientem, potare sitientem. nudum vestire, hospitem suscipere, visitare infirmum, consolari incarceratum, sepelire mortuum; quæ testatur Veritas in evangelio: qui ista facere neglexerint, venientes ad judicium audient terribilem vocem: *Ite maledicti in ignem æternum*, a quo liberemur per Filium Dei. Amen.

De fugienda prava jurandi consuetudine.

Item, cum blasphemias Redemtoris, quæ plus abundant in nostris quam, alibi . . . . . , per ejus membra singula tamquam porci, verisimile credi possit ut plus igne sacro nostri quam alii torreantur; frequenter moneant sacerdotes populum majorem & minimum, & maxime humiles ribaldos & rhedarios, qui morbo illo frequentius invaduntur, a juramentis hujusmodi & perjuriis maxime penitus abstinere.

De sobrietate.

Doceant populum sacerdotes verbo & exemplo sobrie vivere, ab ebrietate & crapula abstinere, invitationes fugere ad potandum: firmiter injungentes dominis tabernarum, ne in domibus suis vel locis circumadjacentibus vicinorum suorum vel aliorum de eadem parochia causa potationis studeant conventicula congregari, ostendentes eis, quod potatio est innumerabilium occasio peccatorum. Si quis autem tertio admonitus, huic salubri statuto acquiescere noluerit, tam ipse quam familia ejus ab ingressu ecclesiæ arceantur.

De jejuniis

Præcipiant sacerdotes omnibus adultam ætatem habentibus, instituta jejunia observare, ut jejunium quadragesimale, quatuor temporum, vigiliarum nativitatis Domini, assumtionis beatæ Mariæ, B. Johannis Baptistæ, apostolorum Petri & Pauli, Matthæi, Simonis & Judæ, B. Andreæ, B. Laurentii, vigilia Omnium-sanctorum, & in letania majori, scilicet in festo S. Marci evangelistæ, & in tribus diebus Rogationum. Si qua detaxatis vigiliis die dominica evenerit, indicendum est jejunium die sabbati præcedenti. Sub pœna excommunicationis inhibeant sacerdotes, maxime in tempore quadragesimæ præcedenti, ne quis in dominica prima quadragesimæ carnes manducare præsumat, nec aliquid aliud nisi ea quibus in quadragesima licite utuntur Catholici & fideles.

De feriis.

Pronuntiandum est laicis, ut sciant tempora feriandi per annum, scilicet omnem Dominicam

cam a vespera usque ad vesperam. Feriandi vero per annum sunt isti dies: nativitatis Domini, S. Stephani, S. Johannis evangelistæ, Innocentium, S. Silvestri; octava Domini, epiphania Domini, nativitas B. Mariæ, Annuntiatio, Purificatio, Assumtio, dies parasceve, sanctum pascha cum duobus sequentibus diebus, nativitas Johannis Baptistæ & decollatio ejus, duodecim apostolorum Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Thomæ, Philippi & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, Laurentii, & præcipue sanctorum Gervasii & Protasii, in quorum honore matrix ecclesia fundata est: Michaelis; dedicatio cujuslibet oratorii; omnium sanctorum, SS. pontificum Juliani, Martini, Nicolai, Mariæ Magdalenes, & illæ festivitates quas singulariter presbyteri in suis parochiis ab antiquo collaudaverunt cum populo, quæ vicinis tantum circummorantibus indicandæ sunt, non generaliter omnibus. Reliquas vero festivitates per annum non sunt cogendi ad feriandum, sed monendi ut juxta morem antiquum observent. Inhibeant presbyteri carnificibus in villis mediocribus, ne carnes lanient aut vendant die dominica a principio missæ usque ad finem.

De exhibitione evangelii.

Decernit sancta synodus, ut a septuagesima usque ad octavam paschæ, ab adventu usque ad octavam epiphaniæ, nec non & jejuniis quatuor temporum, & letaniis majoribus, & in diebus dominicis, & in diebus rogationum, nisi de concordia & pacificatione, nullus super sancta evangelia jurare præsumat: & in iis diebus non debent sacerdotes reliquias laicis, exhibere, nec umquam pugilibus ad jurandum, cum monomachia secundum canones reprobetur: quibus etiam in ipso duello sine pœnitentia decedentibus negandum cimiterium: quod & de excommunicatis volumus observari, & de quibuslibet mortuis in mortali,

INCIPIT SECUNDA PARS.

De devotione orantium. De canonicis horis. De libris ecclesiasticis. De ornamentis altaris. De altari & ejus ministerio. De præfationibus. De calice reponendo. De custodia chrismatis, sacri fontis & reliquiarum ecclesiæ. De rebus ecclesiæ non alienandis. De causis ecclesiæ. Ne ecclesia aut cœmeterium aliqua deformitate vel profanatione sordescant.

De devotione orantium.

Cum cor quærat Deus non loquelam, sive cantent, sive legant presbyteri, sive psalmos orando proferant, in mente semper habeant quod in conspectu Dei semper assistentes, suum & sibi commissum gerunt negotium quod coram eo postulant, qui non exaudiret ora loquentium, si cogitationes alias evagentur, vel indigni fuerint postulantes.

De canonicis horis.

Districtè præcipitur, ut sacerdotes divinum officium nocturnum pariter & diurnum distincte & aperte, quantum Deus dederit, celebrent & devote. Honestum etiam esset, quod stantes canonicas horas dicerent, maxime in diebus festivis, ut alii videntes laborem & devotionem, glorificent Deum Patrem qui in cœlis est. Dicant presbyteri, & abbates injungant monachis qui sunt in prioratibus, ut quotidie dicant divinum officium, si duo sunt aut plures. Et si solus est aliquando monachus, officio sacerdotis interesse procuret: & si aliter fecerit, dicat presbyter decano, & decanus cognita veritate subtrahat eis portionem, quam percipiunt in ecclesia, donec per nos vel officialem nostrum super hoc sit provisum. Presbyteri parochiales a festo Remigii de nocte surgant, & summo ad matutinas mane missam celebrent usque ad pascha, maxime in ecclesiis, in quibus adjacet parochianorum maxima multitudo, ut quo circa terrena negotia sunt intenti, ante ingressum laboris missam possint audire, si voluerint. Nullus antequam matutinas canonicas & primam dixerit, missam celebrare præsumat aliqua necessitate.

De libris ecclesiasticis.

Librum qui dicitur manuale habeant singuli presbyteri parochiales, ubi continetur ordo servitii, baptismi, catechismi, extremæ unctionis & hujusmodi, & libros alios, in quibus possit competenter divinum officium tam diurnum quam nocturnum celebrari. Item, cum membra capiti se debeant conformare, volumus & mandamus, ut quilibet parochialis sacerdos calendarium & ordinarium habeant Cenomanense, & in festis & officiis suis, & in aliis quibus poterunt, usum matris ecclesiæ studeant observare. Item injungimus ut omnes parochiales presbyteri librum habeant synodalem, & in eo frequenter & sollicite inspiciant & studeant diligenter, ut super officiis suis more debito exequendis, & in præceptis synodalibus notitiam habeant pleniorem.

De ornamentis altaris.

Linteamina altaris & vestimenta sacerdotalia munda & nitida conserventur: nimis enim absurdum videtur in sacris hujusmodi sordes negligere, quæ dedecent etiam in parochianis: & cum lavanda fuerint, nonnisi per presbyterum, vel diaconum, vel honestam matronam, vel virginem, sine appositione aliorum pannorum, prout, decuerit, abluantur.

De concilio Clementis papæ. Corporalia vero sæpe presbyter abluat, vel saltem diaconus indutus superlicio, in vase mundo ad hoc specialiter deputato, & omnes ablutiones, si fieri potest, in piscina reponantur, vel ad minus prima; ceteræ in baptisterio. Munda semper habeant secus altare manutergia, & ad minus tria, unum ad primam ablutionem, secundum post evangelium, tertium post sacramenti susceptionem, quartum pendeat in missali, vel potius in cervicali, ad tergendum os & nares sacerdotis, & frequentius abluantur.

De altari & ejus ministris.

Præcipitur quod in altari in quo tabula mota fuerit, vel enormiter fracta, sacerdos non celebret donec reconsolidetur altare, & iterum consecretur; nec super lapidem portabilem celebretur sine capsa. Ampullæ scilicet vini & aquæ pro ministerio altaris sint mundæ, inte-

græ, vitreæ vel ſtanneæ, ſive argenteæ. Ad ablutionem manuum vas grandius deputetur. ANNO CHRISTI 1247. Provideant etiam ſacerdotes, quod piſcinas habeant juxta altaria decentes, mundas, ablutionibus curſum liberum exhibentes; nec ſine coopertorio relinquantur.

De præfationibus.

Invenimus decem præfationes ſequentes, in ſacro catalogo tantummodo recipiendas, unam in paſcha quæ ſic incipit, *Te quidem omni tempore*, aliam in aſcenſione, ſcilicet: *Qui poſt reſurrectionem ſuum*; tertiam in pentecoſte, ſcilicet *Qui aſcendens ſuper omnes cœlos*; quartam de trinitate ſcilicet *Qui cum unigenito*; quintam in feſtis B. Mariæ, ſcilicet. *Et te in veneratione B. Mariæ*; ſextam in feſtis Crucis, ſcilicet *Qui ſalutem humani generis*; ſeptimam de apoſtolis, ſcilicet *Te Domine ſuppliciter exorare*; octavam, in nativitate Domini, ſcilicet *Quia per incarnati verbi*; nonam in epiphania Domini, ſcilicet *Qui cum unigenito*: decimam in quadrageſima, ſcilicet *Qui corporali jejunio*.

De calice apponendo.

Calix poſt miſſam panno mundiſſimo involvatur, nec cum eo miniſtri calicem intus tergant, ſed alio ad hoc ſpecialiter deputato, qui cum ſatis decens non fuerit, vel vetuſtate attritus, in ſacrario comburatur.

De cuſtodia & criſmatis cura.

Statuimus ut per omnes eccleſias fontes, oleum ſanctum & euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, ut non poſſit ad illa temeraria manus extendi. Si vero is ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur; & ſi per ejus incuriam nefandum aliquid inde contigerit, gravius puniatur. In concilio * Lateranenſi ſtatutum eſt, quod, antiquæ reliquiæ a modo extra capſam nullatenus extendantur, nec exponantur venales: inventas autem de novo nemo publice venumdare præſumat, niſi prius auctoritate Romani pontificis fuerint approbatæ. Præcipitur ſacerdotibus, ut divino officio celebrato, populo regreſſo ad propria, eccleſias ſuas firmare ſtudeant diligenter.

De rebus eccleſiæ non alienandis.

Præcipitur ſacerdotibus ut omnes reditus eccleſiæ ſcribant in miſſalibus ſuis, & de rebus eccleſiæ vel presbyteri nihil alienetur niſi per epiſcopum. Statuitur quod ornamenta eccleſiæ non obligentur pignori, niſi pro neceſſitate eccleſiæ, vel conſilio parochianorum. Præcipitur presbyteris ut immobilia de bonis eccleſiæ acquiſita ſuis tamtumodo relinquant eccleſiis, de Ex concil. Turonenſi jure enim aliud facere non poſſunt. Domus autem utenſilia & ſupellectilia a presbyteris ſucceſſoribus relinquentur. Nullus clericus vel laicus, vel religioſa perſona recipiat decimam de manu laicali, niſi per epiſcopum. Prohibetur diſtricte ne aliqua eccleſia domino terræ corvagium vel aliquid tale conferre præſumat, donec epiſcopi ſui ſuper hoc habeat conſilium, & ejus auctoritate fiat quod fuerit faciendum.

De recredentia rerum eccleſiæ.

Præcipitur ſacerdotibus, ut cum res eccleſiæ ab aliquo captæ violenter vel detentæ fuerint, moneant detentorem ut reddat vel recredat, & ſacerdos vel decanus captionem recipiat, niſi detentor coram officiali vel epiſcopo partibus aſſignet terminum competentem. Si vero recredere vel reddere noluerit, & de detentione conſtiterit, locus in quo res eccleſiæ detinetur, interdicto ſupponatur, ſi locus eſt de dominio detemtoris; alioquin compellat detentorem per cenſuram eccleſiaſticam admonitione præmiſſa.

De eccleſiaſticis curiis.

Nullus abbas vel eccleſiaſtica perſona de perſonalibus injuriis vel eleemoſynis eccleſiæ factis audeat litigare, niſi de conſenſu epiſcopi, coram judice ſæculari. *Ex concilio Turonenſi.* Quia exemtionibus ſive ceſſionibus actionum, quæ in eluſionem ſæcularis juriſdictionis frequenter fiunt: multa ſolent ſcandala provenire, prohibemus diſtrictius ne de cetero fiat ceſſio vel venditio actionum, niſi ubi quis de jure tenetur alii credere actiones: & hoc præcipimus ſæpius publicari.

De immunditia eccleſiæ.

Firmiter inhibetur, ne ſupellectilia ſacerdotis propria ſeu aliena in eccleſiis admittantur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias urgentes neceſſitates ad eas oporteat refugium haberi; ſic tamen, ut neceſſitate ceſſante, ad loca priſtina reportentur. Item, imagines vetuſtate deformatæ, linteamina ſacra vetuſtate attrita ſacris uſibus inutilia comburantur in loco mundo, & pulvis juxta parietem eccleſiæ recondatur, qui poſſet intuentes in errorem ..... Item, prohibeant ſacerdotes ſub pœna excommunicationis in cimiterio vel eccleſiis choreas duci. Moneant etiam ne aliter fiant, quoniam ut dixit Auguſtinus: melius eſt diebus dominicis vel feſtivis fodere, quam choreas ducere. Quam grave peccatum ſit in loco ſacro choreas vel balationes ducere, perpendi poteſt ex pœnitentia ſecundum rigorem canonum talibus injungenda; de quibus Beda: ſi quis balationes ante eccleſias ſanctorum fecerit, emendatione pollicita, tribus annis pœniteat. Nullus de novo ædificare in cimiterio permittatur, nec domus aliqua ſi diſrupta fuerit per annum durante ruina aliquatenus reparetur.

INCIPIT TERTIA PARS.

De vita & honeſtate presbyterorum cum ſuis particulariis. De inſtitutione perſonarum. De firmariis & capellanis. De quæſtis. De leproſis. De teſtamentis. De executionibus mandatorum. De excommunicatis. De abſolutione. De officio decanorum. De poteſtate presbyterorum. De vita & honeſtate presbyterorum.

Contineant, & ſancte vivere ſtudeant univerſi, præſertim in ſacris ordinibus conſtituti, cum voto continentiæ tacite ſint adſtricti: matrimonium enim contrahere nequeunt, nec uti contracto; nec cuiquam licitum eſt fornicari.

Spe-

☞ Specialius autem regulares expresso videlicet voto ad continentiam obbligantur. Caveant igitur omnes ab omni libidinis vitio, & maxime illo propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, ut in conspectu Dei puro corde & mundo corpore valeant ministrare. Quocirca districtius inhibemus, ne ullus clericus in sacris constitutus, aliqua occasione teneat in domo sua vel alibi mulierem vel personam aliquam, de qua mala possit suspicio suboriri, unde populus scandalizaretur. Qui vero post Galonis sententiam inde latam, focariam vel mulierem aliquam cum scandalo publice retinere præsumserit, sciatur se excommunicationis vinculo innodatum. Et si celebraverit sic ligatus, irregularis effectus est, ut sine dispensatione non possit a modo celebrare.

Si capellanus vel firmarius super lapsu carnis fuerit de cetero diffamatus, adeo ut non possit innocentia legitime comprobari, omnia mobilia ejus episcopo remanebunt, & eo vivente in diœcesi remanebit; & persona ecclesiæ ad arbitrium episcopi punietur.

Concil. Prohibetur districte sacerdotibus, ne secum prolem habeant quam in sacro ordine genuerunt, ut scandalum evitetur.

De vestitu & habitu clericorum.

Clerici beneficiati in sacris ordinibus constituti, clausa desuper ferant indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. *Ex concilio metropolitano.* Qui vero constitutionis hujus, transgressor extiterit, per superiorem puniatur; & vestis aperta portata in publico pauperibus erogetur.

Item, inhibemus expressius ne presbyteri indumentum scutatorium, quod dicitur herga, vel aliud laicale indumentum desuper deferre præsumant: & si quis contra hoc inventus fuerit facere, vel detectus, indumentum amittet, vel aliter puniemus graviter eumdem.

Ex concilio Generali. In sacerdotio constituti vel personatibus cappas clausas deferant non manicatas, nisi forte ad tempus, justi causa timoris frigoris: fibulas omnino non ferant clerici, nec corrigas auri vel argenti ornatum habentes, nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis: pannis rubeis vel viridibus, nec non manicis aut sotularibus consutitiis, seu rostratis, sellis, frenis, pectoralibus & calcaribus deauratis non utantur.

Ex concilio Turonensi. Statuimus ut condonati domus cujuslibet religiosæ signum aliquod in eminenti loco deferant ad arbitrium episcopi, vel religioni congruentia indumenta, ut per hoc ab aliis distinguantur; & sicut religiosi ab ecclesia defendantur, & ad hoc per suos presbyteros compellantur.

Districte præcipitur ne presbyteri vel clerici, neque religiosi cultellum portent cum cuspide, nisi justa causa timoris.

De sobrietate clericorum.

A crapula & ebrietate omnes clerici se abstineant diligenter: unde vinum sibi temperent, & se vino ... nec ad bibendum quempiam invitent, cum ebrietas inducat & mentis exsilium, & libidinis provocet incentivum. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi commonitus a superiore se correxerit & satisfecerit competenter, ab officio & beneficio suspendatur.

Item, cum in conviviis frequentibus & superfluis, quæ simul faciunt presbyteri, scandalizentur laici, volumus, consulimus & præcipimus, quod a talibus se temperent sacerdotes; & si aliquem vel aliquos voluerint invitare, amicabiliter eum vel eos sine strepitu & sine scandalo, ferculis non superfluis studeant procurare, & superflue expendenda pauperibus erogare.

De clericis sæcularibus.

Clerici officia vel commercia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta. Mimis, histrionibus & joculatoribus non intendant, & tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec ea domibus suis habeant congruenter, & se in officiis ecclesiasticis & aliis bonis studiis exerceant diligenter.

Statutum Sidonii. Clerici beneficiati seu in sacris ordinibus constituti, non sint advocati pro pretio seu in fraude pretii: in curia laicali, nec loco laicorum curiam teneant, nec eorum balliis illicitis vel ballivis associentur. Nusquam etiam contra parochianum suum advocatus existat presbyter, vel personam nec ullam partem chirurgiæ subdiaconus vel diaconus vel sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem inducit: nec quisquam purgationi aquæ ferventis, vel frigidæ seu ferri candentis ritum cujuslibet benedictionis aut consecrationis impndat.

Ex concilio generali. Nullus clericus sententiam sanguinis dictet aut scribat aut proferat, nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur interfit: ne quisquam clericus litteras scribat aut dictet pro vindicta sanguinis destinandas.

Moneant parochianos suos presbyteri diligenter, ut pueros suos tam mares quam feminas ad ecclesiam mittant, ubi presbyteri per seipsos vel per capellanos suos aut clericos doceant *Pater noster*, *Ave Maria*, & *Credo in Deum*, si fieri potest. Suadeant item sacerdotes, ut qui filios habent clericos, eos instrui faciant diligenter, & scholas attentius frequentare, quia illiterati non sunt ad ecclesiastica beneficia admittendi.

De institutionibus personarum.

Cum electio vel præsentatio pertineat ad patronum, ad prælatum vero collatio; non conferat ecclesiam alicui patronus, sed præsentandum eligat & præsentet: Et bonum esset quod sub hac forma vel simili; *Cum ad ecclesiam talem liberam & vacantem, in qua jus patronatus habemus talem clericum latorem præsentium elegerimus, vobis eum præsentamus ad eum.* Electum ad ecclesiam vel capellam præsentent loci patronus archidiacono, deinde episcopo: coram, si fuerit admittendus, tria jurare tenetur, quæ ut memoriter teneantur, hic insequuntur ad plenum. Primum est tale. *Ego N. ad ecclesiam talem electus & præsentatus; juro me nihil dedisse vel promisisse, per me vel per alium datum esse vel promissum, me sciente, pro dicta ecclesia habenda; & si ad notitiam meam devenerit aliquid datum esse vel promissum propter hoc, statim ecclesiam resignabo: sic Deus me adjuvet & hæc sancta.* Et tunc ei dicatur: *Recipio te ad talem ecclesiam, in nomine Patris & Filii,*

ANNO CHRISTI 1247.

lii, & Spiritus sancti, amen. Sequitur secundum. *Ego N. juro quod tibi, pater venerande, N. Dei gratia Cenomanensi episcopo, tuisque ministris & successoribus tuis canonice instituendis, fideliter obediam in omnibus quæ mihi legitime duxeritis injungenda: sic Deus me adjuvet & hæc sancta.* Tertium. *Ego N. juro quod bona & jura ecclesiæ talis quamdiu eam tenuero, pro posse meo defendam & servabo; & quæ sunt illicite alienata pro posse meo de bonorum consilio revocabo, sic Deus me adjuvet & hæc sancta.* Tunc ei dicitur. *Ego curam animarum talis ecclesiæ tibi committo, ut in die judicii pro me & pro te, quantum ad tuum pertinet officium, rationem reddere tenearis.* Iterum ei dicatur: *In virtute obedientiæ quam juraſti, tibi præcipio quod in ecclesia tua residentiam facias personalem continue; & si non es presbyter, ad ordines venias successive, nisi tecum aliter per episcopum fuerit ordinatum.*

ANNO CHRISTI 1247.

Ex concilio Turonensi. Nullus clericus patronis faciat juramentum antequam episcopo sit præsentatus: præsentato autem dum receptus fuerit, districtius injungatur quod ad patronum redeat, & debitum faciat juramentum, quod tale est: *Juro super sancta Dei evangelia, quod præsentationem de me factam ad ecclesiam talem a te tali, & non ab alio, adoptabo; & si quas portiones habes, vel habere consueviſti in dicta ecclesia, nihil tibi de eis per me deperibit fraudulenter, nec per alium me consentiente: sic Deus me adjuvet & hæc sancta.* Sed ne resignationes fiant in manus abbatum vel quorumlibet patronorum, sed in manu episcopi tantum, districtius inhibetur.

Cum quis in minoribus ordinibus ad parochialem (præsentatur) ecclesiam, custodiat archidiaconus sicut ante, & dum promotus fuerit in subdiaconum, se instituendum, & consueta sacramenta facturum episcopo repræsentet.

De firmariis & cappellanis.

Statuimus ut firmarii seu cappellani quibus ecclesiæ committuntur, obedientiam juramento promittant, quamdiu ecclesiam rexerint, observandam: quod nisi fecerint, penitus expellantur. Quia vero nonnulli parochiales ecclesias assecuti præter conscientiam episcopi vel archidiaconi, a vicariis vel firmariis eorum adeo magnas (summas) exigunt, quod fidem vicarii vel firmari non possunt de residuo sustentari; statuimus quod decetero in tradendis ecclesiis ad firmam, & pensionibus imponendis episcopi vel archidiaconi, vel per bonos alios loco ejus, de redituum ecclesiæ quantitate, vocataque personafiat firmæ taxatio, ut de residuo vicarius vel firmarius ad sui suorumque sustentationem quindecim libras Turonenses habeant præter firmam. Si autem talis fuerit parochia, quod propter sui diffusionem aut plebis multitudinem, duorum egeat officio sacerdotum, ad eorum sustentationem XXII. libras Turonenses dimittere teneatur; & si plures exegerit, juxta episcopi dispensationem eorum sustentationi congrue consulatur, & hoc salvis constitutionibus de veteribus non augendis, a nostris prædecessoribus promulgatis nisi quantum probari poterit redditus excrevisse, duximus statuendum. Item, firmiter inhibemus ne firmariis committantur ecclesiæ, quarum redditus & proventus tam exiles existunt, ut earum augmentatio exigatur. Hoc idem dicimus de illis ecclesiis, quarum fructus & proventus XV. libras Turonenses non excedunt, in quibus volumus proprias personas deservire, vel omnes fructus relinquere servienti. Nullus curam animarum habens, vel non sacerdos ecclesiam ad firmam recipiat, nec sacerdos etiam nisi de licentia episcopi vel archidiaconi, dum tamen archidiaconus sollicitudinem super hoc adhibeat competentem, ut de ordinatione ipsius legitime constent ei, quod de quolibet ignoto volumus similiter observari, antequam in diœcesi Cenomanensi officium presbyteri exequatur,

ANNO CHRISTI 1247.

De quæstis,

Ex concilio Generali. Nullus recipiatur ad quærendas eleemosynas in ecclesiis sine litteris domini episcopi, nisi parochianus ecclesiæ vel de vicina natus. Nullus recipiatur ad prædicandum, nisi fuerit authentica persona, vel ad hoc ab episcopo destinata. Quæstores quoque eleemosynarum tantum ea dicant populo, quantum in litteris domini papæ vel episcopi continentur. Sacerdos loci populum sibi commissum diligenter inducat ad eleemosynas erogandas pietatis intuitu, non animo extorquendi.

Inhibemus decanis, ne cartulas questarum mittant presbyteris, nisi sub forma quam sigillo nostro viderint sigilatam, nullo addito vel mutato: nec eos presbyteri recipiant, nisi sigillo nostro vel decani fuerint sigillatæ.

De Leprosis,

Ut leprosis auferatur occasio evagandi, & scandalum de eorum frequentia inter sanos, eis inhibeant facerdores, ne leprosos extraneos ultra unam noctem suscipiant hospitio, nec villas intrent, castella, nec civitates: & qui eis injuriatus fuerit in præmissis, nullam inde justitiam reportabunt. Sacerdotes populum moneant diligenter, ut leprosis suis provideant secundum consuetudinem & si necesse fuerit eos compelli, postulent per decanum.

De testamentntis presbyterorum.

Præcipiatur sacerdotibus, ut testamentum suum, quod de mobilibus licet eis facere, rationabile tamen, nunquam per manum faciant laicalem; & ipsi frequenter prohibeant laicis, ne testamenta sua faciant (sine) præsentia sacerdotis. Utensilia quæ prius invenerint presbyteri in ecclesia vel capella, tamquam ecclesiæ propria successoribus, & si nulla vel pauca invenerint, de iis quæ per eos undecumque fuerint acquisita, relinquere tenentur. Ad sustentationem ipsius ecclesiæ tam de minimis quam de magnis inhibeant sacerdotes infirmis, & publice in ecclesia, ne quis plus quam tres gagiarios constituat, alioquin nihil capiet in ejus testamento qui neglexerit inhibere.

Statuimus quod infra decem dies a die obitus testatoris, ad nos vel officium nostrum decanum, gagiarii, vel ii ad quos pertinent, accedant, secum testamentum, si scriptum fuerit, delaturi; vel si scriptum non fuerit, per eorum sacramentum, quod testator deposuerit probaturi, ut tunc præfati testatoris volun-

☞ luntas in formam publicam redigatur: hoc autem de illis intelligimus qui summam centum solidorum Cenomanensium excedunt.

ANNO CHRISTI 1247.

Incipiant gagiarii defuncti exequi voluntatem infra mensem, & pro posse suo continue exequantur; & si circa hoc constiterint negligentes, decanis injungimus, ut diligenter & fideliter exequantur.

Item, quia quidam presbyteri cum amicis defunctorum pascicuntur, ut quartam vel quintam de bonis defuncti partem habeant, eis residuum relinquentes, nec curant in aliquo voluntatem exequi testatoris; firmiter injungimus & districte, ut ad exequenda defuncti rationabilia testamenta caritative procedant; benefactum sibi debitum tanta moderatione levantes, ut ex protervitate eorum seu cupiditate nullum scandalum oriatur.

De executionibus mandatorum.

Super citationibus coram ordinariis faciendis, credant presbyteri & decani his qui fidem dederunt de mandato, & judici de citatione certificare procurent. De excommunicationibus vel absolutionibus numquam sine litteris credant, sententias audaciter ferant, latas districte observent, nec timore parcant alicui, vel amore gratis antequam certificent, exequantur quæ in suis parochiis infra quartam partem longe fuerint exequenda, & qui rescribere non poterunt, sigilla sua litteris mandatoris apponant.

Quia nonnulli litteris apostolicis abutuntur, volentes ipsorum fraudibus obviare, statuimus ut qui mandatum alicujus delegati receperit de citando, non faciat quod mandatur, nisi in mandato contineantur expresse nomina judicis, locorum, diœcesis & personarum, & nisi authenticiter ostendatur vel ejus transcriptum sub sigillo authentico & voto & facto sancto, vel locus in citatorio comprehensi ignoti fuerint citatori, nec de ipsis certificari possit inquisitione diligenti adhibita, citare supersedeat, donec nobiscum vel officiali vel decano habuerit consilium, ad quod habendum præcipimus quod festinet: & ne exequi interim compellatur sedem appeliet apostolicam, sciens (quod si) propter hujus incertitudinem per citantis incuriam citatos contigerit damnum aliquod incurrere, extimationem damni, prout justum fuerit, eis restitui faciemus.

Statuimus etiam, ut judices in nostra diœcesi a sede apostolica non aliter in causis procedant, citando, vel aliquid faciendo, nisi authentico prius exhibito & inspecto ab ipso auctore, si præsens fuerit, jurante coram ipsis, vel coram allocato eorum, quod rescriptum de mandato ipsius existit impetratum, & quod actionem, quam prosequi intendit, habet, ut credit & credebat, contra eum quem ad judicium postulat evocari, nec eum vexabit alias coram aliis judicibus, ista lite pendente; sicque commendat jus suum, ut exequi valeat coram ipsis, honestis tamen personis & gravibus, de quibus nulla potest suspicio suboriri, remitti poterit hujusmodi juramentum. Item quod quibusdam a sede apostolica concessum est aliquid ad justitiam & pietatem, nonnulli in injustitiam convertentes, per littetas apostolicas parochianos suos vel alios coram remotis judicibus in causam malitiose trahendo vere præsumunt, ut quod de jure non possunt, per A fatigationes & expensas valeant extorquere, sub gravi pœna injungimus, quod tam presbyteri quam clerici ab hujusmodi molestationibus & malitiosis vexationibus desistant, scituri pro certo, quod si contra hoc fecerint, malitiam eorum prout justum fuerit puniemus. ANNO CHRISTI 1247.

De excommunicatis.

Presbyteros excommunicatos a nobis vel officiali nostro, singulis diebus Dominicis denuntient, & ab omnibus arctius evitari, exponentes populo periculum de participatione cum excommunicatis. Communicantes cum eis post denuntiationem diligenter inquirant, & eis de B quibus constiterit quod communicaverunt, ingressum ecclesiæ interdicant. Rotulum etiam habeant, in quo excommunicatorum nomina suæ parochiæ conscribantur: & si ex diversis causis aliquis sit excommunicatus, hoc totum scribatur, & in denuntiatione dicatur. Quicumque jam latam excommunicationis sententiam impetrarit publicari, infra decem dies procuret eamdem publicari, & in signum factæ publicationis, litteram det singularem, ne si diutius suppressa fuerit, non possit postea opponi, sed eo invito absolvatur quandocumque petierit sic ligatus. Si quis vero per quadraginta dies excommunicari sustinuerit, renuntiet presbyter excommunicato, si sit de C nostra diœcesi, vel per justitiam sæcularem ad gremium redire sanctæ matris ecclesiæ compellatur, etiamsi eo non absoluto compositum fuerit inter partes.

Item, constitutum est, ut postquam aliquis excommunicatus in sua malitia per viginti dies & amplius perseveraverit, ex tunc presbyter ejus interdicat familiam ejus, & eis divina deneget, donec de excommunicati absolutione liqueat manifeste. Et quia multi excommunicati sunt a canone vel concilio, vel episcopo ipso facto, qui ignorant & a pluribus ignorantur in casibus quos ignorare non debent, eos prima Dominica cujuslibet mensis præcipimus in ecclesia publicari.

D Excommunicati sunt a canone, qui in clericos, vel quoscumque religiosos manus injiciunt violentas; qui incendunt ecclesiam vel cimiterium; qui litteras domini papæ falsant, vel ad hoc adminiculum præstant, vel falsas scienter penes se ultra quindecim dies reservant; vel qui falsis utuntur, etiam ignoranter, si crassa sit eorum ignorantia & supina, & ad Galonis sententiam recurrunt, talium absolutio sedi apostolicæ reservatur; hoc excepto, quod de levi manuum injectione potest episcopus absolvere & etiam incendiarios, antequam fuerint per ecclesiam publicati.

E Item, excommunicati sunt auctoritate provincialis concilii omnes illi, qui parochianos nostros jus suum in foro ecclesiæ prosequentes, vel prosequi intendentes facto vel verbo impediunt, quominus id libere faciant; qui minas vel terrores seu vexationes eis vel eorum amicis inferunt, vel inferri faciunt, qui bona sua vel amicorum suorum vel capiunt vel aliquid in fraudem prædictorum attentant, & illi ad quorum instantiam talia fuerint attentata, & ipsi per episcopum sunt absolvendi.

Item, excommunicati sunt per episcopum in synodo qui jura minuunt episcopalia, vel libertates infringunt ecclesiæ, vel ad hoc consilium vel auxilium præbent; & publici usurarii, & sor-

☞ & sortilegia de sacramentis ecclesiæ facientes; qui malitiose procuraverunt abortum, qui ad conjungendum, vel disjungendum falso matrimonia, vel ad exhæredandum aliquem scienter deponunt testimonium falsitatis; forbanniti qui personis ecclesiasticis mandant diffidationes, receptores eorum, & qui eis consilium vel auxilium præbent. Qui in sacris ordinibus constituti & beneficiati in civitate vel diœcesi Cenomanensi ludunt cum deciis causa lucri: qui procurationem accipiunt, nisi causa visitationis ad locum accedant: & hi per episcopum possunt absolvi.

ANNO CHRISTI 1247.

De absolutione.

Devote & cum gravitate est absolutio impendenda. Decani quibus hoc frequenter demandatur, caveant in primis quod plegios accipiant competentes de emenda, & eorum nomina penes se scripta retineant, providentes ne propter defectum plegiorum vel impotentiam, supplere de suo cogantur; & ad hoc idem attendant presbyteri, si sibi fuerit alicujus absolutio demandata. Sæpe contigit, ut excommunicationis littera, post obtentum absolutionis beneficium, remanente apud eum qui impetravit eamdem, fraudulenter objiciatur iterum excommunicatio jam sublata, & tamquam excommunicatus evitatur & repellitur absolutus. Contingit etiam in multorum perniciem ut penes creditorem post solutionem debiti, instrumento remanente, iterum petitur jam solutum quandoque scienter ab eo cui mutuatum extitit, & quandoque per ignorantiam ab herede. His perfidiæ actionibus occurrentes statuimus, ut in absolutionibus impendendis tam excommunicationum quam gravationum litteræ destruantur; nec aliter absolvendus nec debitor satisfacere compellatur, nisi actor vel creditor solventem vel absolutum instrumento muniat competenti.

Cum aliquis excommunicatus pro defectu est ab ecclesia absolvendus, super hoc pars adversa certificetur, & tunc receptis plegiis de emenda & præstito juramento quod juri parebit, de causa illa propter quam fuit excommunicatus, solemniter absolvatur, verberando eum cum psalmo pœnitentiali scilicet, *Miserere mei Deus*, &c. in fine *Kyrie eleison*, *Pater noster*, *Et ne nos*, *sed libera*. *Salvum fac servum tuum Domine*, *Domine exaudi*, *Dominus vobiscum*.

Oratio.

Præsta quæsumus Domine huic famulo tuo N. dignum pœnitentiæ fructum, *ecclesiæ tuæ sanctæ*, *a cujus integritate deviarat peccando*, *admissorum*, *reddatur innoxius*, *veniam consequendo*. *Per Christum*, *&c.*

Et ego auctoritate Dei Patris omnipotentis, *& beatæ Mariæ*, *& beatorum apostolorum Petri & Pauli*, *& omnium sanctorum*, *& domini episcopi vel officialis*, *vel decani*, *te absolvo ab ista excommunicatione*, *de qua satisfecisti*, *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. *Amen*.

Sciendum est quod excommunicatus etiam a domino papa, & a quolibet sacerdote absolvi potest in articulo mortis, satisfactione præmissa sibi pro offensa vel absoluto prius indicata, si pro re judicata fuerat excommunicatione innodatus; si tamen de hoc habeat facultatem, recepto ab eo juramento, quod quam cito habebit oportunitatem, excommunicatoris sui adibit præsentiam, mandato ipsius pariturus. Si autem infirmus offensam emendare non poterit, vel solvere judicatum, inducendus est heres, ut hoc faciat, & per judicem, non per pœnitentiarium compellendus.

ANNO CHRISTI 1247.

De officio decanorum.

Statuimus ut decani quamlibet sibi subjectam ecclesiam visitent annuatim personaliter & prioratus: & si procurationes voluerint omittere, nullatenus tamen visitationem omittant. Et dum visitant, officium testium synodalium exercentes, inquirant summarie de notoriis criminibus & scandalis ejusdem loci, tam clericorum quam laicorum: & quod per se corrigere non poterunt, episcopo referant infra mensem, ut secundum eorum relationem ad plenam inquisitionem descendat episcopus & corrigat, ut viderit expedire. Inquirant etiam utrum ecclesiis vel prioratibus impositæ novæ fuerint provisiones ab abbate, vel aliquo alio, absque consensu episcopi; & quod invenerint, episcopo renuntient fideliter absque mora. Et hanc inquisitionem extendi volumus ad exemtos, de quorum privilegiis fuerit dubitatum: & qui ea ostendere noluerint sicut debent, pro exemtis nullatenus habeantur, nec inquisitionibus supradictis ... vero aliis in judiciis.

Ad officium decanorum pertinere censemus, ut dominos sæculares, qui dominicis diebus & festis beatæ Mariæ nundinas statuunt congregare, moneant & compellant, si necesse fuerit, monitione præmissa, ut eas ad dies alios studeant assignare, cum in diebus prædictis non possint sustineri sine periculo animarum. Universis decanis præcipimus, in virtute obedientiæ districtius injungentes, quatenus eorum quilibet presbyteros sibi subjectos quater in anno ad suam vocent præsentiam, ubi & quando viderint expedire, ut ibi singulos libros suos synodales perfectos & correctos afferant, & in eorum congregatione legat unusquisque aliquam libri particulam quam decanus jusserit injungendam; ita ut in quatuor vocationibus supradictis totus liber legi valeat & exponi. Eos autem qui ad vocationem decani cum libro non venerint synodali, remittat decanus episcopo suspensos ab officio, nisi legitime fuerint excusati.

De constitutione presbyterorum.

Sciant decani presbyteros parochiales interdicere posse, & arcere ad ingressu ecclesiæ tabernarios & eorum familiam, recipientes in tabernis conventicula potatorum de eadem parochia, & eos qui tenent publice concubinas, & condonatos religiosorum locorum, videlicet domus Dei & leprosariæ, qui signum condonationis deferre recusant; & communicantes excommunicatis, & familiam excommunicati, si plus quam per viginti dies in sententia fuerit obstinatus. Monere etiam possunt & excommunicare eam in casu recredentiæ, cum res vel homo ecclesiæ detinetur, prout hæc omnia colligi possunt ex prædictis in locis de ista materia facientibus mentionem. Permittimus etiam, ut interdicere possint ingressum ecclesiæ, & ecclesiastica sacramenta denegare per consequens post octavas paschæ omnibus illis, qui solven-

do

do negligentes fuerint, & denarium beatiſſimi Juliani non reddiderint, vel alios paſchales denarios, ne pro quatuor vel quinque denariis litigando incurrant ipſi grave diſpendium vel ſubjecti: unde ſi quis presbyter aliquam talem ſententiam tulerit, eam non revocet decanus neque ſuperior, ſed eam faciant uſque ad ſatisfactionem condignam firmiter obſervari.

Nova conſtitutio.

Romana eccleſia, etc. nec appellationis articulo prætermiſſo, nec alias etiam cum minime appellatum conſtitit, Remenſis archiepiſcopus vel ejus officialis de cauſis clericorum tamquam judices laicis in ipſos iidem clerici de facto conſentiant abſque diœceſanorum ſuorum voluntate cognoſcant, neque ſuffraganeorum Remenſis eccleſiæ ſubditos ipſorum delegationem ſuſpicere, vel ſententias & præcepta exequiant in cauſis per appellationem ad eos teſtimonium niſi aliud in his tribus de conſuetudine obtineat prohibere compellant. Nec etiam ſuffraganeorum ipſorum officiales vel archidiaconos, archipresbyteros, alioſque inferiores prælatos ſuffraganeis eisdem ſubjectos ſuffraganeorum ipſorum ſuper ſalariis advocatorum & procuratorum in cauſis quæ in Remenſi ventilantur curia cogant querelantibus in ſua præſentia reſpondere. Contrahentes vero aliarum diœceſum ſuper contractibus initis in diœceſi Remenſi ab eiſdem ubi inveniantur ibidem trahere coram ſe non debent invitos, licet in poſſeſſionem bonorum quæ ibi habent, etiam cum alibi copiam ſui faciunt, ſi eorum auctoritate citati comparere contemnant, poſſunt miſſionem facere contra eos: vel ſi forte malitioſe ſeipſos occultent, ne citatio perveniat ad eosdem, decernere faciendam impoſitionem bonorum, quæ in alia diœceſi obtinere noſcuntur: ſed tunc loci diœceſanus ad denuntiationem ipſorum faciet hujus remiſſionem. Nec clericos ſuos mittant ad ſuffraganeorum diœceſium .... promendis vel cognoſcendis contractibus coram ipſis, nec in eorumdem ſuffraganeorum ſubditos, pro eo quod vocati ab eo nolunt querelantibus in ſua reſpondere præſentia, eccleſiaſticam exercere cenſuram. ANNO CHRISTI 1247.

Sequuntur dies feriandi per annum in diœceſi Cenomanenſi.

Januarius. Circumciſio Domini. Epiphania Domini. Beatiſſimi Juliani.

Februarius. Purificatio B. Mariæ Virginis. Mathiæ apoſtoli.

Martius. Annuntiatio B. Mariæ Virginis.

Majus. Philippi & Jacobi. Inventio ſanctæ Crucis.

Junius. Gervaſii & Prothaſii. Nativitas B. Johannis Baptiſtæ. Petri & Pauli apoſtolorum.

Julius. Viſitatio B. Mariæ Virginis. Mariæ Magdalenæ. Jacobi apoſtoli.

Auguſtus. Transfiguratio Domini. Laurentii martyris. Aſſumptio B. Mariæ Virginis. Bartholomæi apoſtoli. Decollatio B. Johannis-Baptiſtæ.

September. Nativitas Beatæ Mariæ Virginis. Exaltatio S. Crucis. Matthæi apoſtoli.

October. Michaelis in monte Tumba. Simonis & Judæ apoſtolorum.

November. Feſtum Omnium ſanctorum. Martini archiepiſcopi Turonenſis. Catharinæ Virginis. Andreæ apoſtoli.

Decembr. Nicolai epiſcopi. Conceptio B. Mariæ Virginis. Thomæ apoſtoli. Nativitas Domini. Stephani protomartyris. Johannis Evangeliſtæ. Innocentium. S. Silveſtri.

Sequuntur feſta mobilia.

Dies paraſceves. Feſtum paſchæ cum tribus diebus ſequentibus. Dedicatio eccleſiæ. lunæ poſt Quaſimodo. Item, dedicatio cujuslibet particularis eccleſiæ. Aſcenſio Domini. Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus ad minus. Feſtum conſecrationis corporis Chriſti. Item, in qualibet parochia feſtivitates ſanctorum in quorum honore eccleſia eſt fundata. Ceteræ feſtivitates ſanctorum non ſunt cogendæ, ſed monendæ, ſecundum morem antiquum obſervari.

Explicit.

ANNO CHRISTI 1247. 1248.

CONSTITUTIO PETRI S. GEORGII

Card. A. S. L. pro clero urbis & diœceſis Trajectenſis.

De Fornicariis.

PEtrus, miſeratione divina ſancti Georgii ad velum aureum Diaconus cardinalis A. S. L., univerſo clero civitatis & diœceſis Trajectenſis, ſalutem, & rei geſtæ notitiam in perpetuum valituræ.

Licet univerſos Chriſti fideles, & illos præcipue, qui ad dominicæ ſocietatis participium ſunt vocati, & noſtræ ſollicitudini ab apoſtolica ſede commiſſi, ſpeciali caritate diligere teneamur; cum tamen ab eis aliquod enorme committitur, tanto ad correctionem ipſorum propenſiori cura debemus intendere, quanto, in culpis eorum eccleſiaſticæ honeſtatis ſinceritas amplius denigratur.

Sane auribus noſtris innotuit, quod nonnulli veſtrum carnis lubricum non vitantes, detinere fornicarias publice non verentur, & alia plura committunt enormia, quæ divinæ offendunt oculos majeſtatis, & ſunt aliis perdicionis exemplum. Cum ergo ſollicitudinis noſtræ intereſſe noſcatur, ut ſuper his illud apponamus remedium, quod in Domino credimus opportunum, de conſilio epiſcopi & prælatorum eccleſiæ Trajectenſis præſenti decreto ſtatuimus, ne quis clericus Trajectenſis civitatis, & diœceſis cuncubinam de cætero publice, ſub pœnis inferius adnotatis, detinere præſumat; monentur nihilominus publice, ut ad xx. dies a proclamatione Conſtitutionis hujus computandos, nephandas abiicere debeant concubinas, eas, vel ſimiles nullatenus recepturi. Alioquin ſint ipſo jure officio, beneficioque ſuſpenſi; & ſi ex tunc ſe non correxerint, decem dierum elapſo ſpacio, ſe ſciant excommunicationis ſententiæ innodatos, ipſorumque beneficia vacare, ac eorum collaciones ad ſuperiores juxta ju-

☞ juris debitum redire; quod si adhuc eorum excessus remaneant nihilominus incorrecti, non obstante frivolæ appellationis obstaculo, bonis, quæ possederant, spolientur; ita quos timor Dei non revocat a malo, saltem rigor debitus revocet disciplinæ. Cumque ipsorum nephanda soboles in episcopatu Trajectensi nimium inolevit, volumus & mandamus, quod nulli filii clericorum, patribus viventibus, in majori ecclesia ad aliquam ecclesiarum civitatis & diœcesi *Trajectensis*, aliquod obtinere de cætero beneficium, * nisi ex indulgentia S. A., quæ de concessione hujusmodi expressam faciet mentionem ordinariam, si quantum ex ipsis beneficiis obtinendis, ac . . . . . illa vice beneficiorum ipsorum ordinatione censemus fore privatos, ut ecclesia Trajectensis continuum suscipiat incrementum: & ne lupus rapax invadat oves pastore carentes, præsenti constitutione sanximus, ut de consilio ecclesiarum Trajectens. de cætero continuam faciant residentiam in eisdem. Alioquin qui se absentaverint absque capituli sui licentia, & in casibus non concessis, post duorum mensium spacium decanatus officio sint ipso jure privati, & canonici ecclesiar. ipsarum alios, quos honestos & idoneos crediderint, sibi eligant decanos; nec ad decanatus officium aliqui in eisdem ecclesiis de cætero assumantur, nisi jurent ibidem residentiam facere personalem.

ANNO CHRISTI 1248.

☞ CONCILIUM PARISIENSE

A Guilone Archiepiscopo Senonensi

Anno 1248. celebratum.

Ex chartario episcopatus Trecensis eruit Cl. V. dominus Brayer canonicus Trecensis.

I.

An. 1248. Ex Mart. Mel. Mon. tom. MII. pag. 139.

STatuimus ut abbates & priores conventuales, qui non venerunt ad concilium, nec se excusaverunt, prætendendo canonicum impedimentum, per mensem ab ingressu ecclesiæ sint suspensi . . . . . Et hæc pœna, quantum ad hoc concilium statuta est sub * comminationis majoris pœna, si alias super hoc culpabiles inveniantur.

* excommunicationis.

II.

Statuimus, ut illi qui ad concilium provinciale venire tenentur, si per impedimentum remaneant, se excusent per idoneum nuncium litteratorie destinatum, quod possit fidem facere de canonico impedimento, supra quo volumus ipsum facere mandatum.

III.

Statuimus ut in locis sive prioratibus ubi conventus solet esse, si facultates ipsius ecclesiæ suppetant, conventus ibi restituatur.

IV.

Statuimus, quod in domibus, sive locis ubi solet esse prioratus, si facultates sufficiant, monachi sive canonici regulares ad divinum ibidem celebrandum servitium reducantur.

V.

Monemus abbates & priores & conventuales, quod tot servitores in abbatiis & prioratibus sibi subditis instituant, si ad hoc facultates locorum sufficiant, quot solent deservire; & ne pensiones sive censum exigant ab eisdem, quem non solent exigere ab antiquo; nisi forte alicui ex justa causa ab episcopo suo permittatur.

VI.

Statuimus, ut abbates, abbatissæ, priores prioriss, & alii obedientiarii de singulis proventibus, redditibus & expensis singulis annis computent in capitulo diligenter, & ut status abbatiarum & prioratuum conventualium a claustralibus cognoscantur, & computus redigatur in scriptis: ita quod conventus penes se unum scriptum habeat, & abbas sive prior aliud. Abbates vero coram senioribus ecclesiæ suæ computent, & in genere exponant in capitulo statum monasterii sui.

VII.

Nullus abbas sive abbatissa, prior vel prioriss conventuales mutuo recipiant pecuniam, sine capituli sui vel majoris & sanioris partis licentia, ultra summam ab episcopo suo taxandam, secundum monasterii facultates; qui contra per episcopum suum puniatur.

VIII.

Præcipimus abbatibus & abbatissis, prioribus, & prioriss, ut ipsi vestibus suo ordini congruentibus utantur; & si abbas vel abbatissæ de his observandis, vel suis subditis corrigendis sint negligentes, per suos episcopos puniantur.

IX.

Statuimus, ne prior conventualis ultra quadraginta solidos, sine licentia abbatis sui vel episcopi, si abbas non fuerit, mutuo pecuniam recipiat: quod si forte fecerit, abiiciatur a prioratu; nec denuo valeat prioratum adipisci, quousque per provinciale concilium fuerit restitutus. Eidem pœnæ subjaceat prior, qui quamcumque summam pecuniæ recepit a Judæo.

X.

Propter scandala, quæ ex monialium conversatione proveniunt, statuimus de monialibus nigris, ne aliquod depositum recipiant in domibus suis ab aliquibus personis, nisi de licentia episcopi sui, maxime arcas clericorum vel etiam laicorum causa custodiæ.

XI.

Item, quod omnes comedant in refectorio communiter, in dormitorio dormiant, nisi ex causa justa & necessaria ex indulgentia abbatissæ aliter fieri permittatur. Item, cameræ monialium omnes destruantur, nisi aliquæ per inspectionem episcopi necessario retineantur ad infirmariam faciendam, vel alia de causa, quæ episcopo justa & necessaria videatur.

XII.

Item, quod moniales exire non permittantur, vel extra pernoctare, nisi forte ex magna causa & raro: & abbatissis injungatur, ne aliter egredi permittant. Et, si quando abbatissa ex justa causa alicui permittat, eidem injungat quod sine mora revertatur. Ostia

sus-

☞ ſuſpecta & ſuperflua obſtruantur. Circa hoc autem epiſcopi diligentiam adhibeant & curam per ſe & per miniſtros ſuos, & vitas & converſationes earum reſtringant, & per eorum diligentiam ſcandala quæ in præſenti de vita ipſarum proveniunt, ſopiantur.

XIII.

Moneantur capitula ſæcularium perſonarum, maxime cathedralia, ut ipſi conveniant & tractent, quod in eccleſiis ſuis die ac nocte per ſe & clericos eccleſiarum divinum ſervitium competenter ſecundum numerum inſtiiutorum & facultates eccleſiarum celebretur; & circa divinum officium diligentiam adhibeant efficacem, præcipue circa pſalmodiam; tractatim & per pauſationes congruas in medio verſuum pſalmos dicant; nec verſum incipiat pars chori pſallitura nondum alio finito, & quod a confabulationibus, præcipue in choro abſtineant, ſimiliter cum diligentia, moneantur.

XIV.

De capitulis vero, quæ vocata fuerint, & conſueverint ad concilium evocari, & quæ ſufficienter non miſerunt, perſonæ & canonici non reſidentes per octo dies a quotidianis diſtributionibus ſuſpendantur, quæ in uſus pauperum & fabricæ majoris eccleſiæ per epiſcopum diœceſis loci erogentur.

XV.

Statuimus, ut literæ quas habent presbiteri vel perſonæ eccleſiarum aut capellaniarum de requiſitione reddituum conſcribantur, & conſcripta penes ſe retineant, & deponant litteras illas de conſenſu diœceſani vel archidiaconi in arca, & hoc faciant infra menſem.

XVI.

Statuimus, ut rectores eccleſiarum in vicarios & capellanos de aſſenſu diœceſani, vel archidiaconi, vel officialis, ſeu decanorum inſtituant in eccleſiis: qui vero ſecus egerit, puniatur.

XVII.

Statuimus, quod in cauſis minimis non obſervetur illa ſolemnitas judiciorum, quæ eſt de petitione ſcribenda, vel induciis dandis, niſi controverſia de re quæ excedat ſummam viginti ſolidorum; vel niſi de voluntare partium procedatur, vel niſi judex aliud ex cauſa viderit faciendum.

XVIII.

Statuimus, ut ea quæ debentur vel legantur eccleſiis ad emendos redditus, illi, ad quos pertinent, recipiant a debitoribus, ut deponantur cum aliis, in utilitatem eccleſiarum convertenda, non in uſus proprios ſacerdotum convertantur. ANNO CHRISTI 1248.

XIX.

Statuimus, ut nullus, qui propter quæſtum veniat, recipiatur ad publicum ſermonem faciendum, nec reliquias exhibeat, ſine teſtimonio diœceſani epiſcopi.

XX.

Antiquum ſtatutum concilii renovantes ſtatuimus, ut ſi quis per annum & diem excommunicationem ſuſtinuerit publicatam, moneatur poteſtas ſæcularis ut excommunicatum ad unitatem eccleſiæ per ſuam poteſtatem venire compellat, mittendo manum in ipſum & res ejus, & nihilominus tales excommunicati per diœceſanum citentur ad provinciale concilium, tamquam de fide ſuſpecti reſponſuri, quorum nomina in ſequenti concilio referantur.

XXI.

Statuimus, ut ille ad quem unius pluriumve judicum mandatum dirigitur, ſive de citatione facienda, ſive de aliquo faciendo, non faciat quod mandatur, niſi in ipſo mandato contineantur expreſſe, & deſignentur nomina locorum diœceſis & partium, & etiam cognomina, vel aliæ tales circumſtantiæ, per quas, quæ & unde ſint poſſit agnoſci, & niſi etiam exhibeant authenticum, cujus auctoritate procedit mandatum, vel authenrici tranſcriptum, ſub ſigillis authenticis & notis.

XXII.

Statuimus, ut ſinguli epiſcopi per ſuas diœceſes provideant viros providos & diſcretos, qui ſuper executionibus teſtamentorum per ſuas diœceſes vacationes, requirant, & voluntates defunctorum per executores & alios, ad quos ea res pertinet, faciant executioni demandari.

XXIII.

Statuimus, & in virtute obedientiæ præcipimus, ut omnes abbates & priores conventuales, ac etiam nuncii capitulorum præſentis ſtatuta concilii recipiant, ac ea in ſuis capitulis habeant, legant, & publicent infra menſem.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

CONCILIUM SCHENINGENSE

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248

ADVERSUS PRESBYTERORUM CONJUGIA,

A Guillelmo cardinale Sabinenſi, Innocentii IV. legato celebratum anno circiter MCCXLVIII.

Joannes Magnus archiepiſcopus Upſalenſis libro Gothicæ hiſtoriæ XIX. *cap.* XV. *hoc præſertim concilio inſigne fuiſſe memorat regnum Henrici Sueonum regis: qui viginti octo, quibus regnavit, annis*, multa, *inquit*, ſui optimi regiminis teſtimonia ad poſteros tranſmiſit: inter quæ non infimum locum habent quæ in Scheningenſi concilio acta fuere per Guillelmum cardinalem & epiſcopum Sabinenſem, ſummi pontificis Gregorii IX. legatum, pro reſtituendis moribus fidei Chriſtianæ, tam ipſo Rege ac proceribus præſentibus & approbantibus, quam Jarlero archiepiſcopo Upſalenſi cum omnibus cœpiſcopis ſuis, ad omnia ejuſdem concilii decreta conſentientibus. Quæ ſi hactenus æque diligenter obſervata fuiſſent, quemadmodum pie & ad publicam concordiam inſtituta fuerunt, non ſolum Chriſtianam remp. felicem haberemus, ſed regnum ex omni parte beatum ad noſtros ſucceſſores transmitteremus.

Prima intentio & cura cardinalis Sabinenſis in hoc concilio erat, revocare Suecos & Gothos a ſchiſmate Græcorum, in quod presbyteri & ſacerdotes ductis publice uxoribus conſenſiſſe videbantur: effecitque cooperantibus rege Erico, & Birgero duce, ut abjuratis con-

jugibus & concubinis cœlibatum amplecterentur, Trangreſſores vero hujus ſtatuti, omnibus proventibus, & dignitatibus, ac privilegiis & libertatibus clericali ordini annexis, privavit, gravibuſquæ pœnis & cenſuris ac judicio ſæculari ſubjecit.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

G. COSS.

Gregorii IX. legatum fuiſſe Guillelmum cardinalem, cum huic præfuit concilio, falſo Joannes Magnus aſſerit. Ad Boreales populos prædicandi evangelii cauſa miſſus fuit ab Honorio III. primum, tum a Gregorio IX. ſed nondum cardinalis. Qua dignitate auctus eſt ab Innocentio IV. ab eoque in Septentrionem tertium legatus eſt. Auctores, Ciaccionius & alii. Miſſum autem ab Innocentio IV. in Norvegiam, & Sueciam, jam cardinalem, eoque conſilio in Angliam anno MCCXLVII. veniſſet, ut inde verſus Septemtrionem ſolveret, teſtatur Matthæus Weſtmonaſterienſis, qui præcipue fuiſſe legatum ait, *ut regem Norvegia Haconem in regem innungeret*. In Norvegiam ergo primum anno MCCXLVII. profectus, deinde in Sueciam, ubi Scheningenſe concilium cœgit, anno, ut probabile eſt, conſequenti. Certum eſt, non potuiſſe ante annum MCCXLVII. quo profectus eſt; neque poſt MCCL. quo Henricus rex, qui concilio interfuit, obiit.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248

Errorem ſuum emendavit Joannes Magnus in Metropoli, quod opus poſtea conſcripſit. *Concilium*, inquit, *Guillelmi cardinalis Sabinenſis in Scheningia, vetuſtiſſimo Oſtrogothorum oppido, ſub Innocentio IV. celebratum eſt, deinde per papam Alexandrum IV. Anagniæ anno ejus quinto, atque alios pontifices ſummos perpetuo confirmatum.*

Odoricus Raynaldus vocat Scherungenſe, litterarum affinitate inter exſcribendum deceptus: collocatque anno MCCXXXV. cum Gregorii IX. tempore putet habitum: & ad Danos legatum ait, ibique huic præfuiſſe ſynodo, perinde quaſi Scheningia Daniæ urbs eſſet, non Sueciæ; & Olaum Magnum auctorem citat, cum Joannem debuiſſet.

CONCILIUM VALENTINUM

IN GALLIA

Pro fide, pace, & libertate eccleſiæ, a Petro Albanenſi epiſcopo, & Hugone S. Sabinæ præsbytero, cardinalibus, cum epiſcopis IV. provinciarum, ſabbato poſt feſtum S. Andreæ, anno Dom. MCCXLVIII. Innocentio IV. pontifice celebratum.

Ex Sirmondi apographo recens editum.

TITULI CAPITULORUM.

I. *Ut conciliorum ſtatuta inviolabiliter obſerventur.*
II. *Ut pax juretur de triennio in triennium: & Friderico Imp. auxilium non detur.*
III. *Ut qui ſunt in ſacris ordinibus, & qui ſunt beneficiati, officium publicum in ſæculari curia non recipiant.*
IV. *Ut clerici beneficiati recipiant ordines ſacros, cum neceſſitas exigit, & epiſcopus jubet.*
V. *De Judæis, ut ſignum portent.*
VI. *Ut perjuri puniantur.*
VII. *Et præſertim qui jurarunt pro fide, pace, & libertate eccleſiæ.*
VIII. *Ut perjuri, publice denuncientur.*
IX. *De non exequentibus ſententiam inquiſitorum.*
X. *De epiſcopis nolentibus denunciare vel ſervare ſententiam diœceſani vel inquiſitoris.*
XI. *Ut ab inquiſitoribus non admittantur in proceſſibus advocati.*
XII. *De ſacrilegis & ſortiariis.*
XIII. *De deponentibus crucem ſibi impoſitam propter hæreſim: de aufugientibus e carcere: de contemptoribus excommunicationum.*
XIV. *Ut excommunicati, ad officia publica non eligantur.*
XV. *De iis qui banna faciunt contra excommunicatores vel denunciatores.*
XVI. *Ut prælati excommunicatos ſibi a diœceſano denunciatos denuncient, & vitent.*
XVII. *De iis qui excommunicati publice, ſe officiis eccleſiaſticis ingerunt.*
XVIII. *De iis qui communicant frequenter cum excommunicatis.*
XIX. *Ut ſerventur ſtatuta de clericorum interfectoribus*, &c.
XX. *Ut conjurationes & confratriæ non fiant.*
XXI. *Ut excommunicentur qui pacem, requiſiti, non jurant.*
XXII. *Excommunicatio Friderici imp. & fautorum ejus.*
CXXIII. *De iis qui Friderico auxilium dederint, vel advocaverint.*

PRÆFATIO.

UNiverſis Chriſti fidelibus ad quos preſens pagina pervenerit, miſeratione divina P. * Albanenſis epiſcopus, & H * tituli S. Sabinæ presbyter cardinalis, æternam in Domino ſalutem Noveritis quod cum dominus Papa archiepiſcopos, epiſcopos, & alios prælatos quamplures Narbonenſis, Viennenſis, Arelatenſis, Aquenſis, provinciarum, ac etiam quoſdam epiſcopos & prælatos quarumdam circumvicinarum diœceſium ad concilium celebrandum apud Montilium Valentinæ diœceſis, pro fide, pace, & libertate eccleſiæ, convocaſſet, & nos pro eodem cum prelatis ad partes illas duxerit deſtinandos, qui ad dictum locum vocati venerant apud Valentiam de mandato noſtro ad celebrandum dictum concilium, ex cauſa neceſſaria congregatis, de dictis tractavimus cum eiſdem. Quoniam igitur multorum conciliorum ſtatuta ſalubria, non ſunt, ſicut debuit & decuit, hactenus obſervata, ex quo in contemptum & in oblivionem quaſi totaliter devenerunt: ideo neceſſarium fore providimus prædictorum conciliorum ſtatuta renovare, & quaſdam pœnas ad ipſorum obſervantiam, ac quædam alia ſtatuere, quibus vita delinquentibus arceatur.

* Petrus
* Hugo

CAPITULA.

I.

Ut conciliorum ſtatuta inviolabiliter obſerventur.

AUctoritate igitur præſentis concilii ordinamus & ſtatuimus, quod antiqua

tiqua concilia per legatos apostolicæ sedis edita, ac etiam præsentis concilii statuta inviolabiliter observentur, & a prelatis omnibus habeantur.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

II.

Ut pax juretur de triennio in triennium & Federico imp. auxilium non detur.

Item statuimus quod statuta pacis omnino serventur, & juretur pax de triennio in triennium, & renovetur, prout in statutis conciliorum continetur; & addatur nunc in sacramento, quod Friderico schismatico, qui est auctor discordiarum & turbator pacis, non dabunt auxilium, vel favorem, nec ipsum ad provincias istas forsitan venientem, vel nuncium suum, suam potestatem exercentes vel exercere volentes, recipient, nec obedient eis, cum ipsi nihil intendant aliud, nisi ut unitatem ecclesiæ dividant, & catholicorum pacem perturbent.

III.

Ut qui sunt in sacris ordinibus, & qui sunt beneficiati, officium publicum in seculari curia non recipiant.

Item statuimus, ut nulli clerici in sacris ordinibus constituti, seu canonici cathedralium ecclesiarum, seu beneficiati, judicatum, consulatum, assisoriam, vel alia officia publica in curia sæculari, electi a populo vel a sæculari persona, recipiant; & si receperint, nisi infra mensem postquam publicata fuerit in suis diœcesibus hæc statuta, dimiserint, ab officio & beneficio suspendantur. Et si per annum in contumacia perstiterint, vel cum simile officium receperint, iterum suis beneficiis per episcopos suos sine spe restitutionis priventur.

IV.

Ut clerici beneficiati recipiant ordines sacros, cum necessitas exigit, & episcopus jubet.

Item de canonicis ecclesiarum sæcularium & regularium, & aliis beneficiatis clericis renuentibus ordines subdiaconatus, diaconatus recipere, vel ordinem sacerdotii, quando necessitas hoc requirit, & a suis episcopis requiruntur, constitutiones & concilia super hoc edita mandamus inviolabiliter observari.

V.

De Judeis, ut signum portent.

Item de Judæis etiam concilia & constitutiones serventur: & si domini sæculares admoniti non compellunt eos signum portare, prælati procedant contra ipsos Judæos, interdicendo commercia Christianorum cum eis, & alias puniendo, sicut in concilio & constitutionibus continetur.

VI.

Ut perjuri puniantur.

Item de puniendis perjuris qui aperte pejerant, & juramenti religionem contemnunt, statuta conciliorum & constitutionum jura observari præcipimus: statuentes quod cum salutaria statuta super iis edita propter prælatorum negligentiam contemnantur, unde a perjuriorum frequentia non cessatur, prælati de cetero prædicta statuta inviolabiliter observent, & in synodis suis ea publicantes, præcipiant subditis inviolabiliter observari.

VII.

Et præsertim qui jurarunt pro fide, pace, & libertate ecclesiæ.

Præsertim de illis perjuris, qui juraverunt pro pace, pro fide, pro defensione ecclesiæ, seu etiam libertate. Et si universitas aliqua in hoc culpabilis sit reperta, supponatur ecclesiastico interdicto, & personæ culpabiles pœnis subjaceant editis in conciliis memoratis.

VIII.

Ut perjuri publice denuncientur.

Statuta vero conciliorum super his edita per episcopos in synodis, ut supradictum est, & in ecclesiis seu aliis solennibus locis, publicentur frequenter, & perjuros hujusmodi prælati vicinis episcopis & archiepiscopis, suis etiam subditis denuncient, qui ad dimtationem * sibi factam, in ecclesiis suis denunciare tenentur eosdem Dominicis diebus & festivis.

* Cor. denunciationem

IX.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

IX.

De non exequentibus ſententiam inquiſitorum.

Item de non exequentibus ſententiam inquiſitorum, ſtatuimus, quod moneantur per inquiſitores vel loci diœceſanum: & ſi moniti, infra terminum competentem eis præfixum non paruerint, cenſura eccleſiaſtica compellantur. Et ſi nec ſic ſe emendaverint, tam diœceſanus, quam inquiſitores, contra eos clero ad hoc congregato & populo ſententialiter procedant, quaſi contra defenſores & fautores hæreticorum. Et ſententia, poſtquam lata fuerit contra eos, per ipſum qui eam tulit, vel per inquiſitores qui eam tulerunt, vicinis epiſcopis publicetur, ut eam denuncient & obſervent.

X.

De epiſcopi nolentibus denunciare vel ſervare ſententiam diœceſani vel inquiſitoris.

Si quis vero epiſcoporum eam denunciare vel obſervare noluerit, donec faciat quod ſit denunciatum, ut ſit ei eccleſiæ ingreſſus interdictus.

XI.

Ut ab inquiſitoribus non admittantur in proceſſibus advocati.

Item ne inquiſitionis negotium per advocatorum ſtrepitum retardetur, providendo ſtatuimus, quod ab inquiſitoribus non admittantur in proceſſibus advocati. Circa vero advocatos hæreticorum, fautores, & defenſores, conſtitutionem de hæreticis præcipimus obſervari.

XII.

De ſacrilegis & ſortiariis.

Item de ſacrilegis & ſortiariis, quocumque nomine cenſeantur, & ſpecialiter de his qui magiſtri ſunt vel doctores in opere tam damnoſo, ſtatuimus quod ſi inventi fuerint, reddantur ſuo epiſcopo: &, ſi moniti non reſipuerint, immurentur, vel ab arbitrium epiſcopi puniantur.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

XIII.

De deponentibus crucem ſibi impoſitam propter hæreſim: de aufugientibus e carcere: de contemptoribus excommunicationum.

Item de illis qui propria temeritate crucem deponunt ſibi impoſitam propter hæreticorum pravitatem, ſtatuimus, quod ſine ſpe miſericordiæ crucem reſumere compellantur. Ita quod inquiſitores vel illi qui præſunt negotio, eis ultra non poſſint facere gratiam ſuper crucem. Et ſi moniti crucem reſumere noluerint, tanquam hæretici judicentur. Idem de illis ſtatuimus, qui de carceribus aufugiunt, nec moniti revertuntur. Item de contemptoribus excommunicationum, quantum ad eos qui ſunt in regno Franciæ, obſervetur illa conſtitutio, *Cupientes*, & concilium Apamiarum. Quantum ad alios qui non ſunt in regno, ſtatuimus quod ſi perſtiterint per ſex menſes in excommunicatione contumaciter, & moniti noluerint reſipiſcere, denuncientur infames & excommunicati in locis ubi morantur, & in locis vicinis: qua infamia non niſi per ſedem apoſtolicam abſolvantur.

XIV.

Ut excommunicati, ad officia publica non eligantur.

Item excommunicati, in conſules, poteſtates, rectores, aſſeſſores, bailivos, vel ad alia officia publica nullatenus eligantur, & qui tales ſcienter elegerint, excommunicentur, & nulla ſententia lata per ipſos, ſive eorum auctoritate, valeat ſeu proceſſus habiti per eoſdem, ſive auctoritate ipſorum.

XV.

De iis qui banna faciunt contra excommunicatores vel denunciatores.

Quia vero intelleximus quod excommunicati quidam ſtatuta quædam faciunt, præcepta ſeu banna contra excommunicatores vel denunciatores excommunicationum latarum, quod eſt quaſi hæreticum, & a diſciplina eccleſiaſtica alienum, dum directe fiat hoc in contemptum clavium & eluſionem ipſarum, quas ipſi nituntur infringere malitia obſtinata, licet excommunicati intelligantur per conſtitutionem domini Honorii. Quia tamen conſtitutionem

il-

illam contemnunt, ſtatuimus, quod quicumque ſtatutum, præceptum, bannum, interdictum, furni, molendini, ignis, aquæ ſeu aliorum commerciorum, ſeu mandatum, fecerint contra excommunicatores vel denunciatores, apertum, tacitum vel occultum, denuncientur etiam propter hoc excommunicati. Et ſi moniti, infra decem dies non revocaverint, & denuncientur excommunicati per totam provinciam, & etiam in vicinis provinciis, ſi videbitur expedire: & ceſſetur a Divinis in omnibus locis, ad quæ venerint taliter excommunicati, quandiu moram fecerint in eiſdem: nec abſolvantur, donec ſatisfecerint competenter de damnis & injuriis illatis propter hoc eccleſiæ & perſonis eccleſiaſticis.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

XVI.

Ut prælati excommunicatos, ſibi a diœceſano denunciatos, denuncient, & vitent.

Præcipimus autem quod prælati omnes cum a diœceſano, qui excommunicationem tulit, ipſis fuerit denunciatum, prædictos denuncient, & illos vitent: & hoc medicinale ſtatutum inviolabiliter obſervent. Quod ſi non fecerint, ingreſſum eccleſiæ per menſem unum ſibi noverint interdictum.

XVII.

De iis qui excommunicati publice, ſe officiis eccleſiaſticis ingerunt.

Item excommuuicati publice ſe officiis eccleſiaſticis pertinaciter ingerentes, nec volentes inde recedere ad ſacerdotis ſeu prælati mandatum, propter hoc excommunicentur, & a ſuo prælato excommunicati publice nuncietur, & non niſi per ſedem apoſtolicam ab hac excommunicationis ſententia abſolvantur.

XVIII.

De iis qui communicant frequenter cum excommunicatis.

Item illi qui frequenter & quaſi ex conſuetudine ſcienter excommunicatis communicant in officiis vel menſa, tanquam communicantes in crimine, per ſuperiores ab ingreſſu eccleſiæ arceantur. Et ſi forte prælatus fuerit, per ſuperiorem ſuum juxta morem canonum puniatur.

XIX.

Ut ſerventur ſtatuta de clericorum interfectoribus, &c.

Item de clericorum interfectoribus, benorum eccleſiaſticorum raptoribus, eccleſiaſticæ libertatis violatoribus, & initis contra ſtatuta eonciliorum ſocietatibus, ac reformandis clericorum ſæcularium vel religioſorum honeſtatibus, ſtatuta conciliorum ſuper his edita, & ſacrorum canonum inſtituta præcipimus inviolabiliter obſervari,

XX.

Ut conjurationes & confratriæ non fiant.

Quia vero colligationes, ſocietates, contratriæ ſeu conjurationes, quocumque nomine cenſeantur, improbatæ ſunt a canonibus & conſtitutionibus conciliorum factorum per legatos Apoſtolicæ ſedis in partibus & provinciis iſtis, & omnino interdictæ & caſſatæ, & excommunicatio lata in factores: ideo de approbatione & conſilio prælatorum omnium, prædictas conjurationes, obligationes, ſocietates, confratrias civitatum, caſtrorum, baronum, civium, & aliorum exiſtentium in civitatibus, caſtris, villis, contra ſtatuta canonum & conciliorum factas relaxantes, diſſolvimus & caſſamus: decernentes ſacramenta præſtita ad prædicta obſervanda, illicita, a quibus eos qui hujuſmodi ſacramenta præſtiterunt, & pro juramento præſtito illicito a confeſſoribus ſuis pœnitentiam recipiant ſalutarem. Et niſi infra duos menſes poſt publicationem iſtorum ſtatutorum ſe adinvicem abſolverint, denuncientur, auctores, factores, tractatores, & defenſores, & fidejuſſores, pro his obſervandis, excommunicati. Et frequenter hæc diſſolutio & excommunicatio per prælatos in ſuis diœceſibus & in ſuis ſynodis, diebus ſolennibus & feſtivis publicentur, & faciant per ſubjectos ſibi prælatos vel presbyteros publicari.

XXI.

Ut excommunicentur qui pacem, requiſiti, non jurant.

Item præcipimus excommunicari, & excommunicatos denunciari per prædictos prælatos, omnes illos qui noluerint pacem jurare, cum fuerint requiſiti, ſecundum ſtatuta pacis, & concilio-

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

liorum edita per Apostolicæ sedis legatos.

XXII.

Excommunicatio Friderici imp. & fautorum ejus.

Item in præsenti concilio tulimus excommunicationem contra Fridericum, quondam imperatorem, hoc modo: Auctoritate beatorum apostolorum Petri & Pauli & domini papæ, qua fungimur, & concilii congregati, denunciamus Fridericum quondam imperatorem, fautores, adjutores, & consiliatores suos, excommunicatos. Et anathematizamus & excommunicamus omnes illos, qui dictum Fridericum vocaverunt ad partes istas, vel vocaverint ad aliquem habentem potestatem suo nomine, & omnes illos qui dictum Fridericum vocaverint, & omnes illos qui ipsum receperint, vel aliquem nuncium suum, & oras quæ ipsum recipiunt, supponimus interdicto. Et nisi ad mandatum ecclesiæ venerint illi qui vocaverint, eum vel nuncios suos. ad potestatem exercendam in partibus istis, infra triginta dies: ipsos & alios qui vocaverunt eum, vel nuncios suos ad potestatem exercendam in partibus istis, denunciamus infames, quod nec ad potestariam, nec ad consulatum, nec ad rectoriam, judicatum, tabellionatum, nec ad testimonium, nec ad alios actus legitimos admittantur; & si de facto admissi fuerint, sententia per eos lata, & quidquid per eos factum fuerit, nullam habeat firmitatem.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

XXIII.

De iis qui Friderico auxilium dederint, vel advocaverint.

Item denunciamus excommunicatos clericos, prælatos, qui eidem Friderico dederint auxilium vel favorem. Et si tales ipsum vocaverint, denunciamus eos privandos suis beneficiis, & prælatos dignitatibus suis deponendos, nec ab istis sententiis aliquis absolvi possit, nisi per dominum papam, vel alium de suo speciali mandato.

Datum Valentiæ mense Decembri, die Sabbati post festum B. Andreæ, anno Domini MCCXLVIII. pontificatus Domini Innocentii papæ IV. anno VI. præsentibus & consentientibus venerabilibus patribus Narbonensi, Viennensi, Arelatensi, & Aquensi, archiepiscopis: & episcopis Bitterensi, Agathensi, Uticensi, Nemausensi, Lodovensi, Agennensi, Vivariensi, Massiliensi, Forojulienſi, Cavallonensi, Carpentoratensi, Avinionensi, Vasiolensi, Diensi, & Tricastrensi.

ANNO CHRISTI 1248.

CONCILIUM (1) TARRACONENSE,

ANNO CHRISTI 1248.

PRÆSIDE PETRO ALBALATIO

Archiepiscopo celebratum.

Ex Card. de Aguire Concil. Hispan. tom. 3. p. 504.

ANno 1248. octavum Concilium celebravit Tarracone Petrus Albalatius, in quo statutum est, ut post mortem Archiepiscopi, vel alterius Prælati provinciæ Tarraconensis, bona ejus Ecclesiastica ad manus aliquorum fide dignorum perveniant, secundum quod in ecclesia defuncti de consuetudine est observatum. Eorum vero curæ erit ea diligenter conservare futuro successori. *Baluz. lib. 4. Marcæ Hispan.*

CONCILIUM URATISLAVIENSE,

Quo pars quinta reddituum ecclesiasticorum pont. max. concessa ad triennium.
Anno Domini MCCXLVIII.

l. 3. c. 51.

ANno Domini MCCXLVIII. (*inquit Matthias Michovienſis.*) Jacobus Leodiensis archidiaconus, Innocenti papæ IV. ex concilio Lugdunensi legatus in Poloniam venit, & synodum apud Utratislaviam egit. Ad quam Fulco Gneznensis archiepiscopus, Prandotha Cracovienſis, Boguphalus Posnanienſis, Thomas Uratislavienſis, Michael Uladislavienſis, Andreas Plocen. Nankerus Lubucensis, Henricus Culmensis, episcopi, venerunt, & nomine Apostolicæ sedis, expositis pluribus angustiis ejusdem sedis, medietatem fructuum per tres annos continuos pro relevamine poposcit. Pontifices vero ecclesiæ Polonicæ, quintam partem fru-

(1) Decreta hujus concilii extant in tomo sequenti in conc. Tarracon. 1329.

ANNO CHRISTI 1248

fructum suorum beneficiorum, & sui cleri obtulerunt. Et summo pontifici, per Gothfridum pœnitentiarum cito transmiserunt.

Et quia vetus observantia in regno Poloniæ ab initio fidei susceptæ, in illam diem tenta custodiebatur, ut jejunium quadragesimale a Dominica septuagesimæ in diem Paschæ continuaretur, cum frequenti prævaricatione, & gravi discordia inter clerum & laicos: ideo inter præfatum Jacobum Leodiensem archidiaconum legatum Papæ, ac pontifices ecclesiæ Polonorum, hujusmodi consuetudine a Romana ecclesia, & aliis regnis Catholicæ religionis discrepante, ventilata, auctoritate apostolica, & consensu præsentium pontificum, prædictus Jacobus legatus, tam ecclesiasticis, quam sæcularibus, personis, esum carnium, ad diem cinerum exclusive concessit, ab eoque tempore Dominica septuagesimæ a Polonis vetus carnisprivium nominari cœpit, & ita hactenus nominatur.

ANNO CHRISTI 1248.

G. C. Concilii hoc anno Uratislaviæ habiti, auctorem alium affert Raynaldus, nempe Longinum, cujus historia Polonica MS. usus est. Quæ ex Michoviensi protuli, ampliora sunt, quam quæ hic ex Longino suo; qui tamen hæc habet peculiaria: tertiam tantum partem reddituum postulatam fuisse, cum mediam affirmet Michoviensis; postulatam autem ad resistendum Friderico: ad incundam a pontifice gratiam, pecuniam omnem tribus annis colligendam, certo & constituto die in unum fuisse redactam: Goffridum per quem missa est, pœnitentiarium apostolicum fuisse: actas a pontifice episcopis & clero Poloniæ gratias.

ULTRAJECTINUM CONCILIUM

In quo Goeswinus Ultrajectinus episcopus ea dignitate sese abdicavit.

Anno 1249. habitum.

. 1249. Batav. . t. I. g. 161.

x Suppl. ianfi pag. 63.

BEka in hist. Ultraject. asserit synodum congregatam, quæ inquireret in mores episcopi; ad quam convenerant Wilhelmus Romanorum rex, Petrus Caputius cardinalis, & Conradus Colonienſis archiepiscopus, in quorum præsentia Goeswinus honori cesserit ac oneri. Accessit etiam, inquit Heda, quod minus gratus esset Wilhelmo regi, propter nimirum gentiles suos Amstelios. Sunt qui Goeswinum exinde factum Decanum Colonienſem (Henrico Viandensi in Colonienſi ecclesia tum archidiacono suam ei cedente dignitatem) atque Coloniæ sepultum scribant, ibidemque etiam hodie de eo in Archiviis extare memoriam.

CONCILIUM MULDORFENSE

ANNO CHRISTI 1249.

ANNO CHRISTI 1249.

A PHILIPPO ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI

Celebratum, anno Christi 1249.

Manssii m. sac. . 2. pag.

DE eo hæc Chronographus Salisburgensis a Caniſio editus ad an. 1249. Concilium ad mandatum domini Papæ apud Muldorf (*municipium est ditionis Juvavensis*) a domino electo Philippo celebratur, cui interfuerunt Frisingensis, Ratisbonensis & Sekowensis Episcopi cum aliquantis Prælatis; ubi Dux Bavariæ citatus tam per sententiam excommunicationis, quam gladio materiali ad Romanam ecclesiam redire, & ei contra dominum Fridericum adhærere compelli debebat. Quod tamen quadam forma alia treugarum est intermissum. Aventinus inter Concilii collegas etiam Chiemensem adnumerat, ac more suo Ducem Ottonem ad Patres perorantem, ac fæda quæque in ordinem sacrum effundentem inducit. Exprobrabat Otto; quod cum impulsu Episcoporum ad Friderici signa transierit, nunc mutata sententia ad eumdem deserendum compelleretur. Juravit tamen se contra ecclesiam in nullo processisse, spoponditque pariter juratus, se nec deinceps contra eam processurum. Inde inducias ei datas ad Kalendas Maii testatur modo dictus Aventinus; quæ tamen a Papa sunt ad festum Assumptionis beatæ Mariæ prorogatæ.

ANNO CHRISTI 1249.

ANNO CHRISTI 1249.

STATUTA DOMINI PETRI

Harthzeim Conc. Germ. t. 3. p. 579.

Albanenſis Epiſcopi Apoſtolicæ Sedis Legati ſuper diverſis ordinationibus Eccleſiæ. (Leodienſis).

Petrus miſeratione Divina Albanenſis Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus univerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino.

NOveritis, quod nos nuper Capitulum S. Lamberti Leodienſe juxta officii noſtri debitum viſitantes, multa, quæ correctione indigebant, invenimus, ad quorum reformationem hæc quæ ſequntur duximus ordinanda. In primis ſiquidem ordinamus & ſtatuimus Canonicos majores, nec non Sancti Materni, & parvæ Menſæ Capellanos, Vicarios, & quoslibet Clericos, ejuſdem Eccleſiæ chorum frequentantes, tonſuram habere rotundam, & coronam decentem, ac honeſtum habitum præſertim in Eccleſia, ambitu Eccleſiæ, & in clauſtro. Qui habitus talis erit, ſuperpelliceum, & cappam nigram choralem a feſto omnium Sanctorum uſque ad Paſcha, & a Paſcha uſque ad feſtum omnium Sanctorum, ſuperpellicium ſine cappa habebunt, niſi debilitas, aut infirmitas aliquem ſuper hoc excuſaret: & tunc cauſa neceſſitatis, poſſent in æſtate cappas in choro portare exceptis diebus Dominicis, & feſtivis, quibus ſit omnibus habitus uniformis. Qui vero pro neceſſitate prædictis diebus Dominicis & feſtivis eſſe non poterunt ſine cappa in Secretario Eccleſiæ, vel in aliquo loco prope altare poterunt audire Divina, dum tamen abillis, qui erunt in Choro directe non videantur aperte Chorum autem intrantes verſus altare reverenter inclinent, & poſt modum verſus ſedem Epiſcopi, ſi Epiſcopus præſens erit, & in Chori exitu fiat idem. Qui in prædictis offenderit per Decanum ejiciatur de Choro, nec recipiatur ulterius donec tonſuram, & habitum aſſumat honeſtum. Nullus etiam ad horas poſt *Gloria* primi pſalmi, & ad Miſſam poſt Epiſtolam Chorum intrare præſumat. Qui tranſgreſſus fuerit per Decanum ejiciatur de choro, qui ſi ad juſſionem Decani exinde exire noluerit, ſi major Canonicus eſt, aut Sancti Materni vel parvæ mænſæ illius horæ ad quam temere ſe injecit, & alterius quæ ſequetur, diſtributionibus, ſit ipſo jure privatus ceteri Decani arbitrio puniendus Canonici vero in Leodio exiſtentes, diſtributiones quaſi vilipendentes qui ad horas non vadunt tantum de ſuo ſolvant quantum acciperent ſi accederent ad horas in choro exiſtentes, honeſte ſe habeant, nec confabulentur ad invicem, nec diſcurrant per eccleſiam, aut loquantur aliquibus in Eccleſia, dum cantatur in Choro, nec chorum exeant uſque ad finem, niſi ex cauſa honeſta, vel neceſſaria exeant, ſtatim ad officium reverſuri. Qui vero ante finem horarum chorum exiverit, niſi ſtatim reverſus fuerit, illius horæ diſtributiones amittat, niſi ex honeſta cauſa reverti ad chorum omiſerit, Decani in exitu petita licentia, & obtenta, vel ſaltem illius, qui poſt Decanum major erit in choro, ſi Decanus forſan abſens eſſet. Quilibet in choro ſtet, vel ſedeat juxta ſuum ordinem, paratus facere ſervitium Eccleſiæ, prout in matricula, vel tabula ſcribitur. Matriculam vero ſeu tabulam per cantorem, vel aliquem deputatum ab ipſo hoc modo conſcribi mandamus, videlicet, quod ſingulis diebus ſabbati in matricula, ſeutabula ſcribatur quis Epiſtolam, quis Evangelium, quis miſſam, quis miſſam, quis *graduale*, quis *Invitatorium*, cum *Venite*, per totam cantare debeat ſeptimanam, niſi forte aliqua ſuperveniente feſtivitate ſolemni, tabulam die præcedenti oporteret mutare; & ibi majorum perſonarum nomina ad officium ſubſcriberentur. Eadem etiam matricula ſeu tabula continebit quis turribulum, quis candelabra deferre debebunt. Præterea diebus ſingulis in eadem matricula, ſeu tabula ſcribetur ante horam primæ, qui in craſtino reſponſoria cantare debeant, & qui legere lectiones & hæc matricula ſive tabula ſtatim poſt primam recitetur in capitulo, ut quilibet ſcire poſſit quid facere teneatur. Quilibet inſuper Canonicus reſidens ſive ſacerdos ſit, ſive Diaconus, ſive Subdiaconus ſuam in ſuo ordine faciat ſeptimanam, & legat, & cantet prout in matricula conſcribetur, & ſive per ſe, vel per Canonicum faciat, niſi forte urgente neceſſitate non poſſet quis ad ſupplendum vices ſuas canonicum invenire. In quo caſu Canonici Sancti Materni, & parvæ menſæ vices eorum ſupplere poterunt, cum ſint ad ſupplementnm neceſſitatis aſſumpti, proviſo tamen, quod per prædictos Canonicos Sancti Materni, & parvæ menſæ, diebus feſtivis ad majus Altare nullatenus ſerviatur. Sane quicumque in matricula ſeu tabula ſcriptus maurantiam fecerit ſi ſacerdos fuerit, duodecim denarios, ſi Diaconus ſex denarios ſi Subdiaconus quatuor denarios ſolvere teneatur, & nihilominus Miſſæ diſtributiones amittat. Quicumque vero in aliis horis maurantiam fecerit pro qualibet ſolvat duos denarios, & nihilominus ſibi horæ illius diſtributio ſubtrahatur, proviſo, quod pœnæ iſtæ nulli pœnitus remittantur. Sed quæcumque exinde provenerint diſtributori ſine diminutione tradantur. Statuimus præterea ut omnes Canonici tam habentes perſonatum, quam non habentes, nec non & Canonici Sancti Materni, & parvæ menſæ Capellani quoque, & Vicarium Eccleſiam ad horas nocturnas, & diurnas frequentent, & qui horæ non interfuerit ſuam diſtributionem ammittat: qui autem conſueti fuerint non venire ad matutinas præcipue Miſſam, & Veſperas præter hoc quod diſtributiones amittant; tantum quantum amiſerint dent Decano per manus ipſius erogandum pauperibus. Canonici inſuper diebus ſingulis ſtatim poſt primam ad *Prætioſa* juxta morem intrent capitulum, & ſi aliquid emerſerit corrigendum, vel tractandum de negotiis Eccleſiæ ſi poteſt fieri fiet ſtatim. Cæterum cum male ſoleant, ſicut intelleximus ad capitulum convenire, præcipimus quod bis in ſeptimana fiat capitulum ſpeciale, videlicet feria ſecunda, & ſexta feria, ad quod omnes niſi juſto impedimento detenti, teneantur venire. Secunda feria principaliter tractabuntur

tem-

temporalia: videlicet qualiter eorum bona administranda sint, & secularia negotia pertractanda. Sexta vero feria de spiritualibus principaliter tractabitur, videlicet, quomodo serviatur Ecclesiæ & ut culpæ quæ per septimanam correptæ non sunt, debito modo corrigantur. Qui autem ad capitulum dictis diebus conveniunt usque ad finem capituli non recedant. Et ut ad veniendum ad capitulum facilius inducantur, præcipimus, ut illi qui illuc convenerint, & usque ad finem perseveraverint .... percipiant duos nummos. Recedentes autem ante finem capituli nihil omnino habebunt, nisi ex justa causa Decanus eis licentiam daret. Sane venientes ad Capitulum pacifice se habeant, nec clament, nec turbent capitulum, nec intense fabulentur, sed ad expedienda omnia negotia, & aliarum Ecclesiarum, quæ ad eos recurrere duxerint diligenter intendant. Unusquisque respondeat in suo ordine, nec respondentem alius interrumpat, sed ab aliis pacifice audiatur. Si quis vero fuerit assuetus turbare capitulum seu clamare, vel impedire alios expeditionem negotiorum communium intendentes: nisi monitus a Decano steterit & statim emendaverit illo die distributionibus horarum, & refectorii sit ipso jure privatus. Qui si eas temeritate propria accipere præsumpserit, pœna contra illos, qui præbendas suas, vel sociorum suorum violenter accipiunt, per nos edita contra ipsum servetur. Luminaria decentia sint in Ecclesia ita quod in Missa, vesperis & matutinis sint ante altare grossi cerei pro illis candelis, quæ ponuntur. Præterea cum in magnis Ecclesiis (diebus valde solemnibus duntaxat exceptis) missa mortuorum semper debeat celebrari, ordinamus, & præcipimus, ut sicut solet de more fieri in mortuorum anniversariis, ita fiat. Et nihilominus diebus aliis, quibus non erit anniversarium semper cantetur missa pro defunctis, exceptis diebus solemnibus, quemadmodum est prædictum. Sane ille Sacerdos, qui hebdomadam suam facit ad majus altare, in sequenti septimana missam de mortuis celebrabit, vel procurabit per alium. Hæ autem missæ, quæ cantabuntur diebus, quibus non erit anniversarium, & si conventuales non sint tamen celebrabuntur in aliquo Altari de Ecclesia quo ad hoc præcipimus principaliter deputari. Neminem autem debet grave hoc, cum omnia a mortuis habeamus, & ad orandum pro mortuis simus principaliter deputati. Item præcipimus, quod sex præbendæ Sacerdotales non dentur de cetero nisi Presbyteris, vel saltem Diaconis, aut Subdiaconis, qui per intervalla aliqua possint infra annum ad Sacerdotium promoveri: nec dentur nisi personis honestis, quæ sint de legitimo Matrimonio, & quæ sciant competenter legere, & cantare, nec aliter quam diximus, conferantur. Isti autem jurabunt continuam residentiam, & Sacerdotis officium exercentes, suas ad majus altare in propriis personis faciant septimanas nec habebunt Vicarios, sed si aliquis ex iis urgente necessitate fuerit impeditus vices suas supplere poterit per aliquem de amicis, dummodo sit Canonicus, qui supplebit, vel si Canonicus haberi non possit, per alium qui ad majus Altare cantare, vel alium qui tenetur aliorum supplere defectum. Contra istam nostram constitutionem, seu ordinationem gratia nulli fiat etiam per quamcumque Domini Papæ, vel ejus Legatorum indulgentiam, nisi

ANNO CHRISTI 1349.

Dominus Papa ad plenum certificatus de penuria Sacerdotum in Leodiensi Ecclesia, plenam de hac nostra, & bonæ memoriæ Domini Guidonis Prenestini Episcopi quondam Apostolicæ Sedis Legati constitutiones fecerit mentionem. Nec Capitulum teneatur aliquem ad dictas præbendas recipere nisi sit boni testimonii, & de legitimo natus Matrimonio, & qui sciat saltem, ut dictum est, competenter legere, & cantare. Quod si Archiepiscopi, vel Episcopi seu aliqui Prælati majoris Colonienſis Ecclesiæ Sacerdotes, Leodicensis Ecclesiæ sint Canonici, & præbendas habeant in eadem, Vicarios pro se statuere non poterunt nisi boni testimonii viros, & qui sint etiam Sacerdotes, qui præsentabuntur Decano, & Capitulo prima vice: quibus decedentibus, vel cedentibus, per Decanum, & Capitulum loco cedentium, vel decedentium alii honesti, & idonei statuantur. Hi similiter Vicarii perpetuo in Ecclesia residebunt, & suas septimanas facient ad majus altare præterquam in diebus solemnibus, quibus per unum de majoribus Canonicis. Decanus secundum ordinem matriculæ missam præcipiet celebrari. Ceterum cum Leodiensis Ecclesia copiam habuerit Sacerdotum Canonicorum, memorati Vicarii missas pro defunctis celebrabunt, vel depuntur ad aliud, pro ut Decano, & Capitulo visum fuerit expedire Vicariis tamen Imperatoris exceptis, qui semper ad majus altare in septimanis suis cantabunt, ut superius expressum est. Ad hoc Canonici Sancti Materni, & parvæ mensæ qui ad supplendum aliorum defectum statuti sunt, parati sint semper supplere defectus, & ordinentur infra mensem per Decanum, & quatuor seniores de Capitulo, quod prædicti Canonici grossum præbendarum suarum percipiant sicut solent, & illud quidem habent ultra grossam præbendæ, illis qui interfuerint horis dividatur, ut sic per eos horæ melius frequententur.

Episcopus semper certam præbendam habeat, quam nulli tempore suo conferat, in qua successor ejus succedat, & tam sede vacante, quam non vacante. Vicarii ejusdem Episcopi fructus prope præbendæ integre percipiant, sicut solent, nec Abbatias, quæ suæ Capellaniæ sunt, alicui nisi Canonico majoris Ecclesiæ conferre præsumat. Item Episcopus de Canonicis residentibus in majori Ecclesia quatuor habere poterit socios, dummodo illi quatuor residentiam fecerint primi anni. Item cum in Leodiensi Ecclesia penuria sit subdiaconorum, & Diaconorum Canonicorum, & nimis indecens videatur, quod tantus in tanta Ecclesia defectus sit, quod non possit ad majus Altare per Canonicos deserviri, ordinamus, & statuimus, quod ad præsens sex Canonici ad Subdiaconatum, & sex ad Diaconatum per Decanum & capitulum in nostra præsentia eligantur. Alioquin nos eligemus eosdem, quos ad suscipiendum dictos ordines, per subtractionem, beneficiis compellimus. Provideatur autem in posterum, ne prædictis cedentibus vel decedentibus, seu ad majores ordines promotis in prædicta Ecclesia quantum ad prædictos ordines sit defectus. Sed cedente vel decedente aliquo, seu ad majorem ordinem promoto, si diaconus fuerit qui cessit, vel decessit, aut ad majorem ordinem promotus est, antiquior Canonicus in minoribus ordinibus constitutus, vel infra secundum ordinem matriculæ, compellatur subdiaconatum recipere in primis ordinibus tunc in-

instantibus, & hoc per subtractionem distributionum refectorii, & horarum, quibus a tempore statuto nisi tunc promotus fuerit, privatus sit ipso jure. Quæ pœna nulli remittatur omnino. Et hoc idem servetur, cum aliquem de prædictis sex Diaconis contingerit cedere vel decedere, aut majorem ordinum promoveri. Videlicet antiquior subdiaconus in primis ordinibus Diaconum recipiat. Alioquin prædictis distributionibus refectorii & horarum sit ipso jure privatus. Et hoc intelligimus debere fieri, nisi ille, qui ordinatus est, rationabile impedimentum prætenderit, & legitime probaverit coram decano, & duobus senioribus de Ecclesia a Decano eligendis, in quo casu ad probandum dictum impedimentum sufficere dicimus proprium impedimentum. Quo impedimento probato, ut dictum est, si casus sit indispensabilis, antiquior post eum loco illius ad dictum compellatur. Si vero impedimentum probatum per dispensationis gratiam amoveri posset, ille qui impedimentum probaverit, infra competentem terminum ei per Decanum præfigendum dispensationem sibi pro posse suo tenebitur procurare. quam si infra dictum terminum non procuraverit, ex tunc ipso jure, supradictis distributionibus sit privatus, donec dispensatione obtenta ordinem susceperit, quod de obtinenda dicta dispensatione fecerit posse suum. Ordinamus præterea, quod in crastino festi Sancti Lamberti fiat semper Capitulum generale, ad quod omnes conveniant, & si non possit illo die, quod agendum est, expediri, continuetur, prout opus fuerit ad dies continuos subsequentes, & quod fiet in illo capitulo, quantum ad Canonicos majores, Sancti Materni & parvæ mensæ, firmum & stabile permanebit. Legatur ibi annis singulis hæc nostra ordinatio, & servetur, reformentur spiritualia, & de censuris, seu obedientiis, & de eorum valore diligens computatio audiatur. Obedientiæ etiam concedantur ibidem, si aliquæ tunc fuerint concedendæ: aliis autem temporibus obedientiæ nulli dentur, nisi in Capitulo certa die assignationis spatium ad minus quindecim dierum contineat, ad quod etiam Canonici, qui sunt in civitate & diœcesi convocentur. Sane obedientiæ nulli concedantur ad vitam, nec dentur canonico etiam nisi ad tres annos tantum, nisi aliquibus de obedientia remotis, & inter perversas nationes perversas positis ex causa evidentissima, utili, & necessaria, consideratis personarum meritis, per quas dictæ obedientiæ melius regi possint, capitulum aliter duxerit disponendum. Jurabit autem Canonicus, præbendam recipiens, nihil omnino de obedientia alienare, nihil infeudare, nihil emphiteosum ultra tempus suum dare: & quod visitabit obedientiam bis in anno ad minus, custodiet & defendet suis sumptibus, nisi de feudo, vel proprietate sibi evidens quæstio moveretur. Jurabit etiam, & dabit fidejussores idoneos, & bene instabiles, quod censum solvet diebus statutis & si in ejus solutione defecerit, non admittatur in choro, vel capitulo, & ei subtrahantur distributiones refectorii & horarum donec per eum vel fidejussores ejus fuerit exinde capitulo satisfactum plenarie, & hæc remissio nulli fiat. Jurabit insuper Canonicus, quod obedientiam sic receptam in manu sua tenebit; nec concedet aliis: & quod in supradicto capitulo generali in scriptis referret capitulo valorem reddituum & proventuum sic receptæ obedientiæ, & redditus ubi, & in quibus existunt. Dicet etiam per juramentum suum in prædicto capitulo, quantum habuerit inde lucrum. Porro quidquid lucratus fuerit, suum erit, & si amiserit, quibuscumque modis amittat: nihilominus integre solvet censum. Si vero esset guerra communis, sive pestilentia, vel alius casus excipiendus, habeatur respectus lucri & damni, sicut jura volunt, & hæ obedientiæ, plus offerenti concedantur, si offerens sit, providus in solvendo, nisi forte multo minus debito offeratur. In quo casu, ne vilescat obedientia, capitulum ad manus suas eas retinere poterit, si viderit expedire: aliter autem quam sub prædicta cautela obedientiæ dictæ, nullatenus concedantur. Et cum aliquis obedientiam in morte, vel in vita resignaverit, debet eam reddere liberam, & absolutam. Item ordinamus, ut annuatim in prædicto Capitulo generali tres claves sigilli committantur tribus de Capitulo fide ignis ad hoc per Capitulum eligendis hoc modo: Sacerdote Canonici ad hoc eligens unum Canonicum Sacerdotem, Diaconi unum Diaconum, & Subdiaconi unum Subdiaconum. Quartam vero clavem servavit Decanus, nisi ipse, & Capitulum in unam personam conveniant, cui dictæ clavis custodia committatur, & singulis annis personæ mutentur. Jurabunt autem qui dictas claves custodient, quod circa prædictarum clavium custodiam fraudem aliquam non committant, unde Ecclesia possit lædi. Nec super contractibus, concessione obedientiarum mutuis contrahendis, seu aliis negotiis, quæ fiunt ad tempus, aliquas litteras sigillabunt absque consensu Capituli, vel saltem majoris, & sanioris partis ejusdem. Litteras autem super locationibus, & pensionibus numquam pro alio Sigillabunt absque consensu Decani, & totius Capituli, vel majoris, & Sanioris partis; & omnes Litteræ sigillandæ legentur in Capitulo hora debita, præsentibus Canonicis, qui tunc sunt in Ecclesia, residentibus. Litteræ vero alienationem perpetuam continentes numquam sigillentur nisi de consensu superioris Decani, & totius Capituli, & solemnitatibus, quas jura requirunt. Prædicti autem de clavibus ipsis facient copiam cum opus fuerit bona fide, & si de Civitate aliquis ex eis recesserit clavem suam alicui Canonico de suo ordine cum Consilio Decani committat. Ordinamus præterea ut omnes libri Ecclesiæ redigantur in scriptis, & eorum nomina singulis annis in supradicto generali capitulo recitentur; & hoc idem fiat de ornamentis Ecclesiæ, & thesauro, proviso, ut & libri ordinatione ecclesiæ, & thesaurus semel in anno, capitulo, vel aliquibus a Capitulo designatis ostendantur, & feriatur excommunicationis sententia per Decanum auctoritate nostra in omnes illos, qui habent aliquid de thesauro, libris. ornamentis, cartis, seu privilegiis Ecclesiæ nisi restituant infra mensem, nec de cetero liber aliquis Ecclesiæ alicui etiam Canonico concedatur, nisi sub bono pignore, vel saltem ab eo competenti memoriali recepto, & concessi repetantur, & rehabeantur infra mensem. Præcipimus autem quod provideatur Ecclesiæ de Casulis, Dalmaticis, & Tunicis, nec non Albis, & ceteris ad Missas celebrandas necessariis ornamentis. Privilegia præterea, & chartæ Ecclesiæ in libro aliquo ordinatim cum suis titulis conscribantur & custodiantur sicut consuetum est, proviso tamen quod in lociptalibus conserventur,

ANNO CHRISTI 1249.

ANNO CHRISTI 1249.

tur, quod nec confringantur Sigilla, nec chartæ per injuriam putrefiant. Ad custodiam autem privilegiorum, quam chartarum sive tangant Episcopum solum, sive capitulum sive utrosque, tam custos Ecclesiæ, quam duo Canonici honesti ad hoc a Capitulo deputati diligenter intendant, qui jurabunt ea servare fideliter, & quod inde facient copiam capitulo de his, quæ tangent Episcopum cum opus uerit bona fide, & hoc de scientia Capituli semper fiet. Cum autem debuerit fieri copia alicujus privilegii, seu cartæ per duos, qui ex eis, qui ea custodient vel saltem per unum fiet exinde ostensio, per quos vel per quem eiusde facta copia ad thesaurum Ecclesiæ, ut ubi custodiantur fideliter referantur, sic enim omnia ad utilitatem Ecclesiæ poterunt in posterum conservari. Omnes iusuper redditus Ecclesiæ & proventus, & ubi, & in quibus consistant, in volumine publico conscribantur, & si aliquid accrevit singulis annis in generali capitulo scriptum hujus corrigatur. Si quis Leodiensis Canonicus præbendam suam, aut socii sui, sive in grossis fructibus, sive in distributionibus violenter acceperit, denuncietur a Decano excommunicatus, qui si excommunicationem habens per annum animo sustinuerit indurato, per Episcopum privetur præbenda, & aliis beneficiis, quæ in eadem Ecclesia obtinebat. Acoliti & inferiores, vocem in capitulo de cætero non habeant, quod si aliquis eorum contra hanc nostram constitutionem temere se iniecerit, nisi noviter per decanum a capitulo incontinenter recedat, excommunicationem ipso facto incurrat, cui dum in excommunicatione perstiterit, subtrahantur distributiones refectorii & horarum. Eum tamen, si absolvi petierit, Decanus auctoritate nostra præstita satisfactione absolvat. Hanc autem pœnam statuimus pro eo, quod sicut intelleximus, constitutionem a bonæ Memoriæ Domino Guidone Prenestino Episcopo, quondam Apostoli cæ Sedis legato super hoc editam, non servabant, nec dignabantur ad Sacros Ordines se facere promoveri. Item statuimus, quod nulli personæ duo personatus in Ecclesia Leodiensi de cætero conferantur, & quod Decanus sit Sacerdos, vel saltem infra annum promoveatur in Sacerdotem, qui si tamen justum impedimentum, & notum haberet capitulum poterit ei annum alium, & non amplius ex causis necessariis, & evidentibus indulgere, qui jurabit residentiam, & nullum alium tenere poterit personatum, item cum Constitutio Lateranensis Concili, quæ incipit: *Omnes utriusque* &c. plane præcipiat quod quilibet adultus semel in anno proprio Sacerdoti secreto sua omnia confiteatur peccata, præcipimus, quod omnes tam majores quam alii de Ecclesia semel in anno confiteantur Decano, vel saltem de ejus licentia certæ personæ. Et hoc ex justa causa, prout dicit dicta Constitutio. Quod præcipimus modis omnibus observari. Ordinarium fiat in Ecclesia nocturnum, & diurnum quo contineantur omnia feriatim quæ per totum anni circulum dici debent: & fiant inde duo libri ita quod in utroque per se totum ordinarium habeatur, quorum unus ex una parte chori, & alius ex parte alia cum catena ligetur, & quilibet possit aperte videri quid circa divinum Officium quotidie sit agendum. In choro præterea hinc, & inde duo grossa psalteria, duo grossa antiphonaria, & duo gradualia habeantur. Statuimus, ut Canonici primo anno faciant per annum integrum continuam residentiam, & qui non fecerint residentiam compellantur facere per subtractionem proventuum; nec dei Decanus primo anno licentia alicui, nisi per capitulum, & tunc ex justa causa in capitulo probata nec hoc primo anno fiat frequenter. Aliis autem annis similiter residebunt Veruntamen licentiam trium Septimanarum tantum, ut absens sit Canonicus, rationabili causa interveniente poterit conferre Decanus. Quando vero post datam licentiam ad Ecclesiam reversus fuerit aliam similem licentiam non habebit, nisi sex septimanis elapsis, præter quam si necessitatem evidentem in Capitulo ostenderet, & probaret. Plane si quis sine licentia recesserit, vel post datam licentiam ultra terminum moram fecerit sine rationabili causa probata in Capitulo, stipendio suo privabitur, & post reditum in Claustro ponetur, quandiu Capitulo placuerit. Et hoc sine restitutione fructum præcedentium, & omnibus horis quandiu inclusus fuerit tenebitur interesse. Sententia Decani & Capituli inconcusse serventur, & a nemine, nisi mediante juris tramite revocentur. Ceterum cum sicut intelleximus in magna prima Dominicali, & in psalmis Familiaribus Litania, & Collectis, quæ dicuntur post primam in Quadragesimam, & singulis diebus ad Tertiam, nec non Dominicis diebus processionem, magnus erat defectus, eo quod nihil percipiebatur in eis: Statuimus & ordinamus, ut venientibus ad singula prædictorum, & usu ad finem perseverantibus præterea, quæ consueverunt percipere denarius unus derur, & diebus dominicis, & festivis ad processiones duo denarii tribuantur: De Archidiaconis autem dicimus, quod nec in Capitulo locum teneant debitum dignitati donec in Diaconos fuerint ordinati: qui cum presentes fuerint in Ecclesia suas de Evangelio faciant septimanas. Qui nihilominus per medietatem anni in Ecclesia residentiam faciant, & hanc jurent, nisi forte de Episcopi licentia sit absentes. Si vero eos peregrinari vel ad scholas velle ire contigerit Episcopus eis licentiam non denegare poterit: cum autem in Ecclesia servire debuerint, & neglexerint si Capitulum eos super hoc convenerit secundum antiquam consuetudinem judicio parium suorum exhinde parebunt. Porro cum suos Archidiaconatus visitaverint, vel pro negotiis Ecclesiæ absentes esse debuerint unum vel duos de canonicis si voluerint, de licentia Decani, assumant ad ipsos juvandos, seu ad consilium sibi dandum. Præterea quia sicut intelleximus ex multitudine Clericorum passim Chorum intrantium divinum officium turbatur, potius quam juvetur, Ordinamus ut nisi per cantorem chorum de cetero nullus intret, exceptis clericis Canonicorum, qui cum habitu honesto intrabunt, & tales elegantur per cantorem, qui honestum habeant, & in aliquo Chorum juvare sciant. Chorus per duos Canonicos servetur continue, sicut est in Ecclesia ordinatum, & in Solemnibus per Cantorem, & alios sicut fieri consuevit. Denique quia multi occasionem prætendunt non veniendi de nocte ad Ecclesiam, suas vel consanguineorum suorum inimicitias allegando statuimus, & præcipimus quod claustrum claudatur, si sine scandalo potest fieri, & fiant portæ in claustro, & sint ibi duo custodes denocte sibi certo salario assignato. Proviso quod a pulsa-

ANNO CHRISTI 1249.

☞ satione silentii usque post matutinas cantatas in hyeme, & in æstate usque ad diem clausæ sint dictæ portæ, ne per occasiones hujus divinum officium defraudetur. Diebus Dominicis quando imminet processio fienda, fiat aqua benedicta in choro solemniter per septimanarium ante processionem Diacono, & Subdiacono præsentibus, & sic parati ad processionem incedant. Decani Præpositi, Archidiaconi, Scholastici, & cantores debitam residentiam in Ecclesia faciant, & tam ipsi quam alii omnes vadant ad negotia procuranda cum a Decano, & capitulo fuerint requisiti, quibus decentes dentur expensæ, secundum qualitatem personarum. Ministeriales, & officiales Ecclesiæ ministeria sua faciant per se, non per Vicarios diligenter ad quæ nocte & die parati existant. In Ecclesia jaceant, qui ex officio sibi commisso ad hoc tenentur. Discretis viris, & fidelibus, & habilibus committantur ista officia inutilibus inde amotis per Decanum, & Capitulum infra mensem. *Bona ad distributiones horarum ordinata, & statuta, & omnia, quæ superveniunt vel abundaverint, ad nullos alios usus horarum quam ad distributiones omittantur, & nihil corporibus prhæbendarum accrescat, cum ex hoc Ecclesiæ servitium & cultus augmentetur.* Hæc autem quæ de Canonicis majoribus dicimus de canonicis Sancti Materni, & parvæ mensæ, & aliis beneficiatis Ecclesiæ præsertim quantum ad servitium Ecclesiæ distributiones denariorum pro horis, & ad faciendam residentiam ad quam tenentur. Item statuimus, & præcipimus, & ordinamus, quod quolibet anno in Capitulo generali, quod ordinavimus fieri in crastino Festi Beati Lamberti, eligantur de Capitulo tres fidedigni, qui inquirent de vita, & conversatione Canonicorum Beati Lamberti, Sancti Materni, & parvæ mensæ, & Capellanorum, & Vicariorum, & Clericorum de Ecclesia, præsertim de quibus est scandalum, & infamia, & quid invenerint portent ad Capitulum, & tunc Decanus, & Capitulum corrigant, quæ corrigenda invenerint, secundum qualitatem delictorum. Statuimus insuper, & mandamus, ut annuatim in festo omnium Sanctorum finitis vesperis de die omnes campanæ pulsentur, & vesperæ pro mortuis cantentur, & nocte sequenti matutinæ, & in crastino ejusdem festi missa pro mortuis, sicut in festis præcipuis solemnitatibus celebretur. Has autem nostras constitutiones præcipimus inviolabiliter in cujus rei testimonium præsentes has sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Leodii V. Idus Novembris anno Domini MCCL.

ANNO CHRISTI 1249.

ANNO CHRISTI 1249.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1250.

CONSTITUTIONES PROVINCIALES EBORACENSES,

ANNO CHRISTI CIRCITER 1250.

Per dominum Walterum Gray, quondam archiepiscopum Eboracensem.

Ex codice MS. Bibliothecæ Cotton. edidit collector Anglicanus.

DEcretum Domini Waltery Gray, quondam archiepiscopi Eboracensis, Angliæ primatis, & Apostolicæ sedis legati, editum apud Eboracum, tempore visitationis suæ, tam ad honorem Dei, & ecclesiæ Eboracensis, ac omnium ecclesiarum per totam provinciam existentium, quam doctrinam, præsentem informationem, & memoriam omnium futurorum.

Cum plerumque inter rectores ecclesiarum, seu vicarios, in provincia Eboracensi constitutos eorum demque parochianos, super variis ornamentis, rebusque ecclesiasticis, altercatio non modica sit exorta: ideo quanta, quæ, & qualia ad rectorem, seu vicarios ecclesiarum, per totam provinciam Eboracensem constitutos, sustentationem, & reparationem pertineant, quæ autem ad parochianos eorum de rebus, ac ornamentis ecclesiasticis reparandis pertinere noscuntur, per subscripta scilicet clericis omnibus eluceseat. Et ideo ordinamus & statuimus, ut parochiani nostri omnes & singuli existant sic docti in singulis subsequentibus, ut sciant & intelligant, atque observent totaliter universi, videlicet quod calix, missale, vestimentum ipsius ecclesiæ principale: videlicet casula alba munda, amictus, stola, manipulus, zona, cum tribus tuellis, corporalia, & alia vestimenta pro diacono honesta, juxta facultates parochianorum & ecclesiæ, cum cappa serica principali, pro principalibus festis: & cum duabus aliis, pro choris regendis, in festis supradictis: crux processionalis, & alia crux minor pro mortuis: & feretrum pro mortuis: vas ad aquam benedictam: osculatorium candelabrum ad cereum Paschale: thuribulum, lucerna cum tintinnabulo velum quadragesimale, duo candelabra pro ceroferariis. De libris, legenda, antiphonale, graduale, psalterium, troparium, ordinale, missale, manuale, frontale, ad magnum altare, tria superpellicia: pyxis pro corpore Christi honesta: vexilla pro Rogationibus, campanæ magnæ cum chordis suis: fons sacer cum serura: chrismatorium, imagines in ecclesia, imago principalis in cancello, de quo sancto dedicatur ecclesia. Reparatio librorum & vestimentorum, quoties contigerit emendari, cum omnibus supradictis. Luminare in ecclesia: reparatio navis ecclesiæ, & constructio ejusdem, cum campanili, interius & exterius: scilicet fenestris vitreis, cum clausura cœmeteriorum, cum aliis navis ecclesiæ, & singulis aliis, quæ ad ipsos pertinere noscuntur.

Ad rectores vero, vel vicarios, juxta varias ordinationes, omnia alia pertinebunt: scilicet cancellus principalis cum ejusdem reparatione, tam parietibus, quam tecturis, & fenestris vitreis eidem pertinentibus, cum descis & scamnis, & aliis ornamentis honestis: ut cum Propheta cantare valeant: *Domine dilexi decorem domus tuæ, &c.* cum manso rectoriæ, & ejus reparatione hinc inde: & alia, quæ non sunt scripta in libro hoc. Noverint se rectores, vel vicarios, a locorum ordinariis compelli posse, secundum constitutionem, & alias in hac parte probatas, &c. Psal. 25.

De decimis fœni, agnorum, lactinii, molendinorum, pasturæ, piscariorum, apum, & lucri negotiationis.

QUoniam propter diversas consuetudines in petendo decimam, propter diversas cau-

causas, inter rectores ecclesiarum & parochianos suos, rixæ & contentiones, scandala & odia permaxima oriuntur: volumus quod in cunctis ecclesiis parochialibus, per archiepiscopatum vel archidiaconatum constitutis, uniformis sit petitio decimarum, & proventuum ecclesiasticorum, nisi parochiani competentem, pro talibus decimis, velint facere redemptionem.

Volumus etiam, quod decimæ de fœnis, ubicumque crescant, sive in magnis pratis, sive in parvis; sive in chevicis, exigantur: & prout expedit, ecclesiæ persolvantur.

De nutrimentis animalium, volumus, si de agnis, quod pro sex & infra, sex obolos dentur pro septem septimus agnus, & supra semper detur pro decima: ita tamen, quod rector ecclesiæ, qui septimum agnum receperit, tres oblos det: denarium parochiano, qui nonum det obolum, vel expectet rector ecclesiæ usque ad alterum annum, donec possit decimum agnum habere, si maluerit: & qui ita expectabit, semper exigat secundum meliorem agnum, vel tertium ad minus de agnis secundi anni, & hoc propter expectationem primi anni. Et ita intelligendum est de decima lanæ.

Sed si oves alibi in hieme, alibi in æstate nutriuntur, dimidia datura est: similiter, si quis in medio tempore emit, vel vendiderit oves, & certum sit de qua parochia oves illæ venerunt, dividenda est decima, sicut de re, quæ adquiritur ex militia. Si autem incertum fuerit, habeat illa ecclesia, infra cujus limites, tempore tonsionis ove inveniuntur.

De lacte, volumus quod decimæ solvantur, dum durat: videlicet de caseo in tempore suo, & de lacte in autumno & in hieme, nisi parochiani competentem velint, pro decimis talibus, facere redemptionem, & hoc ad commodum ecclesiæ.

De provenientibus molendinorum, volumus, quod decimæ exigantur & solvantur, usque ad valorem proventuum faciant redemptionem.

De pasturis autem, piscariis, tam communibus, quam non communibus, statuimus, quod decimæ fideliter persolvantur, & per numerum animalium & dierum, si expediat ecclesiæ.

De piscationibus autem & apibus, sicut de omnibus aliis bonis juste adquisitis, quæ renovantur per annum, statuimus, quod decimæ exigantur, & hoc debito modo. Statuimus autem, quod decimæ de artificibus, & mercatoribus, & lucro negotiationis, sive de arentaria, fabris, textricibus, & omnibus aliis stipendiariis; videlicet det decimas de stipendiis suis, nisi ipsi stipendiarii aliquod certum ad opus, vel ad lumen in ecclesia velint dare: & hoc, si rectori placuerit.

In petitione autem principalis legati volumus, quod consuetudo provinciæ cum possessione ecclesiæ observetur: ita tamen, quod rector ecclesiæ, fuerit vicarius, seu capellanus Dominum habeat præ oculis.

Sed quoniam multi inveniuntur decimas dare nolentes: statuimus, quod parochiani admoneantur semel, secundo, & tertio, ut decimas Deo & ecclesiæ solvant; quod si non emendaverint, primo ab ingressu ecclesiæ suspendantur, & sic demum, ad solutionem, per censuram ecclesiasticam si necesse fuerit, compellantur Sed cum dictæ suspensionis relaxationem & absolutionem petierint, ordinariis locorum mittantur absolvendi, & debito modo puniendi. Rectores ergo ecclesiarum, seu vicarii, capellani annui, qui prædictas decimas modo præscripto, seu propter formidinem hominum, seu favorem Dei timore postposito, cum effectu non petierint, pœna suspensionis involventur, donec dimidiam marcam, propter inobedientiam, archidiacono loci persolverint.

CONCILIUM EBORACENSE

De ornamentis ecclesiæ, ab eodem Waltero Gray, incerto anno celebratum.

Ex MS. codice bibliothecæ Cotton. edidit collector Anglicanus.

Decretum domini Walteri Gray archiepiscopi Eboracensis, Angliæ primatis: & Apostolicæ sedis legati, editum apud Eboracum tempore visitationis suæ, tam ad honorem Dei & ecclesiæ Eboracensis, ac omnium ecclesiarum per totam nostram provinciam existentium, quam doctrinam præsentium, informationem & memoriam omnium futurorum.

Cum plerumque inter rectores ecclesiarum seu vicarios, in provincia Eboracensi constitutos, eorumdemque parochianos, super variis ornamentis rebusque ecclesiasticis, alteratio non modica sit exorta: & ideo, quanta, quæ, & qualia, ad rectores seu vicarios ecclesiarum, per totam provinciam Eboracensem constitutos, sustentationem & reparationem pertineant; quæ autem ad parochianos eorumdem, de rebus ac ornamentis ecclesiarum reparandis pertinere noscuntur, per subscripta, sole clarius omnibus elucescat. Et ideo ordinamus & statuimus, ut parochiani nostri omnes & singuli existant sic docti in singulis subsequentibus, ut sciant & intelligant atque observent totaliter universi; videlicet quod calix, missale, vestimentum ipsius ecclesiæ principale: videlicet casula, alba munda, amictus, stola, manipulus, zona, cum tribus touvellis, corporalia & alia vestimenta, pro diacono & subdiacono honesta, juxta facultates parochianorum & ecclesiæ, cum cappa serica principali pro principalibus festis, & cum duabus aliis pro choris regendis in festis supradictis: crux processionalis, & altera crux minor pro mortuis: & feretrum pro mortuis: vas ad aquam benedictam, osculatorium, candelabrum ad cereum Paschale, thuribulum, lucerna, cum tintinnabulo, velum quadragesimale: duo candelabra pro ceroferariis. De libris, legenda, antiphonale, graduale, psalterium, troparium, ordinale, missale, manuale: frontale ad magnum altare, tria superpellicia, pyxis pro corpore Christi honesta: vexillum pro Rogationibus,

cam-

ANNO CHRISTI ....

campanæ magnæ cum chordis ſuis: fons, ſacer, cum ſerura: chriſmatorium, imagines in eccleſia: imago principalis in cancella, de quo dedicatur eccleſia: reparatio librorum & veſtimentorum quoties contigerint emendari, cum omnibus ſupradictis lin ..... in eccleſia: reparatio navis eccleſiæ & conſtitutio ejuſdem, cum campanili interius & exterius, ſcilicet feneſtris vitreis, cum clauſura cœmeteriorum, cum aliis navis eccleſiæ, & ſingulis aliis, ab ipſos parochianos pertinere noſcuntur.

A ordinationes, omnia alia pertinebunt; ſcilicet cancellus principalis, cum ejuſdem reparatione, tam parietibus quam tecturis & feneſtris vitreis eidem pertinentibus cum deſcis & ſcamnis, ac aliis ornamentis honeſtis, ut cum propheta cantare valeant, *Domine dilexi decorem domus tuæ, &c.* cum manſo rectoriæ, & ejus reparatione hinc inde, & alia quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, noverint, ſe rectores vel vicarios a locorum ordinariis compelli poſſe, ſecundum hanc conſtitutionem, ac alias in hac

ANNO CHRIST ....

Ad rectores vero vel vicarios, juxta varias B parte probatas, &c.

☞ SYNODUS OXONIENSIS

ANNO CHRISTI 1250. 1251. 1253.

In qua literæ regis quod capellæ regiæ liberæ sint, legebantur,

ANNO CHRISTI 1250. 1251. 1253.

Anno 1250. habita.

Ex MS. Rot. par. 34. §. Henr. III. in dorſ. n. 1.

An. 1250. Ex Wilk. t. I. pag. 697.

REX univerſis prælatis, & eorum procuratoribus vocatis, & venturis apud Oxon. pro gratia Cantu. archiepiſcopo a domino papa conceſſa, ſalutem. Cum capellæ noſtræ in epiſcopatibus Ceſtr. Sar. Lond. & alibi in regno noſtro temporibus noſtris & progenitorum noſtrorum adeo liberæ extiterint, & immunes, quod nec dominus papa, nec aliquis archiepiſcopus ſeu prælatus juriſdictionem vel poteſtatem ſuam extenderit ad eaſdem, ſtatuendo aliquid in eisdem, vel exigendo ſubſidium vel aliquid aliud, quocumque nomine ab eisdem; vo-

Ex Manſi Suppl. pag. 55.

C bis diſtricte inhibemus, quatenus metis veſtris hactenus uſitatis contenti, nihil exigatis nomine gratiæ prædictæ Cant. archiepiſcopo conceſſæ, vel qualicumque alia occaſione a capellis memoratis; vobis præcaventes, ne ſitis delatores vel accuſatores apud ſedem apoſtolicam, vel alibi ſuper juribus & libertatibus noſtris, ſicut indignationem noſtram velitis evitare, & fidelitatem nobis vinculo juramenti præſtitam obſervare. In cujus, &c. Teſte rege apud Weſtmonaſter. 20. die Aprilis.

PRUVINENSE CONCILIUM

In quo Parisiensis concilii anni 1248. statuta confirmantur et supplentur,

Anno 1251. habitum.

Ex cartario Trecenſi eruit Cl. V. dominus Brayer canonicus Trecenſis.

An. 1252. Aſſert Mart. Vet. Mon. t. VII. pag. 142.

„ ANno Domini MCCLI. die Mercurii
„ poſt feſtum B. Mariæ Magdalenæ ce-
„ lebravit idem dominus Gilo archiepiſcopus
„ Senonenſis, concilium apud Pruvinum, in
„ quo concilii prædicti (anni MCCXLIII.)
„ ſtatuta renovata fuerunt, & ea de novo ſta-
„ tuta quæ ſequuntur.

De excommunicatis ultra annum, & diem, ita fiat ut ſuperius eſt ſtatutum; hoc addito, quod ſi venerint, concilium, prout juſtum fuerit, & viſum fuerit expedire, contra ipſos pro- E cedat; ſi non venerint, denuntientur excommunicati in pleno conſilio. Moneantur per diœceſanos, ut infra dictum terminum ad emendationem veniant: quod ſi non venerint, diœ-

D ceſanus contra ipſos procedat, prout juſtum fuerit & viſum fuerit expedire; & hoc de illis, qui pro cauſis propriis & culpis propriis ſunt excommunicati, & qui habent poteſtatem emendandi.

Item, ſtatuimus, ut contra illos, qui capiunt res illorum, ad quorum inſtantiam aliquis excommunicatur, vel trahitur in cauſam coram eccleſiaſtico judice, vel qui capiunt eorum corpora, vel amicorum ſuorum, vel res ipſius judicis, procedatur ſecundum conſtitutionem domini Honorii, & in hoc epiſcopi ſibi invicem mutuum conſilium & auxilium impendant.

ANNO CHRISTI 1251.

CONCILIUM INSULANUM

Ab Arelatenſis provinciæ præſulibus, præſide Joanne Bauciano archiepiſcopo celebratum anno Dom. MCCLI.

Prodit nunc primum ex cod. MS. eminentiſſimi cardinalis Chiſii: in quo ſic inſcribitur Concilium ſecundum domini Joannis.

TITULI CANONUM.

I. *Ut fides catholica frequenter prædicetur.*
II. *Ut fiat inquiſitio hæreticorum.*
III. *Ut bona hæreticorum a prelatis occupentur.*
IV. *Ut ſententia excommunicationis ſervetur, & puniantur contemptores.*
V. *Ut decimæ exigantur & prædicentur.*
VI. *Ut teſtamenta in præſentia præsbyteri fiant.*
VII. *Ut canonica portio ſolvatur.*
VIII. *Ut corceantur exceſſus privilegiatorum.*
IX. *De pignorantibus eccleſias vel præbendas.*
X. *De pedagiis & ſalinariis.*
XI. *De confratris & conſpirationibus.*
XII. *De precibus pro negotio terræ ſanctæ faciendis.*
XIII. *De clandeſtinis matrimoniis.*

PRÆFATIO.

HÆc ſunt ſtatuta, per dominum Joannem Dei gratia ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopum, apud Inſulam in provinciali capitulo facta, & renovata, præſentibus & conſentientibus auctoritatem præſtantibus, venerabilibus in Chriſto patribus R. Cavalicen. B. Maſſilien. G. Carpentoraten. B. Tricaſtrino. R. Tolonen. & P. Auraicen. epiſcopis. Dominis Joan. Avinionenſi, & S. Vaſionenſi, etiam epiſcopis, ſe canonice excuſantibus, ſed tamen aliis ..... committentibus vices ſuas; præſentibus etiam pro majori parte abbatibus, & præpoſitis, & prioribus conventualibus provinciæ Arelatenſis, an. Dom. MCCLI. die Martis poſt feſtum Exaltationis ſanctæ crucis.

CANONES.

I.

Ut fides catholica frequenter prædicetur.

PRimum capitulum de fide catholica frequenter prædicanda, ſcilicet ſecundum quod in Arelatenſi concilio olim noſcitur conſtitutum.

II.

Ut fiat inquiſitio hæreticorum.

Item de inquiſitione hæreticorum obſervetur, quod ſtatutum eſt in canonibus & ſtatutis conciliorum: & fiat dicta inquiſitio a quolibet epiſcopo in ſua diœceſi: & ſcripta olim facta requirantur a Prædicatoribus & ab aliis qui ea habent, tam auctoritate ordinaria, quam auctoritate hujus concilii.

III.

Ut bona hæreticorum a prælatis occupentur.

Inſuper addentes quod bona hæreticorum ſub dominio & juriſdictione eccleſiarum exiſtentium, a prælatis ipſarum eccleſiarum occupentur. Si quis autem alius bona talium, ſive mobilia vel immobilia, in præjudicium dictarum eccleſiarum, vel prælatorum, per ſe vel per alium invadere, occupare, ſeu confiſcare præſumpſerit; ſit uterque ex tunc ipſo facto excommunicationis ſententia innodatus, poteſtate abſolvendi domino archiepiſcopo, & diœceſano loci, congrua ſatisfactione præmiſſa, auctoritate præſentis concilii reſervata.

IV.

Ut ſententia excommunicationis ſervetur, & puniantur contemptores.

Item ſententia excommunicationis, cum debita admonitione & maturitate proferatur, & ab omnibus tam privilegiatis, quam aliis inviolabiliter obſervetur: & contra contemptores excommunicationum, ſervetur quod continetur in concilio * Valentino. Et ſi ulterius contempſerint, puniantur pecuniaria pœna contemptores, ut continetur in concilio Arelatenſi, ſi hoc poterit per temporales dominos obtineri. * An. 1248. c. 17. An. 1234. c. 13.

V.

Ut decimæ exigantur & prædicentur.

Item de decimis ſtatuimus, quod exigantur & prædicentur frequenter ſecundum tenorem litterarum domini papæ, & ſolvantur eccleſiis vel prælatis, quibus de jure debentur.

ANNO CHRISTI 1251.

VI.

Ut teſtamenta in præſentia presbyteri fiant.

Item de teſtamentis faciendis in præſentia rectoris eccleſiæ, vel parochialis ſacerdotis, ſervetur quod ſtatutum eſt in dicto concilio * Arelatenſi, & concilio Toloſano *.

* c. 21.
* An. 1229. c. 16.

VII.

Ut canonica portio ſolvatur.

Item ſtatuimus, quod canonica portio exigatur & ſolvatur ſecundum canonicas ſanctiones.

VIII.

Ut exceſſus privilegiatorum cœrceantur.

Item ſuper exceſſibus privilegiatorum coercendis ſervetur conſtitutio domini Innocentii IV. quæ incipit, *Volentes* *

De privileg. in 6.

IX.

De pignorantibus eccleſias vel præbendas.

Item ſtatuimus, quod quicumque authoritate vel temeritate propria, eccleſias, vel eccleſiaſticas præbendas pignoraverit, vel gadiaverit, ſeu bona eorum invaſerit, ſeu occupaverit violenter, niſi intra VIII. dies ſuper hoc ſatisfecerit, ſit extunc ipſo facto excommunicationis ſententia innodatus. Diœceſano tamen epiſcopo ab hac excommunicationis ſententia abſolvendi. authoritate concilii, concedimus poteſtatem.

X.

De pedagiis & ſalinariis.

Item de novis pedagiis & ſalinariis, quæ per Arelatenſem provinciam exiguntur, ſervetur quod in Avenionenſi * & Arelatenſi * conciliis continetur.

* Ann. 12 c. 6.
* An. 12 c. 32.

XI.

De confratriis & conſpirationibus.

Item ſuper confratriis, conjurationibus, conſpirationibus, colligationibus, ſocietatibus, vel quocumque nomine cenſeantur, vocentur pacta ſeu conventiones, ſervetur quod ſtatutum eſt in concilio * Valentino: hoc addentes, quod ſi qui ad enervandam cenſuram eccleſiaſticam, vel ut contumaciter, perdurent in excommunicatione, prædicta pacta vel conventiones inire præſumpſerint contra jura eccleſiaſtica, ſive ante excommunicationem ſive poſt, dicta pacta, conventiones, vel etiam vota, vel promiſſiones, prorſus irrita habeantur & denuncientur, ſicut in dicto concilio continetur.

* An. 12 c. 30.

XII.

De precibus pro negotio terræ ſanctæ faciendis.

Item pro negotio terræ ſanctæ dicatur pſalmus, *Deus venerunt gentes*; oratio, *Deus qui admirabili providentia*: ſicut fieri conſuetum.

XIII.

De clandeſtinis matrimoniis.

Item clandeſtina conjugia fieri prohibemus: quæ ſi facta fuerint, procedatur contra contrahentes ſecundum canonicas ſanctiones.

STATUTA SEU CONSTITUTIONES
ECCLESIÆ LUGDUNENSIS
Anno Domini MCCLI.

Ex Tomo IX. Spicilegii.

NOs Philippus Dei gratia primæ Lugdunenſis eccleſiæ electus, notum facimus Univerſis præſentes litteras inſpecturis, quod oblatis nobis in ſcriptis ab A. decano & capitulo dictæ eccleſiæ noſtræ quibuſdam ſtatutis, ſeu conſtitutionibus eccleſiæ memoratæ: cum eaſdem pias & laudabiles invenerimus, ad inſtantiam & requiſitionem dicti Capituli eas approbamus & confirmamus: præcipientes eas inviolabiliter cuſtodiri, caſque ſub ſigillo noſtro & capituli de verbo ad verbum inſeri fecimus in hunc modum.

I.

Statutum est ut omnes canonici in sua institutione jurent, quod servent statuta & consuetudines ecclesiæ, & permutationem comitis forensis. & quod nullo modo consentiant ut terræ ecclesiæ a commutatione fratrum Deo & sancto Stephano in propriis personis servientium abstrahantur: & quod nulli dentur, nisi clericis in eadem ecclesia continue residentibus, & quod nullus admittatur in canonicalem societatem: nisi ita juraverit.

II.

Jurant etiam, quod in nullum clericorum de corpore ecclesiæ manus injiciant violentas, vel in habitationem, aut familiam ipsius.

III.

Jurent etiam, quod eleemosynam pro posse suo adimplebunt.

IV.

Pro residente autem habetur, qui procurationem continuam in propria domo vel aliena fecerit, & in ecclesia fecerit septimanam. Alii vero, qui de bonis ecclesiæ tantum non habent, quod procurationem facere teneantur secundum statuta ecclesiæ, & habent certum hospitium proprium vel alienum, & in ecclesia faciunt septimanam, & pro majori parte anni serviunt in propriis personis, pro residentibus habentur.

V.

Sunt autem in eadem ecclesia majores canonici, & alii minores præbendarii, & iterum duodecim capellani: quorum nullus in sua institutione percipit beneficium temporale, præterquam quotidianam refectorii distributionem.

VI.

Bona vero canonicorum cedentium vel decedentium in commune reservantur, donec tantum de bonis vacaverit, quod inde possit commode fieri divisio inter fratres.

VII.

Statutum est, & perpetua inhibitione firmatum, ne successiones in ipsa ecclesia de cetero fiant, & ne refectoria in divisione terrarum alicui in beneficium assignentur.

VIII.

Item statutum est & juramento firmatum, ut canonico habenti in ipsa ecclesia CCC. solidos reditus, si de vavassoribus fuerit, nihil amplius in divisionibus faciendis de cetero detur, nisi infra annum a complemento redituum prædictorum convivium continuum fecerit, & perseveraverit. Si vero de minoribus fuerit castellanis, habens ab eadem reditus viginti libras, supradictæ subjacebit obnoxius conditioni. Si autem de majoribus, fuerit, videlicet comitibus, ducibus sive baronibus, habens ab ipsa ecclesia reditus triginta libras, præfatæ conditioni subjacebit. Hoc idem statutum est de præbendariis, si VII. libras in reditibus ab ecclesia habuerint; & de duodecim capellanis, si centum solidos in reditibus habuerint: quod videlicet nihil amplius percipiant, nisi infra annum a complemento redituum prædictorum, convivium continuum faciant & perseverent.

IX.

Item statutum est, ut canonici, & omnes alii qui in ipsa ecclesia habent præbendas, si ad scholas profecti fuerint, quamdiu ibi studere voluerint, plenam & integram refectorii præbendam habeant: nisi tales fuerint, qui ab ipsa ecclesia XV. libras reditus sint consecuti, quibus prædicta non erit concessa præbenda.

X.

Statutum est, ut decanus, & custos sancti Stephani, sacrista, & magister officium presbyterorum, & archidiaconus, officium diaconi faciant, postquam fuerint officia dignitatum adepti. ANNO CHRISTI 1251.

XI.

Item statutum est, ut nullus in numero duodecim sacerdotum admittatur, qui ecclesiam habeat vel teneat per se, sive per vicarium perpetuum vel temporalem: & eo ipso quod in prædicto numero admittitur, amittat ecclesiam, si quam habet, & patronus illius ecclesiæ de ea statim valeat ordinare: & si postea ecclesiam receperit, eo ipso videatur renunciasse capellaniæ nostræ.

XII.

Statutum est de morientibus, ut reditus suos, a tempore mortis suæ usque ad annum percipiant. De transeuntibus vero ad religionem idem est constitutum. Quod si in archiepiscopum vel in episcopum aliquis fuerit promotus; reditus suos amittit, postquam dignitatem illam pleno jure fuerit assecutus.

XIII.

Uni personæ duo personatus non concedantur.

XIV.

In refectorio cibaria & denarii, qui pro cibariis dantur, æqualiter dividantur.

XV.

Electus ad sacros ordines, a quibus eligi debet quadragesima die ante ordinationem, vel eo amplius prænonitus, si recipere contempserit: donec satisfaciat, in choro & refectorio non recipiatur.

XVI.

Supra chorum antequam subdiaconus fiat, nullus recipiatur: & ante nec vocem habet in capitulo, nec aliquid percipit in divisione terrarum. Cum autem aliquis levandus fuerit supra chorum habito super hoc tractatu in capitulo & licentia obtenta, si fuerit de dextro choro levatur a præcentore, si de sinistro fuerit, a cantore. Ordo diaconatus levat omnes canonicos supra chorum, & quatuor de præbendariis ecclesiæ scilicet dapiferum, panetarium, pincernam refectorii, & magistrum scholarum. Ordo sacerdotalis levat omnes supra chorum.

XVII.

Item in choro Lugdunensis ecclesiæ nullus admittitur, nisi de legitimo matrimonio natus, nec qui de religione exierit: nullus etiam clericus admittitur, nisi habeat dominum de ecclesia, in cujus domo continue procuretur, qui a domino suo per se vel aliquem de clericis suis per jus præsentandus est ecclesiæ sanctæ crucis, & ibi debet per duos menses vel amplius deservire. Postea vero ecclesiæ sancti Stephani debet præsentari, & ibi per quatuor ad minus deservire. In quibus duabus ecclesiis, videlicet sanctæ crucis, & sancti Stephani, quæ contiguæ sunt majori ecclesiæ, & officia sua inchoant simul cum ea, per dictos VI. menses debet instrui in modo legendi, psallendi, cantandi, supplicandi, intrandi, & egrediendi, & aliis pertinentibus ad ecclesiæ religionem. Postmodum vero introducitur in majori ecclesia per cantores ejusdem ecclesiæ, & magistrum, quibus est presentandus.

XVIII.

Post quartum versum primi psalmi cujuslibet horæ vel officii nullus debet intrare chorum,

ANNO CHRISTI 1251.

nisi in diebus qui non habent invitatorium: scilicet in Ephiphania cum suis octavis, die cœnæ Domini Parasceves, & Sabbato sancto; in quibus ad totum primum psalmum matutinum potest intrari. Postquam autem intraverit, non debet ibi sedere, cujuscumque sit dignitatis vel ordinis, nisi dum leguntur lectiones & responsoria, & officium mortuorum, nec aliqua occasione debet exire, nisi sanguinem nasus stillaverit, vel alia gravi infirmitate, vel necessitate, proprii corporis urgente: quæ nisi fuerit exterius manifesta, manu naso supposita, & deguttatione sanguinis simulata, exire * licet: & si fuerit de supra chorum, exire debet post eum aliquis clericus de sub choro, causa societatis & servitii, si necesse fuerit, impendendi. Similiter a principio Missæ usque ad finem non debet aliquis in choro sedere, nec etiam dum epistola legitur; nisi cum secreta Missæ dicuntur: & tunc licitum cuilibet pro arbitrio vel sedere, vel stando versa facie ad orientem orare.

* *Forte*, non licet. *Hard.*

XIX.

Canonici sacerdotes, & duo custodes sanctæ crucis, debent Missas Dominicas & matutinales ad altaria sancti Stephani & sancti Joannis: & nullus admittitur ad celebrandum in dictis altaribus, nisi canonicus ipsius ecclesiæ, vel archiepiscopus, sive episcopus cujuscumque loci vel ecclesiæ, vel abbas diœcesis Lugdunensis. Evangelium vero vel epistolam nullus debet legere ad Missas Dominicas, nisi canonicus. Singulis diebus Dominicis & festivis, sacerdoti canonico Missam Dominicam celebranti debent assistere duo minores sacerdotes, vicarii duorum canonicorum secerdotum, unus a dextra parte altaris, & alius a sinistra. Similiter diaconus evangelium lecturus, debet habere duos minores diaconos sibi hinc inde assistentes similibus dalmaticis revestitos. Similiter autem subdiaconus canonicus debet habere duos collaterales subdiaconos duorum canonicorum vicarios similibus tunicis revestitos. Si vero diaconus canonicus, vel subdiaconus evangelium vel epistolam lecturus defuerit, & officium suum per se, vel per alium canonicum non fecerit, vel qui vicarium habere tenetur non habuerit: quot vicibus defecerit, debet tres libras ceræ pro singulis defectibus, luminaribus ecclesiæ applicandas. Item in majoribus festivitatibus, scilicet beatæ Mariæ, & similibus debent esse quinque sacerdotes, & quinque diaconi, & totidem subdiaconi, in præcipuis autem festivitatibus, videlicet natali Domini, Pascha, & Pentecoste, & natali sancti Joannis evangelistæ, & die Cœnæ, si chrisma conficiatur, debent esse VII. sacerdotes, & VII. diaconi, & totidem subdiaconi, & totidem ceroferarii.

XX.

A prima pulsatione quæ fit ad matutinas, usque dum finita fuerit Missa & hora meridiana, & conventus exierit de ecclesia; & iterum a secunda pulsatione quæ sit ad horam nonam, usque dum finitum fuerit completorium, & conventus exierit: non debet aliquis de clericis ecclesiæ in habitu sæculari transire ante ecclesiam, vel manere in plateis quæ sunt in facie, vel prospectu ecclesiæ, nisi transeat equitando. Ad ultimam quoque pulsationem cujuslibet horæ vel officii, non debent clerici sedere ante ecclesiam, vel infra ante chorum, sed in choro. Dum cantatur in ecclesia a conventu nullus debet ante ecclesiam stare vel sedere. Finitis horis vel officiis, dum conventus exit de ecclesia, qui officiis non interfuerunt, non debent apparere in ecclesia vel extra in locis quæ prospici possunt ab ecclesia, stando, sedendo, vel aliquo modo; nec etiam in domibus ad fenestras. Eodem modo cavare debent qui processioni non interfuerunt, quando conventus in processione exit vel revertitur, ne a conventu videantur, vel aliquo de conventu. Ex quo nox fuerit, in domo cujusquam laici vel ante fores ejus clericus non moretur, nec per vicum incedat. Si necessitas coegerit, equo transeat & non solus. Qui autem contra fecerit, si bis vel ter commonitus se non correxerit, donec satisfaciat, in choro & refectorio non recipiatur.

Si quis de clericis ecclesiæ die festo extra villam fuerit, non debet claustrum vel ecclesiam intrare, nec procurationem habere ea die, nec eleemosyna pro eo. * Si vero præsens fuerit, & matutinis non interfuerit die festo, non debet per claustrum incedere, nec in publicum exire, nec ad fenestras se ostentare: & ea die procurationem amittit, & eleemosynæ applicatur. Si autem duobus profestis diebus continue defuerit matutinis, quorum utroque præsens extitit: posteriori die nec chorum intrare debet, nec in refectorio procurationem habere, sed iterum eleemosynæ applicatur, nisi infirmus fuerit vel minimus *

* *adde* tur

* *f.* min *id est*, *venæ in est.*

XXI.

Statutum est etiam, ut quicumque honores ecclesiæ, quæ obedientiæ apellantur, vel habent vel habituri sint, quot diebus in refectorio ex obedientiæ debito fratribus refectionem debent, tot mensuras siliginis quæ mornantesi appellantur, minori eleemosynæ, quæ quotidie pauperibus erogatur, præstare debent & totidem mensuras, omni postposita occasione, eleemosynario ab ecclesia communiter instituto, usque ad festum sancti Michaelis annuatim solvere tenentur. Quam annonam dictus eleemosynarius fideliter debet conservare, ut tempore famis pauperibus erogetur: & in alios usus vel ex parte vel ex toto non expendatur. Qui autem statuto tempore non solverit, ab ecclesia, & choro, & capitulo, exclusus sit.

XXII.

Si quis clericus de supra chorum pro delicto fuerit verberandus, a decano debet in capitulo verberari: alii vero de sub choro a cantoribus vel magistro verberandi sunt in schola ecclesiæ.

Addimus etiam nos & dictum capitulum supradictis hoc statutum.

XXIII.

Statuimus & juramento firmamus, quod quilibet canonicus, seu alius beneficiatus, non habeatur pro residente, nec aliquid capiat in divisione terrarum, nec quotidianas distributiones in scholis, nisi per dimidium annum primo fecerit residentiam in ecclesia nostra. Pro residenti tamen tenebitur, si teneat conductum continuum, & perseveraverit. Duo vero canonici, & unus de aliis beneficiatis, intelliguntur facere primam residentiam, si morantur cum domino archiepiscopo, vel jam morati fuerunt per dictum tempus.

In cujus rei testimonium, nos & capitulum præsentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, mense Junii.

CON-

ANNO CHRISTI 1252.

CONCILIUM SENONENSE

Cujus authoritate admonitus est Theobaldus Navarræ rex & Campaniæ comes, ut bonis ecclesiasticis cederet, anno Domini MCCLII.

Hujus synodi nihil extat præter monitionem ipsam, cujus exemplum ex regio tabulario petitum subjicio.

Monitio concilii Theobaldo regi Navarræ & Campaniæ comiti.

GIlo Dei gratia Senonensis archiepiscopus, M[1] Carnotensis. R.[2] Parisiensis. G.[3] Aurelianensis. G.[4] Autissiodorensis. P.[5] Meldensis, & N.[6] Trecensis, eadem gratia episcopi, Christianissimo in Christo illustri viro Th.[7] Dei gratia regi Navarræ, Campaniæ & Briæ comiti palatino, salutem, & sinceram in Domino caritatem.

Cum alias ex parte concilii provincialis Senonensis, per litteras nostras monitorias vos requisierimus & rogaverimus, ut ea quæ de bonis ecclesiasticis a quadraginta annis citra acquisitis saisiri feceratis, desaisiri faceretis: & preces & monitio prædictæ nondum fuerint a vobis effectum aliquem consecutæ; sed magis ac magis de die in diem adhuc incessanter in potestate Campaniæ saisiantur, necnon & alia multa gravamina ecclesiis & personis ecclesiasticis earumque hominibus inferantur contra immunitatem ecclesiæ, & ecclesiasticam libertatem, prout vobis Magister Joannes de Vernolio nuncius noster ad hoc specialiter destinatus plenius explicabit: serenitatem vestram tenore præsentium & per prædictum nuncium authoritate prædicti concilii rogandam duximus & monendam, ut saisita desaisiri faciatis, quousque de jure vestro constiterit evidenter, & prædictis gravaminibus desistatis, & vestros ministeriales desistere faciatis. Licet enim honori & personæ vestræ in quantum possemus deferre velimus: omittere tamen non possumus, nec debemus: quin oppressioni ecclesiarum, prout juris est, succuramus. Sciatis pro certo quod jus vestrum absorbere non volumus sed potius ipsarum ecclesiarum indemnitatibus quantum cum Deo possumus, subvenire.

Datum Parisius die Veneris post festum S. Martini hyemalis, anno Domini MCCLII. *cum* VII. *sigillis*.

PARISIENSE CONCILIUM

Quo decreta translatio capituli Carnotensis ad Meduntam,

Anno 1253. habitum.

MIlo Dei gratia, Senonensis archiepiscopus, R. Parisiensis, G. Aurelianensis G. Autissiodorensis, B. Meldensis, & N. Trecensis, eadem gratia episcopi, venerabilibus viris & in Christo dilectis R. decano totique capitulo Carnotensi, salutem & sinceram in Domino caritatem.

Versutiis humani generis inimici, qui nocte dieque circuit quærens quem devoret est a Christianis, Deo fidelibus, maxime ab illis quibus est aliorum cura commissa, prout videtur expediens, obviandum; præsertim in loco, ubi idem inimicus suæ crudelitatis aculeos ministrorum suorum pernicioso officio præsentialiter noscitur exercere ut in tuto sit innocentia, & refrenetur audacia malignandi, furorque in cursu existens lædendi, nocere nequeat, ut jam fecit. Cum igitur causa necis horribiliter horrendæ, piæ recordationis R. quondam cantoris Carnotensis, communi & deliberato consilio, concilii auctoritate ad locum ipsum duxerimus recedendum, invenientes ex certis indiciis, & conjecturis non multum dubiis, tutum non esse nec expediens Carnotensi ecclesiæ his diebus, quod moram ibi faciat capitulum, propter pericula quæ inde possent contingere infinita; & quia prodesse quandoque loci mutatio consuevit, ut innocentes securi, impiis nocendi opportunitate ablata, horis consuetis & debitis valeatis Domino famulari; non sine cordis amaritudine & dolore, sed quia via tutiori semper est procedendum, approbatione provincialis concilii, & consensu majoris & sanioris partis canonicorum Carnotensium inventorum ibidem, cum omnes essent coram nobis vocati ad locum eumdem, ordinamus, quod capitulum Carnotense a Carnoto infra festum B. Thomæ apostoli proxime venturum recedat, & apud Meduntam moram faciat, & in ecclesia B. Mariæ ejusdem loci ab episcopo & capitulo, & canonicis divina officia celebrentur horis debitis & solitis in ecclesia Carnotensi, & suam primam residentiam faciant infra muros castri ejusdem, sicut infra muros civitatis Carnotensis fieri consuevit; nec in alio loco, quam apud Meduntam, capitulum faciant, seu de electionibus vel aliis negotijs spiritualibus vel sæcularibus ad capitulum spectantibus tractent vel ordinent; sed in loco prædicto hæc omnia faciant, sicut antea facere consueverunt in Ecclesia vel in capitulo Carnotensi, nec aliquis canonicorum Carnotensium Carnoti moram faciens, vel alibi, nisi in locis ubi hactenus extra Carnotensem civitatem consueverunt, percipere fructus suos, residentiam suæ præbendæ faciat, vel grossum ipsius præben-

☞ bende seu distributiones aliquas percipiat; nec officiat Carnotensi ecclesiæ vel altari, donec aliud super prædictis fuerit ordinatum. Hunc autem locum eligimus quod in Carnotensi diœcesi sub secura dominatione, videlicet domini regis, consistit. Et ex nunc excommunicamus in scriptis omnes illos, qui contra hanc ordinationem nostram aliquid præsumserint attentare. Datum Parisius anno Domini MCCLIII. die Mercurii post festum B. Martini hyemalis.

ANNO CHRISTI 1253.

CONCILIUM WORMATIENSE

In quo anathema dictum in adhærentes Friderico imperatori.

Anno 1253. habitum.

Antiquus author Chronici Wormatiensis vulgati a Ludevvig. Reliq. to. II. c. XXXIX. Concilii hujus historiam hanc narrat. Convocatis omnibus de parte Willelmi in curia sua (tradit hæc de Siffrido Wormatiensi episcopo qui Willelmi partibus adhærebat adversum Fridericum imperatorem, quem pontifex Romanus ecclesia & imperio privaverat) qui nominabantur timentes Deum, dulciter & amicabiliter satis ab illis consilium quæsivit, quomodo subveniendum esset sanctæ matri ecclesiæ. Tunc illi unanimiter respondentes dixerunt: *Nos secundum omnem possibilitatem nostram tibi & ecclesiæ assistemus.* Quo audito lætus factus est *episcopus*, eo quod dissolvit colligationem civium suorum. Et veniente exaltatione sanctæ crucis in dominica die, sedit cum prælatis suis in palatio ante curiam suam, convocatis omnibus populis suis ante se; dixitque tunc cunctis audientibus: *cunctos adhærentes Friderico & Conrado esse excommunicatos, ut pote non obedientes ecclesiæ Dei.* Actum est istud anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio. Statimque dissolvit *interdictum*, eo quod dissolvisset colligationem suorum. Sed ut ut partialitas illa ab eo facta fortius insurgeret, per quam voluntas sua fieret, ordinatum fuit, ut adhærentes Friderico dicerentur *Non timentes Deum*, excluſi ab omnibus ecclesiæ & Christi sacramentis. Dixit quoque idem episcopus eodem die, ut *quicumque sacerdos* celebraret, prius se vertens ad populum diceret, *omnes adhærentes Friderico esse excommunicatos, & nequaquam missæ participes esse, vel officio assistere debere.* Item post offertorium iterum jubebantur egredi adhærentes Friderico, vel si alii eos adesse scirent, expellerent ab ecclesia & adesse nequaquam permitterent; & sic multi ab ecclesia expulsi recesserunt. Item *episcopus* ante factus præcepit sæpe, ut nequaquam sacramentum administrarent alicui ex his prædictis, nisi in domibus consentientibus partialitati suæ. *Ubi vero aliquis ex parte Friderici vel Conradi filii infirmabatur, non facta unctione inungebatur, neque in cœmeterio sepeliebatur. Ante tamen sacræ Eucharistiæ susceptionem compellebatur abjurare omnem Friderici imperatoris societatem.* Item prohibitum fuit, *ut nullus ex societate episcopi, qui nominabantur timentes Deum, visitarent aliquos in infirmitate constitutos vel alios.* Et sic omnia Sacramenta & Christi fidelium jura prædictis prohibita fuerunt & abrogata, qui de Friderici societate fuerunt. Super hæc, omnia jura tam civilia quam spiritualia illis prohibita fuerunt, ita quod omnia jura contra eos prolata effectum non haberent, & pro eis dicta omnino non valerent.

CONCILIUM (1) TARRACONENSE,

ANNO CHRISTI 1253.

PRÆSIDE BENEDICTO TARRACONENSI ARCHIEPISCOPO CELEBRATUM.

Ex Card. de Aguirre Concil. Hispan. tom. 3. pag. 505.

Anno 1253. 6. Id. Aprilis celebratum est Concilium in civitate Tarraconensi apud Benedictum Archiepiscopum. Ei autem suam præsentiam exhibuerunt Arnaldus Episcopus Cesarauguſtanus, Berengarius Gerundensis, Vitalis Oscensis, G. Ilerdensis, & procuratores aliorum. Interfuerunt etiam P. de Graviana Castellanus Empostæ, & Jacobus de Timor tenens locum Magistri domus Militiæ Templi. In eo statutum est licere Episcopis provinciæ absolvere excommunicatos suarum diœceseon: Archiepiscopum vero posse absolvere subditos suorum suffraganeorum, qui ad eum venerint excommunicati, ratione constitutionis in Concilio Tarraconensi editæ contra invasores rerum & personarum Ecclesiasticarum. Tum concessum universis presbyteris provinciæ, ut se invicem absolvere possent super minoris excommunicationis sententia. *Baluz. lib. 4. Marcæ Hispan.*

CON-

(1) Canones hujus concilii leges in Concilio Tarraconensi anni 1239.

ANNO CHRISTI 1253.

CONCILIUM RAVENNENSE

Quod Philippus archiepiſcopus cum ſuffraganeis ſuis celebravit anno Domini MCCLIII. Innocentio IV. pontifice.

Acta exhibet Rubeus hiſtor. Ravenn. libro VI. in hunc modum.

In Chriſti nomine.

ANno a nativitate ejuſdem MCCLIII. tempore Innocentii IV. die Lunæ tertia exeunte menſe Aprili, XI. Indict. Ravennæ, in choro eccleſiæ archiepiſcopatus, præſentibus teſtibus ad hoc ſpecialiter adhibitis, & rogatis dominis, presbytero Bono, presbytero Bernardo, Jacobo de Petrella, & Peppo de Caſtelvitto, cardinalibus eccleſiæ Ravennatis, & DD. Alberico præpoſito, presbytero Arnulpho, presbytero Ambroſio, Floro, Joanne de Moriſano Aimerico & Giezo cantoribus Sanctæ eccleſiæ Ravennæ, & me Benvenuto Cafarelli notario infra ſcripto. Nos frater Jacobus epiſcopus Bononienſis, Fr. Gualterius epiſcopus Faventinus, Thomas epiſcopus Imolenſis, Bono epiſcopus Comaclenſis, Albertus epiſcopus Mutinenſis, Richelmus epiſcopus Livienſis, & Joannes electus Foropompilienſis, in præſentia venerabilis patris Dom. Philippi, Dei gratia S. eccleſiæ Raven. electi, in die beati Vitalis martyris, in archiepiſcopali eccleſia congregati, volentes communi concordia & voluntate, tam indemnitati eccleſiarum provinciæ archiepiſcopatus Ravennæ ſalubriter conſulere, quam reprimere malitias & preſumptiones damnabiles perverſorum hominum, invadentium, ſive occupantium temeritate propria poſſeſſiones, homines, & jura eccleſiæ, & archiepiſcopatus, ſeu archiepiſcopi Raven. & epiſcopatuum, & epiſcoporum, & aliarum eccleſiarum, ac monaſteriorum, venerabiliumque locorum omnium provinciæ ſuprascriptæ: cum dignum ſit, ut quos Divinus timor a malo non revocat, ſaltem coerceat ſeveritas diſciplinæ, ut ipſorum malitia refrenata, eccleſiæ gaudeant debita libertate: volumus, & voluntate propria conſentimus, quod dictus dominus electus Ravennas, contra raptores, & invaſores, ac illicitos notorios detentores bonorum & jurium archiepiſcopatus prædicti, ac epiſcopatum, & epiſcoporum, & aliarum eccleſiarum, ac monaſteriorum venerabiliumque locorum omnium provinciæ nominatæ, qui ſunt in noſtris civitatibus & diœceſibus conſtituti, cenſuram eccleſiaſticam poſſit, & debeat exercere: ſententiam quam ipſe dominus electus Ravennas contra prædictos duxerit proferendam, ratam & firmam habendo ad mandatum dicti domini electi Ravennatis, denunciare, ac exequi promittentes, & ad hoc ut nos poſſit compellere, dantes ei plenam & liberam poteſtatem. Quibus omnibus ego prænominatus Benvenutus Cafarelli, S. Raven. eccleſiæ notarius interfui, & ut ſupra legitur, juſſu prædictorum dominorum epiſcoporum, atque Foropopilienſis electi, & mandato præfati domini electi Ravennatis, ſubſcripſi & publicavi.

CONCILIUM APUD SALMURUM

A PETRO * DE LAMBALLE, TURONENSI ARCHIEPISCOPO & ſuffraganeis celebratum, anno Domini MCCLIII.

Ex duobus Mſſ. collegii Pariſienſis S. J. quorum alterum dedit. V. Cl. Ægidius Menagius.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De celebratione Divinorum officiorum.*
2. *De cuſtodia ſacramentorum.*
3. *Qualiter, & per quos corporalia, &c. ſunt abluenda.*
4. *De ſcribendo in quaternis res & bona eccleſiarum per archidiaconum.*
5. *De archidiaconis, archipresbyteris, & decanis ruralibus, ad ordines promovendis.*
6. *Ne lites in eccleſiis vel earum porticibus agitentur.*
7. *Ut archidiaconi & alii, præſentibus epiſcopis ſua placita non teneant.*
8. *Ut archidiaconi & alii, extra civitatem officiales non habeant: & de quibus cauſis non cognoſcant.*
9. *De procurationibus.*
10. *De numero canonicorum ſtatuendo, & ſectionibus prebendarum non faciendis.*
11. *Ne illegitimi ad canonicatum cathed. recipiantur.*
12. *De ſubſidio.*
13. *De penſionibus non imponendis.*
14. *Ut regulares cogantur obſervare ſibi præſcripta in litteris pontificum.*
15. *Ut eædem litteræ in ſingulis abbatiis habeantur materna lingua expoſitæ.*
16. *Ut monachi poſſeſſionem non habeant.*
17. *Ne religioſi ſecularia placita audiant.*
18. *Ne ſæcularibus dentur loca religioſa.*
19. *De ſupplendo antiquo numero monachorum.*
20. *Ut abbates novas penſiones prioratibus non imponant.*
21. *Ne prioratus vacantes denudentur bonis ſuis.*
22. *Ne quis depoſitum faciat extra ſuam eccleſiam, aut monaſterium.*
23. *Ut eccleſiaſtici mercimonialia non exerceant.*
24. *Ut judices eccleſiaſtici poteſtatem citandi ſine pluribus litteris indiſtincte non committant.*

25. *De*

ANNO CHRISTI 1253.

25. *De perturbatoribus jurisdictionis ecclesiasticæ.*
26. *Ut non impediatur executio sententiarum.*
27. *De clandestinis matrimoniis.*
28. *De commendis ecclesiarum.*
29. *Ut episcopus ecclesias parochiales non applicet mensæ suæ: & ne in earum collatione novas pensiones sibi retineat.*
30. *Ne clericus leget aliquid filio spurio, vel concubinæ.*
31. *De præbendis sacerdotalibus.*
32. *Ut statuta provincialia prædecessorum suorum observentur.*

CAPITULA.

I.

De celebratione Divinorum officiorum.

NOs sanctorum canonum & prædecessorum nostrorum volentes servare statuta, & ea quæ visitando provinciam Turonensem, correctione novimus indigere, corrigere cupientes: vocatis venerabilibus fratribus, Turonensis provinciæ episcopis, ac aliarum ecclesiarum prælatis apud Salmurum; de dictorum fratrum consilio duximus statuendum; ut in locis collegiatis, & maxime in cathedralibus, dicantur horæ canonicæ horis debitis, cum omni devotione, solemniter, & devote: nec prius psalmi versiculum una pars chori incipiat, quam ex altera præcedens psalmi versiculus finiatur.

II.

De custodia sacramentorum.

Verum cum a sanctis patribus sit statutum, ut corpus Christi sub honesta & fida custodia reponatur; & in aliquibus partibus Turonensis provinciæ illud minus decenter invenerimus custoditum: statuimus ut archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, ad quorum officium dignoscitur pertinere, cum omni cura & solicitudine illud faciant, & procurent sanctuarium, fontes, oleum, & sanctum chrisma, clavibus adhibitis custodiri, & per loca populosa, & maxime civitates, venerabiliter deferri.

III.

Qualiter, & per quos, corporalia, &c. sunt abluenda.

Præcipimus etiam, ut prædicti archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, faciant & procurent per sacerdotem aut diaconum superpellicio indutum corporalia sæpe ablui, & in vase mundo ad hoc specialiter deputato, omnes ablutiones, si fieri potest, vel saltem primam, in piscina reponi; & ut altaris linteamina, indumenta sacerdotalia, ab aliqua honesta matrona vel virgine, sine appositione aliorum pannorum, quotiens opus fuerit, abluantur; & munda, & integra serventur, cum in pluribus parochialibus ecclesiis provinciæ Turoneusis immunda & dirupta a nobis & a nostris sociis sint reperta.

IV.

De scribendo in quaternis res & bona ecclesiarum per archidiaconum.

Statuimus autem [a] quod concilium apud Vallem Guidonis a felicis recordationis Gaufrido * prædecessore nostro provida fuit deliberatione statutum, de libris, vasis, vestimentis, & aliis ornamentis, & redditibus ecclesiarum, in quaternis archidiaconorum * scribendis, ab archidiaconis inviolabiliter observentur. Quod si circa prædicta omnia & singula prædicti archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, prout ad eos spectare dignoscitur, negligentes fuerint aut remissi, & de hoc constare poterit: a diæcesano loci, ab officio suspendantur. Nec prius relaxetur sententia, nisi solutis decem solidis pro qualibet ecclesia, in qua eorum negligentia aut incuria in præmissis poterit reperiri, per diœcesanum loci in usus fabricæ matricis ecclesiæ convertendis.

a Ita a MS.

* *Gaufr. ille ele est Tur. archiep. an. 12. obiit a 1208.*

* *al.* ahi vorum

V.

De archidiaconis, archipresbyteris, & decanis ruralibus, ad ordines promovendis.

Item cum sacris constitutionibus caveatur, ut archidiaconi fiant diaconi, & archipresbyteri, presbyteri: auctoritate præsentis concilii sancimus, ut prædicti archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, ad prædictos ordines infra annum suscipiendos, prout eorum requirit officium, a suis diœcesanis per subtractione beneficiorum monitione canonica compellantur: & talibus conferantur, qui infra annum a tempore suscepti beneficii velint, sciant, & valeant, in ordinibus quos requirit eorum dignitas deservire.

VI. Ne

ANNO CHRISTI 1253.

VI.

Ne lites in ecclesiis vel earum porticibu agitentur.

Inhibemus districtius, ne causæ de cetero coram quibuscumque judicibus ordinariis, aut delegatis eorum, in ecclesiis aliquibus, & præcipue in cathedralibus, aut earum porticibus, agitentur: cum propter litigantium clamores frequenter Divinum impediatur officium, & ob eorum rixas & discordias quandoque sanguinis effusio, homicidia, & alia mala, in ipsis ecclesiis ante earum faciem perpetrentur.

VII.

Ut archidiaconi & alii præsentibus episcopis sua placita non teneant.

Prohibemus, ne quis archidiaconus, archipresbyter, aut alii minores prælati jurisdictionem ecclesiasticam habentes, causas audiant, seu placita teneant, præsentibus episcopis suis: sed longe ab ipsis faciant super his, quod viderint expedire.

VIII.

Ut archidiaconi & alii extra civitatem officiales non habeant, & de quibus causis non cognoscant.

an. 1231. c. 12. an. 1242. c. 4. concil. Turon. an. 49. c. 8.

Cum olim a prædecessoribus nostris, in Castri Honterii & Vallis Guidonis conciliis, sit statutum, ne archidiaconi, archipresbyteri, seu decani rurales, & alii minores jurisdictionem ecclesiasticam habentes, extra civitatem officiales seu allocatos habeant, sed extra civitatem in propriis personis suum diligenter expleant officium, & ne dicti archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, de causis matrimonialibus, simoniæ, & aliis quæ degradationem vel amissionem beneficii, seu depositionem exigunt, cognoscerent, nisi de sui pontificis mandato speciali; alias processus habitus coram ipsis nullius esset momenti: & hæc invenerimus in Turonensi provincia minime custodita: auctoritate præsentis concilii omnibus & singulis fratribus & cœpiscopis nostris injungimus, ut omnia prædicta sine diminutione faciant a subditis inviolabiliter observari, præfatum per se statutum, vel per alios, in ecclesiis parochialibus suæ diœcesi publicantes.

IX.

De procurationibus.

Non sine radice cupiditatis procedit, quod nonnulli prælati provinciæ Turonensis, in prioratibus & ecclesiis, procurationem, aut aliquid nomine procurationis, recipiunt in pecunia numerata; & nihilo minus subditos ad eos in eisdem locis procurandos compellunt, sic ab eis procurationem duplicem exigendo. Quod fieri districtius prohibemus. Cum ratione visitationis debeatur procuratio: inhibemus districte præcipientes, ut nullus procurationem recipiat, nisi a locis dumtaxat visitatis.

X.

De numero canonicorum statuendo, & sectionibus prabendarum non faciendis.

Innovamus statutum in concilio Castri Gonterii * editum de certo canonicorum numero in ecclesiis statuendo, in quibus certus numerus minime erat statutus: & ne ecclesiarum aut præbendarum fierent sectiones, sed cum omni integritate conferrentur & ne aliquis ad vacaturam institueretur præbendam: præcipientes illud statutum inviolabiliter in omnibus suis articulis observari. Et quoniam decretum est in eodem, id quod contra fieret non tenere; & quidam de facto, cum de jure non possent, sectiones ecclesiarum fecerint, & etiam præbendarum: quatenus contra predicta statuta est factum, irritum revocamus.

an. 1231. can. 6.

XI.

Ne illegitimi ad canonicatum cathedral. recipiantur.

Statuimus ne aliquis in canonicum ecclesiæ cathædralis recipiatur, nisi sit de legitimo matrimonio procreatus.

XII.

De subsidio.

Statuimus ne prælatus aliquis a subditis subsidium exigat, nisi necessitas ex causa manifesta & rationabili hoc exposcat: & tunc cum caritate recipiat moderatum.

ANNO CHRISTI 1253.

XIII.

De pensionibus non imponendis.

Licet filii a parentibus nutriri debeant: aliquando tamen contrarium in aliqua parte provinciæ Turonensis invenitur, cum a prælatis quibusdam rectores ecclesiarum adeo novarum impositione pensionum graventur quod vix de residuo bonorum earumdem remaneat unde valeant sustentari: quod multum longe a paterna pietate videtur. Verum cum pensiones in Lateranensi concilio reprobentur, nos paupertati prædictorum rectorum compatientes, & prædicti concilii adhærentes * statuto, pensiones de novo impositas in dictis ecclesiis sine justa & rationabili causa, de fratrum nostrorum consilio duximus revocandas: injungentes locorum diœcesanis, ut prædictos rectores non permittant a talibus pensionariis molestari. Licet etiam de solvendis prædictis pensionibus juramento sint astricti: præcipimus, ut prædicti pensionarii per diœcesanos ad remissionem præstiti juramenti faciendam per censuras ecclesiasticas compellantur.

* *al.* addentes.

XIV.

Ut regulares cogantur observare sibi præscripta in litteris pontificum.

Cum super statu religiosorum ipsis per summum pontificem ad plenum sit provisum, præcipimus omnibus abbatibus, prioribus, præpositis, ac bailivis, universos ac singulos articulos, prout in litteris summi pontificis continentur, ab abbatibus, prioribus, præpositis, bailivis, monachis claustralibus ac conversis, inviolabiliter observari: injungentes in virtute obedientiæ singulis locorum diœcesanis, ut si prædicti abbates, priores, præpositi, bailivi, aut monachi claustrales, circa observantiam prædictorum negligentes extiterint, aut remissi, pœnas in eisdem litteris comprehensas eisdem infligere non postponant.

XV.

Ut eædem litteræ habeantur in singulis abbatiis materna lingua expositæ.

Præcipimus etiam in virtute obedientiæ, ut singuli abbates in singulis suis abbatiis litterarum transcriptum habeant prædictarum, & earum tenorem lingua materna exponant, & exponi faciant diligenter.

XVI.

Ut monachi possessionem non habeant.

Statutum editum apud Castrum Gonterii *, ne monachi, nisi sint in administratione constituti, habeant aliquo colore possessionem, vel aliquam proprietatem, etiam de licentia abbatum, cum licentia abbatis eis in hoc non valeat suffragari; & quia abbates, si contra prohibitionem istam fecerint, per superiorem gravissime puniantur: præsenti concilio duximus inovandum.

* an. 12[illegible]6.

XVII.

Ne religiosi secularia placita audiant.

Item inhibemus ne religiosi, baronum, militum, aut aliarum sæcularium potestatum causas aut placita audire, aut de his intromittere se præsumant.

XVIII.

Ne sæcularibus dentur loca religiosa.

Statuimus ne abbates religiosa loca, etiamsi solitaria fuerint, ad tempus, aut quoad vixerint, laicis concedant: sed talibus conferant, quod prædicta loca debito servitio * non fraudentur.

* officio

XIX.

Ut suppleatur antiquus numerus monachorum.

Provideant episcopi solicite, prout invenimus a piæ memoriæ Gaufrido prædecessore nostro statutum, & male ab abbatibus custoditum, quod in prioratibus, monachis aut clericis concessis, suppleatur antiquus numerus monachorum: ad quem supplendum & reponendum, abbates per diœcesanum loci censura ecclesiastica, si necesse fuerit, compellantur: nisi aliquid rationabile proposuerint & probaverint, per quod ab hoc, merito debeant excusari.

XX.

Ut abbates novas pensiones prioribus non imponant.

Abbates antiquis pensionibus prioratibus impositis sint contenti, nec novas

vas in eisdem attentent imponere seu antiquas etiam augmentare. Et si quæ de novo ab eis vel prædecessoribus suis sint impositæ, præcipimus ut ad eas revocandas, & remittendas, per proprium episcopum compellantur.

XXI.

Ne prioratus vacantes, bonis suis denundentur.

Item statuimus ne abbates, cum contingit priores suos cedere, aut decedere, prioratus bonis suis audeant denudare, sed saltem tantum de prædictis bonis, futuris prioribus dimittant, quod ipsi fratres & familia, usque ad futuram collectam, de eisdem competenter sustentari valeant, & domus prioratuum refici, & in statu debito conservari.

XXII.

Ne quis depositum faciat extra suam ecclesiam aut monasterium.

Prohibemus sub pœna excommunicationis, ne quis abbas, prior, vel alia religiosa persona, depositum faciant extra suam ecclesiam, monasterium, aut prioratum.

XXIII.

Ut ecclesiastici mercimonialia non exerceant.

Item prohibemus districte, ne prælati, sacerdotes, vel alii clerici beneficiati, mercimonialia, vel alios turpes contractus ineant, vel exerceant per se, vel per alios, nec partiantur in talibus, vel societatem * de talibus contrahant, cum frequenter sub colore tali usuræ gravissimæ committantur.

* scienter.

XXIV.

Ut judices ecclesiastici potestatem citandi, sine litteris pluribus indistincte non committant.

Item quia nonnulli judices ecclesiastici cupiditate ducti, discurrendo per suas diœceses, seu archidiaconatus, vel archipresbyteratus, seu etiam decanatus, singulis presbyteris sibi subjectis, vel pluribus eorum, potestatem citandi quos voluerint committunt, cum per hoc tot videantur habere judices vel allocatos, quot sunt pro tempore citatores: ne hoc de cetero fiat, statuimus & prohibemus.

XXV.

De perturbatoribus jurisdictionis ecclesiasticæ.

Inhibemus etiam sub pœna excommunicationis, isto sacro approbante concilio, ne quis jurisdictionem impediat ecclesiasticam, & ne minis aut terroribus, seu per captionem rerum aut corporum, litigantes super rebus ad forum ecclesiasticum spectantibus, revocet a foro prædicto, cum per viam istam rigor ecclesiasticus, & jurisdictio nequiter enervetur: præcipientes singulis diœcesanis, ut prædictum statutum per ecclesias parochiales faciant publicari, & illos qui contra fecerint, monitione præmissa, excommunicatos publice nunciari.

XXVI.

Ut non impediatur executio sententiarum.

Item cum nonnulli volentes arctare & diminuere jurisdictionem ecclesiæ, sententias latas a judicibus ecclesiasticis executioni demandare recusent, & penitus renuant *; sive etiam prædictas executiones, per alios qui non sunt de jurisdictione judicum, impediri faciant & procurent & affectent: cum nihil prosit litigantibus, si feratur pro ipsis sententia, si non demandetur executioni: prohibemus sub pœna excommunicationis, ne quis de cetero talia attentare præsumat, præcipientes, ipsos qui contra fecerint, legitima monitione præmissa publice denunciari excommunicatos.

* al. remittant.

XXVII.

De clandestinis matrimoniis.

Item cum per matrimonia clandestina, a sanctis patribus non sine causa prohibita, frequenter conjungantur non conjungendi, & præter detrimentum animarum, quod incurrunt sic convicti, rixæ, contentiones, & guerræ inter consanguineos & alios oriantur, & quandoque committantur homicidia: prohibemus firmiter, ne fiant hujusmodi clandestina matrimonia: statuentes isto sacro concilio consentiente, ut personæ ecclesiasticæ, presbyteri, & alii clerici, qui talibus matrimoniis in-

ANNO CHRISTI 1253.

terſint, vel ſuis eccleſiis ſeu capellaniis talia fieri permittant, officiis & beneficiis per triennium ipſo facto ſint ſuſpenſi. necnon perſonæ taliter contrahentes, ad arbitrium ſuorum epiſcoporum pecuniaria pœna puniantur.

XXVIII.

De commendis eccleſiarum.

Item nonnulli epiſcopi, & alii prælati, propriis lucris & commodis ſuorum inhiantes eccleſias parochiales, quæ proprios poſſunt habere ſacerdotes, clericis & aliis perſonis, eccleſiaſticis, habentibus alias eccleſias parochiales, vel competenter beneficiatis, ut poſſint eos pluribus onerare beneficiis, commendant unam, vel duas eccleſias parochiales, in animarum ſuarum periculum & ſcandalum plurimorum: ut ſic habeant commendatas, quas ſecundum canones habere non poſſunt intitulatas, quod fieri de cetero prohibemus ſtatuentes ut qui taliter eccleſias commendatas recepit, vel de cetero receperit, careat eccleſia ſic commendata, & conferens, poteſtate conferendi illam eccleſiam illa vice ſit privatus.

XXIX.

Ut epiſcopus eccleſias parochiales non applicet menſæ ſuæ: & ne in earum collatione novas penſiones ſibi retineat

Item cum cultus Divinus ampliari debeat, non arctari; nonnulli epiſcopi eccleſias parochiales in redditibus abundantes, quæ plures poſſent habere ſervitores, diminuto vel arctato numero ſervitorum, prædictas eccleſias appropriant menſæ ſuæ, licet ſufficiens ſit, vel debeat ſufficiens reputari, ſic temporale ſpirituali præferendo. Quod fieri de cetero prohibemus, niſi cum conſilio metropolitani, & aſſenſu capituli proprii. Quod ſi aliter factum fuerit, illud ex tunc denunciamus irritum & inane. Et ne ipſa collatione parochialium eccleſiarum novas ſibi retineant penſiones, vel antiquas, quas in eccleſiis prædictis percipiunt, augmentare præſumant. Quod a quibuſdam minus caritative factum eſſe dicitur, firmiter prohibemus: illud quod contra factum fuerit, irritum decernentes.

ANNO CHRISTI 1253.

XXX.

Ne clericus leget aliquid filio ſpurio, vel concubinæ.

Item innovamus concilium Turonenſe quod eſt tale: Præſentis authoritate concilii prohibemus, ne quis beneficiatus clericus, vel in ſacris ordinibus conſtitutus, aliquid legare præſumat filio ſpurio, ſeu propriæ concubinæ, in ultima voluntate. Quod ſi fecerit, non valeat: ſed eccleſiæ applicetur.

XXXI.

De præbendis ſacerdotalibus.

Statuimus, ut omnes habentes ſacerdotales præbendas in cathedralibus, vel collegialibus eccleſiis, ibidem in ordine ſacerdotali deſerviant, aut per diœceſanum illis priventur, & aliis conferantur, qui velint & poſſint in eodem ordine deſervire.

XXXII.

Ut ſtatuta provincialia prædeceſſorum ſuorum obſerventur.

Diſtricte præcipimus ſub pœna excommunicationis, omnia ſtatuta provincialia prædeceſſorum noſtrorum ab omnibus inviolabiliter obſervari.

Actum in pleno concilio apud Salmurum, in abbatia beati Florentii, die Martis, poſt feſtum Beati Andreæ apoſtoli, anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo tertio.

G. C. Concilium hoc Joannes Maanus, cl. ad calcem Metropolitanæ ſuæ Turonenſis, tribuit anno MCCXLIII. Ego vero anno MCCLIII. ex duorum MSS. fide, & aliorum quæ vidit L. Bochellus, quem in hoc quoque authorem ſequor.

ANNO CHRISTI 1253.

CONCILIUM APUD CASTRUM GONTERII.

A Petro de Lamballe, archiepiscopo & suffraganeis celebratum anno Domini MCCLIII.

CANON UNICUS.

De abusoribus litterarum apostolicarum.

QUoniam quamplures non observantes constitutionem Gregorii IX. papæ, quæ in novis decretalibus in titulo de reseriptis ultima inscribitur, & incipit, *Quia nonnulli*, multos contra ipsius constitutionis tenorem vexare præsumunt: nos auctoritate provincialis * concilii excommunicamus omnes illos, qui a Pascha proxime venturo in antea, talia præsumpserint attentare. Si vero vexatus A contra tenorem constitutionis ejusdem, * vexatorem suum in causam duxerit vel traxerit contra ipsius constitutionis tenorem, ipsum hujusmodi excommunicationis sententia volumus non ligari. Et ne per ignorantiam in hac parte se possit aliquis excusare: præcipimus hæc omnia supradicta in parochialibus ecclesiis denunciari publice singulis diebus Dominicis ac festivis.

* *al.* in partem vexatorem, sed non in totum duxerit vel tr

B Actum apud Castrum Gonterii in concilio provinciali, anno gratiæ millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio.

WESTMONASTERIENSIS CONVENTUS

In quo sententia fertur adversus libertatum ecclesiasticarum violatores,

Anno 1253. habitus.

Ex regist. Giffard. Wigorn. episc. fol. 28.

UNiversis Christi fidelibus, ad quos præsentes literæ pervenerint, magister Hugo de Mortuo Mari, officialis curiæ Cant. salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, de verbo ad verbum nos inspexisse literas apostolicæ sedis, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua parte abolitas, vel corruptas, tenorem hujusmodi continentes.

Innocentius episcopus, servus, servorum Dei, venerabilibus fratribus, universis archiepiscopis & episcopis regni Angliæ, salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum itaque, sicut ex parte vestra fuit propositum, coram nobis, vos cupientes, prout ad vestrum spectat officium, libertatem ecclesiasticam in regno Angliæ illibatam ab omnibus servari, cum voluntate & beneplacito charissimi in Christo filii nostri, illustrissimi regis Angliæ, in omnes illos, qui malitiose ac scienter ecclesias ipsius regni suo jure privaverint, & spoliarint, & libertates ecclesiasticas, & antiquas regni consuetudines, & præcipue illas libertates & liberas consuetudines, quæ continentur in chartis communium libertatum, & de foreſtis concessis a dicto rege, vobis ac aliis ejusdem regni prælatis, violaverint, infregerint, diminuerint, seu mutaverint, & qui contra illa statuta ediderint, vel edita observarint, consuetudines introduxerint, vel servaverint introductas, nec non in scriptores, executores, & consiliarios statutorum ipsorum excommunicationis sententias duxeritis proferendas, prout in literis super hoc confectis plenius continetur; nos, vestris supplicationibus inclinati, quod a vobis perinde factum est in hac parte, ratum habentes & gratum, id de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, tenorem literarum ipsarum præsentibus inseri facientes, qui talis est:

Auctoritate Dei omnipotentis Patris, Filii, & Spiritus S., gloriosæ virginis & Dei genitricis Mariæ, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, omniumque apostolorum beati Thomæ archiepiscopi & martyris, omniumque sanctorum martyrum, beati Edwardi regis Angliæ, omniumque sanctorum confessorum, atque virginum, omniumque sanctorum Dei, nos B. miseratione divina Cant. archiepiscopus, Angliæ primas, F. London. H. Elienſ. R. Linc. W. Wigorn. W. Norw. P. Hereford. W. Sarum. W. Dublinienſ. R. Exon. S. Carliol. W. Bathon. L. Roffenſ. Th. Meneven. episcopi, de assensu & voluntate venerabilis Patris W. Dei gratia Ebor. archiepiscopi, anathematizamus, & a limitibus sanctæ matris ecclesiæ sequestramus omnes illos, qui a modo scienter & malitiose ecclesias pervaserint, & spoliarint suo jure. Item omnes illos, qui ecclesiasticas libertates, vel antiquas regni consuetudines approbatas, & præcipue libertates & liberas consuetudines, quæ in chartis communium libertatum, & de foresta continentur, a domino re-

ge

☞ ge concessis archiepiscopis, episcopis, & cæteris Angliæ prælatis, comitibus, baronibus, militibus, & liberis tenentibus, quacunque arte vel ingenio violaverint, infregerint, diminuerint, seu mutaverint, clam vel palam, scripto, verbo, vel consilio contra illas, vel earum aliquas in quocunque articulo temere veniendo. Item omnes illos, qui contra illas vel earum aliquas statuta ediderint, vel edita servaverint, consuetudines introduxerint, vel servaverint introductas, scriptores etiam statutorum ipsorum, nec non & consiliarios, & executores, & qui ea præsumpserint indicari. Qui omnes & singuli superius memorati hanc nostram sententiam incursuros se noverint ipso facto, qui scienter aliquid commiserint de prædictis. Qui vero ignoranter, nisi commoniti infra quindenam a tempore commonitionis se correxerint, & arbitrio ordinatorium plena satisfecerint de commissis; ex tunc sint hac sententia. A involuti. Eadem etiam sententia innodamus omnes illos, qui pacem regis, & regni præsumpserint perturbare. In cujus rei memoriam sempiternam nos signa nostra præsentibus duximus apponenda. Act. in majori aula regia apud Westm. An. D. MCCLIII. 3. Id. Maii sub præsentia & assensu Henr. Dei gratia regis Angliæ illustris, & dominorum R. egregii comitis Cornubinæ fratris sui, R. com. Norfelk & mareschalli Angliæ. H. com. Herefords H. com. Oxford., & J. com. Warwic. & aliorum optimatum Angliæ ad hoc quasi ad concilium specialiter vocatorum. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario B contrarie. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Anagn. 2. calendar. Octobris, pontificatus nostri anno XII.

ANNO CHRISTI 1253.

ANNO CHRISTI 1253.

LUCENSE CONCILIUM DIOECESANUM

A GUERICO LUCENSI EPISCOPO

Anno 1253. habitum.

Cusrcius. Ex Autographo in tabul. Ep. Lucen.

CUm nos G. D. G. Lucensis episcopus ad laudem & honorem & gloriam nominis Jesu Christi præsentem synodum duximus congregandam, pro eruditione subditorum nostrorum, correptione errorum, ac informatione virtutum, nec non & bono statu omnium ecclesiarum nostrarum, & etiam clericorum, atque pro salute totius cleri nobis commissi, volentes subditos nostros ore instructos, pudicos, pacificos, & modestos, quædam de consilio fratrum nostrorum duximus statuenda. In primis si quidem statuimus, ut in omni ecclesia divina officia nocturna, atque diurna competenti diligentia cotidie celebrentur; quod si omissum fuerit in aliqua ecclesia, ejus rector, & qui omiserit, superioris arbitrio puniatur.

Omnis rector ecclesiæ habeat semper ad minus, unum scolarem, qui cantare sciat & legere competenter, cum præmissa constitutio de divinis officiis celebrandis nequeat observari.

Ornamenta ecclesiastica tam Sacerdotum, quam altarium munda sollicita diligentia conserventur, & præsertim corporalia quæ quidem nitidissima & sine fractura præcipimus retineri, cum absurdum sit, ut ornatiora sint vestra corpora, quam altaria; & qui mundis vestibus extra ecclesiam nos cooperiamur, immundis in ecclesia sordidemus.

Corpus autem Christi in capsa, vel pixide munda sub clavi firmata & super altare appensa aut etiam in sacrario, ne ab indiscretis, E vel bestiis tangi possit, cum multa reverentia teneatur.

Chrisma etiam sub firma custodia taliter conservetur, ne ab aliquibus tractari possit sine licentia prælati vel honestæ personæ, quæ ad custodiam ipsius chrismatis fuerit deputata.

In celebratione missarum, maxime publicarum, saltem dum secreta dicitur, candela semper ardeat in altari. In plebibus autem & aliis ecclesiis collegiatis super hostiam & calicem semper fiat incensum, cum id tam parvo C fieri possit impendio, quod paupertatis prætextu vix se valeat aliquis excusare.

Nullus prælatus, sive rector ecclesiæ, aut hospitalis parochianis suis, nullusve monachus, vel clericus sæcularis, aut monacha suis fratribus, vel sororibus comestionem, seu aliquid loco comestionis pro suo ingressu, pretextu cujuscumque consuetudinis exhibere præsumat, cum id periculo esse dantibus, & præcipientibus * videatur, utpote, simoniacam sapiens pravitatem. Qui vero exhibere præsumpserint, suspendantur ab omni ecclesiastico officio & beneficio. Exactores vero si pertinaces in exigendis extiterint, excommunicationi subdantur.

Nullus Sacerdos aut clericus in sacris ordi- D nibus constitutus, habens ecclesiasticum beneficium per civitatem aut vicos sive plateas incedat, quin exteriorem vestem habeat clausam, nec ullatenus utantur de nimio coloris fulgore, seu splendore notandis, nec bottonibus in manicis, vel ad pectus; sedadis autem rubeis, glaucis, viridibus & sanguineis non utantur, & capas manicatas, aut guascappas ad divinum officium in ecclesia gerant, si canonicam volent effugere ultionem.

Nullus clericus beneficium ecclesiasticum de laicali manu recipiat, vel in laicali manu resignare præsumat, cum rerum ecclesiasticarum nulla sit attributa potestas. Si qui autem secus attentare præsumpserint, recipientes priventur beneficio sic recepto; resignantes vero secundum nostræ prudentiæ arbitrium puniantur.

Nullus habens ecclesiasticum beneficium ad aliud beneficium ecclesiasticum assumatur, nisi facta resignatione prioris in manibus illius ad quem institutio ipsius ecclesiæ noscitur pertinere; & si primum retinere contenderit cum secundo, utroque ipso jure sit privatus; nisi per Romanam ecclesiam, seu per nos cum eo super hoc fuerit dispensatum. Is vero ad quem pertinet institutio, institutionem facere non audeat, nisi prius constet sibi de resignatione

prio-

prioris; si contra fecerit, nostro arbitrio puniatur.

Clerici, qui ad sacros sunt ordines promovendi, diligenter examinentur per eos, qui ad hoc fuerint deputati, quod ut rite fieri possit IV. V. & VI. feria, sabbathum quatuor temporum præcedentibus a plebanis suis personaliter præsententur, ut de ipsorum vita, scientia, conditione, & virtute constare valeat eorumdem testimonio plebanorum. Quod si forte aliquis ipsorum plebanorum venire nequiverit, canonica præpeditione detentus, clericos suos, quos ordinare voluerit, cum literis suis de ipsorum vita, scientia, conditione, & nativitate testimonium perhibentibus, ad nos mittat cum aliquo de Capellanis aut clericis suis bonæ famæ, & conversationis honestæ, qui nobis eos, seu examinatoribus deputatis, ipsius plebani vice, seu nomine, repræsentent.

Si quis Sacerdotis filius, aut alius ex fornicatione natus, dispensatione non obtenta, sacrum ordinem clanculo surripuerit, hoc ipso sit excommunicationis vinculo innodatus, & etiam post absolutionem obtentam maneat tamdiu ab ordinis sic surrepti executione suspensus, donec dispensationis gratiam potuerit obtinere, quod etiam de iis, qui sine certo titulo se clanculo fecerint ad sacros ordines promoveri, decernimus observandum. Si qui vero scienter ad sacros ordines præsentaverint filios sacerdotum, & alios ex fornicatione natos, tacito quod sint tales, ipsos ex nunc excommunicationis sententia innodamus.

Quoniam quidam laici de non recipiendis uxoribus suis; & quædam mulieres de non recipiendis maritis legitimis temeraria soleant facere juramenta, quæ perjuria sunt, nihilominus appellanda; præsenti decreto statuimus ut omnes sive mares fuerint, sive fœminæ, qui de cætero fecerint hujusmodi juramentum, & qui eis in hac perversitate adstiterint, conficiendo super hoc publicum instrumentum; aut locum testis etiam obtinendo, seu etiam alias operando, quod hujusmodi juramenta multo melius perjuria commutantur, hoc ipso sint excommunicationis vinculo innodati, illique nullatenus ligati hujusmodi juramento agant pœnitentiam de perjurio ex se se repetant, non obstante hujusmodi juramento, cum juramentum esse non debeat iniquitatis vinculum, sed adminiculum veritatis. Ne autem aliquis per ignorantiam valeat excusari, præcipimus ut hoc nostrum decretum quater in anno solemniter publicetur.

Ah hæc statuimus, ut omnes hospitalarii in uno refectorio comedant, in uno dormiant dormitorio, ita quod mulieres suum dormitorium, & suum refectorium habeant separatim, quod etiam in collegiatis ecclesiis præcipimus observari, si commode possunt domum ad hoc competentem habere.

Item statuimus, ut nullus de alieno episcopatu ad regimen, vel in clericum alicujus ecclesiæ nostri episcopatus eligatur, seu etiam admittatur absque nostra licentia speciali, & si contra factum fuerit, illud decernimus non valere.

Si quis clericus sæcularis vel religiosus, habens beneficium ecclesiasticum in civitate vel diœcesi nostra, se ab alio episcopo, vel archiepiscopo absque nostra licentia fecerint ordinari ab exequutione ordinis sic susceptiipsum duximus suspendendum.

Nullus clericus in sacris ordinibus constitutus, aut alius clericus obtinens ecclesiasticum beneficium, concubinam, nec aliquam secum in domo vel extra domum, de qua sit vel fuerit, aut siniſtra suspicio possit haberi, habeat mulierem, nec admittat eam ad aliquod servitium in canonica ecclesiæ, nisi mater, vel amita ejus fuerit, aut soror; & qui nunc tenet eam in domo vel extra, monemus ut illam infra quindecim dies a se debeat removere, ipsam, vel aliam ulterius minime admissurus; & qui contra fecerit, ipsum a divinis officiis, & beneficiis ecclesiasticis suspendimus, & si suspensus præsumpserit celebrare divina, vel beneficiorum ecclesiasticorum administrationi se immiscuerit, ipsum ex nunc ab eisdem beneficiis perpetuo amovemus. Plebani quoque, ac Vicarii, & coadjutores eorum hac constitutionem observent, & faciant a subditis suis observari, & nobis per se, aut per literas suas referant eos, qui fecerint contra eum; alioqin secundum nostrum arbitrium puniantur. ANNO CHRISTI 1253.

Item cupientes, ut beneficia ecclesiastica in civitate, & diœcesi nostra rite ac secundum sanctiones canonicas habeant, statuimus, ut de beneficiis ecclesiasticis nullæ fiant pactiones in civitate & diœcesi memoratis; & super hoc monemus universos, & singulos subditos prædictos, qui pactiones prædictas fecerint, vel fieri consenserint, vel opem, seu operam dederint ut fiant, excommunicationis sententiam proferentes.

Item cupientes ecclesiarum utilitatibus providere statuimus, ne quis rector alicujus ecclesiæ, vel loci religiosi, vel alia quæcumque persona civitatis, vel diœcesis Lucanæ alienet, vel pignori obliget possessionem aliquam, vel thesaurum, seu proventos nondum habitos vendere ad tempus alicujus ecclesiæ, vel loci religiosi civitatis vel diœcesis prædictæ absque nostra licentia speciali, quæ apparet in scriptura sigillo nostro signata; & monemus omnes & singulos, ne contra prædictum statutum aliquid debeant attentare in omnes & singulos, qui contra fecerint, vel fieri consenserint, alienando seu pignori obligando, vel recipiendo aliquo titulo alienationis, seu pignoris aliquid de prædictis excommunicationis sententiam proferentes; ac etiam decernentes irritum & inane, ac penitus non valere quidquid contra dictum statutum fuerit attentatum.

Item statuimus, ne rector alicujus ecclesiæ vel loci religiosi nostræ civitatis vel diœcesis debitum contrahat nomine ecclesiæ suæ ultra summam sibi concessam vel concedendam a nobis, & si contraxerit pronunciamus contractum ipsum penitus non valere, & ex tali contractu in nullo suam ecclesiam obligari.

Item præcipimus abbatibus, Prioribus & plebanis universis, ut prædictas nostras constitutiones editas infra resurrectionis Dominicæ proxime nunc venturum habere & eam ad minus bis in anno legere subjectis suis, & exponere diligenter.

Lectæ fuerunt & publicatæ constitutiones prædictæ in synodo clericorum civitatis & diœcesis Lucanæ, congregata Lucæ in cathedrali ecclesia S. Martini, præsentibus Dominis archipresbitero Gerardino Guidone de Porcari, Canonicis Lucensibus & pluribus aliis Anno Domini 1253. IV. idus martii indict. XI.

VITA
ET EPISTOLÆ
ALEXANDRI PAPÆ IV.

ALexander quartus, cui, teſte abbate Stadenſi, Rainaldi, vel, ut habet Onuphrius, Rolandi nomen fuerat, patria Anagninus, nobili comitum Signiæ familia natus, Innocentii tertii & Gregorii noni, a quo cardinalis creatus eſt, propinquus, ex epiſcopo Oſtienſi & Veliterno, decimoquinto die poſt obitum Innocentii, evectus eſt in thronum apoſtolicum & cathedram Petri, 25. Decembris, ipſo die nativitatis Chriſti, anno ſalutis humanæ 1254. regnante Wilielmo Hollandiæ comite, quem coronæ imperialis accipiendæ gratia Romam abiturientem Friſones anno ſeptimo regni occiderunt. Manfredum, qui ſibi titulum regni Neapolitani uſurpaverat, anathematizavit. Ad Venetos Philippum Fontaneſium Ravennatem archiepiſcopum miſit, qui contra Ezelinum tyrannum prædicaret. Poſt aliquot tandem obtentas victorias eo mortuo, tum demum res Syriæ Alexandro cordi eſſe cœperunt: quas tamen ad exitum deducere non potuit, propter diſſenſionem inter Venetos & Genuenſes exortam, unde graviſſimum bellum ſecutum eſt. Alexander igitur tanto malo occurrere ac mederi ex paterna commiſeratione deſiderans, ubi ſanctam Claram ordinis ſancti Franciſci inter divos retuliſſet, omnem operam ad componendam pacem inter eos adhibuit. Verum tam gravibus implicatus curis, obiit VIII. Kalendas Junii, anno Domini 1260. cum ſediſſet annos ſex, menſes 5. dies 13. Henricus Stero in annalibus ſuis ait, eum Viterbii VIII. Kalendas Junii anno 1261. defunctum eſſe. Corpus ejus ad eccleſiam ſancti Laurentii delatum eſt. Erga pauperes adeo propenſus, fuit, ut libros aliquos contra eos deſcriptos improbaverit. Epiſtolas decretales ſcripſit. Viros doctos maximo favore proſecutus ſemper magnifecit, inter ceteros Henricum a ſe cardinalem Oſtienſem factum. Egregia aliquot ædificia extruxit: &, ut multa paucis dicam, ſuavem poſt obitum ſui memoriam reliquit. Sedes morte ejus tribus menſibus & quatuor diebus vacavit.

EPISTOLA I.

ALEXANDRI PAPÆ IV.

AD SCOLASTICUM ARGENTINENSEM.

De novalium decimis.

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Scholaſtico Argentinenſis eccleſiæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

EXhibita nobis dilectorum filiorum prælatorum ac religioſorum, & cleri Colonienſis, civitatis, & diœceſis petitio continebat, quod cum aliquas terras incultas earumdem civitatis & diœceſis contingit redigi ad culturam, nobiles viri comes de Monte, & Waleramus frater comes Juliacenſis, ac quidam alii dictarum civitatis, & diœceſis, aſſerentes ad ſe decimas novalium hujuſmodi pertinere, illas pro ſuæ voluntatis libito occupant, & contra juſtitiam detinent occupatas. Cum itaque dominus in ſignum univerſalis dominii ſibi decimas reſervarit, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi tibi conſtiterit ita eſſe, prædictos nobiles & alios, quod hujuſmodi decimas novalium eiſdem eccleſiis exhibeant, & illas ab eis permittant pacifice poſſideri, monitione præmiſſa, per excommunicationis in perſonas, & in terras eorum interdicti ſententias, appellatione remota prævia ratione compellas: non obſtante, ſi aliquibus a ſede apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari non poſſint, & terra ipſorum ſupponi eccleſiaſtico interdicto, per litteras apoſtolicas, quæ de indulto hujuſmodi plenam & expreſſam non fecerint mentionem, & conſtitutione de duabus diætis edita in concilio generali: ita quod ultra tertiam vel quartam aliquis extra ſuam diœceſim authoritate præſentium ad judicium non trahatur. Data Anagniæ xv. Kalendas Septembris, pontificatus noſtri anno primo.

II. AD HENRICUM CHYMENSEM EPISCOPUM

Philippus Saltzburgenſis electus, jam per decem annos nolens ordinem presbyterii ac epiſcopalem ſuſcipere conſecrationem, ab Alexandro papa deponitur, & Ulricus Secowenſis epiſcopus ei ſubrogatur.

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Chymenſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

IN contemptum veniens Philippus, quondam Saltzburgenſis eccleſiæ electus, nimis videtur a ſe timorem Domini & hominum reverentiam abjeciſſe, dum adhuc munitiones & caſtra, & quædam alia bona ipſius eccleſiæ, ſua detinet poteſtate: quaſi non ſuffecerit dictam tenuiſſe eccleſiam, in ſuam & multorum perniciem, tanto tempore viduatam. Errata igitur dicti Philippi corrigi miſericorditer cupientes, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſum ex parte noſtra moneas attentius, & inducas, ut prædicta omnia venerabili fratri noſtro Saltzburgenſi archiepiſcopo, vel alii ejus nomine ſine quallbet difficultate reſignet. Alioquin, cum ferro abſcindenda ſint vulnera quæ fomentorum non ſentiunt medicinam, tam eum quam alios, qui eadem ejus

no-

nomine detinent, ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Contra quos, si necesse fuerit, omnium suffraganeorum, ministerialium, & vassallorum ejusdem ecclesiæ auxilium invoces, ut super his tibi & ipsi archiepiscopo fuerint requisiti; suffragaueos ipsos ad hæc authoritate nostra, ministeriales vero & vassallos eosdem per privationem feudorum quæ tenent ab ipsa ecclesia, monitione præmissa, ratione prævia coarctando. Datum Viterbii 11. Nonas Decembris, pontificatus nostri anno 111.

III. AD ARCHIEP. SALTZBURGENSEM ET SUFFRAGANEOS.

Eos hortatur ad officium episcopale exequendum, & abusus reformandos.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Saltzburgensi, ejusque suffraganeis, nec non & dilectis filiis abbatibus, aliisque ecclesiarum prælatis ordinariam in subditos obtinentibus potestatem per Saltzburgensem provinciam constitutis, tam exemptis quam non exemptis, salutem & apostolicam benedictionem.

SI vere, quod dicitur, pastores ovium Christi sumus, non impavide ferre possumus terribiliter intonantia nostris sensibus contra pastoralis curæ negligentiam sacrarum oracula scripturarum, quæ determinata dominici gregis in præsidentium desidiam retorquentes, minaciter inclamant pereuntium sanguinem de præpositorum manibus exigendum. Quis nostrum non contremiscat & paveat, dicente ad pastores gregis sui Domino per prophetam: *Dispersistis gregem meum; ejecistis, & non visitastis eos. Ecce ego visitabo super vos vestrorum malitiam studiorum.* Pavet utique ad hos increpationis interminationisque Divinæ sermones idem ipse propheta, dum dicit: *A facie Domini, & a facie sanctorum verborum ejus conturbatum est cor meum: in medio mei contremuerunt omnia ossa mea.* O formidolosa speculatorum, quos populo dispensatio Divina præposuit, & periculosa conditio, si perfunctorie res agatur, si eo modo in solicitudine commissa non militent, quo summus præcipit imperator, si sibi & universo gregi, cui eos Deus custodes & episcopos constituit, non attendant. His præcipue horrendum erit illud humanorum operum finale judicium, omnibus in commune tremendum: in quo etsi unusquisque de proprii corporis actionibus districto sit subjiciendus examini, ut recipiat prout gessit: nobis tamen, quibus papalis cura commissa est, non sufficiet propria innocentia sine cumulo justitiæ subditorum: quando negligentis ministri pigritiam per * consequens austerus injunctæ servitutis exactor, delicta plebis impinget reatui prelatorum. Si enim qui de unico talento sibi credito satis fœnoris non reportabit augmentum, tanquam inutilis servus & piger justæ damnationis periculum sustinebit: quam durum putatis judicium fiet illi, qui commissum sibi pluralem numerum viventium talentorum non solum integrum neglexerit reddere creditori, verum etiam in illa districtione probabitur damnum domino suo in bonis, quæ ab ipso multiplicanda susceperat, intulisse. Prop-

terea, fratres & filii, qui fasces pontificalis officii & ecclesiastici ministerii subeundo, defixistis pro animabus creditis apud extraneum manus vestras: festinate quæsumus liberari ab illo qui supremus est actor & judex, nullum nobis de allegationis nitore præsidium relicturus. Discurrite, nec cessetis, ne fiant animæ vestræ pro illis, quos in custodiam sub tanto vadimonio suscepistis. Excitet vos summi pastoris amor, qui nos pascendis rationalibus ovibus dedicavit. Exterreat corda vestra & corporis somnum depellat ab oculis metus periculi, eis procul dubio, qui supra greges suos vigiles non observant excubias, imminentis. Sed ecce letalis incuriæ sopor, pastoralis vitæ vigilantiam, quod gementes dicimus, oppressisse videtur in plurimis, prout testatur nimia de plerisque regionibus clamans Christiani populi corruptela: quæ cum deberet ex sacerdotalis antidoti curari medelis, invalescit, proh dolor, ex malorum contagione, quod procedit a clero, ita ut alicubi verum sit quod & prophetica querela testatur; *Factus est*, inquiens, *sicut populus sic sacerdos*. Malitia namque dierum labentium, quæ cum tempore corrupit & mores, dante quam plurimis ex impunitate audacem semper & in deteriora proclivem infrænis licentiæ libertatem, nonnulli clerici præcipiti lubricæ voluptatis arbitrio laxas committentes habenas, post carnis suæ concupiscentiam abierunt, & relegata pene penitus a conversatione vitæ suæ clericalis munditie & honestate, tenent etiam in conspectu populi concubinas, cum quibus impudicæ frontis irreverentiam induentes, fœdas manus & fœtidas, quas sordidis libidinosæ coinquinationis fœtibus immiserunt, non erubescunt, in suum periculum & ruinam populi, sacris ministeriis immiscere, a quibus ob publici concubinatus insaniam, quæ nulla tergiversatione sceleris, vel secundum scita canonum, tam quoad, se, quam ad alios, sunt suspensi: & ne quis taliuni Missam audire præsumat, arctius in eorum contemptum canonicæ auctoritatis constitutio interdicit. Per tales maxime nomen Domini blasphematur in terris: per tales derogatur sacramentis fidei orthodoxæ, cum vasa Domini pollutis eorum manibus profanantur. Per tales ergo perdit religionem catholicam devotio reverentiæ Christianæ: per tales decipitur populus in Divinis, & ecclesiastica substantia dissipatur: hinc detrahitur verbo Dei, dum immundis labiis talium nunciatur: hinc hæretici mussitant & insultant: hinc tyranni sæviunt: hinc perfidi persequuntur: hinc grassantur audacius in Christi patrimonio sacrilegi exactores: a quibus, proh pudor, ob hujusmodi carnes putridas, quas disciplinalis mucro non resecat, sicut decet, sincerum catholicæ matris corpus in ostentum ducitur & contemptum. Profecto patres qui hujusmodi filios sub dissimulationis conniventia fovent impune, etiamsi cum Heli sacerdote sunt boni, forsitan in seipsos merito pro consimilis negligentiæ malo, repentina patris interitus ruina dejiceret de sella retrorsum. Ecclesiæ quoque principes, qui zelo Phinees ardenter non feruntur in tales, sine causa videntur portare gladium potestatis, quem ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, desuper acceperunt. Nos igitur cupientes tantum malum de medio ecclesiæ, tantumque scandalum ab oculis fidelium removere, universitatem vestram

ANNO CHRISTI 1254.

Jai. 24.

ANNO CHRISTI 1254.

rogamus, monemus, & hortamur, authoritate noſtra vobis per apoſtolica ſcripta in virtute injungentes, ac vos ſingulos ſub obteſtatione tam judicii ſingularis, quo quiſque citatur ad Dominum de corpore mortis hujus, quam judicii generalis, in quo univerſi ſtabimus ante tribunal æterni judicis, obſecrantes quatenus in vobiſmetipſis curetis oſtendere, quam pie ad Dominum, quam ſancte ad ſe ipſos, quam juſte ad proximos oporteat ceteros in Dei eccleſia converſari. Totius namque familiæ ſtatus & ordo vacillat, ſi quod requiritur in membris, in eorum capite non habetur: & in ejus ore adverſus peccantes neceſſe eſt redargutionis objurgatio conticeſcat, qui admittere cognoſcitur arguenda. Qua enim fronte fieri quis poterit morbi curator, dum languore conſimili detinetur; aut ſectator virtutum, dum ſectator oſtenditur vitiorum? Ad inquirendos autem ac puniendos ſubditorum veſtrorum exceſſus, & maxime incontinentiæ fœditates in clericis, præſertim concubinariis manifeſtis, qui odorem fœtere faciunt domus Dei, tanto ferventius aſſurgatis, quanto damnabilius præteriretis eorum contagia incorrecta. Verum, ut adverſus concubinarios hujuſmodi officii noſtri debitum tam authoritate noſtra quam veſtra liberius exequi valeatis: nos prædeceſſorum noſtrorum attendentes veſtigia, & plenius exprimentes, A ſuper hoc proceſſus veſtros per appellationis objectum volumus aliquatenus impediri. Si vero hujuſmodi concubinarii, quorum culpas contigerit canonica diſtrictione feriri, ſuper appellatione aut abſolutione vel reſtitutione ſua litteras apoſtolicas reportarint: illas, niſi forſitan in eis appellationis aut excommunicationis ſeu amotionis ſuæ hujuſmodi cauſam expreſſerint manifeſte, decernimus nullius eſſe momenti, ſed, eis vel proceſſibus per eas habitis nequaquam obſtantibus, cenſura veſtræ animadverſionis in tales inviolabilem obtineat firmitatem. Preces autem, monita, mandata, & præcepta noſtra ſuper his, taliter implere curetis, quod converſationis honeſtas in clero, & devotionis antiquæ ſinceritas in populo, per ſolicitudinis veſtræ diligentiam reformentur. Cumque princeps paſtorum advenerit ab unoquoque noſtrum fructum injuncti negotii quæſiturus, coram ipſo appareatis intrepidi, & dignam ſibi poſſitis villicationis veſtræ reddere rationem. Volumus autem atque præcipimus, ut tu, frater archiepiſcope, ſuffraganeis tuis & aliis prælatis tuæ provinciæ has litteras ſine moræ diſpendio facias præſentari, ut ſuper præmiſſis præceptum noſtrum exacta diligentia exequantur.

Datum Idibus Februarii, pontificatus noſtri anno quinto.

CONCILIUM ALBIENSE,

FACTUM A DOMINO ZOEN,

Avenionenſi epiſcopo, A. S. L. anno Domini MCCXLIV.

Ex duobus exemplaribus, altero edito a D. Luca Dacherio tom. II. Spicilegii, altero Sirmondi noſtri manu deſcripto.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut conſtituantur, qui diligenter inquirant hæreticos.*
2. *Ut qui hæreticum ceperit, marcam argenti accipiat.*
3. *Ut ſi de bonis hæretici marca ſolvi non poteſt, eam ſolvant loci dominus & communitas.*
4. *Ut domini terrarum, hæreticos ſolicite inquirant.*
5. *Ut amittat terram ſuam, quiſquis in ea permiſerit hæreticos commorari.*
6. *Ut domus, in qua inventus fuerit hæreticus, diruatur.*
7. *Ut puniantur bajuli, qui contra hæreticos non ſunt ſoliciti.*
8. *Ut quilibet in terra alterius poſſit hæreticos inquirere ac capere.*
9. *Ut converſi de hæreſi non remaneant in eodem loco.*
10. *Ut hæretici & eorum fautores, converſi, ad officia publica non admittantur, neque ad actus legitimos.*
11. *Ut omnes ab annis pubertatis abjurent hæreſim.*
12. *Ut juramentum præſtent de Romanæ eccleſiæ fide tenenda.*
13. *Ut hoc ſingulis bienniis renovetur.*
14. *Ut medicus non practicet in terris de hæreſi ſuſpectis, niſi ab epiſcopo approbatus.*
15. *Ut nemo bajuliam hæreticis & eorum fautoribus committat: nec ſuſpectos in conſortio retineat.*
16. *Quinam habendi pro diffamatis.*
17. *Ut parochi & epiſcopi articulos fidei populo explicent.*
18. *Ut pueri inſtruantur in fide.*
19. *Ut diebus Dominicis excommunicentur hæretici.*
20. *Ut ſæculares poteſtates jurent ſe auxilium daturos eccleſiæ contra hæreſim.*
21. *Ut duplicentur ſcripta inquiſitionis, & tuto loco ſerventur.*
22. *Ut inquiſitorum ſententiæ executioni mandentur.*
23. *Ut advocati non admittantur in inquiſitionis negotio.*
24. *De muris, & immurandis.*
25. *De iis qui in hæreſi mortui ſunt.*
26. *Ut domini temporales compellantur ad confiſcanda bona & exhumanda cadavera.*
27. *De iis qui intrant ſolitarii ad hæreticos.*
28. *De iis qui citati ſe abſentant.*
29. *Quando ad confeſſionem & euchariſtiam accedendum.*
30. *Ut diebus Dominicis eant ad eccleſiam.*
31. *Ut excommunicati vitentur, nec fiant judices.*
32. *De pœna eorum qui participant hæreticis in menſa.*

33. *De*

33. *De episcopis excommunicationum contemptoribus.*
34. *Varia de excommunicatis.*
35. *Ut excommunicatio, suspensio, interdictum, cum maturitate ferantur.*
36. *Ne pro absolutione excommunicationis, &c. quidquam extorqueatur.*
37. *Ut testamentum coram presbytero & viris catholicis condatur.*
38. *De notariis qui testamenta sine illa solemnitate scribunt.*
39. *Ut omnes presbyteri legata pia penes se in scriptis habeant.*
40. *Ut legata pia legantur publice in ecclesia.*
41. *Ut nullus sacerdos fœminam suspectam teneat infra septa ecclesiæ.*
42. *Ut calices habeantur argentei.*
43. *Ut reficiantur ecclesiæ rurales, & omnia iis necessaria,*
44. *Ne sæculares qui sunt in sacris ordinibus, & regulares ulli, advocati sint, nisi in certis casibus.*
45. *Ne qui sunt in sacris ordinibus, vel beneficiati, officium in curia sæculari recipiant.*
46. *Ut regulares in frænis, & aliis hujusmodi, auro aut argento non utantur.*
47. *Ut clerici, in vestibus botones ex auro & argento non ferant.*
48. *Ut clerici alea non ludant: & ut tonsuram habeant, & qualem.*
49. *Ut clerici commatres sibi non faciant.*
50. *Ut aves venatorias non ferant, & cum avibus, ac canibus non venentur.*
51. *Ut non bordient cum scuto & lancea: & frænis auratis non utantur.*
52. *Ut regularibus, pro vestibus aut pitantia, pecuniæ summa non detur.*
53. *De vestibus regularium.*
54. *Ut in prioratibus sint ad minus tres monachi.*
55. *Ut canonici regulares sint saltem duo in prioratibus.*
56. *De collatione beneficiorum.*
57. *De visitatione episcoporum.*
58. *De numero evectionum in visitatione.*
59. *Ut in visitatione non quærant epulas superfluas.*
60. *Ne tallias exigant, & una tantum die in una ecclesia morentur ad expensas presbyteri.*
61. *De perjuris.*
62. *De usurariis.*
63. *De usuris quas Judæi exigunt a Christianis.*
64. *Ut Judæi cappas rotundas non ferant.*
65. *Ut rotam deferant ante pectus.*
66. *Ne carnes suas in macellis Christianorum vendant: & ne illorum cibis ac potibus utantur Christiani.*
67. *Ne Christiani contra Judæos in testimonium admittantur.*
68. *Ne diebus festis publico operentur.*
69. *Ut Christiani Judæis non utantur, medicinæ causa.*
70. *Ut domini Judæorum eos prædicta servare cogant.*
71. *Ne nova pedagia quisquam imponat vel recipiat.*

ANNO CHRISTI 1254.

PRÆFATIO.

MUltis [1] episcopis & prælatis Narbonensis, Bituricensis, & Burdegalensis provinciarum ad concilium celebrandum apud Albiam congregatis, de consilio & approbatione ipsorum, quædam pro exterminanda hæretica pravitate ac roboranda fide catholica, quædam pro cleri honestate, duximus ordinanda.

CAPITULA.

I.

Ut constituantur qui diligenter inquirant hæreticos.

Innærentes igitur, super negotio fidei, concilio præcipue Tolosano, quibusdam pro causa & tempore demptis, additis, & mutatis: statuimus, ut archiepiscopi & episcopi in singulis parochiis, tam in civitatibus, quam extra, unum sacerdotem, & hominem unum loci, laicum bonæ famæ, sine mora constituant, qui diligenter, fideliter, & frequenter inquirant hæreticos in parochiis supradictis, domos singulas & cavernas subterraneas aliqua suspicatione notabiles perscrutando, & apprehensa seu adjuncta ipsis ecclesiis ædificia, seu quæcumque alia latibula, quæ omnia destrui præcipimus, perquirendo: & si quos repererint hæreticos, credentes, fautores, defensores, seu receptatores eorum, ne fugere possint cautela adhibita diligenti, archiepiscopo vel episcopo, & dominis locorum, seu famulis eorum, vel bajulis eorumdem, cum omni festinantia studeant intimare, ut animadversione debita puniantur. Sacerdotes autem & laici suprascripti jurent in manu archiepiscopi & episcopi, & loci domini, vel ejus bajuli, quod omnia supradicta exequentur fideliter, postpositis amore, odio, & timore. an. 1229.

II.

Ut qui hæreticum ceperit, marcam argenti accipiat.

Et quoniam qui ad opus eligitur, extraneus non debet fieri a mercede: præcipimus, ut pro quolibet hæretico, quem sacerdos & laicus memorati, aut quilibet alius, captum reddiderint, unam marcam argenti, vel saltem viginti soli-

[1] Integrum hic non haberi hoc concilium, & duo ejus decreta, quæ desunt, se in vetustissima membrana descripta servare monet Baluzius; *La Barre in nova edit. Dacher.*

ANNO CHRISTI 1254.

lidos Turonenſes, loci dominus in cujus juriſdictione captus fuerit hæreticus, capientibus infra octo dies de bonis ipſius hæretici ſolvere teneatur.

III.

Ut ſi de bonis hæretici marca ſolvi non poteſt, eam ſolvant loci dominus & communitas.

Si vero de ipſius hæretici bonis pecunia non poterit ſupradicta perſolvi, dominus loci & ipſius loci communitas, in quorum territorio captus fuerit, ſolvant eam infra terminum ſupra ſcriptum, ut ſit ad capiendos ipſos hæreticos efficaciter quilibet magis promptus. Ad ſolvendam autem dictam pecuniam, prout ſuperius continetur, dominus & loci communitas a loci diœceſano vel ab inquiſitoribus per cenſuram eccleſiaſticam compellantur. Super quo taliter ſe habeant, quod videantur fidei zelatores. Et hæc omnia abbates & priores exempti in locis ſuis, quæ non ſunt ordinario jure diœceſano ſubjecta, ſimiliter facere teneantur.

IV.

Ut domini terrarum hæreticos ſolicite inquirant.

Soliciti etiam ſint domini terrarum & bajuli eorumdem circa inquiſitionem hæreticorum in civitatibus, villis, caſtris, domibus, latibulis, & nemoribus faciendam: & circa hujuſmodi appenſa, adjuncta, ſeu ſubterranea latibula, deſtruenda.

V.

Ut amittat terram ſuam, quiſquis in ea permiſerit hæreticos commorari.

Statuimus etiam, Toloſanum * concilium innovando, ut quicumque in terra ſua de cetero permittat ſcienter hæreticos commorari, ſive propter pecuniam, ſeu propter aliam quamcumque cauſam, & inde confeſſus fuerit vel convictus, amittat perpetuo totam terram ſuam, & ad faciendum inde quod debebit, ſit in manu domini corpus ejus. Si autem de ſcientia convictus non fuerit, & approbata fuerit negligentia diſſoluta, vel ſi frequenter in terra ſua inveniantur hæretici, aut ſuper hoc fuerit diffamatus, ut defenſor & fautor hæreticorum ab omnibus cenſeatur.

VI.

Ut domus, in qua inventus fuerit hæreticus, diruatur.

Illam autem domum in qua fuerit inventus hæreticus diruendam decernimus, & locus ipſe ſive fundus confiſcetur. Ibid. c.

VII.

Ut puniantur bajuli, qui contra hæreticos non ſunt ſoliciti.

Bajulus etiam qui reſidet in loco contra quem præſumitur vehementer, niſi contra hæreticos valde ſolicitus & diligens fuerit & intentus, amittat omnia bona ſua: & deinceps nec ibi nec alibi ullum obtineat officium, ſeu aliquam bajuliam. Ibid. c.

VIII.

Ut quilibet in terra alterius poſſit hæreticos inquirere ac capere.

Ne autem innocentes pro nocentibus puniantur, aut quibuslibet propter aliquorum calumniam hæretica pravitas impingatur: ſtatuimus, ut quilibet in terra alterius poſſit libere hæreticos inquirere ac capere, & locorum bajuli, etiamſi præſentes fuerint domini, teneantur inquirentibus & capientibus bona fide præſtare conſilium, & auxilium, & favorem. Ibid. c.

IX.

Ut converſi de hæreſi non remaneant in eodem loco, ſi ſuſpectus ſit.

Si vero aliqui hæretici veſtiti, hæreſi ſponte dimiſſa reverſi fuerint ad catholicam unitatem, ſuum recognoſcentes errorem: non remaneant in loco, in quo fuerant antea converſati, ſi locus ille ſuſpectus de hæreſi habeatur, ſed collocentur in alio loco catholico, qui nulla ſit hæreſis ſuſpicione notatus. Ibid. c. 10.

X.

Ut hæreticis ac eorum fautoribus converſis officia publica non committantur, nec admittantur ad actus legitimos.

Hæreticis autem, quandocumque ad fidem catholicam fuerint converſi, credentibus, fautoribus, defenſoribus ſeu Ibid. c. 10.

rece-

—receptatoribus eorundem, nulla de cetero prorsus officia publica ab aliquibus committantur, nec ad aliquos actus legitimos admittantur, nisi per dominum Papam, vel ejus legatum prius fuerint in integrum restituti.

XI.

Ut omnes ab annis pubertatis abjurent hæresim.

Universi tam mares quam fœminæ, mares a decimoquarto anno supra, mulieres a duodecimo, abjurent omnem hæresim extollentem se adversus sanctam & catholicam & Romanam ecclesiam & fidem orthodoxam, quibuscumque nominibus censeantur.

XII.

Ut juramentum præstent de Romana ecclesiæ fide tenenda.

Jurent etiam quod fidem catholicam quam Romana ecclesia tenet & prædicat, tenebunt plenius & servabunt, & credentes, fautores, defensores & receptatores hæreticorum, & ipsos hæreticos, intimabunt & manifestabunt diœcesanis vel inquisitoribus hæreticæ pravitatis. Ita ut archiepiscopi, & episcopi, quando suam parochiam visitant, juramentum recipiant supradictum, vel cui hoc duxerint committendum, qui fidei articulos, & articulos etiam in ipso juramento contentos, eis qui jurare debent prius explicent & exponant. Nomina autem omnium virorum ac mulierum in qualibet parochia conscribi faciant diligenter, & omnes coram ipso episcopo, archiepiscopo, seu coram illo cui hoc duxerint committendum, prædictum præstent liberaliter juramentum. Et si aliquis absens fuerit, & post reditum, infra quindecim dies juramentum non præstiterit memoratum, quod ex inspectione nominum poterit apparere, suspectus de hæresi habeatur.

XIII.

Ut hoc singulis biennüs renovetur.

Hujusmodi autem juramentum singulis bienniis renovetur.

XIV.

ANNO CHRISTI 1234.

Ut medicus non practicet in terris de hæresi suspectis, nisi ab episcopo approbatus.

Porro Tolosano * concilio (quo cavetur, quicumque fuerit de hæresis infamia vel suspicione notatus, officio medici de cetero non utatur) addentes: statuimus, ut nullus medicus præsumat de cetero practicare in terris hæresis suspicione notatis, nisi prius de fide sua præcipue, vita & moribus, fuerit a loci episcopo approbatus.

* an. 1229. c. 15.

XV.

Ut nemo bajuliam hæreticis & eorum fautoribus committat: nec suspectos in consortio suo retineat.

Inhibemus etiam ne prælati, barones & milites, seu quicumque domini terrarum, hæreticis, credentibus, fautoribus, defensoribus seu receptatoribus eorumdem, bajulias seu administrationes terrarum suarum committant. Sed nec eos nec aliquos de hæresi diffamatos, vel quos crediderint de hoc esse suspectos, in sua familia, in suo consilio, aut consortio habere vel retinere præsumant.

XVI.

Quinam habendi pro diffamatis.

Illos autem debent pro diffamatis habere, contra quos publica fama clamat, vel de quorum diffamatione apud bonos & graves coram loci episcopo legitime constiterit.

XVII.

Ut parochi & episcopi articulos fidei populo explicent.

Præcipimus quoque quod sacerdotes parochiales per se vel alios sæpius studeant exponere populo, diebus Dominicis & festivis, articulos fidei simpliciter ac distincte, ne velamen ignorantiæ deinceps prætendere quisquam possit. Et ad hoc idem in sua diœcesi frequentius & diligentius faciendum quilibet episcopus sit intentus: & cum per se non poterit, per alias honestas personas & discretas plane ac explicite fidem catholicam & ipsius articulos faciat prædicari.

ANNO CHRISTI 1254.

XVIII.

Ut pueri inſtruantur in fide.

Quia comperimus quod propter ignorantiam articulorum fidei plurimi erraverunt: pueri quoque a ſeptennio & ſupra, ad eccleſiam a parentibus adducantur diebus Dominicis & feſtivis, ut in fide catholica inſtruantur, *Credo in Deum*, & *Pater noſter*, & ſalutationem B. Virginis addiſcant.

XIX.

Ut diebus Dominicis excommunicentur hæretici.

Præcipimus autem quod hæretici ac eorum credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum, ſingulis diebus Dominicis publice excommunicentur in eccleſiis, pulſatis campanis & extinctis candelis: ac in omnibus eccleſiis, ſingulis diebus, in crepuſculo omnes campanæ ſimul pulſentur in deteſtationem criminis memorati.

XX.

Ut ſæculares poteſtates jurent ſe auxilium daturos eccleſiæ contra hæreticos.

Moneantur etiam comites, barones, & rectores, & conſules, [1] jurati, judices, & bailivi civitatum & aliorum locorum, ac poteſtates aliæ ſæculares, quibuſcumque fungantur officiis, quod promittant corporaliter præſtito juramento, quod fideliter & efficaciter contra hæreticos & eorum complices adjuvabunt eccleſiam bona fide juxta officium & poſſe ſuum: & quod de terris ſuæ juriſdictioni ſubditis univerſos hæreticos ab eccleſia denotatos, credentes, fautores, receptatores, & defenſores eorum, pro viribus exterminare curabunt. Et hoc juramentum de triennio in triennium renovetur. Bajuli vero, conſules, judices & rectores, quoties de novo fuerint inſtituti, præſtent hujuſmodi juramentum, ad quod, ſi neceſſe fuerit, per diœceſanum, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur omnes ſuperius memorati.

XXI.

Ut duplicentur ſcripta Inquiſitionis, & tuto loco ſerventur.

Interim periculoſis caſibus occurrentes, ſtatuimus ut ſinguli inquiſitores A omnia ſcripta Inquiſitionis tranſcribi faciant, & translata de conſenſu legati a ſede apoſtolica, ſi in ora * fuerit, per diœceſanum imponantur & ſerventur in aliquo loco tuto. De ſcriptis autem que ſuper his fient, de cetero annis ſingulis ab omnibus Inquiſitionibus * idem fiat: ut ſcilicet duplicentur, ſcriptis, ut dictum eſt, tuto loco ſervandis.

ANNO CHRISTI 1254. al. in

* inquiſitoribus

XXII.

B *Ut inquiſitorum ſententiæ executioni mandentur.*

Et quoniam circa executionem ſententiarum ipſorum inquiſitorum reperiuntur aliqui negligentes: adhærentes in his concilio * Valentino, ſtatuimus quod moneantur comites & barones, conſules, vicarii, judices & bailivi civitatum, & aliorum locorum ac poteſtates aliæ ſæculares, per inquiſitores, vel loci diœceſanum, ut ipſorum ſententias cum omni diligentia exequanC tur. Et ſi parere non curaverint infra præfixum eis terminum competentem, ad id ab ipſo diœceſano per cenſuram eccleſiaſticam compellantur. Et ſi nec ſe emendaverint, tam diœceſanus, quam inquiſitores, contra eos, clero ad hoc congregato & populo, tanquam contra defenſores & fautores hæreticorum ſententialiter procedere non poſtponant. Et ſententia poſtquam lata fuerit contra eos, per ipſum qui eam tulit, vicinis epiſcopis publicetur, ut eam denuncient & obſervari faciant, & obD ſervent.

* an. 1. c. 9.

XXIII.

Ut advocati non admittantur in inquiſitionis negotio.

Ne autem Inquiſitionis negotium per quorumcumque advocatorum ſtrepitum retardetur: providendo ſtatuit dictum concilium Valentinum *, quod obſervari volumus & mandamus, ut ab inquiſitoribus ſeu prælatis non admittanE tur aliqui in ipſius Inquiſitionis negotio advocati. Circa advocatos vero hæreticorum, conſtitutiones contra hæreticos promulgatas volumus & præcipimus obſervari.

* c. xi

XXIV.

[1] Baluzius hoc loco mavult *Vicarii*, & ſane ita legitur cap. 22. *La Barre loco cit.*

ANNO CHRISTI 1254.

XXIV.

De muris faciendis: & immurandis.

De muris autem ipsis & immurandis celeriter faciendis statuendo mandamus, ut illi faciant ipsos muros, qui bona occupant eorundem, & fiant ubi diœcesanus episcopus noverit construendos. In quibus muris arctis sic sint clausi, quod exire inde non valeant ullo modo: quibus immuratis & immurandis provideatur in necessariis secundum B dispositionem prælati ab illis qui bona ipsorum tenuerunt. Si vero non habeant ulla bona, dominus & loci communitas ubi inventi fuerint, providere eis in necessariis non postponant: & ad hoc, si opus fuerit, a diœcesano per censuram ecclesiasticam compellantur.

XXV.

De iis qui in hæresi mortui sunt.

Statuimus insuper & mandamus, ut si per Inquisitionem reperiatur, aliquos C defunctos fuisse hæreticos tempore mortis suæ, exhumentur, & eorum cadaver sive ossa publice comburantur, defensione legitima eorum hæredibus renovata. Pro iis autem quibus [1] cruces, si viverent, essent imponendæ: ipsorum hæredes, diœcesani aut Inquisitorum arbitrio satisfacere compellantur.

XXVI.

Ut domini temporales cogantur ad confiscanda bona, & exhumanda cadavera. D

Volumus insuper & mandamus, ut temporales domini, ad occupandum & confiscandum bona immuratorum, & illorum qui relinquuntur curiæ sæculari, exhumandorum quoque, a diœcesano & ab inquisitoribus per censuram ecclesiasticam compellamur, cum ex eo, quod quibusdam de bonis ipsis aliquando gratia facta fuerit remanendi in ipsis [2] nemoribus, aut non fugiendi eosdem, incentivum eis præstitum fuerit, ut accepimus.

XXVII.

De iis qui intrant solitarii ad hæreticos.

Denique cum plures intrent solitarii ad hæreticos adhortandos *, ut per testes nequeat hoc probari: concilii ap-

A approbatione statuimus, ut si quis hæretica pravitate suspectus, domum intraverit, in qua hæreticum esse sciat, absque alia probatione adhortasse hæreticum vehementissime præsumatur.

XXVIII.

De iis qui citati, se absentant.

Porro qui citati legitime super crimine hæresis, cum essent de hæretica pravitate suspecti, contumaciter se absentant, nec volunt coram diœcesano vel inquisitoribus eos citantibus comparere; & sic latam in eos ab eisdem diœcesano vel inquisitoribus excommunicationis sententiam per annum vel amplius vilipendunt: [a] hæretici condemnentur, etiamsi nihil probatum fuerit contra eos.

a *Forte ut hæretici. H.*

XXIX.

Quando ad confessionem & eucharistiam accedendum.

Omnes autem utriusque sexus postquam ad annos discretionis pervenerint, confessionem peccatorum faciant in anno proprio sacerdoti, similiter alii de voluntate illius injunctam sibi pro viribus pœnitentiam humiliter impleturi. Ter quoque in anno, in natali Domini, Pascha, & Pentecoste, suscipiant eucharistiæ cum omni reverentia sacramentum. Ita quod confessio communionem præcedat: nisi si, ob aliquam causam rationabilem, ad tempus ab ejus receptione abstinuerint de consilio proprii sacerdotis.

XXX.

Ut diebus Dominicis eant ad ecclesiam.

Item statuimus ut parochiani, dominus & domina cujuslibet domus, diebus Dominicis teneantur ad ecclesiam venire, audituri ibidem ex integro prædicationem & Divinum officium, nec recessuri, nisi donec Missa compleatur. Quod si alter illorum absens fuerit extra villam, infirmitate vel alia causa rationabili impeditus, vel alter saltem E venire teneatur. Quod si non fecerint, dummodo sint in villa præsentes, nulla infirmitate vel alia causa rationabili detenti, saltem duodecim denarios usualis monetæ solvere quilibet teneatur: quorum medietas sit domini villæ, & alia medietas ecclesiæ applicetur.

XXXI.

---

1 Qui scil. ab hæresi abjurata cruces duas anterius prominentes in vestibus gestare debuerant si viverent, ut habetur in Concilio Tolosano cap. 2. *La Barre loc. cit.* 2. Lege, *erroribus*, ut restituit Baluzius

ANNO CHRISTI 1254.

XXXI.

Ut excommunicati vitentur, nec fiant judices.

Et quoniam contemnere claves ecclesiæ, hæretica pravitas est: tam canones quam alia concilia innovantes, districtim præcipimus, ut excommunicati ab omnibus vitentur juxta canonicas sanctiones: firmiter statuentes, ut nullus comes vel baro, seu aliqua sæcularis potestas, multo minus nullus clericus vel prælatus, aliquem excommunicatum faciat suum judicem, consiliarium, sive bailivum. Alioquin quicumque scienter contra hoc fecerit, minori excommunicatione ipso facto eum esse decernimus irretitum.

XXXII.

De pœna eorum, qui excommunicatis participant in mensa.

Adjicimus, quod si quis clericus, vel prælatus, alicui excommunicato scienter in mensa participare præsumpserit, per unum mensem sit ei ecclesiæ ingressus interdictus. Laicus vero simili modo excommunicato in mensa participans, per unum mensem ad Divina officia nullatenus admittatur. A quo interdicto clericus vel laicus, non nisi per episcopum; episcopus autem, si simile commiserit, non nisi per superiorem suum absolutionis beneficium valeat obtinere.

XXXIII.

De episcopis excommunicationum contemptoribus.

Item circa episcopos excommunicationum temerarios contemptores, quantum ad eos qui sunt in regno Franciæ, statutum Narbonensis * concilii; quantum vero ad illos qui sunt extra regnum Franciæ, Valentinum * concilium observetur.

* an. 1227. c. 1.

* an. 1248. c. 6. & 16.

XXXIV.

Varia de excommunicatis.

De excommunicatis autem in consules, potestates, rectores, assessores, bajulos, vel ad alia publica officia nullatenus assumendis; & illis qui tales scienter elegerint; nec non illis, qui contra excommunicatores, vel denunciatores excommunicationum, statuta vana faciunt, seu præcepta; ac de excommunicatis publice, qui se officiis ecclesiasticis ingerere pertinaciter non verentur, nec inde volunt recedere, a sacerdote moniti vel prælatis, & de interfectoribus clericorum: supradictum concilium Valentinum * servari volumus & mandamus.

ANNO CHRISTI 1254.

* c. 14. 17. 19.

XXXV.

Ut excommunicatio, suspensio, interdictum, cum maturitate ferantur.

Et quoniam excommunicationis, interdicti, nec non suspensionis, sententiæ maturitate debita sunt ferendæ: constitutiones bonæ memoriæ domini papæ Innocentii IV. *Cum medicinalis*, &c. *quoniam periculosum*, &c. *solet a nonnullis*, &c. in earum prolationibus observentur.

XXXVI.

Ne pro absolutione excommunicationis quidquam extorqueatur.

Districte nihilo minus inhibemus, ne episcopus, vel prælatus, vel alius ad quem sententiarum spectat absolutio prædictarum, cum talibus sententiis jam satisfecerint, vel parati sunt satisfacere juxta ecclesiæ arbitrium de offensis, pro solo actu absolvendi, quodcumque extorquere præsumat.

XXXVII.

Ut testamentum coram presbytero & catholicis viris condatur.

Præterea inhærentes Tolosano * concilio, volumus & præcipimus, ut testamentum, vel ultima voluntas cujusque, in præsentia semper catholicorum virorum, & parochialis sacerdotis, vel alterius personæ ecclesiasticæ de voluntate ipsius parochialis presbyteri locum ejus tenentis, condatur: præsertim ut idem sacerdos, vel locum ejus tenens, valeat de isto testatore laudabile testimonium perhibere, & ne de ipso aliqua infidelitatis suspicio habeatur, & maxime ut ea quæ in pias causas reliquerit, sine fraude fidelius & citius persolvantur. Quod si testator vocare, ut diximus, sacerdotem parochialem, & viros ecclesiasticos contempserit: careat ecclesiastica sepultura, donec de ejusmodi mandati contemptu, qui eo tempore præsumitur nisi eos vocaverit, cum es-

* an. 1229. c. 16.

effectu, ecclesiæ satisfactum fuerit competenter.

XXXVIII.

De notariis qui testamenta sine illa solemnitate scribunt.

Notarius vero, qui absque solennitate superius expressa, notare vel scribere præsumpserit testamenta, vel ultimas voluntates, quousque ad cognitionem diœcesani satisfecerit, ingressum ecclesiæ sibi noverit interdictum.

XXXIX.

Ut omnes presbyteri legata pia penes se in scriptis habeant.

Verum quia parochiales presbyteri circa solutiones eorum quæ ad pias causas a decedentibus relinquuntur, negligentes existunt, præcipue ex quo in his quæ ad eos proveniunt, eisdem fuerit satisfactum: statuimus, ut omnia legata ad pias causas ab ipsis testatoribus derelicta, omnes parochiales sacerdotes in scriptis penes se deinceps curent plenius retinere, ut sciant quid, quantum, a quo & a quibus legatum fuerit seu relictum, circa quorum absolutionem eos solicitos esse præcipimus & intentos: statuentes, ut post obitum testatoris infra quindecim dies, hæres, ab ipso parochiali presbytero requisitus, ipsius testamenti seu ultimæ voluntatis eidem sacerdoti dare transcriptum seu translatum, quo ad legatum piis causis & piis usibus deputatum, expensis legatariorum teneatur: ad quod ab eodem presbytero per censuram ecclesiasticam valeat compelli ipse hæres.

XL.

Ut legata pia legantur publice in ecclesia.

Insuper statuimus ut legantur in ecclesia publice, tum maxime die Dominica vel festiva, legitima & legata omnia supra dicta, ut quid cui legatum fuerit vel relictum, minime ignoretur.

XLI.

Ut nullus sacerdos fœminam suspectam teneat infra septa ecclesiæ.

Item præcipimus, ut nullus sacerdos, vel clericus regularis, aut sæcularis, aliquam fœminam teneat intra septa ecclesiæ, de qua mala suspicio valeat exoriri.

XLII.

Ut calices habeantur argentei.

Calices quoque argenteos volumus haberi in omnibus ecclesiis, quarum redditus & proventus annuatim attingunt summam quindecim librarum Turonensium, expensis duntaxat, quæ fuerint colligendo & reponendo, deductis.

XLIII.

Ut reficiantur ecclesiæ rurales, & omnia iis necessaria.

Statuimus etiam ut episcopi & archiepiscopi, & alii ecclesiarum prælati, rectores, vel alii, qui ad hoc de consuetudine tenentur, compellant per censuras ecclesiasticas ad reficiendum ecclesias rurales, & alias domos, & alias officinas eisdem ecclesiis necessarias & servitoribus earumdem, prout ipsis qui tenentur, propriæ suppetierint facultates.

XLIV.

Ne sæculares qui sunt in sacris ordinibus, & regulares ulli, advocati sint: nisi in certis casibus.

Item volumus & præcipimus, ne aliqui clerici sæculares in sacris ordinibus constituti, & qui de beneficiis ecclesiasticis sustentantur, coram sæculari judice, nisi in casibus a jure concessis; nec etiam aliqui regulares coram quocumque judice, sine sui majoris licentia speciali, officium advocati assumant indebite.

XLV.

Ne qui sunt in sacris ordinibus, vel beneficiati, officium in curia sæculari recipiant.

Statuimus quoque, Valentinum* concilium innovando, ut nulli clerici in sacris ordinibus constituti, seu canonici cathedralium ecclesiarum, seu alias beneficiati, judicatum, consulatum, assessoriam, vel alia officia publica in curia sæculari, electi a populo, vel a sæculari persona, recipiant, & si receperint, nisi infra mensem, postquam publicata fuerint in suis diœcesibus

* an. 1248. c. 5.

ANNO CHRISTI 1254.

hæc statuta, dimiserint, ab officio & beneficio suspendantur: & si per annum in contumacia perstiterint, suis beneficiis per suos episcopos sine spe restitutionis priventur.

XLVI.

Ut regulares in frænis, & aliis hujusmodi, auro aut argento non utantur.

Ad hæc statuimus, ut nullus regularis in frænis, pectoralibus, calcaribus, & sellis, suis usibus deputatis, auro vel argento utatur; sed sint sellæ regularium albæ, vel nigræ, vel rasæ.

XLVII.

Ut clerici botones ex auro vel argento in vestibus non ferant.

Denique statutis canonicis quæ olim sunt prodita pro honestate clericorum ac vita, illud duximus adnectendum, ut aliquis clericus botones vel firmallos aureos, vel argenteos, deauratos vel deargentatos, deferre in aliquibus vestibus non præsumat.

XLVIII.

Ut clerici alea non ludant, & ut tonsuram habeant, & qualem.

Statuimus insuper, antiqüos canones innovando, ne clerici in sacris ordinibus constituti, & qui beneficiis ecclesiasticis sustentantur, ad aleas & taxillos ludant: coronam & tonsuram habeant congruentem. Quod sic intelligi volumus, & servari, ut omnes prælati & regulares personæ supra aures in gyrum, ita quod aures omnino pateant, sint attonsi: alii vero, in rotundum, ad minus usque ad medium aurium tondeantur.

XLIX.

Ut clerici commatres sibi non faciant.

Commatres quoque sibi facere, pueros de sacro fonte elevando, aut aliquos in confirmatione tenendo, omnibus clericis tam sæcularibus quam regularibus inhibemus.

L.

Ut aves venatorias non ferant, & cum avibus ac canibus non venentur.

Aves venatorias præterea quisquam clericus in sacris ordinibus constitutus, vel alius qui de beneficio ecclesiastico sustentatur, in publico manu propria deferre non præsumat: & cum avibus & canibus non venetur, avem venatoriam manu propria deferendo, nec pro domnerando cum eis frequentet hospitia mulierum.

LI.

Ut non biordent cum scuto & lancea: & frænis deauratis non utantur.

Trepidare quoque, quod vulgariter biordare * dicitur, cum scuto & lancea, aliquis clericus publice non attentet: quia ex his multa dissolutionis, lasciviæ & scandali materia generatur. Frænis autem calcaribus, seu pectoralibus, deauratis nullo modo utantur.

* Cor. b... diare, bo... est iudicr... prælia ha... exercere.

LII.

Ut regularibus, pro vestibus aut pitantia, pecuniæ summa non detur.

Item nulli regulari pro vestibus seu pro pitantia, a suo majore pecuniæ summa detur: ad hoc enim datur ei materia proprium retinendi: sed omnes in vestiario induantur.

LIII.

De vestibus regularium.

Prohibemus quoque districtius, ut nulli regulares cum balandranis, seu garmasiis vel aliis vestibus laicorum, equitent vel incedant: sed cappas rotundas publice deferant, vel suum habitum regularem. Et quia plurimi regulares, regularem deferre habitum erubescunt: Montispessulani, & Avenionensi conciliis inhærentes, statuimus, ut omnes monachi nigri, & canonici regulares, vestes deferant albas vel nigras, ut qui ex antiqua ecclesiæ suæ consuetudine albas hactenus portaverint, hujus constitutionis prætextu nigras, vel e contra, deferre propterea non præsumant; cum in unaquaque ecclesia velimus unum habitum secundum statum antiquum & laudabilem observari: districte

ANNO CHRISTI 1254.

cte præcipientes, ut regulares aliqui A clara vel nigra bruneta, vel panno alio sumptuoso, scridato quoque aut serico non utantur. Ut autem prædicta serventur ab omnibus clericis, tam regularibus quam sæcularibus: ipsius concilii approbatione inconcusse statuimus, ut qui contra prædicta venerit, vel aliqua prædictorum, sit ipso facto ineligibilis ad beneficium ecclesiasticum, & multo magis ad ecclesiasticam dignitatem, ad quod vel quam, post ejusmodi excessum, primo eum eligi contigerit, vel vocari: nisi cum eo fuerit per se- B dem apostolicam dispensatum.

L I V.

Ut in prioratibus sint ad minus tres monachi.

Statuimus etiam, ut si talis fuerit prioratus monachorum, in quo tres monachi valent commorari, tres ad minus ponantur ibidem, & unus ex eis prior fiat, qui curam habeat animarum *, vel aliorum. Si vero tot fratribus C non sufficiat prioratus, cum pauciores vix possint regulariter vivere, duæ vel tres ecclesiæ, juxta arbitrium diœcesani, & abbatis, seu præpositi, vel prioris, cui, vel quibus ecclesiæ illæ sub sunt, conjungantur in unum, & illi priori, qui instituetur in una ipsarum, respondeant: qui prior, in illis ecclesiis, in quibus tres non fuerint, ministret per presbyterum sæcularem. Adjicientes, ut si ille ad quem spectat prioratuum ordinatio prædictorum, per annum negligens in his fuerit vel re- D missus, ipsorum prioratuum ordinatio devolvatur ad superiorem proximum.

te voces vel alio-, addi- unt ab uo con- re.

L V.

Ut canonici regulares, sint saltem duo in prioratibus.

De prioratibus vero canonicorum regularium, cum regulæ inserviant laxiori, si pluribus non sufficiat prioratus, duo saltem canonici in prioratu ponantur. Quod si nec duobus facultates suffi- E ciant prioratus, fiat sicut de prioratibus monachorum. Hoc enim in iis præsertim agimus, ut monachus, vel canonicus regularis, absque sociis vel socio sui ordinis non moretur.

L V I.

De collatione beneficiorum.

Sane cum in collatione bonorum ecclesiasticorum haberi debeat principaliter ante oculos solus Deus: districte præcipimus & mandamus, ut omnia ecclesiastica bona personis idoneis, & statuto a canonibus tempore conferantur, nullo præcepto, vel promisso *, remotis omni conditione & pacto, ab- B sque omni diminutione, nova pensione in eisdem ad opus conferentis vel alterius non injecta, prout canonicæ statuunt sanctiones: circa quæ fraudem quamlibet evitari prorsus volumus, & districte mandamus: firmiter inhibentes, ne redditus ecclesiarum vacantium præsumat quisquam, præterquam ipsius ecclesiæ quæ vacat, usibus applicare, aut easdem bonis suis aliquibus spoliare. Si autem aliquis scienter contra fecerit, ipsorum beneficiorum, aliter quam supra dictum est collatorum, in C pœna ipsius conferentis, & ejus qui recipit, sic collata, ad superiorum collationem ea vice, tanquam vacantia, * per statutum hujusmodi devolvantur.

* *al* præmisso,

* *al.* vacantium.

L V I I.

De visitatione episcoporum.

Verum quia in procurationibus exigendis, quæ ratione visitationis debentur, quidam prælati excedere asseruntur, subditos inhumaniter aggravantes, D quos paterna tenentur gubernare providentia: statuimus, ac districte præcipiendo mandamus, ut omnes prælati cum ecclesias sibi subditas visitabunt, prius proposito verbo Dei, tam clero, quam populo, ac explicatis præsertim articulis fidei coram eis quærant de vita & conversatione ministrantium in eisdem: ornamenta tam altarium, quam sacerdotum, præcipue corporalia, vasa, & calices, si sint munda diligentius intuentes, cum in plerisque ecclesiis interdum talia consueverint repe- E riri, quæ sint horrori potius quam honori. Intendant etiam ad emendationem congruam ministrorum, per salubria monita, nunc levia, nunc aspera, juxta datam sibi a Domino providentiam & doctrinam. Notoria vero crimina, quæ examinatione non indigent, cum super his notari possit merito ordinariorum negligentia, corrigant sine mora. Statuentes, ut prædictas procu-

ANNO CHRISTI 1254.

rationes nullus recipiat, nisi cum per se, vel per alium providum & honestum, ipsas ecclesias visitaverit. Nullam tamen pecuniam ipse, vel alius pro eodem, exigat vel recipiat ullo modo, nisi una ecclesia sine alterius auxilio visitatori commode possit providere: attentius provisurus, ut aliquis de familia sua, occasione alicujus officii, vel consuetudinis, seu quolibet alio modo, præter victualia moderata quidquam exigere, vel etiam recipere, non attentet. Caveant insuper & attendant, ut ipse, vel quisquam suorum, aliquod munus, quantumcumque sit, & qualitercumque offeratur, recipere non presumant: ut non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærere videantur.

LVIII.

De numero evectionum in visitatione.

Prohibemus & mandamus, ut cum prædictas ecclesias visitabunt, non excedant evectionum numerun in Lateranensi concilio constitutum: attendentes quod de prædicto ibidem evectionum numero continetur, secundum tolerantiam esse dictum in illis locis, in quibus ampliores sunt redditus ecclesiasticæ facultatis; in pauperioribus autem locis, tantam volumus & præcipimus teneri mensuram, ut excessu majorum minores merito non doleant se gravari: nec sub tali indulgentia, illi qui hactenus paucioribus equis uti solebant, indultam potestatem plurium sibi credant.

Lateran. III. c. 4.

LIX.

Ut in visitatione non quærant epulas superfluas.

Volumus insuper & mandamus, ut in visitationibus supradictis non quærant epulas superfluas, sed cum gratiarum actione recipiant quod honeste ac competenter illis fuerit ministratum.

LX.

Ne tallias exigant, & una tantum die in una ecclesia morentur ad expensas capellani vel rectoris.

Circa vero exactiones & tallias a subditis exigendas, supradictum Lateranense concilium ab omnibus volumus & præcipimus observari: adjicientes, ut in una eademque ecclesia, nisi una die, absque legitima causa & necessaria, non morentur ad expensas capellani ecclesiæ vel rectoris. Quod si fuerit contra præsumptum, contra faciens Dei maledictionem incurrat, a qua nunquam, nisi duplum restituat, liberetur.

c. 4.

ANNO CHRISTI 1254.

LXI.

De perjuris.

Ad hæc, quia plus solito contemnitur religio juramenti, contra perjuros quoslibet manifeste statutum * Avenionensis concilii ubique volumus observari: adjicientes, ut occulte transgressores liciti juramenti, ab omnibus parochialibus presbyteris ad episcopum transmittantur, qui iniungat eis de hoc pœnitentiam salutarem.

* an 1209. c. 13.

LXII.

De Usurariis.

Licet autem ad extirpandum vitium usurariorum pagina utriusque testamenti conveniat, statutum Avenionensis concilii super his editum innovamus: statuentes, ut servetur ab omnibus, prout in ipso plenius continetur.

ibid. c.

LXIII.

De usuris, quas Judæi exigunt a Christianis.

Adjicientes ut Christianos ad solvendum Judæis, vel aliquibus aliis, usuras aliquas, non compellat ullus judex ecclesiasticus, vel etiam sæcularis. Statuimus insuper, si sit dubium, an sit aliquid de usuris illis debitis, quæ interdum a Christianis postulant sibi solvi, iidem Judæi veritatem prius dicere juramento super legem Mosaicam astringantur, rationibus aliis convenientibus, quæ ad probandas usuras inductæ fuerunt, non rejectis, etiam hoc de mutuis cum ipsis Judæis usque modo contractis, observandum. Statuimus & mandamus, in his, aut quæ deinceps mutuaverint Judæi Christianis, Christianorum ipsorum stetur simplici juramento, an quicquam usurarium sit in ejs; & in eo quod usurarium esse dixerint, sic jurati absolvantur.

ANNO CHRISTI 1254.

LXIV.

Ut Judæi capas rotundas non ferant.

Et quoniam ex capis rotundis, quas Judæi portant communiter, honor vehementer confunditur clericorum, qui capis rotundis ex more utuntur: præsentis approbatione concilii duximus statuendum, ut Judæi aliqui deferre capas rotundas de cetero non præsumant; sed capas portent de cetero & deinceps manicatas, ita quod manicæ longæ sint B adeo sicut capæ, nec in eisdem manicis plicatura sit aliqua atque ruga.

LXV.

Ut rotam deferant ante pectus.

Portent insuper rotam amplam continuo & publice ante pectus, cujus circulus sit latitudinis unius digiti, ac unius palmi dimidii altitudo.

Ne carnes suas in macellis Christianorum vendant: & ne illorum cibis ac potibus utantur Christiani.

Carnes quoque, quas ipsi privatim faciunt in domibus suis, in macellis Christianorum vendere non attentent: & quia in contemptum nostrum Judæi aliquibus cibis nostris & potibus non utuntur, firmiter inhibemus, ne aliqui Christiani audeant uti suis.

LXVII.

Ne Christiani contra Judæos in testimonium admittantur.

Abusum quarumdam partium abolentes, districtius præcipimus & mandamus, ne Christiani contra Judæos in testimonium in omnibus contractibus, & in omnibus curiis admittantur

LXVIII.

Ne Judæi diebus festis publice operentur.

Ne autem Christianos scandalizent, vel scandalizentur ab eisdem, diebus A Dominicis & festivis operari publice non præsumant.

ANNO CHRISTI 1254.

LXIX.

Ut Christiani Judæis non utantur medicinæ causa.

Excommunicentur præterea Christiani qui causa medicinæ curæ se commiserint Judæorum.

LXX.

Ut domini Judæorum eos prædicta servare cogant.

Adjicientes, ut Judæorum domini prædictorum, per censuram ecclesiasticam compellantur, ut Judæos suos portare faciant continue & publice rotam & habitum supradictum: ipsos quoque Judæos, per excommunicationem in Christianos, qui in commercio, vel aliis, participationem habebunt aliquam cum eisdem. C

LXXI.

Ne nova pedagia quisquam imponat vel recipiat.

Nova autem pedagia, quocumque nomine censeantur, scienter quisquam imponere, vel etiam recipere non attentet. Quod si quis fecerit, excommunicationis sententiam per sedem Apostolicam, [a] in iis singulis promulgatam, incurrat. Quod nisi monitus ab D iis destiterit, per diœcesanum præcipimus solenniter publicari.

[a] *Lege*, annis, *ut emendat Baluzius.*

OBSERVATIO

EX LUCÆ DACHERII

PRÆFATIONE,

In secundum Spicilegii tomum.

E Albiense concilium fuisse celebratum anno MCCLIV. constat ex MS. ecclesiæ Arelatensis, acta concilii referente. Initium ab eruditissimo Francisco Suarez excerptum fratres Sammarthani archiepiscoporum Avenionensium seriei interseruere in Zoen XLVII. archiepiscopo: *Concilium Albiense factum a domino Zoen. &c. Congregatum apud Albiam, MCCLIV jussu Ludovici Francorum regis.*

ANNO CHRISTI 1255.

CONCILIUM PARISIENSE

Provinciæ Senonensis.

Anno Domini MCCLV.

Leviſſimam facit hujus concilii mentionem Carolus Sauſſeyus, annalium eccleſiæ Aurelianenſis lib. XI. *his verbis:* Anno MCCLV. interfuit Guillelmus de Buſſis, Aurelianenſis epiſcopus concilio provinciali Pariſiis habito: præſidente Henrico Senonenſi archiepiſcopo. ſuper negotio interfectionis bonæ memoriæ E. quondam cantoris Carnotenſis, cum epiſcopis Renaudo Pariſienſi, Guidone Autiſſiodorenſi, Nicolao Trecenſi, & Alelmo electo Meldenſi: *Hæc tantum Sauſſeyus, quæ petita profitetur ex actis eccleſiæ Trecenſis,*

AD PARISIENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI 1254. 1255.

In causa interfectorum Cantoris Carnotensis

ANNO CHRISTI 1254. 1255.

Anno 1255. habitum.

An. 1255.

ADDITIO.

Ex Suppl. Manſi to. II. pag. 1175.

„ IN tradendis rebus Pariſienſis concilii Labbeus expeditiſſimum ſe præbet, adeo ut „ vel ſolum ejus nomen & cauſam, quæ epiſcopos accivit ad concilium, tradat; quin & „ minus recte nomen cantoris Carnotenſis ſignat per compendium; cantor enim ille vocabatur Reginaldus de Spira, quod profecto nomen nunquam illa Labbei literula E. deſignaretur. Habeant ergo rei conciliaris fluvioſi concilii hujus ſententiam in homicidas „ illos latam, ex nova editione Galliæ Chriſt. „ to. VIII. p. 367. in append.

Sententia lata in concilio provinciali in homicidas Reginaldi de ſpina Cantoris Carnotenſis.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, amen. Anno Domini MCCLV. die Martis ante feſtum B. Arnulfi continuata a die Lunæ præcedenti, nos Henricus Dei gratia Senonenſis archiepiſcopus, Raynaudus Pariſienſis, Guillermus Aurelianenſis, Guido Altiſſiodorenſis, Nicolaus Trecenſis Dei gratia epiſcopi, & Alelmus miſeratione ejusdem electus Meldenſis confirmatus in negotio inquiſitionis factæ authoritate concilii provincialis ſuper interfectione bonæ memoriæ R. quondam cantoris Carnotenſis, auditis probationibus, & præſumptionibus habitis contra Hugonem de Chavernejo canonicum Carnotenſem & Colinum fratrem ejus, qui ſe voluntati & ordinationi concilii ſubmiſerunt, præſtito ſuper hoc juramento, & appoſita pœna, de bonorum conſilio, dictum noſtrum & ordinationem noſtram proferimus in hunc modum: videlicet quod dicti Hugo & Colinus frater ejus per quinquennium continuum apud Oxenfort. in Anglia morentur, & elapſo dicto quinquennio non revertentur citra mare, niſi prius nos archiepiſcopus Senonenſis & ſuffraganei noſtri certificati fuerimus a diœceſano loci illius & aliis perſonis authenticis per patentes litteras, quod per dictum & continuum quinquennium moram fecerint in loco ſupradicto. Et præcipimus, ut iter arripiant infra octavas Aſſumtionis B. Virginis, continue profecturi. Et ex nunc privamus perpetuo dictum Hugonem voce & loco in capitulo Carnotenſi; ita quod in electionibus vel aliis tractatibus in Carnotenſi capitulo ſe non ingerat de cætero, nec aliquatenus admittatur. Item nos iidem ſupradicti iisdem anno & die in negotio inquiſitionis factæ authoritate provincialis concilii ſuper interfectione cantoris prædicti, auditis confeſſionibus Gilleberti dicti loci & Jacobi dicti la Benſote clericorum, & aliis probationibus habitis contra ipſos, de conſilio bonorum, authoritate ejusdem concilii ſententialiter deffinimus dictos Gillebertum & Jacobum in carcere retrudendos, donec authoritate concilii extrahantur. Et ſi extrahantur authoritate concilii, ex nunc definimus ipſos ultra mare in terra Jeroſolimitana exilio perpetuo deportandos. Actum Pariſiis anno & die Martis prædictis.

ANNO CHRISTI 1254. 1255.

CONCILIUM AD S. QUINTINUM

Anno 1255. habitum.

Decretum concilii S. Quintini de supprimendis in abbatia Arroasiæ sororibus conversis.

THomas D. G. Remens. archiep. & Jacobus miseratione divina humilis Atrebat episcopus, universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod cum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto nobis & ceteris provinciæ nostræ coepiscopis, apud S. Quintinum in nostro provinciali concilio constitutis intimatum fuerit & suggestum, quod in quibusdam locis ordinis Arroasiæ fuissent religiosæ mulieres seu conversæ, quibus defunctis nulla substituebatur ibidem, quamvis ipsa loca nomine earum fundata, & ad earum usus, ut asserebatur, collata fuissent; fide præmissis adhibita, in ipso concilio statuimus quod in omnibus locis ipsius ordinis, Remensis provinciæ, in quibus religiosæ mulieres esse consueverant, loco earum, quæ jam decesserunt, vel in posterum decedent, secundum facultatem locorum & ad diœcesanorum arbitrium, canonici Arroasienses ordinis ponerentur. Quod cum ad abbatis Arroasiæ & ordinis sui coabbatum notitiam perveniisset; idem abbas Arroasiæ, qui dicti ordinis caput esse dignoscitur, ad quosdam nostrum singulariter, & eos quorum copiam simul habere potuit personaliter accedens, multas proposuit, & in scriptis exhibuit rationes, per quas dictum statutum videbatur indebite factum esse, nec sine dicti ordinis gravi læsione; prædictum statutum petens humiliter revocari. Sed quia de facto concilii, nonnisi per concilium nos tractare decebat, noluimus usque ad futuri concilii celebrationem de præmissis aliquid ordinare. Supradictus autem abbas propter damna quæ ex dicto statuto suæ ecclesiæ & ordini imminere dicebat, dilatione hujus, non acceptans prædictum revocari seu infirmari statutum, auctoritatem sedis apostolicæ procuravit: postmodum vero nobis cum nostris coepiscopis apud Compendium anno revoluto in concilio congregatis, sæpe dictus abbas ibidem personaliter assistens, supradictum statutum non debuisse fieri per rationes & privilegia persuadens, litteram apostolicam in qua dicti statuti revocatio vel infirmatio ab apostolica sede facta continebatur, in audientia nostra legit; supplicans humiliter ut ipsam revocationem seu infirmationem prædicti statuti acceptare vellemus; sed quia communis provinciarum ecclesiæ utilitas vel necessitas nos omnes & singulos in ipso concilio vocare majoribus compellebat, dicti statuti negotium nobis duobus a ceteris coepiscopis nostris commissum suscepimus, cum opportunitas offerret vice omnium authoritate concilii terminandum, secundum quod nobis duobus faciendum esse concorditer videretur. Igitur opportunitate accepta, dictorum abbatis & conventus ecclesiæ Arroasiensis & ejusdem ordinis privilegiis, instrumentis & actis diligenter inspectis, & rationibus intellectis; quia nobis non constitit loca dicti ordinis, nomine religiosarum mulierum seu conversarum, prout antea nobis suggestum fuerat, sed canonicorum Arroasiæ & ordinis ipsius fundata & collata ad usus eorumdem canonicorum fuisse, insuper quia nobis constitit statutum fuisse, per S. Jacobi Prædicatorum, S. Catharinæ Vallis Scholarium ordinum priores & fratrem Joannem canonicum S. Victoris Parisiensis, olim visitatores ord. Arroasiæ a sede apostolica deputatos ad reformationem ipsius ordinis, ac postea eadem auctoritate confirmatum multo tempore jam elapso, ut de cetero non reciperentur in ipso ordine religiosæ mulieres seu conversæ: cum propter hæc & propter revocationem seu infirmationem dicti statuti per sedem apostolicam jam factam, ut dictum est, ac propter quædam alia quæ nos moverunt, & de jure movere debuerunt, nobis concorditer visum fuerit, præfatos abbatem & conventum Arroasiensem ac alios ejusdem ordinis, ad recipiendum religiosas mulieres seu conversas vel loco..... earum quæ jam decesserunt, vel in posterum decedent, non debere compelli; nos de negotio hujusmodi plenius instructi, inter alia præcipue attendentes dictas mulieres dictæ ecclesiæ Arroasiensi & ordini, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ob causas aliquas, quas exprimere non expedit, fuisse & futuras esse, si ibi remanerent, inutiles & damnosas, quodque sine ..... & membrorum subsidio non possent monasteria commode sustentari, ac debita onera supportare, & hospitalitatem ad quam tenentur servare, auctoritate a jam dicto nobis concessa concilio præfatum statutum concorditer decernimus non tenendum. In cujus rei perpetuam firmitatem præsentes litteras fieri & sigillis nostris fecimus sigillari. Datum apud Atrebatum anno gratiæ MCCLVI. feria quartam post festum B. Nicolai hyemalis.

ANNO CHRISTI 1255.

CONCILIUM BURDEGALENSE,

A GERARDO DE MALEMORT, BURDEGALENSI ARCHIEPISCOPO,

Pro disciplina ecclesiastica celebratum Id. April. anno Domini MCCLV.

Ex codice constitutionum Santonensium Pictavi edito, anno MDXLI.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De clericis habentibus ecclesias.*
2. *De quæstoribus.*
3. *De presbyteris alterius diœcesis.*
4. *De exequendis citationibus.*
5. *De communicatione puerorum.*
6. *Ut redditus ecclesiarum scribantur in missalibus.*
7. *Quando non licet super reliquias jurare.*
8. *De querelis capellanorum.*
9. *De reliquiis.*
10. *De clericis, ne interfint vindictæ sanguinis.*
11. *De absolutione excommunicatorum a capitulo facienda.*
12. *Ne in claustris religiosorum litigetur.*
13. *De decimis & primitiis.*
14. *De assensatoribus decimarum.*
15. 16. *Item de decimis.*
17. *Item de primitiis.*
18. 19. *Item de decimis.*
20. *Item de primitiis.*
21. *Item de decimis veteribus.*
22. *Item de decimis novalium.*
23. 24. *De pœna decimariorum.*
25. *De juribus capellanorum.*
26. *Ne pro sacramentorum administratione aliquid exigatur.*
27. *De excommunicatis, invito sacerdote ecclesiam intrantibus.*
28. *De pœna excommunicatorum.*
29. 30. *De statutis confratriarum.*

CONSTITUTIO DOMINI G. BURD. ARCHIEPISCOPI.

I.

De clericis beneficiatis.

PRæcipitur omnibus clericis habentibus ecclesias, ut continuam faciant residentiam in eisdem, & ad singula tempora ordinum se offerant ordinandos: alioquin nulla alia monitione præmissa suis beneficiis noverint se privatos.

II.

De quæstoribus.

Item inhibemus sacerdotibus, ne quæstorem permittant in suis ecclesiis, nisi de mandato nostro sive apostolico, prædicare: sed ipsi exponant subditis A suis id solummodo quod in apostolicis & nostris litteris viderint contineri. Caveant insuper, ne cartellos a quæstoribus recipiant, nisi primitus diligenter inspectos, quod in iis nec major indulgentia, nec ampliora beneficia exprimantur, quam in litteris supradictis.

III.

De presbyteris alterius diœcesis.

Itemque inhibemus ne presbyteri, nisi de diœcesi fuerint, ad serviendum in ecclesiis admittantur: nisi de licentia nostra speciali. Quod si secus fuerit attentatum, sciant se, qui eos acceperint, animadversione debita puniendos.

IV.

De exequendis citationibus.

Item præcipimus, ut cum litteræ citatoriæ elapsa majore parte termini assignati primo fuerint præsentatæ, ille cui litteræ diriguntur, mandatum nullatenus exequatur: ne per fraudem occultantis, facultas adeundi judicem aut mittendi procuratorem adversario subtrahatur. Si vero oblatæ fuerint in tempore competenti, sed qui citandus est, commode nequeat inveniri: tunc eo invento intra terminum, mandatum nihilominus exequatur.

V.

De communicatione puerorum.

Inhibetur presbyteris, ne hostias consecratas pueris dent ullo modo pro communione in die Paschæ; sed panem benedictum communem. Idem de aliis prohibitis communicare, præcipimus observari.

VI.

ANNO CHRISTI 1255.

V I.

Ut redditus ecclesiarum scribantur in Missalibus.

Præcipitur sacerdotibus, ut omnes redditus ecclesiæ scribant in missalibus suis, & de rebus ecclesiæ vel presbyterii nihil alienetur nisi per episcopum.

V I I.

Quando non licet super reliquias jurare.

Reliquiæ non tradantur laicis ad jurandum: nisi certis temporibus. Decrevit enim sancta synodus, ut a Septuagesima usque ad octavas Paschæ, ab Adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & in jejuniis quatuor temporum, & Litaniis majoribus, & in Dominicis diebus Rogationum, nisi de concordia & pacificatione, nullus super Dei evangelia jurare præsumat. Et in his diebus non debent sacerdotes reliquias præstare ad jurandum.

V I I I.

De querelis capellanorum.

Nullus sacerdos vel alia persona ecclesiastica, de personalibus injuriis, vel de eleemosynis ecclesiæ factis audeat litigare, nisi de consensu episcopi, coram judice sæculari.

I X.

De reliquiis.

In concilio statutum est quod amodo reliquiæ extra capsam nullatenus extrahantur, nec exponantur venales. Inventas autem nemo de novo venerari publice præsumat: nisi prius authoritate Romani pontificis fuerint approbatæ.

X.

De clericis ne interfint vindictæ sanguinis.

Nullus clericus sententiam sanguinis dictet, aut proferat, aut sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, interfit: nec quisquam clericus litteras dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas.

X I.

De absolutione excommunicatorum a capitulo facienda.

Cum quidam simplices capellani parochianos suos excommunicatos, in mortis articulo laborantes, cum juramento quod eorum hæredes stent juri, indifferenter absolvant, licet plerique parochiani sint pro manifesta offensa, vel pro re judicata, excommunicationis sententia innodati: firmiter inhibemus, ne aliqua ecclesiastica persona excommunicatum aliquem pro manifesta offensa, vel pro re judicata, præsumat absolvere, nisi ab ipso infirmo, vel alio nomine ipsius, adversario ejusdem infirmi fuerit prius satisfactum: dum tamen infirmus non possit per inopiam probabiliter excusari. Si vero ab aliquo, non servata hujus forma, infirmus excommunicatus fuerit absolutus, absolvens adversario defuncti in solidum teneatur.

X I I.

Ne in claustris religiosorum litigetur.

Cum religiosarum personarum & monasteriorum quietem prælati debeant procurare, ut ipsi religiosi in contemplatione manentes Divinæ possint liberius servire majestati: canonum statuta sequentes, districte præcipimus & mandamus prælatis & omnibus clericis & laicis universis, ne infra basilicas, vel claustra religiosorum conventuum regularium litigare præsumant, vel audire aliquatenus litigantes. Quod si facere præsumpserint, postquam istud præceptum eis fuerit publicatum: nos, transgressores dicti præcepti sub districti ponimus sententia interdicti.

X I I I.

De decimis & primitiis.

Præcipimus laicis universis, qui decimas & primitias detinent contra salutem propriam animarum, quod eas dimittant ecclesiis quarum existunt. Quod si facere noluerint, eos præcipimus latæ a bonæ memoriæ Guillelmo prædecessore nostro sententiæ subjacere: videlicet quod ad matrimonium vel eucharistiæ communionem aut sepulturam canonicam, vel ad purificationem post partum ipsum, vel uxores eorum

ANNO CHRISTI 1255.

eorum aut filii & filiæ in eorum po- A
testate constituti vel existentes nullate-
nus admittantur.

XIV.

De assensatoribus decimarum.

Assensatores autem decimarum a laicis, si laici fuerint, simili sententia se noverint irretiti: nisi eorum dominio adeo sint subjecti, quod eorum non audeant imperio contraire. Si vero clerici sint iidem assensatores, excommu- B
nicationis vinculo se noverint innodatos. Quas quidem sententias ab universis ecclesiarum prælatis, sub pœna excommunicationis præcipimus observari.

XV.

Item de decimis.

Nulla detur laicis detentoribus decimarum vel eas repetentibus audientia in foro ecclesiastico super decimas, ni- C
si eas authoritate ecclesiæ possideant.

XVI.

Item de decimis.

Decrevimus quod aliqui laicorum vendere vel emere, vel obligare decimas, quas ecclesiis canones decernunt, quarum existunt, aliquatenus non præsumant. Quod si facere præsumpserint, illos censuimus excommunicationis sen- D
tentiæ subjacere.

XVII.

Item de primitiis.

Item statuimus, ne prælati vel clerici in alienis parochiis, vel provinciis, decimas præsumant aliquatenus emere, vel titulo pignoris recipere, nisi de voluntate episcopi vel assensu, &c.

XVIII.

Item de decimis.

Item inhibemus laicis decimariis universis, ne de sanctuariis ecclesiarum decimas exigant, vel recipiant ullo modo: & si facere præsumpserint, ipsos excommunicationis sententiæ decrevimus suspendendos.

XIX.

Item de decimis.

Item districtius inhibemus, ne aliqua ecclesia conventualis, vel alia persona sæcularis, decimas ab aliquo recipiat emptionis, vel venditionis, obligationis, seu donationis titulo, seu alio aliquo modo: nisi eas dumtaxat quæ ad ecclesiam suam spectant, videlicet extra metas ecclesiæ suæ contentas.

XX.

Item de primitiis.

De primitiis vero statuimus, ut laici per censuram ecclesiasticam compellantur ad tricesimam, vel quadragesimam partem, usque ad quinquagesimam nomine primitiæ persolvendam.

XXI.

Item de decimis veteribus.

Licet per statuta canonica, decimæ ad parochiales ecclesias pertinere noscantur; quædam tamen ecclesiæ ex præscriptione, aliæ ex consuetudine, veteres decimas possideant in parochiis alienis: nonnulli ecclesiastici nullo jure suffulti, sed avaritia & pertinacia sola ducti, decimas in animarum periculo detinere præsumunt. Sed his tam clerici quam laici non contenti, ad novalia quæ specialiter parochialibus ec- D
clesiis jura reservant, extendunt illicite manus suas, & eædem ecclesiæ omnino jure suo, quoad novalium decimas, defraudantur. Volentes igitur præsumptioni clericorum & laicorum, prout possumus, obviare, & ecclesiarum indemnitatibus providere: omnibus omnino prohibemus, ne quisquam de cetero, clericus aut laicus, occasione veteris decimæ novalia recipiat: sed ea parochialibus ecclesiis in quibus novalia excreverunt, libere possidenda per- E
mittat, usibus ministrorum ecclesiæ profutura. Si vero quisquam temerarius hujus nostræ constitutionis contemptor, novalia de cetero receperit, in parochiarum præjudicium & gravamen: ipsum excommunicationis vinculo innodamus.

ANNO CHRISTI 1255.

XXII.

Item de decimis novalium.

Monemus etiam omnes illos qui a triginta annis vel citra, hujus * novalia cœperunt, ut infra duos menſes ſine difficultate reſtituant eccleſiis, ad quas pertinere dignoſcuntur, de cetero libere poſſidenda. Ne vero quiſquam per negligentiam ab hujus * ſententiis ſe valeat excuſare, præcipimus hanc conſtitutionem per presbyteros frequenter in ſuis eccleſiis prædicari.

Corr. hujuſmodi

hujuſmodi

XXIII.

De pœna decimariorum.

Quia parum eſt jura & conſtitutiones condere, niſi ſint per quos jura & conſtitutiones ſerventur, & illa conſtitutio contra decimarios per bonæ memoriæ dominum Guillelmum prædeceſſorem noſtrum, videlicet quod decimarii & uxores eorum, & filii, & filiæ in eorum poteſtate exiſtentes, in his articulis ab eccleſia evitentur, ſcilicet matrimonio, purificatione poſt partum, euchariſtia & eccleſiaſtica ſepultura: illo articulo remoto quod decimariorum filii ad ordines admittantur, cum ſemper ſit cultus Divini nominis ampliandus: ſtatuimus, ut quicumque presbyter, diaconus, ſubdiaconus, vel alius clericus regularis aut ſæcularis, prædicta ſacramenta, vel aliqua de præmiſſis, prædictis perſonis, vel alicui, miniſtrare præſumpſerit, ſeu procuraverit miniſtrari, ex tunc ipſo facto eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto: alias tam nobis quam eccieſiæ, vel eccleſiis, in cujus vel quarum parochiis hujus * decimariorum decimæ ſubſiſtunt, ſecundum arbitrium puniantur. Dignum eſt enim, ut quos timor Dei a malo non revocat, temporalis ſaltem ſeveritas coerceat diſciplinæ.

hujuſmodi

XXIV.

De pœna decimariorum.

Verum volentes animarum vitare periculum, ſtatuimus ut uxoribus decimariorum, ad quos decimæ non pertinent ullo jure, ſi ultimo mortis articulo ſacramenta, vel ſacramentalia cum humilitate popoſcerint ſibi dari: ſed juramento corporali firmaverint, quod maritos decimarios pro poſſe ſuo inducant ad decimas parochiali, vel parochialibus eccleſiis dimittendas, vel aliter componendum, prædicta eis, excepta eccleſiaſtica ſepultura, minime denegentur: ſed poſtquam convaluerint, quamdiu in ſanitate permanſerint, ad prædicta nullatenus admittantur.

ANNO CHRISTI 1255.

XXV.

De juribus capellanorum.

Statutum eſt ab initio, & nos volumus obſervari, ut parochiani per capellanos ſuos compellantur, ubi contradictio erit, procurationes annuas exhibere: & inſuper monemus meſtivas * & oblationes in præcipuis ſolennitatibus, & alia jura parochialia capellanis ſuis ſolvere: & ſi gratis noluerint, eccleſiaſtica ſepultura præcipimus coerceri.

* *forte* feſtivas

XXVI.

Ne pro ſacramentorum adminiſtratione aliquid exigatur.

Volumus & præcipimus, ne aliquis ſacerdos quicquam exigat pro adminiſtratione aliqua ſacramenti, quouſque ex toto fuerit miniſtratum. Et tunc, ſecundum conſuetudinem eccleſiæ, honeſte poterit quod juſtum eſt expetere, & a ſuis invenerit prædeceſſoribus ordinatum. Inhibemus fortiter & diſtricte, ne pro beneficiis conferendis, vel eccleſiaſticis ſacramentis, aut juſtitia exigenda *, aliqua pecunia exigatur, vel recipiatur. Si vero alia, de conſuetudine laudabili & antiqua, debentur, poſtea a ſubditis exigantur.

* Corr. exhibenda

XXVII.

De excommunicatis invito ſacerdote eccleſiam intrantibus.

De laicis excommunicatis qui invito ſacerdote intrant eccleſiam, & Divinum perturbant officium, ſtatuimus, quod talium bona per ſæcularem dominum confiſcentur: qui ſi noluerint obedire, excommunicationis ſententia innodentur.

XXVIII.

De pœna excommunicatorum.

Si quis per quadraginta dies in excommunicatione ſubjacuerit, pœnitentia novem librarum mulctetur, vel alia competenti.

ANNO CHRISTI 1256.

XXIX.

De ſtatutis confrateriarum.

Quia confrateriarum uſus ad pias cauſas inventus, propter quorumdam malitiam laicorum trahitur in abuſum, dum ſtatuta illicita ſtatuunt, quibus enervare intendunt eccleſiaſticam libertatem, & antiquorum bonas & pias conſuetudines abolere circa eam laicos ſuos quædam illicita & machinationes quæ obviant pietati: idcirco præſenti conſtitutione prohibemus, ne confratres alicujus confraternitatis comitem vel comites eligant, vel creent de cetero, abſque expreſſo conſenſu & voluntate ſui capellani.

Corruptus locus, uti & quædam in capitulo ſequenti

XXX.

Item de ſtatutis confrateriarum.

Item, prohibemus ne aliquis, vel aliqui, comites & confratres alicujus confrateriæ, aliqua edant vel ſtatuant ſtatuta, niſi quæ ad fabricam vel luminaria eccleſiæ, vel librorum ſeu aliorum ornamentorum, ſeu veſtimentorum, ſeu eccleſiæ factionem, ſeu refectionem, pertinere noſcantur, vel ad ſepulturas vel vigilias, ſeu ad aliud officium defunctorum, vel ad publicarum viarum, ſeu privatarum, ſeu cœnobii exemptioni, vel reparationi pontium, vel cuſtodiam parentum ægrorum, vel inimicorum animalium ſeu pecudum, vel ad arcendam ab agris inundationem fluminum vel aquarum, vel ad lupos, vel ad alias peſtilentias nocivas profugandas, vel ad eleemoſynas colligendas, & relicta ſeu data a vivis ſeu defunctis, quæ cum conſilio capellani loci, in uſus aliquos relicta fuerint, ſive data, ſeu in alios pios uſus, ſi a relinquentibus, vel dantibus non fuerit diffinitum, expendi volumus & mandamus. Si pia vero alia ſtatuta fecerint, non obſervent: immo de capitularibus ſuis abradi faciant intra menſem, alia ulterius non facturi, ſine aliqua ſpeciali permiſſione prælati, ne in obſervatione præmiſſorum dolum faciant ſive fraudem.

ANNO CHRISTI 1256

Verum volentes per comites & confratres cauſam cavi, & carregia ulterius fieri prohibemus, niſi ipſa carregia pertinuerint ad præmiſſa, quæ eis ſuperius expreſſa vel conceſſa ſunt, niſi ad communem utilitatem aliqua fecerint de conſilio capellani. Sane quia juſtum eſt, ut quos timor Dei non revocat a malo, pœnitentia coerceat a peccato: volumus ut tranſgreſſores hujus conſtitutionis, niſi reatum ſuum purgaverint infra menſem poſt publicationem ipſius factam, duobus diebus Dominicis, vel feſtivis, excommunicationis notam incurrant. Cujus conſtitutionis volumus quod ſinguli capellani habeant tranſcriptum, & eam publicent in eccleſiis ſuis, ſicut ſuperius eſt expreſſum.

Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, Id. April.

Nota Gabr. Cossartii

CAnones hujus concilii XXXI. numerat Gregorius de Rives in ſuo conciliorum breviario: forte quia ultimum diviſit in duos, ut in ſumma edidit Lud. Bail. Nos Santonenſem codicem accurate ſequimur.

Editas autem eſſe in provinciali ſynodo has conſtitutiones, ex eo conſtare videtur, quod inter conſtitutiones Santonenſis eccleſiæ relatæ ſint. Si enim eſſent a diœceſana tantum ſynodo, ad eccleſiam Santonenſem minime pertinerent.

CONSTITUTIONES EDITÆ IN CONCILIO DE COPRINIACO

Per G. * archiepiſcopum.

* Geraldum Archiepiſc. Burdegal.

OBSERVATIO GABRIELIS COSSARTII

De concilio Copriniacenſi.

COPRINIACENSE concilium anno MCCLV. Id. April. celebratum notatur in Synopſi. Quo argumento, non video. Nam Copriniacenſium ſynodorum nulla uſquam, opinor, mentio, niſi in codice conſtitutionum Santonenſis eccleſiæ; in quo habet una ſcriptum annum MCCLX. altera nullam ibi notam habet temporis, ſed aliunde ſcimus, habitam eſſe anno MCCLXII. ut ad eam docebimus. Una ibidem ſupereſt, Copriniaci per G. archiepiſcopum Burdegalenſem habita: at ſine anno & die: proxime autem ſequitur Geraldi conſtitutiones modo deſcriptas, conſignatas anno MCCLV. & die Id. April. & hinc forte erroris occaſio. Quanquam ſecus omnino argumentari oportuiſſet. Nam eodem die ſynodum habere duobus in locis Geraldus non potuit.

De Copriniaco, pauca. Oppidum eſt Burdegalenſis diœceſeos, vulgo *Cognac* dictum. Concilium enim anni MCCLXII. quod in codice Santonenſi inſcribitur, apud Copriniacum: in MS. noſtro codice, & in Laurentii Bochelli Decretis Gallicanis nuncupatur, *apud Cognac*. Campinacum alio nomine vocatur. Nam concilium anni MCCXXXVIII. cujus titulus eſt, *apud Cognac*, tum in MS. noſtro, tum in Bochelli Decretis: in fine ſubſcriptum habet: *Actum apud Campinacum*. Gemina eſt hæc loci unius appellatio, niſi ſi forte altera ex librariorum vitio nata ſit: uti eodem in codice Santonenſi conſtitutio-

tutiones aliæ inſcribuntur, *apud Roſecos*: cum ſcribendum fuiſſet, *apud Roſſiacum*. Copriniacenſes porro conſtitutiones, quas ſubjicio, conjectura eſt non unius eſſe concilii, ſed ex pluribus collectas. Pars magna petita eſt ex concilio anno MCCXXXVIII. apud Campinacum. Qua ex parte recte Copriniacenſes dicuntur, ſi quidem Copriniacum idem eſt atque Campinacum. ANNO CHRISTI

In illa porro collectione Santonenſi, unde illas deprompſimus, nullus ſervatus ordo nec rerum nec temporum: ſed ſtatuta quæ illam ſpectabant eccleſiam, promiſcue collecta. Nam poſt multa conſtitutionum capitula, quarum nec locus nec tempus indicatur, occurrunt conſtitutiones Roſſiacenſes anni MCCLVIII. tum Copriniacenſes anni MCCLXII. quibus ſubjectum capitulum *de abuſoribus*, quaſi ad eaſdem attineret, cum ſit concilii apud Campinacum, anno MCCXXXVIII. cujus prima capitula tria complectitur. Hinc conſtitutiones ann. MCLXX. & MCCLXXXII. tum anni MCCLXIII. deinde anni MCCXL. Atque ita deinceps ordine perturbato.

Has autem, cum earum annus ignoretur, hic, ut ſunt in illo codice, collocandas duxi.

I.

De alienis parœciis.

Statuimus & præcipimus, & ſub pœna excommunicationis, cui inobedientes ſupponimus, ne in eccleſiis ſuis, diebus Dominicis & feſtivis, parochianos recipiant alienos, qui proprias dimittunt eccleſias: præſertim illis diebus, quibus debent ſuas eccleſias viſitare.

Idem dicimus & ſtatuimus de illis, qui propriis dimiſſis eccleſiis, prædictis diebus ad eos accedant, cum ipſis diebus præcipue, a proprio capellano, vel cujus *, ſit ſui prætoris * vultus agnoſcendus.

* for. vel eius vicario. Corr peccatis.

II.

Ne aliquis recipiat alienum parochianum ad ſepulturam.

Statuimus quod aliquis non recipiat, &c. *Eſt cap. 3. Concilii Burdegalenſis ann.* MCCLXIII.

III.

De injectoribus manuum in clericos.

Ad reprimendam illius temerariæ præſumptionis audaciam, &c. *In concilio apud Campanicum anni* MCCXXXVIII. c. 19.

IV.

De excommunicatis a canone.

De illis qui pro violenta manuum injectione in canonem latæ ſententiæ incidunt, vel alias ex ſententia alicujus canonis, vel judicis, excommunicati vel interdicti fuerint, aut ſuſpenſi, licet poſtmodum compoſitum fuerit inter partes: diſtricte præcipimus & mandamus, ut donec beneficium abſolutionis obtineant, eiſdem ſententiis adſtricti arctius teneantur.

V.

Ne religioſi habeant proprium.

Abbatibus diſtrictius inhibemus, &c. *In concilio apud Campinacum, ann.* MCCXXXVIII. *c.* 20.

VI.

Ne religioſi habeant proprium.

Volumus & mandamus, &c. *Ibid. c.* 21.

VII.

De religioſis.

Fratribus etiam diſtrictius inhibemus &c. *Ibid. c.* 22.

VIII.

Ne religioſi exeant clauſtrum.

Item ne aliqua in judicio repetant, &c. *Ibid. c.* 23. 24. 25. 26. 27.

IX.

De eſu carnium quoad religioſos.

De eſu carnium, &c. *Ibid. c.* 28. 29.

X.

De ſolatiis religioſorum, & ſtatutis confraternarum.

Præterea præcipimus ne monachi, &c. *Ibid. c.* 30. 31.

XI.

De patronis eccleſiarum parochialium.

De patronis eccleſiarum, &c. *Ibid. c.* 32.

XII.

De novis domibus religioſorum.

De novis religioſorum, &c. *Ibid. c.* 33.

XIII.

ANNO CHRISTI ....

XIII.

De rebus ecclesiæ non alienandis.

Nullus possessiones ecclesiæ, *&c. Ibid. c.* 34.

XIV.

De parochianis communibus ad duas ecclesias.

Quoniam accidit interdum, *&c. Ibid. c.* 35.

XV.

De presbyteris excommunicatis aut suspensis.

Pro certo didicimus, *&c. Ibid. c.* 36.

XVI.

De juramento ab ordinandis præstando.

Irrefragabili constitutione *&c. Ibid. c.* 37.

XVII.

De collatione beneficiorum,

De beneficiis vacantibus, *&c. Ibid. c.* 38.

XVIII.

De concubinis sacerdotum.

Sacerdotes qui post legitimam admonitionem, in domo propria, vel aliena, suspectam detinent mulierculam, unde scandalum oriatur, absque dubio sententiam excommunicationis incurrunt: quæ in tales a legato est promulgata: sive sit hoc occultum, sive apertum, & si de hoc tibi constiterit, vel per evidentiam facti, vel per confessionem ipsius, vel aliam probationem legitimam, pro excommunicato debes illum habere: & si non satisfecerit competenter, & super hoc infamatus exstiterit, aut tibi merito fuerit incredibilis, & suspectus, poteris ei purgationem canonicam indicere, in qua si defecerit, debes eum canonice condemnare. Si vero fuerit tibi hoc in judicio pœnitentialis confessus, & voluerit satisfacere: poteris eum absolvere, juxta quod dicitur tibi ab ipso legato esse concessum.

Cum sacerdote vero, qui postquam [a] hujus exceptionem incurrit præsumpserit celebrare Divina, si hoc fuerit occultum, imposita ei pœnitentia competenti, cum eo de nostra licentia poteris dispensare. Quod si fuerit manifestum, nostro judicio reservetur.

[a] *Pro.* hujusmodi. *Harduinus.*

ANNO CHRISTI ....

XIX.

De tempore jejuniorum.

Sacerdotes præcipiant omnibus adultam ætatem habentibus instituta jejunia observare, ut quadragesimæ, quatuor temporum, in esca quadragesimali, exceptis jejuniis quæ sunt in septimana Pentecostes, quibus possunt comedi ova & casei, ratione dignitatis festi. In septimana Ascensionis Domini non debent carnes comedi, nisi in die.

In festo beati Marci non debent carnes comedi, nisi fuerit in Dominica, alias in hebdomada paschæ; [b] vigiliarum, scilicet, Nativitatis Domini, Assumptionis beatæ Mariæ, beati Joannis Baptistæ, apostolorum Petri & Pauli, Matthæi, Simonis & Judæ, Andreæ, Laurentii martyris, omnium Sanctorum, Litania majori, scilicet beati Marci evangelistæ, Ascensionis Domini, Pentecostes. Si qua autem ipsarum evenerit in Dominica, indicendum est jejunium in die sabbati præcedenti.

[b] *Forte,* & diebus Vigiliarum scilicet. *H.*

XX.

De cibo primæ Dominicæ quadragesimæ.

Prohibeant sacerdotes, sub pœna excommunicationis, maxime in tempore quadragesimæ, ne aliquis in prima Dominica quadragesimæ carnes manducare præsumat; nec aliquod aliud, nisi escam quæ licite in quadragesima sumi debet.

XXI.

De tempore feriato per annum.

Pronunciatum est laicis, ut sciant omnia tempora per annum ferienda*. Videlicet omnis Dominica a vespera in vesperam ferienda est. Item nativitas Domini, sancti Stephani, sancti Joannis evangelistæ, Innocentium, sancti Thomæ martyris, Circumcisio, Epiphania, Purificatio, Annunciatio, Assumptio, Nativitas, Conceptio beatæ Mariæ, Parasceve, cum omni reverentia & honore. Sanctum Pascha cum duobus diebus sequentibus, Ascensio Domini, Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, Inventio sanctæ Crucis, Nativitas

* *Ita scriptum ter in hoc capitulo, pro* ferianda.

tas ſancti Joannis Baptiſtæ, Decollatio ejuſdem: duodecim Apoſtolorum, & maxime Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Thomæ, Matthæi, Simonis & Judæ, Philippi & Jacobi, Barnabæ, Mathiæ; Lucæ & Marci evangeliſtarum: ſancti Eutropii, Georgii, converſio ſancti Pauli, Cathedra ſancti Petri, Joannis ante portam Latinam, Joannis & Pauli, Martialis, Transfiguratio Domini, Inventio ſancti Stephani, Laurentii, Vincentii, Bartholomæi apoſtoli, Michaelis, Dedicato cujuslibet oratorii, omnium Sanctorum, Ægidii, Exaltatio ſanctæ Crucis, Hilarii, Martini, Nicolai, Catharinæ, Mariæ Magdalenæ, & aliæ feſtivitates, quas ſinguli presbyteri in ſuis parochiis celebrare conſueverunt cum populo, quæ in vicis circummorantibus tantum indictæ ſunt non generaliter omnibus. Reliquas vero feſtivitates per annum non ſunt cogendi ad feriendum: ſed monendi ut juxta antiquum morem eas obſervent.

XXII.

De præfationibus.

Invenimus decem præfationes in ſacro Dialogo tantum recipiendas, unam in Paſcha: Te quidem omni tempore: Secundam in Aſcenſione Domini: Qui poſt reſurrectionem. Tertiam in Pentecoſtes: Qui aſcendens. Quartam de Trinitate: Qui cum unigenito. Quintam de beata Maria: Et te in veneratione. Sextam de ſancta Cruce: Qui ſalutem. Septimam de Apoſtolis: Te Domine ſuppliciter. Octavam in Nativitate Domini: Quia per incarnati. Nonam in Epiphania: Quia cum unigenitus. Decimam in Quadrageſima: Qui corporali jejunio vitia.

XXIII.

Ne laici ſtent in choro.

Item inhibemus ſub pœna excommunicationis omnibus laicis, ne morentur in choro inter clericos, dum ibidem Divinum officium celebratur.

XXIV.

De mulieribus prægnantibus.

Statutum eſt ſiquidem, quod mulieres prægnantes, quam cito erunt vicinæ partui, veniant ad eccleſiam confiteri peccata ſua, & recipiant pœnitentiam, & corpus Domini, pro maximis periculis evitandis: & ſi qua in hoc negligens extiterit, ad arbitrium ſui prælati diſciplinæ ſubdatur.

XXV.

De fornicatoribus.

Præcipitur capellanis quod denuncient omnes focarios, & fornicatores publicos, excommunicatos: & non abſolvantur quo uſque purgati fuerint penitus a delicto: quibus abſolutis injungatur eis pœnitentia ſalutaris.

XXVI.

De frequentantibus fora diebus ſolennibus.

Item denuncientur excommunicati omnes illi, qui diebus Dominicis & ſolennitatibus beatæ Mariæ, & aliis ſolennitatibus, frequentant mercata, & nundinas. Et alii qui dimittendo ſuas eccleſias, ſe abſentant alibi per tres dies Dominicos. Nec non illi qui diebus Dominicis carruant cum bobus ſuis: niſi illos cauſa ſufficiens, & probabilis reddiderit excuſatos.

XXVII.

De defraudantibus eccleſias.

Item diſtricte præcipitur omnibus capellanis, quod in generali denuncient excommunicatos omnes illos, qui contra libertatem eccleſiæ exiſtunt, vel faciunt conſpirationes ſeu ſtatuta, vel procurant fieri: & omnes illos, qui ſuam matrem eccleſiam diminuunt, ejus redditus & alia jura parochialia retinendo, & decreſcere procurant, conſulunt, nituntur. Nec non illos, qui laudabiles conſuetudines ſanctæ matris eccleſiæ in opprobrium & contemptum Dei, & totius curiæ cœleſtis infringunt, & deſtruunt; oblationes, legata, luminaria & alia bona quæ ex pia conſideratione fieri, dari, aut offerri conſueverunt ad honorem Dei, & ſalutem animarum, deviant, falſa ſuggeſtione reprimunt, & differunt, conſilio, auxilio, facto ſuo, vel favore, & cauſa ſuæ avaritiæ, retinent.

XXVIII.

Ne eccleſiæ bona faziantur.

Inhibemus, & etiam monemus, ac in generali moneri præcipimus univerſos

ANNO CHRISTI 1255.

fecerint mandato legatorum ecclesiæ Romanæ, vel domini archiepiscopi Narbonensis, & nunquam mandato solius seneschalli. Et ideo non ex debito, nec ex mandato vel rogatu dicti seneschalli, sed potius ex gratia & honore domini regis, & quia dicitur & fama est dictum castrum fuisse receptaculum hæreticorum, furum, & latronum, unde etiam negotium pacis & ecclesiæ esse videbatur, concorditer convenerunt, quod ipsi prælati & eorum homines, moderate, secundum quod eis honestum esse videbitur, in obsessione & expugnatione dicti castri domino regi præbeant auxilium & succursum. Salvo tamen jure libertatis & immunitatis suæ, & ecclesiarum suarum, & sine omni suo & ecclesiæ præjudicio in futurum.

Acta sunt hæc apud Biterrim, in porticu capellæ episcopalis, in præsentia & testimonio magistri Bernardi archidiaconi Ruthinensis, & domini Stephani præcentoris ecclesiæ sancti Justi Narbonensis, domini Bertrandi de Grava capellani domini episcopi Uticensis, Hugonis de Aquilerio præcentoris Uticensis, domini Poncii de Broha canonici Narbonensis, domini Petri Vesiani sacristæ sancti Afrodisii, Guillermi de Seran, & Raimundi de Grosis clerici domini archiepiscopi Narbonensis, Gr. Cathalani clerici domini episcopi Biterrensis, & mei magistri Michaelis pubblici Biterris notarii, qui mandatus a dicto domino archiepiscopo Narbonensi, pro se & suis suffraganeis & procuratoribus supradictis hæc scripsi, & redegi in publicum instrumentum, & huic publico instrumento signum apposui meum.

Statuta sancti Ludovici Francorum regis, pro reformatione morum, in Galliam Narbonensem ejus jussu delata a Guidone Fulcodii, & relecta in concilio Biterrensi anno MCCLV.

Ex editione St. Baluzii v. cl.

HÆc sunt stabilimenta facta per dominum regem Franciæ, quæ dominus Guido Fulcodii attulit sigillata sigillo dicti domini regis, & fuerunt recitata & lecta aggregato generali concilio prælatorum & baronum & militum terræ apud Biterrim anno MCCLV.

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, universis præsentem paginam inspecturis salutem. Ex debito regiæ potestatis pacem & quietem subjectorum nostrorum, in quorum quiete quiescimus, præcordialiter affectantes, ac adversus injuriosos & improbos, qui tranquillitati eorum invident & quieti, zelum indignationis habentes, ad hujusmodi propulsandas injurias, & statum regni reformandum in melius, ad præsens aliqua duximus ordinanda, quæ inferius continentur.

I.

Questus quidem illicitos, quantum possibile fuerit, in ballivis & aliis curialibus nostris reprimere cupientes, seneschallos, ballivos, præpositos, vicecomites, & villarum majores, & alios officiales nostros juramento subscripto duximus adstringendos: cujus si ipsi seneschalli, ballivi, & alii officiales nostri fuerint transgressores, pœnas debitas in bona ipsorum, vel, si res exigat, in personas, nostræ voluntatis vel deputatorum a nobis arbitrio reservamus. Si vero majores, ballivos, vel officiales, dejerare contigerit in hac parte: a seneschallis sub bonarum testimonio personarum & cum ipsarum consilio puniantur.

ANNO CHRISTI 125

II.

Jurabunt igitur omnes & singuli supradicti, quod quamdiu commissam sibi tenebunt seneschalliam, vel balliviam, præposituram, vel aliud quodcumque officium supradictum, tam minoribus quam mediocribus, tam majoribus quam advenis, tam indigenis quam subjectis, sine nationum & personarum acceptione jus reddent, servantes tamen in locis suis sua jura, usus, & consuetudines approbatas.

III.

Jurabunt insuper bona fide jura nostra requirere & servare, & aliorum jura scienter non auferre, nec diminuere, nec etiam impedire.

IV.

Jurabunt etiam donum seu munus quodlibet a quacumque persona per se vel per alium non recipere in pecunia, auro, vel argento, aut rebus aliis quibuscumque mobilibus vel immobilibus vel se moventibus, seu beneficiis personalibus perpetuis, præter esculenta & poculenta, quorum valor in una hebdomada summam decem solidorum Parisiensium non excedat. Et quod dicta bona seu beneficia dari uxoribus suis, liberis, fratribus, sororibus, nepotibus, neptibus, vel consanguineis, aut consimilibus, seu domesticis, minime procurabunt. Immo bona fide diligentiam adhibebunt ne uxores suæ vel aliæ personæ proximo nominatæ dona vel munera recipiant. Quod si fecerint, ex quo hoc sciverint, eos ad restituendum bona fide compellant, sub debito juramento.

V.

Jurabunt etiam quod ab illis de sua seneschallia vel ballivia, nec ab illis qui causam habent coram ipsis, vel scient in proximo habituros, mutuum non recipient per se, vel per alium, ultra summam viginti librarum, quas reddent a die contracti mutui, infra duos menses,

ſes, licet etiam creditores velint ſolu- ANNO CHRISTI 1255.
tionis terminum prorogare.

V I.

Addetur etiam juramento eorum, quod nihil dabunt vel mittent alicui de conſilio noſtro, vel uxoribus eorumdem, liberis, aut domeſticis, vel illis qui compotum eorum recipient, vel illis quos ad viſitandam terram vel facta eorum exquirenda mittemus. Quod etiam in venditionibus balliviarum vel reddituum aut aliarum rerum noſtrarum partem non habebunt, nec etiam in monetis. Quod bajulos infideles, ſeu injurioſos, vel exactores, vel de uſuris ſuſpectos, vel turpem vitam aperte ducentes, in ſuo non ſuſtinebunt errore, immo eorum exceſſus corrigent bona fide.

V I I.

Jurabunt etiam præpoſiti noſtri, vicecomites, majores villarum, foreſtarii, & alii ſub eis in officiis conſtituti judices, & locorum vicarii ſingulorum, quod nec ſuperioribus ſuis, nec uxoribus eorum, liberis, propinquis, ſive domeſticis quicquam dabunt. Et in fine juramenti concludent ſe univerſa & ſingula ſupradicta ſervare bona fide, niſi illud quod duxerimus relaxandum, nec quicquam per ſe vel per alium in fraudem facere prædictorum.

V I I I.

Vicarios autem quos ſeneſcalli vel ballivi per ſe quandoque ſubſtituent, nolumus ab ipſis inſtitui, niſi prius ſub forma prædicta præſtiterint juramenta.

I X.

Ut vero hæc juramenta firmius teneantur & obſerventur, volumus quod in publica aſſiſia fiant coram clericis & laicis ab omnibus & ſingulis ſupradictis, etiamſi antea facta fuerint coram nobis: ut non ſolum metu Divinæ indignationis & noſtræ, ſed etiam confuſionis & erubeſcentiæ apud homines, perjurium manifeſtum incurrere vereantur.

X.

Volumus autem & præcipimus, quod ſeneſcalli noſtri, & alii quicumque ſub ipſis tenentes officium, nec non & omnes qui in dictis balliviis vel ſeneſcal-

liis vadia noſtra recipiunt, abſtineant ab omni verbo quod vergat in contumeliam & contemptum Dei, aut matris ſuæ, vel ſanctorum ipſius. ANNO CHRISTI 1255.

X I.

Inhibemus vero diſtricte ſeneſcallis & ballivis noſtris, poſſeſſiones aliquas per ſe vel per alium emere, adminiſtratione ſua durante, in ſeneſcallia vel ballivia ſua, vel fraudulenter in alia, ſine noſtra licentia præcedente. Quod ſi fecerint, emptionem irritam eſſe, & poſſeſſiones ſic emptas fiſco noſtro, ſi nobis placuerit, volumus applicari.

X I I.

Prohibentes inſuper ſeneſcallis & ballivis noſtris, ne, quamdiu ſeneſcalli vel ballivi fuerint, ſibi vel ſuis liberis, fratribus aut ſororibus, nepotibus, neptibus, conſanguineis, vel quibuſcumque de ſua familia, matrimonia copulent cum perſonis ſuæ ſeneſcalliæ aut balliviæ ſuæ, ſine noſtro ſpeciali conſenſu, nec prædictos in regione ponant, aut beneficia eccleſiaſtica, vel poſſeſſiones eis acquirant.

X I I I.

Giſta etiam vel procurationes in domibus religioſorum, vel circa, ad expenſas eorum non recipiant ſine noſtra licentia ſpeciali.

X I V.

Prohibitionem vero iſtam quam facimus de matrimoniis non copulandis, & poſſeſſionibus non acquirendis, non extendimus ad præpoſitos, majores, & alios officiales minores, qui majorias, præpoſituras, & alia officia tenebunt in locis manſionum ſuarum, dum tamen hæc faciant ſine noſtra vel alterius læſione.

X V.

Seneſcalli autem noſtri & inferiores ballivi caveant ſibi a multitudine bedellorum; & quanto paucioribus poterunt, ſint contenti, ad curiarum exequenda præcepta, & illos nominent in aſſiſia publica, aliter vero pro bedellis minime habeantur. Ubi autem bedelli vel ſervientes ad remota loca mittentur, eis ſine ſuperiorum litteris non credatur. Et ſi aliter inventi fuerint facientes executiones vel mandata, nun-

ANNO CHRISTI 1255.

cietur seneſcallo, qui eos puniat competenter.

XVI.

Ne vero seneſcalli noſtri vel inferiores ballivi contra juſtitiam ſubditos noſtros gravent: inhibemus eiſdem, ne pro quocumque debito, præter noſtrum, capiant vel captum detineant aliquem ſubditorum noſtrorum.

XVII.

Emendas autem pro maleficiis ſeu debitis, a ballivis noſtris levari non volumus, niſi in foro aut judiciario publice de bonorum conſilio fuerint judicatæ vel æſtimatæ, quamvis antea fuerint gagiatæ. Si tamen ille cui crimen imponitur, curia ſibi offerente, judicium illud non velit expectare, & pecuniam certam offerat pro emenda, & tale ſit crimen de quo emenda pecuniaria recipi conſuevit: liceat curiæ eam recipere, ſi ſibi competens videatur. Alioquin emendam judicari faciat vel æſtimari ſecundum quod ſuperius eſt expreſſum, licet reus ſe velit omnino ſubjacere curiæ voluntati. Caveant tamen seneſcalli, judices, & ballivi, ne minis vel terroribus ſeu machinationibus callidis, clam vel palam, aliquem ad emendam offerendam inducant, vel ſine cauſa rationabili accuſent.

XVIII.

Eos ſane qui ballivias noſtras tenuerint, aliis eaſdem revendere prohibemus. Sed ſi plures emptores fuerint, unus tantum juriſdictionem exerceat, & immunitate gaudeat in cavalcatis, talliis, ſeu collectis, & aliis oneribus publicis, qua alii conſueverunt gaudere. Vendi autem eas filiis, fratribus, nepotibus, aut conſanguineis, ſeu domeſticis ballivorum, prohibemus eiſdem. Emptores autem ipſarum præpoſiturarum vel aliarum balliviarum, debita propria, ſcilicet quæ debentur eiſdem, ex præpoſituris vel balliviis aliis, aut eorum ſociis, authoritate propria non coerceant: ſed per manum seneſcalli aut ſuperioris judicis eas repetant, ſicut ſi præpoſituram vel balliviam non tenerent.

XIX.

Porro volentes viam malitiis præcludere, quantum poſſumus: firmiter inhibemus, ne seneſcalli, ballivi, vel alii officiales prædicti, in cauſis & negotiis quibuſcumque ſubditos noſtros locorum mutatione fatigent ſine cauſa rationabili, ſed ſingulos in locis illis audiant, ubi conſueverunt audiri: ne gravati laboribus & expenſis, cogantur cedere juri ſuo.

XX.

Quia vero nemo ſine cauſa vel culpa privandus eſt jure ſuo: ballivis noſtris & aliis officialibus prædictis inhibemus, ne deſſaiſiant aliquem ſine cauſæ cognitione, vel noſtro ſpeciali mandato. Subditos etiam noſtros novis exactionibus, conſuetudinibus vel oneribus non affligant, cavalcatas extorquendæ pæcuniæ cauſa non mandent, ſed ex cauſa tantummodo neceſſaria. Et tunc volentes perſonalem facere cavalcatam, ad eam redimendam data pecunia non compellant.

XXI.

Defenſum autem bladi vel vini, aut mercium aliarum non extrahendarum de terra, ſine cauſa urgente non faciant; & tunc cum bono & maturo conſilio, nec ſuſpecto; & factum cum conſilio non diſſolvant; & eo durante nunquam faciant gratiam ſpecialem.

XXII.

Omnes autem ballivo, noſtros, majores & minores, finito officio ſuo remanere volumus, vel ſaltem procuratorem ſufficientem dimittere in ipſa ballivia per quadraginta dies, ut de ſe conquerentibus coram illis reſpondeant, quibus hoc commitetur.

XXIII.

Ceterum ordinationem factam de Judæis obſervari diſtricte præcipimus, quæ talis eſt. Judæi ceſſent ab uſuris & blaſphemiis, ſortilegiis. Et * Talemit quam alii libri, in quibus inveniuntur blaſphemiæ, comburantur. Et Judæi qui hoc ſervare noluerint, expellantur, & tranſgreſſores legitime puniantur. Et vivant omnes Judæi ex laboribus manuum ſuarum, vel de negotiationibus ſine terminis & uſuris.

* for. tam Palmud, quam al.

XXIV.

Præterea prohibemus diſtrictius quod nullus omnino ad taxillos ludat, ſive aleis, ſive icacis. Scholas etiam deciorum

ANNO CHRISTI 1255.

rum prohibemus & prohiberi volumus omnino, & tenentes eas districtius puniantur. Fabrica autem deciorum prohibeatur ubique.

XXV.

Nullus præterea recipiatur ad moram in tabernis faciendam, nisi sit transiens vel viator, vel in ipsa villa non habeat aliquam mansionem.

XXVI.

Expellantur autem publicæ meretrices tam de campis quam de villis; & factis monitionibus sive prohibitionibus, bona earum per locorum judices capiantur, vel authoritate a quolibet occupentur, etiam usque ad tunicam vel pecium. Si quis vero publicæ meretrici scienter domum locaverit, quantum valet pensio domus uno anno, ballivo loci vel judici solvere teneatur.

XXVII.

Extat in V Dufnii

Præterea statutum * a nobis de consilio baronum nostrorum apud Melledunum edictum observari præcipimus firmiter & teneri. Videlicet quod nullum debitum haberi faciant barones, ballivi, vel aliæ quæcunque personæ Judæis, nec aliquis in toto regno nostro Judæum retineat alterius dominii, nec impediat quo minus Judæum suum possit capere tanquam proprium servum, quantuncumque sub alterius dominio fecerit ipse moram.

XXVIII.

De Christianis vero, sicut in eodem statuto continetur, prohibemus districte quod nullas usuras haberi faciant barones, ballivi nostri, vel aliæ quæcunque personæ Judæis Usuras autem intelligimus quicquid est ultra sortem.

XXIX.

Istud autem statutum factum apud Melledunum volumus quod ballivi nostri observent & faciant observari, tam in terra nostra, quam in terra baronum vel aliorum, si desuerint, postquam sufficienter fuerint requisiti.

XXX.

Inhibemus autem ne aliquis in terra nostra capiat aliquem equum contra voluntatem illius cujus equus erit, nisi sit pro proprio negotio nostro. Et tunc per ballivos, senescallos nostros, aut eos qui loco eorum erunt, de equis conductitiis capiatur. Et si equi conductitii sufficere nequeant pro nostro servitio faciendo: senescalli, ballivi, vel alii qui loco ipsorum erunt, non capiant equos mercatorum, transeuntium, vel pauperum, sed divitum tantum, si sufficere possint ad nostrum servitium proprium faciendum.

XXXI.

Inhibemus etiam ne pro servitio nostro vel alio capiantur equi personarum ecclesiasticarum, nisi de nostro speciali mandato. Nec capiant senescalli, aut ei qui loco ipsorum erunt, equos plusquam nobis fuerit opus. Illos etiam quos ceperint, pro pecunia non relaxent. Hæc autem quæ de equis capiendis diximus, volumus observari quamdiu nobis placuerit. Salvis servitiis nobis debitis, & juribus nostris, ac etiam alienis.

XXXII.

Omnia ergo & singula supradicta quæ ad præsens pro subditorum quiete duximus ordinanda, retenta nobis plenitudine potestatis regiæ declarandi, mutandi, vel etiam corrigendi, addendi, vel minuendi, a ballivis nostris & subditis districte volumus observari

Datum Parisiis anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, mense Decembri.

Sanctas illas Ludovici leges, *ait Baluzius*, diu viguisse constat, ac nominatim illam quæ prohibet ne senescalli emant aliquas possessiones in sua senescallia, quandiu eorum administratio durabit adeo ut cum Gaucelinus de Vairolis senescallus Cadurcensis nonnullas post hæc tempora possessiones emisset in sua senescallia, necessum illi fuerit anno MCCCLXI. litteras a Karolo V. Francorum Rege impetrare, quibus derogaretur huic statuto.

CON-

ANNO CHRISTI 1255.

CONSTITUTIONES SYNODALES

Valentinæ Dioecesis,

Sub Andrea de Albalato episcopo Valentino, anno Christi MCCLV.

Primum edidit Cardinalis de Aguirre tomo III. pag. 506.

ANno Domini MCCLV. tertia feria post festum S. Lucæ, & mutata est synodus in feria tertia post Dominicam de *Quasi modo*. Nos frater Andreas divina miseratione Valentinus episcopus, prout moris est, & a sanctis Patribus constitutum, sanctam synodum celebrantes.

De forma interdicti imponendi.

In primis statuimus, ut si aliquis clericus parochianum suum ob caussam legitimam supponere debuerit sententiæ interdicti, hanc formam a jure traditam servare procuret, quæ in sequentibus continetur. Primo enim ipsum ter edictis legitimis admoneat. Deinde, si contumax fuerit, interdicti sententiam in scriptis redactam; & causam propter quam interdicatur in eisdem insertam, in ipsum proferat: exemplum scripturæ hujus teneatur personæ interdictæ tradere infra mensem post diem sententiæ, si fuerit requisitus; super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici, sigillo authentico consignatas.

Ne clerici in civitatem intrent bis in mense.

Item cum ad aures nostras conquerenter clamosa insinuatione religiosorum virorum, & aliorum plurium fide dignorum, tam parochianorum, quam etiam aliorum, pervenerit, quod rectores ecclesiarum, & alii clerici, Valentinæ civitatis vicini, ingrediuntur civitatem frequentius quam expediat & eorum deceat honestatem, illicitis & inhonestis se actibus immiscendo, in animarum suarum, & parochianorum suorum dispendium & jacturam; & sic a servitio ecclesiarum suarum nimium se subtrahunt & elongant, & ecclesiæ debitis servitiis defraudantur; & parochiani aliquando plura incurrunt pericula, sicut pro certo didicimus; & ipsi etiam clerici omissis horis canonicis multa comittunt illicita, in opprobrium sui, & totius ordinis clericalis.

Nos huic morbo desiderantes occurrere, & animarum languoribus providere: provida deliberatione statuimus, ut deinces præfati clerici, nisi bis in mense, civitatem ingredi non præsumant, nisi caussa necessaria forte & inevitabili eos pluries intrare oporteat civitatem. Et quandocumque intrare debuerint, parochiis suis de ministris prius provideant. Et cum regnum Dei ante omnia sit quærendum, eadem die qua in civitatem intraverint, ad suas ecclesias revertantur. Si vero ex caussa eos ultra illam diem in civitate remanere oporteat; nobis vel officiali nostro caussam exponant, propter quam moram trahere debeant longiorem.

Et ut negotiorum occasione sumpta, horas non omittant canonicas, volumus ut in ecclesia sanctæ Mariæ, quamdiu in civitate remanserint, horis nocturnis & diurnis in decenti habitu procurent personaliter interesse, nisi legitimo impedimento fuerint impediti. Quod si circa præmissa aliquid præsumpterint attentare, arbitrio nostro vel officialis nostri gravi pœna noverint se puniendos.

De Consueta, & tractatu septem Sacramentorum.

Anno Domini MCCLVIII. feria tertia post festum sancti Lucæ. Nos frater Andreas divina miseratione Valentinus episcopus, in sancta synodo præsidentes, ea quæ inferius continentur duximus ordinanda. In primis statuimus, quod rectores ecclesiarum parochialium civitatis & diœcesis Valentinæ habeant Consuetam secundum consuetudinem Valentinæ ecclesiæ, per quam instruantur divinum officium uniformiter cum matrice sua ecclesia celebrare. Rectoribus autem ecclesiarum existentium in urbe & horta Valentiæ, ecclesiarum Muri-veteris, Algeziræ, Xativæ, & Gandiæ, spatium sex mensium a die ordinationis hujus numerandorum; aliis autem per diœcesim constitutis unius anni spatium concedimus; infra quæ spatia omnes hanc Consuetam habeant: alioquin quilibet ex tunc solvat operi majoris ecclesiæ decem solidos, duplicandos de mense in mensem, donec Consuetam prædictam habuerint, sicut superius est ordinatum. Idem per omnia dicimus, & sub eadem pœna fieri mandamus, de tractatu septem sacramentorum edito per venerabilem archiepiscopum prædecessorem domini P..... Tarraconensis ecclesiæ in synodo Ilerdensi.

De forma Baptismi.

Item dicimus, quod omnibus sacramentis a clericis & laicis magna exhibeatur reverentia, & ab ipsis sacerdotibus populo prædicetur. Et quod baptismus janua est omnium sacramentorum, mandamus quod cum magna celebretur cautela, maxime in distinctione verborum & prolatione, in quibus tota virtus consistit sacramenti, & salus puerorum. Ista enim verba semper proferre debet sacerdos sine aliqua syncopatione: Petre, vel Joannes, vel Antoni, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Semper nominando puerum vel puellam.

Et presbyteri moneant laicos, quod in necessitate, cum timeatur de morte puerorum, possint pueros baptizare: Petre, vel Antoni, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Hoc idem possunt facere pater, & mater, cum de vita pueri dubi-

ANNO CHRISTI 1255.

bitatur. Et si vixerit puer taliter baptizatus, ad ecclesiam deportetur, & ibi catechumenetur & chrismetur, sed non rebaptizetur: quia suppleri debet caute quod ex necessitate fuerit prætermissum. Nec in aliquo liquore baptizetur, nisi in aqua. Quod si verba prædicta non essent prolata ut superius dictum est, non dicatur aliquis baptizatus. Et si dubitaretur, utrum aliquis esset baptizatus, aut non; baptizetur; sed sacerdos dicat in prolatione verborum sic: Si es baptizatus, non te baptizo; sed si non es baptizatus, Petre, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Quia non debet injuria fieri sacramento. Et pro baptismo aliquid non quæratur; sed si datum fuerit, gratis recipiatur.

Fontes autem cum omni diligentia custodiantur: ad plus de octo in octo diebus aqua ne putrescat renovetur. Et caveat sacerdos ne de aqua sortilegia fiant. Et ultra duo compatres ad levandum puerum de sacro fonte non admittantur, quia matrimonia impediuntur. Et illud presbyteri prædicent populo, quod si maritus levat puerum de sacro fonte, uxor quæ est in domo est commater, & e converso. Illud autem non est prætermittendum, quod quando laici in necessitate baptizant pueros, sacerdos debet quærere diligenter, qualiter laicus dixerit verba; & si dixerit, seu invenerit, ut superius dictum est; bene quidem: sin autem, baptizet: vel si mortuum fuerit corpus, quod baptizatum non reperietur, nullatenus tradatur ecclesiasticæ sepulturæ.

Chrisma vero & oleum infirmorum, & oleum cathecumenorum sub fideli custodia teneantur, ne possint a malivolis usurpari. Et quod semper quolibet anno in sancto die Jovis sanctum Chrisma & oleum a solis episcopis benedicantur, dicimus quod [a] ultra die alia Chrisma vetus & oleum penitus refutentur, & ponantur in lampade, vel in aqua currenti ampullæ laventur, & novum Chrisma & oleum apportetur. Et in vigilia Paschæ & Pentecostes, in qualibet parochiali ecclesia generalis baptismus, si baptizandi fuerint pueri, celebretur, & mittantur personæ honestæ pro Chrismate.

[a] *Pro.* ultra illam.

De Confirmatione.

De Confirmatione in fronte, quando fit ab episcopis, præcipimus quod sacerdotes moneant populum ad confirmationem, quod post baptismum debet confirmationis suscipere sacramentum. Adulti & magni confirmandi confiteantur, & postea confirmentur; quia in sacramento confirmationis confertur robur & gratia ut debilitetur penitus inimicus. Et dicatur laicis, quod non expectent diu ad confirmandum adventum episcopi: sed ducantur pueri ad eum, vel vadant ubi adesse audierint prope: & quod possint mutare nomina in confirmatione.

Et est sciendum, quod soli episcopi possunt confirmare, consecrare virgines, ecclesias dedicare, clericos ordinare, cruces, vestimenta, calices, corporalia benedicere, & litteras ordinationis dare, indulgentias facere, secundum canonica instituta. Illud autem sciendum est, quod sacramenta Baptismi & Confirmationis nunquam iterantur. Etiam si baptizatus & confirmatus faceret se Judæum vel Sarracenum, & postea vellet redire ad fidem catholicam, non baptizaretur nec confirmaretur; quia sufficit contritio in hac parte, cum reconciliatione episcopi.

ANNO CHRISTI 1255.

De Confessione.

Item quia pœnitentia est secunda tabula post naufragium; præcipimus quod sacerdotes moneant populum, quod si aliquis deliqueret mortaliter, recipiat pœnitentiam a proprio sacerdote, seu confessore, vel a Prædicatoribus, vel [a] majoribus, quibus data est licentia audiendi confessiones. Et circa confessionem maximam curam habeant & cautelam, sic ut diligenter inquirant peccata usitata sigillatim: inusitata vero nonnisi a longe per circumstantiam aliquam; sic tamen, ut expertis detur materia confitendi. Et sacerdotes quum debent audire confessiones, locum sibi in ecclesia eligant convenientem, ut communiter ab omnibus videantur; extra ecclesiam vero nullus audiat confessiones, nisi in necessitate magna aut infirmitate. Præterea sacerdotes semper in confessione audienda vultum habeant humilem, & oculos ad terram, nec facies respiciant confitentium, maxime mulierum, causa debitæ honestatis; & patienter audiant quæ dixerint, in spiritu lenitatis eis compatiendo. Nec admirentur de commissis, quantumcumque turpibus, sed eis pro posse suo persuadeant, & pluribus modis, ut confiteantur integre; aliter dicant eis nihil valere ad vitam æternam.

[a] *Pro*, Minoribus.

Audita autem confessione, semper confessor interroget confitentem si velit abstinere a peccato omni; aliter enim non absolvat, nec pœnitentiam injungat, nec deinde contingat. Moneat tamen ut interim agat quidquid boni poterit. Si non proponat confitens de cetero non peccare, non est ei pœnitentia injungenda. Et in injungendis pœnitentiis caveant sacerdotes, quod secundum qualitatem culpæ, & possibilitatem confitentium, eis injungant, quia secundum qualitatem culpæ debet esse quantitas pœnitentiæ. Alioquin quando minus est, requiretur ab eis, quia facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi. Debent enim injungere jejunium, eleemosynas, venias, orationes, peregrinationes, & hujusmodi; & moneantur quod jejunent Adventum, & Quadragesimam, & dies Veneris & sabbatis non comedant carnes, nisi in infirmitate constituti. Statuta jejunia observent, & festivitates colendas colant, decimas & primitias donent, & ad ecclesiam libenter veniant, & jura dominis suis integre persolvant: aliter graviter peccarent. Et sic paulatim ad id quod facere debent inducantur.

Item dicimus sacerdotibus, quod majora peccata reservent majoribus ac discretioribus in confessione, sicut homicidia, sacrilegia, peccatum contra naturam, incestus, stupra monialium, vota fracta, injectiones manuum in parentes, & hujusmodi. Proviso tamen, quod si peccata enormia fuerint publica, transmittant hujusmodi pœnitentes Pœnitentiario episcopi, & in die Cineris ab ecclesia expellantur, & in die sancto Jovis introducantur, secundum quod in ecclesiis cathedralibus dignoscitur observari. Item incendiarios, verberatores clericorum, vel religiosorum, vel simoniacos, & qui portant arma Sarracenis, hæreticos, credentes, fautores, receptores, & defensores eorum & fractores ecclesiarum, omnes episcopo transmittantur. In dubiis tamen sacerdos semper consulat episcopum, & viros sapientes, quorum

rum consilio certificati solvant securius, ut licet. ANNO CHRISTI 1255.

Item de furto, usura, rapina, fraude, sibi caveant sacerdotes, nec pœnitentiam injungant, nisi prius restituant quibus debent; quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Nec sacerdos aliquis Missas quas injunxit celebrandas, celebret; cum non sit debitæ honestatis, quod pro illis trentenaria vel annualia celebrentur. In confessione sibi caveant sacerdotes, ne requirant nomina personarum cum quibus peccaverunt confitentes; sed circumstantias tantummodo & qualitates. Et nullus sacerdos, ira, odio, vel metu mortis in aliquo audeat revelare confessionem generaliter: quod si fecerit, deponatur. Item, quando sacerdos audit confessionem infirmi, sibi pœnitentiam innotescat, non injungat, nisi in peccato restitutionis: sed dicat ei, quod cum sanus fuerit ad ipsum revertatur; si vero objerit, roget Deum pro eodem; ne sibi paretur laqueus transmigranti.

De Extrema-unctione.

Quia extrema Unctio quæ datur extremis laborantibus nihil in ecclesiis servabatur; dicimus quod de cetero omnibus in ægritudine constitutis tradatur a sacerdotibus, & in ecclesiis publice prædicetur; & in sancto die Jovis quilibet sacerdos parochialis mittat pro oleo infirmorum, catechumenorum, & Chrismate sancto, tres ampullas: & cum omni magno honore & reverentia sanctum oleum ad infirmos deferatur, & eos ungat sacerdos cum magno honore, & orationum celebritate, quæ ad hoc sunt institutæ; & nihil inde penitus exigatur sive a paupere, sive a divite: sed si quid gratis datum fuerit, accipiatur.

Illud tamen notandum est, quod istud sacramentum tantum præstatur adultis, & sicut pœnitentia iteratur, ita & istud sacramentum. Nec obligat aliquem, quoniam si convaluerit post unctionem, non debeat accedere ad uxorem. Item mandamus, quod sacerdotes parochiales omnes habeant librum, in quo contineatur ordo extremæ Unctionis, cathechismi, baptismi, & hujus qui dicitur *Manualis*, sive *Ordinarium officiorum* ecclesiæ, secundum modum qui observatur in ecclesia majori.

De corpore Jesu Christi.

Quia Corpus Christi consuevit dari infirmis, dicimus, quod cum magna reverentia deferatur, cum lumine & campanella, & sacerdos qui portaverit, induat superpelliceum & stolam, & det infirmo: & si forte infirmus faciat vomitum, recognoscat Corpus, & non det ei; & cum revertitur ad ecclesiam non pulsetur campanella, nisi Corpus portetur. Et moneant populum sacerdotes, quod cum viderint Corpus, vel audierint campanellam, omnes inclinent capita, vel genua flectant, ob reverentiam Jesu Christi. Nec presbyteri permittant diaconos deferre Corpus Christi, nisi in necessitate, cum absens fuerit sacerdos. Sed semper sacerdotes deferant cum magna reverentia & maturitate in calice, vel in pyxide, multum honeste. Et dicant septem Psalmos Pœnitentiales cum litania pro infirmo, eundo & redeundo, & alias orationes secrete: sic enim debitum solvat pro infirmo.

Item dicimus, quod honor maxime exhibeatur altaribus, & maxime ubi Corpus Christi reservatur, & Missa celebratur: & in media parte altaris cum summa diligentia & honestate sub clave, si fieri potest, Corpus Christi custodiatur. Item nulli clerico permittatur servire altari, nisi cum superpelliceo, aut cappa rotunda. Nec aliquis ausus sit bis in die Missam celebrare, nisi ex magna necessitate, & tunc non recipiat in prima Missa post communionem vinum. Item dicimus, quod nec aliquis præsumat Missam celebrare, nisi prius matutinas dixerit canonicas & Primam [a] aliqua necessitate. Et linteamina altaris & indumenta sacerdotalia sæpe abluantur ob reverentiam Jesu Christi, & totius curiæ cœlestis, quæ cum eo præsens est quotiescumque Missa celebratur: calices, & unde infirmi communicant decenter & munde custodiantur, ut devotius, communicent infirmi; ampullæ quoque vini & aquæ in ministerio altaris mundæ & integræ habeantur, & una ab altera cognoscatur. ANNO CHRISTI 1255.

[a] *Forte*, absque necessitate.

Item prohibemus, ne sacerdotes habeant secum prolem ad servitium altaris propter scandalum; ac de octo in octo diebus renovetur Corpus Christi, ne sui vetustate aliqui ab ejus devotione removeantur. Et si ecclesia fuerit interdicta, sacerdos secreto clausis januis celebret, & renovet eucharistiam; & quod superfluum invenerit, cum summa diligentia recipiat. Item dicimus, quod in primo *Memento* de sacra sacerdotes habeant memoriam pro benefactoribus vivis. Et in secundo pro mortuis. Et cum inceperint *Qui pridie*, non statim elevent manus alte, sed ante pectus teneant donec dixerint: *Hoc Corpus meum:* & tunc elevent caute, ita ut possit videri ab omnibus, quia tunc est ibi Corpus Christi; & prædicetur populo quod tunc omnes flectant genua, & adorent Corpus. Et licet totum canonem debeant dicere cum diligentia & maturitate; ab illo loco; *Qui pridie*, usque, *Supra quæ propitio*, cum majori devotione & sollicitudine præcipimus observari: quia omnia illa verba vere sunt in substantiam sacramenti.

Item dicimus, quod vinum rubeum potius quam album ministretur in calice propter aquæ similitudinem; & purum, & bonum, & non ineptum, propter reverentiam Jesu Christi. Item corporalia munda & nitida teneantur, ad modum vel morem Cistercienſium, fiant de cetero, ac etiam incidantur. Et si quid de sanguine Domini ceciderit super corporale, rescindendum est ipsum corporale, & in loco Reliquiarum honorifice reservandum. Si super pallas, casulas, vel vestimentum; abluatur in aqua, & partes illæ comburantur, & cinis in sacrario reponatur. Et si musca, vel aranea casu contigente super calicem ceciderit: si viva fuerit vel mortua, caute extrahatur & comburatur, & cinis in sacrario reponatur. Si autem infirmus recepto corpore vomitum fecerit, in vase aliquo reponatur, seu recipiatur; vel si vas haberi non poterit, & in terra vomitum fecerit; locus radatur, & totum in aqua projiciatur.

Tamen caveant sacerdotes quum dant Corpus, quod quærant utrum infirmus consueverit vomitum facere, & servet quod superius dictum est. Et etiam moneat, quod si contigerit infirmum vomitum facere, in vase recipiatur. Item dicimus, quod Corpus Christi non tradatur istis qui suspenduntur, vel debent ju-

sti-

ANNO CHRISTI 1255. o impu-

ſtitiari niſi * impunitos permittantur, uſque ad quatuor dies poſt ſumptionem ſacramenti, ob ſcandalum laicorum; ſed ſi adorare voluerint, adorent, & recognoſcant. Tradi autem poſſunt eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſi fuerit de Principis voluntate. Miſſam vero ultra meridiem nullus cantet, niſi in vigilia Paſchæ; nec de nocte, niſi in Nativitate.

Quod matrimonia cum honore celebrentur. Et ne fiant clandeſtina matrimonia. Et alia circa matrimonia.

Item quia matrimonium eſt apud omnes gentes, dicimus, quod cum honore & reverentia celebretur in facie eccleſiæ, non in riſu vel joco, ne contemnatur. Et per octo dies ante dicat ſacerdos in eccleſia ſub pœna excommunicationis, quod talis vult ducere talem in uxorem. Et ſi ſciunt impedimentum conſanguinitatis, vel adulterii, vel affinitatis carnalis vel ſpiritualis, veniant coram eo: alias peccarent mortaliter, & non audirentur, niſi infra illos octo dies dixerint quæ ſciunt. Et ſacerdotes quærant ad oſtium eccleſiæ ſi eſt aliquis qui ſciat impedimentum: & ſi dicatur non, deſponſet eos per verba de præſenti, recipiendo annulum primo in manu viri, & dicat: Ego Petrus duco te, ſeu recipio te Bertam in uxorem, & trado me ipſum tibi in legalem virum. Et ponat ita annulum in quarto digito mulieris, dicendo ſic: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Eodem modo faciat uxor ut dictum de marito, & ſic eſt matrimonium conſummatum.

Prohibeant ſacerdotes ne fiant clandeſtina matrimonia, nec dent ſibi ad invicem fidem de contrahendo matrimonio, niſi coram ſacerdote, & coram pluribus hominibus: quia ex hoc multa mala conſueverunt evenire. Item dicimus ſub pœna excommunicationis, ne ſortilegia fiant, nec maleficia, nec ligationes, quæ fiunt per maleficas mulieres: & qui ſciunt impedimenta matrimonii, dicant ſicut eſt, votum, ordinem, conſanguinitatem, affinitatem, diſparem cultum, compaternitatem, vel hujuſmodi: nec in caſu dubio ſacerdotes audeant perficere matrimonium epiſcopo inconſulto; ſed ad eum ſemper referant omnes matrimonii quæſtiones.

Item præcipimus ſacerdotibus, ne aliquid exigant ante benedictionem nuptialem, nec ante ſepulturam, ſive pro matrimonio celebrando; ſed celebratis nuptiis exigant fercula ſua, ſi neceſſe fuerit, vel mortuarium, quia poſt licite facere poſſunt, conſuetudine tolerante. Item mandamus, quod aliquis conjugum non intret religionem, vel recipiatur, epiſcopo inconſulto. Item præcipimus ſacerdotibus, ut cum aliquis confitetur eis ſe fidem dediſſe alicui mulieri de matrimonio contrahendo cum ea, & poſt fidem datam cognovit eam, non dent ei licentiam contrahendi cum alia; quoniam ſequens carnalis copula cum illa cui fidem dederat, matrimonium conſummavit. Nec interſint clandeſtinis matrimoniis, niſi in multorum præſentia: quia qui male agit odit lucem.

Item mandamus ſacerdotibus, ne faciant nuptias ab Adventu Domini uſque ad feſtum Sancti Hilarii, & tunc faciant uſque ad Dominicam Septuageſimæ. Et ex tunc ceſſent uſque ad Dominicam de *Quaſi modo*. Et ex tunc uſque ad Dominicam de *Voce jucunditatis*, inclusive, quæ præcedit feſtum Aſcenſionis: & tunc ceſſent continue per tres ſeptimanas uſque ad Dominicam de Trinitate. Et ex tunc celebrent nuptias uſque ad Dominicam de Adventu. Hoc proviſo, quod prima Dominica Adventus, quæ inducit prohibitionem, intelligatur prohibita, & feſtum ſancti Hilarii, quod inducit permiſſionem, conceſſa intelligatur, & ſic de aliis. Item præcipimus, quod mulieres votum non faciant, niſi cum magna deliberatione animi, & cum virorum aſſenſu & conſilio ſacerdotum.

ANNO CHRISTI 1255.

De Clericis ordinandis.

Item quia in ordinibus recipiendis, multa veniunt pericula, mandamus quod quarta feria quatuor Temporum omnes ordinandi archidiaconibus ſe repræſentent, ut tam de vita, quam de moribus, quam de ſcientia, poſſit fieri ſcrutinium diligenter. Utrum cantent, vel legant, vel loqui ſciant Latinis verbis, ſic quod cum diligentia ſint examinati & probati die Veneris, & qualiter in domo Domini debeant converſari. Et præcipimus, quod ad ordines ſuſcipiendos, & ad ſynodum honeſte veniant, tam in veſtibus quam in coronis, nec aliquid dent vel promittant archidiaconibus, vel eorum clericis, vel epiſcopo, vel clericis epiſcopi, ut ordinentur, quia ſimoniacum eſſet.

Item aliquis non recipiat ordines, niſi fuerit nomen ejus ſcriptum in matricula archidiaconorum, vel cum ſcientia ipſorum, quia excommunicatus eſſet. Item dicimus archidiaconibus, ne præſentent clericos aliorum epiſcopatuum ſine litteris epiſcoporum propriorum, quas tradant epiſcopo, cum ſigillo pendenti: & nomina omnium clericorum qui fuerint ordinandi, tradantur epiſcopo, & apud ipſum in matricula reponantur. Item dicimus, quod religioſæ perſonæ, quæ habitum portant aliorum epiſcopatuum, vel noſtri, non ſe præſentent ſine litteris ſui majoris.

Item dicimus, quod nullus præſentetur ad quartum gradum, niſi loqui ſciat Latinis verbis; & ut poſſint habere doctorum copiam, ſtatutum eſt, quod ſemper in cathedralibus eccleſiis detur portio magiſtro Grammaticæ. Item dicimus, quod nullus ſacerdos habeat in domo ſua aliqua occaſione mulierem, niſi ſit mater, vel ſoror, aut eſſet perſona de qua nulla ſuſpicio poſſit haberi. Item dicimus clericis habentibus eccleſias, quod portionarios non ponant in eccleſiis interdictum eſt epiſcopo inconſulto, nec aliquis clericus ſit auſus recipere decimas; niſi per epiſcopum. Item dicimus, quod nullus faciat pactum aliquod patronis ſuper facto eccleſiarum antequam ſit epiſcopo præſentatus: nec admittatur aliquis ad prædicandum, niſi fuerit authentica perſona, vel ab epiſcopo vel archidiacono ſit miſſus.

Quod exhortari debet populus ad dicendum orationem Dominicam, & ſymbolum. Prohibetur ludus ad taxillos. Et de vigiliis, & exceſſibus, qui ibi fiunt, & de moribus.

Exhortamur ut ſæpe presbyteri moneant populum ad dicendum orationem Dominicam, & *Credo in Deum*, & beatæ Virginis ſalutationem, & quod doceant filios orationem Dominicam, & *Credo in Deum*, & ſalutationes bea-

ANNO CHRISTI 1255.

beatæ Mariæ: & in aliqua parte ſermonis aliquando exponant populo ſymbolum fidei, & eis diligenter diſtinguant articulos fidei, & confirment auctoritatibus & rationibus ſacræ ſcripturæ pro poſſe & ſcientia ſua, propter laicos inſtruendos, & hæreticos & [a] corruptos fidei confundendos. Item prohibemus univerſis clericis ludere cum taxillis, intereſſe ſpectaculis, vel choreis mulierum, intrare tabernas cauſſa potandi, vel ſine ſocio intrare domos mulierum ſuſpectarum, aut diſcurrere per vicos & plateas, & ire quotidie ad mercata quum non ſubeſt cauſſa: nec ſuſpenſioni latronum, nec combuſtioni etiam aliquorum, vel ſanguinis effuſioni interſint.

a *Pro* correptores.

Item moneant populum, quod illi qui veniunt ad vigilias eccleſiarum, caute & honeſte ſe habeant, nec permittant choreas facere in eccleſiis vel cœmeteriis. Nec in eccleſiis fiant conjurationes aquæ ferventis, vel ferri candentis, vel aquæ frigidæ conjuratæ, quia omnia iſta ſuperſtitioſa ſunt penitus, & contra Deum. Item nullus clericus fidejubeat Judæo, vel fœneratori, vel obliget calicem, vel veſtimenta, vel pallas altaris Judæis, vel libros. Item mandamus clericis, quod immobilia non alienent aliquo caſu epiſcopo inconſulto, & faciant inventarium de omnibus poſſeſſionibus eccleſiæ, & ſcribant omnia in Miſſali; ut cum epiſcopus, vel Ordinarius, alias archidiaconus, videre voluerint, meliorata inveniant. Nec aliquis faciant mutuum ſuper eccleſias epiſcopo inconſulto; quia ſatis eſt quod clerici habeant reditus eccleſiarum, & non obligent ſine cauſſa, quam epiſcopus debet ſcire.

Item mandamus ſacerdotibus vel habentibus curam, quod nullus renunciet niſi in manu epiſcopi. Et cum venerint ad ſynodum, perquirant parochias: & viſitent infirmos, & dent pœnitentias; eiſdem exponendo qualiter tenentur ire ad ſynodum, & ſi interim morerentur, ſine pœnitentia non decedant. A qua ſynodo cum venerint, non requiſiti viſitent infirmos, & faciant quod ſaluti animarum noverint expedire. Item mandamus, quod quæſtores, [b] quantumque portent litteras domini Papæ, vel archiepiſcopi, vel aliorum epiſcoporum, non admittantur ad prædicationem, niſi expreſſas litteras habuerint ab epiſcopo; ſed ipſi ſacerdotes legant indulgentias, & exponant populo: quia in prædicatione huiſmodi quæſtorum, hæreſim intelleximus prædicari. Quomodo ergo prædicabunt niſi mittantur?

b *Pro* quantumcumque.

Item mandamus, quod fratres Prædicatores [c] minores honorifice a clericis recipiantur. Item præcipimus, quod ſi feſtum fuerit die lunæ, quod habeat jejunium, præcedenti ſabbato jejunetur. Feſtivitates autem ſancti Franciſci, Dominici, ac ſancti Antonii, quas ſanctorum catalogo novimus ſcriptas, feſtivari præcipimus, & novem deinde fieri lectiones. Item præcipimus, quod clerici pannos liſtatos non portent, nec manicas ſutitias, nec ſotulares roſtratos, & maxime presbyteri. Item mandamus, quod in Quadrageſima dicantur ſemper novem lectiones pro defunctis, exceptis feſtivitatibus novem lectionum; diebus aliis feriatis tres, & ad horas beatæ Virginis non ſedeant, nec ad *Magnificat*, nec *Nunc dimittis*, & *Benedictus*, & *Quicumque vult*, & ſemper adſurgant ad *Gloria Patri*. Et ubi plures clerici fuerint, ſemper unus levet pſalmos, & punctatis, ſine ſyncopa legant pſalmos ac lectiones. In feſtivitatibus vero duo cantent *Alleluja* honorifice & decenter, & ſemper cantetur *Gloria in excelſis Deo* in diebus Dominicis & feſtivis: exceptis Dominicis Quadrageſimæ & Adventus. *Credo in unum Deum* nunquam cantetur, niſi in Dominicis diebus, & feſtivitatibus Apoſtolorum, & duplicibus feſtis: cauſſa tamen reverentiæ Dominæ noſtræ in ſabbato cantari poteſt.

c *Lege*, & Minores.

Item mandamus, quod quilibet ſacerdos, cum audierit obitum ſui parochiani, roget Deum pro eo. Et quilibet portet ad ſynodum nomen, ſive nomina clericorum, qui deceſſerunt in anno in ſua parochia, & ibi quilibet abſolvat eos. Proceſſiones autem pro defunctis fiant ſemper diebus lunæ, niſi feſtum occurrerit novem lectionum. Item præcipimus, quod quilibet ſacerdos caute & diligenter inquirat in ſua parochia, quis male vivit; & ſi invenerit eum, corrigat monendo ter vel quater; & niſi reſipuerit, interdicatur; ad majorem pœnam de conſilio epiſcopi nihilominus proceſſurus.

Item mandamus quod Quatuor tempora mandent ſemper jejunari; quorum jejunium eſt primum in adventu, ſecundum in Quadrageſima, tertium in feſtivitate Pentecoſtes, quartum in menſe Septembris; & poſſunt ſciri per hos verſus:

Vult Crux, Lucia, Cinis, & [d] *veriſmata dia,*
Ut det vota pia, quarta ſequens feria.

d Pro *charismata.*

Et jejunet in cibo Quadrageſimali. In diebus autem litaniarum poſſunt comedere caſeum & ova, Aſcenſionis vigilia excepta. Item ſacerdotes moneant populum quod quilibet parochianus addiſcat ſalutationes beatæ Mariæ, *Pater noſter*, & *Credo in Deum*. Iſta mandavit dominus archiepiſcopus Tarraconenſis obſervari in ſynodo per eum celebrata in ſede Barchinonenſi, ſede vacante anno Domini MCCXLI. in die ſancti Lucæ evangeliſtæ.

Quod rectores reſidentiam faciant in ſuis eccleſiis perſonalem.

Item quia cum eccleſiæ diu eſſe non debeant ſine rectoris regimine, ne gregem Dominicum lupus rapax invadat, citamus talem & talem, qui ſine licentia noſtri illicite ſe abſentant, ut infra duos menſes & alii abſentes infra ſex menſes, & aliiqui ſunt præſentes infra duos menſes, ad ſuas eccleſias redeant cauſſa reſidentiam faciendi: alioquin ex tunc ipſis cunctis noverint ſe privatos, niſi forſan coram nobis infra tempus dictum rationabilem cauſſam oſtenderint, quare ibi non poſſint reſidere.

ANNO CHRISTI 1255.

CONSTITUTIONES WALTERI

DE KIRKHAM EPISCOPI DUNELMENSIS,

Anno Dom. MCCLV. vel circiter, editæ.

Ex codice MS. ecclesiæ Dunelmensis edidit collector Anglicanus.

PROLOGUS.

CUM sit ars artium regimen animarum: nulli, sicut credimus, [a] vertitur quin pastores, super jura & custodia gregis Dominici, vigilantes esse debeant: solicite intendentes, quod oves sine luporum morsibus defendantur, & pabula sibi competentia ministrentur. Et nos, ex officii nostri honore & onere tenemur gregem nostrum contra surgentes ex adverso, juxta scientiam nobis datam a Domino defensare, imbres evangelicæ doctrinæ, pro alimentis spiritualibus adhibentes; quibus mediantibus vita & salus subditorum valeat reparari. Nostrorum itaque prædecessorum vestigiis inhærentes, quasdam constitutiones ad salutem subditorum & reparationem multorum in hac sancta synodo vobis duximus publicandas, statutis bonæ memoriæ * Richardi quondam episcopi Dunelmensis, quatenus observata fuerunt, & admissa, in suo robore duraturis.

Hinc incipiunt constitutiones Walteri episcopi Dunelmensis.

CUm igitur decalogi observatione salus animarum consistat, monemus, exhortamur, & præcipimus in Domino, firmiter injungentes, ut unusquisque pastor animarum, ac quilibet sacerdos parochialis, sciat decalogum, hoc est decem mandata legis Mosaicæ, quæ populo sibi credito frequenter ac diligenter exponat.

Insuper sciat quæ sunt septem criminalia; quæ non solum verbo, sed exemplo sanctæ conversationis similiter populo sibi subjecto prædicet sæpius fugienda.

Sciat quoque saltem similiter septem ecclesiastica sacramenta, & eorum effectus, quæ diligenter exponat populo quoties fuerit opus.

Hi etiam qui sunt sacerdotes, maxime sciant quæ exiguntur ad veræ confessionis formam; sacramentum, formamque baptizandi diligenter attendant: atque solemnibus diebus & Dominicis doceant fideles laicos ipsam in communi idiomate & vulgari, & cum necessitas ingruerit, sciant laici, qualiter baptizandi sint parvuli, in domibus eorum, non expectato ecclesiæ sacerdote.

Habeat quoque unusquisque eorum simplicem intellectum fidei, sicut in symbolo, tam majori quam minori, quod est in Psalmo, *Quicumque vult*, & etiam *Credo in Deum*, expressius continentur; necnon in oratione Dominica quæ dicitur *Pater noster*, ac salutatione beatæ Mariæ: & qualiter se debeant crucis caractere insignire: ne cum laici super hoc requisiti fuerint, se confincte valeant excusare, occasione negligentiæ sacerdotum.

Super quibus omnibus & singulis, saltem in Quadragesima fideles laici in foro pœnitentiæ A requirantur. In singulis autem decanatibus aliqui discreti pœnitentiarii eligantur, qui Deum habentes præ oculis, in illo decanatu confessiones audiant sacerdotum.

Ante omnia diligenter attendant sacerdotes, ac omnes alii in sacris ordinibus constituti, si in sacri ordinis susceptione, ante vel post susceptum ordinem, [b] irregulariter contraxerint, nisi cum eis dispensatum fuerit ab eo qui dispensare poterit: quod ab executione sui officii noverint in nostra diœcesi se suspensos, quod hujus synodalis statuti auctoritate duximus publicandum. Et qui sunt casus, in quibus propter injuriam irregularitatis, secundum canones sunt suspensi, diligenter inquirant a juris peritis; inspicientes diligenter, secundum capitulum constitutionum venerabilis patris Richardi quondam episcopi Dunelmensis.

Districte quoque præcipimus archidiaconis & injungimus, quod in capitulis suis generalibus, ac quotiens opus fuerit, sane & simplicibus verbis, catholicæ fidei expositionem in generali concilio promulgatam declarent: & quod ecclesiasticis officiis, ac aliis honestis & bonis studiis se exerceant: Divinum officium debite, distincte, ac reverenter, horis statutis, & locis ad hoc deputatis, sine negligentia exequantur, nec celebrent de aceto aut vino corrupto.

Eucharistia autem, quæ est sacramentum Dominici corporis, in loco mundo & signato, & sub fida custodia honorifice collocetur, devote, sub sera & fideliter conservetur.

Doceat vero sacerdos plebem suam, ut cum in celebratione Missarum sublevetur hostia salutaris, se reverenter inclinet. Idem faciat, cum ipsam hostiam portet presbyter ad infirmos.

Vestimenta altaris, & alia ornamenta ejusdem & ministrorum, decentia, ac vasa munda habeant; & se honeste habeant, & indumentis & habitu exteriori secundum statuta concilii, ne reprehensibiles videantur.

Statuimus & præcipimus, quod cum ferri debeat corpus Christi ad infirmos, hoc faciat reverenter & in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat, & referat, manifeste ante pectus cum omni reverentia & timore, semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ, & cum tintinnabulo; ut ex hoc apud omnes fides augeatur & devotio, sicut in generali concilio continetur.

Caveant insuper sacerdotes, cum omni diligentia, ut in ecclesiis suis sint chrisma, oleum sanctum, & infirmorum & sub fideli custodia, seris adhibitis, conserventur, ne possit ad illa, & etiam ad Eucharistiam, modo simili custoditam, temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Et si per injuriam, ad quem spectat custodia aliquid nefandum inde contigerit, tres mensibus ab officiis suspendatur.

[a] *Forte*, dubitat vertitur. *Hard.*

[b] *Forte*, irregularitatem. *Hard.*

* *Statutis Richardi Dunelmensis, supra statuta juncta nostra ad constitutiones nostras, ad annum 1217.*

ANNO CHRISTI 1255.

Idem de fontibus præcipimus obſervari.

Caveant etiam, ne ſancta Euchariſtia per vaſis vitium aut diutinam conſervationem contrahat humiditatem, aut humorem, unde reddatur aut guſtui abominabilis, aut turpis aſpectu: & inſpiciat ſuper hoc conſtitutionem venerabilis Richardi patris quondam epiſcopi Dunelmenſis.

Sacerdotes autem prompti & paratiſſimi ſint, non ſolum diebus, ſed etiam noctibus, ut ægrotantes, cum requiruntur, viſitent: ne per eorum negligentiam moriatur infirmus ſine confeſſione, & Dominici corporis communione, vel extrema unctione.

Et ut hæc liberius faciant, jubemus, adjurantes per viventem in ſæcula, omnes ſacerdotes, & omnes eccleſiarum miniſtros, maxime in ſacris ordinibus conſtitutos, ut non ſint ebrioſi, aut guloſi, aut exercentes tabernas, ne morte æterna moriantur, juxta [a] regis comminationem ad Aaron a Domino in Levitico promulgatam, quo dicitur: *Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibas tu, & filii, ne moriamini.*

[a] *Forte* Legis. *H.*

Levit. 10.

Adjicimus etiam, ne viri eccleſiaſtici negotiationes exerceant, nec aliquid vendant ad uſuram: ſed juxta evangelicam doctrinam mutuum dent, nihil inde ſperantes. Et quia fide dignorum relatione ad aures noſtras pervenit, quod uſuraria venditio in noſtra diœceſi tam in clero quam in populo quaſi communis morbus irrepſit: ſub pœna canonica uſurariis debita, & ſub . . . . . Divini judicis prohibemus, & interdicimus, ut nullius occaſione dilationis de ſolutione facienda quicquam carius vendant, neque dent aut recipiant eccleſias, aut vicarias, aut eccleſiaſtica ædificia ad firmam, niſi in caſibus a jure aut conciliis ſanctorum patrum conceſſis, & interventu licentiæ noſtræ ſpecialis.

[b] *In Anglicana editione, carnis, quod certiſſimum mendum.*

Statuimus etiam, & jubemus, ne quis beneficiatus decimas ſuas, ante tempus quo de ipſis poterit condere teſtamentum, vendat: nec etiam tunc laicis, nec aliquo tempore antequam ſeparentur a ſolo, juxta canonicas ſanctiones.

Interdicimus etiam inſuper, ne quis viris religioſis quibuſcunque ſolvat indebitas penſiones, aut minus canonice impoſitas: debitas vero & canonicas ſolvi jubemus. De quarum vero impoſitione canonica ratione prævia dubitatur, ipſas ſequeſtrari decernimus, & in æde ſacra deponi, donec de ipſarum impoſitione canonica plenius cognoſcatur.

Ad hæc præcipimus, ut qui in aliqua eccleſia adeptus fuerit perſonatum, in ſubdiaconatum ordinetur.

Qui vero ad vicariam, ſecundum legitima inſtituta promoveatur ad ordinem ſacerdotii, & perſonaliter reſideat in eadem, ſi canonicam voluerit effugere ultionem. Ut autem in eccleſiis, religioſorum propriis uſibus deputatis, ſecundum ſtatuta Lateranenſis concilii, vicarii ordinentur: præcipimus, & injungimus, ut vicarios in ſuis eccleſiis, in quibus nondum ſunt vicarii conſtituti, nobis perſonas idoneas repræſentent, qui in ipſis in ordine quod cura requirit, velint & valeant reſidere. Alioquin taxatis juxta eccleſiarum facultates, vicariis ad diſponendum de ..... quatenus jura permiſerint, diſponente Domino, procedemus.

Statuimus deſuper, ut diligenter inquirant archidiaconi in ſuis viſitationibus, quæ eccleſiæ A ſunt dedicatæ, & quæ non, & quæ dos in eccleſiæ dedicatione ſit aſſignata. Inſuper quæ altaria fuerunt conſecrata; & ſi conſecrata, ſint crucis charactere ſigillata: firmiter injungentes, ne colores ſuper ea violentur aliquid, aut uſus profanos alios quoslibet deputentur.

ANNO CHRISTI 1255.

Locus corruptus.

Panni etiam chriſmales in uſus ſæculares nullatenus convertantur, cum ſacro fonte renati munditiam ſignificent, qua ablutus eſt parvulus a peccatis: in cujus candore vita æterna, & futura reſurrectio figuratur.

Nec uni parvulo propter neceſſitatem aut pauperiem pannus aliquis deputetur per avaritiam, aut incuriam ſacerdotis.

Exhortantes etiam præcipimus, ut beneficiati, & infra ſacros ordines conſtituti, vitium luxuriæ, omnem voluptatem, carnis immunditiam fugiant, ſervantes continentiæ puritatem. Nulluſque eorum uxorem ducat: & ſi, antequam ſacros ordines ſuſcepit, uxorem duxerit, ſeu poſtea, ſi beneficium habeat, ipſo privetur, & ab executione ſui officii ſuſpendatur, niſi in caſu a jure conceſſo.

Solenniter renovantes ſacrorum canonum conſtitutiones, quibus cavetur, quod ſacerdotes & rectores, cum filiabus ſpiritualibus luxuriantes, beneficiis priventur, & executione ſui officii ſuſpendantur.

Diſtrictius autem inhibemus, ne perſonæ eccleſiarum, aut vicarii ſeu ſacerdotes, aut etiam clerici, maxime in ſacris ordinibus conſtituti, publice fornicarias ſuas habeant, nec in domibus ſuis, vel aliis locis ſuſpectis, de quibus ſiniſtra ſuſpicio oriatur. Quod ſi facere præſumſerint, canonicæ ſubjaceant ultioni, prout ordinarii eorum melius viderint expedire. Presbyteri vero, & alii eccleſiaſtici, qui [b] hujus macula reſperſi fuerint, a Divinis ſuſpendantur officiis, donec per ordinarios locorum ad emendam venerint competentem. Hanc autem diſtrictionem non tantum de ſacerdotibus parochiam habentibus, ſed etiam de quibuſcumque capellanis præcipimus obſervari, cum omnes pari voto continentiæ ſint aſtricti. Concubinæ prædictorum presbyterorum, ſeu clericorum, ſi quæ deprehendantur, vel publice convincantur, niſi monitæ reſipuerint, nominatim excommunicentur uſque ad condignam venerint emendam. Si quæ autem, excommunicationis ſententia contempta, in peccato tam fœtidiſſimo perſeveraverint animo indurato, in vita etiam communione careant fidelium; & ſi deceſſerint, denegetur eis eccleſiaſtica ſepultura. Nec quiſquam excommunicatas ſcienter & prudenter concubinas clericorum, niſi forte tranſitum facientes, hoſpicio ſuſcipiat: & tunc cautius provideatur, ne cum ſuis fornicatoribus hoſpitentur.

[b] *Pro*, hujuſmodi

Quod ſi rectores dictarum eccleſiarum in quibus miniſtrant præfati capellani, decanis officialibus, aut archidiaconis non denunciaverint, antequam per inquiſitionem ſuam, vel famam, ad eorum notitiam pervenerint, ſed auſu temerario prædictas perſonas retinuerint, aut ſuſtinuerint, quacunque occaſione in eorum obſequiis: pœnam expreſſam in conſtitutione bonæ memoriæ Richardi quondam Dunelm. epiſcopi ſe noverint incurſuros. Et cum non ſolum a malo, ſed ab omni ſpecie mali fuerit abſtinendum: firmiter etiam inhibemus, ne clerici cujuslibet ordinis, monialium monaſteria, ſine rationabili cauſa frequentent.

De ..... autem parochianorum ſuorum, tam

tam sacerdotes quam rectores diligenter inquirant: & quæ sine denunciatione evangelica corrigere non poterunt, decanis, locorum officialibus, vel archidiaconis, sine mora referant corrigenda. Et ad hoc fideliter faciendum, sacerdotes qui in ecclesiis sunt præfecti, sacramento arctius astringantur, quod nec propter amorem, nec favorem, nec aliquid aliud, id omittant. Ad singula etiam capitula decanorum suorum, vel archidiaconorum suorum, vel officialium suorum, rectores, vicarii, vel eorum capellani, compareant: qui ibidem prædictos excessus ostendant, & aliis quæ in capitulis tractabuntur intersint.

Statuimus etiam & volumus quod si aliqua ecclesia, ab antiquis temporibus divisa, & aliis temporibus habuerit duos capellanos, duos diaconos & subdiaconos; & postea quacumque occasione, eadem ecclesia fuerit consolidata, vel redintegrata, quod cultus Divinus, prætextu consolidationis præmissæ diminutionem minime patiatur, sed rector * numero capellanos, capellos, & alios ecclesiæ ministros, quot ecclesia prius divisa necesse habuit sustinere.

De capellis vero sic disponimus ordinandis: quod in eisdem, de novo constructis, non celebretur sine authoritate episcopi speciali. Quod si eo inconsulto constructæ fuerint, aut in ipsis ausu temerario celebratum: per archidiaconum in suis visitationibus hoc comperto, cantaria sine moræ dispendio suspendatur, quousque super hoc per episcopum gratiam meruerint specialem sine juris præjudicio alieni. Hoc idem decrevimus in capellis ab antiquo constitutis, quæ non sunt episcopali munimine roboratæ: prohibentes, ne aliquid de novo, sine nostra licentia construatur, quam in casibus a jure concessis. Volumus etiam & ordinamus, quod cum capellæ plures sitæ sint in parochiis, propter parochiarum amplitudinem, diligenter & arctius inquirant de prædictis: & sacramento simili astringantur, quod excessus subditorum, sine aliqua fraude vel scrupulo demonstrabunt, & in capellis compareant, quotiens opus fuerit authoritate.

Injungimus etiam, quod sacerdotes in ecclesiis aut capellis qualitercumque celebrantes, quod ad minus bis in anno in generalibus capitulis, coram archidiaconis suis aut eorum officialibus compareant, quod * ab ipsis promovenda fuerint audituri.

Hujus etiam synodalis congregationis constitutione sancimus, ut sacerdotes qualitercumque celebrantes harigolis aut capis manicatis in locis publicis non utantur; sed, juxta tenorem concilii, in decenti habitu incedant in publico, ut tenentur.

Statuimus etiam, ut ordinati non a suis episcopis, vel alias minus idonei, vel de quorum ordinibus ignoratur, in nostra diœcesi, sine legitimis documentis nullatenus admittantur; & de quorum prius constiterit ordinatione canonica, & conversatione, & ceteris conditionibus personarum. Quare volumus & præcipimus, ut rectores, & vicarii ecclesiarum, presbyteros suos, suis ecclesiis qui postponere voluerunt, locorum archidiaconibus, vel eorum officialibus repræsentent: ut per eos diligenter examinati, si idonei inventi fuerint ad deserviendum ecclesias, admittantur; ut eis dispendia necessaria ministrentur juxta constitutiones prædecessorum nostrorum alias promulgatas.

Rectores etiam ecclesiarum & vicarii, quorum interest, attente provideant, ut quantum ad eos pertinet, fabricis ecclesiarum suarum, necnon & ædificiis ecclesiæ mansionum, in his quæ reparatione indigent, sine difficultate aut mora aliqua reparentur: librorum & ornamentorum defectibus, ac quorumcumque aliorum & eadem forma reparatis.

Firmiter etiam inhibemus, ne beneficiati, vel ad ordines sacros promoti, ballivis intendant sæcularibus, unde & pro quibus obligantur reddere rationes.

Item ne quis rector aut vicarius, inter stipendia sacerdotibus assignata, denarios missales, triennalia, aut annalia ex pacto suo deputet sacerdoti: sed sicut prædictum est, ipsis honesta sustentatio assignetur, ne compellantur sacerdotes lucris turpibus inhiare, aut inter sæculares in susceptι ordinis ignominiam mendicare.

Præcipimus etiam, & interdicimus, sub pœna anathematis, ne quis die paschæ, aut quovis altero quo communicandum est, eadem hora offerat & communicet, sed diversis: & ne cuiquam Dominicis diebus propter debitum pecuniarum, communio, aut aliqua alia sacramenta, vel ipsa sepultura per importunam creditoris instantiam denegentur, nisi forte juxta juris exigentiam, pro hoc fuerit prius excommunicationis sententia innodatus. Et per hanc constitutionem nostram, contra laudabilem & approbatam diœcesis consuetudinem nostram * & legitimam, nolumus ecclesiarum rectoribus, vel aliis ecclesiarum prælatis derogare.

Adjicimus etiam & hortamur, præcipientes, ut mimis, joculatoribus, taxillorum ludis aut aleis, non intendant, aut ludentibus assideant, vanitatibus ex frequentia intendentes, secundum canonum sanctiones.

Monemus insuper, præcipientes, ne clerici arma portent, præsertim aggressionis, nisi forsan arma . . . . . ingruente, & causa rationabili compellente; ita ut ex hac occasionem delinquendi, vel audaciam non assumant.

Ad hoc autem interdicimus, ne sacerdotes a laicis pecuniam extorqueant pro pœnitentia injungenda, seu quibuslibet sacramentis a sacerdotibus laicis dispensandis.

Nec pœnitentias injungant furibus, latronibus, raptoribus, prædonibus, incendiariis, alios exheredantibus, & his similibus, nisi prius facta restitutione, dum tamen taliter delinquentibus ad id faciendum suppetant facultates; cum non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum: dum tamen ipsi, contra quos commissum fuerit, superstites sint, aut eorum hæredes: alioquin rapta, per malitiam adquisita, in usus pauperum per ordinarium deputentur: nihilominus pro commisso contra Deum, injuncta pœnitentia salutari.

Et ne quisquam sacerdos, cœca cupiditate ductus injungat pœnitenti in foro pœnitentiæ annalia aut triennalia, aut consimilia, ut emolumentum consequi valeat in salutis suæ dispendium, & gravamen. Et quia solis sacerdotibus est potestas ligandi & solvendi commissa, prohibemus, ne diaconi confessiones audiant, aut admittant, pœnitentias injungant, quævis sacramenta dispensent, quæ solis sacerdotibus mi-

* for. tot ero

* for. quæ ipsis prævenda

* for. justam & legit.

ANNO CHRISTI 1255.

ministrantur, nisi necessitas urgeat, aut compellat, ut in casu mortis per absentiam sacerdotis.

De residentia vero rectorum cum luce clarius jura loquantur, hoc volumus observari, quod in canonicis constitutionibus & conciliis alias est statutum.

Ad augendum vero Divini cultus obsequium ordinamus & disponimus, ut in singulis ecclesiis, quarum facultates ad hoc sufficiunt, sint diaconi & subdiaconi, sicut decet, * Deum ministrantes. In aliis vero ecclesiis, saltem unus clericus idoneus & honestus, qui in tonsura decenti, & congruo habitu, deserviat sacerdoti, ne ecclesiæ debitis officiis defraudentur: ita quod idem clericus nullatenus uxoratus existat, nec deserviat in altari.

* Pro. Deo. Hard.

Interdicimus & firmiter injungendo ne in sacris locis habeantur mercata, aut diebus Dominicis mercimonia exponantur: cum Dominus de templo ementes & vendentes ejecerit. Injungentes sub pœna canonica, ut cœmeteria in circuitu decenter claudantur, & ut ornamenta & vasa ecclesiæ sub honesta custodia conserventur.

Insuper interdicimus levationes arietum super rotas, & ludos, in quibus decertatur ad bravium exequendum.

Insuper & scotallorum potationes, & ludos in locis sacris quoscumque, arctius prohibemus, prout in patrum & prædecessorum constitutionibus est constitutum.

Moneantur insuper matres parvulorum solemniter die festo, ne parvulos in lectis suis juxta se collocent, suffocatione sæpius contingente.

Clandestina quoque matrimonia, * hæc sæpius in ecclesiis publicentur, & ne quisquam præsumat his contractibus interesse, si pœnam secundum canonem debitam, nec non ad nostrum arbitrium alias infligendam, voluerit evitare. Ideoque singulis Dominicis, ne quis fidem det de matrimonio contrahendo, nisi publice in præsentia sacerdotis, & propter hoc testibus convocatis. Quod si qui inventi fuerint transgressores, canonice puniantur, & omnes illi qui hujusmodi tractatibus clandestinis interesse præsumunt, sint acerba pœna canonica feriendi. Quod quidem jubemus per nostros archidiaconos diligenter & executionem * debite demandari.

* Corr. executioni

Provideant autem rectores, vicarii, & sacerdotes, ne passim laici sedeant & stent in cancello, dum Divina officia celebrentur: nisi forsan patroni, aut alia venerabilis persona ad hoc ob reverentiam omittatur.

Præterea quædam statuta a nostris prædecessoribus, & a domino archiepiscopo promulgata, alia renovantes, cum servata non fuerint, nobis duximus publicanda; sed hæc sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi, seu quilibet religiosi, negotientur lucri causa, maxime cum hoc sit viris ecclesiasticis interdictum.

Item ne vir vel mulier ad bigamiam transiens, a presbytero benedicatur: quia, cum alia vice sint benedicti, benedictio eorum non debet iterari.

Item prohibemus, ne abbates aut alii viri religiosi, passim ante tempus probationis a canone definitum, aliquem ad professionem admittant: & si contra factum fuerit, animadversione debita corrigantur, cum in subsidium humanæ fragilitatis probationis spatium sit regulariter institutum.

ANNO CHRISTI 1255.

Præcipimus etiam ut, si per negligentiam aliquid de sanguine Christi stillaverit super terram, lambatur lingua, tabula radatur super quam stillaverit: si non fuerit tabula, non conculcetur locus, sed radatur & igne consumatur, & cinis intra altare condatur, sacerdos quinque diebus pœniteat. Si autem super altare stillaverit calix, sorbeat stillam minister, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, etiam aliquod stillæ pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat: & linteamina quæ tetigerit stilla, per ministros idoneos tribus vicibus abluantur, calice superposito *, & aqua ablutionis juxta altare cum reverentia recondatur, prout in capitulo Pii papæ expressius continetur.

* Corr. suppositio,

Prudenter vero caveant rectores, vicarii, & sacerdotes parochiales, ne aliquis extraneus ad trahendum numerum in eorum parochiis admittatur, nisi prius ipsis de ejus humilitate legitimis constiterit documentis.

Item cum ecclesiastici pluries periclitentur per insufficientem examinationem & indiscretam quorumdam: volumus & disposuimus, quod in singulis decanatibus sex vel quatuor discretiores, per locorum archidiaconos eligantur, qui examinent testes in singulis causis producendos, & dicta eorum in scriptis redacta, & sub sigillis eorum inclusa, officialibus & decanis, qui parata * erant in capitulis, pro loco & tempore porrigantur. Quod si aliqui prædictorum in capitulis aliquando præsentes non fuerint, alii de ipsis qui præsentes fuerint, in locum eorum, sine difficultate aliqua subrogentur. Et quia Ecclesia Anglicana oppressionibus suarum libertatum in pluribus articulis multipliciter deformatur, quos dissimulare non possumus, sine interventu salutis æternæ: in illos qui hæc attentare præsumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus.

* for. præsentes erunt.

Item excommunicationis sententia innodamus omnes illos, qui pacem regni perturbare, aut libertates ecclesiasticas infringere, seu malitiose ecclesias suo jure privare præsumpserint, aut invadere, aut ad bona ecclesiastica malitiose manus extenderint contra ecclesiasticas libertates.

Item omnes illos qui in ecclesias vel in ecclesiastica beneficia per violentiam, vel malitiose, & ipsa per potentiam laicalem, vel quamvis aliam violentiam, per malitiam contra mandatum nostrum detinent occupata: & præcipue omnes illos, qui libertates ecclesiæ Dunelmensis infringunt vel perturbant.

Item simili censura percellimus omnes incendiarios, ecclesiarum fractores, veneficos & veneficas, ac utentes magicis incantationibus, denunciamus excommunicationis sententia innodatos.

Præterea omnes illos, qui falsum perhibent testimonium, vel procurant perhiberi malitiose; seu exceptiones opponunt, quo minus causa matrimonialis debitum sortiatur.

Item illos quoque omnes, qui tales producunt vel subornant, per quorum dicta aliquis fraudulenter exhæreditatur, vel per malitiam & injuste.

Excommunicamus insuper omnes illos, qui gratia lucri, odii, vel favoris, falsc & malitio-

tioſe alicui crimen imponunt, ut infamato apud bonos & graves purgatio indicatur, vel alio modo gravetur.

Similiter etiam prohibemus, ne quis advocatus noſtræ civitatis vel diœceſeos ad præſtandum patrocinium in cauſis, & in conſiſtoriis, de cetero admittatur, niſi præſtiterit ſacramentum, quod cauſam quam ſciverit injuſtam eſſe, vel probabiliter habita ſeu varia cognitione eſſe talem præſumpſerit, & præcipue in cauſa matrimoniali, tractandam non recipiat.

Iſtas autem ſententias, quater in anno, ſcilicet in majoribus feſtis anni, publice & ſolemniter volumus publicari: injungentes in virtute obedientiæ archidiaconis, officialibus, & decanis, ut promulgationem prædictarum ſententiarum diligenter & fideliter exequantur.

Injungimus etiam archidiaconis noſtris; ut cum omni diligentia in ſuis viſitationibus & capitulis, ſupraſcriptas conſtitutiones omnes & ſingulas faciant inviolabiliter obſervari: negligentes, deſides, aut rebelles ipſarum obſervatione, animadverſione condigna, per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Quod ſi archidiaconi & eorum officiales vel decani, in executione præfatorum negligentes extiterint, vel remiſſi, detenti cupiditatis vitio vel favore: in eorum defectu, ſubditorum deſidiam, aut eorum negligentiam, prout jura permiſerint, puniemus. Volumus etiam, quod archidiaconi has conſtitutiones noſtras in ſuis capitulis faciant evidenter exponi, in ſingulis eccleſiis ipſarum copiam facientes.

ANNO CHRISTI 1255.

CONSTITUTIONES ÆGIDII

ANNO CHRISTI 1256.

Saresbirienſis epiſcopi in ſynodo latæ.

ANNO 1256.

Ex MS. cod. membr. bibliothecæ collegii S. Johannis Cantabrigiæ A. iii. 8. in quarto.

RAtionalis & proprii arbitrii factus homo, & de factoris ſui bonitate poteſtatem aſſumpſit in permanentis vitæ gaudio ſine mortis obſtaculo perſiſtendi; ſi tamen factori ſuo proſperitatis acceptæ non immemor obedientiæ debitum exſolviſſet; ſed dum mandati ejus, qui fecit eum, tranſgreſſor eſſe non timuit, & ignorantiæ & concupiſcentiæ miſeriis juſto Dei judicio in ſe & poſteros ſuos ſententiam mortis & corruptionis excepit. A ſtatu enim completæ perfectionis deficiens, dum eſſe, quod non potuit, & ſcire quod non debuit, infeliciter appetivit, per ea, per quæ peccavit, punitus, de immortali mortale, de ſciente inſcius damnabiliter eſt effectus; ſed cum ruina tam enormis naturali vel ſcripta lege ſeu prophetarum oraculis reparari minime potuiſſet, altiori conſilio, quod ipſe novit, miſſus eſt conſilii angelus de ſinu Patris in ſinum virginis. In virgine ex virgine noſtræ mortalitatis naturam aſſumpſit per operationem Sancti Spiritus conceptus; & cum integritate virginis natus verus Deus, verus homo, mundo per diſcipulos ſuos legem ſalutis annuncians, morte ſua genus redemit humanum, ſolo duntaxat officio pietatis. Porro licet lex evangelica ſufficeret ad fidem & morum inſtructionem populis convertendis, quia tamen poſt converſionem multorum adeo invaluit infidelitas & malitia in converſis, decreverunt apoſtoli & eorum ſucceſſores in ſonitu Spiritus Sancti converſorum ad fidem erroribus & malitiis per canones occurrendis. Ex hoc primum apoſtoli, deinde concilia conſtitutiones canonicas ſuper fide & moribus ediderunt, qualiter videlicet eccleſia Dei reformari debuit in utroque, inter alia ſtatuentes, quod provincialia, epiſcopalia, & ſynodi convenirent; in quibus de reformatione, & reparatione ſtatus eccleſiaſtici communiter & concorditer ageretur, & generalium conciliorum ſtatuta executioni debitæ mandarentur. Nos igitur, qui ex profeſſionis noſtræ debito ad veteris & novi paginam teſtamenti & ſanctorum canonum obſervantiam arctius obligamur, ex curæ paſtoralis officio, & noſtri capituli concilio, invocata Sancti Spiritus gratia, hanc ſanctam & venerabilem ſynodum duximus convocandam. In qua pleraque generalium & provincialium conciliorum ſtatuta; quædam etiam prædeceſſorum noſtrorum, & ex noſtris aliqua pro ſubditorum noſtrorum correctione & reformatione duximus recitanda, prædeceſſorum noſtrorum ſtatutis, quæ per præſentem ſynodum revocata non fuerint, in ſuo robore duraturis.

De reſidentia canonicorum.

Beati Oſmundi prædeceſſoris noſtri circa reſidentiam perſonarum & canonicorum Sarum eccleſiæ pias inſtitutiones, quas pro cultu divini nominis ampliandas, & eccleſiæ Sarum honore, capituli ſui accedente conſenſu, condidit, ac in ſcriptis redegit, per negligentiam ſeu per incuriam non ut & * apertum decuit obſervatas, præſenti ſtatuto duximus innovandas, præcipientes in virtute Spiritus Sancti, & ſub juramenti debito, tam a perſonis quam ab aliis canonicis de eccleſiæ ſtatutis & conſuetudine approbatis obſervandis corporaliter interpoſito, quod omnes & ſinguli tam perſonæ quam canonici Sarum eccleſiæ in ipſa cathedrali eccleſia debitam facere reſidentiam non omittant, niſi cauſa rationabili excuſentur, ſi pœnas contra non reſidentes ſancitas voluerint evitare.

* loco & *apertum* forte *capitulum* legendum.

Cum inter totius orbis eccleſias eccleſia Sarum in divino officio & miniſtris, tanquam ſol in rota claruerit, adeo radios ſuos undique diffundens, defectus ſuppleverit aliarum, ne per miniſtros dignos claritas ſua nobis non curantibus eclipſetur, ſtatuimus, ut nullus de cætero ad officium vicarii in ipſa eccleſia præſentetur, nec aliquatenus admittatur, niſi præter alia merita honeſtatis, quæ in miniſtris hujuſmodi requiruntur, inſtrumentum habeat

ido

idoneum modulandi, & cantus peritiam, sine quibus ecclesiæ gloria, quam ministrorum maculavit indignitas, ad antiquæ laudis præconium minime poterit reparari. ANNO CHRISTI 1256.

De procuratione archidiaconorum.

De archidiaconis quoque statuimus, ut ecclesias utiliter & fideliter visitent de sacris vasis & vestibus, & qualiter diurnis & nocturnis officiis ecclesiæ serviatur, & generaliter de temporalibus & spiritualibus inquirendo, & quæ corrigenda invenerint, corrigant diligenter. Ecclesias autem superfluis non gravent expensis, sed procurationes exigant duntaxat, cum visitant, moderatas.

De eodem.

Clamor validus ad aures nostras ascendit, quem dissimulare non possumus nec debemus, quod licet archidiaconi non nisi procurationem unicam annuatim ab ecclesiis, quas personaliter visitaverint, percipere valeant juxta canonicas sanctiones, ad aliud genus extorquendi victualia, ne dicamus, ut suis propriis parcant, se transferunt, dum a subditis suis ante vel post receptam procurationem debitam, hospitium postulant sub specie charitatis. Et cum timore ac pudore urgentibus postulati repellere nequeant, vel non audeant postulantes, per expensas indebitas plus forsitan quam per debitas prægraventur. Quia vero divini plenum est animadversione judicii, tales impietates, quæ sub pietatis pallio obumbrantur, & tale genus charitatis, quæ non ædificat & plantat, sed destruit & disperdit, conniventibus oculis pertransire, statuimus, & statuendo præcipimus, quod ab hujusmodi hospitiorum exactione, taliter studeatur abstinere, ne præter concussionis infamiam, quam de facto incurrunt, non solum nostram sed etiam divinam indignationem merito debeant formidare.

De capitulis celebrandis.

Statuimus & statuendo præcipimus, ut capitula archidiaconorum per singulos decanatus nostræ diœcesis celebranda in locis convenientioribus, in quibus victualia reperiuntur venalia, & ubi convenientium evectiones commodius recipi valeant, de cætero celebrentur.

De correctione excessuum.

Statuimus etiam, quod emendas pecuniarias non exigant pro redemptione criminum, præsertim in casibus, in quibus nequeunt dispensare; nec de causis, quæ ordinis dispositionem vel beneficii privationem inducunt, se aliquatenus intromittant.

De decanis instituendis.

Statuimus, ut cum decani rurales idonei ab archidiaconis fuerint instituti, nobis & successoribus nostris præsententur ad sacramentum corporale præstandum.

De juribus episcopalibus conservandis.

Cum in jure tantum existat, quod archidiaconi vel decani rurales nullas exactiones seu tallias in presbyteros sive clericos exercere præsumant, firmiter præcipiendo statuimus, quod sub nullius necessitatis forsitan imminentis specie, sine conscientia nostra tallias faciant vel collectas. ANNO CHRISTI 1256.

De apparitoribus.

Cum ex causis diversis ecclesiarum rectores & vicarii variis oppressionibus prægraventur, cordi nobis est, eos ab insolitis & omnino inutilibus sumptibus & stipendiis relevare. Olim siquidem apparitores per decanatus singulos constituti, adinstar cursorum papalium, & aliorum prælatorum, sine alicujus evectionis onere, soli cum presbyterorum parochialium testimonio suum officium fideliter explicabant. Sed diebus istis eorum insolertia surrepente, propria temeritate possunt se in equis duobus sibi, vel ad minus uno, servitoribus sociatis, qui per totum anni circulum, simulata officii instantia discurrentes, ac imprudenter undique exigentes in alienis domibus jugiter hospitati sumptuosa quærendo, nec communibus contenti, in victualibus & aliis viros aggravant hospitantes. Cum igitur scriptum sit; „ Non transgredieris terminos, quos posuerunt patres tui,“ volentes apparitorum officium antiquis finibus limitare, statuimus præsenti synodo approbante, quod apparitores nostræ diœcesis officium suum de cætero sine cujuslibet evectionis genere, quantum eis Deus dedit, fideliter exequantur. Et cum in causis vel negotiis citatio, executio, vel alias præceptio superioris, quæ testimonio egeat, immineant faciendæ, in presbyteri parochialis diaconi, seu clerici, ut testimonium perhibere valeant, præsentia, in quorum parochia hujusmodi exequenda mandantur, quæ sibi mandata fuerint, studeant explicare. Quod si subditorum nostrorum aliqui in suis vel alienis equis apparitores susceperint hospitandos, vel fraudem huic nostræ constitutioni fecerint, ipso facto noverint ab officio se suspensos: apparitoribus nihilominus a suo ministerio removendis. Si vero citationes extraordinariæ occurrant, eorum ministerio faciendæ, nullatenus eas admittant, nisi prius juxta Londinensis concilii formam eis viatica ministrentur.

De clericis ad beneficia præsentandis.

Cum ecclesiarum rectores & vicarii ac presbyteri seculares teneantur sacramenta ecclesiastica dispensare prohibendo statuimus, & statuendo prohibemus, ut sacramentorum ecclesiasticorum notitiam saltem non habentes necessariam, ad animarum regimen vel presbyteratus se nullatenus ingerant præsentandos; cum quos sacri canones rejiciunt, merito repelli debeant ut indigni, ecclesiarum patronos præsertim ecclesiasticos exhortantes, ut a præsentandis talibus se abstineant, si ea vitæ privari potestate noluerint præsentandi.

Quoniam nimis iniquum existeret, si per quorumlibet cupiditatem vel avaritiam ecclesiæ debitis obsequiis fraudarentur, statuimus, ut rectores in ecclesiis suis debitam faciant residentiam personalem; etiamsi super pluribus beneficiis retinendis cum eis per sedem apostolicam dispensatum sit, nisi ab onere residendi per spirituale privilegium doceant se immunes; statuto bonæ memoriæ prædecessoris nostri de ra-

ta

ta reſidentiæ non obſtante; alioquin tranſgreſ- A
ſores pœnam debitam non admittant.

ANNO CHRISTI 1256.

De reſidentia clericorum.

Quoniam de habitu clericorum, qui non clericalis videtur ſed potius militaris, grave ſcandalum laicis generatur, firmiter ſtatuendo præcipimus, ut ad formam tam de veſtibus clericorum, quam etiam de ornamentis equorum in generali concilio editam, per ſubtractionem beneficiorum compellantur. Ita quod in menſura decenti veſtes habeant, & cappis clauſis utantur in ſacris ordinibus conſtituti. Et maxime in eccleſia & coram prælatis ſuis, & in conventibus clericorum, & ubique in parochiis B
ſuis, qui cum cura animarum regendas eccleſias ſuſceperunt. Et ut poſſint epiſcopi alios melius ad honeſtatem veſtium, & tonſuram, & coronas decentes, & equorum ornamenta idonea coarctare, provideant, ut a ſuis clericis commenſalibus hæc prius faciant obſervari habentes eos in veſtibus talaris, frænis & ſellis, clericalis gerentes habitum honeſtatis. Quoniam omne, quod non propter neceſſitatem, ſed propter venuſtatem accipitur, elationis habet calumniam; ſtatuimus firmiter prohibentes, ne presbyteri vel clerici in ſacris ordinibus conſtituti, modulis, fibulis, aut uncis, aureis, argentes aut de aurifrigio vel gemmis quibuslibet utantur de cætero, in ſcandalum ordinis clericalis. C
Uſum etiam coffarum in eccleſiis & conventibus clericorum penitus prohibemus. Alioquin contravenientes ab officio ſuſpendantur.

De continentis clericorum.

Licet ad profligandum * a laribus eccleſiæ putridum illud turpitudinis libidinoſæ contagium, quo decor eccleſiæ graviter maculatur, ſtatuerunt ſuper hoc eccleſiaſtici rectores ipſum removere, cum tantæ improbitatis exſtitit, ut ſemper ſe ingerat impudenter. Nolentes igitur tantam eccleſiæ ignominiam conniventibus præterire oculis incorreptam, ſtatuta Romanorum pontificum, & maxime decretalem Alexandri pa- D
pæ ſuper hoc exequentes, ſtatuimus & ſtatuendo præcipimus, ut clerici, & maxime in ſacris ordinibus conſtituti, qui in domibus ſuis vel alienis detinent publice concubinas niſi a ſe moveant infra menſem, ipſas vel alias nullatenus de cætero retenturi, ab officio & beneficio ſint ſuſpenſi, uſquequo ſuper hoc digne ſatisfecerint. Volumus quoque & diſtricte præcipimus, ut archidiaconi diligenter faciant ſuper hoc inquiſitionem per omnes decanatus; & quod ſtatuimus obſervari, prædicti concilii auctoritate officialibus noſtris ſuper præmiſſis committimus inquirendum.

De concubinis clericorum.

Item, quoniam putridum ſpurcitiæ libidinoſæ contagium adeo apud clericos & presbyteros invaluit, quod auctoritas evangelica nec canonica ſeveritas illud hactenus extirpare potuerint, quin in ſuæ perpetuæ damnationis periculum, & ordinis eccleſiaſtici ignominiam adhuc ſuas detinent concubinas publice; cupientes ſubditos noſtros ad ſtatum honeſtatis debite reformari, præſentis ſynodi approbatione ſtatuimus, quod omnes mulierculæ cum presbyteris ſæcularibus & religioſis quibuſcunque, clericiſque in ſacris ordinibus conſtitutis, ſcienter de cætero fornicantes publice, poſt præſentis ſtatuti denunciationem ipſo facto, ratione ſacrilegii quod committunt, ſententiam excommunicationis incurrant. Et ſi cum taliter excommunicatis presbyteri vel clerici quicunque ſeculares vel regulares ex certa conſcientia poſt denunciationem commiſceant, ſciant ſe ſimilis ſententiæ laqueo innodatos; quorum abſolutionem nobis & pœnitentiariis noſtris ſpecialiter reſervamus. Hanc autem conſtitutionem noſtram in parochialibus eccleſiis præcipimus frequentius publicari.

Ex concilio Oxon.

Ut veri videamur evangelicæ legis ſectatores, cum non niſi in vinea laboranti ſit retributionis denarius porrigendus, nec niſi qui altari ſervit, vivere debeat de altari, ſtatuimus ut eccleſiæ certis perſonis deputatæ, nulli dentur ad firmam, niſi forte juſta cauſa ſubfuerit, & a ſuo epiſcopo approbata; & tunc de ejus conſenſu, alicui perſonæ honeſtæ & ordinatæ dentur ad firmam, de qua veriſimiliter præſumi debeat, quod fructus eccleſiæ in bonos uſus convertat

* Totum hoc caput ex aliis conſtitutionibus corrigendum eſſe monuit codex mendoſus.

De eodem.

Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, conventiones firmarum abſque noſtra vel prædeceſſorum noſtrorum approbatione contractas, penitus infirmamus. Statuentes ſub pœna fructuum unius anni, quod beneficia foranea ſine auctoritate noſtra & licentia, nulli tradantur ad firmam. Quod ad firmam præbendarum extendi nolumus, niſi decani & capituli noſtri interveniente conſenſu, noſtra & ſucceſſorum noſtrorum ſint auctoritate fulcitæ. Quod ſi ex cauſa perſonis aliquibus hoc duxerimus indulgendum, æquanimiter tolerabimus, quod de præbendis in decanatu Sarum, & de foraneis beneficiis in locis archidiaconi per præſentiam firmæ conventio ineatur.

De vicariis admittendis. Ex concilio London.

Ad vicariam ſtatuimus nullum de cætero fore admittendum, niſi jam in presbyterum ordinatum, vel ſaltem diaconum, in proximis quatuor temporibus ordinandum, qui renuncians aliis beneficiis, ſi quæ habet curam animarum habentia, juret reſidentiam ibi facere corporalem, alioquin inſtitutionem illius decrevimus fore nullam, & vicariam alii fore conferendam. De jam inſtitutis vicariis, qui non ſunt presbyteri, cum vicarii teneantur in propriis perſonis eccleſiis deſervire, ſtatuendo præcipimus, ut infra annum ad minus ſe faciant in E
presbyteros ordinari. Alioquin, ſi per eos ſteterit, quominus infra annum, ut diximus, ordinentur, eos ex tunc fore vicariis eiſdem decernimus privatos. Et de reſidentia circa eos ſtatuimus, quod de inſtitutis ſupra duximus ſtatuendum.

" *In ima margine ab alia & recentiri manu uncis incluſa hic inſeruntur.* "

(De violatione ſequeſtri. Quoniam quidam filii Belial obedientiæ jugum præſumptione temeraria conculcantes ſequeſtrum, quod in va-

cantibus ecclesiis & ex aliis causis, exigente justitia, ponimus excommunicationis sententiam in sequestrorum violatores publice promulgandam penitus vilipensam non verentur violare; nos eorum malitiis occurrere satagentes, violatores hujusmodi, si clerici fuerint, ab officio & beneficio tamdiu manere suspensos, donec, excessus tam gravis & enormis satisfactione debita corrigatur; si vero laici scienter & prudenter sequestrum violaverint, cum ipso facto excommunicati existant, & communicantes cum eis monitione præmissa simili sententia percellantur.) ANNO CHRISTI 1256.

De eodem.

Audivimus quod nonnulli in nostra diœcesi contra statutum concilii Londonienſis de facto, cum ipso jure sint privati, perpetuas detinent vicarias. Quia vero detentores hujusmodi & animas damnabiliter decipiunt; & furtum committunt nihilominus vel rapinam; vicarias sic vacantes, ad manus nostras sequestramus, sub pœna excommunicationis, quam contravenientes incurrere volumus ipso facto, districtius inhibentes, ne spiritualium vel temporalium administrationi se de cætero audeant immiscere, cum vicarias hujusmodi donationi nostræ generalis auctoritate concilii duximus reservandas; præsertim eas, in quibus contra præsentatores per negligentiam est præscriptum.

De eodem.

Cum ex præcepto divino necnon auctoritate canonica ad solvendum Deo de nocte nocturnum, sicut de die diurnum officium inexcusabiliter obligemur, statuendo præcipimus, quod seculares prælati necnon parochiales presbyteri, qui ex causa rationabili de nocte non surgunt ad matutinarum officium exequendum, surgere studeant in aurora, & cum dies illuxerit, officium inchoetur, cujuscunque parochiani absentia non obstante.

De capellanis admittendis.

Subditorum nostrorum pericula, negligentia damnabili tolerata, gravi nos dolore percellunt, & eo gravius quod eis occurrere festinato remedio non valemus. Nonnullos quidem presbyteros & clericos non solum ratione originis & sacri baptismatis, sed etiam inferiorum ordinum, & aliquos sacrorum ratione nostros effectos, ab alienis episcopis absque nostra vel prædecessorum nostrorum licentia, sacros ordines non ambigimus recepisse, & hujusmodi manuum impositione rata, ut expedierit, non habita, se in tanta executione ordinum taliter susceptorum, propter quod ipso jure in irregularitatis dispendium incidunt; & quod flebilius est plangendum, irregularitatem hujusmodi irregularitati attrita fronte ingesserunt, & ingerunt se divinis. Tales igitur universos non suspendimus, sed suspensos auctoritate canonum nunciamus; statuentes ut nullus de nostra civitate vel diœcesi oriundus, a nobis vel prædecessoribus nostris ordinatus, & absque nostra vel eorum licentia, ordine postmodum ab alieno episcopo susceptо, nec a proprio episcopo approbato, qui executioni se immiscuit ordinis sic susceptі, ab aliquo subditorum nostrorum religioso vel sæculari clam vel palam, donec cum eo legitime fuerit dispensatum, da executionem officii aliquatenus admittatur. Tales autem scienter admittentes, & per mensem retinentes, ipso facto noverint se suspensos. ANNO CHRISTI 1256.

De eodem.

Præterea cum quidam alienæ originis se clericos sacri ordinis vel presbyteros asserentes, tam literis quam signis per falsitatis vitium fabricatis, quod diebus nostris accidit, non suspectos se mentiantur ordines suscepisse; & sic per colorem hujusmodi, ad officii executionem minus provide admittantur; tam gravi scandalo & animarum periculo occurrere cupientes districtius præcipiendo statuimus, ut quicunque alterius ordinationis literas coram nobis vel officialibus nostris exponat, quibus fidem imponat, si de eis forsitan dubitetur, ut sic scrupulo cujuslibet dubitationis amoto, ad executionem sui ordinis admittatur, prout visum fuerit expedire.

De religiosis.

Cum secundum regulas sanctorum patrum religiosi viri psalmos, hymnos, & quædam alia legenda, & canenda, tam in nocturno quam in diurno officio secundum suas observantias teneantur cordetenus retinere, statuimus ne nunc monasterium ingressus, nec de cætero ingressurus in nostra diœcesi, nisi officium suum cordetenus memoriter retineat, cessante ignorantia invincibili, alicui obedientiæ præponatur. Quod si secus fuerit incaute præsumptum, & præponens & præpositus suspendatur. Ad hæc sub pœna excommunicationis, qua transgressores hujus statuti nostri ipso facto volumus innodari, districtius prohibemus, ne aliqui religiosi ex quacunque necessitate, nobis inconsultis, rem immobilem monasterii sui, quocunque alienationis titulo, in aliam religiosam secularemve personam transferre præsumant. Sub pœna consimili nihilominus inhibentes, ne fidejussores existant, aut etiam pro aliorum obligationibus se constituant principales, neque per sigillum suum auctenticum pro aliis se obligent, quanquam abbates vel priores sui hoc eis sub obedientiæ debito, a quo eos absolvimus in hac parte, precipiant vel injungant.

De Mortuariis.

Statutum felicis recordationis R. prædecessoris nostri super mortuariis editum, præsentis synodi approbatione duximus declarandum. Satagens siquidem idem R. prædecessor noster saluti consulere animarum quia considerabat laicos utriusque sexus subditos suos, quandoque per ignorantiam, nonnunquam vero per negligentiam & incuriam in decimarum & oblationum suarum subtractione graviter deliquisse; quod non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, prudenter attendens salubriter statuit, quod pro recompensatione decimarum taliter subtractarum, licet causam statuto suo non inseruerit, secundum melius animal in bonis defuncti ecclesiæ damnum passæ, debuit applicari. Quoniam vero hujus occasione statuti inter ecclesiarum rectores & parochianos suos lites, quas extingui cupimus, frequentius oriuntur, illud synodali duximus interpretatione de-

cla-

clarandum. Quod si decedens tria ad minus vel plura cujuscunque generis in bonis suis habuerit animalia, optimo, cui de jure fuerit debitum, reservato, ecclesiæ suæ a qua sacramenta percepit, dum viveret, sine dolo, fraude, & contradictione qualibet pro decimarum tam personalium quam prædialium, nec non & oblationum subtractionis compensatione, ad liberationem animæ suæ, melius post optimum reservetur. Quod si duo tantum in bonis decedentis extiterint animalia, de mansuetudine ecclesiæ exactio quælibet mortuarii nomine remittatur.

De eodem.

Hoc autem adiiciendum duximus, quod si materfamilias viro suo superstite præobierit, ad præstationem mortuarii minime coarctetur. Quod si post obitum mariti in domus & familiæ regimine vidua per annum supervixerit, juxta formam superius scriptam ad mortuarium obligetur, hac autem nostra constitutione seu interpretatione consuetudini laudabili super mortuariis in nostra diœcesi hactenus observata, nolumus præjudicium generari. Quod si decedens hujusmodi numerum animalium non habuerit, super præstatione mortuarii consuetudo ecclesiastica observetur. Ad solutionem vero debiti de jure mortuarii retinentes volumus per locorum ordinarios censura ecclesiastica coarctari.

De matrimoniis contrahendis, & nunciis præmittendis.

Cum matrimoniis contrahendis per denunciationum omissionem, & sacerdotum parochialium absentiam nonnullis pericula contigerint & contingant, firmiter statuendo præcipimus, quod sine sacerdote & aliis legitimis testibus, bannisque tribus diebus solennibus in parochianorum præsentia, ante contrahendum matrimonium promulgatis, in nostra diœcesi de cætero nullatenus matrimonia contrahantur. Quod si denunciationibus omissis reperiantur aliqui absque sacerdotis & testium legitimorum præsentia matrimonialiter contraxisse, tam contrahentes, quam qui talibus contractibus clandestinis contra ecclesiæ interdictum interfuerint, excommunicationi præcipimus subjacere. Hanc autem constitutionem nostram in Nativitatis, Resurrectionis, & Ascensionis dominicæ, & omnium diebus, in qualibet parochiali ecclesia nostræ diœcesis, per eorum sacerdotes sub obedientiæ debito præcipimus solleniter publicari.

De prohibitione scotallarum.

Prohibitionem scotallarum & alias communium potationum pro salute animarum & corporum introductam, synodali approbatione prosequentes, rectoribus, vicariis, & aliis presbyteris parochialibus præcipimus, sub obedientiæ debito firmiter injungendo, quod parochianos suos crebra exhortatione diligenter inducant, ne prohibitionis hujus temerarii violatores existant. Aliquin quos in hac parte culpabiles invenerint ab ecclesiæ ingressu & sacramentorum communione tamdiu suspensos denuncient, donec aliis pœnis cessantibus, ad pœnitentiarium nostrum accesserint, quod ab eo pro transgressione hujusmodi eis pœnitentiæ nomine injunctum fuerit, humiliter recepturi, & prout eis Deus dederit impleturi. ANNO CHRISTI 1256.

De eodem.

Communes autem potationes declaramus, quoties virorum multitudo, quæ numerum denarium excesserunt ejusdem parochiæ, in qua cervisia venalis extiterit, vel etiam vicinarum in tabernis hujusmodi, vel infra septa ejusdem domicilii potandi gratia commorantur. Viatores vero peregrinos; & in nundinis ac mercatis convenientes, quamvis in tabernis convenerint, sub prohibitione ista nolumus comprehendi.

De mancipiis Judæorum.

Licet in concilio Lateranensi & Oxoniensi prohibitum sit expresse, ne Judæi mancipia habeant christiana, plerique tamen Judæi nostræ diœcesis, ut dicitur, hujusmodi prohibitione contempta, nutrices, obstetrices, & alia mancipia christiana damnabiliter præsumunt retinere; & hujusmodi transgressione contenti, in graviorem prorumpunt audaciam, ut non solum cum christianis solutis, sed in nostræ fidei scandalum; & in suæ legis contemptum, & cum mulieribus se commisceant conjugatis. Unde præsentis synodi approbatione statuimus, ut mulieres tam solutæ quam conjungatæ, super hujusmodi crimen confessæ vel convictæ, nominatim excommunicationis sententia percellantur; & donec ad arbitrium nostrum vel officialium nostrorum satisfecerint, arctius evitentur. Judæis vero super hoc convictis vel confessis, donec hoc competenter emendaverint, omnis christiana communio per censuram ecclesiasticam denegetur. Quod vero circa distinctionem habitus dictum est, propter pericula, quæ ex habitus confusione contingunt, omni diligentia statuimus observandum.

De pœnitentia excommunicatis infligenda.

Præsentis synodi approbatione statuimus, ut, quicunque subditorum nostrorum in excommunicationis sententiam, contra jura ecclesiastica spoliatores & alios criminosos in Oxoniæ conciliis promulgatam, convicti fuerint incidisse, præter notam infamiæ, quam incurrunt, ipso toties in civitate Sarum, & in partibus illis ubi crimen commiserint, nisi clerici fuerint publice fustigentur, quoties nobis vel successoribus nostris visum fuerit expedire, nisi causa rationabilis nos introduxerit ad pœnitentiam committendam.

Cum ut mutus anni dies illucescat, qui non alicujus vel aliquorum sanctorum venerandis natalitiis decoretur; in quorum laudibus & meritorum præconiis, totum tempus a Christi fidelibus, quorum suffragiis indigent, expendi non indigne meruerunt; hominis tamen conditio cui dictum est, " In sudore vultus tui vescēris pane tuo, " nequaquam potest omnis propter occupationes mundanas sanctorum venerationibus jugiter insistere, quin necesse habeat corporis necessitatibus providere; ideoque, salva sanctorum reverentia, duximus statuendum; quod exceptis solennitatibus gloriosæ virginis Mariæ, apostolorum, & evangelistarum, festi-

vitatibus sanctæ Crucis, sancti Michaelis, sancti Johannis baptistæ, sancti Laurentii martyris, & translationis sancti Thomæ martyris, festis etiam sancti Martini, sancti Nicolai confessoris, sanctæ Mariæ Magdalenæ; festisque dedicationum in suis parochiis, necnon & sanctorum, in quorum honore ecclesiæ singulæ construuntur; nullius alterius sancti festivitas ab agricultura & laboribus, sine quibus terræ coli non possunt, parochianis suis per presbyteros indicatur ferianda. ANNO CHRISTI 1256.

Quoniam propter diversas consuetudines in petendo decimas, propter diversas ecclesias, inter rectores ecclesiarum & parochianos suos rixæ & contentiones, scandala & odia permaxima oriuntur, volumus, quod in cunctis ecclesiis per archidiaconatus constitutis, uniformis sit petitio decimarum. Inprimis volumus, quod decimæ de frugibus, non deductis expensis, integre & sine aliqua diminutione solvantur; & etiam de fructibus arborum, & seminibus omnibus, & herbis hortorum, nisi parochiani competentem pro talibus decimis velint facere redemptionem. Volumus etiam quod decimæ de fœnis, ubicunque crescant, sive in magnis pratis, sive in parvis, sive in cheminis, exigantur, & prout expedit ecclesiæ persolvantur. De nutrimentis autem animalium volumus, sc. de agnis; quod sex agnis & infra sex obili dentur pro decima. Septimus agnus & supra detur pro decima. Ita tamen quod rector ecclesiæ, qui septimum agnum receperit; det parochiano, a quo decimam illam receperit, tres obolos in recompensatione. Qui octavum agnum receperit, det parochiano unum denarium. Qui nonum agnum receperit, det obolum parochiano, vel expectet rector ecclesiæ usque ad alterum annum, donec possit decimum agnum habere, si maluerit. Et qui ita expectabit, semper exigat secundum meliorem, vel tertium agnum ad minus de agnis secundi anni; & hoc pro expectatione primi anni. Et ita intelligendum est de decima lanæ. Sed si oves alibi in hyeme & alibi in æstate nutriuntur, decima est dividenda. Similiter si quis in medio tempore emerit vel vendiderit oves, & certum sit de qua parochia oves illæ venerint; dividenda est decima, sicut de re, quæ sequitur domicilia; si autem incertum fuerit, habeat ecclesia illa decimam, infra cujus limites tempore tonsionis oves inveniantur. De lacte, volumus, quod decima solvatur, dum durat; videlicet de caseo, tempore suo, & de lacte, in autumno & hyeme; nisi parochiani competentem pro talibus decimis velint facere redemptionem; & hoc ad commodum ecclesiæ. De piscationibus autem & apibus, sicut de omnibus aliis bonis juste adquisitis, quæ renovantur per annum, statuimus, quod decimæ exigantur. Sed debito modo. De proventibus autem molendinorum, volumus quod decimæ, exigantur, & solvantur ad valorem proventuum, nisi ad valorem proventuum domini faciant redemptionem. De pasturis autem & pascuis, tam communibus quam non communibus, statuimus, quod decimæ fideliter solvantur; & hoc, per numerum animalium, & dierum, si expedit, ecclesiæ. Statuimus etiam quod decimæ de artificibus, de mercatoribus, & de lucro negotiationis, similiter de carpentariis, fabris, textribus, pandoxatricibus, & omnibus aliis stipendiariis, operariis; videlicet quod dent decimas de stipendiis suis, nisi ipsi stipendiarii aliquod certum velint dare ad opus vel lumen ecclesiæ, si rectori placuerit. In petitione autem principalis legati, volumus quod consuetudo provinciæ cum possessione ecclesiæ observetur; ita tamen quod rector ecclesiæ in petitione sua, sive fuerit vicarius, sive capellanus annuus, Deum habeat præ oculis. Sed quia multi inveniuntur decimas dare nolentes, statuimus, quod parochiani admoneantur primo, & secundo, & tertio, ut decimas Deo & ecclesiæ fideliter solvant; quod si se non emendaverint, primo ab ingressu ecclesiæ suspendantur; & sic demum ad solutionem decimarum per censuram ecclesiasticam, si necesse fuerit, compellantur. Sed cum dictæ suspensionis relaxationem vel absolutionem petierint, ad ordinarium loci mittantur absolvendi, & debito modo puniendi. Rectores autem ecclesiarum, seu vicarii, seu capellani annui, qui prædictas decimas prædicto modo, seu propter formidinem hominum, seu favorem, Dei timore postposito, cum effectu non petierint, pœna suspensionis innodentur, donec dimidiam marcam argenti, pro sua inobedientia, archidiacono persolverint.

Expliciunt statuta venerabilis patris Ægidii, Sarum episcopi.

SYNODUS NORWICENSIS

ANNO CHRISTI 1255.

Ex veteri MS. edidit collector Anglicanus.

Constitutio domini VValteri de Suthfeld Norvvicensis episcopi, de libera dispositione primorum fructuum per curatos testantes.

WAlterus Dei gratia episcopus Norwicensis, dilectis in Christo filiis universis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, officialibus, decanis, ecclesiarum rectoribus, vicariis, & omnibus Christi fidelibus per diœcesim nostram constitutis, salutem, gratiam & benedictionem. Ad officium pastorale licet indigne assumpti, & loco eminenti immerito constituti, summo & pio desiderio affectantes, nunc bene operando, nunc mala extirpando, dignos Domino fructus ex nostro impendere officio: sane recolimus, dum adhuc in minori officio essemus constituti, vulgariter esse dictum & obtentum: quod quilibet rector, sive vicarius nostræ diœcesis, qui vivus diem Paschæ expectaret, de omnibus fructibus, nomine ecclesiæ seu vicariæ suæ, usque ad synodum sancti Michaelis proximo sequentem percipiendis, libere, ut vellet, suum conderet testamentum. Sed contra hanc consuetudinem a fundatione ecclesiæ Norwicensis, prout novimus & nobis constat, obtentam, a quibusdam voluntarie extitit introductum & servatum, quod fructus & bona ecclesiarum vacantium a die Paschæ usque ad synodum Paschæ, non in usus decedentium & condentium legitime testamenta cederent, ut

prea-

ANNO CHRISTI 1255.

præmiſimus, ſed voluntati & diſpoſitioni loci A diœceſani relinquerentur omnino: propter quod, ſtatus decedentium graviter lædebatur, & teſtantium frequenter non proceſſit voluntas. Ut igitur ſtatus eccleſiæ & ſingulorum reparetur, & ad conſuetudinem & libertatem debitam ſingula revocentur: nos Walterus de Suthfeld epiſcopus Norwicenſis, in ſynodo S. Michaelis Norwicenſis præſidentes, de conſenſu capituli diœceſani, & præſentis ſynodi authoritate, omnibus exiſtentibus in ſancta ſynodo in hoc conſentientibus, definimus, ſtatuimus, præcipimus, & concedimus, ut, juxta antiquam conſuetudinem, quam renovamus, redintegramus, approbamus, & confirmamus, rectores, & vicarii viventes die Paſchæ, & ex tunc quicunB que morientes uſque ad ſynodum ſancti Michaelis, de fructibus & obventionibus beneficiorum ſuorum, libere ſecundum Deum ſua condant teſtamenta. Salvis nobis & ſucceſſoribus noſtris fructibus eccleſiarum ante diem Paſchæ vacantium, & in quibus rector die Paſchæ non reperitur inſtitutus. Et caveat ſibi epiſcopus, qui præeſt, & qui pro tempore fuerit, ne cauſa lucri inhoneſti, canonice præſentatos, abſque cauſa rationali, uſque poſtdiem Paſchæ, voluntarie differat admittere. Omnes autem illos, qui hanc noſtram conſtitutionem, conceſſionem, & libertatem infringere, immutare, vel perturbare præſumpſerint, ſententiam excomC municationis, noſtra & præſentis ſacroſanctæ ſynodi authoritate, incurrant. In cujus rei teſtimonium præſentibus ſigillum noſtrum, & ſigillum capituli noſtri ſunt appenſa. Acta die ſynodi die Lunæ proximo poſt feſtum S. Michaelis, in eccleſia S. Trinitatis Norwicenſis, anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, & conſecrationis noſtræ undecimo.

ANNO CHRISTI 1255.

DECLARATIO DICTÆ CONSTITUTIONIS PER DOMINUM W. BATEMAN epiſcopum Norwicenſem ſuper quadam conſultatione ſibi facta per vicarium de Mildenhale.

TUa devotio poſtulavit a nobis, an ad te qui in vicariam de Myldenhale, per nos eras noviter inſtitutus, an ad executores prædeceſſoris tui, qui poſt ſynodum Paſchæ proximam præteritam diem ſuum clauſit extremum, fructus & obventiones dictæ vicariæ poſt inductionis tuæ tempus provenientes debeant pertinere. Tibique taliter reſpondemus, quod oblationes, mortuaria, ac cætera omnia quæ ad altare perveniunt, de conſuetudine, vel de jure, ad te qui ad faciendum continuam reſidentiam & ſerviendum altari juramenti vinculo eos aſtrictus, debent integraliter pertinere: decimæ vero garbarum, & talia extrinſeca jura, quæ expoſitione ad vicariam pertinere noſcuntur, ad defunctum & executores ejuſdem, ſi de prædictis decimis, & juribus, ſeu obventionibus, ſpecifice in teſtamento diſpoſuerit, pertinebunt. Si autem teſtamentum fecerit, & in teſtamento ſuo nil a dictis decimis ſeu obventionibus ſpecifice vel expreſſe diſpoſuerit: licet alia legata pecuniaria generalia vel ſpecialia fecerit: tunc ad te, & non ad defunctum, vel ad ſuos executores, prædicta omnia ſingula pertinebunt.

ANNO CHRISTI 1256.

CONVENTUS EPISCOPORUM PROVINCIÆ ROTOMAGENSIS,

ANNO CHRISTI 1256.

In quo jura quædam controverſa inter archiepiſcopum & ſuffraganeos definita ſunt,

Anno 1256. habitus.

Ex MS. ſancti Michaelis in periculo maris.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis, fraD ter Odo Rotomagenſis eccleſiæ miniſter indignus, Guido Bajocenſis, Fulco Lexovienſis, & Johannes Conſtantienſis ejuſdem gratia epiſcopi, ſalutem in Domino Jeſu Chriſto.

Noveritis, quod cum inter nos dictum archiepiſcopum ex una parte, & nos dictos epiſcopos pro nobis, eccleſiis, & ſubditis noſtris ex altera, controverſia verteretur ſuper articulis infra ſcriptis, tandem inter nos intervenit amicabilis compoſitio ſub forma inferius adnotata.

Primus articulus eſt de executione mandatorum noſtri archiepiſcopi, & officialis, ſeu officialium Rotomagenſium, & receptione commiſſionum a nobis & eiſdem officialibus faciendarum ſubditis ſuffraganeorum noſtrorum.

Secundus de compulſione & receptione teſtium in cauſis per appellationem ad nos, vel officialem, ſeu officiales noſtros Rotomagenſes devolutis, ſeu alias ad nos & ipſos de jure pertinentibus.

Tertius eſt de recipiendis appellationibus interpoſitis ad nos archiepiſcopum, officialem, ſeu officiales prædictos a ſubditis ſuffraganeorum prædictorum, omiſſis mediis.

Forma autem dictæ compoſitionis talis eſt.

I.

Subditi ſuffraganeorum prædictorum in ipſorum diœceſi commorantes ſeu exiſtentes, ſcilicet decani rurales in ſuis parochiis & contiguis, priores non conventuales, & aliæ perſonæ eccleſiaſticæ beneficiatæ in ſuis locis, noſtra & officialium noſtrorum, ſeu officialis Rotomagenſis exequutiones & mandata facere, & commiſſiones a nobis & eiſdem officialibus factas tenebuntur recipere. Nullus abbas, nullus officialis ſuffraganeorum prædictorum, nullus prior conventualis, nullus canonicus, ſeu perſona eccleſiæ cathedralis, nullus vicarius deſerviens minori altari eccleſiæ cathedralis de civitatibus ſeu diœceſibus ſuffraganeorum prædictorum, nullus clericus de propria familia eorumdem ſuffraganeorum, aliqua mandata noſtra, vel curiæ noſtræ Rotomagenſis recipere tenebitur, aut exſequi, nec commiſſionem recipe-

cipere in quocumque casu, salvo nobis & officialibus nostris, seu officiali Rotomagensi circa personas officialium suffraganeorum prædictorum jure communi, si quis casus emerserit, in quo nobis & dictis officialibus nostris Rotomagensibus jurisdictio competat contra ipsos.

ANNO CHRISTI 1256.

II.

Item, subditi singuli suffraganeorum prædictorum compelli poterunt ad perhibendum testimonium veritati in causis delatis ad nos archiepiscopum, & officiales nostros, seu officialem Rotomagensem per appellationem, seu alias ad nos & dictos officiales de jure pertinentibus, in diœcesibus suis, & non extra, nisi agatur de crimine hæreseos.... symoniæ, homicidii, seu de promotione vel amotione prius perfectæ seu perficiendæ per electionem in loco collegiato: in quibus casibus poterunt ad nos & Rotomagensem curiam evocari, perhibituri ibidem testimonium veritati.

III.

Personæ supra exceptæ dictarum civitatum & diœcesis tenebuntur perhibere testimonium veritati, scilicet abbates & priores conventuales in suis locis, & non aliter: ecclesiasticæ vero personæ supra exceptæ eorumdem civitatis & diœcesis in suis civitatibus, & non alibi. Hoc salvo quod in casibus immediate exceptis, videlicet de crimine hæreseos, & ubi testes poterunt compelli de jure communi, omnes personæ supra exceptæ evocari poterunt ad sedem Rotomagensem, vel ibi prope, ita quod nos dicti archiepiscopus, seu dicti officiales nostri prædictis personis vocatis ad perhibendum testimonium veritati expensas ministrabimus, seu faciemus ministrari.

IV.

Si autem aliquis subditus suffraganeorum prædictorum dicatur contumax, negligens, & rebellis in his quæ facere, vel exsequi tenetur, sicut superius est expressum, per nos, officiales nostros, seu officialem Rotomagensem canonice punietur, si culpabilis inventus fuerit per nos, vel eosdem officiales, vel per aliquem idoneum destinatum a nobis, vel ab ipsis, seu eorum altero, inquisita primitus super eo veritate.

V.

Item officiales Rotomagenses, qui pro tempore fuerint, jurabunt nobis archiepiscopo, & successoribus nostris, seu capitulo Rotomagensi, sede vacante, & qui duos menses apud.... in officio constituti, qui occasione negligentiæ, rebellionis, seu contumaciæ prædictorum scienter non punient non puniendos ultra quam fuerint puniendi.

ANNO CHRISTI 1256.

VI.

Dies autem qua præstare debent hujusmodi sacramentum, significabitur competenter suffraganeis prædictis & eorum successoribus, & capitulis dictarum ecclesiarum cathedralium, sede vacante, ut veniant, vel mittant Rotomagum, ad videndum præstari hujusmodi juramentum. Si vero non venerint, nec miserint; nihilominus dictum juramentum præstabitur eo die.

VII.

Item, nos archiepiscopus, & successores nostri, & officiales Rotomagenses, qui pro tempore fuerint, non recipiemus appellationes ad nos, seu successores nostros, seu officialem, vel officiales prædictos, qui pro tempore fuerint, interpositas a subditis suffraganeorum prædictorum & successorum ipsorum mediis vel medio prætermisso.

Nos vero archiepiscopus prædictus dictam compositionem pro nobis & successoribus nostris & ecclesia Rotomagensi quantum in nobis est ratam habentes in verbo veritatis juravimus, quod ipsam inviolabiliter observabimus, & bona fide pro nostris procurabimus, & efficaciter inducemus, & in quantum in nobis est capitulum Rotomagense, quod supra scriptam compositionem ratam habeat, comprobet, & confirmet. Nos vero episcopi supradicti eamdem pro nobis, successoribus, ecclesiis, & subditis nostris, quantum in nobis est, & ecclesiis nostris, ratam habentes, & in verbo veritatis promittimus, quod nos eam inviolabiliter observabimus, & bona fide pro posse nostro procurabimus, & quantum in nobis est, vel erit, inducemus efficaciter capitula nostra & alios subditos nostros, quod ipsi sæpedictam compositionem ratam habeant, confirment, & approbent; & si in aliquem, seu in aliquos subditorum nostrorum in hoc contumaces vel rebelles latæ fuerint suspensionis interdicti, vel excommunicationis sententiæ per dictos archiepiscopum, officialem, seu officiales suos, ipsas sententias observabimus, seu faciemus observari. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda.

Actum apud Pontem-Audomarum die lunæ post Nativitatem beati Johannis, anno Domini MCCLVI.

SENONENSE CONCILIUM

In causa mulctæ indictæ clericis de nece illata Cantori Carnotensi reis,

Anno 1256. habitum.

Extat ap. Mart. Vet. Mon. t. VII. p. 146.

Ex chartario Carnotensi illustrissimi domini Chauvelin.

Ex Suppl. Mansi.

HEnricus, divina permissione, Senonensis archiepiscopus, M. Carnotensis, P. Parisiensis, G. Aurelianensis, G. Autissiodorensis, A. Meldensis, N. Trecensis Dei gratia episcopi, & G. Nivernensis electus confirmatus, religiosis viris sibi in Christo, B. Petri, B. Johannis in Valleja, B. Karauni Carnotensis abbatibus salutem & sinceram in Domino caritatem. Cum nos ducti misericordia ac pietatis intuitu salutem animarum zelantes, Jacobum dictum *Beloce*, & Gillebertum dictum *Coquin*, clericos Carnotenses, quos occasione necis felicis recordationis R. quondam Cantoris Carnotensis captos, aliquandiu auctoritate sa-

☞ ſacri provincialis concilii Senonenſis fecimus detineri, liberare deliberavimus tali modo, quod ſtatim poſt liberationem ſuam abſque dilatione aliqua, ſine redditu vel appropinquatione verſus Carnotum, in terram Jeroſolymitanam dirigant greſſus ſuos, ab eadem terra nullatenus regreſſuri, neque inde ullatenus revocandi, & de iſtis integre ac finaliter adimplendis ſufficientem præſtent uſque ad mille libras Turonenſes cautionem. Mandamus vobis, auctoritate ejuſdem concilii firmiter injungendo; quatenus in præſentia diſcretorum virorum, Carnotenſis decani & ſubdecani Carnotenſium officialium, bonos & ſufficientes plegios uſque ad quingentas libras Turonenſes pro quolibet, nomine dicti concilii recipere ſtudeatis, quod ipſi fideliter adimplebunt prædicta ſecundum quod ſuperius ſunt expreſſa, dictorum officialium litteras ſuper præmiſſis, ſecundum tenorem quem vobis tranſmittimus, confici facientes, & nobis quid ſuper hoc feceritis, per veſtras patentes litteras reſcribatis. Datum anno Domini MCCLVI. die Lunæ in vigilia B. Petri ad vincula.

ANNO CHRISTI 1256.

SYNODUS STRIGONIENSIS NATIONALIS

Celebrata ſub Bela IV. Hungariæ rege & Benedicto archiepiſcopo,

Anno 1256. habita.

Ex MS.

SOla ſui memoria ſynodus iſta ad nos tranſivit: arroſum, & magna parte vitiatum diploma, litis cujuſdam teſtimonium, quæ Veſprimienſem diœceſim vexaverat, anno 1256. celebratam indicavit. Exarſit paucis ab hinc annis inter Zelandum epiſcopum Veſpri. & Blaſium abbatem de Szala, ord. S. Benedicti, alias S. Adriani M. controverſia, de limitibus parochiarum · erant aliquæ juris dubii: ille Veſprimienſi eccleſiæ, iſte monaſterio aſſertas volebat. Res ad ſynodum delata; productæ utrinque literæ: & Abbas quidem diploma fundationis a D. Stephano rege, Anno 1009. ſignatum exhibuit; ubi fines abbatiæ, & parochiarum numerus, eidem additarum, patres recognoviſſent, pro Blaſio dixerunt. Recruduit rurſum pugna eadem, ſub Thoma II. archiepiſcopo, & Ladislao abbate anno 1371. Demum tertio ſub Joanne IV. archiepiſcopo, & Petro abbate anno 1471. utrobique pro Monaſterio triumphatum. Nationalem fuiſſe conſtat ex præſentia Stephani Cardinalis, epiſcopi Prænestini, qui poſita poſt acceptam purpuram, eccleſiæ Metropolitanæ infula, archiepiſcopi Strigonienſis titulo tantiſper uſus eſt. Colocenſis archiepiſcopi ſuffraganeos aſſediſſe vetus MS. affirmat. Horum proinde nomina & qui de conſuetudine archiepiſcoporum ſynodis interfuere, dignum eſt, ut hanc paginam ſubeant.

Benedictus archiepiſcopus Strigonienſis.

Stephanus Cardinalis, epiſcopus Prænestinus.

Colocenſis ſedes vacabat.

Lambertus Agrienſis.

Heymo Vacienſis.

Gallus Tranſylvarienſis.

Vincentius Varadienſis.

Philippus Zagrabienſis.

Abbates.

Blaſius Chanadienſis.

Oliverius Sirmienſis.

Paulus Quinque-Eccleſienſis.

Nicolaus Nitrienſis.

Homodeus Jaurinenſis.

Paulus Veſprimienſis Epiſcopi.

Præpoſiti.

Philippus, Capituli Strigonienſis.

Andreas S. Thomæ de Strigonio.

Smaragdus, Albenſis.

Lucas, de Saagh.

Gerardus, præpoſitus Thurie.

Abbates.

Favus, de S. Monte Pannoniæ.

Georgius, S. Benedicti ad Granum.

Blaſius, de Szala.

Joannes de Pilis.

Stephanus, de Lumbrekhàza.

Nicolaus, de Aracha.

Jacobus, S. Mauritii de Beel.

Jordanus, Magiſter Hoſpitalariorum per Hungariam.

Euſebius, prior Provincialis Ordin. S. Pauli primi Eremitæ. Magiſter Porſe, archidiaconus Nitrienſis, Canonicus Strigonienſis,

Comes Jako canonicus Strigonienſis, Frater Martini Bani.

Mathias, Præpoſitus Zagrabienſis.

Plura deſiderantur.

SE-

ANNO CHRISTI 1256.

SENONENSE CONCILIUM

Quo Carnotenſi capitulo injungitur, ut in deteſtationem necis Cantori Carnotenſi illatæ Stampas ſe transferat.

Ex Gall. Chriſt. nov. edit. t. VIII. p. 368. ap.

Anno 1256.

Ex Suppl. Manſi.

HEnricus D. P. Senon. archiep. R. Pariſ. A G. Aurel. G. Autiſſiod. A. Meldenſis, N. Trecenſis & G. Nivern. eadem gratia epiſcopi ſuffraganei eccleſiæ Senonenſis, venerabilibus viris decano & capitulo eccleſiæ Carnotenſis, ſalutem. A veſtra memoria non credimus excidiſſe, quod pro nece & interfectione bonæ memoriæ R. de Spina quondam Cantoris Carnotenſis, dum ad matutinas ſurgeret interfecti, auctoritate provincialis concilii extitit ordinatum, ut recederetis a Carnoto, ac in villa Meduntæ Carnotenſis diœceſis veſtrum capitulum reſideret .... Cumque ad preces B regis ..... auctoritate ejuſdem concilii vobis fuiſſet indultum, ut apud Carnotenſem eccleſiam rediretis ad inſtans feſtum Omnium ſanctorum ..... quia tamen nulla vobis hactenus eſt facta ſecuritas, ut ſecure morari poſſitis ..... mandamus vobis, quatenus infra inſtantes octabas Omnium ſanctorum a Carnoto recedatis, & apud Stampas infra eaſdem octavas vos transferatis, in eccleſia beatæ Mariæ de ſtampis celebraturi. Datum Senonis in provinciali concilio anno Domni 1256. die Martis poſt feſtum B. Lucæ evangeliſtæ.

CONCILIUM PROVINCIALE

APUD WEYLE IN DANIA.

A Jacobo Lundenſi archiepiſcope

Anno 1256. habitum.

Ibidem.

WEyle ſeu Weele, quæ urbs eſt in Dania C in epiſcopatu Ripenſi, Concilium provinciale convenit anno 1256. cujus nuda hæc mentio extat in chronologo Ludewig in Reliq. t. IX. pag. 80. A. C. MCCLVI. *Jacobus archiepiſcopus celebravit concilium provinciale apud Weyle.*

ANNO CHRISTI 1256.

CONSTITUTIONES ÆGIDII

DE BRIDPORT, EPISCOPI SARUM, EDITÆ

Anno Dom. MCCLVI.

Ex veteri MS. edidit collector Anglicanus.

HÆ ſunt conſuetudines uſitatæ in epiſcopa- D tu Sarum. Imprimis de decimis omnium rerum, quæ renovantur per annum: ſcilicet de decima bladi & fœni, quam percipient perſonæ vel vicarii, tempore meſſis, & fœnationis; de omnimodis fructibus hortorum & virgultorum, & omnibus ſeminatis, in campis, & hortis, & virgultis, quorum decimationem prædictæ perſonæ vel vicarii percipient temporibus ſuis.

Et ſi forte aliqua terra inculta, quæ aliquando fuerit culta, vertenda fuerit in paſturam, prædictæ perſonæ vel vicarii percipient decimum denarium venditionis. E

Eodem modo de prato ad paſturam vendito, percipient decimum denarium venditionis.

Percipient etiam decimam de pullis, equis; de vitulis & agnis, porcellis, aucis quorum totius anni ..... colligi hebdomada proxima ante Paſcham: percipient de decima pulli 1. denarium, de decima vituli, obolum.

Et percipient decimam plenariam caſei, & butyri: decimam lini & lanæ.

Et ſi forte ..... vaccas vel oves aliquis habuerit, quod non poſſit facere caſeum: dabit pro vaccis alicubi 1. denarium: alicubi denarium & obolum prout uſitatum fuerit in diverſis parochiis. Et pro iv. ovibus 1. denarium.

Et ſi forte aliquis non habuerit niſi ſeptem agnos, dabit ſeptimum ad decimam.

Similiter & decimum vellus ovium: & ſeptimum, ſi plura non habuerit.

Et ſi forte aliquis habuerit in cuſtodia ſua oves alienas, licet fuerint plurium hominum: nobis plenarie & integre dabit decimam agnorum.

Aut ſi fuiſſent ſui proprii, ſimiliter decimam vellerum omnium.

Et ubi pulli, equi, & vituli, aucæ, porcelli, & agni fuerint exorti, ibi debent decimari.

Et ſi forte extraneæ vaccæ, vel oves, paſcan-

ANNO CHRISTI 1256

ſcantur in parochiis alicujus, & cubant in alia parochia de nocte, ubi proprium domicilium: perſona, in cujus parochia paſcantur, & perſona in cujus parochia mulctæ fuerint, decimam habebunt butyri & lanæ, ſi in parochia in qua paſcebantur fuerint hiematæ.

Et ſi forte alicujus oves, poſt feſtum ſancti Martini occiſæ vel mortuæ fuerint, de mortua dabit decimam pellem, ſicut & lanam.

Nec aliquis parochianus præſumat poſt feſtum ſancti Martini, vendere oves ſuas, vel aliquo modo alienare extra parochiam, niſi prius ſatisfaciat perſonæ de decima lanæ.

Et ſi forte oves alienæ tonſæ fuerint in parochia alicujus perſonæ: idem percipiet decimam lanæ, niſi aliquid aliud rationabiliter impediat. Percipiet etiam perſona vel vicarius de artificio fabrorum, carpentariorum, ſutorum, textorum, textricum, pellitariorum, piſtorum, & de omnimodis artificiis; & de lucro negotiatorum; & de melle, & de molendino ad ventum, & aquaticis; & de columbariis, de pomagio, & omnibus aliis de quibus eccleſia conſueverit percipere.

Parochiani cujuſcunque parochiæ debent offerre, ex debito, quater in anno; ſcilicet in die natalis Domini, in die Paſchæ, in die ſolemnitatis eccleſiæ & in dedicatione eccleſiæ. Et quod ſinguli, deſponſatus & deſponſata, omnes terram tenentes offerant obolum.

Ceteri omnes, tam maſculi, quam fœminæ, dent prædictis diebus, niſi illos excuſat inopia. In Quadrageſima omnes debent accedere ad confeſſionem, & debent offerre quicquam voluerint, niſi illos excuſet inopia.

Similiter in die * ..... omnes parochiani veniant ad crucem adorandum, & offerant tibi pro velle ſuo.

Nec aliquis præſumat in die Paſchæ accedere ad corpus Chriſti, niſi prius confeſſus fuerit, & crucem adoraverit.

Mulieres deſponſatæ, & mulieres poſt parientes, debent accedere ad eccleſiam, cum candelis accenſis; & ..... mulieres ſequentes debent offerre chriſmalia infantum; nec chriſmalia debent alienari, nec in aliquos uſus mitti debent, niſi in uſus eccleſiæ.

Item perſona, ſeu vicarius, in obitu cujuſcumque terram tenentis, de tenemento defuncti percipiet melius averium poſt dominum: & ſi forte non fuerint ibi plura averia, executores defuncti tenentur ſatisfacere perſonæ vel vicario de bonis, quæ fuerunt defuncti, prout facultates ſuppetunt, antequam alibi aliqua executio de teſtamento fiat defuncti.

Similiter de teſtamento mulieris deſponſatæ, & omnium parochianorum, tam maſculorum, quam fœminarum, eadem fiat executio teſtamenti.

Et capellanus miniſtrans eccleſiæ * ..... executorem, ut diligenter provideat & diſponat, quod pars bonorum quæ defuncto contingit, rationabiliter diſtribuatur.

Tricennalia & Miſſæ non fiant alibi celebrandæ, quam in eccleſia, cujus fuerint parochiani, niſi de aſſenſu dicti capellani.

Perſona debet providere quod cancellum ſuum ſit honeſtum, & bene coopertum: ſimiliter & altare: ſacramentum chriſmatorum ſit ſub ſera: corporalia ſint de panno lineo delicato. Provideat etiam de phialis honeſtis ad vinum & ad aquam: de thuribulo, de candelabris, & lanterno, & tintinnabulo deferendo ante ſacerdotem in viſitatione infirmorum legitime præcedente: & perſonæ vel vicarii debent invenire duos cereos proceſſionales.

Item parochiani debent providere quod eccleſia ſit honeſta, cooperta bene, & quod campanile ſit bene coopertum, & ſecurum contra omne periculum: & debent invenire campanas & chordas campanarum, crucifixum, cruces, & immagines; & calicem argenteum, miſſale, & caſulam de ſerico; libros ſufficientes, & omnimoda veſtimenta ad altare ſpectantia.

Item capellanus eccleſiæ debet providere, quod menſalia, & cetera veſtimenta eccleſiæ ad altare ſpectantia, ſint munda & honeſta. Et ſi forte contingat, quod calix ..... vel libri, vel veſtimenta, furto vel aliquo alio infortunio ſubtrahantur: perſona, vel vicarius, vel capellanus, vel aliquis, per cujus negligentiam ſubtracta fuerint, reſtaurabit.

Prouideant etiam de vexillo, de velo quadrageſimali, de fonte, quod ſit honeſtus, & ſub ſera: de campanellis ante funus deferendis, cum pervenietur ad ſepeliendum.

Prouideant etiam parochiani, quod cœmeterium eorum ſit bene clauſum, & bene mundatum ab urticis, & aliis herbis nocivis.

Parochiani tenentur invenire cereum Paſchalem & alios cereos in cancello, & lumen ſufficiens per totum annum, tam ad matutinas, quam ad veſpertinas, & ad Miſſam: & debent invenire panem benedictum, cum candelis, qualibet Dominica per annum, in omni eccleſia de mundo Chriſtiana.

Prouideant etiam perſonæ & vicarii, quod habeant domos competentes & honeſtas, familiam honeſtam ſine ſuſpicatione aliqua. Et debent eſſe hoſpitales; & debent eſſe eleemoſynarii, prout facultates eorum ſuppetunt; & ſint reſidentes; nec alibi nimis ..... moram facientes, præterquam in propriis domiciliis, niſi de licentia domini epiſcopi vel archidiaconi. Nec ullus præſumat ire ad confeſſionem, vel ad communionem, alibi, quam in parochia ſua, niſi de licentia domini ſui. Capellani, perſonæ, vel vicarii eccleſiarum, debent ſynodalia: ſcilicet XV. denarios. Quilibet capellanus ſolet dare archidiacono XII. denarios ad natale Domini.

Item archidiaconus, ſi voluerit, viſitabit omnes capitales eccleſias, ſemel in anno, & ſer ..... perſonæ vel vicarii decenter eum etiam procurabunt. Submon ..... non decet aliquem in alicujus parochia, niſi habuerit capellanum, clericum conſortem, quicum teſtimonium perhibeat de juſta occaſione. Perſonæ vel vicarii dabunt beneficium aquæ benedictæ clerico pauperi ſcholari, ita quod veniat omnibus ſolemnibus diebus ad eccleſiam ſerviendum, de qua habet dictum beneficium.

Item ſponſalia non debent fieri in aliqua eccleſia, antequam fiat ſolemnius trina denunciatio: nec debet fieri in eccleſia excommunicatio, niſi præcedente prius trina admonitione.

Notandum, quod ter debent fieri in qualibet eccleſia generaliter excommunicatio per annum.

Perſonæ, vel vicarii, & parochiales capellani, debent parem obedientiam canonicam domino epiſcopo & archidiacono.

Duo debent eſſe inquiſitores docti & diſcreti, & duo capellani confeſſores, quibus perſonæ, vel vicarii & capellani, debent confiteri in qua-

ANNO CHRISTI 1256.

quadrageſima, vel in alio tempore, ſi neceſſe fuerit, qui ſcient diſcernere inter lepram & lepram, &c.

Salva ſanctorum reverentia duximus ſtatuendum, quod exceptis ſolennitatibus nativitatis Domini, cum quatuor diebus ſequentibus, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Pentecoſtes, cum tribus, ſinguliſque ſolemnitatibus, Dominicis exceptis, & Virginis glorioſæ, apoſtolorum, & evangeliſtarum feſtivitatibus, & ſanctæ Crucis, S. Michaelis, S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & translationis S. Thomæ, feſtum S. Martini, & ſanctæ Mariæ Magdalenæ, & S. Catharinæ; feſtum quoque de dedicatione in parochiis ſuis; necnon & ſanctorum, in quorum honore ſingulæ eccleſiæ conſtruantur; nullius alterius feſtivitas ab agricoltura & laboribus, ſine quibus terræ coli non poſſint, parochianis ſuis indicetur per presbyteros ferianda.

ANNO CHRISTI 1256.

ANNO CHRISTI 1257.

CONVENTUS EPISCOPORUM

ANNO CHRISTI 1257.

APUD ILERDAM

In quo Jacobus Rex Aragonum confirmavit jura & privilegia omnibus ſuarum ditionum Epiſcopis, & ceteris Prælatis,

Ex Card. de Aguirre Concil. Hiſp. to. 3. p. 513.

Anno 1257. pridie Nonas Aprilis, Illerdæ cum Jacobus Rex Aragonum Pontifices & magnates ditionum ſuarum congregaſſet pro ſtatu earum in melius reformando, & pace & treuga inviolabiliter obſervanda; rogatuſque fuiſſet ab epiſcopis, & aliis viris Eccleſiaſticis & religioſis, uti confirmaret eorum privilegia, & immunitates, ſive libertates; profeſſus imprimis ſe ſucceſſoreſque ſuos tenori ex debito regalis officii defendere Prælatos & clericos & religioſos homines, & bona eorum ſuis propriis ſumptibus & expenſis, eis conceſſit confirmationem quam poſtulaverant privilegiorum ſuorum. Interfuerunt huic conventui Benedictus Archiepiſcopus Tarraconenſis, Bernardus Epiſcopus Helnenſis, Petrus Pampilonenſis, Arnaldus Cæſarauguſtanus, B. Vicenſis, Dominicus Oſcenſis, Albertus Barcinonenſis, Petrus Gerundenſis, G. de Monte-catano electus Ilerdenſis, & B. de Olivella electus Dertuſenſis. Adfuerunt etiam Abbates, Rivipullenſis, Populetenſis, Cuxanenſis, Montis-Aragonum, S. Joannis de Pinna, & Arnaldus Præpoſitus Tarraconenſis. Andreas Epiſcopus Valentiæ, erat tunc Cancellarius regis. Acta hujus confirmationis hic ſubjicere viſum eſt ex Petro de Marca, qui ea exſcripſit ex archivo Monaſterii Rivipullenſis.

Ex Marca Hiſp. p. 1441.

In Chriſti nomine. Sit notum cunctis quod cum nos Jacobus Dei gratia Rex Aragonum, Mojoricarum, & Valentiæ, Comes Barchinonæ & Urgelli, & Dominus Montiſpeſſulani, & venerabilis Benedictus Dei gratia Tarraconenſis Archiepiſcopus, & Bernardus Elnenſis, Petrus Pampilonenſis, Arnaldus Cæſarauguſtanenſis, B. Vicenſis, Dominicus Oſcenſis, Albertus Barchinonenſis, Petrus Gerundenſis Epiſcopi, & G. de Montecatano Ilerdæ & B. de Olivella Dertuſienſis ſcilicet electi, & frater Hugo de Johis militiæ Templi & frater Geraldus Amici Hoſpitalis Hieroſolymitani magiſtri in Aragonia & in Cathalonia, & Abbas Rivipullenſis, Populietenſis, de Cuxano, Montis Aragonum, S. Johannis de Pinna, & Arnaldus Præpoſitus Tarraconenſis, & multi alii Eccleſiarum prælati, viri religioſi & clerici, Barones & milites, eſſemus in curia quam in Ilerdæ civitate celebravimus perſonaliter conſtituti pro ſtatu terræ noſtræ in melius reformando & pace & treuga inviolabiliter obſervanda, dicti Archiepiſcopus, Epiſcopi, & Prælati & magiſtri Templi & Hoſpitalis & alii viri religioſi & clerici nos humiliter rogaverunt quod privilegia & libertates per nos & prædeceſſores noſtros eis conceſſas & conceſſa & quædam alia quæ continentur inferius, deberemus eis concedere & etiam confirmare. Nos igitur Rex prædictus prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, qui libertates & privilegia Eccleſiæ & viris religioſis tanquam viri catholici conceſſerunt & munificentia & donationes fecerunt & labores voluntarii ſubierunt ut quietem Eccleſiis & ſubditis præpararent, concedimus & ſolemniter confitemur cum hoc publico inſtrumento perpetuo valituro, quod nos & ſucceſſores noſtri tenemur ex debito regalis officii defendere prælatos & clericos & religioſos & homines & bona eorum noſtris propriis ſumptibus & expenſis; & ad hoc faciendum in præſenti nos aſtringimus, ſucceſſores noſtros relinquentes ad ſimilia obligatos. Item nolumus quod aliquod præjudicium paretur Eccleſiis, vobis Archiepiſcopo, Epiſcopis, & magiſtris, & aliis viris religioſis, & Eccleſiarum prælatis & clericis, vel hominibus veſtris, nec ſucceſſoribus veſtris, propter collectam pecuniæ quam tunc facitis hominibus veſtris pro tuitione & defenſione noſtra & noſtrorum bonorum & hominum facienda. Item concedimus vobis quod Vicarii & Bajuli noſtri jurent in poſſe Epiſcopi dioceſani publice in præſentia populi quod fideliter exerceant juſtitiam & quod propter hoc pecuniam non recipiant & quod defendant vos, clericos, & homines veſtros & veſtrorum & eorum bona viriliter & potenter. Item concedimus vobis quod Vicarii, Bajuli, & Subvicarii, & alii officiales noſtri jurent in poſſe Epiſcopi diœceſani obſervare treugas & paces, & quod fideliter dent partem ſuam Epiſcopis ſecundum quod in inſtrumento pacis & treugæ plenius continetur. Et hoc jurent Subvicarii, in Aragonia; ita quod Subvicarii ſuum ſalarium recipiant conſuetum. Epiſcopi autem nihil recipiant in Aragonia, cum hoc non ſit de conſuetudine obſervatum. Item promittimus bona fide quod defendemus vos & alios prælatos & clericos & viros religioſos & homines & bona veſtra, & eorum contra deprædatores & pacis & treugæ violatores & quoſcunque alios vos vel ipſos contra juſtitiam aggravantes. Item promittimus quod obſervabimus & faciemus obſervari paces & treugas prout in forma ipſius pacis latius continetur. Item promittimus quod emendabimus omnes injurias vobis & veſtris hominibus per nos & noſtros factas, & reſtitue-

tuemus ablata, & quod vos nobis illud idem similiter faciatis. Item promittimus vobis quod persequemur falsarios monetæ nostræ, & ipsos prout justum fuerit puniemus. Item volumus & concedimus vobis quod non exigatur a vobis nec ab aliis prælatis & clericis & viris religiosis in tota terra nostra vel in mari leuda vel pedagium pro rebus vestris & ad usum vestrum emptis tantum; nec impediemus per nos vel per alium quo minus possitis libere res vestras transferre per mare aut per terram ad quæcunque loca volueritis, nisi hoc prohiberetur propter sterilitatem vel caristiam nimiam & evidentem terræ de blado per mare ad partes alias non portando. Per istud vero capitulum non intelligimus nec volumus quod juri seu libertati Domini Archiepiscopi vel Ecclesiæ Tarraconensis in aliquo derogetur. Item concedimus & confirmamus vobis, Ecclesiis, & monasteriis, locis religiosis, & aliis Episcopis, Abbatibus, & prælatis, & clericis, & viris religiosis, & hominibus vestris & ipsorum, omnia privilegia & libertates per nos & prædecessores nostros vobis & ipsis concessa, nisi talia essent privilegia quæ de jure vel de foro regni Aragonum essent merito revocanda. Item concedimus quod Vicarii vel Subvicarii, Bajuli, vel . . . . . nostri non faciant quæstam nec exactionem bladi, ovium, nec alterius cujuscunque rei vobis vel aliis clericis ac viris religiosis vel hominibus vestris vel eorum. Et si forte in aliquo istorum contra facerent, promittimus vobis quod nos illud integre infra duorum mensium spatium postquam requisiti fuerimus, emendari & restitui faciemus. Item concedimus quod cum aliquis fuerit excommunicatus legitime, in judicio ad agendum non admittatur in foro seculari, sed potius repellatur quousque fuerit absolutus. Item concedimus vobis Archiepiscopo quod sit salvum jus vestrum vobis & Ecclesiæ Tarraconensi generaliter & specialiter in omnibus supradictis, & sit nobis jus nostrum salvum similiter in eisdem. Et ut supradicta omnia & singula majori gaudeant firmitate, juramus per Deum & hæc sancta Dei evangelia corporaliter a nobis tacta & per crucem Domini quod omnia supradicta & singula observabimus & attendemus bona fide & sine enganno, & observari etiam firmiter faciemus, & contra non veniemus per nos vel aliam interpositam personam. Sic Deus nos adjuvet & hæc sancta Dei evangelia. Et ad omnia prædicta & singula firmiter observanda & complenda volumus hæredes & successores nostros perpetuo obligatos. In testimonium autem præmissorum præsentem cartam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum est hoc Ilerdæ 11. Nonas Aprilis anno Domini MCCLVII. S. Jacobi Dei gratia Regis Aragonum, Majoricarum, & Valentiæ, Comitis Barchinonæ & Urgelli, & Domini Montispessulani. Testes fuerunt Archiepiscopus, Episcopi, & viri religiosi prædicti, Raymundus de Cardona, Raymundus de Montecathano, G. de Castronovo, H. de Sexhach, ... de Focibus, B. de sancta Eugenia, P. de Montecathano, Gaufredus de Rochabertino, . . . de Castronovo, Raymundus de Urgio. S. Michaelis de Alcoario, qui mandato domini Regis pro Domino fratre Andrea Episcopo Valentiæ Cancellario suo hoc scribi fecit loco, die, & anno præfixis.

ANNO CHRISTI 1257.

STATUTA SYNODALIA

ECCLESIÆ GERUNDENSIS

Ex MS. Colbertino.

Hic incipiunt constitutiones synodales domini episcopi Gerundensis.

1. SAcerdotes & clerici curam animarum habentes, debent circa tria esse solliciti & intenti, videlicet circa corpus ecclesiæ, & circa seipsos, & circa populum sibi commissum. Circa ecclesiam septem debent attendere; scilicet ut corpus Christi super altari in loco eminenti sub clave custodiatur honorifice & honeste. Chrisma similiter sub clave ponatur. Piscina alta usque ad genua vel amplius juxta altare habeatur, quæ semper sit cooperta. Item, corporalia, pallæ & ceteri panni altaris, & indumenta sacerdotalia munda serventur. Fontes similiter sint mundi & cooperti & nihil ibi reponatur, nisi aqua & chrisma, quando pueri baptizantur. Item parietes & pavimentum ecclesiæ debent munda teneri, & nihil nisi ea quæ ecclesiæ sunt deputata debet in ecclesia reservari, nisi tempore guerræ propter hostiles incursus ibidem aliqua conserventur. Item, libri in loco speciali ordinate ponantur, & attente considerent ne propter negligentiam destruantur.

2. Circa secundum, id est circa seipsos, quinque sunt attendenda, videlicet habitus, officium, conversatio, prædicatio, & administratio.

Habitus debet esse honestus & distinctus ab habitu laicali, longas vestes, & unius coloris debent habere, & super tunicale rotundum & clausum, laneum sive lineum deportetur. Tonsura bene rotunda, & corona magna & lata, sicut decet & expedit, habeantur. Cappæ manicatæ, cultelli acuti ad latus, sotulares cordati eis penitus inhibentur.

3. Officium debet celebrari a clericis horis & temporibus institutis, & debent attendere, quod totum dicant & bene; sed fieri non potest, nisi tria attendant, scilicet ut cor apponant ad ea quæ debent (dicere) & spatiose dicant, & non incipiant versum quousque a socio versus alius finiatur.

4. Conversatio debet esse munda, & honesta, ita ut bona vita eorum sit prædicatio subditorum, & præcipue debent cavere clerici a familiaritate nimia mulierum; & in domo propria non habeant mulieres juvenculas vel suspectas; caveant & maxime a concubinatu, ne incidant in sententiam domini Sabinensis. Nam

per consequens, si postmodum divina celebrarint, efficiuntur irregulares, & sunt merito ecclesiastico beneficio privandi. Concubinatum sic declaravit dominus Sabinensis, ut quicumque in domo propria vel aliena, in parochia sua vel in alia, mulieri cum qua peccaverit providit in victu, vel veste, vel conductu domorum; vel etiam si ita peccaret publice cum aliqua, quod in sua parochia scandalum oriretur, concubinarius judicetur. Ergo qui habet aures audiendi audiat quid dicatur.

5. Prædicatio valde necessaria est habenti curam animarum, ut subditis suis frequenter dicat, quid secundum Deum faciendum sit, quid cavendum. Id est ut exerceant se secundum apostolum ad opera pietatis, & peccata caveant & vitent, quantum humana fragilitas nosse finit, præcipue moneant eos ad pœnitentiam salutarem, instruentes eos, ut si aliquando peccarent, diabolo instigante, ad confessionem venire non tardent, & eis exprimant diligenter, quod quicumque semel in anno peccata sua confessus non fuerit, & corpus Dominicum non receperit, nisi de consilio confessoris sui propter causam ad tempus dimiserit, si sic decederet, careat ecclesiastica sepultura. Debet quilibet habere patres, suæ confessionis proprium sacerdotem, vel fratrem Prædicatorem, vel Minorem, vel aliquem sacerdotem cathedral. ecclesiæ, quibus nos audiendi confessiones, generaliter, dedimus licentiam. Debet etiam esse sacerdos circumspectus, cum aliquis ad pœnitentiam venerit, ut ipsum circa sacramentum pœnitentiæ in principio instruat diligenter, & exponat ei quomodo debet habere cordis contritionem, & oris confessionem, & operis satisfactionem, & habeat firmum propositum, quod non redeat ad peccatum. In istis quatuor consistit pœnitentiæ sacramentum, & si aliquid istorum defuerit, nullo modo pœnitentia debet dici, si tempus & opportunitas se offerat pœnitentis. Verumtamen peccator sine consilio relinquendus. Debet enim sacerdos discutere, quæ sint illa peccata, a quibus peccator abstinere non vult & a quibus proponat de cetero abstinere, & injunctis sibi oratione, jejunio & eleemosyna, secundum quod viderit expedire, consulat ei tria, ut quanto tardius poterit & rarius committat illa peccata a quibus recedere non vult, & cum dolore cordis consideret in illa hora quod propter hæc meretur iram omnipotentis Dei, & supplicium infernale, & sic sacerdos distinguat inter consilium & pœnitentiam salutarem, nam pœnitentia salvat, & consilium habilitat ad salutem.

6. Quinrum & ultimum est administratio. Clerici enim statuti sunt ut administrent septem sacramenta, videlicet baptismum, pœnitentiam, corpus Christi, matrimonium, extremam unctionem, confirmationem & ordinem. Ista duo ultima soli episcopi administrant. Unde de quinque primis tria sunt attendenda, qualiter sint conferenda, & quibus, & ea ministrantes a quibus debent præcavere.

7. Baptismus sic est conferendus: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.* Pœnitentia, ut supradictum est, sic est conferenda, ut illa quatuor permittantur. Corpus Christi sic debet dari: *Corpus Domini nostri* JESU CHRISTI *custodiat & perducat te in vitam æternam. Amen.* Matrimonium autem sic. *Ego do tibi corpus meum in virum, & recipio te in uxorem.* Et ipsa similiter dicat: *Ego do tibi corpus meum in uxorem, & recipio te in virum meum.* Extrema-unctio debet dari secundum quod nos eam diligenter verbis & breviter fecimus annotari.

8. Quibus sit baptismus conferendus? dicimus quod omnibus indifferenter, quod nulli mater ecclesia claudit gremium suum, & Dominus JESUS CHRISTUS hoc ostendere voluit, cum dixit: *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Sed Sarracenus vel Judæus cum venerit ad baptismum, est per aliquot dies retinendus, ut instruatur in fide, & probetur quo spiritu ducitur ad baptismum. Pœnitentia debet dari illi soli, qui vult facere illa quatuor supradicta. Corpus Christi solis pœnitentibus & non aliis debet dari. Matrimonium debet fieri cum diligentia, ita quod in ecclesia tribus diebus omnibus nuntietur, si quis scit impedimenta inter volentes contrahere, ipse clerico manifestet. Extrema unctio danda est infirmantibus, & etiam solis pœnitentibus conferenda. Unde monendus est infirmus, quod petat, si necesse fuerit, unctionem, quod si ex contemtu nollet petere, nolumus quod tradatur ecclesiasticæ sepulturæ. Et hoc tam in omnibus sanis quam infirmantibus eis diligenter & efficaciter exponatur. Nam secundum Jacobum, *qui in uno offendit, factus est omnium reus*, & qui unum contemnit de sacramentis ecclesiæ, omnia præsumitur contemsisse. Exponatur autem eis, quod sacramentum istud valet ad duo, ad peccatorum remissionem, & ad infirmitatis alleviationem, si de illa infirmitate debeat convalescere secundum quod Jacobus in epistola sua dicit. Detur etiam eis intelligi, quod propter hoc non obligantur ad alia, nec astringuntur, nisi ad ea quæ erant primitus obligati. Et sic ad istud sacramentum recipiendum istis modis & aliis inducantur.

9. Ultimo videndum a quibus ministrantes sacramenta debeant cavere. Secundum enim verbum Domini, qui dixit: *Gratis accepistis, gratis date.* Ex quo gratis potestatem acceperunt conferendi, gratis debent conferre sacramenta, & non vendere, sicut quidam faciunt in sui damnationem, spiritualia vendentes, quos Dominus expulit de templo cum flagellis asperrime verberando. Et in hoc intelligimus non solum sacramenta, sed sepulturas, & missas, & alia spiritualia, quæ non sunt temporali pretio comparanda, tamen facto sacramento, possunt petere secundum consuetudinem approbatam.

10. Circa tertium, id est circa subditos, debent esse clerici vigiles & attenti, præcipue ut eos in publico sinant esse. Inter quæ tantum ad præsens volumus quatuor exprimere, videlicet ne permittant eos esse in publica fornicatione, sed eos moneant diligenter, quod ducant ipsas mulieres in uxores, si non sit aliquod impedimentum, aut recedant penitus ab eisdem; quod si noluerint facere, præmissa trina monitione, excommunicationis sententia innodentur. Secundum est, si vir & uxor non cohabitent simul, inquirat sacerdos quis eorum sit in culpa, & compellat per eamdem censuram eosdem simul cohabitare, & reddere sibi ad invicem debitum conjugale. Tertium est de publicis usurariis, moneant eos, ut hujusmodi officium derelinquant, cum sit inter alia peccata tale vitium reprobandum; & nisi velint desistere, supradicta sen-

ten-

tentia feriantur. Quartum est de venditionibus & emptionibus factis in fraudem usuræ, v. g. qui vendunt bladum pretio quo carius vendatur usque ad messem; quod si quis diligenter consideret, maxima est usura: alii emunt e contrario pro valde nimio pretio; quæ omnia in fraudem usuræ fiunt. Et isti similiter sunt monendi ut a talibus contractibus se contineant, alias eosdem subiiciant sententiæ supradictæ. Ista enim quatuor intelligimus, si publice committantur, & volumus & districte mandamus, quod sicut dominus papa præcipit, sententiæ omnes & causæ in scriptis redigantur, trina semper monitione præmissa, diem & annum in scriptura similiter redigentes. Actum & publicatum in concilio Gerundensi anno Domini MCCLVII. XIV. calendas Novembris.

Synodus semper celebretur in IV. feria ante festum B. Lucæ. Et si festum B. Lucæ fuerit in IV. feria, eadem die incipit synodus celebrari.

SYNODUS ANNI MCCLXI.

ANNO CHRISTI 1261.

11. Item, volumus, & mandamus nihilominus statuentes, quod omnes clerici, qui in aliquibus ecclesiis nostræ diœcesis sunt stabiliti, intersint assidue divinis officiis & horas canonicas, ut moris est, in dictis ecclesiis celebrent, nisi causa legitima & rationabili fuerint præpediti; alioquin præcipimus clericis parochialibus, vel illi qui major fuerit inter eos, eidem in virtute sanctæ obedientiæ injungendo, ut moneant & inducant clericos antedictos, quod ea quæ superius sunt expressa, effectui mancipare studeant, eosdem ad hoc si necesse fuerit trina monitione præmissa, vice nostra per censuram ecclesiasticam compescendo.

12. Item, statuimus, quod nulli clerici nostræ diœcesis præsumant recipere aliquem sacrum ordinem in nostra diœcesi vel etiam alia, sine nostra licentia speciali, nec præsumant etiam post susceptum ordinem celebrare, donec litteræ suæ promotionis nobis duxerint ostendemus; quod si fecerint, ipso facto, ab executione sui officii sint suspensi.

13. Item, volumus & mandamus insuper statuendo, quod aliquis prælatus vel clericus nostræ diœcesis non præsumat recipere aliquem clericum alterius diœcesis sine nostris litteris testimonium perhibentibus de eodem, quod si fecerit, ab ingressu ecclesiæ per annum noverit se suspensum.

14. Quoniam constitutio per bonæ memoriæ dominum Petrum prædecessorem nostrum edita, qua cavetur quod aliquis clericus vel prælatus diœcesis Gerundæ non præsumat recipere aliquem clericum alterius diœcesis, sine litteris Gerundensis episcopi, testimonium perhibentibus de eodem; quod si fecerit, ab ingressu ecclesiæ se noverit suspensum, gravia pericula & scandala plurima sæpius dignoscitur attulisse, ac afferre in posterum potest merito formidari. Idcirco nos Petrus Dei gratia Gerundensis episcopus futuris cupientes periculis de opportuno remedio providere, de nostri Gerundensis capituli consilio & assensu, prædictam constitutionem in plena synodo, ut sequitur, duximus interpretandam, declarandam ac etiam de cetero observandam. Statuentes ut nullus prælatus vel clericus diœcesis Gerundensis præsumat recipere aliquem clericum alterius diœcesis in sua ecclesia vel capella, ad missarum solemnia publice celebranda, nec ad curæ animarum officium, nec ad aliquod aliud sacerdotale officium exercendum sine litteris nostris vel successorum nostrorum perhibentibus testimonium de eodem, ac sibi licentiam concedentibus ad missarum & alia prædicta officia exercenda, nisi esset persona bonæ conversationis, & famæ, nota prælatis & clericis supradictis, in quo casu possit missarum solemnia exercere. Ad privatas vero missas & secrete celebrandas, sacerdos quilibet alienæ diœceseos admittatur, dummodo primo sui episcopi ostendat de susceptis sacris ordinibus & de licentia (litteras) ut possit in ipsis ordinibus ministrare. Qui vero contrarium fecerit, ab ingressu ecclesiæ per mensem unum, præsentis constitutionis auctoritate, noverit se suspensum, nisi esset clericus alterius diœcesis, qui iret cum archiepiscopo, vel episcopo legato, abbate, vel alio prælato, aut nuncio, seu ambaxiatore regis vel alterius principalis aut magnatis. Talis enim clericus, seu clerici absque exhibitione alicujus litteræ, & absque ostensione sui episcopi licentiæ, in ecclesia vel capella ad missæ officium, & alia divina celebranda officia per totam Gerundensem diœcesim libere admittantur, nec in hoc casu recipiens tales alienæ diœcesis, pœnæ suspensionis prædictæ laqueo intendimus comprehendi aliquatenus nec ligari.

ANNO CHRISTI 1261.

De monachis & canonicis regularibus.

15. Cum cura seu sollicitudo pastoralis officii sic debeat circa statum & conversationem subditorum esse pervigil & attenta, quod iis, quæ salutem impediunt animarum, paterna provisione penitus reseratis, ut humilis devotio clericorum possit dignis laudibus apta reddi, & eidem semper feliciter famularetur. Nos P. Dei gratia episcopus Gerundensis, quia, ut intelleximus, querelam plurium & clamorem, qui frequenter circumserpit aures nostras, quod nonnulli monachi, canonici regulares & etiam clerici sæculares in sacerdotio constituti, ardore avaritiæ, sive ambitione acquirendæ pecuniæ calefacti, tepidique officio caritatis, rectis propriis monasteriis & ecclesiis, in quibus tenentur Dominum contemplari, non solum in causis ecclesiasticis & coram judice sæculari in casibus a jure permissis, verum etiam in causis forensibus universis, sine delectu, coram judicibus sæcularibus advocare præsumunt, interponendo cavillationes, frustratorias allegationes, iniquas exceptiones, frivolas & inanes, parteisque vexantur laboribus & expensis: propter quæ ecclesiæ, a quibus stipendia recipiunt, debitis obtequiis seu divinis officiis, & illi contra quos in ipsis causis existunt, juri suo minus debite defraudantur, in grave ipsarum animarum periculum & jacturam, & in magnum scandalum aliorum. Attendentesque quod gravia & absurda non debemus sub dissimulatione silentii oculis conniventibus pertransire; sed morbo hujusmodi medelam adhibere celeriter, præsenti decreto statuimus, ut si aliquis clericus tam civitatis, quam diœcesis Gerundensis in sacerdotio constitutus, in aliquibus causis coram judice ecclesiastico vel etiam sæculari advocare aliquatenus non præsumat, præter quam pro se ipso, vel ecclesia sua,

☞ sua, aut in causis conjunctarum personarum, aut miserabilium personarum, quæ tamen pro se ipsis non possint causas proprias gubernare, nec de suo conducere advocatum, in quibus causis eis liceat coram utroque judice postulare: ita tamen quod in duobus casibus prædictorum, videlicet quando advocabunt pro conjunctis & pro miserabilibus personis, gratis impendant eis patrocinium, nec inde recipiant pro salario vel mercede, nec etiam fiant sæcularis vel ecclesiastici negotii susceptores. Clerici etiam minores ordines adepti, beneficia habentes, quibus sit cura animarum annexa, de quibus valeant sustentari, non advocent, nisi pro seipsis vel ecclesiis eorumdem, aut pro conjunctis vel miserabilibus personis, sine mercede, ut de sacerdotibus est prædictum, coram judice sæculari. Statuimus etiam ne aliqui monachi vel regulares canonici postulent in causis ecclesiasticis vel forensibus, nisi proprii monasterii poscat utilitas, & tunc eis hoc liceat, imperantibus abbatibus, vel prioribus eorumdem, nec sæcularis nec ecclesiastici negotii susceptores existant. Et nullus omnium prædictorum audiat aliquas causas ab aliquibus eis commissas, nisi a nobis vel officiali nostro, vel a superioribus nostris ipsi fuerint specialiter delegatæ. Nos si quidem volentes prædicta universa & singula inviolabiliter observari, in omnes illos qui contrarium faciunt præmissorum, auctoritate nobis tradita, excommunicationis sententiam ex tunc, ut ex nunc, hac scriptura indice promulgamus, ita quod ipso facto sint excommunicationis vinculo alligati.

ANNO CHRISTI 1261.

16. Item, statuimus, & statuendo inhibemus, ne aliquis clericus habens quodvis beneficium ecclesiasticum, ratione cujus teneatur in certo loco facere residentiam personalem, pro aliquo clerico faciat servitium alterius beneficii sive loci in eadem ecclesia vel etiam aliena; quod si fecerit, pœnam quam sustinere merentur sanctæ obedientiæ transgressores, se noverit incursurum. Contigit namque multoties pro alieno servitio faciendo servitium proprium deperire.

17. Quoniam quidam sub ambiguitate constitutiones nostras synodales a nobis editas de sacerdotibus & curam animarum habentibus, qui advocationibus intendebant locorumque sibi servitio commissorum intelligerent, cupientes nos perversum eorum intellectum, omnemque ambiguitatem removere, quæ obscura viderentur eis volumus declarare, ut animarum periculum evitemus, & ad eorum commodum intendamus. Verbum vero eis ambiguum scilicet *postulare* interpretamur, postulare in judicio, aut causam fovere ex proposito non præsumant, præterquam pro se ipso & hominibus suis, & ecclesia sua, & hominibus ecclesiæ suæ, *conjunctarum* exponimus usque ad quintum gradum consanguinitatis & affinitatis inclusive. Illud vero *nec aliquid inde accipiant*, declaramus ex pacto. Hoc vocabulum *susceptores*, id est quod sint tamquam reum actores, nisi in casibus & personis superius de advocatione expressis. Illi vero clausulæ *a nobis vel ab officiali nostro vel a superioribus nostris* addimus quæ sequuntur: *vel nisi a viris ecclesiasticis eis clausulæ tam civiles quam canonicæ comittantur*, de quibus tantum possint cognoscere intra limites parochiæ ecclesiarum, vel nisi a sæcularibus dominis parochiarum, qui jurisdictionem aliquam habere noscuntur, causæ subditorum suorum committantur eisdem, de omnibus tantum qui fuerint infra limites parochiarum suarum, in quibus supradicti clerici beneficium habeant vel alii residentiam faciant personalem, nec extra limites parochiarum suarum causas determinent a prædictis omnibus sive clericis sive laicis eis commissas, ut superius est expressum, nec sua loca vel ecclesiæ eisdem commissæ propriis obsequiis defraudentur. De arbitris vero dicimus quod possint suscipere suo modo in judiciis superius intentis. Præterea sine omni obstaculo licet universis compositiones facere & tractare, ac pacem & concordiam inter omnes undecumque fuerint ad invicem reformare.

ANNO CHRISTI 1261.

18. Nos Petrus Dei gratia Gerundensis episcopus, volentes periculis succurrere animarum, ut mores & actus clericorum in melius reformentur, de consilio & assensu capituli nostri, hac præsenti constitutione duximus statuendum, quod nullus clericus civitatis vel diœcesis Gerundensis ludat de cetero ad taxillos vel ad ludum aliquem taxillorum. Quod si fecerit, ex nunc ipsum excommunicationis sententia innodamus. Actum est hoc iii. idus Octobris anno Domini MCCLXI.

SYNODUS ANNI MCCLXVII.

ANNO CHRISTI 1267.

19. Anno Domini MCCLXVII. IV. idus Octobris. Cum ecclesiæ, quæ domus orationis vocantur, ad cultum divini nominis & laudes Christo Domino referendas, non ad profana fuerint institutæ, nos Petrus Dei gratia Gerundensis episcopus in plena synodo duximus statuendum, quod tripudia & choreæ, seu turpes & inhonestæ cantilenæ in ecclesiis non fiant seu etiam dicantur. Si quis vero præsentis nostræ constitutionis temerarius transgressor extiterit ipso facto, tandiu a participatione sacramentorum & ingressu ecclesiæ sit privatus, quousque per nos vel officialem nostrum ad hæc fuerit restitutus. Si vero aliquis in sua pertinacia seu malitia perseveraverit per tres menses, legitima monitione intra dictos tres menses, eidem transgressori præmissa, a suo proprio sacerdote excommunicationis sententia innodetur, relaxante pœnam interdicti, & constitutionem quæ super hoc fuerat per nos promulgata. Verum si alienos parochianos in aliqua ecclesiarum nostræ diœceseos hanc constitutionem contigerit violare, per clericos earum ecclesiarum hoc denuncietur delinquentium sacerdoti, & ipse juxta prædictam formam contra eos procedere teneatur. Et ne aliquis ab observatione hujus constitutionis per ignorantiam se valeat excusare volumus & mandamus, ut præsens constitutio per tres dies Dominicos vel festivos in ecclesiis solemniter publicetur.

SYNODUS ANNI MCCLXXIV.

ANNO CHRISTI 1274.

20. Anno Domini MCCLXXIV. XVII. cal. Novembris, nos Petrus Dei gratia episcopus Gerundensis, residentes in synodo, inhibemus ne aliquis laicus tempore interdicti præsumat sepelire in cimiteriis alicujus ecclesiæ aliquem defunctum cum aliqua solemnitate: statuentes quod si contra hoc fecerit, sit ipso facto excommunicationis sententia innodatus, & quod prius non absolvatur a dicta sententia, excep-

to

to mortis articulo, quam corpus per ipſum laicum ſepultum manibus & expenſis propriis fuerit exhumatum.

ANNO CHRISTI 1274.

21. Prædictas conſtitutiones confirmat dominus Benedictus nunc divina miſeratione epiſcopus Gerundenſis, & ipſas vult in ſuo robore perdurare. Actum eſt hoc XIV. cal. Novembris anno Domini MCCLXXIV.

In concilio Ilerdenſi.

22. Animarum languoribus qui ex ſacrarum conſtitutionum transgreſſione vel omiſſione trahunt originem, præſentium patrum approbatione ſubvenire curantes, ſtatuta ſacri concilii generalis, quæ pro magna parte non ſine gravi periculo ſunt neglecta, pleniori diligentia de cetero præcipimus obſervari, & ſtudioſe corrigi ea quæ contra ipſum concilium temere ſunt præſumpta; in primis præcipientes, ut & conſtitutio de conciliis provincialibus & epiſcopalibus ſynodis celebrandis pro correctione & reformatione morum ſalubriter edita ſecundum ſuum tenorem firmiter obſervetur.

De correctione ſubditorum.

23. Conſtitutio de correctione ſubditorum edita firmius obſervetur, & circa ſubditorum correctionem prælati diligenter vigilent, & videant ne ſanguis ſubditorum de ipſorum manibus a domino requiratur, & cum ad ipſos clamoſa inſinuatione pervenerit, ſi ad inquiſitionem deſcendere non valeant commode, pro eo quod proceſſus ille plurimum habet laboris & diſpendii, multaque diffugia, ſaltem purgationem inducant canonicam ſolemniter faciendam, in qua qui defecerit, canonice puniatur.

24. Quam ſalubre ſit, quam utile prædicatores per ſingulas eccleſias ordinare, apparet ex diſpendio quod ſequitur. Quare ſub animadverſione divinæ ultionis diſtricte præcipimus, ut per ſe vel per alios viros ad prædicationis officium idoneos per ſuas diœceſes prædicent verbum ſalutis æternæ.

De his qui neſciunt loqui verbis latinis.

25. Statuimus quoque, quod omnes beneficiarii & omnes promovendi in eccleſiis parochialibus, qui latinis verbis loqui neſciunt, exceptis illis de quorum profectu propter ætatem non eſt ſperandum, in ſtudio ab epiſcopo & archidiacono loci, ubi tale jus conſuevit habere archidiaconus per ſubtractionem beneficiorum, quouſque latinis verbis loqui ſciant, addiſcere compellantur. Illis autem qui ſtudere in grammatica & proficere voluerint, miſericorditer indulgemus, ut beneficia ſua integre in ſeholis habeant a proximo feſto S. Johannis uſque ad triennium, ac ſi in ſuis eccleſiis deſervirent, proviſo tamen (quod aliquis) in eccleſia remaneat debito ſervitio deſolata. Qui vero infra terminum hunc non tantum proficere curaverit, quod latinis verbis loqui ſciat, qui ſuam neglexerit vincere ignorantiam, donec talem negligentiam per ſequens ſtudium correxerit, beneficio ſuſpendatur eodem. Et quoniam multi affectant clericalem caracterem & libertatem eccleſiaſticam, vel beneficium, & tamen addiſcere negligunt, præcipimus ut a talibus tonſurandis caveatur attente, præſertim in illis locis, in quibus obtenta prima tonſura ratione natalis ſoli, ſibi in eccleſia vindicant portionem. Ad quartum autem gradum nullus omnino clericus ſæcularis promoveatur, qui latinis verbis loqui neſciat.

ANNO CHRISTI 1274.

Contra concubinarios.

26. Ad extirpandam clericorum incontinentiam, ſtatuimus ut quilibet epiſcopus in prima ſynodo quam ipſum celebrare contigerit, ſuſpenſos denunciet omnes ſacerdotes, diaconos, ſubdiaconos, & omnes beneficiatos, qui ex tunc in ſuis domibus vel alienis detinere præſumſerint publice concubinas, & illas, quæ de cetero fuerint talium concubinæ, denuntiet excommunicationi ſubjectas, & ſepeliendas, ſi deceſſerint, aſinorum ſepultura. Et has ſententias epiſcopi & ipſi ſacerdotes in publicis prædicationibus denuntient. Si quis vero hac de cauſa ſuſpenſus præſumpſerit celebrare divina, non ſolum eccleſiaſticis beneficiis ſpolietur, verum etiam pro hac duplici cauſa perpetuo deponatur.

De vita & honeſtate clericorum.

27. A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant, officia vel commercia ſæcularia non exerceant, maxime inhoneſta, jocularibus, mimis & hiſtrionibus non intendant, tabernas prorſus evitent, niſi neceſſitatis cauſa in itinere conſtituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujuſmodi interſint. Coronam & tonſuram habeant competentem, clauſa deſuper deferant indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis vel cendatis ſeu viridibus aut virgatis tunicis vel ſuper tunicis ſic apertis, quod oſtendant latera, ſic ſtrictis quod femoralia demonſtrent, necnon manicis vel ſotularibus conſutitiis vel roſtratis, antifrigiis pictis, pileis ſerico ſuperornatis, fibulis aut corrigiis auri vel argenti ornatum habentibus, centuriis ſericis quoque deauratis vel coloris varii, frenis, pectoralibus, calcaribus deauratis, vel aliam ſuperfluitatem gerentibus non utantur. Nullus in ſacerdotio vel perſonatu conſtitutus, cappam manicatam gerat, niſi juſta cauſa timoris exegerit habitu transformari ad divinum officium. Inter eccleſiam cappam manicatam nullus clericus gerat. Sententiam ſanguinis nullus clericus dictet aut proferat, nec litteras dictet ſcribat pro vindicta ſanguinis deſtinandas, nec vindictam ſanguinis exerceat, vel ubi exerceatur interſit. In eccleſiis, civitatibus, villis, vel ardeis * clericí cultellos acutos vel arma portare non præſumant, niſi forte ob defenſionem proprii corporis juſti cauſa timoris. Si quis autem contra hanc conſtitutionem venire præſumpſerit, ſi beneficiatus fuerit, ſuſpendatur ab omnibus beneficiis, & cum ad emendationem venerit, tanto tempore poſtmodum eorumdem perceptione beneficiorum careat, quanto in iſta contumacia permanere præſumſerit. Si vero beneficiatus non fuerit, ab introitu eccleſiæ ſuſpendatur.

* areis.

Qualiter altaria eccleſiæ munda teneantur, & Corpus Chriſti.

28. Præcipimus, ut eccleſiæ, & omnia oratoria, vaſa divini miniſterii, pallæ altaris, corporalia, & veſtimenta miniſtrorum munda & nitida conſerventur. Chriſma, oleum & eucha-

☞ chariſtia caute ſerventur, clavibus adhibitis, necnon & altare conſecratum diligenti ſervetur cautela, ne ad aliquod prædictorum manus temeraria ſe extendat pro aliquibus nefariis exercendis. Sacra quoque euchariſtia ad infirmos cum campana & lumine honorifice deportetur, & in ſingulis octo diebus renovetur.

ANNO CHRISTI 1274.

Contra illos qui contrahunt matrimonia in gradu prohibito, vel clandeſtina.

29. Diſtricte præcipimus per omnes eccleſias in præcipuis ſolemnitatibus excommunicatos publice denuntiari omnes illos, qui in gradu prohibito contrahere matrimonia præſumſerint; qui vero matrimonia ſeu contubernia contraxerint, niſi infra annum diſpenſationem obtinuerint, ex tunc excommunicationis ſententia ſe noverint innodatos. Interim autem a carnali eoſdem copula præcipimus abſtinere. Qui vero clandeſtina contraxerunt matrimonia, tamquam excommunicati ab omnibus evitentur, & donec de legitimitate perſonaliter eccleſiæ conſtiterit, ab invicem ſeparentur.

De degradatione clericorum.

30. Nec clerici in opprobrium & odium eccleſiæ ea crimina impune committant, pro quibus laici pœnam incurrerent capitalem; præcipimus ut clericus qui furto, vel crimine falſi, rapina, homicidio, raptu mulierum, in cudendo falſam monetam, vel in aliis criminibus quæ capitalem pœnam merentur, publice fuerit deprehenſus, a ſuis ordinibus perpetuo degradetur; ſi ſubdiaconus & infra, ab uno epiſcopo, ſi diaconus a tribus epiſcopis, ſi ſacerdos in concilio provinciali, vel autem habito numero canonico epiſcoporum, quatenus qui eccleſiaſtica libertate tam flagitio ſe abutitur, clericali privilegio ſit privatus.

31. Diſtricte præcipimus, quatenus in omnibus eccleſiis parochialibus, in quibus infra terminum a jure præfixum, ab illis ad quos pertinent, diœceſano non fuit clericus præſentatus ad curam animarum, ipſe diœceſanus in eccleſiam eamdem clericum inſtituat, nec ipſam parochiam ulterius viduam remanere permittat.

De eo qui vendit Chriſtianum Sarracenis.

32. Statuimus, ut quicumque de cetero Chriſtianum vel Chriſtianam vendiderit Sarracenis, ipſo facto ſit excommunicatus, nec poſſit abſolutionis ſententiam obtinere ſine auctoritate apoſtolicæ ſedis.

Monachus vel canonici regulares curam animarum non exerceant in eccleſia ſæculari.

33. Inhibemus diſtrictius ne quis monachus in eccleſia ſæculari curam animarum excitare præſumat. Hoc ipſum pari diſtrictione canonicis regularibus inhibemus, niſi ex indulgentia ſedis apoſtolicæ demonſtrare valeant hoc ſibi fuiſſe commiſſum.

Qui obligant perſonatum vel dignitatem.

34. In eccleſiis cathedralibus & regularibus diſtrictius inhibemus, ne aliquis perſonatum vel dignitatem ſuam, ſicut de jure non poteſt, ita nec de facto pro aliqua ſumma pecuniæ præſumat aliquatenus obligare; decernentes ipſam obligationem non tenere: hanc pœnam tranſgreſſoribus infligentes, ut quicumque contra hanc conſtitutionem venire præſumſerit, ipſo facto ab omni officio & beneficio, donec ab apoſtolica ſede veniam impetraverit, ſit ſuſpenſus.

ANNO CHRISTI 1274.

35. Quia in pleriſque partibus cenſura eccleſiaſtica enervatur, & eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeveritas contemnitur a quibuſdam, ſtatuimus præſentis approbatione concilii, quod ſi quis clericus, proprio exigente delicto, fuerit ab epiſcopo vel metropolitano ſuo excommunicationis ſententia innodatus, & per annum in ipſius laqueo damnabiliter præſumpſerit ex certa ſcientia permanere, ineligibilis perpetuo fiat: ita quod numquam aliquam eccleſiaſticam dignitatem valeat adipiſci. Si vero laicus fuerit, quamdiu perſtiterit in excommunicatione, numquam ad actus legitimos admittatur; & ſi curia ipſum vellet admittere, ipſum non admittere per cenſuram eccleſiaſticam ab epiſcopo arceatur: nihilominus ſtatuentes, ut ſi quis clericus litteras ſui epiſcopi aut metropolitani malitioſe recipere contemſerit, ex ipſius culpa contemtus ab officio ſuſpenſum ſe noverit ipſo jure. In hoc autem juri noluimus epiſcoporum in aliquo derogari.

36. Item, quoniam nonnulli in eccleſiis cathedralibus & aliis conventicula illicita præſumunt contrahere, contra jura ſacramentis & pactionibus ſe ad invicem colligentes, ut ratione majoris numeri in eccleſia beneficium valeant obtinere, & conſpirationes contrarias æquitati tam contra ſocios, quam contra majorem ſuum temere facientes, propter quod eccleſiæ Dei grave imminet detrimentum, ſacro approbante concilio, ſtatuimus regimine utentes officii paſtoralis, ut morbo hujuſmodi utiliter ſucurratur, quod quicunque talia fecerit, uſque ad xx. dies, ex quo notitia conſtitutionis ad eum pervenerit, vinculum colligationis diſſolvat; alioquin ſi in malitia ſua perſeverare præſumſerit, ipſo facto, ſuſpenſionis ſententiam ſe noverit incurriſſe. Item cum aliqui quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, cum beneficia eccleſiaſtica vacant, ſocios ſibi attrahunt, & pactionibus illicitis eos ſibi alligant, ut propter majorem numerum pravitatis, obtinere valeant quæ intendunt, in offenſam Dei & ſcandalum populi Chriſtiani, ut propriæ ambitioni damnabiliter ſatisfaciant: Ideo ſtatuimus; ſacro concilio approbante, quod quicumque de cetero talia præſumſerit attentare, omnino beneficio careat ſic obtento: ita quod numquam in eadem eccleſia beneficium valeat adipiſci.

37. Item, dominis ſacerdotibus ne aliquid exigant ante benedictionem nuptialem, nec ante ſepulturam, ſive pro matrimonio celebrando, ſed celebratis nuptiis, exigant quod conſuetum eſt, ſi neceſſe ſit, mortuarium, quia plus licite poſſunt facere, vel ante conſuetudinem tolerare.

De tempore nuptiarum.

37. Item, dominis ſacerdotibus, ne faciant nuptias ab Adventu Domini uſque ad feſtum S. Hilarii, & ex tunc fiant uſque ad ſeptimanam ſeptuageſimæ, & ex tunc ceſſent uſque

ad

☞ ad Dominicam de *Quasi modo*. Et ex tunc usque ad Dominicam de *Vocem jucunditatis*, quæ præcedit festum Ascensionis. Et tunc cessent continue per tres septimanas usque ad Dominicam de Trinitate: & tunc celebrent usque ad Dominicam de Adventu, hoc proviso, quod prima Dominica Adventus, quæ inducit prohibitionem, intelligatur prohibita, & festum S. Hilarii, quod inducit permissionem nuptiarum, intelligatur concessum; & sic de aliis.

ANNO CHRISTI 1274. ANNO CHRISTI 1297.

IN SEQUENTES INTERROGATIONES COLLECTORIS PRÆFATIO.

ANNO CHRISTI incerto. ANNO CHRISTI incerto.

ÆVO Caroli Magni; quæ epocha est ecclesiasticæ disciplinæ restitutæ, cœperunt episcopi nedum in administratione sacramentorum sanctiori, sed & in sollicita gubernandi vigilantia, muneris sui partes omnes diligentius implere. Inter cætera ad id adjumenta institutæ sunt diœcesis lustrationes sacræ, quas episcopi olim quidem ab initio per se plerumque obibant; dein vero archidiaconos seu decanos in partem curæ illius adsciverunt. Diœcesim ita circumeuntibus episcopis id erat potissimum studii ut de moribus inquirerent subditorum: quæ singulis in locis increvissent vitia: quis vigor esset disciplinæ. Omnia vero postquam exploraverant, tum vel ad sedem suam reversi, synodos diœcesanas habebant; vel ad totius provinciæ concilium rem deferentes cum sociis episcopis sive clericis in commune consulebant de remediis, quæ vulgaribus veluti morbis medendis aptissima fore arbitrabantur. Eo tendere credo interrogationes hasce ex Burchardo lib. 1. cap. 94. acceptas; non alio consilio huc translatas, nisi quod in synodorum scopum referrentur, & ex synodicis canonibus conditæ essent. Earum ætas, si ex authore unde petuntur exploranda esset, sæculi X. exitum vel XI. exordium non excederet. Verum Burchardus pro more sibi familiari e vetustis conciliorum canonibus illas transtulit in suum codicem, meditans veterem disciplinam ætate sua collapsam restituere; quare in illis elucentes mores cave credas ipsum esse sæculi X. vel XI. ecclesiasticam consuetudinem. Abstinentia a sanguine & suffocato sive a potu laticis in quo mus vel mustella casu aliquo demersa periissent; ante sæculum X. profecto cessaverat; quanquam hic præcipiuntur tamquam disciplinæ caput necessarium. Utrumque vero hoc accepit Burchardus ex Bedæ pœnitentiali cap. XIV. Nihil ibi quidem de suffocato sive morticino, si vulgata lectio attendatur; sed vitium irrepsisse credo in illud: qui fraudatum comedit; *emendandum ratus ita:* Qui suffocatum comedit; *ut ex interrogationibus nostris illud Bedæ exprimentibus discimus. Cæterum disciplinæ capita multa hic apparent optima, ut de connubiis vetitis inter propinquos, cum filia baptismi, item cum filia* quam quis tenuit ante episcopum, *nempe cum filia confirmationis. De vacatione ab operibus servilibus dominicis festisque per annum diebus habentur egregia. Jejunia per annum nonnisi quadragesimale, quatuor temporum, litaniarum majorum & rogationum; sive quod forte episcopus ad malum aliquod avertendum indixerit, recensentur. Cætera ex ipsa lucubratione repetas, quam hic edo, licet jam dudum in Burchardo vulgatam, cum editum Burchardi opus rarissimum sit; MSS. autem ejus codices licet non adeo infrequentes, pausis tamen sint obvii. Ego in defectu excusi codicis, quo careo, manuscripto veteri, de quo in præfatione dixi, usus sum.*

INTERROGATIO EPISCOPI AUT EJUS MISSI.

I.

EST in hac parœchia homicida, qui hominem aut spontanea voluntate, aut cupiditatis, aut rapacitatis causa; aut casu aut nolens, aut coactus, aut pro vindicta parentum, aut *in bello*, (a) aut jussu Domini, aut proprium servum occiderit?

(a) Beda de remed. peccat. cap. 3

II.

Est aliquis patricida, aut fratricida qui patrem, matrem, fratrem, sororem, avunculum, aut aliquod parentum interfecerit?

III.

Est aliquis, qui presbyterum, aut diaconum, aut aliquem clericorum occiderit, vel aliquo membro detruncaverit?

IV.

Est aliquis, vel aliqua, qui infantem proprium oppresserit, vel vestimentorum pondere suffocaverit. Et si hoc factum est ante baptizatum, aut post baptizatum, aut si infans infirmatus per negligentiam parentis absque baptismo obierit?

V.

Est aliquis, vel aliqua, qui alterius partum excusserit, vel ipsa fœmina propria voluntate suum partum, vel conceptum excusserit, & abortum fecerit?

VI.

Est aliqua fœmina, quæ in fornicatione concipiens, timens ne manifestaretur, infantem proprium aut in aquam projecerit, aut in terram occultaverit quod morbi (manu antiqua morvi) dicuntur?

VII.

Est aliquis, qui uxorem suam absque lege, aut certa probatione interfecerit?

VIII.

Est aliqua fœmina, quæ virum suum vel aliquem hominem per herbas venenatas, vel mortiferas potiones interfecerit? vel aliam hoc facere docuit?

IX.

Est aliquis, vel aliqua, qui hoc fecerit, vel aliquem facere docuerit, ut vir non possit generare, aut fœmina concipere?

X.

Est aliquis, qui proprium servum extra Judicem occiderit, & aliqua fœmina, quæ ancillam propriam necaverit furore zeli inflammata?

XI.

Est aliquis, qui Diabolo impellente semetipsum occiderit?

XII.

Est aliquis, qui in bello publico homines vulneraverit, & nescit si de illo vulnere aliquis perierit; & si alicui imputatur quod hominem occiderit, & ipse hoc denegaverit?

XIII.

ANNO CHRISTI incerto

Est aliquis, qui in consilio fuerit ut homo interficeretur, & non fuit in facto, & tamen per ejus consilium, & hortationem interfectus est?

XIV.

Est aliquis, qui truncationes manuum, pedum, linguæ, & testiculorum fecerit, & oculos alterius eruerit?

XV.

Est aliquis conjugatus, qui cum alterius uxore adulterium perpetraverit, vel uxor cum alterius viro?

XVI.

Est aliquis, uxorem habens, qui concubinam simul habuerit ancillam propriam, aut B aliam fœminam?

XVII.

Est aliquis, qui uxorem legitimam dimiserit, & alteri se conjunxerit, & aliam in conjugium acceperit?

XVIII.

Est aliqua mulier, quæ virum proprium dimiserit, & alteri se conjunxerit? sunt aliqui interveniente repudio, qui ab invicem sint separati & sic maneant?

XIX.

Est aliquis, qui absque consensu uxoris, derelicto legitimo conjugio in monasterium intraverit?

XX.

Est aliquis, qui suam conjugem quamvis culpabilem, sine episcopi judicio reliquerit?

XXI.

Est aliqua mulier quæ con (forte non) suo viro fornicata fuerit?

XXII.

Est aliquis uxore carens, qui cum alterius conjuge fornicatus fuerit; aut si qua mulier non habens virum cum alterius marito?

XXIII.

Est aliquis non habens uxorem, qui cum fœmina, quæ virum non habet fornicatus fuerit?

XXIV.

Est aliqua laica, quæ mœchata fuerit cum D adolescente?

XXV.

Est aliquis qui desponsatam puellam non duxerit, & fidem sponsaliorum fregerit?

XXVI.

Est aliquis, qui quamcumque fœminam virginem, aut viduam per raptum traxerit & sociaverit sibi in matrimonio; & si aliqui sunt, qui hoc consentientes, & adjuvantes fuerint.

XXVII.

Est aliquis, qui cum Judæa, vel si Judæus, vel Paganus cum aliqua Christiana mœchatus fuerit.

XXVIII.

Est aliquis, qui sanctimonialem vel viduam E Deo sacratam rapuerit, & in conjugium sumpserit, vel ipsis consentientibus cum eis fornicatus fuerit.

XXIX.

Est aliquis, qui vivente Matito conjugem ipsius adulterasse accusatur, & ei in proximo defuncto eamdem sumpsisse dinoscitur.

XXX.

Est aliqua mulier, quæ dicat quoniam vir ejus non possit cum ea coire, & ob hanc causam divortium quærit; & alium virum velit accipere.

ANNO CHRISTI incert

XXXI.

Est aliquis, qui cum matre spirituali mœchatus fuerit, vel eam in matrimonium acceperit, similiter, qui cum filiola, quam e sacro Fonte susceperit, aut ante Episcopum tenuit?

XXXII.

Est aliquis, qui propinquam suam, & consanguineam in matrimonium accepit, aut cum ea fornicatus est.

XXXIII.

Est aliquis, qui irrationabiliter, idest contra naturam, cum masculis, & mutis misceatur B animalibus.

XXXIV.

Est aliqua mulier, quæ lenocinium fecerit?

XXXV.

Est aliquis, qui in sua domo consentiat cum propriis ancillis, vel genitialibus suis adulteria perpetrari.

XXXVI.

Interrogandum si aliquis fur, aut sacrilegus sit in eadem plebe, qui Ecclesias Dei fregerit vel de Ecclesia aliqua furatus sit, aut publice rapuerit, vel latenter subripuerit, aut si aliquis rapax, & raptor, & damnator Ecclesiæ Dei est.

XXXVII.

C Interrogandum si aliquis perjurus sit, aut sciens, & pro cupiditate terrena perjuraverit, & si nesciens, aut coactus visu senioris, aut pro membris, aut vita redimenda, aut si quis scienter non solum perjuraverit, sed etiam alios in perjurium duxerit.

XXXVIII.

Interrogandum si aliquis scienter contra aliquem falsum testimonium protulerit, & quale damnum aliquis per hanc testificationem habuerit?

XXXIX.

Interrogandum si aliquis hominem liberum, aut servum alterius, aut peregrinum, aut adventitium furatus fuerit, aut eum blandiendo D seduxerit, aut si aliquis Judæo, vel Pagano Christianum mancipium vendiderit, aut si ipsi Judæi Christiana mancipia in suo servitio habeant, vel vendant?

XL.

Interrogandum si aliquis sit Magus, Ariolus, aut incantator, divinus, aut sortilegus; vel si aliquis vota ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides faciat, aut ibi candelam, seu quodlibet munus deferat, vel ut ibi quoddam numen sit quod bonum, aut malum possit inferre?

XLI.

Perscrutandum si aliquis Subulcus, vel Bubulcus, sive venator vel cuncti alii hujusmodi E diabolica carmina dicant super panem, aut super herbas, aut super quædam nefaria ligamenta, & hæc aut in arborem abscondat, aut in bivio, aut in trivio projiciat, ut sua animalia liberet a peste, & clade, & alterius perdat.

XLII.

Perquirendum si aliqua fœmina sit, quæ per quædam maleficia, & incantationes mentes hominum se immutare posse dicat, id est, ut de odio in amorem, aut de amore in odium convertat, ut bona hominum aut damnet, aut subripiat. Et si aliqua est, quæ se

dicat

dicat cum Dæmonum turba in similitudine mulierum transformata certis noctibus equitare super quasdam bestias, & in eorum consortio adnumeratam esse. ANNO CHRISTI incerto

XLIII.

Interrogandum si aliquis sanguinem, morticinum, aut dilaceratum a bestia comederit.

XLIV.

Est aliquis, qui juravit quod Deo contrarium est ut Fratri numquam reconcilietur, quod est peccatum usque ad mortem.

XLV.

Est aliquis, qui bibit de liquore, in quo Mustela, vel mus, sive aliquod immundum animal injectum est.

XLVI.

Est aliquis, qui Jejunium Quadragesimale, vel quatuor temporum, sive Litaniæ majores, vel rogationum, sive indictum ab Episcopo jejunium pro quacumque plaga non observaverit.

XLVII.

Est aliquis, qui bibit, aut manducavit, aut portavit super se quo existimaverat se Dei judicium pervertere posse.

XLVIII.

Est aliquis, qui Kal. Januarii aliquem fecerat, quod a Paganis inventum est, & dies observavit, & Lunam, & Menses, & horum effectiva potentia aliquem speraverat in melius, aut in deterius posse converti.

XLIX.

Est aliquis quodcumque opus inchoans, qui aliquid dixerat, aut quacumque magica arte aliud fecit, nisi ut Apostolus docet omnia in nomine Domini facienda. Neque enim Dæmones in nostrum adjutorium debemus invocare, sed Deum.

In collectione similiter herbarum medicinalium symbolum, & orationem Dominicalem dicere oportet, & nihil aliud.

L

Quærendum etiam si mulieres in lanificiis suis vel in ordiendis telis aliquid dicant, aut observent nisi ut supra dictum est omnia in nomine Domini.

LI.

Est aliquis, qui oblationes, vel eleemosynas parentum defunctorum injuste retineat.

LII.

Est aliquis, qui supra mortuum nocturnis horis carmina Diabolica cantaret, & biberet, & manducaret ibi, quasi de ejus morte gratularetur. Etsi alibi mortui in vigiliis nocturnis, nisi in Ecclesia custodiantur.

LIII.

Est aliquis, qui non communicet vel tribus temporibus in anno, idest in Pascha, Pentecosten, & Natale Domini, nisi pro mortiferis criminibus & Episcopi, vel Sacerdotum judicio a comunione non fuerit remotus.

LIV.

Est aliquis, qui in die Dominica, vel in præcipuis festivitatibus quidquam operis faciat, & si ad Matutinas, & ad Missam, & ad Vesperas impræmissse omnes currant.

LV.

Est aliquis excommunicatus, qui pro nihilo duxerit excommunicationem, & si aliquis cum excommunicato communicaverit.

LVI.

Est aliquis, qui modum pœnitentiæ sibi injunctum non custodierit.

Est aliquis, qui patrem, aut matrem inhonoraverat, aut percusserat, aut maledixerat? ANNO CHRISTI incerto

LVII.

Est aliquis, qui vomitum post Eucharistiam acceptam per ebrietatem fecerat?

LVIII.

Est aliquis, qui suam decimationem Deo, & sanctis ejus detraxerat?

LIX.

Est aliquis qui tam perversus, & Deo alienus sit, ut saltem Dominica die ad Ecclesiam non venerit?

LX.

Si Porcarii, & alii pastores Dominica die ad Eccclesiam non veniant, & Missam non audiant similiter in aliis festivitatibus.

LXI.

Est aliquis, qui ad Confessionem non veniret, vel una vice in anno, idest in capite Quadragesimæ, & pœnitentiam pro peccatis suis non susciperet?

Est aliquis, qui assiduam ebrietatem sectatur Apostolo dicente; *neque enim ebriosi regnum Dei possidebunt.*

LXII.

Est aliquis, qui contempto suo presbytero, in aliam parochiam iret ad ecclesiam & ibi communicaretur, & suam decimam daret?

LXIII.

Inquirendum de mendicis, qui per patrias discurrunt, & si unusquisque pauperem de familia sua pascat.

LXIV.

Interrogandum si in unaquaque plebe Decani sunt per villas constituti viri veraces, & Dominum timentes, qui cunctos admoneant ut ad Ecclesiam pergant ad matutinas missas, & ad Vesperam, & nihil operis in diebus festis faciant, & si horum quisquam transgressus fuerit statim presbytero annuntient, similiter de luxuria, & omni opere pravo.

LXV.

Est aliquis, qui bandum Episcopi, aut presbyteri sui excommunicationem parvipendens pro nihilo duxerit.

LXVI.

Perquirendum si Parochiani presbytero suo debitum suum impendant, aut si est aliquis qui cum verbo, vel pacto inhonoret, & ejus monita spernet.

LXVII.

Est aliquis qui peregrino, aut Viatori hospitium contradixerit.

LXVIII.

Inquirendum est quas festivitates colant.

LXIX.

Interrogandum si patrini filiis suis symbolum, & Orationem Dominicam insinuant, aut insinuari faciunt.

LXX.

Perquirendum si quatuor, aut quinque, vel plures interfecerint homines.

LXXI.

Est aliquis, qui contradicat Episcopo, aut ejus ministris? Ne coloni, aut servi pro commissis criminibus virgis nudi cædantur?

LXXII.

Inquirendum si aliquis peregrinum, qui de sua patria propter Paganorum infestationem, vel persecutionem fugit, hac de causa quia in domo ejus mansit, & diebus, aut annis loco mercenarii illi servivit pro proprio servo illum velit

velit habere, & vendere, aut dare alicui præ- A
sumat?

ANNO CHRISTI incerto

LXXIII.

Est aliquis, qui injusta mensura suam annonam, aut vinum vendat, cum Dominus dicat, *æquus sit tibi modius, & æquus sextarius*.

LXXIV.

Denuntiandum etiam quam magnum piaculum sit usuras exigere, & de alieno fœnore velle ditescere, & quod sacri Canones tales ab Ecclesia ejici præcipiant.

LXXV.

Est aliquis, qui propter cupiditatem Judæum, atque Paganum interfecerit?

Est aliquis insaniens qui aliquem hominem B occiderit.

LXXVI.

Est aliquis, qui, cum arborem succiderit, & dum operi necessario insisteret aliquis subtus arborem deveniens improvise opprimeretur?

LXXVII.

Est aliquis, qui conjurationes, & conspirationes sectaretur?

LXXVIII.

Est aliquis, qui ecclesiam, aut Clericum fatigare præsumpserit? ANNO CHRISTI incerto

LXXIX.

Inquirendum de profugis, & perfidis Clericis, & Laicis.

LXXX.

Percontandum de confratribus, & Fraternitatum societatibus qui aliter in Parœchiis agantur.

LXXXI.

Interrogandum si cantica turpia, & risum moventia aliquis circa Ecclesiam cantare præsumat.

LXXXII.

Perquirendum si aliquis Ecclesiam intrans fabulis vacare consuevit, & non diligenter auscultare divina eloquia, & si antequam Missa finiatur de Ecclesia exierit.

LXXXIII.

Interrogandum si oblationem, idest panem, & vinum viri, & fœminæ ad Missas offerant, etsi non viri conjuges offerant pro se, suisque omnibus ut in Canone continetur.

CONCILIUM IN DANIA

ANNO CHRISTI 1257.

PRO EPISCOPORUM SECURITATE

Celebratum anno Domini MCCLVII.

Ex Alexandri IV. epist. 674. lib. III. excerptum est atque editum ab Odorico Raynaldo.

* *Daniæ hoc ævo Daciæ vocabatur.*

CUm ecclesia Daciana * adeo gravi persecu- C
tioni sit exposita tyrannorum, quod episcopis, qui se pro domo Dei murum objiciunt defensionis, etiam in præsentia domini regis in ipsorum personas non verentur minas injuriosas inferre, quæ satis probabiliter sunt timendæ, cum clerus sæcularis defensione videatur carere penitus potestatis, ac illorum superbia a metu regio libera & secura, in malum possit ascendere, quantum velit: sanxit præsentis concilii authoritate.

D

I.

Ut quicumque episcoporum infra terminos regni Daciæ mala captione, de mandato domini regis, sive ejus conniventia, vel consensu, vel alicujus nobilis qui manet infra fines prædicti regni, captus fuerit, vel membrum amiserit, aut atrocem injuriam in persona sua passus fuerit, ipso facto, dummodo probabiliter præsumi possit hoc de voluntate domini E
Regis processisse, ac dubium non sit ipsum hoc faciliter corrigere posse, in toto regno Divina sint officia interdicta.

II.

Si vero aliquod prædictorum alicui episcoporum illorum * fuerit per aliquem potentem, qui manet extra regnum Daciæ, & ex conjecturis conjici aliquo modo, hoc ex regis, vel principum, sive nobilium regni Daciæ consilio proveniisse: eo ipso ejusdem episcopi diœcesis a celebratione mysteriorum sileat Divinorum. * *f.* illatur

III.

Et si rex admonitus per duos episcopos, vel quoscumque clericos suæ diœcesis, distulerit, vel non curaverit taliter læso infra mensem justitiam exhibere: regnum ipsum usque ad condignam satisfactionem habeatur a Divinis suspensum.

IV.

Prohibemus etiam sub excommunicationis pœna, ne aliquis presbyter, seu capellanus alicujus nobilis, durantibus prædictorum interdictorum sententiis, ipsis nobilibus præsentibus, aut aliquo alio, in curiis dictorum nobilium, vel alias publice, vel private, Divina celebrare præsumat: quod qui fecerit, sciat se excommunicationis sententiam incurisse.

ANNO CHRISTI 1257.

CONCILIUM LANCICIENSE,

CONTRA BOLESLAUM SILESIÆ DUCEM,

Qui episcopum Wratislaviensem, & presbyteros duos, captos in carcerem conjecerat,

A Fulcone Gneznensi episcopo celebratum anno MCCLVII.

Hujus argumentum synodi enarrat Martinus Cromerus, lib. IX. de origine & gestis Polonorum. Boleslaus, *inquit*, Calvus, Silesiæ dux, cum dolore amissæ Glogoviæ percitus, tum bello superiore exhaustus, ut iram simul & cupiditatem suam expleret, facinus aggressus est impium & sacrilegum. In episcopum enim Wratislaviensem Thomam, templum Gorcense dedicantem, & Bogufalum præpositum, & Heccardum canonicum, cum Theutonibus satellitibus suis manus injecit, captosque ad subuculam usque expoliavit, & in arcem Wlai, atque inde Legniciam deportavit. Poscebat autem eos decem millia marcarum: quæ cum non darent, conjecit eos in tetrum carcerem, constrictos pedibus. Qua re cognita Fulco archiep. Gneznensis, Leniciam synodum convocavit, ac de synodi sententia Boleslaum Calvum diris devovit: Wratislaviensi vero omni diœcesi sacris interdixit. Deinde cum nihilo magis dimitteret captos Boleslaus, pontificem max. Alexandrum quartum certiorem ea de re fecit: & quid porro fieri oporteret, rogavit. Rescripsit ille archiepiscopo, ut Poloniam omnem ad arma contra Boleslaum sumenda crucis prædicatione una cum ceteris episcopis concitaret. In eandem sententiam Magdeburgensi quoque archiepiscopo de concitandis Germanis scripsit. Sed interim Thomas pertæsus diri carceris, duobus millibus marcarum, & commutatione decimarum manipularium in pecuniarias per totam diœcesim suam, una cum præposito & canonico se redemit.

Eadem fere Matthias Michoviensis chronic. Polon. lib. XII. cap. XLVIII.

LONDINENSE CONCILIUM PROVINCIALE

PRO ECCLESIÆ ANGLICANÆ NEGOCIIS TRACTANDIS,

Anno 1257. habitum.

Ex Matth. Paris. in hunc an. & Ann. Burton pag. 381.

HOc anno Bonifacius archiepiscopus Cantuar. episcopos & archidiaconos provinciæ suæ convocavit ad subveniendum ecclesiæ a papa & rege fere oppressæ. M. Paris. ita de hoc loquitur: " Diebus sub eisdem archiepiscopus Cantuar. Bonifacius convocavit episcopos & archidiaconos provinciæ suæ, ut invocata devote Spiritus Sancti gratia, ecclesiæ jam vacillantis Anglicanæ, quæ novis oppressionibus modernis annis solito gravioribus & intolerabilioribus opprimitur, statui subvenirent, communiter contractantes.

Mandatum archiepiscopi Cant. pro synodo.
Ex Annal. Burton p. 381.

" Adam Eyton. officialis archidiaconi Staffordiæ, dilecto sibi in Christo decano de Thamwooth & Tothesbiri salutem in Domino. Mandatum venerabilis patris domini Coventrensis & Licheſeldensis episcopi suscepi in hæc verba: Viro venerabili archidiacono Staffordiæ vel ejus officiali, magister J. de Attleberg, officialis venerabilis patris Coventrensis & Licheſeldensis episcopi, salutem. Mandatum domini Cantuar. archiepiscopi suscepimus in hæc verba:

Bonifacius, miseratione divina Cantuar. archiepiscopus, totius Angliæ primas, dilecto sibi in Christo officiali Conventrensis & Licheſeldensis diœcesis, salutem, gratiam, & benedictionem. Cum necessitas immineat, & utilitas persuadeat, quod nos & venerabiles patres suffraganei nostri una cum aliis prælatis Cantuar. provinciæ de communibus negotiis Anglicanæ ecclesiæ tractaturi convenire debeamus, discretioni vestræ mandamus, in virtute obedientiæ firmiter injungentes, quatenus in octavis assumptionis beatæ Mariæ, omni occasione & dilatione postpositis, Londoniis personaliter interſitis, ad tractandum nobiscum una cum coepiscopis nostris de negotiis supradictis. Nihilominus citetis decanum Licheſeldensis & priorem Coventrensis cathedralium ecclesiarum, necnon abbates & alios priores, qui non subsunt abbatibus; archidiaconos Licheſeldensis & Coventrensis diœc. in virtute obedientiæ præcipiendo, ut prædicti decanus, & prior dictarum cathedralium ecclesiarum, abbates, & alii priores cum literis procuratoriis nomine congregationum suarum confectis, ac dicti archidiaconi cum literis similibus factis ex parte clericorum, qui subsunt eisdem, super ratificatione eorum, quæ opitulante Domino ad honorem Dei; & commodum prædictæ ecclesiæ inter nos communiter tractabuntur, omnibus aliis prætermissis, dictis die & loco personaliter debeant interesse. Dat. apud Otteford, &c. Exemptos vero ad dictos diem & locum similiter convocet.

Hu-

☞ Hujus igitur auctoritate mandati vobis manda-
——mus, quatenus prædictum mandatum domini
ANNO CHRISTI 1257. Cantuarienſis archiepiſcopi in archidiaconatu veſtro diligenter & efficaciter exequamini. Dat. die dominica proxima ante feſtum beati Jacobi apoſtoli, anno ſupradicto. "

Cauſæ expoſitæ per dominum Bonifacium, Cantuarienſem archiepiſcopum, de convocatione facta ſuper ſtatu eccleſiæ Anglicanæ in melius reformandæ.

" Cum in ultima convocatione de communi conſenſu & voluntate prælatorum & cleri Londoniis præſentium, & procuratorum abſentium, oblata eſſet domino regi quædam certa ſumma pecuniæ, ſcilicet lii. M. lib. argenti, ſub certis conditionibus, ut omnes exactiones, quas " Gratias " vocant, a domino papa domino regi conceſſæ, & per magiſtrum Ruſtandum publicatæ, omnino ceſſent, & talia infuturum... & eccleſia Anglicana per dominum regem ſuis penitus relevetur, ut prælati abſentes oblationem prædictam duxerint acceptandam; & rex reſpondiſſet ſuper his ſe velle deliberare uſque in reditu nunciorum ſuorum, quos ad Franciam miſerat, qui jam noviter redierunt; deliberandum eſt a clero, an expediat mittere ad dominum regem, ad audiendum reſponſum ſuum, an velit accipere dictam oblationem vel non.

Item, an expediat, ut confeſtim mittatur ad curiam ſedis apoſtolicæ ſuper compoſitione prælocuta, per oblationem dictæ pecuniæ confirmanda, vel alia ineuda ad utilitatem eccleſiæ Anglicanæ; vel talis miſſio nunciorum ſit differenda uſque in adventum reſponſionis domini regis ſuper præmiſſis.

Item, qualiter poſſet provideri libertatibus eccleſiæ, & perſonis eccleſiaſticis ſuper oppreſſionibus indebitis, quibus per ſæculares judices multipliciter aggravatur, ſicut in articulis talium gravaminum plenius continetur.

Item, cum dominus rex prohibuerit prælatis eccleſiæ ſub forisfactura omnium terrarum ſuarum, quas de eo tenent, ne venirent ad hujuſmodi convocationem, auctoritate domini archiepiſcopi factam, an liceat & deceat & expediat tractare in hujuſmodi convocatione de negotiis eccleſiæ a prælatis vel potius, quod abſit, prohibitioni regiæ parere, præſertim cum dominus archiepiſcopus ſe offerat ad proſequendam cauſam eccleſiæ in præmiſſis, & in aliis omnibus in propria perſona, ſi neceſſe fuerit, nulliſcunque damnis vel expenſis volens parcere, dum tamen ſuffraganei & clerus provinciæ ſuæ aſſiſtere velit ſibi concorditer in defenſione jurium prædictorum, in conſiliis & auxiliis impendendis. "

Ut remedium aliquod ſalubre excogitaretur ad ſubveniendum calamitatibus, quibus eccleſia per exactiones papæ & regis vexabatur, archiepiſcopus Cantuar. concilium hoc ſola ſua auctoritate convocavit; rex autem cunctis prælatis ſub forisfactura omnium bonorum ſuorum prohibuit mandato vel ſummonitioni archiepiſcopi morem gerere. Prohibitionis autem regiæ hic fuit tenor:

Rex H. Lincoln. epiſcopo, ſalutem. Cum pro exercitu noſtro, cum quo tendimus ad partes Ceſtriæ, contra Wallenſes inimicos noſtros, vos & omnes alios prælatos & magnates regni noſtri fecerimus ſummoneri, ad eundum nobiſcum cum toto ſervitio ſuo, nobis debito, pro defenſione terræ noſtræ contra prædictos Wallenſes; & archiepiſcopus Cantuar. quandam convocationem epiſcoporum fieri fecerit London. in octav. aſſumptionis beatæ Mariæ, ut audivimus; quæ quidem convocatio, aut alii tractatus, vel concilia, nobis exiſtentibus & agentibus in exercitu noſtro, fieri non debent, eo quod ſinguli tam prælati quam alii in propriis perſonis venire debeant ad defenſionem coronæ & regni noſtri, & per abſentiam eorundem grave nobis & terræ noſtræ periculum poſſet imminere; inhibuimus diſtricte præfato archiepiſcopo, ne dictam convocationem faciat, ſed convocationem illam, dum fuerimus in exercitu noſtro, penitus revocet, & ſuſpendat; unde ſub debito fidelitatis, qua nobis tenemini, & forisfactura omnium terrarum, & tenementorum, quæ in regno noſtro tenetis, vobis diſtricte prohibemus, ne ad convocationem hujuſmodi, dum fuerimus in exercitu noſtro, accedere præſumatis, ſed ad nos verſus Walliam pro defenſione noſtra & terræ noſtræ contra prædictos Wallenſes, ſine moræ diſpendio veniatis, ſervitium veſtrum nobis debitum perſonaliter impenſuri, ne pro defectu veſtri exhæreditationem perpetuam patiamur. Teſte meipſo apud Wodeſ. 19. die Julii.

ANNO CHRISTI 1257.

Aſt epiſcopi & prælati regiam deſpicatui habentes prohibitionem, archiepiſcopique mandato aſſurgentes, in concilio variis de rebus tractabant.

Iſti articuli ſunt conceſſi in concilio archiepiſcopi.

" Quod in eccleſiis non intrudantur clerici per laicos, ſed per ſuos ordinarios inſtituantur, vel diſtituantur.

Item, quod non trahantur in foro ſeculari, ut reſpondeant, quare excommunicaverint.

Item, quare dedicaverint eccleſiam, vel capellam.

Item, quod non reſpondeatur brevi quod dicitur, " Quare non admiſit clericum. "

Item, quod illis, qui fugerint ad eccleſiam pro immunitate, non denegentur alimenta, nec poſtquam regnum abjuraverin, extrahantur a via, nec interficiantur; cum hoc ſit tam contra regiam dignitatem, quam contra eccleſiaſticam libertatem.

Item, quod clerici degradati pro crimine, non priventur poſtea bonis mobilibus, vel immobilibus temporalibus, ne bis puniantur in idem, cum non ſint damnati in foro ſeculari, nec damnari poſſint, & nullus debeat privari mundanis, niſi prius damnatus fuerit in foro ſæcullari.

Item ſi clerici irretiti de crimine liberentur eccleſiæ, quod eorum bonis mobilibus ſeu immobilibus non priventur.

Item, quod dominus rex non impediat teſtamenta epiſcoporum, nec extendat manum ad bladum, quod ſeminaverint, vel ad alia bona epiſcoporum defunctorum.

Item quod mortuo aliquo laico ſine teſtamento, non capiantur bona ipſius in manus dominorum, ſed inde ſolvantur debita ipſius, & reſidua in uſus filiorum ſuorum, & proximorum indigentium, & pro ſalute animæ defuncti in pios uſus per ordinarios convertantur, niſi quatenus fuerit domino ſuc obligatus. Idem de ſervis, ſalvis ſervitiis & conſuetudinibus dominorum ſuorum.

Item, quod damnentur brevia facta ſine conſilio, & quod de cætero non fiant.

Item,

Item, quod non capiantur hoſpitia clericorum ſeu prælatorum violenter, quod fit multoties, fractis oſtiis & verberatis cuſtodibus, contra libertatem. Nec carectæ vel equitaturæ eccleſiaſticarum perſonarum ad cariandum res ſuas vel commercia capiantur.

Item, quod eccleſiarum prælati habeant pacifice libertates antiquas, quibus uſa eſt eccleſia ante memoriam hominum. Nec cogantur oſtendere quo jure vel warranto utantur eiſdem, nec impediantur uti eis.

Item, quod epiſcopi, qui habent amerciamenta hominum ſuorum ex antiqua conſuetudine, ſeu per chartam regum conceſſa, petunt ipſa amerciamenta eis ipſis allocari in ſcaccario, ita quod de cætero non veniant in ſummonitionem.

Item, cum dominus rex mittit per diverſos commitatus inquiſitores ſuper certis articulis, qui de levi poſſunt inquiri, ſummoneantur omnes villatæ & liberi de comitatu, & illi, qui non venerint, amercientur, acſi eſſent juſtitiarii ad omnia placita.

Item gravatur tam clerus quam populus in hoc, quod cum aliquis ſummonitus ſit ad curiam domini regis ad reſpondendum de aliquo placito, per quod debeat attachiari, ſi fecerit defaltam, ponetur per validum ſalvos plegios, & poſtmodum per meliores plegios. Ad primam vel ad ſecundam defaltam amerciatur, attachiatur, priuſquam comparuerit in curia, & hoc contra legem terræ, cum primam ſummonitionem poſſet defendere, & primam & ſecundam defaltam dediſcere & ſalvare in aliis caſibus.

Quantum ad primum articulum, communiter ſentimus in caſu primo procedendum. Cum dominus rex diſtulerit reſponſum ſuum ſuper oblatione ſibi dudum facta uſque ad reditum nunciorum ſuorum de Francia, qui jam redierunt, videtur honeſtum, quod mittatur ad ipſum ad audiendum reſponſum ſuum.

Ad ſecundum, de neceſſitate oportet quod mittantur confeſtim ad curiam Romanam ſimplices nuncii, ad renitendum impetrationibus contra eccleſiam Anglicanam. Et poſt reſponſum domini regis mittantur nuncii celebres & ſolennes.

Ad tertium articulum, cum eccleſia Aglicana jam triennio elapſo gravibus exactionibus & concuſſionibus ſit oppreſſa, quod per bonorum ſuorum direptionem ac indebitam ſubtractionem eccleſiaſticæ perſonæ nimium ſint depreſſæ, ita quod nec paſtoralis officii ſolicitudo debite valeat adimpleri, ſic ſentimus, eſſe reſiſtendum. Quod, ſi contingat clericum vel laicum per poteſtatem ſecularem de cætero bona eccleſiarum diripere, diminuere, vel aliter expilare, ſanguinem teſtamenti pollutum ducendo, principes eccleſiæ, ſucceſſores videlicet apoſtolorum, hujuſmodi ſacrilegos invaſores publice excommunicent, & faciant per diœceſes ſuas in ſingulis eccleſiis publice & ſolenniter excommunicari, & excommunicatos denunciari. Inſuper loca & terræ hujuſmodi invaſorum interdicto eccleſiaſtico ſupponantur, in quos ſtatuantur aliæ pœnæ ſacrilegii, antequam abſolutionis beneficium mereantur. Inſuper fautores & cooperatores re & facto, aut conſilio pœnis ſimilibus ſubjiciantur: hoc addito, quod ſi clerici fuerint, ab officio eccleſiaſtico & beneficio ipſo facto ſint ſuſpenſi. Et ſi contingat viros eccleſiaſticos reſiſtentes, ob iſtam cauſam capiant incarcerari, captoribus & detentoribus pœnæ ſuperiores ſint infligendæ. Et loca, ubi hujuſmodi perſonæ detinentur, interdicto eccleſiaſtico ſupponantur. ANNO CHRISTI 1257.

Item, quia credimus, quod præter certam ſcientiam ſedis apoſtolicæ multa gravamina ſunt impetrata in præjudicium & ruinam eccleſiæ Anglicanæ, dominum papam apoſtolum .... veruntamen poſtpoſita appellatione nos prælati cum clero, nos & bona noſtra protectioni ſedis apoſtolicæ ſubmittentes. Nequaquam vero ambigimus nos & vos de diuturno dicti temporis ſilentio graviter deliquiſſe, eo quod credimus efficacius poſſe reſiſtere in præmiſſis.

Item magiſter Ruſtandus in receſſu ſuo voluit & decrevit, quod ab executionibus gravaminum inchoandis omnino maxime ſuperſedeatur, donec nuncii domini regis a curia revertantur Romana.

Quantum vero ad reſiſtentiam aliarum oppreſſionum contra libertatem eccleſiaſticam, ſentimus diſcuſſionem fieri articulorum & gravaminum, & ſeparationem de eiſdem, uſque in his, in quibus diſſimulari non poteſt ſine periculo animarum. Licet vero abſque rerum diſcrimine, ut in primo caſu contra hujuſmodi ſacrilegos procedatur in forma præmiſſa, in ſecundo caſu via procedendi provideatur ſecundum ordinationem patrum venerabilium epiſcoporum.

Concilium archiepiſcopi & omnium epiſcoporum ſuper articulis præpoſitis apud Londonias.

Petit perſona eccleſiaſtica decimas coram judice eccleſiaſtico. Judicanti & petenti porrigitur regia prohibitio, nomine patroni eccleſiæ, cujus rector convenitur, ne ſuper advocatione ſeu patronatu eccleſiæ judex ille cognoſcat. Si actor proſequatur & judex judicantis officium aſſumat, uterque attachiatur, & attachiati veniunt. Conſilium tale eſt: quod ſi juſtitiarii cauſam decimarum ſub colore querelæ advocationis eccleſiarum ad ſe trahere velint, & de non proſequendo ulterius cauſam decimarum in foro eccleſiaſtico, a judice ſive a parte ſecuritatem exigunt, in nullo eis caveatur. Et ſi propter hoc arreſtentur, per loci diœceſanum requirantur, ſive per epiſcopum proprium. Et ſi libere non tradantur eccleſiæ, competenti monitione præmiſſa, excommunicentur judicantes, & detentores. Et ſi quæratur a judice quota pars vel quanta petatur, non reſpondeatur.

Epiſcopo eccleſia appropriata, vacante epiſcopatu, ſi rex ratione cuſtodiæ baroniæ per ſuos ballivos ad eccleſias appropriatas, ſeu ad quæcunque alia ſpiritualia manus extendat, per ipſum ad quem vacante ſede devolvitur juriſdictio, & ſpiritualis cuſtodia, ballivi monitione præmiſſa excommunicentur.

Hoc idem fiat per epiſcopum in vacantibus abbatiis ſeu prioratibus, ſi laici patroni ad eccleſias appropriatas ſeu alia ſpiritualia occupanda ſe convertant. Et ſententias, quas ſucceſſor invenerit, inviolabiliter obſervet.

Ordinarii judices ad querelam laici de laico feodo vel catallis non cognoſcant, ſi tamen hujuſmodi, fide data vel ſacramento adhibito de fidei transgreſſione, ſeu ſacramenti violatione, per inquiſitionem ſive per facti evidentiam, ſeu alio modo legitime conſtiterit,

mor-

☞ mortaliter sic peccans legitime commonitus ad condignam pœnitentiam agendam compellatur. A

ANNO CHRISTI 1257.

Clericus super actione personali trahitur ad forum seculare; non veniet, nisi de conscientia & consensu episcopi, & suum alleget privilegium, sed non respondeat. Si arrestetur, per suum requiratur episcopum; & si non tradatur eidem, judicantes & detentores, si sint de jurisdictione episcopi, qui eum requirit, monitione præmissa, excommunicentur; & si non sint de jurisdictione sua, ad ejus denunciationem per proprium episcopum, post canonicam admonitionem, excommunicationis sententia innodentur.

Vocantur laici ut compareant coram suis ordinariis, ad inquirendum super excessibus subditorum. Si non compareant; eorum contumacia per excommunicationis & interdicti sententias puniatur. Hoc idem fiat de eorum dominis, si per eos impediantur. B

Attachiatur prælatus, ut compareat in foro regio, ostensurus quare tenuit placitum contra prohibitionem regiam. Comparet & negat, per testimonium duorum ribaldorum indicitur ei purgatio. Consilium Dei est, & omnium prælatorum, ut nullo modo juret coram judice seculari, cum ratione dignitatis & officii major sit eo. Quid ergo? Arrestabitur? patienter sustineat. Et si princeps vel judex ille aliquam terram habeat in sua diœcesi, illam interdicat. Quod si sic non fuerit liberatus, archiepiscopus & omnes episcopi celeriter ac fortiter insurgentes, gladium spiritualem assumentes, hujusmodi detentores unanimiter feriant, & per interdicti & excommunicationis sententias tam in terris quam in personis coerceant. C

Clericus in actione personali ad mandatum regis foro sistitur seculari: requiritur & liberatur, & postea amerciatur, Scribitur ordinario ut compellat eum ad satisfaciendum de amerciamento. Non compellet eum ordinarius, quoniam clericus jam sic non esset ecclesiæ libere traditus. Quod si distringatur episcopus ad ipsum compellendum ut satisfaciat, per interdicti & excommunicationis sententias se defendant, ut in casibus supradictis. D

Hoc idem faciat episcopus, quandocunque clericus amerciatur in causa, de qua non potest secularis judicare. Si autem pro illo amerciamento ad opus regis servando scribatur eidem, quod si causa cognita, vel facti evidentia, vel alio modo legitime de sua injuria coram ordinariis legitime constiterit, per ipsum ordinarium, sive domino regi, sive alii querelanti injuriam passo, satisfactionem condignam impendat.

Hoc autem ab omnibus archiepisc. & episcopis summa solicitudine observandum est. Quod si aliquis episcopus ob quamcunque causam, sive seipsum solummodo contingentem, pro aliqua transgressione libertatis ecclesiæ in E suo episcopatu facta, vel pro personali injuria, vel reali, suum episcopatum ecclesiastico interdicto supponat, cæteri episcopi universi injuriam unius propriam reputantes, ac quod injuriatum existit in uno episcopatu, in suo episcopatu latam injuriam existimabunt. Simile etiam interdictum in suis episcopatibus singuli ex condicto faciant. Idem de excommunicatis & interdicti sententiis observetur sub ista forma.

De .....

ANNO CHRISTI 1257.

Et super istis articulis prænotatis fecit Bonifacius, Cantuar. archiepiscopus, suorum suffraganeorum sibi subditorum universorum, prælatorum pariter & cleri procuratorum, convocationem isto anno apud Londonias semel & secundo propter gravamina & oppressiones de die in diem per summum pontificem & dominum Henricum regem ecclesiæ Anglicanæ irrogatas. "

In hac convocatione, quæ semel & secundo, dicentibus Annalibus Burtonensibus coadunata fuit, quinquaginta circiter articuli a clero provinciæ Cant. excogitati sunt, quos cum occasione eorum, uti a Matth. Parisii continuatore recitantur, pag. 816. & 1118. hic exhibemus.

" Circa idem tempus prælati Angliæ miserabiliter enervati & meticulosi constantiam Cistercienſium minime consequentes (qui regi pecuniam inæstimabilem exigenti in faciem restiterunt) concesserunt regi quadraginta duo millia marcarum, in enormem ecclesiæ & regni læsionem & jacturam irrestaurabilem; & concessa fuit hæc pecunia vel domino regi, vel ipsi, ad mancipandum regnum Apuleæ Edmundo filio regis. Sed illius regni acquisitio dietim cepit incrementum desperationis. Rex autem, qui parum hoc munus acceptavit, promisit se citissime ecclesiæ oppressiones temperando ad statum debitæ libertatis revocare. Unde formati sunt articuli circiter quinquaginta, quos prælati in scripta redegerunt, ut apto tempore coram rege, & magnatibus, & prælatis lecti, effectum debitum sortirentur. Qui articuli vel capitula similia fuerunt illis pro quibus beatus Thomas, archiepiscopus Cantuarienſis martyr dimicavit, victor effectus gloriosus.

Articuli pro quibus episcopi Angliæ fuerant pugnaturi.

I.

Inprimis, quod vacantibus ecclesiis cathedralibus seu conventualibus, conventus talliantur, terræ relinquuntur incultæ, vastantur nemora, parci, & vivaria, corruunt ædificia, diripiuntur bona, depauperantur villani, & male tractantur, ita quod mendicare coguntur prælati succedentes per tempora diuturna; quod est contra domini regis chartam, & etiam ecclesiasticam libertatem. Et in tantum jam crevit malitia, quod escheatores non ad bona abbatum & priorum usui decedentium deputata, manus extendunt, verum etiam ad blada instaurata, & alia, quibus conventus sustentari debet; ita quod occasione talis custodiæ quandoque religiosi debitis gravibus onerati, & alias multipliciter depauperati, resurgere non possunt; nec ad statum debitum pervenire temporibus diuturnis.

II

Item, cum ecclesiæ cathedrali seu monasterio ecclesiasticum beneficium sit annexum, si curam habeant animarum, illud occupant custodes gardarum, decimas & obventiones & alios proventus inde percipientes, contra Deum & omnia jura, cum talia beneficia non pertineant ad baroniam, & ratione laicalium bo-

no-

norum tantum ad dominum regem custodem devolvuntur.

III.

Item cum electiones in ecclesiis cathedralibus seu conventualibus debeant esse liberæ, tot & tales preces regales interveniunt, quibus electores perterriti, sæpius divinæ humanam præferunt voluntatem. Eodem modo fit de ecclesiis vel præbendis, ad opus regalium clericorum, cum eas vacare contingit.

IV.

Item, celebratis electionibus & præsentatis domino regi electis, interdum differt adhibere consensum electo, vel electioni absque causa rationabili se opponens, ut sic electi per timorem cedere, vel electores precibus regis & voluntati acquiescere compellantur, ex quibus multa pericula tam spiritualia quam temporalia contingunt ecclesiis.

V.

Item, cum aliquando in casu a jure non concesso, ad prælatum superiorem devolvitur potestas ordinandi de ecclesia cathedrali vel collegiata vacante, dominus rex privilegium Christi concessum de licentia eligendi ab electoribus ante electionem celebrandam ab eo petenda, ad hujusmodi ordinationem nititur extendere, in suæ salutis dispendium, & scandalum plurimorum, & etiam contra patris sui chartam, super electionibus concessam.

VI.

Item in ecclesiis parochialibus & præbendalibus curam animarum habentibus, intrudit clericos per laicam potestatem, ordinariis penitus irrequisitis, & sæpius institutos ab ordinariis destituit & eiicit. Destitutos etiam ab eisdem, licet degradatos, restituit, tam in monasteriis quam parochialibus ecclesiis, & sic restitutos armata manu defendit.

VII.

Item prælatos trahit ad forum suum, ut ibi respondeant, quare subditos suos excommunicaverint, vel denunciaverint excommunicatos; sicut quare non admiserit clericum idoneum præsentatum ad aliquam ecclesiam etiam parochialem.

VIII.

Item, si quis laicus vel etiam clericus sibi vel suis justitiariis de clerico conqueratur super aliqua violentia, vel alia injuria, de debitis etiam vel aliis personalibus actionibus, si clericus laicum feodum habeat, per illud distringitur ad comparendum in foro suo super talibus responsurus. Quod si tale feodum non habeat, distringitur episcopus per baroniam suam, quod clericum ipsum ad hoc faciendum illuc venire faciat. Idem etiam facit de religiosis interdum.

IX.

Item, cum prælati ecclesiastici inquirere volunt de peccatis subditorum, prohibentur laici, ne de veritate dicenda, aut de credulitate aliquod juramentum exponant; aut prælatis super hujusmodi obediant; propter quod multorum excessus, & peccata mortalia, incorrecta & impunita relinquuntur, & sic præstatur audacia delinquendi, & peccati facultas.

X.

Item, cum quis excommunicatus pro offensa vel contumacia post xl. dies ad mandatum ecclesiæ secundum consuetudinem, per breve domini regis capitur; & postea sine assensu sui prælati, ad cujus instantiam capitur, & absque aliqua satisfactione, contra jus & consuetudinem regni ac ecclesiæ libertatem, per breve domini regis liberatur.

ANNO CHRISTI 1257.

XI.

Item, vicecomites tales excommunicatos ad mandatum domini regis non capiunt, & si capiant, liberant sine mandato regio, & satisfactione.

XII.

Item, dominus rex, justitiarii, & ballivi sui passim & indifferenter excommunicatis communicant tam in divinis, quam in judiciis. Et etiam dominus rex excommunicatos & claves ecclesiæ contemnentes, ad mandatum suum captos, facit liberari, ad causam, si quam habent, in curia laicali personaliter prosequendam; nec admittitur exceptio excommunicationis contra eos etiam probata, per literas ordinariorum.

XIII.

Item, dominus rex mandat literis suis, quod non vitentur excommunicati, licet per ordinarios publice denuncientur excommunicati.

XIV.

Item, cum clericus super aliquo crimine, furto vel homicidio, vel aliqua alia felonia per laicorum diffamationem aut latronum appellationem irretitus existat, pro quo detentus sit in carcere laicali; cum ab ecclesia & suo prælato requiritur, ipsum liberum habere non potest. Nec reddunt captos clericos libere judicandos, sed ut eos habeant coram justitiariis domini regis proximo in comitatu itinerantibus, per intervallum aliquando sex vel quinque annorum, licet ab eis judicari non possit.

XV.

Item, clerici sic capti plerumque in habitu clericali, inventi, antequam ab ordinariis ecclesiasticis repetantur, seu repeti possint, suspenduntur; & quandoque capita eorum raduntur, ut clerici non appareant, & sicut laici judicantur. Quandoque cum repetuntur, differtur eorum liberatio ad tempus, & interim suspenduntur de nocte, vel hora prandii, ne ad notitiam ordinariorum valeat pervenire.

XVI.

Item, justitiarii & vicecomites per patriam itinerantes, & inquirentes de criminosis patriæ, si laici clericos de crimine homicidii, rapinæ, vel latrocinii, vel aliquo alio defamant (licet non fugitivum, non crimine repertum) statim clericos incarcerant & detinent, & si non inveniantur in comitatu, per quatuor comitatus vocati non veniant, forbaniant eosdem sicut laicos, nec prodest eis ordo clericalis.

XVII.

Item, quod si idem clericus irretitus super objectis sibi criminibus coram judice suo ecclesiastico canonice se purgaverit, nihilominus laica potestas ad bona sua mobilia & immobilia manum extendit.

XVIII.

Item, si clericus criminosus pro objecto & probato contra ipsum facinore degradatus existat, laica potestas bona sua mobilia & immobilia occupat & invadit; & sic contingit clericum pro eodem delicto bis in idipsum puniri.

XIX.

Item, cum contingit clericum pro delicto forestæ defamari; per inquisitionem viridariorum & forestariorum super captione venationis, vocatur coram justitiariis. & licet ab ordinariis repetatur, nisi prius carceri laicali mancipetur,

☞ suo ordinario nullatenus liberatur, & post liberationem factam episcopo, per inquisitionem ANNO CHRISTI 1257. factam per laicos pœna pecuniaria condemnatur.

XX.

Item, similiter condemnantur absentes & ignorantes, ad simplicem vocem viridariorum & forestariorum, cum ad inquisitionem per laicos factam non debeant condemnari clerici, vel aliqualiter judicari; & tam isti quam illi compelluntur solvere amerciamenta per possessiones laicales, si quas habent. Sin autem, distringuntur episcopi per baronias suas, ut dictos clericos compellant de suis beneficiis solvere condemnationem.

XXI.

Item, per eandem districtionem attachiantur & coguntur clerici in actionibus personalibus, & in his, quæ ex contractibus oriuntur in foro seculari: & etiam delictis respondere querelantibus.

XXII.

Item, cum aliquis ad immunitatem ecclesiæ fugitivus existat, per laicos custodes cœmeterium vel scalarium ecclesiæ circumdatur, & vallatur, quod vix potest fugitivus in alimentis ab ecclesia sustentari. Aliquando fugitivus eripitur violenter; aliquando postquam secundum regni consuetudinem terram abjuraverit, ut infra xl. dies exulet se, a publica strata positis insidiis extrahitur, suspenditur, & damnabiliter quandoque interficitur.

XXIII.

Item, cum a regia dignitate & libera voluntate concessa sit episcopis libera testamenti factio, licet hoc a jure habeant & consuetudine, & sacrilegium sit, quod semel est ecclesiæ concessum, illud infringere vel turbare, ultimaque voluntate nihil debeat esse liberius; dominus tamen rex non permittit executores testamentorum eorumdem episcoporum de bonis ipsorum administrare, quousque causa cognita ipsius facinoris, gratiam mereantur super his obtinere.

XXIV.

Item, cum quis tenens laicum feodum de domino rege decedat, ballivi regis omnia bona defuncti saisiunt; nec permittunt ejus executores de eis disponere, donec inquisitum fuerit a scaccario, utrum aliquid debeat regi. Et hoc juri dissonum est, & chartæ contrarium; qua cavetur, quod licet ballivis sic facere, cum literas domini regis de summonitione talis debiti patentes ostendunt, & sic possunt attachiare catalla aliqua ad honorem ipsius debiti, per visum legalium hominum, donec illud debitum persolvatur in aliis catallis, libera administratione executoribus omnino dimissa.

XXV.

Item, mortuo laico intestato, dominus rex & cæteri domini feodorum, bona defuncti sibi applicantes, non permittunt de ipsis debita solvi, nec residuum in usus liberorum & proximorum suorum, & alios pios usus per loci ordinarium, quorum interest, aliqua converti.

XXVI.

Item, ecclesiastico judici cognoscenti super decimis vel capellis, porrigitur regia prohibitio judici, videlicet ne procedat: actori similiter, ne prosequatur. Ea tamen ratione, quod si evisceretur decimæ vel capella, diminueretur jus patronatus illius, cui est patronus ecclesiæ, qui est in possessione capellæ petitæ, vel decimarum, & fieret regi præjudicium, ad quem spectat juris patronatus cognitio; & sic impedit, ne cognoscat judex ecclesiasticus de decimis: licet rex & justitiarii sui de his cognoscere non possint; per quod justitia perit. ANNO CHRISTI 1257.

XXVII.

Similiter fit idem, si cognoscat judex ecclesiasticus de aliis ad forum ecclesiasticum spectantibus. Verbi gratia; si inter laicos in contractibus interveniat fidei datio, vel infringat jusjurandum quis juramentum vel fidem, & judex velit cognoscere de tali peccato mortali (saltem ad pœnitentiam injungendam) porrigitur regia prohibitio; & salus animarum impeditur in damnationem plurimorum, ea occasione, quod ratione catallorum præstitum fuerat jusjurandum.

XXVIII.

Item, si ecclesia petat ceragium, vel herietum, vel alia, quæ ad ecclesiam vel ad usus ecclesiarum deputata; ut petatur pecunia ad ecclesiam cooperiendam, vel cœmeterium claudendum, & parochiani ad hujusmodi præstanda extiterint rebelles; si conveniantur coram loci ordinariis, statim porrigitur regia prohibitio, & sic impeditur cultus ecclesiæ, & honor eidem diutius impensus. Idem fit, si convicti de adulterio, vel alio crimine, puniantur pecunialiter, vel aliis in causis mere spiritualibus fuerint in expensis condemnati: & sic vilipenditur ecclesiastica censura damnabiliter, & quasi a nemine timetur.

XXIX.

Item, si quis commiserit sacrilegium, res ecclesiasticas invadendo, vel ecclesias libertatibus suis spoliando, vel perturbando, vel etiam violaverit libertates in chartis libertatum contentas, & propter hoc inciderit in sententiam excommunicationis, vel sit excommunicandus, & judex ecclesiasticus secundum formam juris velit contra tales transgressores procedere, impeditur propter prohibitionem regiam, ne procedat; ea assignata ratione, quod delicta laicorum, & specialiter ballivorum regis, ad ipsum pertinent corrigenda. Idem fit in omnibus casibus, in quibus ratione ejusdem delicti diversæ debentur emendæ; quarum una in foro ecclesiæ, & alia in foro regio debet injungi.

XXX.

Item, in quibus omnibus casibus & similibus, si judex ecclesiasticus contra prohibitionem regiam procedat, attachiatur comparens coram justitiariis, compellitur judex exhibere acta sua, ut per ea decernant, utrum negotium pertineat ad forum ecclesiasticum, vel seculare. Et si videatur eis, quod pertineat ad forum regium, querelatur judex, qui, si confiteatur se post prohibitionem processisse, amerciatur; si neget, indicitur ei purgatio per judicem secularem ad testimonium duorum vilissimorum ribaldorum. Et si purgare se noluerit, incarceratur, donec justitiariis sacramentum præstiterit corporale, quod non processerit contra prohibitionem; & si facere noluerit, in carcere retinetur similiter actor, si sequatur.

XXXI.

Item, si contingat prælatos vel clericos attachiari, quia dicuntur in causis etiam spiritualibus contra regiam prohibitionem processisse, licet judicio laicorum conquerens de mandato convincantur, in nullo tamen providetur judicibus, vel partibus attachiatis, pro laboribus

bus & expensis, nec in aliquo punitur proter-
vitas vel malitia conquerentis: sed vice versa,
si judices vel clerici ibidem fuerint convicti,
secundum eorum opinionem sine aliquo reme-
dio carceri mancipantur; & ad beneplacitum
regis & justitiariorum, quoad usque amerciati
fuerint, detinentur. Unde fit, quod tam ordi-
narii quam delegati, ut vitent tales vexationes
& expensas hujusmodi, deferunt prohibitio-
nem; & sic perit justitia, & remanent pecca-
ta impunita; cum prælati ecclesiastici jurisdi-
ctionem suam exercere non audeant, nec rex
velit contra ballivos suos in talibus casibus pro-
cedere; nec de jure possit tum ratione rerum
nostrarum spiritualium, ut sunt decimæ & ca-
pellæ, tum ratione personarum, ut sunt cleri-
rici & religiosi, tum ratione delictorum, ut
sunt sacrilegia, & excommunicationes, & in-
terdicta.

XXXII.

Item cum Judæus in ecclesiasticam personam
delinquat, vel super rebus ecclesiasticis, aut
super sacrilegio, aut etiam violenta manuum
injectione in clericum, vel super adulterio
cum Christiana conveniatur coram judice ec-
clesiastico; per regiam prohibitionem causæ
cognitio impeditur, quia allegavit, quod judi-
cem habent proprium, vicecomitem locorum,
& justitiarios proprios deputatos, qui super ta-
libus cognoscere non possunt, nec debent. Et
tamen, si a clerico & laico super hujusmodi
conveniantur coram eis, persona solam nega-
tionem & alterius Judæi & unius Christiani
simplicem assertionem absque omnis juramenti
præstatione se purgant, probatione actoris pe-
nitus recusata.

XXXIII.

Item, si per ecclesiam denegetur eis com-
munio, pro eo, quod tabulam seu signum non
deferunt, vel quia nutrices christianas contra
præcepta ecclesiæ retinent, vel propter aliquos
alios excessus extiterint excommunicati; balli-
vi regis communicantes cum eis, ex parte
ipsius domini regis præcipiunt, ne aliquibus
evitentur, & faciunt eos ad communionem
admitti & recipi.

XXXIV.

Item, licet aliqua possessio vel libertas da-
ta sit a regibus, & principibus, vel aliis fide-
libus, qui eas libertates poterant donare eccle-
siis in liberam, & puram, & perpetuam elee-
mosynam, nullo retento servitio, vel onere
impositio; tamen si super eis quæstio move-
tur inter ecclesiasticas personas, vel laicas &
ecclesiasticas, compelluntur possessores earum
in foro litigare seculari. Idem fit, si libertas
ecclesiæ data per laicos revocetur in dubium,
cum secundum jura, hujusmodi cognitio ad
forum ecclesiasticum pertineat.

XXXV.

Item ratione hujusmodi possessionum, rex
& alii magnates nituntur compellere episco-
pos, prælatos, & religiosos, & rectores eccle-
siarum facere sectam ad curiam laicalem.

XXXVI.

Item, eisdem possessionibus, vel earum pos-
sessoribus ratione earum, telonium & alia one-
ra graviora imponunt laici contra ecclesiasti-
cam libertatem.

XXXVII.

Item, ad sectam & alia onera facienda, &
ad comparendum in foro vetito compelluntur
per captionem animalium suorum, & rerum
aliarum Deo dedicatarum, quæ sancta sancto-
rum dicuntur, contra Deum & ecclesiæ liber-
tatem.

ANNO CHRISTI 1257.

XXXVIII.

Item, si aliquis laicus consueverit facere se-
ctam in curia domini sui, ratione possessionis,
quam tenet ab eo, & partem possessionis de-
derit ecclesiæ vel religiosis in liberam, & pu-
ram, & perpetuam eleemosynam, & partem sibi
retinuerit in domino, vel servitio eam alii
dando, capitales domini faciunt districtiones
suas in possessionibus datis in eleemosynam pro
secta curiæ, vel aliis servitiis sibi debitis, omis-
sa possessione, quam dator retinuerit, vel alii
dederit in feudum sibi servitium debitum fa-
ciendo, vel domino capitali. Et hæc viden-
tur in fraudem fieri & contra ecclesiæ liber-
tatem.

XXXIX.

Item, si episcopi & alii prælati ad forum
extraordinarium evocantur, non possunt attor-
natos per literas seu procuratores in causis ci-
vilibus constituere; sed necesse habent, licet
cum gravi dispendio, personaliter comparere.

XL.

Item, si de possessionibus datis ecclesiis vel
monasteriis in puram & liberam eleemosynam,
vel etiam in feudum, monasterium vel eccle-
sia spolietur, committitur sacrilegium; & si
super hoc spoliatus judici ecclesiastico conque-
ratur, vel judex officio suo contra spoliatores
& sacrilegos velit procedere, vel super aliis
injuriis proximo annotatis, per prohibitionem
regiam impeditur spoliatis vel oppressis justi-
tiam exhibere.

XLI.

Item, si rex concesserit alicui civitati vel
burgo, quod possit accipere muragium, vel
aliquibus novum concedat telonium, non so-
lum a laicis, sed etiam a viris ecclesiasticis,
& eorum hominibus talia extorquent & exi-
gunt contra jura.

XLII.

Item, domicilia & hospitia clericorum per
dominum regem & laicam potestatem capiun-
tur, & licet in sanctuario existant, coguntur
clerici inhabitantes, vel ipsis absentibus, sui
servientes laicos recipere; & frequenter expul-
sis clericis de propriis domibus, eas occupant,
res suas ibidem inventas dissipant, & consu-
munt, nequiter contradicentes, verberando.

XLIII.

Item capiuntur carectæ clericorum, & reli-
giosorum, & capiuntur in foro publico; &
aliquando in sanctuario nequiter, aliquando in
mercatis, & violenter abducuntur ad transve-
hendum victualia, & cæteras res & commer-
cia domini regis, justitiariorum, & ballivorum
suorum; similiter res, quas clerici habent ve-
nales, compelluntur sibi vendere, & ad pre-
tium domini regis inviti tradere; pretio aut
raro aut nunquam soluto.

XLIV.

Item, in cancellaria domini regis nova bre-
via juri ecclesiastico, legi terræ, & consuetu-
dini contraria passim fiunt sine concilio re-
gni, principum & prælatorum assensu; quod
fieri non debet.

XLV.

Item, cum dominus rex pro aliqua expedi-
tione vel ex quacumque causa regnum exierit,
vel intraverit, vel ad diversas partes in ipso
regno se transtulerit, compellit religiosos per

vicecomites ſuos, & per captionem averiorum ſuorum, ut obviam ſibi veniant, & munera ei deferant. Idem in ſingulis comitatibus faciens. ANNO CHRISTI 1257.

XLVI.

Item amerciamenta, quæ epiſcopi & religioſi terræ per chartas regias debent habere, juſtitiarii & ballivi regii convertunt in finem, ut ſic eos ſuis defraudent amerciamentis.

XLVII.

Item, cum non conſueverint prælati, vel viri eccleſiaſtici amerciari pro communibus ſummonitionibus in adventu juſtitiariorum, modernis temporibus amerciantur paſſim indifferenter, & graviter, ſi non compareant prima die tam coram juſtitiariis itinerantibus, quam coram juſtitiariis de foreſta.

XLVIII.

Item accidit interdum, quod eccleſia gaviſa eſt aliquarum rerum poſſeſſione ſeu libertatum ab antiquis temporibus; & licet rex eccleſiis & viris eccleſiaſticis in principio Magnæ Chartæ ſuæ de libertatibus datis Anglicis, dederit & confirmaverit eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis omnes libertates, quibus antea uſi fuerant; paſſim tamen compellit prælatos reſpondere, quare vel quo warranto talibus utantur libertatibus. Et ſi prælatus compulſus comparens chartam donatoris exhibeat, licet contineatur in ea, quod donator tales ac tales dederit libertates, & omnes alias, quas in rebus datis habuerat, vel habere potuerat, vel alias in inſtrumento donationis quantumcumque generali clauſula contineatur; & dicat, quod in illa generali clauſula libertas, de qua agitur, includitur, nil proderit ei, niſi in charta de eadem libertate expreſſa fiat mentio, Et ſic ſecundum opinionem regalium verbum illud omnino pro nihilo ſupponit, quod ſecundum jura & omnem rationem nihil exceptum reliquit, præſertim in donationibus piis locis factis.

XLIX.

Item, licet in charta de libertate, de qua agitur, expreſſa fiat mentio, dicunt regales, quod charta ſine poſſeſſione vel uſu non valet, &, quod eccleſia non ſit uſa tali libertate, paratus eſt rex ſe opponere in recognitione patriæ, licet certum ſit eccleſiam ea libertate uſam fuiſſe. Et ſic, quod certum eſt, revocant in dubium, & jus & poſſeſſionem eccleſiæ ponere nititur in ore, ſeu judicio laicorum, & eccleſiæ perſecutorum. Si vero non fiat expreſſa mentio in charta, de qua contenditur libertate, ſed nota ſit poſſeſſio vel uſus, & dicat prælatus, quod licet non nominatim ſed per generalia verba data ſit libertas illa eccleſiæ, vel, quod aliquando habuit eccleſia chartam, expreſſam facientem de hujuſmodi libertate mentionem, quod perditum eſt, vel vetuſtate conſumptum, vel alleget donationem ſine ſcriptis factam morte regum antiquorum; & per hoc habuerit eccleſia juſtum titulum, bonam fidem, & poſſeſſionem longiſſimam, & ſic firmo jure tueatur; dicunt regales, quod non ſufficit, quia talis poſſeſſio eſt uſurpatio, vel occupatio illicita, cum ſit regi contraria. Et quidem mirabile eſt dictu, quod longiſſima poſſeſſio talis non poſſit prodeſſe eccleſiis contra regem; cum e contrario in his, quæ a rege nullatenus poſſideri poſſunt, ratione conſuetudinis ſive uſus, jus ſibi vendicet contra eccleſias: ſicut in omnibus oppreſſionibus ſupradictis, & aliis conſimilibus, in quibus loco tituli ſuccedit ſacrilegium, vel injuria manifeſta; loco bonæ fidei oppreſſio; loco conſuetudinis actus unus vel diutina corruptela, ſi ſæpius fuerit attentatum. ANNO CHRISTI 1257.

L.

Item, cum dominus rex juraverit in coronatione ſua conſervare jura & libertates eccleſiis datas, & eas confirmaverit in principio Magnæ Chartæ; inceſſanter tamen a miniſtris ſuis impugnantur, turbantur, & mutilantur; non ſolum generales, ſed etiam ſpeciales, datas ſcilicet a prædeceſſoribus ſuis, & ab ipſo confirmatas, & etiam de novo datas, & donationes, quas ipſe dedit, & alias, quas ipſe defendere & warrantizare deberet, impugnat, & ſuſtinet impugnari, & impugnatores defendit; ſicut patet in facto Bothon, & aliis caſibus, quos ad præſens tacemus; ſperantes, quod ad ſingulorum querelas, ſingulares injurias faciet emendari.

CONSTITUTIONES PRO CAPITULO SENENSI

Ab Octaviano diac. Card. A. S. L. ſtatutæ, & ab Alexandro papa IV. confirmatæ.

ANNO 1257.

Alexander papa IV. Capitulo Senenſi.

An. 1257. Extat ap. Ughell. Ital. Sac. t. III. pag. 558. nov. edit.

QUÆ de mandato ſedis apoſtolicæ ſunt provide ordinata, ſeu reformata ſalubriter, decet opportuno muniri præſidio, ut firma ſemper maneant, & optatum proferre commodum non deſiſtant. Cum itaque dilectus filius noſter O. ſanctæ Mariæ in via lata diaconus Cardinalis, de ſpeciali mandato noſtro, diligenti quoque deliberatione præhabita quædam in eccleſia veſtra ſtatuerit perpetuis futuris temporibus obſervanda, quæ ad ampliationem cultus divini nominis, & ipſius eccleſiæ decorem, & decus redundare noſcuntur, prout in patentibus literis ejuſdem Cardinalis confectis exinde, ac ſuo Sigillo ſignatis plenius continetur, Nos quod ab eodem Cardinali ſuper iis factum eſt ratum, & firmum habentes, id auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem autem literarum ipſarum de verbo ad verbum præſentibus fecimus adnotari, qui talis eſt.

Octavianus, miſeratione divina, ſanctæ Mariæ in Via lata diaconus cardinalis, diſcretis viris capitulo Senenſi, ſalutem in Domino.

Ad audientiam apoſtolatus ſanctiſſimi patris, & domini noſtri Alexandri, Dei gratia, ſummi pontificis noveritis perveniſſe, quod dudum prædeceſſorum veſtrorum vita, & induſtria Senen-

nense capitulum gratum Deo, & hominibus recepit in spiritualibus, & temporalibus incrementum. Cupiens igitur idem pater, & dominus sic vos in eorundem prædecessorum vestrorum proposito, annuente Domino, conservare, quod a via prædecessorum ipsorum, quod absit, oculos nullatenus avertatis, nobis injunxit, ut tam super statutis, & consuetudinibus vestris rationabilibus, & antiquis a vobis, & iis, qui vobis successerint de cætero observandis, quam aliis, quæ cultus divini nominis honestatis vestræ incrementum respiciunt, ordinemus, quæ secundum Deum ordinanda videntur, futuris temporibus in vestro capitulo duratura. Hinc est, quod nos ipsorum prædecessorum traditionibus & vestigiis inhærentes; eisque pauca non ad onus siquidem, sed ad decorem, & utilitatem potius adjungentes Spiritus S. gratia invocata ad laudem Dei, & beatæ Mariæ semper virginis, sanctorumque martyrum Crescentii, Anselmi, Salvini, atque Victoris, & aliorum sanctorum, quorum corpora & reliquiæ in vestra requiescunt ecclesia, duximus statuendum. In primis, quod sicut pascimini ex uno cellario, sic in communi dormitorio, parati divinis interesse officiis, locum, & lectum ad jacendum similiter habeatis. Adiicientes quia ordinem vestrum canonici officii, tam in celebrandis missis majoribus, & processionibus faciendis per claustrum, & circa ecclesiam vestram non alibi statutis temporibus, quam in aliis, prout ibi plenius est expressum, & vobis prisca consuetudo reliquit, nec non & ab antecessoribus vestris fuisse recolitur observatum, teneatis, & observetis plene quantum cum Dei timore vestra permiserit valetudo. Si autem ex tractu temporis hujusmodi observata forsan fuerint oblivione delera, ad ipsum ordinem habeatur recursus. Si qua tamen sunt ibidem impossibilia quodammodo, & difficilia in cantando a nonnullis fortassis incognito, ea, prout expedire videatis, referetis. Illud autem, quod continet de observatione jejunii, discretioni vestræ committimus moderandum. Quia vero ecclesiæ nimium detrahitur in divinis, si stipendia paucioribus, quæ pluribus sufficiunt, tribuantur, præcipientes statuimus, ut singuli vestrum clericos in choro habeant idoneos, & etiam competentes, qui velint, & possint divinis officiis interesse; & ne aliquis vestrum ignoret, quid legere debeat, vel cantare, præcipimus, ut in capitulo vestro tabulam, quæ alias matricularia dicitur, habeatis, in qua per capellanos vestros, vel sacristas singulorum nomina in choro psallentium conscribantur, & per eosdem capellanos, vel sacristam singulis quid cantare debeant, vel legere, cum reverentia offeratur. Illud adiicientes, ut in altari beatæ virginis missam, nisi sit episcopus, vel canonicus ecclesiæ, nullus cantet, sicut ab antecessoribus vestris a priscis temporibus dicitur observatum. In choro quilibet vestrum secundum ordinem suæ receptionis habeat sessionem, exceptis illis, qui habent in vestra ecclesia personatus, quibus in sessionibus hujusmodi, & aliis consueta, & debita honorificentia impendatur. Ad hæc volentes, ne diversitas habitus diversitatem pariat animorum, præcipientes statuimus, ut infra ecclesiam in divinis officiis, & sepeliendis corporibus mortuorum, qui apud ecclesiam vestram habuerint, vel sibi elegerint sepulturam, consimilem habitum deferatis: Cappam aperA tam de saia scilicet & coccam, * vel camisiam superaneam æstivo tamen tempore, & hyemali infra ecclesiam, & claustrum pellibus non discoopertis, vel mantello cum cocca, vel camisia superanea uti poteritis assiblatis. Ubilibet vero extra ecclesiam, & claustrum in incessu, in statu, & habitu eundo, & redeundo constitutiones, sive præcepta vol is auctoritate felicis recordationis Gregorii Papæ noni tempore promotionis suæ tradita inviolabiliter observetis. Illud autem districtius inhibemus, ne aliqua fœmina intra portam claustri vestri, quantumcumque consanguinea, vel affinis alicui canonicorum dicatur, jaceat, vel manducet: & ut in refectorio etiam honestatem debitam observetis præcipimus, statuentes quod quilibet vestrum uno famulo sit contentus ibidem, ne lectionem clamor plurium impediat, vel tumultus. Nemo ibidem ullo unquam tempore clericus extraneus, aut laicus admittantur, nisi forsan canonicus fuerit cathedralis ecclesiæ, vel religiosa existat, seu alias sublimis persona, aut in aliqua posita dignitate, quorum respectu illos etiam, quos secum habuerint, prout decens fuerit vobiscum, & inter vos honoretis, exceptis illis diebus, quibus ratione festivitatum ecclesiæ vestræ invitare sæculares & laicos vos contingat. Beneficia vestra insuper, quæ cum officiis pariter convenit ambulare ad removendam omnem materiam scandalorum taliter inter vos providimus dividenda, ut scilicet omnes denarios quocumque modo præbendæ hactenus deputatos in communem bursam fideliter reponatis, & ex eis per manus cameræ interioris omnes, qui matutinis missis cum vigiliis mortuorum, & vesperis interfuerint, cum effectu quotidie in sero denario sex, exceptis præcipuis solemnitatibus, in quibus denarios decem & octo, & diebus Dominicis, & festis novem lectionum, & diebus quadragesimalibus, in quibus denarios 12. recipiant; eos nempe divinis officiis cum effectu dicimus interesse, qui laborum officiorum suam in ecclesia recipiunt, & peragunt, prout valent, & sciunt sine murmure portionem. Præbendam vero frumenti, quam vobis in festo Assumptionis beatæ Virginis dari volumus, nullus recipiat, nisi per annum infra claustrum, vel in loco, a quo divinis officiis, & tractatibus capituli interesse valeant, residentiam cum effectu, ut superius exprimitur, fecerint personalem: Liceat tamen singulis per duos menses, vel eo plus usque ad tres menses suis, vel amicorum suorum vacare servitiis; ita tamen, quod diebus solemnibus, & festivitatibus præcipuis ecclesiæ vestræ divinis officiis singuli exhibeant se præsentes. Famuli vero canonicorum, qui post recessum dominorum suorum propriis commodis inhiantium in claustro remanserint, si laici fuerint, octo diebus ad expensas familiæ capituli admittantur; si autem clerici, & volunt, & possunt in ecclesia commode deservire usque ad regressum dominorum ipsorum, dummodo ultra duos menses extra capitulum non morentur, expensis ejusdem familiæ sint contenti. Excipimus tamen de prædictis omnibus infirmos, & quasi graviter debiles potionatos, * & sanguine minutos, quibus tempus congruæ vacationis, prout honestati convenit, secundum passionem, & sanguinis minutionem discretionem capituli concedatur. Excipimus etiam peregrinos, qui ex devotione, vel voto iverint ul-

ANNO CHRISTI 1257.

* Coccam an idem quod Cottam?

* Medicata potione potatos Vide Cang. V. *Potionatus*.

☞ ultra mare ob reverentiam ſepulcri Dominici, A reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, excommunicationis ſententiam promulgare. Ad prædicta vero firmitate vallanda perpetuo duratura, & ut negotia veſtra, communia ſine ſuſpicione procedant, præcipimus ſtatuentes, ut de cætero, tam vos quam ii, qui vobis ſucceſſerint, promittatis per librum, & ſolam jurantes verbo Domini, vos illa futuris temporibus ſervaturos: formam autem promiſſionis, & juramenti hujuſmodi præſentibus fecimus annotari, qui talis eſt?

ANNO CHRISTI 1257.

——vel ad ſanctum Angelum, * ſeu ad S. Petrum, aut ad S. Marcum, vel ad S. Jacobum, capituli petita licentia: nec non & illos excipimus etiam qui domini papæ ſervitiis, vel officiis, ſeu ſervitiis dominorum cardinalium immorantur. Ad hæc ne ſimultates, aut ſocietates in capitulo veſtro de cætero fiant, diſtrictius inhibentes præcipimus, ut ea, quæ communiter omnes tangunt, & ab omnibus approbari convenit, vel etiam reprobari ſingulariter, & extra capitulum non ordinentur, nec aliquatenus approbentur. Adiicimus inſuper, ut tractatus capituli veſtri, & conſilia, quæ privata eſſe debebunt, ſive ponantur in credentia, ſive non, nullus ad damnum capituli, B vel alicujus de canonicis revelare præſumat. Ut autem bona veſtra nequeant neglectu diminui, vel perire, diſtricte præcipimus ſtatuentes, ut quilibet de canonicis officium, quod ſibi capitulum, prout moris eſt, providerit committendum, humiliter recipiat, & fideliter exequatur. Præterea ne quis canonicorum elatus ſuperbia dare præſumat in commotionibus pedes ſuos, licitum ſit vobis de noſtræ auctoritatis permiſſu in quemlibet de capitulo, vel familiarem ſuum, ſive capituli pro manifeſtis offenſis, niſi ſecundo, tertiove commonitus

* Nempe ad Gargani ſanctuarium.

ANNO CHRISTI 1257

„ Ego N. promitto, & juro in verbo Do-
„ mini, quod ab hac hora in antea conſue-
„ tudines rationabiles, & antiquas, nec non
„ bona jura, & libertates capituli Senenſis
„ ſervabo, manutenebo, proſequar, & defen-
„ dam bona fide, quantum in me fuerit, &
„ valetudo mea permiſerit contra hominem,
„ auctoritate ſedis apoſtolicæ, & ordine mei,
„ in omnibus ſemper ſalvis, ſic me Deus
„ adjuvet, & hæc ſancta evangelia. Ut autem
„ præmiſſis omnibus major fides poſſit, & de-
„ beat adhiberi, ordinationem noſtram hujus
„ ſigilli veſtri munimine fecimus roborari.

Datum Laterani 15. Kal. Aprilis, Pontificatus D. Alexandri Papæ IV. anno 3. Nulli ergo noſtræ confirmationis &c. Dat. Laterani 5. Kal. Aprilis anno 3.

STATUTA SYNODALIA

Walteri & Simonis Norwicenſium epiſcoporum.

Anni 1257.

Ex MS. Digby in Bodl. Oxon. XCIX.

An. 1257. Affert Wilk. t. I. p. 734.

DEbentes de vobis bonam rationem reddere, quæ ratio ſecundum Auguſtinum eſt dicere, non ſub ſilentio tranſire poſſumus, quin vobis dicamus, quod vos ſcire & obſervare credimus. Quia igitur ſine decalogi obſervatione ſalus animarum non conſiſtit, exhortamur in Domino firmiter injungentes, ut unuſquiſque paſtor animarum, & quilibet ſacerdos parochialis ſciat decalogum, id eſt, decem præcepta legis Moſaicæ, eademque populo ſibi ſubjecto frequenter prædicet, & exponat. Sciat etiam ſeptem criminalia quæ ſint, eademque populo prædicet fugienda. Sciat etiam ſimiliter ſeptem ſacramenta eccleſiaſtica, D & ii, qui ſunt ſacerdotes, maxime ſciant, quæ exiguntur ad veræ confeſſionis & pœnitentiæ ſacramentum, formamque baptizandi doceant frequenter laicos in idiomate communi. Habeant quoque eorum ſimplicem intellectum fidei, ſiculi continetur in ſymbolo, tam majori quam minori, & in tractu, qui dicitur *Quicumque vult*, qui quotidie ad primam pſallitur.

Euchariſtia autem, quæ eſt ſacramentum dominici corporis, in loco mundo & ſignato E ſemper honorifice collocata, devote ſub ſera, ac fideliter conſervetur.

Sacerdos vero quilibet frequenter doceat plebem ſuam, ut cum in celebratione miſſarum elevatur hoſtia ſalutaris, ſe reverenter inclinet. Idemque faciat, cum eam presbyter ad infirmum quendam in decenti habitu, ſuppoſito mundo velamine, ferat & referat manifeſte ac honorifice ante pectus cum reverentia & timore, ſemper lumine præcedente, cum ſit candor lucis æternæ, ut ex hoc fides apud omnes & devotio augeatur, quemadmodum generali concilio ſcribitur. Tintinnabulum quoque ſemper cum lumine venerandam corporis Chriſti hoſtiam præcedat, ut ejus ſonitu excitetur fidelium devotio ad tanti ſacramenti debitam venerationem.

Sacerdotes autem promptiſſimi ſint & paratiſſimi non ſolum diebus ſed & noctibus, ut ægrotantes viſitent cum requirantur, ne eorum negligentia, quod abſit, moriatur infirmus ſine confeſſione, aut dominici corporis communione, aut unctione extrema.

Superaltaria quoque ſint honeſta, & congruæ magnitudinis, firmiterque fixa in circumdante ligno, non moveantur ab ipſo, neque uſurpentur ad alios uſus quam ad divinorum celebrationem, ut videlicet non violentur in eis colores, vel aliqua fiant conſimilia.

Panni etiam chriſmales non convertantur in uſus ſeculares.

In eccleſia quoque divinum officium integre fiat, devote, ut videlicet lectiones, hymni, & alia, quæ in Dei laudem recitantur in eccleſia, integram habeant verborum prolationem, mentis quoque ad ſenſus devotam attentionem, ne, quod abſit, pro hoſtia viva & integra offeratur hoſtia mutilata & mortua.

Provideant attentius eccleſiarum rectores, & ſacerdotes parochiales, ut pueri parochiarum ſuarum diligenter doceantur, ut ſciant dominicam

nicam orationem; & ſymbolum, & ſalutationem beatæ Virginis, & crucis ſignacula ſibi recte conſignare. Et quia, ut audivimus, quod quemadmodum adulti hoc ignorant, præcipimus, ut cum laici ad confeſſionem accedant, diligenter examinentur, utrum ſciant prædicta, &, ſecundum quod expedit, in eis a ſacerdotibus inſtruantur Et quia juſtus ex fide vivit, ut articuli fidei plenius exponantur, ſtatuimus, præcipientes, ut quilibet ſacerdos parochialis ſingulis ad Primam & ad Completorium orationem dominicam, & ſymbolum dicat coram ſuis parochianis, in audientia, diſtincte, & aperte ad intelligendum.

Quia mundi debent eſſe, ut ait Eſaias qui ſint vaſa Domini, pollutumque non tangere, exhortantes præcipimus, ut omnes beneficiati & infra ſacros ordines conſtituti vitium luxuriæ fugiant, omnemque voluntariam carnis immunditiem, continentiæ ſervantes puritatem, nulluſque illorum uxorem ducat; & ſi quis, antequam eſſet in ſacros ordines conſtitutus, uxorem duxerit, beneficium eccleſiaſticum non teneat, neque in ſacris ordinibus, ſi eos poſtea acceperit, miniſtrare præſumat.

Attentius itaque inhibemus, ne quis ſacerdos in domo ſua concubinam retinens, vel alibi ad aliam habens conſuetudinem, in tam gravi permanens peccato, ad ſacrum altare celebraturus præſumat accedere, cum conſecratio illius in execrationem, & benedictio ſibi vertatur in maledictionem. Et ſi aliquis hac de cauſa ſuſpenſus, præſumpſerit celebrare divina, non ſolum eccleſiaſticis beneficiis ſpolietur, verum etiam pro duplici culpa, arbitrio epiſcopi, ſuſpendatur: prælati vero, qui tales præſumpſerint ſuſtinere, maxime obtentu pecuniæ, aut alicujus commodi temporalis, pari ſubjaceant ultioni. Cumque non ſolum a malo, ſed & ab omni ſpecie mali abſtinendum ſit, inhibemus firmiter, ne clerici non niſi rationabili & manifeſta ex cauſa frequentent ſanctimonialium monaſteria, & ne quis ſacerdos retineat fœminam in domo ſua, ſive cognatam, ſive aliam, unde rationabiliter mala de ipſa poſſit oriri ſuſpicio.

Firmiter inhibemus, ne quiquam beneficiati aut in ſacris ordinibus conſtituti ſint ebrioſi, aut guloſi, aut tabernas exercentes, ne morte æterna ſecundum legis comminationem moriantur, ſed actu abſtinentiæ, & ſobrietatis ſeipſos habiles reddant, ut ſecundum doctrinam Dei habeant ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, mundum & pollutum, (&) doceant populum omnia legitima, quæ Dominus locutus eſt per manum Moſis.

Quia etiam Levitis dictum eſt, quod non habent partem inter filios Iſrael, per quod abſcindatur a miniſtris eccleſiæ omnis fomes cupiditatis, & turpis lucri; exhortantes præcipimus, ne beneficiati, aut ſacris ordinibus ornati negotiationes exerceant, nec aliquid accommodent ad uſuram; ſed, ſicut præcipit doctrina evangelica, mutuum dent nihil inde ſperantes, neque dent, neque recipiant eccleſias, aut eccleſiaſtica beneficia ad firmam, niſi in caſibus concilii conceſſis. Sententiam ſanguinis non dictet clericus aut proferat, nec ſanguinis vindictam, aut ubi exerceatur interſit, nec literas dictet aut ſcribat per vindictam ſanguinis deſtruendas, nec luctuariis, vel baliſtariis, aut hujus ſanguinis viris præponatur. Ad amputandam quoque cupiditatis ſpeciem, firmiter inhibemus, ne beneficiati vel in ſacris ordinibus conſtituti ſint vicecomites, vel juſtitiarii ſeculares, vel ballivas laicas teneant, aut earum firmas, unde poteſtatibus obligantur ad rationabilia reddenda de ballivis. ANNO CHRISTI 1257.

Inhibemus quoque diſtrictius, ne aliquis rector eccleſiæ faciat hujuſmodi pactum cum capellano, videlicet quod ipſe ſacerdos præter certa ſtipendia poterit recipere annualia aut tricennalia, quia hujuſmodi pactio manifeſtum eſt indicium, quod ſacerdos eo ipſo recipit duplex ſtipendium. Neceſſe ergo eſt, ut aut non percipiat ſuſcepta annualia vel tricennalia, aut in eccleſia non rite efficiat divina obſequia: ipſis quoque ſacerdotibus ſufficiens & honeſta tribuatur ſuſtentatio ab eccleſiarum rectoribus, ne propter diminutam ſuſtentationem oporteat eccleſiam divinis carere obſequiis, aut ipſos ſacerdotes lucris turpibus inhiare, ſeu victum mendicare.

Inhibemus etiam firmiter, ne laicis aliquibus committantur ad firmam liberæ terræ eccleſiarum de decimis, niſi forte iidem laici ſint eccleſiarum ſervi, & tunc hoc fiat de licentia diœceſani; & ne rectores vel vicarii de bonis eccleſiæ ædificent in laico feodo extra fundum eccl. & ſimiliter ne decimæ in laico feodo reponantur, ſed in feodo ipſius eccleſiæ.

Præcipimus etiam, ut reditus aſſignati ad luminaria, non convertantur ad alios uſus per ipſos rectores vel vicarios.

Hortamur etiam præcipientes, ne mimis, joculatoribus, aut hiſtrionibus intendant, neque ad aleas, aut taxillos ludant, aut ludentibus aſſideant; quia licet quibuſdam videantur levia, tamen ſecundum ſanctorum patrum doctrinas, qui talia faciunt, dæmonibus præſtant ſacrificia, Et quia in clero nihil magis debet ſplendere, niſi Jeſu Chriſti humilitas, & evangelica perfectio, quæ conſulit, " quod ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbeas illi & alteram; „ monemus ſub pœna excommunicationis præcipientes, ne clerici torneamenta aut haſtiludia exerceant, nec arma portent, niſi per loca hoſtilitatis ſuſpecta oporteat eos tranſire; ſed tonſuram & coronam ac raſuram habeant ordini congruentem, & habitum convenientem tam ſibi & ſuis equitaturis, ſecundum quod determinant ſancta concilia, nec plus ſolito; alioquin ipſos per ſubtractionem beneficiorum ad hæc compellemus. Ut autem habitus diverſitas clericos a laicis faciat diſcrepare, ſtatuimus firmiter præcipientes, ut officiarii, decani, & ſubdecani in ſuis capitulis in congregationibus clericorum coram ſuis prælatis clauſis cappis utantur. Et ne facilitas veniæ intentionem tribuat delinquendi, ſi quos hujus ſtatuti invenerimus tranſgreſſores, ſciant ſe abſque gratia & favore graviter puniendos. Adhæc ſtatuimus ut ſinguli ſacerdotes in ſuis parochiis coram ſuis prælatis, & ubique, niſi caſus neceſſitatis in itinere requirat manifeſte habitum transformare, clauſis cappis utantur, gulionum penitus uſu interdicto. Si quis autem in præſentia noſtra aut officiariorum noſtrorum, ſive in eccleſia eis uſus non fuerit, per xl. dies noverit ſe ſuſpenſum.

Præcipimus etiam, ne aliqui retineant plures curas animarum, cum quibus per ſedem apoſtolicam ſuper hæc non fuerit diſpenſatum. Similiter quod proximi adminiſtrantium eccleſias, in quibus immediate ſucceſſerunt, prioribus

☞ bus penitus resignent, & patroni idoneos ad easdem ecclesias præsentent. Subjectis quoque viris districtius inhibemus, ne quis sacerdos in duabus ecclesiis ministrare præsumat, cum vix unus uni sufficere possit. Quilibet autem rector ecclesiæ honestum & idoneum vicarium habeat, qui, sicut expedierit, curam gerat animarum.

ANNO CHRISTI 1257.

Audivimus etiam, de quo non mediocriter dolemus, quod quidam sacerdotes extorqueant pecuniam a laicis pro pœnitentiis seu aliis sacramentis administrandis; & quod quidam turpis lucri causa varias injungant pecunias, videlicet quod a viro cognita mulier post partum ante suam purificationem deinceps ad altare oblationem, cum qualibet muliere purificanda in eadem parochia; & quod homicida, vel qui alterius mortem procuravit, offerat pro quolibet mortuo in eadem parochia. Hæc si sunt hujusmodi, quia cupiditate sunt plena, penitus inhibemus. Et ne quisquam sacerdos injungat annualia, vel tricennalia, ex consilii cupiditate, ut inde consequatur emolumentum. Audivimus quoque, quod quidam sacerdotes faciant suos diaconos audire confessiones parochianorum suorum; quod quam sit absurdum non opus est dicere, cum evidenter verum sit, quod diaconis non est tradita potestas, nec quærant ex hoc nisi occasionem aut spatium intendendi negotiis secularibus. Propterea firmiter inhibemus, ne diaconi confessiones audiant, aut pœnitentias injungant, aut alia sacramenta ministrent, quæ concessa sunt solis sacerdotibus ministrare. Volumus quoque & præcipimus, ut singuli beneficiati ad ordines promoveantur, quos cura, quam susceperint, exigit.

Ad hæc præcipimus, ut omnes rectores ecclesiarum, & vicarii residentiam faciant in suis beneficiis, conversantes in eisdem laudabiliter & honeste, nisi fuerit ob causam rationabilem, ut in ecclesiis suis non resideant, cum eis dispensatum.

In singulis quoque ecclesiis, quarum facultates ad hoc sufficiunt, sint unus diaconus & subdiaconus, in eisdem, ut decet, ministrantes. In aliis vero ecclesiis sit saltem clericus unus honestus, qui sacerdoti cum habitu convenienti in divinis ministret officiis.

Præcipimus etiam firmiter auctoritate evangelica, ne in locis sacris habeatur mercatum, cum Dominus ementes & vendentes dejecit de templo, ne domus orationis fiat spelunca latronum. Ad hæc adjicientes, ut cœmeteria sint bene clausa, & tam ecclesiæ quam domus ad eas pertinentes competenter secundum ecclesiarum facultates ædificatæ, ipsæ quoque ecclesiæ decenter ornatæ tam in libris, quam in sacris vasis & vestimentis, & quod vestimenta & vasa sacra sint de noctibus sub tuta & honesta custodia, nec deponantur in domibus laicorum, nec sub eorum custodia, nisi rationabilis & evidens ad hoc compulerit necessitas.

Inhibemus quoque, ne aliqui sacerdotes celebrent cum aceto.

Frequenter quoque commoneantur matres aut nutrices, ne parvulos suos juxta se in lecto collocent.

Clandestina matrimonia quoque distinctius inhibeantur.

Omnes quoque ludi & placita secularia a locis sacris omnino arceantur.

Subjectis quoque nostris sub interminatione anathematis inhibemus, ne de ecclesiis suis citra auctoritatem nostram pensiones solvere, aut veteres augere, aut aliquid sub collusione promittere præsumant. Interdicimus quoque, ne quis inter minores, quorum alter aut uterque ad annos canonibus aut legibus determinatos nondum pervenerunt, nuptias audeat celebrare. Rectoribus ecclesiarum nobis subditis indultum esse volumus, ut parochianos suos, qui decimas suas, quas hucusque persolvere solebant, detinere præsumpserint, post tertiam commonitionem excommunicationis sententia feriant. In aliis autem casibus citra conscientiam aut auctoritatem nostram quidem excommunicare non præsumant nominatim. Nulla persona sive rector ecclesiæ nobis subditus, decimas suas provendere valeat ante Pascha; fructus autem percepti sive in cœmeterio sive libera terra ponantur, ut si clericus defunctus fuerit, illius debiti solutionem vel dispositionem nullus ex malitia laicus valeat impedire. Præterea sub interminatione anathematis inhibemus, ne quis clericus decimas aut ecclesiasticum beneficium laico dimittat ad firmam sub aliquo colore. Decimæ enim & ecclesiastica beneficia laicis temerarie & contra statuta canonum tenenda, a clericis concessa, ad manus nostras recipiantur; nec aliquis sacerdos alium a cantaria pensionis per augmentum, aut alio modo, tanquam esset commercium, supplantare præsumat.

ANNO CHRISTI 125

Præcipimus etiam, quod nec abbates, nec priores obligent se, aut domum suam pro singulari pœna, sine nostra licentia speciali.

Pensiones & decimas separatas, quas viri religiosi, qui non sunt de episcopatu nostro, percipiunt in nostra diœcesi, in manus nostras sequestramus. Inhibemus eisdem etiam in posterum administrationem earundem, quousque de eorum jure coram nobis docuerint evidenter.

Nullus prædicator quæstuarius in ecclesiis nostræ diœcesis admittatur, nisi nostra super hoc fulciatur auctoritate, quam ei sine litera decani, aut archidiaconi sufficere decernimus. Contra quos prædicatores siquidem talem cautelam duximus adhibendam, quod capellani ecclesiarum indulgentias in literis nostris contentas, subditis suis exponant, eleemosynas colligant, & cum collegerint, decanis tradant, nobis annuali cursu completo assignandas; ut quæstuariorum domini, quantum collectum fuit, per nos aut per alium intendimus Deo auctori dedicare. Prælati vero non permittant illos, qui ad eorum ecclesias causa venerationis accedunt, variis documentis, aut falsis figmentis decipi, sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit.

Cum sanctorum reliquiis magna debeatur reverentia, illius corpori, qui sacrosanctus est, & in sanctis suis glorioſus alios faciat sanctos, summus honor est etiam pendendus. Ipsi itaque, cui honor est & gloria, debitum honorem conservare volentes, sub interminatione anathematis firmiter inhibemus, ne in cœmeteriis, aut aliis locis ecclesiarum ludi aut luctæ fiant, nec mulieres choreas, luxuriosa carmina canendo, lascive ducere præsumant, cum ex his, Domini reverentia & sanctorum honore contempto, rixæ & contentiones soleant evenire. Similiter ne laicorum ædificia in cœmeterio fiant, districtius inhibemus. Supellectilia

in

in ecclesiis quoque non dimittantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, aut alias necessitates urgentes ad eas oporteat habere refugium; sic tum necessitate cessante, res ad pristina loca reportentur. Tuguria & domus laicorum erectæ in cœmeteriis tempore guerræ amoveantur, propter immunditiem fornicationis vitandam, & propter occupationem cœmeteriorum.

Districtius inhibemus insuper, ne decani aut subdecani nostræ diœceseos causas trahant, aut terminent matrimoniales, aut criminales, nisi cuiquam ex nostra speciali gratia concedatur, quam ei sine cujusquam contradictione sufficere decernimus.

A sanctis patribus nostris non sine ratione provide novimus statutum, ne in aliis locis quam Deo dedicatis, nisi casu necessitatis, officium altaris, quod in se tam sublime est, celebretur. Quare volumus & præcipimus, ut ecclesiæ non dedicatæ ad dedicationem præperentur competenter, quod non solum de majoribus, verum etiam de minoribus volumus intelligi, cum majoribus & minoribus æque simus debitores; minores ecclesias, ex nostri officii debito absque procurationis honore per nos aut per alium volumus Deo auctori dedicari.

Dolentes referimus, quod nonnulli maledictionem ut aquam bibentes, sanctuarium Dei polluant, dum sacra venundant & mercantur. Quapropter saltem pœnæ timore eos a tanto facinore cupientes revocari, illos omnes, qui interventu pecuniæ, aut cujuscumque pecuniarii quæstus, aut pacto & promissione quicquam recipiendi intervenientibus, quemquam ad sacrum ordinem tempore examinationis aut altero fecerit ordinari, aut ordinari procuraverit, sententia excommunicationis innodamus. Eos etiam eadem sententia excommunicationis involvimus, qui officialitatem vel decanatum ad firmam dabunt, cum cedat in dispendium animarum & ecclesiæ Dei scandalum gravissimum. Et eandem sententiam ad patres eorum, qui hæc officia sibi recipiunt ad firmam, volumus firmiter extendere.

Dolentes referimus, quod dum nostri subditi statuta nostra synodalia non observant, seipsos illaqueant, nosque contemnere non formidant. Cum igitur refragante nostra constitutione capellani parochiales cum anachoretis in domibus suis colore quæsito, cum ancillis eorundem extra recluforium transmissis fabulentur frequenter, in ecclesiæ Dei scandalum, & animarum dispendium non modicum; singulis decanis nostris in virtute obedientiæ injungimus, ut omnes capellanos, ecclesiis, ubi degunt anachoretæ, deservientes, sacramento astringant, quod intra septa domorum earundem cum ipsis non loquantur, sed tantummodo ad fenestras earundem versus ecclesias requisiti honestum impendant colloquium, nisi infirmitas eorumdem aliud requirat manifeste. Præcipimus etiam quod brevibus se expediant, & præcipue de his, quæ ad salutem animarum pertinent tractantes cum eisdem.

Et quia non proficit sæpius legere, & non intelligere, statuimus, ut unusquisque decanus " Statuta synodalia „ penes se habeat & copiam fieri procuret in singulis ecclesiis sui decanatus. Itaque si dominus episcopus vel ejus officialis per aliam ecclesiam transitum fecerit, & Statuta in ea non invenerit, ipsi, per cujus negligentiam steterit, quominus Statuta synodalia in ea inveniantur, pœnam infligat. ANNO CHRISTI 1257.

Inhibemus etiam sub pœna excommunicationis, ne bedelli archidiaconorum seu decanorum habeant equitaturas, sed pedites incedant, ne sint onerosi provinciæ.

Ut autem habitus diversitas clericos a laicis faciat discrepare, & habitus exterior conveniat officio & honori; statuimus firmiter injungentes, ut universi decani & vicedecani in suis capitulis, & ubi coram eis judicium exercetur. & coram suis prælatis, ac in congregationibus clericorum cappis clausis decenter utantur. Ne vero facilitas veniæ intentionem tribuat delinquendi, adjicimus statuendo, quod si quis hujus constitutionis transgressor exitat, per nos sciat absque favore & gratia puniendum.

Sciant quoque rectores & vicarii se graviter puniendos, si scienter luxuriosos ecclesiis sui faciant deservire. Præcipimus insuper, quod rectores, vicarii, & capellani in superpelliciis ad minus, aut alias in albis, aut in cappis sericis intersint nostris synodis, sub pœna canonica.

Executores testamentorum sint soliciti, alioquin amovebuntur. Et quia nonnullos testamentorum executores in venditione bonorum defunctorum fraudem committere sæpius reperimus; sub pœna excommunicationis firmiter inhibemus, ne cujusquam testamenti executor de bonis ipsius, cujus fuerit executor a se, aut a coexecutoribus suis per se aut personam ad emendum bona defuncti, ad opus suum fraudulenter suppositam, emere de cætero quicquam præsumat; decernentes si secus actum fuerit, venditionem non tenere, & tam venditores quam emptores hujusmodi nihilominus puniendos.

Præcipimus etiam, ut omnes certificationes de citationibus de cætero fiant per literas patentes, & non clausas.

Custodias ecclesiarum seu decanatuum formas per prædecessorem nostrum sancitas similiter revocamus, & ex nunc non tenere denunciamus.

Rectores ecclesiarum, & sacerdotes, & alii ministri ecclesiæ in divinis officiis tam ad vesperas quam ad matutinas, tum aliis horis superpelliciis honestis utantur, aut clausis desuper vestimentis saltem sive indumentis, & quod nullus sacerdos celebret, quousque Prima canonice sit completa; quod si secus agere præsumpserit, usque ad satisfactionem se noverit suspensum aut suspendendum.

Sacerdotibus districtius duximus injungendum, ne pro benedictione nubentium, aut sepultura mortuorum, aut pœnitentia, aut pro aliquibus sacramentis aliquid exigant a subditis suis, aut extorquere præsumant ultra debitam consuetudinem parochiæ suæ & consuetam.

Si forte aliquis voluerit se alii confiteri quam proprio sacerdoti, ab eodem modeste petita licentia non neget, dum tamen sacerdoti per assertionem alicujus sacerdotis distincte constiterit, quod ei conscientiæ suæ vulnera patefecit, alioquin pro non confesso teneatur. Adhæc omnes tam prælatos quam decanos, rectores, & vicarios monemus, & eisdem in virtute obedientiæ injungimus, ut honeste viventes, habitum suis dignitatibus, statui, & ordinibus deferant congruentem, & plus solito tenentes indubitanter; quod si quos tales invenerimus, ipsos per subtractionem beneficiorum graviter pu-

☞ puniemus. Clerici vero non beneficiati, qui reprehensibiles fuerint in tonsura, ut ad superiores ordines, aut ad beneficium admittantur, quousque per tantum tempus tonsuram gesserint competentem, quo judicant præteriti temporis scandalum redemisse.

ANNO CHRISTI 1257.

Præcipimus etiam, quod omnes sacerdotes ordinationis alienæ, & qui locum mutaverint, ad parochias custodiendas, quæ in diœcesi nostra sunt, aut etiam ad celebranda divina fuerint admittendi, citra initium Septembris singulis annis archidiacono aut officiali nostro per ipsos, quorum interest, præsententur, ut per ipsum, pensatis eorum meritis, approbentur, aut, si justum fuerit, reprobentur.

Præcipimus quod nullus aut leprosus aut alius deferat tintinnabulum in sacramenta publica, cum suo sonitu, nisi sacerdos sit eucharistiam ad infirmos deferens; & hæc est causa devotionis & reverentiæ excitandæ. Excommunicati arctius ab omnibus evitentur, donec lumine * constiterit de eorum absolutione, exemplo de Lazaro quod Dominus solvi præcepit ab apostolis, licet a seipso prius resuscitato. Et quia in multis ecclesiis non est receptum, ut credimus, Oxoniense concilium, & principium ipsius de excommunicationibus in eodem concilio factis ad terrorem malitiosorum, & eorum malitiæ refrænationem duximus adjungendum eisdem, & in eodem concilio (quod adhuc scriptum est) præcipientes, ut dictæ excommunicationes singulis annis quater in singulis ecclesiis denuncientur.

ANNO CHRIST 1257.

Præter hæc autem superius injuncta, ea, quæ in concilio Oxonienſi & Londinenſi provida & sancta deliberatione antea sunt statuta, vobis injungimus observanda: cujus principii tenor talis est: Ex auctoritate Dei patris omnipotentis & beatæ Mariæ virginis, & omnium sanctorum, & præsentis concilii excommunicamus omnes, qui ecclesiasticam consuetudinem antiquam a Domino Jesu Christo electam, & a principio concessam archiepiscopis, episcopis, & sanctis patribus approbatam, ob aliquam malam voluntatem, vel cordis inflationem, aut rancorem infringere, & violare contendunt, aut aliquo modo, arte, ingenio, consilio, auxilio, præcepto sponsam Jesu Christi, id est sanctam ecclesiam, suo jure contendunt, aut contradicere procurant, &c.

Expliciunt statuta synodalia alias in synodo promulgata per Walterum, quondam Norwicensem episcopum, & additiones postea per Simonem successorem suum, quæ firmiter præcipimus observari.

* Forte ita legendum: donec expresse constiterit de eorum absolutione, juxta exemplum Lazari, quod Dominus servari præcepit ab apostoliis.

CONCILIUM MERTONENSE.

ANNO CHRISTI 1258.

Ex veteri MS. edidit collector Anglicanus.

ANNO CHRISTI 1258.

ANno Dom. MCCLVIII. fuit concilium Bonifacii archiepiscopi, & omnium suffraganeorum suorum apud Mertonam, scilicet die Jovis in festo S. Barnabæ apostoli, ad quassandam decimam totius ecclesiæ Anglicanæ, per Alexandrum papam concessam.

☞ MERTONENSE CONCILIUM

Pro Cleri Anglicani immunitate

Anno 1258. habitum.

Ex Annal. Burton. pag. 388.

Ex Suppl. Manst. II.

„ PEcuniæ illius solutionem a missis Pontificiis in Anglia exactam, quæ denarium „ S. Petri appellabatur, molestè semper incolæ „ tulerunt; quæ ratio effecit sæpe ut in pon„ tificios ministros ea crearetur invidia, ac pe„ rinde haberentur exosi, velut publicani. Hæc „ Parisium persuaserunt, ut minus reverenter „ de Romana ecclesia loqueretur; hæc pari„ ter auctorem annalium Mertonensium ut illa „ scriberet quæ in exordio actorum concilii „ hujus leguntur. Impune illa quidem resecarentur; sed cavi ne de fide mea ministri aliquid eruditi suspicarentur. Hæc ergo ille de „ concilio vix noto Spelmanno affert.

Extat ap. Wilkins t. I. pag. 736.

Increscentibus in dies oppressionibus papalibus, archiepiscopus Cantuar. aliud concilium suffraganeorum & prælatorum indixit apud Mertonam, ut magistri Arloti papæ subdiaconi & notarii novis exactionibus obviam eundo, animos cleri Anglicani ab obedientia eis præstanda alienaret.

Mandatum de convocatione apud Merton.

Rogerus, Dei gratia Conventrensis & Lichfeldensis episcopus, dilecto filio archidiacono Stafordiæ, salutem, gratiam, & benedictionem. Mandatum venerabilis Patris Bonifacii, Dei gratia Cantuariensis archiepiscopi, totius Angliæ primatis, venerabili in Christo patri, R. Dei gratia Covenstrensi & Lichfeldensi episcopo, salutem & fraternæ dilectionis in Domino semper augmentum. Cum propter ecclesiæ Anglicanæ eventus & causas, quas fraternitatem vestram ignorare non convenit, fratrum nostrorum congregationem videamus opportunam, devotionem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, sub obedientiæ debito firmiter injungentes, quatenus die Jovis proxima ante instans festum S. Barnabæ apostoli apud Mertonam curetis vestram præsentiam exhibere, qualibet occasione cessante, ut in hac urgenti necessitate ecclesia nostro regimi-

gimini commissa, per vos & alios fratres nostros gratum habeat providi consilii fulcimentum. Vocetis etiam decanos cathedralium, & aliarum ecclesiarum, necnon etiam abbates, priores, majores, insuper & archidiaconos vestræ diœceseos universos, ut cum literis suorum subditorum procuratoriis loco & die antedictis compareant, ut quod communi deliberatione provisum fuerit, ex membrorum cohærentia firmius roboretur. Dat. apud Lambedam 13. cal. Maii, anno Dom. MCCLVIII. Hoc igitur mandatum vice nostra diligentius exequamini, ac nihilominus vos ipsi compareatis dictis die & loco, cum literis procuratoriis cleri totius archidiaconatus vestri ut vestri præsentia firmius roboretur, quod ad utilitatem ecclesiæ Anglicanæ de consilio & assensu vestro contigerit provideri. Dat. 6. cal. Maii, pontificatus nostri anno primo.

Congregatis igitur prædicto die apud Merton. in præsentia domini Bonifacii Cantuariensis archiepiscopi suis suffraganeis, prælatis & regni clero, super reformatione status Anglicanæ ecclesiæ & emendatione provisi sunt isti articuli subsequentes.

Articuli provisi apud Merton.

Tria sunt genera articulorum, de quibus agitur in præsenti. Sunt enim quidam articuli, in quibus prælati nullo modo dissimulare possunt. Sunt alii, in quibus possunt indicio charitatis, non perturbatione infirmitatis dissimulare. Sunt & alii, in quibus dissimulare possunt sine discrimine salutis eternæ & periculo animarum.

Articuli, qui dissimulari non possunt absque interitu salutis æternæ, animarumque periculo, & subversione ecclesiasticæ libertatis, ac ecclesiasticarum personarum præjudicio manifesto

* Cum ecclesia Anglicana non solum contra jura divina & statuta canonica, sed etiam contra libertates, a regibus, principibus, & aliis regni magnatibus sibi concessas, ausibus sacrilegis, novis irruptionibus, diris concussionibus, & oppressionibus notariis multipliciter attrita sit; & hoc absque perpetuo animarum periculo prælatorum, domini regis, & aliorum regni magnatum, sub dissimulationis silentio nequaquam valeat ulterius pertransiri; de unanimi assensu & concilio prælatorum, religiosorum, & totius cleri ecclesiæ memoratæ salubriter est provisum, ut machinis secularium potestatum solutis mœnia laborantis ecclesiæ dilapsa, inflexibili reparentur instantia per statutorum remedia, quæ sequuntur.

Quia igitur sæpe contingit, archiepiscopos, episcopos, & alios prælatos inferiores per literas domini regis ad seculare judicium evocari, ut ibi respondeant super his, quæ mere ad ipsorum officia, & forum ecclesiasticum pertinere noscuntur; ut si forte clericos ad ecclesias & capellas vacantes seu non vacantes admiserint, vel non admiserint, rectores instituerint in eisdem, suos subditos excommunicaverint, excommunicatos denunciaverint, interdixerint, ecclesias dedicaverint, ordines celebraverint, de causis mere spiritualibus cognoverint; ut puta de decimis, oblationibus, limitibus parochiarum, & similibus, quæ non possunt ad seculare forum aliquatenus pertinere; seu etiam cognoverint de peccatis & excessibus subditorum, sicut de perjurio, fidei transgressione, sacrilegio, violatione, ac perturbatione ecclesiasticæ libertatis; præsertim cum ipsius violatores, necnon & libertatum per chartas domini regis ecclesiæ concessarum, in sententiam excommunicationis incidant ipso facto: & si inter clericos suos cognoscant, vel inter laicos conquerentes, & clericos defendentes, in personalibus actionibus super contractibus vel debitis; si personas ecclesiasticas ad mandatum domini regis in foro seculari amerciatos * non compulerint ad amerciamenta hujusmodi exolvenda, seu ipsa non solverint pro eisdem: si jurisdictionem suam in ecclesiis & capellis, episcoparibus seu monasteriis annexis, per mortem prælatorum, aut cessionem vacantibus exercuerint canonicam & consuetam, & si quæ alia his similia fecerint, vel non fecerint, pertinentia ad officia ordinariorum; providemus, quod dicti archiepiscopi, episcopi, & cæteri prælati non veniant taliter evocati, sed cum honore deferatur, & majores prælati domino regi scribant, quod hujusmodi mandatis regiis parere non possint, absque subversione ecclesiasticæ libertatis, & ad hoc ideo non tenentur, eidem nihilominus literas exhortatorias dirigendo, ut animæ suæ saluti consulendo, ab hujusmodi mandatis ulterius desistat. Et si dominus rex, hujusmodi spretis exhortationibus, ad attachiationes vel districtiones processerit eorundem, tunc vicecomites, & alii quicunque ballivi ipsos attachiantes & distinguentes, per eosdem attachiatos & districtos in forma juris excommunicentur, & loca, in quibus commorantur, & terræ eorum, quas habent in regno Angliæ, per locorum diœcesanos ad denunciationem attachiati & districti interdicto ecclesiastico supponantur. Et si clerici fuerint beneficiati, suis beneficiis priventur; non beneficiati, per quinquennium ad beneficium ecclesiasticum, si forte præsentati fuerint, minime admittantur. Clerici autem qui hujusmodi brevia attachiationum seu districtionum dictaverint, scripserint, signaverint, consilium & auxilium adhibuerint, solenniter excommunicentur, & excommunicati denuncientur, nec aliqui de præmissis certa ratione suspecti ad aliquod beneficium ecclesiasticum, donec se super his canonice purgaverint, admittantur. Et si dominus rex monitus hujusmodi districtiones non revocaverit; episcopus, qui districtus fuerit, terras, villas dominicas, & castra, quæ rex habet in suo episcopatu, ecclesiastico supponat interdicto. Et si rex in sua duritie perseverat, cæteri coepiscopi districtiones unius quasi communem omnium & etiam communem injuriam ecclesiæ reputantes, civitates, terras dominicas, burgos, castra, & villas ipsius regis in suis episcopatibus consistentes simili supponant interdicto. Et sic nec sit infra XX. dies postmodum attachiationes & districtiones hujusmodi revocaverit, aut ob hoc manum contra ecclesiam aggravaverit, singuli archiepiscopi & episcopi suas diœceses ecclesiastico supponant interdicto. Et si aliquis episcoporum in hac parte inventus fuerit negligens & remissus, per suum metropolitanum graviter arguatur; & si perseve-

ANNO CHRISTI 1258.

* mulctatos pecunia

* Hic sequentes articulos sub nomine *Constitutionum domini Bonifacii archiepiscopi in concilio provinciali de Westminster editarum*, habes in biblioth. coll. Omn. Anim. Oxon. Wilkins.

ANNO CHRISTI 1258.

ANNO CHRIST 1258.

☞ veraverit in negligentia, canonice puniatur per eundem, & nihilominus ſua diœceſis, omni prælatorum & ſua auctoritate & conſenſu in præſenti ordinatione adhibitis, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

Adhæc, quia frequenter accidit, quod nonnulli clerici per laicam poteſtatem eccleſias occupant parochiales, & præbendales, etiam curam animarum habentes, & in eis abſque auctoritate eccleſiaſtica intruduntur; providemus, quod clericus per ſe ſic intruſus, forma juris ſervata, anathemate feriatur, & talis per loci diœceſanum publice denuncietur, & illo beneficio careat inperpetuum ipſo facto. Et ſi ſic in ſua pertinacia per duos menſes perſtiterit, per locorum diœceſanos, ubi habet alia beneficia ecB cleſiaſtica, ad denunciationem epiſcopi illius, in cujus diœceſi ſe intruſit, cujuſque monitionem per dictum tempus contemſit, proventus illorum beneficiorum, quouſque congrue ſatisfecerit, eidem ſubtrahantur, & ſi per annum idem intruſus in hujuſmodi excommunicationis ſententia perſeveraverit, ex tunc ad aliquod beneficium in regno Angliæ minime admittatur. Si vero per procuratorem clericum fuerit intruſus, contra eundem procuratorem modo ſimili procedatur, & pœnis ſubjaceat ſupradictis. Si vero procurator talis laicus fuerit, in forma juris excommunicetur, & tali publice nuncietur. Dominus autem abſens citetur, qui ſi comparens ratificaverit factum cujuſcunque procuratoris ſui in hac parte, pœnis ſubjaceat ſupradictis. Si vero per contumaciam abſentet ſe, poſt ſpatium trium menſium expectatus, ſi ſit in regno, majoris excommunicationis ſententia innodetur, & inſuper pœnas incurrat præC taxatas, maxime cum ſacrilegio adjecerit contemptum. Si vero fuerit extra regnum, contra ipſum vocatum poſt dilationes tranſmarinas ſimili forma procedatur. Eccleſiæ etiam vel præbendæ in quibus ſit intruſus, interdicto eccleſiaſtico ſupponantur. Auctores autem & coadjutores hujuſmodi intruſionis, ſi clerici fuerint, præfatas pœnas clericis impoſitas incurrant; ſi laici, pœnas perferant contra laicos ſuperius annotatas. Loca vero & terræ hujuſD modi intrudentium, ſi infra unum menſem non ſatisfecerint, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Si vero hujuſmodi intruſiones factæ fuerint ex regia poteſtate, moneatur dominus rex per loci diœceſanum, quod eas faciat infra competens tempus revocari. Alioquin terræ & loca, quæ idem rex habuerit in illa diœceſi, in qua fuerit intruſio, eccleſiaſtico interdicto ſupponantur. Si vero per alium magnatem vel potentem fiat talis intruſio, per ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias, ut ſuperius, arceatur. Et ſi infra duos menſes factum hujuſmodi non correxerit, terræ & loca, quæ obtinent in illa diœceſi, per diœceſanum loci interdicto eccleſiaſtico ſupponantur. E

Præterea cum excommunicati, & de mandato prælatorum ſecundum conſuetudinem capti, & carceri mancipati, aliquando per regem, & quandoque per vicecomitem, alioſque ballivos, ſine conſenſu prælatorum, & ſatisfactione congrua liberentur, plerumque etiam hujuſmodi excommunicati non capiantur, neque de ipſis capiendis literæ regiæ concedantur; nonnunquam etiam dicti rex & ballivi ſui cum hujuſmodi excommunicatis & denunciatis publice communicent, claves eccleſiæ contemnendo, in ſubverſionem eccleſiaſticæ libertatis; proviA demus quod excommunicati, & ſic capti, & taliter exeuntes, ad majorem ſui deteſtationem publice & ſolenniter pulſatis campanis, accenſis candelis, excommunicentur, & denuncientur excommunicati in locis, ubi ordinariis locorum eorum videbitur expedire. Vicecomites autem, & alii ballivi, qui eos liberaverint, non prælati, præſtita ſatisfactione eccleſiæ vel emenda, publice excommunicentur anathemate, & excommunicati ſolenniter denuncientur. Si tamen de mandato regio ad hoc proceſſerint, mitius cum eis, arbitrio ordinarii, agatur. Clerici qui hujuſmodi brevia dictaverint, ſcripſerint, ſignaverint, conſilium & auxilium adhibuerint, puniantur, ſicut ſuperius in primo B remedio plenius continetur. Moneatur dominus rex, quod hujuſmodi exceſſus corrigat, & a talibus deſiſtat mandatis. Et ſi dominus rex monitionibus non paruerit, locus, in quo captus detinebatur, interdicto eccleſiaſtico ſupponatur. Et ſi denegetur litera conſueta de excommunicato capiendo, moneatur rex per prælatum, qui ſuper hoc deſcripſit, quod eam concedat & faciat pertranſire. Quod ſi non fecerit, civitates, caſtra, burgi, & villæ, quas habet in diœceſi ſic ſcribentis per ipſum ſcribentem interdicto eccleſiaſtico ſupponentur. Contra communicantes quoque cum excommunicatis procedatur ſecundum cenſuram eccleſiaſticam.

Clerici quoque ſine delectu perſonarum, quanC quam in furto deprehenſi non fuerint, tanquam facinoroſi, vel ſuſpecti de crimine, ſeu foreſta capiuntur, & in carcere detinentur, nec redduntur ordinario, ſecundum canones libere judicandi. Et ſi clerici, quibus crimina imponuntur, coram judicibus ſecularibus vocati non comparuerint, forbanniuntur a regno. Quare providemus, quod ſi clerici ſic capti, noti fuerint & honeſti, capientes ipſos, & etiam detinentes, in forma juris ſolenniter excommunicentur per locorum ordinarios, & excommunicati denuncientur. Loca etiam, in quibus fuerint detenti, & terræ capientium eos, & detinentium, eccleſiaſtico interdicto ſupponantur, donec eoſdem dimiſerint, & libere abire permiſerint, ac alias ſuper hoc ſatisfecerint competenter. Illi etiam, qui eis talia falſa crimina impoſuerint, ſeu malitioſe, propter quæ capti fuerint & detenti, excommunicentur, & excommunicati publice denuncientur, uſque ad ſatisfactionem condignam.

Clerici quoque vagi & ignoti, capti & detenti, ſi in poſſeſſionem clericatus fuerint inventi, per locorum ordinarios requirentur libere per eccleſiam judicandi; & ſi denegentur, puniantur, ut ſuperius detentores; & ſi tradentur, non expectatis juſtitiariis quibuſcunque judicentur. Et ſi juſtitiarii, eiſdem clericis coram eis non exhibitis, epiſcopum contemnent in pœna pecuniaria, pœnæ ſuperiores, in ipſos juſtitiarios, E prout clerici fuerint, ſive laici, proferantur. Clerici autem domini regis, vel quicunque alii, qui excommunicationem hujuſmodi proſequuntur, dictando, ſcribendo, ſigillando, vicecomiti vel aliis ballivis hujuſmodi mandata dirigendo, pœnis ſubjaceant in clericos ſuperius promulgatis.

Clericus tamen ſuper tranſgreſſione foreſtæ coram ſuo ordinario canonice convictus, domino regi, vel alii damnum & injuriam paſſo, per eundem ordinarium ſatisfacere compellatur, & alias arbitrio ordinarii ſui, canonica pœna puniatur.

Si

Si vero clerici canonice se purgaverint, superque sibi impositis ac objectis, & laica potestas nihilominus bona detineat eorundem; occupantes & detinentes bona hujusmodi clericorum, per sæpedictam censuram ecclesiasticam compescantur. Quod si sic capti, malitiose tempore intermedio abrasi fuerint seu suspensi, abradentes, seu etiam suspendentes, consilium & auxilium impendentes, pœnis subjaceant supradictis. Forbannientes quoque pœnis similibus percellantur.

Sane, cum nulli clerici adinvicem & plerumque cum clericis contrahentes, ipsos contractus fidei datione vallent, aut corporaliter præstito sacramento, qui super fidei aut sacramenti præstiti religione contempta coram judice ecclesiastico conventi, regiam prohibitionem impetraverint, ut super perjurio & fidei læsione examen ecclesiastici judicis sic declinent: providemus, quod si laicus fuerit impetrator, per excommunicationis sententiam, ut superius, arceatur. Quod si nec sic destiterit, & possessor immobilium existat, terra sua supponatur ecclesiastico interdicto; si autem immobilia non habeat, mercenarii sui & non necessariæ personæ moneantur, quod infra VIII. dies ab eo recedant, alioquin consimilis feratur excommunicationis sententia in eosdem.

Si autem reus clericus fuerit, vel religiosus, exerceantur pœnæ canonicæ contra eos, & si clericus reus in sua pertinacia perduraverit, procedatur contra eum secundum pœnas superius contra pertinaces clericos annotatas. Si autem actor laicus sit, trahens laicum feodum, & per corpus & feodum suum distringatur; contra distringentes omnes procedatur, prout clerici fuerint vel laici, per pœnas, quæ contra eos superius statuuntur.

Et si actor timore regiæ prohibitionis se subtraxerit, ne peccata maneant impunita, judex ex officio suo procedat, prout viderit expedire. Si autem judex habens laicum feodum distringatur, contra distringentes procedatur, & dominum regem, ut superius annotatur. Et si non habet laicum feodum episcopus, procedatur contra dominum regem, & distringatur; ut superius expressum est.

Et hoc idem in consimilibus prohibitionibus observetur. Idem fiat & si tertius nuncius veniat ex transverso, & porrigat seu porrigi faciat prohibitionem talem, dum tamen ille eam verbo vel facto ratificat pro quo apparuerit impetrata.

Cum insuper prælati ecclesiastici ex officii sui debito inquirant de morum disciplina, peccatis, & excessibus subditorum: quia rex, magnates, & alii potentes seculares ipsorum officia impediunt in præmissis, laicis sibi subditis inhibendo, ne ad mandatum ipsorum prælatorum de veritate dicenda subeant juramentum: & quia iidem non permittunt dictos prælatos, subjectos suos in causis seu negotiis ecclesiasticis corporaliter seu pecunialiter, seu alias canonice punire, secundum personarum & delictorum qualitatem; providemus, quod laici ad præstandum hujusmodi juramenta, & ad solvendum quaslibet pœnas, per prælatos suos canonice inflictas, nihilominus præcise per excommunicationis sententiam compellantur. Impedientes vero, ne hujusmodi juramenta præstentur, aut pœnæ exolvantur, per interdicti & excommunicationis sententias prædictas arctius compescantur; & si per hoc ad districtionem processum fuerit prælatorum, contra distringentes, sicut dictum est superius, procedatur. ANNO CHRISTI 1258.

Et quia modo consimili prælatorum officium impeditur, cum contingat, quod Judæus delinquens in rebus ecclesiasticis & personis, super his conventus fuerit coram ipsis, & super aliis, quæ ad forum ecclesiasticum pertinent; providemus, quod Judæus per interdictum commercii, contractuum, & communionis fidelium ad respondendum in his casibus nihilominus compellatur. Inhibentes quoque impeditores & distringentes, pœnas interdicti & excommunicationis incurrant.

Porro quoniam ad immunitatem ecclesiæ confugientibus tam arcta ibi invenitur custodia laicorum, quod vix eis in alimentis poterit subveniri, aliquando iidem confugientes, ab ecclesiis, cœmeteriis, viis publicis post terræ abjurationem secundum regni consuetudinem, violenter extrahuntur, & sic extracti scelerate in præjudicium immunitatis ecclesiasticæ occiduntur; providemus, quod qui hujusmodi alimenta impediunt ministrari, per discretionem ordinarii pœna excommunicationis districtius arceantur. Extrahentes autem eos ab ecclesia vel cœmeterio, seu via publica, per insidias post abjurationem terræ, vel taliter extractos occidentes, cum sub ecclesiæ protectione consistant, omnibus pœnis sacrilegii percellantur. In ecclesia autem vel cœmeterio non fiat custodia confugientium ad ecclesiam; & si fiat, custodes in forma juris, districtioris excommunicationis sententia compescantur.

Rursus multoties invadunt aliqui bona ecclesiastica, & perturbant ac infringunt ecclesiasticas libertates, unde providemus, quod malefactores hujusmodi ac sacrilegi, excommunicati per locorum ordinarios nuncientur. Et si in sua pertinacia per unum mensem perseveraverint, tunc terræ suæ, & loca, in quibus morantur, ecclesiastico supponantur interdicto, & neutra relaxetur sententia, donec de damnis aut injuriis satisfecerint competenter. Et si quis ecclesiam possessionibus aut libertatibus suis spoliaverit, pœnis subjaceat supradictis, & in ipsum usque ad plenam restitutionem & satisfactionem condignam, in forma juris excommunicationis sententia solenniter proferatur. Et si iidem sacrilegi faciant judices aut prælatos propter hoc attachiari aut distringi, tam ipsi quam distringentes pœnas in attachiatores & districtores editas perferant sæpedictas.

Adhæc cum contingat, quod domicilia & hospitia clericorum suis servientibus occupentur, bonaque ipsorum clericorum ibidem inventa per sacrilegos hujusmodi consumantur, reclamantes & renitentes convitiis afficiantur, verberibus affligantur, & alias viliter pertractentur; & quandoque etiam carectæ & equitaturæ dominicæ prælatorum, religiosorum, aut clericorum in itinere publico, in mercatis, & alibi etiam in sanctuariis capiantur, & abducantur violenter, ad dictorum magnatum recommercia & victualia transvehenda; providemus, quod hujusmodi violenti & sacrilegi in forma juris excommunicentur, & solenniter excommunicati denuncientur, donec ablata & abducta restituerint, & de illatis injuriis satisfecerint competenter.

Compelluntur etiam clerici & religiosi res

suas

ANNO CHRISTI 1258.

ſuas, quas habent licite venales, ad pretium domini regis ſibi & ſuis miniſtris vendere, & inviti tradere pretio non ſoluto; unde providemus, quod taliter competentes cogantur per ſententiam excommunicationis juſtum pretium ſupplere, vel rem reſtituere ſic extortam, & nihilominus de commiſſo ſacrilegio ſatisfacere, prout decet.

Domino intuper rege eccleſiarum cathedralium vel conventualium vacantium cuſtodiam obtinente, bona earundem eccleſiarum per ballivos ſuos diſſipat & conſumit, non ſolum contra libertates eccleſiæ, ſed contra jura eccleſiaſtica, & chartam ſuam communium libertatum; propter quod providemus, quod eccleſiaſticus judex loci dictos ſacrilegos per excommunicationis ſententiam coerceat, uſque ad ſatisfactionem condignam, & ſi rex prohibuerit, non parcatur eidem; & ſi attachiationes & diſtrictiones intervenerint, ad remedia contra attachiatores & diſtringentes ſuperius præmiſſa, habeatur recurſus.

Archiepiſcopi utique & epiſcopi, ratione patrimonii eccleſiaſtici, per communem ſummonitionem coram juſtitiariis itinerantibus evocati, per attornatos ſeu procuratores ſuos literatorie conſtitutos, contra libertatem & conſuetudinem eccleſiæ, minime admittuntur: ſupplicandum eſt ergo domino regi, ut ſuſtineat, quod per literas procuratorias admittantur procuratores ſeu attornati eorundem, & juſtitiarii moneantur, quod tales cum literis competentibus admittant attornatos. Si vero ſic non admittantur, & quia perſonaliter non venerit prælatus, condemnetur, & poſtmodum diſtringatur; providemus, quod procedatur contra attachiantes & diſtringentes, prout ſuperius eſt expreſſum.

Prælati etiam & clerici venire coram magiſtratibus ſecularibus diſtringuntur, oſtenſuri quo jure aut quo warranto utuntur libertatibus, quibus a longo retro temporibus ipſi ſeu prædeceſſores ſui uſi ſunt pacifice nomine eccleſiarum ſuarum; alioquin impediuntur uti libertatibus prædictis; (unde) providemus, quod ſic vocati de jure aut warranto ſuo non reſpondeant; & ſi ſuper hoc diſtringantur, vel alias condemnentur, procedatur contra condemnantes & diſtringentes, ut ſuperius annotatur. Et ſi retineatur prælatus, archiepiſcopus cum epiſcopis requirat eum, & puniat detentores. Et ſi libere non dimittatur, ad interdicta, ut ſuperius, procedatur.

Aliquando quidem eccleſiis & prælatis principes & alii Chriſti fideles poſſeſſiones & libertates dant & concedunt per ſuas chartas, in quibus hujuſmodi clauſula vel ſimilis continetur: "Omnia, quæ ad me vel hæredes meos de tali feodo, vel poſſeſſione pertinent, vel poterunt pertinere, tali eidem eccleſiæ, vel monaſterio, ac eorum prælatis, & miniſtris, ſine aliquo retinemento, do, concedo, & præſenti charta confirmo. "Si poſtmodum ſuper aliquo articulo de pertinentiis, qui in charta ipſa non fuerit ſpecialiter expreſſus, in judicio ſeculari contentio moveatur, dicunt judices ſeculares, chartam illam eſſe vacuam & inanem, eo quod nominatim articulus ille non exprimitur in eadem: & hoc verbum "omnia," "ſecundum eos, nihil continet, niſi quod fuerit ſpecialiter expreſſum. Et ſi articulus libertatum contentioſus in charta ſpecialiter exprimatur, dicunt iidem judices, chartam ipſam eſſe vacuam, & invalidam, ſi eccleſia vel monaſterium uſa non fuerit hujuſmodi libertate; providemus, quod juſtitiarii & alii judices ſeculares, eccleſiaſticos vel loca religioſa, perverſa interpretatione hujuſmodi ſuis poſſeſſionibus ſeu libertatibus defraudantes, moneantur per locorum ordinarios, in quibus talia judicia exercentur, quod ſub talis interpretationis velamento, poſſeſſiones, libertates, & jura eccleſiaſtica perturbare ſeu intervertere non præſumant; quod ſi monitionibus non adquieverint eorumdem, per excommunicationis & interdicti ſententias dictorum juſtitiariorum, & judicum prout clerici fuerint vel laici, iniquitas per formam ſuperius annotatam reprimatur.

Licet etiam dominus rex, magnates, aliique Chriſti fideles terras, poſſeſſiones, in liberam, puram, & perpetuam eleemoſynam, eccleſiis & viris eccleſiaſticis pie duxerint conferendas, nihilominus cum vicecomites. ac ſui ballivi compellunt hujuſmodi perſonas eccleſiaſticas pro dictis terris & poſſeſſionibus ſectam facere ad ſuam curiam laicalem, contra donationis formam, & officium pietatis, & jura eccleſiarum, & poſſeſſiones, quibus uſi ſunt a longis & antiquis temporibus retroactis, perturbantes, niſi de conceſſionibus originalibus, & chartis ſuis, forte vetuſtate vel alio modo deperditis, vel conſumptis, fidem fecerint coram eis; providemus, quod ſi diſtrictio fiat pro hujuſmodi ſectis a donatoribus & fundatoribus ſive eorum hæredibus, vel aliis eorum ſucceſſoribus ſuccedentibus qualitercunque, per cenſuras præmiſſas eccleſiaſticas penitus reprimantur: ſi vero a capitalibus dominis fiat diſtrictio pro dicta ſecta, quam eccleſia vel monaſterium ante facere non ſolebat, compellentes & diſtringentes modo ſimili arceantur.

Quandoque etiam laicis inteſtatis decedentibus, domini feodorum non permittunt ipſorum debita ſolvi de bonis mobilibus eorundem, nec in uſus liberorum ſuorum, & parentum, vel alias per diſpoſitionem ordinariorum pie diſtribui pro defunctis; providemus, quod domini & eorum ballivi, ut a talibus impedimentis deſiſtant, moneantur, & monitionibus non parentes, ſaltem pro illa portione, quæ defunctum contingit, per excommunicationis ſententiam compeſcantur. Eodem modo procedatur contra eos, qui adſcriptorum, & aliorum ſervilis conditionis teſtamenta impediunt, contra conſuetudinem Anglicanæ eccleſiæ hactenus approbatam.

Prædicta denique remedia tam ad præſentia, quam ad futura gravamina ſe extendunt; præſertim a tempore excommunicationis de conſenſu regis & magnatum regni, Londini per prælatos ſolenniter promulgatæ in tranſgreſſores chartæ communium libertatum

Archiepiſcopi & epiſcopi de conſenſu & approbatione inferiorum prælatorum, capitulorum cathedralium & conventualium, necnon univerſitatis totius cleri Angliæ, pro reformatione ſtatus eccleſiæ Anglicanæ, & reparatione eccleſiaſticæ libertatis, hæc prædicta communiter & concorditer providerunt.

De hoc concilio Mertonenſi paucula recitat MS. Digby in bibl. Bodlej. Oxon. n. ii. f. 184. b. 185. a. "A. D. MCCLVIII. fuit concilium Bonifacii archiepiſcopi, & omnium ſuffraganeorum ſuorum apud Mertune, ſcil. die Jovis in feſto S. Barnabæ apoſtoli, ad quaſſandam decimam totius eccleſiæ Anglicanæ per Alexandrum papam conceſſum."

CON-

ANNO CHRISTI 1258.

CONCILIUM ROFFIACENSE

Conſtitutiones provinciales apud Roffec * anno Domini MCCLVIII. XII. Kal. Septembris, præſidente domino Giraldo Burdegalenſi archiepiſcopo.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De pœna illorum qui contra eccleſiaſtica faciunt ſtatuta.*
II. *De pœna illorum qui violant eccleſiarum ſalvitates.*
III. *De religioſis qui impediunt ſententias prælatorum.*
IV. *De pœna laicorum qui faziunt poſſeſſiones eccleſiarum.*
V. *Ne perſonæ eccleſiaſticæ agant vel reſpondeant in foro ſæculari.*
VI. *Ne clerici ſint advocati in foro ſæculari.*
VII. *Quæ forma ſit in confectione teſtamentorum ſervanda.*
VIII. *De forma abſolutionis infirmorum excommunicatorum.*
IX. *De pœnis contra litigantes & judices abuſores.*
X. *De non audiendis cauſis in locis religioſis.*

CAPITULA.

I.

De pœna illorum qui contra eccleſiaſtica faciunt ſtatuta.

CUm milites & tyranni, & fere omnes laici, prout dicit canon, clericis oppido ſint moleſti, & peccatis exigentibus fere per omnes regiones, milites, * communitates, & barones, ruſtici & burgenſes, conſtitutiones, immo vero deſtitutiones, edicta, conjurationes, confœderationes, conſpirationes, colligationes, empriſias tacitas vel expreſſas, & alias machinationes varias & diverſas, quoquo nomine cenſeantur, & promulgationes eorumdem facere præſumpſerint, & præſumant, ne laici in foro eccleſiaſtico litigent, niſi ſuper certis articulis, & valde paucis, quos ipſi exprimunt, juriſdictionem eccleſiaſticam confundendo & enormiter reſtringendo; inhibeant etiam ne ab uxoribus ſuis vel famillis * ſuis fiant oblationes, in illis caſibus in quibus fidelium pia devotio offerre conſueverat, tam de longa conſuetudine, quam de jure: nos omnes illas perſonas, quæ profana hujuſmodi præſumunt vel præſument facere, vel jam facta ſervare, ſeu opera miſericordiæ vel juſtitiæ, in quantum tangunt libertatem eccleſiaſticam occaſione hujuſmodi reſtringere, ſeu etiam coarctare, excommunicationis vinculo A innodamus. Præcipientes ut tales in generali, & expreſſe illi de quibus conſtiterit, excommunicati denuncientur diebus Dominicis & feſtivis. Et ſi per tres menſes in excommunicatione hujuſmodi malitioſe perſtiterint, ſtatuimus, ut in fine corpora ipſorum non tradantur eccleſiaſticæ ſepulturæ, niſi plene ſatisfecerint de præmiſſis: & ne filii eorum vel nepotes, ad clericatum, & ad beneficium eccleſiaſticum admittantur: neque ipſi rei aliquatenus abſolvantur, quouſque eccleſiæ de omnibus deperditis & damnis integre fuerit ſatisfactum: & diœceſanus prædictis reis, talem pœnitentiam infligat, qua ceteri a talibus arceantur.

II.

De pœna illorum qui violent eccleſiarum ſalvitates.

Cum Dominus Jeſus Chriſtus verbo pariter & exemplo nos docuerit, quanta reverentia ſacroſanctis eccleſiis debeatur, cum vaſa non ſineret transferri per templum, ſicut in evangelio continetur, & vendentes & ementes boves, & oves, & columbas, de templo ejecerit, numulariorum menſas evertendo & pecuniam effundendo: non advertentes iſtud prædones, aliqui milites, & tyranni, frequenter infringunt eccleſias, & violant ſalvitates, rapiendo bona contenta ibidem, nonnunquam homines in eccleſiis & ſalvitatibus capiendo, aliquoties verberando, & plerumque, quod pejus eſt, occidendo. Unde ſtatuimus & præcipimus, quod hujuſmodi peſtilentes homines, poſtquam de ſacrilegio ſic commiſſo conſtiterit (quos ex tunc in generali monemus & moneri præcipimus, & ſi moniti talia facere præſumſerint, ipſo facto excommunicatos eſſe volumus) denuncientur excommunicati diebus Dominicis & feſtivis: & nunquam ad abſolutionis beneficium admittantur, quouſque paſſis injuriam duplum emendaverit, & loco ſacro ſatisfactionem fecerint, quam diœceſanus viderit expedire, & quouſque ipſi diœceſano, in cujus contumeliam ſa-

ANNO CHRISTI 1258.

sacrilegium commissum fuerit, sit congrue satisfactum.

III.

De religiosis qui impediunt sententias prælatorum.

Cum obedientiæ virtus in illis personis majorem debeat habere vigorem, quæ secundum vitam suæ professionis videntur sæculum abjeciſſe: peccatis exigentibus, inveniuntur aliqui monachi, & plerique alii religiosi, qui suos ordinarios contemnentes, eorum sententias vilipendunt, & suspensi, interdicti, vel excommunicati, Divina præsumunt officia profanare. Quare de communi consilio provide * statuimus, ut monachi & ceteri religiosi taliter excedentes, de diœcesibus, in quibus talia perpetrare præsumunt, expellantur in perpetuum, vel ad tempus; & abbates, vel priores eorum, ad ejiciendum eosdem, si necesse fuerit, a diœcesanis suis per censuram ecclesiasticam compellantur.

* *al.* providemus, & statuimus.

IV.

De pœna laicorum qui faziunt possessiones ecclesiarum.

Inhibemus & monemus, ac in generali moneri præcipimus, universos barones, ballivos, milites, communitates, & personas alias sæculares, ne ecclesias, prioratus, domos, possessiones, & res alias in quarum possessione pacifica sunt vel erunt ecclesiæ, aut prælati, abbates, priores, rectores, & alii ecclesiarum administratores faziant, & occupent, aut occupari faciant, vel faziari. Illos autem qui contra hujusmodi inhibitionem, & post monitiones in generali factas facere præsumpserint vel venire, excommunicationi subjacere decernimus ipso facto.

V.

Ne personæ ecclesiasticæ agant vel respondeant in foro sæculari.

Inhibemus, & monemus universas personas ecclesiasticas, ne agant vel respondeant, vel se applegient in foro sæculari, de his quæ ad ecclesiasticum, non ad forum pertinent sæculare, nisi hoc fecerint de suorum licentia prælatorum, vel vices gerentium eorumdem. Eos autem qui contra hujusmodi monitionem & inhibitionem facere vel venire præsumpserint, excommunicatos esse volumus ipso facto. Illos autem qui personas ecclesiasticas compulerint, vel compellere voluerint ad prædicta, eidem sententiæ decernimus subjacere.

ANNO CHRISTI 1258.

VI.

Ne clerici sint advocati in foro sæculari.

Inhibemus universis religiosis, & clericis beneficiatis Burdegalensis provinciæ, ut non sint advocati in foro sæculari, nisi pro se, vel conjunctis. Eos autem qui contra hanc inhibitionem advocationis officium præsumpserint exercere, excommunicationis vinculo innodamus. Et eidem excommunicationi supponimus omnes religiosos, & clericos, qui assessores vel consiliarii fuerint contra ecclesiæ libertatem.

VII.

Quæ forma sit in confectione testamentorum servanda.

Cum ad episcoporum spectet officium, ut extremæ legitimæ voluntates fidelium effectui mancipentur: præcipimus & mandamus, ut tam clerici quam laici, cum sua voluerint condere testamenta, vel ultimas voluntates, proprium advocent capellanum, & coram ipso, & idoneis testibus, sua legitime ordinent testamenta vel ultimas voluntates. Capellani vero ad suas ultimas voluntates, duos, vel unum, advocent vicinos capellanos, vel subcapellanos, si possint commode. Quod nisi fecerint, diœcesani arbitrio graviter puniantur, quousque per provinciale concilium certa pœna contra transgressores hujusmodi statuatur.

VIII.

De forma absolutionis infirmorum excommunicatorum.

Cum quidam simplices capellani parochianos suos excommunicatos in mortis articulo laborantes, cum juramento quod hæredes eorum stent juri, indifferenter absolvant, licet plerique dictis personis sint pro re manifesta vel re judicata excommunicationis vinculo innodati: firmiter prohibemus, ne aliqua ecclesiastica persona aliquem excommunicatum pro re manifesta, vel pro re judicata præsumat absolvere, nisi ab ipso infirmo, vel aliquo nomine ipsius, adversario ejusdem infirmi prius fuerit satis-

satisfactum, nisi per inopiam valeat probabiliter excusari. Si vero ab aliquo, non servata forma hujusmodi, infirmus excommunicatus fuerit absolutus: absolvens, adversario defuncti ad interesse in solidum teneatur.

IX.

De pœnis contra litigantes & judices abusores.

Quia propter favorem quem indiscreti judices & maligni student impendere apostolicarum abusoribus litterarum, varii & diversi reperiuntur modi prædictis litteris abutendi: de consilio & assensu suffraganeorum nostrorum & approbatione concilii, omnes prælatos Burdegalensis provinciæ, necnon subditos regulares & sæculares, qui judices esse possunt, monemus & moneri præcipimus, ut in causis sibi commissis a sede apostolica vel legatis ipsius, & etiam committendis, juris ordinem studeant fideliter observare: & nullos audiant qui contra adversarium suum non habent aliquid quæstionis. Nec etiam illos audiant, qui litteras apostolicas ad futuras trahunt controversias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis exortæ. Nec audiant eos, qui aliquem super uno negotio, vel etiam malitiose super pluribus personalibus actionibus, quæ commodius possent sub uno judice terminari, per varias litteras coram diversis judicibus trahere non formidant. Nec permittant, quod reus actorem eodem tempore ad diversa loca, vel indeterminate ad villam quæ commune cum villis ejusdem provinciæ habet vocabulum, evocet per litteras eorumdem, vel etiam per litteras aliorum. Nec illos audiant, qui ad locum non insignem, in quo non possit jurisperitorum copia inveniri, adversarium postulant evocari. Nec illos, qui per generalem clausulam *& quidem alii*, plures quam quatuor evocari desiderant ab eisdem. Nec se, propter aliquorum favorem, die ad procedendum partibus assignata, audeant absentare, seu etiam occultare. Et si conservatores fuerint, non se intromittant, nisi de manifestis & notoriis, sicut in novis decretalibus continetur. Si vero subditi aut prælati, authoritate concilii provincialis generaliter moniti, prædictis abusionibus, vel alicui earum, scienter præsumpserint consentire, seu alii abusioni in jure expressæ: nos ipsos ab officio & beneficio suspendimus, justitia mediante: cujusmodi suspensionem si per quadraginta dies sustinuerint, excommunicationis vinculo innodamus. Pœnas autem prædictas, quas pravis judicibus Burdegalensis provinciæ infligimus, litigantibus ejusdem provinciæ, litteris apostolicis abutentibus, similiter duximus infligendas. A sententiis autem excommunicationis vel interdicti, in præmissis constitutionibus provincialibus promulgatis, poterit diœcesanus quilibet subditis suis absolutionis beneficium impertiri.

ANNO CHRISTI 1258.

X.

De non audiendis causis in locis religiosis.

Cum religiosarum personarum & monasteriorum quietem prælati debeant procurare, ut ipsi religiosi in contemplatione manentes, Divinæ possint liberius inservire majestati: canonica statuta sequentes, districte præcipimus & mandamus prælatis, & omnibus clericis & laicis universis, ne infra basilicas vel claustra regularium conventualium litigare præsumant, vel aliquatenus audire litigantes. Quod si facere præsumpserint, postquam istud præceptum eis fuerit publicatum: nos transgressores dicti præcepti sub districta ponimus sententia interdicti.

Explicit concilium de Roffiac.

Nota Gabr. Cossartii

Attribuitur a nonnullis hæc synodus anno MCCLVI. perperam, cum & in MS. nostro, & in Laur. Bochellj decretis, diserte expressus sit annus MCCLVIII. dies vero XII. Kal. Septembr. Inter constitutiones ecclesiæ Santonensis, hæ sunt editæ, inscriptæque, *apud Reffiecos*.

ANNO CHRISTI 1258.

CONCILIUM MONSPELIENSE

DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA

VIII. Idus Septembr. MCCLVIII. per Jacobum archiepiſcopum Narbonenſem cum ſuffraganeis celebratum.

Editum a D. Luca Dacherio, tomo II. Spicilegii: nunc collatum cum altero exemplari, quod manu ſua Sirmondus noſter deſcripſerat.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Contra rerum & perſonarum eccleſiaſticarum violatores.*
2. *De non tonſurando aut ordinando alterius diœceſano: & qui ſint tonſurandi.*
3. *Ut qui clericaliter non vivunt, clericorum privilegio non gaudeant.*
4. *Ut qui excommunicat, vel denunciat excommunicatum, poteſtatis ſuæ litteras oſtendat.*
5. *Ut Judæi uſuras non exigant, ſed tantum ſortem.*
6. *Ut epiſcopi non dent litteras ſuas quæſtoribus, qui non oſtenderint pontificias.*
7. *Ut hæc ſtatuta obſerventur, & in aliis ſynodis publicentur.*
8. *Ut ſtatutum contra invaſores bonorum eccleſiaſticorum omnibus Dominicis & feſtis publicetur.*

Undecim ſtatuta pollicebatur Synopſis. Sed revera non plura ſunt quam hæc octo. Ortus error ex numeris, qui male adſcripti erant in codice MS.

PRÆPATIO.

LEgem ſtatuit Dominus humani generis creaturæ, ut in miniſterio vitæ rationabili edocta, labe ruditatis abjecta, fieret diſcretionis luciditate præclara. Tunc etenim ex lege reſultat juſtitia, dum quiſque ſui debitum cujuſcumque officii cuſtodit. Quo fit ut ſancti patres præceptis edocti juſtitiæ, ut ſic dilucidentur obſcura, inordinata in melius conformentur, & tollantur injuriæ, juſque ſuum ſervetur & largiatur cuilibet indefeſſe, diverſa ſtatuta provide ediderunt. Inde eſt, quod nos Jacobus miſeratione Divina ſanctæ Narbonenſis eccleſiæ archiepiſcopus, majorum noſtrorum præſenti concilio veſtigiis inhærentes, ipſorum edocti magiſterio, quædam pro moderamine, quædam vero pro tranſgreſſorum audacia reformanda, de conſenſu venerabilium fratrum noſtrorum, præſenti concilio approbante, ad bonum ſtatum noſtræ provinciæ duximus ſtatuenda, quæ inferius declarantur. Sane quia prædeceſſores noſtri in provincialibus conciliis, ad ampliandum cultum orthodoxæ fidei, tam ſuper eccleſiarum libertatibus, quam vita & honeſtate clericorum, necnon & aliis diverſis capitulis, diverſa pro qualitate temporum edidere ſtatuta: nos eadem per omnia approbantes, ad conſervandam eccleſiaſticæ libertatis juſtitiam, & perverſorum reprimendam audaciam, ut quantum poſſumus viam malitiis claudamus, & in quiete vivere cupientes, quietem aliis præparemus; præſentis approbatione concilii provide duximus ſtatuendum.

CAPITULA.

I.

Contra rerum & perſonarum eccleſiaſticarum violatores.

Ut quicumque temere bona eccleſiaſtica invaſerit ſeu occupaverit, aut res eccleſiarum ſeu monaſteriorum rapuerit, perſoniſve eccleſiaſticis injurias intulerit, aut eccleſias ſeu loca religioſa, vel earumdem eccleſiarum libertates & jura impediverit uſurpando: ſciat ſe ipſo facto, authoritate præſentis concilii, anathematis vinculo innodatum. Et quia peccata nocentium ſcire expedit & oportet, ſtatuimus, ut ad requiſitionem illius epiſcopi, contra quem, aut contra cujus ſubditos, ſeu eccleſiaſticas perſonas, eccleſias, ſive monaſteria, aut loca religioſa in ſua diœceſi conſtituta, hæc attentata fuerint, ceteri epiſcopi reum hujuſmodi, ſive reos, tamdiu excommunicatos denuncient, & per ſuas civitates & diœceſes faciant ſolenniter nunciari, donec emendam fecerint proinde competentem: ipſo tamen epiſcopo ad denunciationem hujuſmodi prius in ſua civitate ac diœceſi procedente.

II.

De non tonſurando aut ordinando alterius diœceſano; & qui ſint tonſurandi.

Quia vero nonnulli inſtantia importuna, vel per obreptionem, forſitan abſque ſui ordinarii licentia, per alios epiſcopos tonſurantur: ut quod ſpecialiter prohibetur, obſervetur: ſtatuimus, ut nullus epiſcopus de cetero, prætextu ratihabitionis, cujuslibet alterius diœceſanum aliquem, abſque licentia ſui epiſcopi, tonſurare audeat, nec ipſum multo fortius ad minores vel majores ordines promovere. In tonſurando vero, illos maxime qui cum poſtulant tonſurari, ſunt in ætate viginti annorum

rum & ſupra conſtituti, cautelam habeat ordinator, ut talem adſcribat militiæ clericali, qui ex devotione, non per fraudem, adſcribi cupiat ordini clericali, & qui non ſit omnino expers ſcientiæ clericalis.

ANNO CHRISTI 1258.

III.

Ut qui clericaliter non vivunt, clericorum privilegio non gaudeant.

Demum obloquentium ora cum debita juſtitia claudere cupientes, juriſdictionem eccleſiaſticam ſic volumus obſervare illæſam, ut non ſimus aliis oneri: perpetuo ſtatuto duximus ordinandum, quod clerici mercimonia publice exercentes, operatorium ſcilicet ſive menſam, hypothecam, vel ſimilia, pro vendendis mercibus tenentes, ſeu cum perſonis laicis talia exercentes, vel ſcholares aut ſocii exiſtentes, & qui tonſuram dimiſerint, aut in habitu non vixerint clericali, veſtes varias deferendo, vel alias clericos non decentes, & qui mechanicas artes exerceant, aut qui operas ſuas aliis locaverint, vilia exercendo, quamdiu notabiles ſe reddiderint, vel in fraudem aliqua commiſerint in præmiſſis, necnon & modo quolibet bigami, & qui, etiam ſine culpa, propter homicidium vel aliter ſunt inhabiles ad recipiendum ordinem clericalem, a talliis ſeu quotis ab eccleſia de cetero minime defendantur: ut qui honore clericali ſe indignos reddiderint, ejus beneficio nullatenus foveantur. Privilegio vero per canonem, *Si quis ſuadente*, conceſſo ordini clericali, per prædicta nos non intendimus in aliquo derogari.

IV.

Ut qui excommunicat, aut denunciat excommunicatum, poteſtatis ſuæ litteras oſtendat.

Porro animarum pericula vitare, quantum poſſumus, affectantes: ſtatuimus, ut ad mandatum executoris, a domino papa ſuper negotiis aliquibus conſtituti, vel ab eodem domino papa judices delegati, aut ſubdelegatorum executorum, & judicis hujuſmodi, nullus paſſim aliquem excommunicet, vel etiam interdicat, ſeu excommunicatum vel interdictum denunciet; niſi prius poteſtatis & commiſſionis ſuæ executor aut judex delegatus apoſtolicas litteras, & ſi ſubdelegatus fuerit eorumdem, ipſas litteras apoſtolicas, necnon & ſuæ ſubdelegationis litteras oſtenderit, fidem faciens de mandato: cum tali, etiam de jure, niſi prius de mandato conſtiterit, minime ſit credendum.

V.

Ut Judæi uſuras non exigant, ſed tantum ſortem.

Ceterum Judæorum avaritiam exitiabilem, quantum cum juſtitia poſſumus, * refrænantes, ſtatuimus, ut nullus de cetero Judæum aliquem contra Chriſtianum ſuper exactione debitorum audiat, nec ei audaciam aliquam præbeat: niſi prius ſacra lege Moſaica coram poſita, Judæus ipſe, qui juſtitiam poſtulat ſibi exhiberi, per ſuum declaraverit advocatum, quid & quantum de ipſo debito quod exigit, uſura vel ſors fuerit: ut ex tunc ſuper ſorte ſolummodo audiatur, uſurarum petitione penitus ſubmota: ſalva tamen nihilominus defenſione qualibet Chriſtiano, ſi velit & poſtulet ſe ad probandum admitti, quod totum fuerit uſura quod Judæus exigit, vel in majori quam declaraverit quantitate.

* *al.* reformantes.

VI.

Ut epiſcopi non dent litteras ſuas quæſtoribus, niſi viderint apoſtolicas.

Verum quia quæſtores plurimi paſſim * de locis aliis ad iſtam provinciam ſe * committunt: non abs re duximus ſtatuendum, quod epiſcoporum aliquis, niſi prius noſtras videat litteras ipſis conceſſas quæſtoribus, ſuper negotio pro quo quæſtores hujuſmodi deſtinantur, eiſdem ſuas litteras non concedat.

* *al.* partim.
* *al.* convertunt.

VII.

Ut hæc ſtatuta obſerventur, & in aliis ſynodis publicentur.

Præcipientes firmiter & mandantes, ut omnes in noſtra provincia conſtituti, ſtatuta ipſa cum devotione recipiant & obſervent, ac eadem faciant a ſuis ſubditis inviolabiliter obſervari: ipſa nihilominus in proxima ſynodo & aliis ſynodis publicantes.

VIII.

Ut ſtatutum contra invaſores bonorum eccleſiaſticorum omnibus feſtis publicentur.

Et ne pretextu ignorantiæ, quanquam

ANNO CHRISTI 1258.

non sit constitutio singulorum auribus inculcanda, quisquam se possit aut valeat ad excusandas excusationes in peccatis forsitan excusare: præcipimus & mandamus, ut constitutionem supradictam, provida deliberatione præsentis concilii, editam contra bonorum ecclesiasticorum temerarios invasores, omnes episcopi diebus Dominicis & festivis, ab omnibus capellanis & ecclesiarum rectoribus in suis civitatibus & diœcesibus faciant publicari.

Datum apud Montempessulanum in provinciali concilio ibidem celebrato VIII. Idus Septembris, anno Domini MCCLVIII.

Ad concilii calcem, utroque in exemplari subjectum est hoc consilium.

Consilium de clericis facinorosis per senescallum capiendis de ordinarii licentia.

COnsilium est, quod ordinarius det licentiam senescallo Bellicadri, quod ipse per se, & alias quasvis certas personas ab eodem senescallo nominatas, & ab ordinario exceptas *, possit & valeat auctoritate ordinarii clericos capere pro raptu, homicidio, & incendio, fractionibus nocturnis domorum, depopulatione agrorum, in ipso tamen flagrante crimine deprehensos; ita tamen quod ad capiendum sceleratum * ..... illius, loci, in quo facinus ipsum perpetrabitur, capellanum vel rectorem, aut officialem ordinarii, aut clericum aliquem, si alter eorum ibidem repertus fuerit, secum advocet. Sin autem, facinorosum taliter deprehensum, sine læsione ipse capiat; captumque, sine mora & absque læsione aliqua, ad curiam ordinarii ducere non postponat. Hujusmodi autem licentiam per suas patentes litteras ordinarius faciat, & usque ad suum beneplacitum voluntatis; de ipsius vero concessionis licentia; ut appareat quod senescallus ejusdem ordinarii auctoritate procedat, idem ordinarius patentes litteras ab eodem habeat senescallo.

ANNO CHRIST 1258. * for. ac. ptatas.

* for. clericum.

CONCILIUM SCOTICUM

ANNO CHRISTI 1259.

Præsente rege Alexandro, Perthi, id est, in oppido S. Joannis habitum.

ANNO CHRIST 1259.

Ex Hectoris Boethi historia Scot. lib. XIII.

HAbitum deinde est concilium primatum ecclesiæ, præsente rege, Perthi: id oppidum nunc, ut antea significatum est, S. Joannis dicitur. Eo concilio edita sunt statuta provincialia, approbante rege & regni primoribus: quæ & hoc tempore in ecclesia observata manent.

CONCILIUM RAVENNENSE

A PHILIPPO ARCHIEPISCOPO

Et suffraganeis celebratum anno Domini MCCLIX.

HIeronymus Rubeus, *historiæ Ravennatis libro VI. ad annum MCCLIX.* Cum per id tempus, *inquit*, Tartarorum late insonaret nomen, Poloniaque & Pannonia ac finitimis vastatis regionibus, undique excurrerent: Philippus Fontana archiepiscopus Ravennas, Alexandro pontifice jubente, provinciale concilium Ravennæ habuit: quo cum sacrati viri in Dominicanos, Franciscanosque fratres invehentes, dicerent, de decimis illos ad populum non concionari, audire a confessionibus eos qui audiri ab ipsis deberent, sibique ad sepulturam commissos recipere, concionandique munus exequi, quod tamen ipsorum esset, iisque omnibus impediri, ne pecuniam adversus Tartaros, Christianorum subsidio, cogerent: Opizo San-Vitalius, Parmensis episcopus assurgens, religiosos illos viros accurate defendit, mirarique se magno opere dixit, de eo illos accusari, propter quod laudandi vehementer essent, & in quod multos nomine negligentiæ suspectos esse non ignorarent. Deum nostram inopiam miseratum, excitasse illos ordines hominibus affluentissimos, quibus ætas illa neque doctius aliud, neque religiosius quidquam videret: quique non colligendis modo decimis studerent: sed omni vitæ, illiusque commodorum cura posthabita, in eas regiones irrumperent, ut superarent agrestes illos homines: id autem est, ut adducerent ad Christum, & Christianis adjungerent. Hæc atque alia in hanc sententiam peroranti Oppizoni, magnum aliquorum conflavare odium.

NOTÆ G. COSS.

Pertinere ad annum MCCLXI. hæc synodus videri poterit ei, qui paulo post leget observationem nostram de conciliis, eo anno celebratis. Et vero facilis error, ut LIX. pro LXI. scriberetur. Ego tamen assensum sustineo. Nam anno ipso MCCLIX. eadem erat causa, cur metueret pontifex a Tartaris, juberetque ut ad eorum reprimendum fautorem omnes in commune consulerent.

AD

ANNO CHRISTI 1259.

AD CONCILIUM RAVENNATENSE PROVINCIALE

Pro decernendo subsidio pecuniario in Tartaros.

Anno 1259. ut fertur, melius 1261.

ADDITIO ET ADNOTATIO CHRONOLOGICA.

AD Concilium Ravennatense anni 1259. monuit sapienter Cossartius, annum 1259. perperam, sua quidem opinione, concilio huic adscribi; transferendumque maluisse se in annum 1261. quo concilia per provincias haberi, pro decernendis in Tartaros pecuniariis subsidiis, pontifex scriptis circumquaque literis mandavit. Hanc viri docti conjecturam approbant illæ, quas mox subiicio, deputationis literæ ex archivo Ravennatensi nunc primum expromptæ & in concilio pro auxilio in Tartaros decernendo coacto evulgatæ. Cum recondi illas in chartario Ravennatensi ex Montfauconii bibliotheca Bibliothecarum Msarum didicissem, R. P. Priorem D. Dominicum Tomasi Cælestinum, virum doctum & amicum meum singularem Cæsenæ agentem conveni, rogans ut ex proxima Ravennæ urbe hoc mihi documentum procuraret. Ille statim, qua est erga me humanitate, sollicitavit amicos, & per illos Rev: Dominum Josephum Aloysium Amadesi Archivi illius præfectum, cujus diligentia votorum meorum brevi compos effectus sum. Nam & literas misit & subscriptione sua ac sigillo munivit. Has ergo ex me primum habent lectores; quid ferant, cui anno concilium adscribendum sit, ex illis intellecturi.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Prona preceps ad malum audacia, freno divini timoris confracto, humilium innocentiam multipliciter inquietat, credens ad suum provenire perfectum excidium aliorum. Cui venerabiles Patres Al. Mutinensis, R. Livienſis, T. Imolensis. N. Cæsenas, Joannes Foropopulienſis, Jacobus Faventinus, Joannes Cervienſis, C. Regienſis, Joannes Saxenas, F. Adrienſis, O. Parmensis, & M. Comaclenſis episcopi, & Magister Sinigardus archipresbyter Bononienſis procurator domini O. Bononienſis electi volendo salubriter obviare; attendentes, quod temeritas impunita temeritates cumulat puniendas, & quos timor Dei a malo non revocat, coerceat saltem severitas disciplinæ, venerabili Patri Domino, Dei & Apostolica gratia sanctæ ecclesiæ Ravennatensis archiepiscopo committunt totaliter vices suas, ut ipse auctoritate omnium eorumdem, & ipsorum singulorum possit excommunicationis, & suspensionis in personas, & interdicti in civitates, castra & loca alia ferre sententias, si communia, & speciales personæ ipsorum invaserint, violaverint, seu detinuerint, sive vi, vel clam occupaverint bona, possessiones, castra, terras, homines, jura, rationes, & jurisdictiones ecclesiæ Ravennatensis, ac ecclesiarum ipsorum episcoporum, & aliarum ecclesiarum, monasteriorum, Venerabiliumque locorum totius archiepiscopatus Ravennæ, & si statutarii civitatum, & locorum eorumdem statuta fecissent, vel facerent in futurum, per quæ jura, & jurisdictiones, & alia supradicta ipsarum ecclesiarum impediri vel minus possent; in ipsos, & ipsorum quemlibet, & in observatores ipsorum, ac terras eorum dictas, auctoritate ipsorum possit ferre sententias, nisi prædicti occupatores, detentores, violatores, & turbatores, ac ceteri alii ab injuriis, molestiis, & occupationibus hujusmodi destiterint, & statutarii, & observatores statutorum de ipsorum capitulariis statuta, eadem abradi curaverint, nisi infra duos menses post quam monitionem suam duxerit faciendam. At si propter aliquorum malitiam, seu potentiam ipsius domini archiepiscopi, monitio ad supradictos pervenire non posset, idem archiepiscopus ipsam fieri faciat in aliquo loco publico, de quo ad ipsos verisimiliter valeat pervenire, quam illam firmitatem habere volunt, ac si eis, & in ipsorum præsentia esset facta: firmantes ad invicem, quod quilibet eorumdem episcoporum sententias ferendas occasione invasionum, ac aliorum supradictorum per eundem dominum archiepiscopum, denuntiare, & publicare per se, ac alios sibi subjectos ad mandatum ipsius domini archiepiscopi teneatur, vel ecclesiæ Ravennatensis. Qui vero inobediens fuerit circa denuntiationem, & publicationem hujusmodi, ipsius inobedientiæ facto, ab ingressu ecclesiæ, & divinis Officiis per unius mensis spatium sit suspensus, contra quem præfatus dominus archiepiscopus ad pœnam aliam, prout ipsius protervitas meruerit, procedere valeat, ad quod iidem episcopi jam dicto domino archiepiscopo voluntate propria se submittunt, ita quod propter hoc nihil jurisdictionis dictorum episcoporum ullatenus adimatur.

Facta fuit hæc commissio in provinciali concilio, per eumdem dominum archiepiscopum congregato in sancta majori ecclesia Ravennatensi, de mandato summi pontificis super facto Tartarorum, ubi præfati episcopi erant præsentes, & ut supra legitur in omnibus voluerunt. Sub anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo primo, tempore domini Alexandri papæ quarti, die quarto exeunte Martio, Indictione quarta, præsentibus testibus ad hæc vocatis domino comite Rogerio de Bagnacavallo, domino Aymerico cardinale, & domino Guezzo cantori ecclesiæ Ravennatensis, Joanne Samantino de Forlivio, Alberto archipresbytero Urian Brixiensis diœcesis, Trudone cantore S. ecclesiæ Ravennæ, Jacobino clerico dicti domini archiepiscopi, fratre Jacobo de

Re-

☞ Regio hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani, & Ugone notario Livienſi, & aliis m.

ANNO CHRISTI 1259.

L. ✠ S.

Ego Bartholomæus filius quondam Cambii notarius, imperiali autoritate notarius, dictis interfui, & mandato prædictorum dominorum epiſcoporum ſcripſi.

Ego Octavius Bononienſis electus volens omnia ſupraſcripta, quantum ad me ſpectat, ratione Bononienſis eccleſiæ & epiſcopatus Bononienſis & juriſdictionis mihi competentis valere & pleniſſimum robur obtinere in omnibus, conſenſum præſtitum per dominum magiſtrum Sinigardum archipresbyterum Bonon. meo nomine & Bononienſis eccleſiæ & epiſcopatus Bononienſis, & omnia quæ fecit in ſupradictis & quolibet ſupradictorum, approbo, & rata & firma habeo, & eis omnibus propria manu ſubſcribo.

ANNO CHRIST 1259.

☞ CONCILIUM PROVINCIALE MOGUNTINUM

An Chr. MCCLIX. Alexandri IV. papæ V. Interregni Germaniæ III.

De clandeſtina deſponſatione.

Ex MS. cod. Biblioth. S. Petri Erfordiæ affert P. Joſephus Harthzeim ad tom. IV. p. 576. concil. Germ.

STatuimus ut matrimonium cum reverentia, & honore in conſpectu eccleſiæ celebretur, ſic, ut cum matrimonium fuerit contrahendum, in eccleſiis publice per parochialem presbyterum tribus diebus Dominicis & Feſtivis a ſe diſtantibus publice proponatur; ut ſi quod impedimentum matrimonii contrahendi noverint aliqui, illud infra terminum competentem, ab ipſo Presbytero præfigendum, in facie Eccleſiæ ſine difficultate revelent. Excommunicationis quoque ſententia in genere proferatur in omnes, hujuſmodi impedimentum celantes; ſi quis autem non præmiſſa denunciatione, clandeſtina & interdicta conjugia inire præſumpſerit, etiam ignoranter, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta, illegitima eſt cenſenda. Parochialis etiam ſacerdos, ſi tales conjunctiones prohibere contempſerit; aut quilibet etiam regularis, qui eis præſumpſerit intereſſe, per triduum ab officio ſuſpendatur. Quibus quidem Sacerdotibus in virtute S. obedientiæ injungimus diſtrictius in his ſcriptis, ut hoc ſalutare ſtatutum & pœnas in eo expreſſas, in qualibet quarta parte anni in ambonibus Eccleſiarum ſuarum duobus Dominicis diebus ad plebem publicent, ne quis per ignorantiam excuſare ſe valeat, ne pœnas de quibus prædicitur, incurrat.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

Statuimus, ut quicumque defuncto Epiſcopo relicta ab eo, aut ſede vacante bona Eccleſiæ occupavit, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrat, quam ſucceſſor inviolabiliter faciens obſervari, nullatenus relaxet ſine reſtitutione & ſatisfactione condigna, de ſui capituli conſilio, & aſſenſu.

De vita & honeſtate clericorum.

De clericis vagabundis eſt ſtatutum, & prohibetur, quod nullus a clericis vel perſonis eccleſiaſticis recipi, nec dari quidquam debeat eiſdem, cum vitam ducant reprobam & infamem.

Item, contra clericos militares, qui clericali ſchemate derelicto comam nutriunt, & geſtantes habitum laicalem coram Prælatis ſuis & in eccleſiis, in quibus habent benefieia, neque reverenter incedunt, ſtatuimus & præcipimus, ut apoſtantes hujuſmodi, ſi antequam a ſuis Prælatis ſive capitulis evocati, & prius habitis beneficiis fuerint ſpoliati, ad ſuas eccleſias ſive præbendas redire voluerint non aliter admittantur, niſi diſciplinæ clauſtralis carcerem tanto tempore ſuſtineant, quanto a ſuis eccleſis eos conſtiterit aberraſſe.

De beguardis & beguinis reprobandis.

Statuimus, quod ſecta & habitus, nec non conventicula beguardorum clamantium per plateas & vicos civitatum oppidorum & villarum, hoc vulgare: Broth durch Gott, & quæ aliæ ſingularitates a ſancta Dei eccleſia non receptæ, ſint penitus reprobati; & mandatur univerſis Plebanis per civitates, diœceſim, & provinciam Moguntinam conſtitutis, ut eoſdem beguardos publice tribus diebus Dominicis vel feſtivis ammoneant, ut hujuſmodi ſingularitatibus derelictis, ſe teneant ſicut alii chriſtiani, & quod non prædicent in cavernis vel in aliis locis ſecretis, & non conveniant cum beguinis, ſe conformantibus eiſdem in moribus, habitu, & inceſſu, alioquin extra parochias ſuas eos expellant. Idem etiam de beguinis peſtiferis ſtatuimus.

De capellis Monachorum.

Quia Religioſi quidam per Fratres ſui ordinis officiant eccleſias unitas ſibi, & id fratribus illis ſit occaſio diſſolutionis: cum iidem eo ſint proniores in lubricum, quo ex religioſo titulo ſe autumant exemptos, ac Prælati eorumdem per ordinarios tales minime corrigi patiantur, ſed quaſi pro ordinis ſcandalo evitando ipſos ad domos ſuas revocant, vel ad alias parochias mittunt; auctoritate hujus ſacri concilii duximus ſtatuendum, ut Religioſorum eccleſiæ, per fratres eorum non officientur, ſed per clericos ſeculares, ut ſaltem de reliquiis quæ de menſa religioſorum ceciderint, ſuſtentari valeant pauperes ſacerdotes, qui in vituperium ordinis ſacerdotalis publica egeſtate laborant; ita quod ſint veriſſima illa verba Hieronymi dicentis in canone: *Mendicat infelix clericus in plateis.*

De ſtatu, & habitu Monachorum, & Monialium.

Statuimus etiam, ut juxta concilium proximе celebratum, monachi & alii Religioſi, quilibet alterius coloris veſtibus, quam ejus qui ordini congruit, non utantur ſive quotidianæ

ſive

sive pluviales existant. Et ut monasteria ordinis S. Benedicti & S. Augustini, juxta observationem suæ regulæ efficacius reformentur; prohibemus districte, ne quis abbas vel abbatissa, duas habeat abbatias, & etiam nulli monacho vel moniali duo officia in monasterio assignentur, nisi abbatis providentia, de assensu capituli, propter evidentem necessitatem monasterii id duxerit ordinandum.

Item, nullus monachus in abbatem, vel ad aliquod officium, nisi dudum expresse professus fuerit assumatur, & si qui taliter jam assumpti . . . . . denarii, vel aliqua hujusmodi transmittantur eisdem, non hoc prius recipiant quam magistræ, vel abbatissæ id significent, ut de ejus arbitrio quid de hoc missum est, fieri debeat, statuatur, & labores eorum veniant in commune. Quod & de monachis irrefragabiliter volumus observari.

Item statuimus, ut in singulis monasteriis fenestræ Parlatoriæ duplicata habeant feramenta, & ut moniales suis Præpositis & Prælatis in rebus licitis & honestis obediant, nec cuiquam alii præter eorum licentiam sua confiteantur peccata; ipsi etiam præpositi & Prælati claustra monialium non introeant, nisi summa magna & evidens necessitas id exigat.

Præterea & si contra moniales quæ de suis claustris propter aliquos enormes excessus, aut animi levitate temere fugientes, & in seculo seculariter per aliqua temporum spatia conversantes, & tandem pœnitentia ductæ ad claustra, de quibus fugere præsumpserunt, humiliter redire volunt, certæ ac variæ pœnæ juxta qualitatem & quantitatem excedentium a sanctis Patribus sint statutæ; quidam tamen abbates & Abbatissæ ac ceteri magistratus, pœnis in sacris canonibus, citra sui ordinis regulam, contra hujusmodi profugas personas expressis, non existentes contenti, graviores & quasi importabiles pœnas ipsis in sui reversione imponere non verentur, vel etiam, quod deterius est, easdem personas, quantumcumque humiliter postulantes aditum ad sua claustra, ex quibus taliter exiverunt, admittere unanimiter contradicunt. Cum ergo juxta sacrorum canonum diversas auctoritates, pœnæ non ampliandæ, sed potius sint restringendæ, & longe melius sit de misericordia, quam de crudelitate Deo reddere rationem: cum etiam Dominus per os Prophetæ pollicitus sit, sic dicens: *Peccator in quacumque hora conversus fuerit & ingemuerit, omnium iniquitatum suarum minime recordabor*. Nos attendentes, quod ubi pater-familias largus dispensator extiterit, non decet famulum esse tenacem; ut peccandi via & occasio personis talibus præcludatur, provida deliberatione concilii hujus, decernimus statuendum, & sub pœna suspensionis universis abbatibus, Abbatissis, & ceteris monasteriorum magistratibus cujuscumque ordinis seu conditionis existant, aut quocumque nomine appellentur, injungimus firmiter & districte, ut suis fratribus & sororibus in apostasiæ labem ex quacumque causa prolapsis, desiderantibus & appetentibus cum humilitate & devotione regressum suum, portam misericordiæ quam alma mater ecclesia nulli pœnitenti claudere constituit, more pii patris familias, qui filium primo prodigum & postmodum pœnitentem paterne recepit, liberaliter studeant aperire; ita quod hujusmodi personas redire ad sua claustra volentes, quantumcumque excessus earum graves fuerint vel enormes, juxta cujuslibet ordinis disciplinam sive regulam & consuetudinem observatam, sine qualibet contradictione recipiant & admittant; ita tamen, quod propter earum excessus, nec victus subtrahatur eisdem, sed alias sicut prædiximus, regulariter puniantur, alioquin prædictam suspensionis sententiam per ordinarios locorum, seu officiales eorum, in omnes contradictores, procedente tempore, juxta quod eorum protervia meruerit, præcipimus promulgari.

ANNO CHRISTI 1259.

De Raptoribus.

Statuimus & præcipimus sub pœna excommunicationis quam transgressores incurrunt, ut non solum in terminis illius archidiaconatus, in quo Prælatum vel Religiosum aliquem vel clericum habentem sacros ordines & pro clerico se gerentem, contigerit temere captivari, sed & in terminis illius archidiaconatus in quo quempiam alium detineri contigerit, ipso facto cessetur a divinorum officiis.

De Judæis.

Statuimus, ut in universis civitatibus, oppidis, castris, & villis civitatis, diœcesis & provinciæ Moguntinæ, gens Judæorum utriusque sexus infra duos menses post publicationem hujusmodi statuti, talia signa & habitum, quibus, seu per quem sine ambiguitate a christiano populo distinguatur, sibi eligat & deferat manifeste: dignitates quoque seculares & officia publica; scilicet in quibus de gente præfata aliquis præest, & mancipia christiana prorsus dimittat. Alioquin in omnibus locis, ubi Judæi dicto statuto obedire nolentes habitare vel domicilia obtinere noscuntur, in pœnam Christianorum potentum, tamdiu cessetur ab officio divinorum, donec per præfatos Principes & nobiles Christianos, in quorum territoriis prædicta gens perfida & misera conversatur, ad observationem præmissorum omnium compellatur. Ipsi autem Judæi per locorum diœcesanos indirecte per subtractionem communionis fidelium excommunicationis sententia percellantur. Si quis vero de gente præfata in die paraseeve visus fuerit in platea vel per ostium domus suæ prospicere, vel fenestras, ad quod probandum duorum Christianorum stabitur juramento, is loci diœcesano in marca argenti, pœnæ nomine teneatur, ad cujus solutionem etiam omnes defendentes eum, per excommunicationis sententiam compellantur, & ne quis christianus hujusmodi statuti ignorantiam valeat allegare, universis ecclesiarum rectoribus per Mogunt. civitatem & provinciam constitutis, in quorum Parochiis Judæi morantur, sub pœna excommunicationis dicti concilii latæ sententiæ præcipimus firmiter & districte, ut quilibet in sua parochia singulis diebus dominicis, singula quatuor tempora immediate sequentibus, infra missarum solemnia publice præfatum statutum lingua materna non obmittat exponere.

CONCILIUM ARELATENSE

Ex Coſſartii Append. Tom. XI

A Florentino archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum anno Domini MCCLX.

TITULI CANONUM.

I. *Condemnatur Joachitica doctrina.*
II. *Ut doceatur populus, qualiter baptizandi parvuli in neceſſitate.*
III. *Ut confirmationis ſacramentum jejunis tribuatur a jejunis.*
IV. *Ut matrimonia non fiant abſque auctoritate eccleſiæ.*
V. *Ut in eccleſiis ſemper reſideant ſaltem vicarii perpetui.*
VI. *Ut celebretur octava S. Trinitatis, & feſtum S. Throphimj.*
VII. *Ne ſint in eccleſiis cerei lignei, ſed luminaria provideantur.*
VIII. *Ne Judæi ferant habitum ſacerdotalem: immo ſigno aliquo diſtinguantur a fidelibus.*
IX. *Ut clerici beneficiati cauſas non agant in curia ſæculari.*
X. *Ut monachi & canonici regul. pro doctrina ſacra ſalarium non accipiant.*
XI. *De vita & honeſtate canonicorum regularium.*
XII. *Ut Hoſpitalariorum & Templariorum familiares, qui non ſunt de domeſtica eorum familia, per prælatos corrigantur.*
XIII. *De regimine hoſpitalium.*
XIV. *Ut prælatus mutuum contrahens, inſtrumenta proprio ſigillo conſignet.*
XV. *Ut parochianorum ad eccleſias ſuas non impediatur conventus.*
XVI. *Ne pro beneficiis eccleſiaſticis ad arma concurratur.*

PRÆFATIO.

ANtiquorum patrum & ſanctorum epiſcoporum auctoritas irrefragabilis, & conſuetudo celebris, illud in eccleſia Dei obtinuit, ut per varias provincias, patribus in unum congregatis, ſacri celebratione concilii diſcutiatur ſtatus eccleſiæ: & quod temporis immutavit malitia, congregatis in unum prælatis, & melius reformetur, & ſicut multorum examinatione rectorum conſultius & cautius, quicquid agendum tenendumque fuerit, diſcutitur, ſic etiam quod diſcuſſum & ſtatutum fuerit, firmius multorum conſenſu & diffinitione ſapientium roboretur. ut ſic propulſetur pravorum & mente corruptorum aſtutia, conſervetur ſanctorum prudentia, & per multorum prudentiam ſapientium, ſanitas maneat in orbe terrarum; & ſicut ſanctorum apoſtolorum, & quibus, & per quos, ſacroſancta & catholica fundata eſt per totum orbem eccleſia, traditiones, quas a ſolius pii & cœleſtis paſtoris noſtri hauſerunt pectore, immutabiliter commendatæ refulgent; ſic ſequentium per tempora canones & inſtituta patrum, in cunctis totius orbis eccleſiis vigere probantur, quorum ſolerti providentia, & vigilanti ſolertia, quoties variarum hæreſum ſchiſmatumque viſum eſt pullulare ſeminarium, toties, ne ſuccreſceret, prorſus evellendum, A avulſum & condemnatum diſparuit. Quapropter plurima ſanctorum patrum concilia in eccleſia Dei, velut quatuor evangelia, celebrantur.

Quod ſi primitivorum ſanctorum temporibus, conſtantium in fide, admirandorum virtute, ferventium caritate, tam ſolers & diligens contra reprobos adhibita eſt cautela, quid agendum eſt diebus noviſſimis, cum temporibus periculoſis inſtantibus ſurgent pſeudoprohetæ dicentes: hic eſt Chriſtus? & diſcipuli quoque mente corrupti *ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus*, tanto aſtutiores in ſuis adinventionibus, quanto pertinaciores in ſuis malitiis, & expertiores in antiquorum verſutiis, hypocriſis & ſimulationis exterius velamine dealbati, ſed interius fuligine nequiores. 2. Tim. 4.

Inter quos non modicum locum & valde pernicioſum tenent illi, qui in fundamento ſuæ veſaniæ vera quædam in parte & varia jaciendo ternaria, eademque pernicioſe adaptando, doctrinam fœdiſſimam concordantiarum ſuarum contextu nefario ſtatuere moliuntur, & malitioſa veneratione Spiritus ſancti, quem, ſecundum ordinem nominandi, tertiam dicimus in Trinitate perſonam, ſingulari redemptioni factæ per filium tam imprudenter quam nefarie * nituntur: dum tempus & opera Filii ſub annorum curriculo, & ſæculi hujuſmodi parte quadam ſignata & media claudere perhibentur: ut quemadmodum dicit Filius in carne mundo apparens viſibilis: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor:* ſic & Spiritus ſanctus completo Filii tempore dicat: Hactenus poſt patrem operatus eſt Filius, & ego de cetero operabor operationem Filii ſub illo annorum numero claudendo, quo ſatanas olim ligatus per Filium, denuo pronunciatur * ſolvendus. Hoc exemplum mille ducentis ſexaginta annis: ac ſi ſolemnius & magnificentius quodammodo ſigillatim & aprobante Spiritu ſancto * operatus ſit deinceps, quam hactenus a principio naſcentis eccleſiæ fuerit operatus.

* *f.* obnituntur.

Joan. 5.

* *Forte*, ſo vendus po expiendos mille duce tos ſexagi ta annos. *Hard.*

* *Forte*, peraturus. *Hard.*

Quis autem ſententiare præſumat, Spiritum ſanctum glorioſius paraclitum infundendum deinceps in curſu præſentis ſæculi, quam cum repente ſuper apoſtolos Chriſti vehementer inſonuit, & linguis apparens igneis diſpertitis, ſuper ſingulos requievit & ſedit, genera linguarum tribuens, corda eorum tam patenter & potenter inflammans, ut totum doctrina ſalutis illuſtrarent & fervore caritatis accenderent mundum.

Iſti tamen Joachitici *, quorundam ternariorum intercatenatione fictitia, nituntur aſtruere, Spiritus ſancti tempora cum lege majori fore deinceps revelanda. In fundamento erroris ſui primitus jacientes ſacratiſſimum id & ſupercœleſte ternarium ineffabilium perſonarum individuæ Trinitatis, Patris videlicet, & Filii, & Spiritus ſancti: & ſuper quod omnis ſtabilitur veritas, erroris ſui vanitatem firmare conan-

* Joachim abbatis ſe ctatores

nantur. Nulla siquidem adeo falsa & pestifera est doctrina, quæ non aliqua vera intermisceat.

Huic igitur summæ veritati alia quædam subnectunt & contexunt ternaria, dicentes tres status vel ordines hominis sibi invicem successione quadam temporum clarificandos. Primus est ordo conjugatorum, qui tempore Patris claruit in veteri testamento. Secundus est status clericorum, qui tempore gratiæ claruit per Filium, in hoc statu mundi medio. Tertius autem status, est ordo monachorum, clarificandus tempore majoris gratiæ in Spiritu sancto.

Addunt etiam cum iis, aliud doctrinæ sacræ ternarium videlicet veteris, & novi Testamenti, ac deinceps evangelii æterni sive evangelii Spiritus sancti, duabus rotis in visione prophetica tertiam phantastice subnectentes, & comparatione secuturi quod spirituale nunciabamus, evangelium spirituale Filii, litterale ore blasphemo & sacrilego dicere non formidant. Dividunt etiam & distinguunt totum hoc spatium labentis sæculi in tria tempora, quorum partem primam Patri attribuunt, scilicet spiritus & legis Mosaicæ: secundam attribuunt Filio, quam appellant spiritus gratiæ: & duravit annis MCCLX. Tertiam Spiritui sancto, quam dicunt tempus amplioris gratiæ, & veritatis revelatæ, ad quod referunt * evangelium id * est Filii. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quod in Sacro die Pentecostes impletum fuisse in apostolis, & deinceps continue in apostolicis viris implendum, omnes catholici hactenus exposuere doctores.

Adnectunt etiam ad prædicta quoddam vivendi ternarium, trium prædictorum temporum distinctione variatum. Per primum namque tempus posuerunt, in quo vivebant homines secundum carnem. Secundum, quod illi adjunxerunt inter utrumque hoc est inter carnem & spiritum, usque in præsens tempus. Et ex hoc sequetur aliud, in quo vivent secundum spiritum, & ab eo videlicet usque ad finem mundi.

His igitur & hujusmodi sibi invicem coaptatis & connexis ternariis: quid ab hac perfida & pernicioſa contexitur concordia, nisi quod exsuffletur deinceps redemptio per Christum facta, & finem habeant ecclesiæ Sacramenta? Quod Joachitici ore polluto, ut expressimus, quodammodo dicere non formidant, dum, evacuandas his temporibus & abjiciendas asserunt omnes figuras & signa: vivida tantummodo maneat * unitas, & absque sacramentorum velamine penitus revelata. Quæ omnia debet detestari, abominari, & abjicere, quilibet Christianus, qui a sanctis accepit, & firma fide tenet, invisibilis gratiæ visibiles esse imagines & figuras ecclesiastica sacramenta: sub quorum visibilibus speciebus quibusdam, ipse Dei Filius, Dominus Salvator noster, se in ecclesia sua usque ad finem mundi manere promisit.

Et licet nuper, præsentibus nobis & procurantibus, a sancta Dei sede apostolica damnata fuerit nova quædam, quæ ex his pullulaverat, doctrina venenata, evangelii Spiritus sancti pervulgata nomine, ac si Christi evangelium non æternum, nec a Spiritu sancto nominari debuisset: tanquam pestis hujusmodi fundamenta non discussa fuerint, nec damnata, libri videlicet Concordantiarum, & alii libri Joachitici, qui a majoribus nostris usque ad hæc tempora remanserunt intacti, ut pote latitantes apud quosdam religiosos in angulis, & antris, doctoribus indiscussi, a quibus si ruminati fuissent, nullatenus inter sacros alios & sanctorum codices mixti remansissent; cum alia modica Joachitica opuscula, quæ ad eorum pervenere notitiam, tam solemniter sint damnata. ANNO CHRISTI 1260.

CANONES.

I.

Condemnatur Joachitica doctrina.

NOs ergo, qui prædicta cum aliis quibusdam majoribus nostris diligenter inspeximus, contulimus & notavimus, timentes non immerito, ne posteris maneant in laqueum & ruinam, præsertim cum in partibus provinciarum, quibus licet immeriti in parte præsidemus, jam plurimos etiam litteratos hujusmodi phantasiis intellexerimus eatenus occupatos & illectos, ut plurima super iis commentaria facta descripserint, & de manu ad manum dando circumferentes, ad externas transfuderint nationes. Ne ergo error peccans ulterius serpat ut cancer, & paulatim occupet curiosos, nos quantum debemus & possumus in hac per ... cientes nostri provincialis sacri auctoritate concilii, prædicta, prout ad manus nostras devenerunt, reprobantes: ne subditi nostri de cetero talibus utantur, aut ea ultra recipiant, sub anathematis interminatione prohibemus.

II.

Ut doceatur populus, qualiter sint baptizandi parvuli in necessitate.

Circa sacramentorum dispensationem, quoniam per quorumdam dispensatorum negligentiam multiplices subcreverunt abusus: statuimus, ut presbyteri parochiales in præcipuis festivitatibus in plena ecclesia, & publica populi allocutione & sermone, doceant parochianos suos, qualiter & quibus verbis debeant uti, dum parvulos in casu necessitatis taliter baptizant.

III.

Ut confirmationis sacramentum jejunis tribuatur a jejunis.

Confirmationis autem sacramentum, quod propter sui venerationem & sanctorum apostolorum traditionem, a solis pontificibus datur, nonnisi jejunis & a jejunis, nisi propter necessitatem,

ANNO CHRISTI 1260.

tribuatur; nisi propter nimiam populi multitudinem & frequentiam, ut quando prælati visitant, non potuerint commode jejuni officium Confirmationis implere: exceptis parvulis, qui sugentes ubera, tempus & horam lactandi non servant.

I V.

Ut matrimonia non fiant, absque auctoritate ecclesiæ.

Ceterum quia jam in partibus Provinciæ, quasi passim, absque auctoritate ecclesiæ, suorum suarumque præsumunt firmare conjugia: statuimus, ut quicunque laici hujus præsumptionis & temeritatis actores, seu participes, fuerint deprehensi, una cum his qui sic juncti fuerint, tamdiu per suos parochiales in ecclesiis suis publice & solemniter excommunicati denuncientur, quousque super hoc pœnitentiam agentes, meruerint a suis pontificibus absolutionis beneficium obtinere.

V.

Ut in ecclesiis semper resideant saltem vicarii perpetui.

Item quia major pars ecclesiarum parochialium hujus provinciæ, ad monachorum vel conventuum regularium pertinet prioratus, de quorum collegiis aliqui consueverant in ipsis ecclesiis continue residere, in spiritualibus & temporalibus præsidentes, & de ipsis, prælatis suis rationem congruam opportune reddentes; nunc autem residentia sua ad hæc sola coarctatur tempora, quibus spiritualibus * spolia colliguntur, alicubi nullo prorsus sacerdote relicto, alicubi vero solo mercenario: ita quod plurimæ ecclesiæ, aut rectores & ministros non habent, aut per * .... regantur mercenarios: statuimus, ut in talibus ecclesiis deinceps, aut de ipsis collegiis, ad quorum patronatum pertinent, aliquæ bonæ sufficientes & honestæ personæ resideant, quæ curam animarum loci recipiant a prælatis; aut si tales sunt patroni, qui curam habere non debeant, aut non velint, tantum accipiatur & sequestretur de bonis & dotibus ecclesiæ, quantum vicario perpetuo sufficienti & honesto, & in sacris promoto, ibidem residenti & per patronum pæsentato, & per prælatum instituto, ad victum honestum sufficiat & vestitum, & alia quæ ad officium vicarii pertinere noscuntur: & hujusmodi vicarius curam animarum loci recipiat a prælato. Quod si vacante tali ecclesia per mortem aut * [a] successionem vicarii, non fuerit intra tempus statutum a jure alter vicarius sufficiens, prælato loci per patronum præsentatus: ex tunc per ipsum prælatum vicarius competens constituatur ibidem, nec ultra mercenariis, nisi forte bonis & expertis, & hoc ad tempus, & ex causa, Dominicarum ovium regimina committantur: quia mercenariis gregem committi Dominicum, evangelica veritas summi pastoris ore promulgata graviter detestatur.

* f. temporalia spolia

* f. presbyteros.

* cessio a Fort cession Hardu

V I.

Ut celebretur octava SS. Trinitatis, & festum S. Throphimj.

Item statuimus etiam, ut in octava Pentecostes celebretur solemniter officium sanctæ Trinitatis, & a vesperis Sabbati Dominica agatur solemnitas, & per totam sequentem hebdomadam tres lectiones & tria responsoria singulis diebus, nisi festum IX. lectionum extiterit, de sanctæ Trinitatis historia per ordinem decantentur, usque ad vesperas sequentis Sabbati, & tunc incipiatur historia. Festum autem B. Throphimj per totam povinciam solemniter celebretur sicut de apostolis.

V I I.

Ne sint in ecclesiis cerei lignei, sed luminaria provideantur.

Ceterum, quia non convenit aliquid eorum, quæ ad decorem & ad honestatem cultus Dei fieri consueverunt in ecclesiis Dei, fictitie & simulatorie agi, maxime in ecclesiis majoribus cathedralibus & conventualibus, & ubi ad hæc in veritate agenda ecclesiarum suppetunt facultates: prohibemus districte, cereos ligneos in colorem ceræ tinctos in prædictis ecclesiis fieri aut haberi, seu in processionibus aliquatenus deportari; seu * juxta status & facultates ecclesiarum, & secundum festorum & solemnitatum excellentiam, luminaria congrua per sacristam, vel per eum ad quem de consuetudine pertinet subministrentur.

* Corr

VIII.

A

VIII.

Ne Judæi ferant habitum ſacerdotalem: immo ſigno aliquo diſtinguantur fidelibus.

Item quia ridiculoſum eſt & turpe, quod habitus ſacerdotales, ut ſunt capæ rotundæ clauſæ, quibus ambulando per vias & plateas miniſtri eccleſiaſtici a cunctis popularibus diſcernuntur, perfidis Judæis & infidelibus cum eiſdem Chriſti ſacerdotibus ſint communes: di- B ſtrictius inhibemus, ne de cetero ab infidelibus habitus hujuſmodi deportentur; ſed rotis, aut ſignis aliis in exteriori eorum habitu patentibus utantur, quibus infideles a fidelibus diſtinguantur. Si quis autem laicus, aut ſæcularis poteſtas, Judæum aliquem, aut infidelem alium, habitum hujuſmodi ſacerdotalem deferre compulerit, excommunicetur, & a ſanctæ matris eccleſiæ liminibus arceatur: maxime cum a ſanctis patribus prædeceſſoribus noſtris, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ legatis, fue- C rit hoc idem alias ſolemniter promulgatum.

IX.

Ut clerici beneficiati cauſas non agant in curia laicali.

Adhæc cum per eccleſiaſticos eccleſiaſtica, & per ſæculares ſæcularia tractari conveniat, ne forte clericus ad aratrum mittens manum, & aſpiciens retro, Dei regno efficiatur ineptus: nec D enim beatus apoſtolus Matthæus qui & Levi telonearius dictus eſt, poſtquam a Domino vocatus fuit, rurſus ad lucra telonei reſedit: inhibemus diſtricte, ne clericus in eccleſia beneficiatus, advocationis officium ſuſcipere in curia laicali præſumat, niſi forte pro eccleſia, vel pro pauperibus & viduis & orphanis patrocinari voluerit intuitu pietatis. Si quis autem contra hoc attentare præſumpſerit, ipſo facto ab ingreſſu eccleſiæ noverit ſe ſuſpenſum, & E ſi per prælatum ſuum requiſitus & monitus, ab hujuſmodi officiis deſiſtere noluerit, beneficio eccleſiaſtico privetur per eundem; & per ipſum, beneficium alteri conferatur. Quod ſi reſipuerit, ab ipſa ſuſpenſionis ſententia per epiſcopum ſuum abſolvatur.

X.

Ut monachi & canonici regul. pro doctrina ſacra ſalarium non accipiant.

Illud etiam penitus interdicimus, ne monachi, aut canonici regulares, pro doctrina ſua ab auditoribus ſuis, ſeu a rectoribus civitatum & burgorum, quibus docent, ſalarium accipiant. Quod ſi fecerint, ipſo facto noverint ſe ſuſpenſos.

XI.

De vita & honeſtate canonicorum regularium.

Item cum canonici regulares a ceteris canonicis ſæcularibus in victu & veſtitu diſcerni debeant, ſecundum ſtatuta S. patris Auguſtini, præcipimus, ut omnes & ſinguli canonici regulares, ſani & incolumes, in adventu Domini menſam & cibum in refectorio teneant regularem .... refectorium diebus præ- *Deeſt nec extra.* dictis & temporibus, niſi evidenti cauſa, manducare præſumant. Item habitu clauſo & uniformi, regularibus congruo, cum ſella alba vel fuſtina ſine phaleris equitent. Qui autem contra hoc fecerit octo diebus a menſa fratrum noverit ſe ſuſpenſum: & per illos octo dies in terra ſedendo comedat quod ſibi miniſtri duxerint apponendum.

XII.

Ut hoſpitalariorum & templariorum familiares, qui non ſunt de domeſtica eorum familia per prælatos corrigantur.

Item cum hoſpitalarii & templarii, præter ſigna religionis ſuæ ſolita & antiqua, quibus fratres religionem eorum profitentes, habitus ſuos conſignant, quædam ſignacula adinvenerint, quibus familiares ſuos clericos in eccleſiaſtico & ſæculari habitu perſiſtentes conſignare cœperunt, ut ſic eos etiam contra prælatos defendant, immunitatibus ſuis & exemptionibus ipſos gaudere ſatagentes, ac ſi de domeſtica eorum eſſent familia: volumus, ordinamus, & ſtatuimus, ut tales per prælatos ſuos, non obſtantibus ſignis hujuſmodi, ab omnibus inſolentiis ſuis & delictis jure ordinario compeſcantur, corrigantur, & puniantur; prout in decretali de privilegiis continetur.

ANNO CHRISTI 1260.

XIII.

De regimine hoſpitalium.

Item quia in civitatibus & oppidis provinciæ noſtræ, hoſpitalia pauperum multa ſunt, quorum regimina ut frequentius laici & clerici ſæculares, multiplici prece & pretio, aliquando etiam per litteras papales & mandata principum & potentum, conſueverant occupare, nec ibi pauperibus aliquid miniſtratur, ſed omnia bona & eleemoſynæ talium hoſpitalium per hujuſmodi rectores in uſus proprios aſportantur & devorantur: ordinamus & ſtatuimus, prout in jure cavetur, ut de cetero per prælatos locorum, & alios ad quos id pertinere noſcitur, proprie, congrue & ad id competenter perquirantur, qui habitu & ſigno aliquo religionis aſſumpto, ibidem Domino famulantes, vitam agant communem, & annis ſingulis, ipſis inſtitutoribus ſuis vel deputatis ab eis, rationem de omnibus reddant, nihil ſibi aut ſuis, præter victum & veſtitum, de omnibus eleemoſynis hujuſmodi hoſpitalium retinentes.

XIV.

Ut prælatus mutuum contrahens, inſtrumenta proprio ſigillo conſignet.

Item cum magnopere cavendum ſit prælatis, ne bona eccleſiarum ſuarum obligent, abſque evidenti neceſſitate & urgenti quoties ejuſmodi exegerit neceſſitas, adhibita omni diligentia fiat, hoc * & cautela, ut & munimenta competentia conſcribantur, & propriis prælatorum ſigillis conſignentur, eademque intra . . . . repetantur & caſſentur. Sæpius etiam accidit ut ſupra g . . . . . obligatione & mutuo alicui prælato eccleſiaſtico, poſt ejus mortem, & an * . . . ſucceſſiones plurimas, unius incogniti apud modernos notarj, & cujus memoria temporis diuturnitate præteriit, proferatur inſtrumentum, cui, etiamſi præſentialiter viveret, modica non immerito fides in talibus eſſet adhibenda, cujuſmodi occaſione vexatæ fuerunt eccleſiæ multoties & gravatæ. Ut ergo hujuſmodi malitiis obvietur, & eccleſiarum periculis occurratur in hac parte, duximus ſtatuendum, ut prælatus qui pro ſuis & eccleſiæ neceſſitatibus mutuum contraxerit, chartas & inſtrumenta inde confecta proprii ſaltem ſigilli charactere & impreſſione conſignet, necdum

* *f.* hac caut.

* *f.* annorum.

A notarii ſignum abſque ſigillo prælati ſufficiat in hoc caſu, ſed ad fidem in hujuſmodi obligationibus faciendam, etiam inſtrumenta cum ſigillis epiſcoporum roborentur. Et ne per ſtatuti hujus ignorantiam ſe quiſpiam valeat excuſare, hoc per omnes civitates provinciæ hujus, villas, & oppida, in eccleſiis, per menſem unum continue, diebus Dominicis & feſtivis, ſolemniter & patenter præcipimus & volumus publicari.

ANNO CHRISTI 1260.

XV.

Ut parochianorum ad eccleſias ſuas non impediatur conventus.

Item quia laici ſtatutum ſuum & eccleſiæ mandata ſcire non valent, niſi Dominicis diebus, quibus in eccleſia hæc conſueverunt recitari, ad parochias ſuas pro Divinis audiendis conveniant: diſtrictius inhibemus, ne religioſi in eccleſiis ſuis aut capellis eos diebus Dominicis ſolemnitatibus præcipuis recipiant ad Divina: nec horis illis, in ſuis locis populo publice prædicent, quibus in parochiis Miſſarum ſolemnia celebrantur. Sed illi religioſi qui ſciunt, & quibus conceditur in populo prædicare, verbum Dei per diverſas parochias civitatum prædicent, & caſtrorum, vel in locis ſuis, horis talibus, quibus parochianorum ad eccleſias ſuas non impediatur conventus. Si qui autem religioſi contra hoc attentare præſumpſerint, ipſis tamdiu prohibeatur prædicationis & confeſſionis officium, quouſque congrue caſtigati, ab hujuſmodi præſumptionibus reſipiſcant.

XVI.

De pœnitentiariis qui per villas & oppida mittuntur tempore Quadrageſimæ.

Item, quia propter imbecillium & impotentium & pauperum occupationes & penuriam, aliquando per villas & oppida conſueverunt pœnitentiarios ſuos in Quadrageſima deſtinare, ut eos a caſibus qui majoribus reſervantur, abſolvant: frequenter accidit, ut magna pars Chriſtianorum, occaſione hujuſmodi pœnitentiariorum, propriis ſacerdotibus ſuper confeſſionibus illudant, aſſerentes ſe dictis pœnitentiariis fuiſſe confeſſos, cum tamen hujuſmodi confeſſores vix, aut nunquam poſſit pars populi modica ſuorum peccatorum confeſſionibus generaliter expediri. Ut ergo de cetero populares

occa-

occaſiones hujuſmodi frivolas non prætendant: inhibemus, ne confeſſores hujuſmodi qui mittuntur ſolummodo ad prædicta, per villas & parochias diœceſis diſcurrentes, generalibus parochianorum confeſſionibus audiendis ſe occupent, niſi de mandato prælati, & licentia curati, generalibus confeſſionibus audiendis ſe duxerint occupandos: ſed eos ad proprios remittant ſacerdotes, & caſibus pro quibus mittuntur pœnitentes abſolvant: ne ipſi parochiani mandatum de confitendo ſaltem ſemel in anno propriis ſacerdotibus ſimulatorie & doloſe ſe gaudeant evaſiſſe: nec prælati ſuper caſibus ſibi reſervatis, ad parochianos ſuos pœnitentiarios deſtinent, niſi ad eos, qui commode prælatos ſuos adire non poſſunt.

XVII.

Ne pro beneficiis eccleſiaſticis ad arma concurratur.

Ad hæc, cum jam pernicioſe inolitum ſit in partibus Provinciæ, non ſolum apud ſæculares clericos, ſed & apud regulares monachos, ut cum ſuper beneficiis eccleſiaſticis quæſtiones inter aliquos oriuntur, relictis & contemptis eccleſiaſticis judicibus, ad quos ſolos cognitio & definitio talium pertinere noſcuntur, ſtatim ad arma concurrant, parentum & amicorum ſuorum ſæcularium laicorum impetu & violentia eccleſias occupantes, armis quoque & armatis munientes eaſdem, ſe deinde mutuo prout prævalent, plerumque cum effuſione ſanguinis, nonnunquam vero cum homicidiis, expellentes, propter quod in partibus illis innumerabilia ſurrexerunt, & adhuc quotidie ſurgunt ſcandala, plurima quoque corporum & animarum ſcandala ſequuntur & ruinæ. Nos igitur tot & tantis inſolentiis occurrere cupientes, ſtatuimus ut quicunque clericus ſæcularis, aut religioſus, talia de cetero præſumpſerit attentare, abſque diœceſani ſui aut judicis, ſeu ex communis * ſui eccleſiaſtici auctoritate & licentia, armorum & armatorum impetu . . . . . *Cetera deſunt,*

ANNO CHRISTI 1260.

* *f.* juris.

G. COSS. OBSERVATIO.

Arelatenſe hoc concilium voco, quod Arelatenſis provinciæ ſit. Quo enim celebratum ſit loco, plane ignoramus, neque ullum ſupereſt in actis veſtigium, ex quo id conjicere poſſimus. Temporis autem, quanquam adſcriptus dies annuſque non ſit, notitiam ſuppeditat præfatio, in qua de hæreticis primo canone condemnatis hæc verba ſunt: *Secundam* (temporis partem) *attribuunt filio, & duravit annis MCCLX.* Hinc etiam intelligimus, ſervatum non eſſe ordinem temporum in Chiſiano codice, ex quo hæc Arelatenſis provinciæ deſcripta concilia ſunt. Nam in eo, proxime poſt Bertrandi Maleferrati concilium anni M. CC. LXX. ſequitur hoc Florentini, uti admonui ad calcem concilii Inſulani ann. M. CC. LXXXVIII.

SYNODUS CYPRIA

Sub Germano Amathuntis Episcopo

& Summo Græcorum in Inſula Cypro Antiſtite, laudatur ab Allatio in libro de VIII. Synodo Photiana pag. 506. Nec de ea plura.

CONCILIUM COLONIENSE

a Conrado Archiepiscopo

Celebratum, anno Domini MCCLX.

Capitula ſeu rubricæ ſtatutorum eccleſiæ Colonienſis, a bonæ memoriæ D. Conrado archiepiſcopo Colonienſi, in ejus concilio provinciali editorum.

I. *De manifeſta cohabitatione clericorum & mulierum.*
II. *De manifeſta clericorum negotiatione.*
III. *De inſufficientia ſcientiæ, quæ eſt illitteratura, clericorum.*
IV. *De tonſura clericorum.*
V. *De clericis ſimoniacis.*
VI. *De clericis irregularibus.*
VII. *De dormitoriis, de lectura tabulæ capitularis, de lunationibus, de memoriis defunctorum, de modo eundi in capitulum, & procedendi in eodem. De ordine miniſtrantium ad altare, & de canonicorum comedendi & dormiendi modo.*
VIII. *De campanariis & cuſtodibus.*
IX. *De decanis, ſcholaſticis, cantoribus & canonicis.*

X. *De*

ANNO CHRISTI 1260.

X. *De capellanis regularibus, episcopalibus & præpositorum, & qui non debeant esse ejusmodi capellani.*
XI. *De pistrinis ecclesiarum.*
XII. *De præpositis & eorum capitulis, qualiter erga se invicem habere debeant.*
XIII. *De electionibus capitulorum.*
XIV. *De immunitatibus & muris earum.*

PRÆFATIO

In nomine Domini Amen.

NOS Conradus Dei gratia sanctæ Colonien-
sis ecclesiæ archiepiscopus, sacri imperii
per Italiam archicancellarius, in agrum Do-
mini curæ nostræ commissum: de mandato
apostolico his diebus per ostium visitationis in-
gressi, plura in ipso, quam utique credeba-
mus, offendiculorum invenimus zizania diver-
sorum. Si enim mala opera conversationis, &
scandala perversitatis in clero, recte zizania
sunt censenda, incœpti super hoc propositum
negotii prosequamur: inprimis quidem extir-
pando radicitus vitia, ut deinde virtutum ger-
men laudabile, unde fructus salutis proveniat,
inseramus. Cum igitur ista bonorum plantatio
germinum, & extirpationes vitiorum, in agrum
Domini absque correctionis remedio fieri non
valeat: opportune secundum qualitates & mo-
dos excessuum, correctionis canonicæ modos
providimus adhibendos. Sane cum ea quæ
nobis genera diversorum offendiculorum visi-
tantibus occurrunt, in aliquibus clericorum sint
ista, & fere maxime in eorum compluribus
usitata: manifesta cum mulieribus cohabitatio,
habitus clericali incongruus disciplinæ: in non-
nullis quoque eorum, negotiatio detestanda;
& insufficientia scientiæ, quæ est illitteratura;
in multis, quos clericos solo nomine, non re,
recta consideratione censemus: & præter hæc,
aliqua alia in nonnullis eorum occurrunt, ha-
bentia notam labis ecclesiasticæ. De manifesta
mulierum cohabitatione notatis, ita secundum
canonicas præcipimus sanctiones.

CAPITULA.

I.

De manifesta cohabitatione clericorum & mulierum.

Cum enim manifestos mulierum co-
habitatores seu concubinarios censea-
mus, non solum eos, qui in suis do-
mibus tenent concubinas, verum omnes
generaliter, eos etiam qui mulieres fo-
carias extra domos suas manentes, suis
manifeste procurant sumptibus & su-
stentant: de his ita præcipimus, quod
tales, inde in visitatione nostra nota-
ti, cessent de cetero a talis peccati
commercio, & in pœnam commissi ex-
cessus, intrent carcerem canonicalis di-
sciplinæ, illum servaturi secundum mo-
rem & consuetudinem disciplinæ ha-
ctenus observatæ. De his autem mu-
lieribus ita præcipimus, quod si intra
immunitatem, quod absit, fuerint
compertæ manentes, vel prope immu-
nitatem; decani ecclesiarum per ex-
communicationis sententiam ipsas ad
recedendu compellant. Ipsique nihilo-
minus decani eas ad suos plebanos de-
stinent, recepturas ab eis, vel aliis bo-
ni consilii, quoad remedia animarum,
viris, pœnitentiam salutarem.

Quia vero supradicti cohabitatores
mulierum clerici, patrimonium Jesu
Christi in usus malos, cum suis pec-
cando focariis, expenderunt: eos proin-
de teneri ad satisfaciendum ecclesiæ,
cujus bonis taliter in suis concupisce-
tiis & peccati illecebris sunt abusi,
decernimus, & satisfactionis istius mo-
dum nobis reservamus secundum cano-
nicas sanctiones.

Et quia iidem clerici, sicut de mul-
tis eorum comperimus, ita hujus pec-
cati pernicioſa nimis assuefactione ex-
cæcati, in eo persistere, usque ad vi-
tæ etiam suæ novissima, non veren-
tur, in tantum quod in extremis agen-
tes, si quid de bonis ecclesiasticis ha-
buerint, ea pueris suis legant & de-
putant, non contenti quod inde in vi-
ta sua eos aluerant: & sic fraudant ec-
clesias Jesu Christi patrimonio, seque-
metipsos culpæ magis illaqueant coram
Deo: talem abusionem damnabilem de-
testando damnamus, & fieri de cetero
districtissime prohibemus.

Item ut ipsi clerici, qui malam uti-
que vitam in hujus cohabitationis cri-
mine agunt, a mala saltem sibi fama
coram hominibus & toto clero, de im-
properiosa nimis detractione præca-
veant, ipsis sub districtione firmissima
prohibemus, ut nuptiis filiorum suo-
rum & filiarum personaliter non inter-
sint. Et in his nuptiis, quantum omni-
no potest, vitetur pompa & solennitas
nuptialis.

II.

De manifesta clericorum negotiatione.

Cum negotiatio in clerico, & usura
in laico, quasi esse unius generis cen-
seantur: ita præcipimus, quod cessent
de cetero a talis peccati malitia, & in
pœnam commissi excessus, intrent ca-
nonicalis carcerem disciplinæ, secun-
dum quod superius est expressum. Quia
vero isti turpis avaritiæ sectatores, non
Deo, sed mammonæ, lucrifacere ele-
gerunt, & malis inhiando lucris, Chri-
sti similiter patrimonio & bonis eccle-
siasticis sunt usi illicite & indigne: eos
proin-

ANNO CHRISTI 1260.

proinde teneri ad ſatisfaciendum eccle- A
ſiæ, in cujus non fideliter, ſed potius fraudulenter, negotiati ſunt bonis, decernimus, & ſatisfactionis iſtius modum ſecundum ſanctionem canonicam nobis reſervamus.

ANNO CHRISTI 1260.

III.

De inſufficientia ſcientiæ, quæ eſt illitteratura, clericorum.

Item de clericis de inſufficientia doctrinæ, quæ eſt illitteratura, no- B
tatis, ſicut de omnibus ſcientiam eminentem non requirimus, ſed qui ſciant legere & cantare ad Divini officii miniſterium competenter: ita præcipimus, quod qui per ſe non poſſunt facere in choro cantandi debitum & legendi, faciant per aliam perſonam idoneam, ſecundum quod decani ſui diſcretio duxerit providendum.

IV.

De tonſura clericorum.

Ceterum de clericis non deferentibus clericalem tonſuram, & veſtes habentibus clericum non decentes (indecentia namque veſtium, in colore, vel pompa nodorum, vel apertura veſtium a latere, aut nimia brevitate, notatur) ſic tam de his quam de illis diſtricte præcipimus, ut tonſuram comæ, quæ clericalis ſit, habeant, & ſuas coronas competentes, & eas radere non omittant: quod tamen invenimus aliquos omittere, quod maxime D
deteſtamur, dum tales, & taliter ſe gerentes, privilegio quidem clericali gaudere contendant, & tamen ſignum illius privilegii aſpernentur. Sub eadem diſtrictione veſtium indecentium pompam & uſum firmiſſime inhibemus.

V.

De clericis ſimoniacis.

Item de clericis ſimoniacis ita præ- E
cipimus, quod ante omnia, ea dimittant beneficia, quæ adepta per ſimoniam extiterint, ne ea in damnationem ſuarum teneant animarum: & poſtmodum cum maturo conſilio, qualiter ipſorum ſtatui conſulatur, ordinabimus ſecundum canonicas ſanctiones.

VI.

De clericis irregularibus.

De clericis autem irregularibus ita præcipimus, quod a ſui officii executione ſe contineant, donec circa eos fuerit ordinatum ſecundum canonicas ſanctiones, quid fuerit ordinandum.

VII.

De dormitoriis, de lectura tabulæ capitularis, de lunationibus, &c.

Conſequenter, quia in ipſa viſitatione comperimus, circa Divinum officium ſive miniſterium atque chori debitum, negligentias & omiſſiones debiti, factas hucuſque fuiſſe & fieri, pluſquam Dei honorem deceat, & ſaluti ipſorum expediat miniſtrorum: quæ quidem negligentiæ cauſantur exinde potiſſimum, quod ſunt quædam eccleſiæ canonicorum carentes dormito- C
riis, quædam habentes dormitoria, ſed eorum canonici dormire in his longo temporum ſpatio diſſuerunt: item quod in quibuſdam eccleſiis eſt compertum, raro vel numquam per anni totius ſpatium lectiones & cantum Divini officii in capitulari tabula annotari: item raro vel numquam in capitulo ipſo legi lunationes menſium aut Kalendas, ſeu obitus fidelium, quorum commendationem aut memoriam agere unu quiſque, de eleemoſynarum vivens ſuſtentatione, tenetur: ſuper his omnibus, qualiter D
reformentur, & reformata, in robore ſuo permaneant & vigore, ſicut primitus erant inſtituta: ita præcipimus, quod eccleſiæ canonicorum carentes dormitoriis, ea deinceps habeant, de communi eccleſiæ ære, ſeu pecunia, conſtruenda: & canonici qui habentes dormitoria, dormire in his aliquamdiu diſſueverant, in his dormiant, prout hoc conſuetum fuit antiquitus: his dumtaxat exceptis, quos infirmitas ſeu debilitas, aut alia cauſa legitimæ neceſſitatis excuſat: cum alias caſſa & vana E
fuiſſet ipſorum dormitoriorum ſtructura, ſi non in ipſis modo & more debito, maxime cauſa matutinalis officii, dormiretur.

Item præcipimus, quod quædam canonicorum collegia in conſuetudinem adduxerint, nullis diebus cantare vigilias pro defunctis, niſi quando diſtributio denariorum in choro præſentibus exhibetur, & ſic evaneſcat illorum memoria, qui etſi ad diſtributiones hu-

juſ-

ANNO CHRISTI 1260.

jusmodi quicquam non dederint, vel legaverint ecclesiis, ad communem tamen administrationem corporis præbendalis, prædia & possessiones pie & munifice sunt largiti: super hoc ita statuimus, ut non solum illis feriis, quæ sunt distributionibus hujusmodi deputatæ, verum & aliis diebus omnibus, præterquam in festivitatibus, secundum consuetudinem majoris ecclesiæ, vigiliæ cum officio pro defunctis in choro solenniter decantentur. Et post hujusmodi decantationem officii, decanus & fratres ingredientur domum capituli: ante omnem tractatum disciplinæ vel etiam præbendæ, aut cujuscumque alterius negotii, tabulæ capitularis lecturam (habentis distincte & in specie, quid unicuique sit cantandum vel legendum in choro) audiant diligenter, ac insuper lunationes mensium ac Kalendæ & obitus legantur. Necnon aliqua lectio de regula & vita clericorum legatur. Et tunc immediate de disciplina fiat quod fuerit faciendum, ac talia consequenter post ipsam disciplinam tractentur negotia, quæ ad utilitatem seu necessitatem fuerint spectantia publicam seu privatam. Et si aliquando decanus non fuerit præsens, propter hoc non omittatur ullatenus, quin fratres domum capituli intrent, ad audiendum ipsius tabulæ capitularis lecturam, ut sciant quid unicuique in choro sit legendum, ut supra diximus, & cantandum deputatum. Quia cum in majori ecclesia talis, & bona utique consuetudo, in hujusmodi observetur: idipsum in aliis volumus ecclesiis observari.

Item præcipimus, ut Divinum officium in choro numquam, absque ordine ministrorum sacerdoti ministrare debentium, videlicet diaconi & subdiaconi, decantetur: & ipsi ministri in ipso sacræ Missæ officio non præsumant, absque indumentis suo ordini deputatis, aliquatenus ministrare, nec ante finem Missæ recedere. Quod tamen in quamdam consuetudinem, immo malam abusionem, apud quasdam ecclesias fuisse comperimus introductum: sed deinceps hoc fieri, firmissime prohibemus. Eisdem etiam ministris injungimus, quod quotiescumque hebdomada eorum fuerit officio deserviendi Divino, horas in choro matutinales & alias servare studeant diligenter: ne ullum per eos omissionis debiti, quoad sacrum ministerium, esse valeat argumentum. Sacerdotes autem ipsi quotiescumque celebraturi sunt Missam, veste camisiali sub albis non careant, ne albam, quæ consecrata est vestis, ipsorum tunicæ valeant immediate contingere, nec ipsæ tunicæ apparere.

Item canonicis, ne frequenter extra immunitatem ecclesiarum suarum comedant, aut dormiant extra ipsam, firmissime prohibemus: nec ulla eis suffragetur occasio, si forte propriis domibus careant. Competentius namque in suis dormire dormitoriis, & comedere in claustris aut refectoriis suis possunt hi, qui domibus propriis vel certis hospitibus carent, quam hæc facere forinsecus apud loca suspecta, vel alias clericalis conversationis non bene decentia honestatem.

VIII.

De campanariis & custodibus.

Item ut campanarii ecclesiarum, quorum servitus sive onus circa altare versatur, numquam absque veste camisiali compareant, firmissime prohibemus: & ut hoc absque omni omissione servetur, ecclesiarum ipsarum thesaurarii seu custodes, & singuli in singulis suis parochiis plebani, provideant diligenter. Præfati etiam thesaurarii seu custodes, quorum interest ecclesiæ luminaria ministrare, ea ita fideliter administrent, & generaliter omnis ecclesiasticæ supellectilis seu thesauri custodiam, eorum fidei atque curæ commissam, ita conservent fideliter & solerter, quod inde non sint reprehensibiles, & quod pœnam canonicæ castigationis evitent.

IX.

De decanis, scholasticis, cantoribus, & canonicis.

Consistente autem penes decanos ecclesiarum potestate, lege ac gubernatione canonicæ disciplinæ exercenda: ipsis propter hoc firmiter præcipiendo injungimus, tota eos ad id niti solertia, quod in ecclesiis disciplinalis observantia vigeat honestatis: & sicubi enervata extiterit, ipsam studeant reformare; commissam sibi excessuum correctionis potestatem, & regimen sui officii taliter exequendo, ut boni dispensatores in domo Domini super ejus familiam digna possint commendatione censeri. Et hoc quidem se facere arbitrentur, si ipsi disciplinati appareant in seipsis, & per bonum exemplum confortent & animent suos confratres.

Præ-

ANNO CHRISTI 1260.

Præfati autem decani, quicumque promotionis ſuæ tempore non fuerint in ſacris ordinibus conſtituti, eos incunctanter recipiant, gradatim de ordine ad ordinem aſcendendo.

Item præcipimus, quod intra tempus in jure expreſſum, ordinem ſacerdotalem recipiant, ſi ordinem forte in noſtra diœceſi a nobis vel aliquo alio epiſcopo contingat noſtro nomine celebrari: nec aliquis decanus propria authoritate, vel potius voluntate, præſumat ordinis ſacerdotalis receptionem protrahere vel differre, niſi ſpecialiter hoc a noſtra licentia valeat obtinere.

Item præcipimus, quod ipſi decani poſtquam ordinem ſacerdotalem receperint, & generaliter omnes ſacerdotes, necnon eccleſiarum plebani, tam urbani pariter quam rurales, ſurcotia clauſa portent: quod ſicut ab aliis ſunt in ſtatu honoris & reverentiæ differentes, ita deceat quod ab illorum habitu vel veſtitu differentes appareant, & nullum in eis exemplo & uſu veſtium ſignum appareat levitatis.

Et ſicut eccleſiarum decanis modo prædicto injungimus facere quæ ad ipſos pertinent facienda, in ſeipſis pariter & ſuorum regimine ſubditorum: ita ſcholaſticis eccleſiarum, necnon chorepiſcopis ſeu cantoribus, quorum officia onus ſuum tam circa diſciplinam, quam chori debitum atque reſidentiam in ipſis eccleſiis faciendam, habere noſcuntur, injungimus, ut in his omnibus ſtudeant ita ſe habere, quod inde non ſint reprehenſibiles, ſed potius commendandi.

Item ſicut decani in eccleſiis reſidere debere noſcuntur, ita quoque ſcholaſtici & cantores: unde & hoc eos ita præcipimus obſervare.

Item nemo ſit ſcholaſticus in duabus eccleſiis, quarum præpoſiti & decani, priores Colonienſes exiſtunt: cum de neceſſitate deinde cauſetur inconveniens; ut illarum eccleſiarum ad minus altera, ſui defectum debiti in membro ita neceſſario, cujus quidem non eſt levis recuperatio, patiatur.

Item & illam abuſionem in aliqua eccleſiarum compertam, quod decanus ſit liber a choro, quaſi corruptelam & quaſi peſſimæ adinventionis ac fraudis modum vel ſpeciem, deteſtamur: & deteſtando præcipimus, ne quis de cetero decanorum in ſua præſumat eccleſia per abuſionem hujuſmodi a ſui jugo oneris vacillare.

Item ne canonici eccleſiarum in ſolemnitatibus & ſtationibus ſine chorali pellicio vel veſte canonicali ſub ſuperpellicio incedant in eccleſiis conventualibus & in choro.

ANNO CHRISTI 1260.

Item præcipimus, ut ſi quando canonici per vicos civitatis aut plateas incedant, ita decenter in habitu veſtimentorum incedant, ſicut ab antiqua eſt conſuetudine obſervatum.

X.

De capellanis regalibus, epiſcopalibus, & præpoſitorum, & qui non poſſint eſſe hujuſmodi capellani.

Cum in aliquibus eccleſiis capellani regales, epiſcopales, ac etiam capellani præpoſitorum exiſtant: qualiter in ſe habere debeant, cum nonnullos forte ipſorum hoc lateat, determinandum neceſſario hoc duximus in præſenti noſtrorum ſerie ſtatutorum. Capellani hujuſmodi reſidentiam in ſuis eccleſiis, tanquam alii fratres facient, niſi illo tantum tempore, quando agunt ſuorum negotia dominorum, atque etiam ſi negotia eccleſiæ hoc expoſcant.

Et nobis in eccleſia majori, vel alia noſtræ civitatis vel diœceſis eccleſia, ſi ſunt ea vice præſentes, celebrantibus, ibi debent adeſſe in Divini celebratione officii, & adſtare. Et debent hujuſmodi capellani in ſacris eſſe ordinibus conſtituti. Super hujuſmodi capellanos epiſcopales, erit noſter capellanus, quaſi loco judicis & magiſtri.

Ad hæc præcipimus, quod nulli decani, nulli ſcholaſtici, nulli chorepiſcopi vel cantores, nulli ſacerdotes eccleſiarum, capellani epiſcopales ullatenus aut regales exiſtant.

XI.

De piſtrinis eccleſiarum.

Cum vero ſint quædam eccleſiæ carentes piſtrino communi, quod multum utique reprobamus: ſuper hoc ita præcipimus, quod in omnibus eccleſiis collegiatis habeatur commune piſtrinum, & panis ibi præbendalis diſtribuatur, potius quam unuſquiſque cum modio ſive maldro annonam panis præbendalis recipiat ad vendendum. Ex hac namque venditione perit hoſpitalitas in eccleſiis, cum in ipſis pauci vel nulli reperiantur panem ſuum in domibus comedentes clauſtralibus, vel egenis inde eleemoſynam tribuentes.

ANNO CHRISTI 1260.

XII.

De præpositis & eorum capitulis, qualiter erga se invicem habere debeant.

Consequenter de ecclesiarum præpositis videamus, qualiter ipsi erga capitula se habere debeant, & qualiter capitula erga ipsos vice versa. Cum enim ipsis præpositis ea potissime incumbat solertia, quod circa ecclesiæ exteriora vel ejus temporalia defendenda sint vigiles & cooperantes capitulis, ubicumque injuriam patiuntur, qualiter ab illis injuriis releventur, nostro, prout eis opus fuerit, auxilio accedente, & non solum ad hujusmodi temporalia promovenda exterius teneantur, immo ad omnia alia, tam intus quam extra, quæ sunt ad ecclesiæ utilitatem & pacem spectantia, necnon ad ipsius ecclesiæ jura, statuta honesta, & bonas consuetudines observandas teneantur ex proprio juramento: ipsis præcipimus, circa hæc omnia taliter se habere, quod inde irreprehensibiles censeantur.

Capitula etiam vice versa ita se erga ipsos habere præpositos studeant in omnibus, honorando ipsos in quibus sunt merito honorandi: quod in nullo, ipsorum præpositorum dignitati derogent sive juri. Et quia de aliquibus præpositis unum quidem in visitatione comperimus reprehensibile, & non laudandum, quod ipsi fructibus suspensarum in ecclesiis præbendarum, quorum sunt & esse de jure tenentur dispensatores, (illi præsertim, qui dictos fructus nondum in capitula transtulerunt) abutuntur. Cum enim de ipsis fructibus, uno eis anno cedentibus, tecta ecclesiæ, quando foret necessitas, reparare deberent, ipsi ea non reparant: immo fructus ipsos canonicis inobedientibus, ideoque suspensis restituunt seu remittunt. Ecce per hanc remissionem, injuriam fabricæ ecclesiæ faciunt, damnum seu emolumenti carentiam sibi ipsis, ac insuper occasionem negligentiæ & abessendi ab ecclesia, canonicis suis præstant. Hanc itaque abusionem, omni penitus ratione ac etiam colore carentem, ipsis de cetero præpositis inhibemus: volentes, ut vel ipsi retineant convertendos in utilitatem propriam illos fructus, si ecclesia eorum opus non habuerit reparatione tectorum; vel ecclesiæ ipsi ad ornamenta fructus hujusmodi largiantur, potius quam eos indignis, hoc est, inobedientibus restituant, & in sua inobedientia seu dissolutione taliter animent, ac sic ipsi præpositi dissolutionis ac inobedientiæ sint authores.

Item quod ipsi canonici qui suspensi fuerint pro sua inobedientia, nunquam in facie fratrum intra immunitatem compareant manifeste, firmissime præcipimus & mandamus.

XIII.

De electionibus capitulorum.

Item ne in præsentis nostræ visitationis proposito omittamus hoc, per quod maxime ecclesiarum collegiatarum quieti prospicitur, illarum præsertim quæ plurium clericorum receptionibus ad vacatura beneficia sunt gravatæ: cum constitutio domini Alexandri papæ super hoc ipso decreverit providere, nos illam constitutionem præcipimus inviolabiliter observari, ut cum juxta eandem constitutionem, quatuor ex receptis ante ipsam, provisum fuerit de præbendis, quæ post constitutionem prædictam vacaverunt vel vacabunt, ubi nondum quaternarius est completus, alii ultra ipsum numerum existentes, habeantur pro cassatis, nec aliquo modo ex receptione tali, a præpositis, decanis & capitulis ecclesiarum, pro canonicis vel præbendariis admittantur. Et monemus illos qui receptioni hujusmodi innituntur, & de canonicatu & præbenda se ingesserint, quod deinceps omnino desistant. Præpositos autem, decanos & capitula nihilominus admonemus, ut tales pro canonicis vel præbendariis non admittant.

XIV.

De immunitatibus, & muris earum.

Ut vero omnes ecclesiæ collegiatæ immunitates suas muro circumdatas, & clausuras portarum bene munitas habeant, firmissime præcipimus & mandamus.

Hæc itaque nostræ visitationis præcepta canonica & statuta, ita a nobis edita præcipimus inviolabiliter observari: & unumquodque collegium ea in scripto ad suæ exemplar & regimen vitæ recipiat: & recepta, penes se in perpetua commendatione memoriæ teneat diligenter. Hæc itaque ad præsens statuimus, salvo nobis, quod alia, si qua adhuc occurrerint, opus habentia reformationis aut correctionis remedio, sive de canonicis, aut monachis, aut etiam plebanis existant, ea sta-

ſtatuamus, ut inde, prout expediens A fuerit, loco & tempore ordinemus. Pronunciatum & datum Coloniæ quarto Idus Martii, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo.

EJUSDEM D. CONRADI archiepiſcopi, ſtatuta de monachis, & eorum converſatione & vita, in eodem concilio anno MCCLX. edita.

Tituli Capitulorum.

1. *De celebratione Divini officii.*
2. *Quando & quomodo monachis communicandum ſit.*
3. *Propria monachis habere non licere.*
4. *De incontinentia monachorum.*
5. *De habitu monachorum.*
6. *De monachis perouſſoribus.*
7. *De monachis ſimoniacis.*
8. *De cibis monachis interdictis.*
9. *Exitus qui monachis vetitus.*
10. *Abbates Divinorum celebrationi intereſſe debere.*
11. *De proprietariis excommunicandis.*
12. *De monachis fugitivis & apoſtatis.*
13. *De receptione hoſpitum.*
14. *De dandis eleemoſynis.*
15. *Monachis ubi & quomodo ſumendus cibus.*
16. *Monachis ante Primam & poſt Completorium exire non licere.*
17. *Monachis cum venia exeuntibus quid curandum.*
18. *De carcere monaſterii.*
19. *Mulierem intra ſepta monaſterii maſculini dormire non licere.*
20. *De monachorum capitulo quotannis celebrando Coloniæ.*
21. *De raſura monachorum.*
22. *De lectis monachorum.*
23. *Monacho abſenti non deberi præbendam.*
24. *De jejuniis monachorum.*
25. *Officiariis monachorum qualis incumbat facienda ratio.*
26. *Monachos nuptiis intereſſe non debere, & quibus exequiis poſſint.*
27. *Quod non offerant ad altare.*
28. *In aliis mandatur regula obſervari.*

PRÆFATIO.

In nomine Domini, Amen.

Conradus Dei gratia ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopus, ſacri Imperii per Italiam archicancellarius.

Saluti & bono ſtatui omnium, cujuſcumque profeſſionis ſeu ordinis, ſed noſtrorum domeſticorum maxime, debitores in Domino exiſtentes: ſicut in noſtra viſitatione negotium reformationis & correctionis de clericis per ſtatuta canonica expedivimus competenter, ita de monachis ſatagentes, idipſum ſuo modo, quo competens fuerit, expediemus.

ANNO CHRISTI 1260.

CAPITULA.

I.

De celebratione Divini officii.

IN primis igitur ſtatuimus, quod omnium monaſteriorum nigri habitus monachi Ordinis S. Benedicti, Divinum officium in cantando & legendo, ſecundum quod regula ejuſdem S. Benedicti præcipit, exequantur: & maxime munditiis circa altaria & ornatum eccleſiaſticum ſint ſtudentes. B

II.

Quando & quomodo monachis communicandum ſit.

Statuimus item, ut miniſtri altaris, ſingulis Dominicis diebus & aliis feſtivitatibus, prout conſuetudo loci ſeu monaſterii habet, communicent corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, facta prius confeſſione abbati vel priori ſecundum regulam: ut ſi aliqua de cauſa duxerit aliquis abſtinendum, cauſam abbati vel priori non differat intimare, ut cujus judicio abſtineat, vel ad communicationem accedat. C

III.

Propria monachis habere non licere.

Item ſtatuimus, quod monachi proprium non habeant, ſecundum quod regula eorum præcipit, niſi quod abbas dederit aut permiſerit: & quod pariter victum & veſtitum percipiant de communi per ſui adminiſtrationem abbatis, ut nullus monachorum cauſetur de qualitate ſeu quantitate victus & veſtitus, & veſtibus, ſed omnia ipſis adminiſtrentur, ſecundum quod monaſteriorum ſuorum ſuppetunt facultates, & prout regula hoc expoſcit. D

IV.

De incontinentia monachorum.

Statuimus eos graviori culpa, vel pœna puniendos ſecundum regulam, qui fuerint de incontinentia notati, quæ maxime in monachis eſt deteſtanda. E

ANNO CHRISTI 1260.

V.

De habitu monachorum.

Item ſtatuimus inhibendo, ne aliquis monachorum ſurcotiis, caligis coloratis, calceis nodatis, cingulis irregularibus, aut maſſubiis ſericis utatur; ſed quod ipſi monachi talibus indumentis, quæ ipſorum regula præcipit aut concedit, induantur.

Statuimus etiam, quod monachi officiarii, pro ſui monaſterii vel officii negotiis, aut alii de licentia abbatis, vel prioris abbate abſente, exeuntes, talibus utantur veſtibus & calceis pluvialibus, quæ ipſorum ordinis deceant honeſtatem, & in quibus monaſticæ religionis ſeu converſationis abuſio non poſſit deprehendi.

VI.

De monachis percuſſoribus.

De monachis autem irregularibus ita præcipimus. Si monachus in monachum manum injecerit ſui monaſterii, & læſio non ſit enormis, abbas ipſum abſolvat ſecundum morem regulæ: alioqui ſi læſio fuerit enormis, abbas illum ad ſedem Apoſtolicam deſtinet, vel ad illum qui abſolvendi habuerit poteſtatem.

VII.

De monachis ſimoniacis.

Præcipimus item de ſimoniacis, quod circa illos ſecundum conſtitutionem regulæ procedant abbates: ſuper his vero, quæ ipſis non ſunt conceſſa abbatibus, eorum monachi ad ſuperiorem mittantur.

VIII.

De cibis monachis interdictis.

Statuimus etiam, quod monachi aliis cibis non utantur, niſi eis quos ipſorum regula præcipit aut permittit.

IX.

Exitus qui monachis vetitus.

Item præcipimus diſtrictius, ne monachis detur frequens licentia exeundi: ſed ſi ſine licentia ſuperiorum, diſtrictum ſive portas clauſtri aliquis eorum exire præſumpſerit, pœnam inde ſuſtineat regularem.

ANNO CHRISTI 1260.

X.

Abbates Divinorum celebrationi intereſſe debere.

Statuimus & quod abbates in conventu cum fratribus ſedeant, & Divinis frequentius interſint lectionibus, maxime vigiliis, capitulo, collationi, & aliis Divinis officiis, cum eiſdem: niſi cauſa neceſſaria, utili, vel honeſta, fuerint præpediti.

XI.

De proprietariis excommunicandis.

Item ſtatuimus, quod abbates excommunicationis ſententiam in proprietarios ſemel in anno, ſcilicet ſabbato proximo ante Dominicam *Lætare*, ſolenniter in capitulo publicent: & ſi poſt aliquis inventus fuerit habere proprium, ſecundum regulam punietur.

XII.

De monachis fugitivis & apoſtatis.

Statuimus etiam, quod monachi fugitivi & apoſtatæ, per ſuos abbates ad ſua monaſteria revocentur, ſalva ordinis diſciplina, niſi toties inobedienter & ex talibus cauſis receſſerint, quod ſecundum regulam non debeant in eorum monaſterio tolerari.

XIII.

De receptione hoſpitum.

Statuimus item quod nullus monachorum hoſpites per ſe recipiat, niſi hoſpitarius monaſterii, vel alter, cui abbas eos commiſerit recipiendos.

XIV.

De dandis eleemoſynis.

Item ſtatuimus, quod debita eleemoſyna & conſueta, tam de refectorio, quam hoſpitali, fideliter pauperibus erogetur.

XV. *Mo-*

XV.

Monachis ubi & quomodo sumendus cibus.

Statuimus etiam, quod omnes monachi in communi refectorio commedant, nisi infirmitas, vel alia aliqua causa legitimæ necessitatis, ipsos excuset: & tunc quæ superfuerint, in eleemosynam pauperibus tribuantur.

XVI.

Monachis ante Primam & post Completorium exire non licere.

Statuimus item, quod monachis nullatenus detur licentia ante Primam exeundi, & similiter post Completorium, nisi ex causa valde rationabili & necessaria, utpote si contingat ipsum extra monasterium suum in aliquo loco Divinum officium celebrare, vel in obitu parentum, fratrum vel sororum.

XVII.

Monachis cum venia exeuntibus quid curandum.

Item si contingat monachum ante vesperas exire de licentia, ita maturet redire, quod in Divino officio illa hora esse possit.

XVIII.

De carcere monasterii.

Statuimus etiam, quod quodlibet monasterium suum carcerem habeat, in quo delinquentes regulariter puniantur.

XIX.

Mulierem intra septa monasterii masculini dormire non licere.

Statuimus item, quod nulla mulier dormire debeat intra immunitatem: & si factum fuerit, ille qui est in culpa, graviter puniatur.

XX.

De monachorum capitulo quotannis celebrando Coloniæ.

Item statuimus, quod omnes abbates nigri habitus Ordinis B. Benedicti nostræ diœcesis, singulis annis in Exaltatione sanctæ Crucis capitula Coloniæ teneant, vel apud sanctum Pantaleonem, vel apud sanctum Martinum: ut ibidem observantia regulæ cum discretione tractetur, & de statutis nostris, qualiter in quolibet monasterio observentur, & aliæ utilitates monasteriorum. Et quicumque ipsorum abbatum ad capitulum venire neglexerit, nec excusationem in capitulo legitimam ostenderit, secundum coercitionem regulæ puniatur. Et volumus quod abbates sancti Pantaleonis & sancti Martini Colonienſis, ista capitula singulis annis fieri procurent a nobis, ita quod nullus valeat excusari.

XXI.

De rasura monachorum.

Item præcipimus, quod monachi in rasura coronarum & tonsura capillorum, ita decenter & regulariter se habeant, quod super his non valeant reprehendi.

XXII.

De lectis monachorum.

Statuimus item, quod monachi non dormiant in lectis plumeis, sed in culcitris, secundum quod regula mandat.

XXIII.

Monacho absenti non deberi præbendam.

Item statuimus, ne aliquis monachus rediens, qui absens fuerat de licentia, vel sine licentia, aliquam præbendam tempore suæ absentiæ requirat: quia illa esset occasio proprium habendi.

XXIV.

De jejuniis monachorum.

Statuimus item, quod monachi jejunia sua observent secundum quod regula præcipit.

XXV.

Officiariis monachorum qualis incumbat facienda ratio.

Statuimus & quod monachi officiarii, ad minus semel in anno, in præsentia abbatis & seniorum, computationem vel legitimam rationem faciant. Et si quid ultra suorum officiorum admi-

ANNO CHRISTI 1260.

miniſtrationem ſuperfuerit, de hoc nihil per ipſos monachos, ſed per abbatem & ſuperiores ſui conventus, ad ſui monaſterii utilitatem ordinetur.

XXVI.

Monachos nuptiis intereſſe non debere, & quibus exequiis poſſint.

Item ſtatuimus, quod monachi nuptiis nullatenus interſint: nec exequiis, niſi parentum, fratrum vel ſororum.

XXVII.

Quod non offerant ad altare.

Item præcipimus & ſtatuimus, quod nullatenus offerant ad altare.

XXVIII.

In aliis mandatur regula obſervari.

Quæcumque autem de interiori pariter & exteriori clauſura monaſterii & immunitatis monaſticæ regula præcipit, quæcumque de ſilentio in horis & locis debitis, & conventu ſervando regula ipſa præcipit: necnon quæ de cantu Divini officii, profeſſione quoque facienda, aliiſque obſervantiis præcipiuntur in regula, ubicumque hæc hactenus ſunt commiſſa *, revocari in ſtatum debitum per abbates, & ſervari deinceps more & modo debito, ſtatuimus & mandamus. Alioqui negligentiam hujuſmodi cum pœna requiremus.

* f. omiſſa.

Hæc ad præſens ſtatuimus, ſalvo nobis, quod ſi aliqua occurrerint in poſterum opus habentia correctionis & reformationis remedio, ea loco & tempore ſtatuemus, & prout expediens fuerit, ordinabimus.

Datum & pronunciatum quarto Idus Martii, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo.

CONCILIUM PARISIENSE

ANNO CHRISTI CIRCITER 1260.

De propitiando Deo adverſus Tartarorum & Saracenorum irruptiones anno MCCLX. celebratum.

Ex Guillelmo de Nangiaco in vita S. Ludovici.

ANNO Domini MCCLX. Dominica in Paſſione congregavit rex Franciæ Ludovicus Pariſiis concilium epiſcoporum & principum regni ſui, eo quod dominus Papa ſcripſiſſet, ei, Tartaros in tranſmarinis partibus irruiſſe, & Saracenos viciſſe, Armeniam, Antiochiam, Tripolim, & Damaſcum, Alapiam & terras alias ſubjugaſſe, & tam Acconi civitati, quam toti Chriſtianitati periculum imminere. Unde ordinatum fuit de orationibus multiplicandis, proceſſionibus faciendis, & blaſphemiis in Deum puniendis, peccatis & ſuperfluitatibus cibariorum ac vectium reprimendis. Inhibita etiam fuerunt uſque ad biennium torneamenta, & injunctum eſt, quod non luderetur aliis ludis, niſi quod homines ſe exerceant in arcubus & baliſtis.

G. C. Vide annotatiunculam noſtram ad concilium Ravennenſe, anni MCCLIX.

STATUTA DOMINI GUIDONIS

Dei gratia archiepiſcopi Narbonenſis.

Quia ex Anicienſi epiſcopo factus eſt Narb. archiep. ann. 1259. tum Sabin. epiſc. cardin. anno 1262. ut conſtat ex epiſt. Urbani IV. ad S. Ludovicum apud Raynaldum: ac demum Clemens IV. pontif. max. ann. 1265.

I.

EXcommunicamus omnes illos qui ſanctimonialem quamcunque corruperint, & ſolicitudinem per ſe, vel per interpoſitam perſonam dederint.

II.

Item omnes clericos civitatis vel diœceſis Narbonenſis conſtitutos in ſacris, vel curam animarum habentes, qui ba-

bajuliam personæ sæcularis tenuerint vel emerint, vel judicaturam ejus tenuerint, ab officio & beneficio suspendimus. Et si qui nunc alteram earum tenent, nisi eam reliquerint * infra .... postquam in ecclesiis hæc sententia fuerit publicata, eadem suspensione teneantur astricti.

III.

Item præcipimus quod universi sacerdotes, qui curam a nobis, vel locum nostrum in spiritualibus obtinentibus, nostrisve prædecessoribus, aut eorum vices in hac parte gerentibus, minime receperunt, sacramenta ecclesiastica parochianis hujus diœcesis non ministrent. Sed nec illi qui curam habent parochiæ alicujus, in aliena parochia, etiam si fuerint invitati, ea ministrare præsumant: nisi necessitas tam urgens in hoc ultimo casu emerserit, quod tolerabile videatur alterutrum alterius onera supportare. Quo casu, authoritate nostra ille qui fuerit invitatus, possit necessitati hujusmodi subvenire in parochia aliena. Hujus autem præcepti nostri quemlibet transgressorem, postquam per ecclesias fuerit publicatum, ab officio & beneficio suspendimus. Et si in suspensione per mensem perstiterit, extunc excommunicamus eundem.

IV.

Item præcipimus universis sacerdotibus parochialibus, quod per tres dies Dominicas successive, moneant parochianos suos, ut in diebus Dominicis & festivitatibus beatæ Virginis, & apostolorum, & sancti Joannis Baptistæ, & aliis præcipuis solemnitatibus, opera servilia non exerceant; nec ligna, bladum, vel fœnum, vel paleas, aut alias res venales, exceptis his quæ ad esum illius diei pertinebunt, transferre, seu juxta vulgare quod dicitur carrejare, non præsumant. Et post dictas tres monitiones, omnes qui ex tunc contra fecerint, nominatim denuncientur interdicti. Nos enim eos interdicimus, qui spretis dictis monitionibus festivitates prædictas dictis modis violare præsumpserint. Et si eorum creverit contumacia, eosdem anathematizare proponimus, & invocare contra ipsos, si opus fuerit, brachium sæculare.

V.

Mercata etiam teneri in diebus Dominicis inhibemus, nisi in nundinas solemnes inciderint: Et qui trina monitione præmissa non cessaverint ab eisdem, simili per omnia coerceantur censura.

VI.

Si vero Judæi illud præsumpserint, postquam hoc mandatum nostrum fuerit publicatum, denuncientur ballivo loci. Et nisi ter monitus eosdem Judæos cessare compulerit, excommunicationis sententia, quam nunc ferimus in rebelles, denuncietur publice innodatus.

CONCILIUM COPRINIACENSE,

PRO DISCIPLINA ECCLESIASTICA

A Petro Burdegalensi archiepiscopo, cum suffraganeis celebratum anno Domini MCCLX.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut in ecclesiis vel cœmeteriis vigiliæ non fiant.*
2. *De balleatione in festo Innocentium.*
3. *De fructibus beneficiorum vacantium.*
4. *De commendis ecclesiarum vacantium.*
5. *Ne mulieres alterius parochiæ accipiantur ad matrimonium.*
6. *Ut presbyteri alieni non admittantur ad celebrandum.*
7. *De bello Gallorum.*
8. *De vita & honestate clericorum.*
9. *Ne chrisma detur privilegiatis.*
10. *De vicariis.*
11. *De jure patronatus.*
12. *De prioratibus monachorum.*
13. *Ne rectores ecclesiarum alias ecclesias ad firmam recipiant.*
14. *Ne onera de novo ecclesiis imponantur.*
15. *De sepulturis extra parochialem ecclesiam.*
16. *Item de sepulturis.*
17. *De habitatione rectorum ecclesiarum.*
18. 19. *De decimis.*

Con-

ANNO CHRISTI 1260.

Constitutiones D.[a] P. Burdegalensis archiepiscopi, factæ apud[b] Coprinia-cum, anno MCCLX.

a Petri.
b Cognac, *In Burdegalensi diœcesi*, Hard.

I.

Ut in ecclesiis vel cœmeteriis vigiliæ non fiant.

CUm ex vigiliis quæ fiunt in ecclesiis, frequenter multa turpia insequantur, & frequentissime vulnera inferantur, propter quæ eædem ecclesiæ reconciliatione, quæ per solos episcopos habet fieri, indigere noscuntur: statuimus & præcipimus firmiter, ne de cetero in ecclesiis prædictis, vel cœmeteriis, vigiliæ fiant. Ceterum luminaria & alia quæ ex pia devotione fidelium provenire consueverunt, fieri præcipimus & mandamus.

II.

De balleatione in festo Innocentium.

Rursus cum in balleatione quæ in festo sanctorum Innocentium in quibusdam ecclesiis fieri inolevit, multæ rixæ, contentiones & turbationes, tam in Divinis officiis quam aliis consueverint provenire, prædictas balleationes ulterius sub intimatione anathematis fieri prohibemus: necnon & episcopos in prædicto festo creari: cum hoc in ecclesia Dei ridiculum existat, & hoc dignitatis episcopalis ludibrio fiat. Divina tamen officia, prout melius & honestius fieri poterit, ut in aliis festivitatibus, celebrentur.

III.

De fructibus beneficiorum vacantium.

Cum de jure fructus beneficiorum vacantium, existere debeant successorum, ipsos fructus ad opus successorum eorundem per mandatum nostrum volumus & statuimus custodiri, ita quod nullus alius quicquam percipiat de eisdem. Idem dicendum de bonis rectorum decedentium, quæ constiterit esse de bonis ecclesiæ, cui præfuerunt iidem rectores: nisi tamen dum viverent aliter disposuerint de eisdem.

IV.

De commendis ecclesiarum vacantium.

Commendas quoque ecclesiarum vacantium, secundum quod ipsarum collationes, ad nos, & ad nullum alium volumus & dicimus pertinere: inhibentes ne de his se alius intromittat. Excommunicationis pœnam in præmissis tribus articulis contra facientibus infligentes.

ANNO CHRISTI 1260.

V.

Ne mulieres alterius parochiæ accipiantur ad matrimonium.

Mulieres de una parochia non admittantur ad matrimonium in altera parochia, nisi de expressa licentia capellani vel prioris. Idem dicentes de viris si ad parochiam mulieris accedant: nam an sint excommunicati vel alia inhabilitate affecti, melius norunt proprii capellani.

VI.

Ut presbyteri alieni non admittantur ad celebrandum.

Presbyteri qui non sunt de hac civitate vel diœcesi, ad celebrandum Divina, ut presbyteri non admittantur in civitate vel diœcesi, cum ignoretur, an presbyteri existant, aut aliqua irregularitate innodati. Alioquin tam celebrantes, quam admittentes eosdem, excommunicationis sententiæ se noverint subjacere.

Huic capitulo deerat titulus: nos diximus.

VII.

De bello gallorum.

Quia ex duello gallorum quod in partibus istis, tam in scholis grammaticæ, quam in aliis fieri inolevit, nonnulla mala aliquoties sunt exorta: sub interminatione anathematis prohibemus, ne amodo fiat duellum prædictum: cum hoc tam mali materia, quam temporis amissio existere dignoscatur.

VIII.

De vita & honestate clericorum.

Presbyteri & ceteri dignitates, personatus administrationem habentes, dalmaticis non utantur, sed cappis clausis, & supertunicalia clausa portent: nisi in parte ista, probabilitas vel necessitas ipsos reddiderit excusatos.

IX. *Ne*

A

IX.

Ne chrisma detur privilegiatis.

Statuimus, & sub pœna anathematis prohibemus, ne archidiaconi, archipresbyteri, vel alii capellani, chrisma dent vel ministrent ecclesiis privilegiatorum; cum ipsi diœcesanis suis reddere & facere denegent jura sua. Nullus quoque presbyter parochianis, vel hominibus illorum utriusque sexus sacramenta aliqua administret: nisi de nostra licentia B speciali.

X.

De vicariis.

Rectores ecclesiarum qui in scholis, vel alibi, de nostra licentia sunt absentes, bonos & sufficientes substitutos dimittant, nobis primitus præsentatos. Quibus de bonis ipsorum beneficiorum sic congruam portionem assignent, quod illi de sibi assignato, præter illud quod C dabunt eisdem, possint sufferre, tam in procurationibus quam in aliis, onera consueta. Idem dicimus de illis, ad quos ecclesiæ pertinent pleno jure, & statuimus.

XI.

De jure patronatus.

Cum in ista provincia sint quidem pauperes capellani, qui præsunt ecclesiis in quibus pertinet jus patronatus D ad aliqua monasteria: statuimus ut iidem patroni pro victu suo, infra mensem, facta sibi monitione a suo diœcesano, de bonis suis, certam iisdem portionem assignent: quæ ad minus trecentos solidos valeat anuuatim.

XII.

De prioratibus monachorum.

Cum cultus Divini nominis minui E non debeat, sed augeri: statuimus, quod in prioratibus, in quibus olim duo monachi morabantur, amodo ab aliis qui dictos prioratus tenent, continue teneantur, & ad alendum eosdem, illi qui fructus dictorum prioratuum percipiunt, censura debita compellantur.

ANNO CHRISTI 1260.

XIII.

Ne rectores ecclesiarum alias ecclesias ad firmam recipiant.

Cum unusquisque manere debeat in ea vocatione in qua vocatus existit: statuimus quod rectores ecclesiarum parochialium alias ecclesias ad firmam non præsumant recipere, vel tenere: hocque sub pœna proprii beneficii amissionis prohibemus: nisi hoc procederet de B nostra licentia speciali.

XIV.

Ne onera de novo ecclesiis imponantur.

Cum * sicut secundum jura, novæ * Del. cum pensiones ecclesiis imponi non debent, sic non sunt olim impositæ augmentandæ. Quare ipsas prohibemus augeri: & præcipimus solvere, tam eas, quam illas, quas illi imposuisse dicuntur, ad quos ecclesiæ eædem pertinent pleno C jure: ut si olim licite impositæ, pensatis ecclesiarum facultatibus extiterunt: nisi forte postea adeo ecclesiarum hujusmodi excreverint vel decreverint facultates, quod debuerint vel debeant merito minui vel augeri.

XV.

De sepulturis extra parochialem ecclesiam.

Prohibemus, ne aliquis capellanus D alicui portandi funus ad locum sepulturæ licentiam concedat: quousque, ut moris est, ad parochialem ecclesiam fuerit deportatum: ut melius sciatur ibi quam alibi, an defunctus interdictus vel excommunicatus existat. Qui ob culpam propriam interdicti vel excommunicati fuerint, & per annum in hujusmodi sententia permanserint, prohibemus in terra, vel tumbis lapideis, etiam extra cœmeterium, sepeliri.

XVI.

Item de sepulturis.

Inhibemus insuper, ne quisquam sæcularis, vel religiosus funus sibi delatum suscipiat: nisi per capellanum proprium eidem fuerit præsentatus: cum conditiones personarum hujusmodi melius noverint proprii capellani.

ANNO CHRISTI 1260.

XVII.

De habitatione rectorum ecclesiarum.

Nullus capellanus parochialem regens ecclesiam, cum alio commoretur: sed domos habeat locis congruis, ubi assidue commoretur & valeat inveniri: ut exinde per eum necessitatibus pœnitentium commodius occurratur. Præsertim cum de bonis ecclesiarum per constitutionem nostram eisdem satis congrue sit provisum.

XVIII.

De decimis.

Cum constitutiones olim a prædecessoribus nostris contra decimarios, promulgatæ in civitatibus & diœcesibus hujus provinciæ minime observentur, immo in dictis locis decimarii & alteræ personæ in dictis constitutionibus contentæ, propter hoc, quia proprii capellani ipsos decimarios esse ignorant, indistincte ad sacramenta & sacramentalia admittantur: præcipimus sub pœna anathematis, quod capellani parochialium ecclesiarum omnes decimarios suæ parochiæ nobis, vel mandato nostro manifestent: ut nos in illos, ubicumque sint, constitutiones prædictas, & sententias in ipsis contentas, faciamus expresse & inviolabiliter observari.

ANNO CHRISTI 1260.

XIX.

Item de decimis.

Pro certo comperimus constitutionem olim super decimis novalium promulgatam, tum propter incuriam & negligentiam rectorum ecclesiarum, tum propter favorem, quem ipsi erga decimarios habere noscuntur, in multis locis provinciæ effectum aliquem hactenus minime habuisse. Unde tam sub pœna anathematis, quam amissione beneficiorum, prædictis rectoribus injungimus, quod ipsi ex nunc sic exigere studeant & satagant decimas antedictas, quod eorum defectus, negotium prosequendo, perfectissime experiantur.

G. C. Provinciale hoc concilium esse, constat ex cap. XII. & cap. XX.

ALEXANDRI PAPÆ IV.

CONSTITUTIO CYPRIA.

Alexander episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Ex Cossartii Append. tom. XI.

IN perpetuum cultus justitiæ late protenditur, cum jurgiorum strepitus nonnunquam unitatem separans, & vulnerans caritatem, pacis silentio coarctatur. Propterea in controversiis, maxime quibus viri ecclesiastici dissident, quos ideo invicem oportet fore quietos, quia inter alios debent esse pacifici: judicialis prudentiæ studium ad conciliationem discordium in vinculo caritatis decet præcipue vigilare. Non enim in rigore spiritus vehementis, qui statum rerum frequenter evertit, & conterit firmitatem, neque in commotionibus simultatum quæ sæpius ex litibus oriuntur, catholicæ unitatis religio proficit: sed in sibilo auræ tenuis, hoc est, in placabili mulcebris * spiritus lenitate, qua fervidæ animositates altercantium mitigantur.

* *f.* mulcentis.

Sane venerabili fratre nostro Germano Græcorum regni Cypri archiepiscopo, & procuratoribus venerabilis fratris nostri Nicosiensis archiepiscopi, in nostra præsentia constitutis; idem Græcorum archiepiscopus inter alia proposuit coram nobis, quod cum olim episcopi Græcorum regni prædicti, sua vacante metropoli, præficiendi sibi eundem Germanum, aut allam personam idoneam, in archiepiscopum, a felicis recordationis Innocentio papa prædecessore nostro, per ipsius litteras (non obstante constitutione generalis Concilii, vel bonæ memoriæ Petri Albanensis episcopi olim in illis partibus apostolicæ sedis legati) licentiam impetrassent: ipsum Germanum in suum archiepiscopum elegerunt. Et venerabilis frater noster Tusculanus episcopus, tunc in eisdem partibus dictæ sedis legatus, cui prædecessor ipse mandaverat, ut ei quem canonice prædicti episcopi eligerent, si persona esset idonea, munus confirmationis impenderet, quodque illum faceret a suis suffraganeis consecrari: præsentatam sibi ejusdem Germani electionem confirmans, sibi fecit ab eisdem suffraganeis beneficium consecrationis impendi: recepta postmodum, ecclesiæ Romanæ nomine, tam ab ipso, quam a suffraganeis episcopis, obedientiæ sponsione: dictique suffraganei sibi tanquam metropolitano suo, canonicam obedientiam promiserunt.

Cum autem idem Germanus esset in archiepiscopalis dignitatis possessione pacifica, in clero & populo Græcorum regni præfati jura metropolitana exequendo: memoratus Nicosiensis archiepiscopus, suis finibus non contentus, qui neque in eum qui superiorem alium quam Romanum pontificem non cognoscit, neque in subditos sibi memorati regni Græcos, cujuslibet

—bet jurisdictionis obtinet potestatem: ipsum ad suam præsentiam personaliter evocavit, ut super quibusdam articulis, de quibus proponebat contra eum, sicut asserebat, inquirere, responderet. Et quoniam idem Germanus archiepiscopus, hujusmodi vocationis mandato non parens, sicut nec etiam tenebatur, se, ecclesiam suam, & subditos sibi Græcos, quos jam præfatus Nicosiensis archiepiscopus gravaminibus nonnullis affecerat, apostolicæ sedis protectioni suppositi: ipse Nicosiensis archiepiscopus, post appellationem ad sedem eandem taliter interpositam, & postquam idem Germanus archiepiscopus iter arripuit propter hoc ad nostram præsentiam veniendi, vicarios ipsius a vicaria sua violenter ejiciens, Græcos subditos suos ab obedientia ejus avertere moliens, variis oppressionibus & jacturis, ecclesiasticas sententias, quas in aliquos ex eisdem subditis idem Germanus archiepiscopus rationabiliter tulerat, de facto relaxans, ac in personam ejus, excommunicationis, ut dicitur, ferens sententias multiplices, eidem Germano archiepiscopo & ecclesiæ suæ molestias irrogavit, ex quibus se incurrisse quæritur damna gravia & expensas.

Propter quod idem Germanus a nobis inter cetera petiit, ut attentata in eum per dictum Nicosiensem archiepiscopum revocare gravamina, eundemque Nicosiensem ab his & similibus potestatis indebitæ supra Græcos, & competentium ipsis super decimis & aliis jurium usurpationibus, compescere curaremus. Licet autem coram præfato episcopo Tusculano, quem dederamus in controversia hujusmodi auditorem, procuratores allegarent prædicti, quod idem Nicosiensis archiepiscopus pro ea causa nunquam citatus fuerat ab homine aut a jure, nec ipsi ab eo pro causa ipsa, sed pro aliis negotiis erant missi; & ideo super præmissis cum ipso Germano Græcorum archiepiscopo subire judicium non debebant: nihilominus tamen postmodum de speciali mandato nostro, ne ipsi Germano Græcorum archiepiscopo deesse videretur, per aliquod subterfugium, justitiæ plenitudo, compulit eos idem auditor petitionibus ejus pro dicto Nicosiensi archiepiscopo respondere.

Proposuerunt ergo in judicio, quod processus circa promotionem ejusdem habitus, nullus fuit, cum ad memoratos episcopos jus eligendi archiepiscopum nullo modo pertinere, ac ipsi electionis tempore, quam de ipso fecisse dicuntur, vinculo excommunicationis publicæ tenerentur, & litteræ apostolicæ, in quibus prædicta fuit eis eligendi permissa licentia, per excommunicatos fuerint impetratæ. Ex quibus causis, pro parte ipsius Nicosiensis archiepiscopi, per vicarios ipsius, qui tunc temporis absens erat, ne ad electionem seu confirmationem aut consecrationem procederetur hujusmodi, fuit pro jure Nicosiensis ecclesiæ, appellatum.

Præterea cum auctoritate fel. rec. Cælestini PP. prædecessoris nostri, qui insulam Cypri propter inobedientiam & perfidiam Græcorum habitantium tunc in illa, exposuit Latinis catholicis occupandam, fuerint ibi, ejectis exinde Græcorum sedibus, quatuor pontificales Latinorum sedes erectæ, quarum pontifices in decimis & aliis ecclesiæ juribus, quæ Græci episcopi in eadem habuerant insula, successerunt, & earum unam, Nicosiensem videlicet, idem Cælestinus ceteris prætulerit potestate, ut in tota eadem insula per dignitatem metropolitanam aliis ecclesiis præmineret; ac postmodum dictus Albanensis episcopus suæ legationis auctoritate statuerit, & statutum ejus fuerit per sedem apostolicam confirmatum, ut in tota insula prædicta quatuor episcopi Græci tantum essent, & certa sedium haberent loca intra diœceses Latinorum, qui utique postea Nicosiensi archiepiscopo, tanquam metropolitano suo, & episcopis Latinis, in quorum erant constituti diœcesibus, se obedientiæ vinculo constrinxerunt: evidenter apparet, quod metropolitanus alius, præter Nicosiensem archiepiscopum, in eadem insula, quæ una est provincia, non potuit nec debuit ordinari.

ANNO CHRISTI 1260.

Quare inter alia petebant procuratores prædicti, ut quod circa ordinationem præfati Germani in ecclesia Nicosiensi præjudicium factum fuit, & quidquid ex eo, aut ob id fuerat subsecutum, denunciaremus non habere vigorem, & inhiberemus eidem Germano, ne quid in Cypro de juribus archiepiscopalibus attentaret.

Demum lite super his contestata, & multis hinc inde factis positionibus, ac responsionibus subsecutis ad eas, necnon & plurimis ad probandum utrinque articulis ordinatis, cum ex ipsis juris auspiciis in longum protrahi litis dispendia viderentur: dictus Germanus archiepiscopus nobis humiliter supplicavit, ut paupertati ecclesiæ Græcorum, ne tot distraheretur ambagibus, & tot premeretur difficultatibus, consulentes, statui ejus & paci deberemus per salubrem dispositionis ordinationem apostolice providere, qua jurgantium murmura conticescerent, & sub obedientia ecclesiæ Romanæ, Græci prædicti regni tranquillam vitam ducerent cum Latinis. Nimirum ut Latinorum & Græcorum ejusdem regni ecclesiæ, diversarum concussæ altercationum turbinibus fluctuarent, præcipuam, sicut perpendimus, ingerebat materiam indeterminatio finium circa ordinem potestatum: præter id quod diversitas corporum & dissonantia morum solent generare dissensus, in conversatione conviventium sub variis observantiarum ritibus nationum.

Nos igitur, qui ex injuncto nobis apostolatus officio, & debemus, & cupimus, tam remotis pacem dicere, quam propinquis: intendentes studiose curare, ut ecclesiæ prædictæ rato invicem ordine dirigantur, & mutua in Christo pace lætentur, sanctius fore prævidimus ad salutem, earum controversias tranquillæ ordinationis arbitrario sopire consilio, quam judicialis decisionis gladio deffinire. Igitur litigiosis contentionibus partium, & implicitis hinc inde subtilitatum intricationibus, disputationumque tumultibus in infinitum sæpe progredientibus: imperantes, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine, constitutis in præsentia nostra, memorato Germano Græcorum, archiepiscopo, & venerabilibus fratribus nostris Nibone de Solia, Joachim de Carpasio, & Mathia de Leschara, Græcarum sedium Cypri episcopis, necnon & præfati Nicosiensis archiepiscopi procuratoribus, præsenti ordinatione statuimus, statuto perpetuo pro pace utriusque ecclesiæ, super præmissis & aliis quæ inter illas possent imposterum dissidendi contentiosam generare materiam, irrefragabiliter ordinamus: ut in insula Cypri de cetero infra Latinorum episcoporum diœceses, & sub Nicosiensi metropoli, quatuor dumta-

ANNO CHRISTI 1260.

xat existant Græcorum pontificales sedes, & ecclesiæ cathedrales, olim per præfatum Albanensem episcopum locis specialibus assignatæ: cum quatuor solummodo in eadem insula fore noscantur episcopales sedes & ecclesiæ pontificum Latinorum. Unam siquidem pontificalem sedem Græcorum in Nicosiensi apud Soliam, aliam in Paphena apud Arsino, tertiam vero in Famagustana apud Carpasium, & reliquam in Nimociensi, diœcesibus, apud Lescaram, consistere volumus; & ab iis denominari, & tam nomen quam dignitatem pontificalis officii habere pontifices, qui eas pro tempore canonice obtinebunt.

Porro quoties quamlibet prædictarum sedium, Græcorum præsule vacare contigerit: alter a clericis sedis ejusdem, invocata Spiritus sancti gratia, in episcopum eligatur: cujus electionem Latinus pontifex, in cujus diœcesi fuerit sedes illa, si eam inveneris de persona idonea celebratam, canonice, auctoritate ordinaria, rite ac sine difficultate confirmet, ac sibi faciat per episcopos Græcos vicarium diœcesum, quos ad hoc idem Latinus advocabit pontifex, manus consecrationis impendi: episcopalem solicitudinem atque curam monasteriorum, ecclesiarum, cleri, & populi Græcorum, in sua civitate atque diœcesi consistentium, auctoritate propria commissurus eidem, & recepturus ab ipso juratoriam professionem obedientiæ, in hanc formam.

Ego N. episcopus de Solia, Nicosiensis diœcesis, ab hac ora in antea fidelis ero & obediens beato Petro, sanctæ que Romanæ ecclesiæ, dominoque meo N. archiepiscopo Nicosiensi, ejusque successoribus canonice intrantibus: & non ero in consilio, neque in facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione: Consilium quod mihi aut per se, aut per nuncium, vel per litteras manifestaverit, ad eorum damnum nulli pandam. Papatum Romanæ ecclesiæ, ac pontificatum ecclesiæ Nicosiensis, & regulas sanctorum patrum, adjutor ero ad defendendum & retinendum, salvo ordine meo, contra omnes homines. Vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Legatum sedis apostolicæ, quem certum esse cognovero, in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Sic Deus me adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia.

Et hanc formam ab episcopo Græco suæ diœcesis recipiet pro se ac ecclesia sua quilibet Latinus episcopus regni Cypri. Et si electionem illam cognoverit Latinus pontifex irritandam, ad cassationem ejus procedat, sicut de jure fuerit procedendum. Episcopi vero Græci, a Latino pontifice ad consecrationem electi Græci suæ diœcesis convocati, ad hoc sine moræ dispendio, ex præsentis constitutionis & ordinationis debito, convenire, ac incumbentia consecrationis implere munia teneantur.

Sane Græcorum pontificum damnatio, seu depositio, sicut & translatio ac cessio, soli Romano pontifici, juxta prærogativæ apostolicæ privilegia, reservetur: ut in illis, sicut & in ceteris episcopis, pontificalis dignitatis status & præcellentia muniatur. Ac cuicumque Græcorum ecclesiæ pastore vacanti Latinus pontifex auctoritate propria præsulem ingerere non præsumat: nisi forte ad eum, illis negligentibus eligere qui debebant, facultas ea vice ordinandi eandem ecclesiam de pastore, juxta generalis statuta concilii, fuerit per lapsum trimestris temporis devoluta. In eo etiam casu potestatem non habeat Latinus episcopus præficiendi ecclesiæ sic vacanti, nisi personam Græcam, & tanto honori & [a] honori [b] ex merito congruentem. Sedis vero Græcæ vacantis episcopo bona, decanus & capitulum ipsius sedis futuro pontifici custodiat fideliter & assignet. Ceterum episcopi ejusdem insulæ Græcorum sedibus ordinandi, habeant in monasteriis, ecclesiis, cleris & populis Græcis sibi commissis, & obtineant universa quæ ad dignitatis vel ordinis episcopalis officium pertinere de communi jure noscantur. De quibus Latini episcopi, exceptis illis dumtaxat casibus in quibus metropolitanus potest de jure jurisdictionem exercere in suffraganei sui subditos, nil usurpent. Causæ autem ad forum ecclesiasticum pertinentes, si emerserint inter Græcos, ad suum Græcum pontificem; si vero inter Latinum & Græcum, sive Græcus actor fuerit, sive reus, ad Latinum loci pontificem deferantur, judicialiter dirimendæ: verum salva sedis apostolicæ præeminentia, ad cujus præsidium omnes oppressi possunt immediate confugere. Cum ab episcopo Græco appellandum videbitur, ad Latinum episcopum, in cujus diœcesi idem Græcus constitit episcopus, & exinde ad Nicosiensem archiepiscopum, si opus fuerit, provocentur. Præsenti quoque ordinatione censemus, ut in civitate vel diœcesi Latini pontificis, præter consistorium episcopalis sedis Græcorum, cum quo auditorium officialis vel vicarii, si quem Græcus habet episcopus, unum & idem esse dignoscitur, nullum aliud consistorium habeatur jurisdictionis ordinariæ inter Græcos: nisi forte in aliqua ecclesia Græcorum regni ejusdem, sit archidiaconatus, vel alia dignitas, annexum habens ordinariæ audientiæ consistorium ab antiquo, a quo ad ejusdem ecclesiæ Grecum pontificem, & exinde gradatim, subditi ejus, cum eorum interierit, provocabunt. Archiepiscopo denique, & Latinis episcopis, pro offensis vel injuriis & juribus suis, ecclesiarumque suarum, animadvertendi canonice in Græcos suarum civitatum & diœcesum in illis casibus competere volumus potestatem, in quibus eis de jure competit in Latinos.

Ad synodum vero pontificis Latini Græcus episcopus intra illius diœcesim sedem habens, semel in anno cum abbatibus & sacerdotibus suis curam habentibus animarum, teneatur obedienter occurrere, ac synodalia ejus statuta (quæ tamen Græcorum ritibus fidei catholicæ non adversis, & a Romana ecclesia toleratis, non obvient) recipere hac servare. Ne autem episcopi Græci onere duplici prægraventur, cum ipsos audire oporteat ex hujusmodi ordinationis debito episcopales synodos pontificum Latinorum: eos ire ad provinciale concilium decernimus non cogendos.

In visitationibus episcoporum Græcorum, vel subditorum eorumdem, illam habere volumus Latinos pontifices intra proprias civitates & diœceses potestatem, quam metropolitanis in visitationibus suffraganeorum suorum & subditorum eorundem concedunt canonicæ sanctiones. Archiepiscopo tamen & episcopis Latinis, cum suas diœceses circa Græcos jure diœcesano visitaverint, hoc in exigendis procurationibus indicimus temperantiæ moderamen: ut idem archiepiscopus quinque dumtaxat, Paphensis

a oneri.
b Cor. E gradui. Nam an qua versi Græca, quam via habet, κ τιμῆς βαθμῶ.

sis episcopus quatuor, Famagustanus tres, & Nimociensis etiam tres, a Græcis suarum civitatum & diœcesis, procurationes in universo recipiant annuatim: quarum quælibet summam, triginta solidorum Turonensium, vel tot Bysantinorum qui eidem summæ æquivaleant, non excedat. Verum licet procurationum numerum visitationis gratia debitarum, consideratâ ipsorum paupertate Græcorum, duxerimus miseratione provida taliter moderandum; quia tamen Latinis episcopis ad hoc sunt ecclesiarum suarum bona concessa, ut in illis circa officii sui debitum indeficienter valeant militare: volumus, ut si fidei orthodoxæ necessitas, aut sinceritas obedientiæ quæ ecclesiæ Romanæ debetur, vel morum exegerit disciplina, quod iidem Græci pluries visitentur super hoc, circa ipsos, sine aliquo illorum gravamine, visitationis debitum propriis sumptibus, quando tamen eis sacrorum canonum instituta id permiserint, impendere teneantur: cum & apostolus Paulus, nostræ institutionis exemplar, interdum sibi victum manuum labore quæsierit, ne gravis esset iis quibus evangelium prædicabat, aut illi quos sumptus prædicandi ministrare pigebat, ob hoc salutis ministerio privarentur.

Plane jus percipiendi decimas in insula memorata pertineat ad ecclesiam Latinorum: & in earumdem decimarum perceptione, consuetudo a prælatis & clericis Latinis obtenta, & hactenus custodita, servetur. Per hoc tamen quod in hac parte consuetudinem dicimus observandam, nemo se ad decimarum solutionem putet exemptum, quæ jure canonico & Divino debentur.

Porro licet ecclesia Græcorum regni Cypri, secundum hanc ordinationem, non sit nationis suæ metropolitanum in posterum habitura: volumus tamen, præfatum Germanum archiepiscopum Græcorum, dum vixerit, dignitatis archiepiscopalis nomine ac honore potiri. Propter quod personam ipsius, donec cesserit vel decesserit, ab archiepiscopi Nicosiensis qualibet prorsus eximimus potestate: atque statuimus, ut ipso Germano cedente, vel decedente, nullus in præfato regno de cetero Græcorum archiepiscopus ordinetur.

Sed ne idem Germanus Archiepiscopus incerta sede vagetur, præfatum N . . . episcopum sedis Græcorum quæ est in Solia Nicosiensis diœcesis, a vinculo quo ecclesiæ suæ tenetur, absolvimus: ipsum ad sedem episcopalem Græcorum de Arsino Paphensis diœcesis, nunc vacantem, de plenitudine apostolicæ potestatis, ac prædictorum fratrum consilio, transferendo, & dando eidem licentiam ad eandem sedem libere transeundi. Præfato vero Germano archiepiscopo dictas sedem & ecclesiam de Solia, tam in spiritualibus, quam temporalibus, de eisdem consilio & potestate, committimus, sibi retentis semper dignitatis archiepiscopalis honore ac nomine, episcopaliter gubernandas: ita tamen quod ei sit liberum, vel in dicta sede de Solia, vel apud ecclesiam Græcorum beati Barnabæ Nicosiensis, quam ad episcopum sedis ejusdem ex hujusmodi nostræ ordinationis beneficio pertinere perpetuo volumus, pro libito commorari. Ipso vero Archiepiscopo cedente, vel decedente in sede de Solia, quotiescumque ipsa vacaverit, simplex dumtaxat Græcæ nationis episcopus subrogetur, qui Nicosiensi archiepiscopo, eo modo, quo alii Græci episcopi Latinis debent subesse pontificibus, juxta præsentis ordinationis providentiam sit subjectus. Eumdem etiam Germanum Græcorum archiepiscopum, in monasteria ecclesiastica, clerum, & populum Græcorum, Nicosiensis civitatis & diœcesis, illam habere volumus, dum commissæ sibi sedi præfuerit, potestatem, quam alii Græcorum episcopi regni Cypri, ex hujusmodi ordinationis providentia, in Græcos sibi subditos sortiuntur.

ANNO CHRISTI 1260.

Ceterum ut ipso Græcorum archiepiscopo superstite, vel archiepiscopalis dignitatis officium retinente, ipsius & archiepiscopi, ac pontificum Latinorum, supra Græcos, circa jurium archiepiscopalium executionem, potestas, ad submovendam altercationis materiam, dirimatur; ordinamus atque statuimus, ut idem Germanus Græcorum archiepiscopus, dum vixerit, ex hujusmodi ordinationis statuto, sine contradictione Latinorum pontificum, libere, dum tamen canonice, Græcos Cypri electos vel deinceps eligendos in episcopos, & a Latinis pontificibus, in quorum sunt diœcesibus, confirmatos, auctoritate metropolitana ad sacros promoveat ordines, & promotos consecret, ac alios ejusdem regni Græcos episcopos convocet ad consecrationis hujusmodi ministerium exequendum: & circa universos Græcos ipsius regni, eadem auctoritate, visitationis impendat officium cum de jure fuerit impendendum: & in visitationibus hujusmodi, seu, in his quæ visitationis ratione competunt, eam, quam metropolitanis canones sacri concedunt, habeat facultatem: & in vita ejus, de his, archiepiscopus & episcopi Latini, ad quos hæc, sicut & alia jura, secundum præsentis ordinationis statutum, post ejusdem Græci archiepiscopi cessionem vel obitum, pertinebunt, eo invito, se nullatenus intromittant: salva interim Nicosiensi archiepiscopo & episcopis Latinis, in ceteris casibus, a quibus Græcus abstineat archiepiscopus, potestate, quam ipsi Nicosiensi archiepiscopo, ratione metropolis, & tam ei quam aliis Latinis episcopis, ratione diœcesium, circa universos Græcos regni præfati, hujus nostræ ordinationis attributi constitutum.

Sane, dicto archiepiscopo Græcorum vivente, sicut & postmodum, jurisdictionem quamlibet in Græcos Nicosiensis civitatis & diœcesis, excepta persona præfati Germani episcopi, in appellationibus & aliis, Latinus archiepiscopus obtinebit, quæ aliis Latinis episcopis regni prædicti per hanc ordinationem in episcopos, clericos, & alios Græcos suarum civitatum, & diœcesium est concessa. Quamvis autem personam ejusdem Germani archiepiscopi, donec cesserit vel decesserit, omnino exemptam esse velimus ab archiepiscopi potestate Latini; ut tamen in ipso præsentis ordinationis observatio inchoetur, idem Germanus archiepiscopus, nomine sedis de Solia sibi commissæ, Latino episcopo juratoriam professionem obedientiæ faciat secundum formam superius annotatam. Ex professione autem & obedientia hujusmodi, Latinum archiepiscopum animadvertendi in personam ejusdem Germani archiepiscopi, vel injungendi quicquam eidem, in casu quocumque, nullam habere volumus facultatem: ut concessa dumtaxat personæ suæ per hanc ordinationem exemptionis plenaria libertate inconcusse lætetur. Si quando vero a præfato Germano Græcorum archiepiscopo fuerit

rit appellandum ad Latinum archiepiſcopum: ſalva prærogativa ſedis apoſtolicæ appelletur. Porro quando Nicoſienſis archiepiſcopus, poſt præfati Germani archiepiſcopi ceſſionem vel obitum, Græcos ſuæ provinciæ in ſuffraganeorum ſuorum civitatibus vel diœceſibus, jure ſuæ metropolis, quod ſibi competere volumus, viſitabit: unicam tantum in qualibet civitate & diœceſi, ab univerſis Græcis, earum communiter procurationem recipiat annuatim, quæ ſexaginta ſolidorum Turonenſium ſummam, vel tot Byſantinorum qui illis æquivaleant, non excedat.

ANNO CHRISTI 1260.

Utrorumque igitur poteſtate, Latinorum videlicet & Græcorum pontificum regni Cypri, diſcretione hujuſmodi noſtræ ordinationis, (quam ad Syros ejuſmodi regni eoſdem cum Græcis mores, ritus, communiſque juris cenſuram ab antiquo ſervantes, extendimus) limitibus deſignata: præſentis decreti auctoritate jubemus, ut neutri noſtræ poſitionis terminos tranſilire, vel amplius ſibi prælationis aut libertatis vindicare præſumant, ſed in Chriſto, qui eſt vera pax omnium, utrique, tanquam invicem membra, per unanimitatis cohærentiam & ſubminiſtrationis ordinem, fiant ejuſdem capitis idem corpus. Amen.

ANNO CHRIST 1260.

Datum Anagniæ per manum magiſtri Jordani, ſanctæ Romanæ eccleſiæ vicecancellarii & notarii, V. Nonas Julii, Indictione II. Incarnationis Dominicæ anno MCCLX. pontificatus vero domini Alexandri papæ IV. anno VI.

Ego Alexander catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Odo Tuſculanus epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Stephanus Prænestinus epiſcopus ſubſcripſi.

Ego frater Joannes tituli ſancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis ſubſcripſi.

Ego frater Hugo tituli ſanctæ Sabinæ presbyter cardinalis ſubſcripſi.

Ego Richardus ſancti Angeli diaconus cardinalis ſubſcripſi.

Ego Octavianus ſanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis ſubſcripſi.

Ego Joannes ſancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis ſubſcripſi.

Ego Ottobonus ſancti Adriani diaconus cardinalis ſubſcripſi.

☞ BURDEGALENSE CONCILIUM

In cauſa virium comparandarum pro coercendis Tartaris in terram Sanctam & Hungariam inundantibus,

An. 1260. Affert Mart. Vet. Mon. t. VII. pag. 168. Ex MS. Cod. D. Chauveli n.

Anno 1260. habitum.

Alexandri papæ quarti literæ ad archiepiſcopum Burdegalenſem, quibus hortatur eum ad congregandum ſuffraganeorum concilium, in quo deliberetur de modo reſiſtendi Tartaris.

Ex Manſi ſuppl. pag 1238.

.....

Hinc eſt quod univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & exhortamur attente, vobis per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus, convocatis per te, frater archiepiſcope, ac per eos quibus id commiſeris, & ſi opus fuerit, eccleſiaſtica cenſura coactis ad provinciale concilium provinciæ tuæ prælatis tam regularibus quam ſæcularibus, tam exemptis (quibus ex convocatione tua nullum volumus ad libertates & immunitates eorum in poſterum præjudicium generari, nullumque ipſis contra convocationem & coactionem hujuſmodi, quantum ad hunc ſpectat articulum, ex privilegiis vel adminiculis libertatum exemptionumve ſuarum excuſationis ſeu exceptionis provenire præſidium) quam etiam non exemptis, celeriter convenientes in unum, communi providentia diſponatis, quomodo per exhortationis verbum populi vobis ſubditi ad reconciliandum ſe Deo, Deumque ſibi dignis pœnitentiæ fructibus, nec non ad reformandam in ſeipſis communionem pacis mutuæ efficaciter inducantur, ut divinæ ultionis iracundia contemtu ſuccenſa, ſpectantium devota pœnitentia, & in cœlum ad Deum clamantium humilitate placetur. Quia nulla eis hoſtium nocebit adverſitas, qui nullam ſibi vitiorum aut diſſenſionum dominari permiſerint pravitatem.

Deinde circumſpectæ deliberationis examine præcogitare curetis, quibus modis, quibusve remediis, ac quibus ſubſidiis eccleſiaſticis & mundanis, ad reſiſtendum eiſdem Tartaris, tam in terra ſancta quam impetunt & invadunt, quam in regno Hungariæ atque terra Poloniæ, aliisque locis, unde ad alia occupanda Chriſtianorum regna violentum nituntur habere ingreſſum; conflentur in unum vires populi Chriſtiani: nam tantæ tamque improbæ multitudinis irruptionibus cohibendis unius regis vel regni non ſufficerent facultates.

Proſpiciendum eſt quoque, quibus pœnis, quibusve diſtrictionibus & cenſuris ſpiritualibus & temporalibus coerceri Chriſtianos cujuſcumque præcellentiæ ſeu conditionis oporteat a conſœderationibus cum eiſdem Tartaris ineundis; ne qui fidem, quam habent cum Deo & religionis catholicæ proximis, irritam facientes, quicquam attentent in contumeliam & jacturam nominis vel populi Chriſtiani.

Quæ inſuper regio, cui, quibusve modis & viribus contra eoſdem Tartaros ſuccurrere teneatur: qui etiam duces ſive capitanei præfici debeant fidelis exercitus in bello Domini contra infidelium ſatellitia proceſſuri: quæ demum & qualia ſubventionis auxilia pro his exequendis particulariter indici debeant clericis & populis Chriſtianis.

De reliquis nihilominus providentiæ opportunæ ſuffragiis in tanto negotio aliquid contingentibus conferendis, ſecundum datam vobis a Deo providentiam, Dominum, & univerſale periculum habentes præ oculis, & ſuper omnibus deliberatione habita diligenti, uſque ad octa-

octavas apostolorum Petri & Pauli proxime futuras, quod utique temporis spatium, inspecta necessitatis instantia, nulli videri debet angustum, aliquos ex vobis, vel alios nuncios vestros, viros idoneos, providos & honestos, ac sufficienter instructos, & a vobis plenum mandatum habentes super præmissis omnia faciendi, quæ vos personaliter præsentes facere valeretis, ad sedem apostolicam destinetis, per quos nobis super præmissis omnibus circumspectionis vestræ voluntas & consilium innotescat: & quorum communicato consilio prædicta sedes provida deliberatione statuat, disponat, & ordinet, quæ in tam arduo Christianitatis negotio publicæ salutis utilitas postulabit.

Confidimus enim constanter in Domino, quod si congruo universa hæc ordine instruantur, Tartarica feritas Christianos ad resistentiam paratos inveniens, & divinæ gratiæ præsidio, ac humanæ providentiæ consilio præmunitos, experietur sibi apud eos terrorem multitudinis, pavorem, monstra fictitia, circumventionum dolos, & dissensionum schismata, per quæ inconsultis, & alienis a Deo prævaluere nationibus, minime profuisse: quin potius, Deo suis favente, probabunt quantum in bello fidelium contra perfidos, ac digne invocantibus valeat nomen Christi.

Si vero te, frater archiepiscope, abesse, vel, quod absit, deesse contingat, vos, filii, Burdegalense capitulum, auctoritate apostolica freti, hæc omnia exequi procuretis. Datum Laterani XV. cal. Decembris, pontificatus nostri anno sexto.

RESPONSIO CONCILII

Burdegalensis, ad Alexandri IV. epistolam.

I.

ILla tuba terribilis, quæ sub incertis rumoribus, nostris dudum auribus insonuerat, nos plus solito terruit aliquantulum, receptis vestræ sanctitatis litteris, processum continentibus Tartarorum, prout diversis mundi partibus delatum fuerat ad eamdem.

II.

Sane quia de conflando in unum vires populi Christiani fiebat mentio in eisdem, ad quod viam nescimus nec possumus aperire, cum regna singula suis regantur consiliis, quorum sententiam ignoramus; ut tamen vires regni Francorum provida deliberatione collectæ ad tuitionem, ipsius & aliorum defensionem pro loco & tempore, cum inclito domino & Christianissimo rege nostro & majoribus regni baronibus tractatum habuimus diligentem; & ut posset, si res exigeret, efficaciter resisti Tartaris, tractavimus cum eisdem quod communis collecta fieret, sicut commune periculum imminebat, in qua conferrent prælati cum baronibus, milites cum principibus, & tam religiosi, quam laici universi. Nec enim sola ecclesia ad tot & tanta onera supportanda sufficeret, multis aliis negotiis jam attrita.

III.

Verum cum in tanta nobilium multitudine diversitatem corporum sequeretur diversitas animarum, & alii circa alias traherentur sententias, licet dominus rex Francorum institerit fidelissime, ut omnes uno spiritu onus hujusmodi subiremus; tamen non potuit tam repente inter nos & barones de forma servanda finaliter convenire. Propter quod domino regi placuit, quod nos & ipsi infra quindenam Pentecostes ad ipsius præsentiam redeamus, & speratur quod tunc, Domino concedente, tractatus laudabiliter & utiliter inchoatus, laudabilius & utilius consummetur. ANNO CHRISTI 1260.

IV.

Nos vero interim juxta beatitudinis vestræ mandatum, communi providentia disposuimus, quod nos populos nobis subjectos ad reconciliandum se Deo, Deumque sibi, per nos exhortabimur diligenter, & faciemus per alios exhortari. Processiones prima die Veneris cujuslibet mensis, orationes & jejunia, eleemosynas & alia bona in singulis provinciis, prout expedire videbitur, indicturi; & etiam speciales collectas in missis cum psalmo: *Deus venerunt gentes*, pro flagello Domini removendo. Et nihilominus operam dabimus, quod inter dissidentes pax mutua reformetur.

V.

Item, præcogitavimus, quod si periculum adhuc immineat, quod a multis cessare dicitur, utpote, Tartaris tam in transmarinis quam in cismarinis partibus pro magna parte, ut asseritur, jam devictis, de communi assensu omnium ecclesiasticarum & sæcularium personarum commune fiat, ut suprascriptum est, subsidium, cum periculum & negotium sit commune. Sola enim ecclesia pluribus hominibus & gravaminibus jam attrita, tantum onus portare jam non posset aliquatenus, nec intendit. Quod si, urgente necessitate, oportuerit fieri subsidium, sicut communi consensu levabitur, ita communi consensu, & de domini regis consilio servetur, & in illam causam, non aliam, sive in illud negotium & non aliud expendatur; cum pro certo credamus, quod alias barones, milites & alii laici induci non possent ad hujusmodi subsidium cum ecclesiis faciendum.

VI.

Prospeximus etiam, quod omnes Christiani, cujuscumque conditionis vel dignitatis existant, qui fidem Christianam irritam facientes, confœderati sunt, vel confœderabuntur Tartaris antedictis, pœnis illis subdantur in personis & rebus ac eorum hæredibus, quas jura contra hæreticos statuerunt.

VII.

Item, prospeximus, quod quælibet regio vicinior illi regioni sive regno succurrat, cui majus periculum videbitur imminere.

VIII.

De capitaneis certum dare responsum non possumus, quia qui principes vel magnates sunt assumpturi negotium, ignoramus; ubi tamen necessitas id exposcet, consulimus, ut viri ex se potentes & strenui, & prudentes in armis, quibus subesse non dedignentur diversarum hominum nationum, præficiantur exercitui Christiano.

IX.

Quamvis autem videatur expediens, immo potius necessarium, saltem quantum ad regnum Franciæ, quod super præmissis ordinatio nulla fiat, donec parlamenti prædicti, quod dominus rex ad quindenam Pentecostes propter hoc convocabit, sciatur finalis eventus: Nos tamen propter bonum obedientiæ, ... tales nuncios nostros, viros utique providos & discretos, ad vestræ sanctitatis præsentiam destinamus,

ANNO CHRISTI 1260.

mus, dantes eisdem potestatem faciendi præ- A missa, prout superius sunt expressa, quæ faceremus si præsentes essemus; nec alia, inspectis gravaminibus & oppressionibus ecclesiarum nostrarum propter ipsarum grave incommodum, facere valeremus.

X.

Ceterum extitit ordinatum de consensu prælatorum, ne torneamenta fiant usque ad duos annos; nec etiam aliquis præsumat dextrarium emere ultra summam centum librarum Turonensium, nec palafredum ultra summam xxx. librarum Turon. Quod si acciderit, venditor pretium, & emtor dextrarium amittat, vel etiam palafredum.

XI.

Item, extitit ordinatum, quod omnis ludus penitus postponatur, nisi ludus arcuum vel etiam balistrarum. B

XII.

Item, quod omnes villæ, sive castra, vel etiam firmitates, (a) arma habeant & necessaria ad pugnandum.

ANNO CHRISTI 1260. (a) arce

XIII.

Item quod statutum alias factum, de non jurando turpiter membra Dei, melius solito observetur.

XIV.

Voluit dominus rex & petiit a prælatis, ne figura crucis poneretur in tumulis, neque in aliis locis, ubi posset aliquatenus inhonorari vel etiam deturpari.

XV.

Petiit etiam a prælatis, quod in ecclesiis seu B locis aliis facerent nuntiari, quod in passione Domini, ubi ejusdem transitus nuntiatur, presbyteri, plebes, & clerici genua flectant, ob reverentiam tanti beneficii nobis a Deo collati, & gratiarum multimodas actiones.

URBANUS PAPA IV.

SEDIT AB ANNO MCCLXI. USQUE AD MCCLXIV.

PONTANUM IN HIBERNIA CONCILIUM

IN QUO CONSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ DANTUR,

ANNO CHRISTI 1261.

Anno 1261. habitum.

ANNO CHRISTI 1261.

Ex MS. penes Rev. episcopum Clogherensem, Synod. MCCLXII. Pontanæ, fol. 282. A.

An. 1261. Extat ap. Wilk. t. I. p. 757.

FEria 2. Lunæ, 18. mensis Januarii, anno C Dom. MCCLXII. frater Patricius Oscanlan, archiepiscopus Armachanus, & Hiberniæ primas, concilium celebravit apud Pontem cum suffraganeis provinciæ suæ, & quibusdam suffraganeis provinciæ Tuam, sibi jure primatico subjectis, & quibusdam canonicis cathedralibus, & consilio domini Dublin. cui interfuerunt justitiarius, & quidam magnates Hiberniæ, & ibidem privilegia ecclesiæ Armachanæ de jure primatiæ post revocationem in curia Romana publicata fuerunt.

Item in eodem concilio fuerunt multa statuta, & constitutiones editæ & publicatæ, ad ornamentum ecclesiæ & salutem nostram, sicut patet in iisdem.

Item, in eodem concilio contentio, quæ orta fuerat inter prædict. dominum nostrum, & episcopum, & clerum Midensem, fuerat sedata, post multas appellationes, & magnas expensas Midensium ad curiam Romanam; licet in fine nihil obtinuissent. In cujus causæ procuratione ipsorum procurator magister Gilbertus archidiaconus Slenanensis, in curia Romana ingressus est viam universæ carnis, & sic demum ad hoc devenerunt, quod liceret prædicto Armachano & suis successoribus perpetuo sine aliquo offendiculo prædict. episcopum & clerum Midenses, & suos successores tam in capite quam in membris visitare, sicut patet in prædict. Midensium instrumentis super hoc con- D fectis.

CONSTITUTIONES SYNODALES

Fratris Arnaldi de Peralta episcopi Valentini, ab anno MCCLXI. usque ad MCCLXXIII.

ANNO CHRISTI 1261.

ANNO CHRIS 1261

Primum editæ a D. Cardinale de Aguirre, ex mss. Valentinæ Ecclesiæ.

ANno Domini millesimo ducentesimo sexa- E gesimo primo, tertia die post festum sancti Lucæ, nos frater Arnaldus divina miseratione episcopus Valentinus, prout moris est, & a sanctis patribus constitutum, sanctam synodum in ecclesia Valentina celebrantes, statuimus primo, seu in primis, quod nullus permittatur clericus alienus in ecclesiis parochialibus vel aliis celebrare, sine licentia habita & obtenta a nobis, vel officiali nostro, de qua licentia fidem faciat per litteras patentes, a nobis vel officiali nostro ei desuper concessas.

Quod nullus Quæstor admittatur sine litteris episcopi.

Item statuimus, quod quæstor aliquis, seu petitionarius, non admittatur sine litteris nostris, vel officialis nostri. Et tunc non admittatur ad alia, nisi ad illa solum exponenda, quæ

quæ in ſuis litteris indulgentiæ contineri inveniantur. A

Quod nullus clericus audeat recipere capellaniam annualem, ſeu aliquas Miſſas, ſine licentia epiſcopi.

Item, quia cum avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, nonnullos clericos adeo excœcet, quod non ſolum non contenti terminis & ſtipendiis ſuis aliena qualitercumque habere ſatagunt; ſed ipſos etiam exponendo venales; propter quod ſcandalum & indevotio creſcit in populo, & decreſcit ſeu minuitur clericorum honeſtas; ſtatuimus, quod relicta quæ ad capellaniam annualem, ſeu anniverſariam, ſeu ad B certum numerum Miſſarum, ab aliquibus relinquuntur in ultimis voluntatibus, nullus clericus ſit auſus recipere, ſeu ſuper eiſdem pactum vel compoſitionem in diminutionem relictorum cum hæredibus, ſeu manumiſſoribus facere, ſine noſtro, vel noſtri officialis conſilio & mandato. Volentes præmiſſa de conſilio noſtro in civitate, ſeu officialis noſtri, ut dictum eſt, fieri. In diœceſi volumus & mandamus, quod fiat de conſilio & mandato rectorum ſeu vicariorum locorum ipſorum, ubi præmiſſa omnia relinquuntur. Quicumque vero in fraudem dictæ conſtitutionis aliquid attentare præſumpſerit, ab introitu eccleſiæ per menſem noverit C ſe ſuſpenſum.

De corona & coma Clericorum.

Item quia nonnulli clerici comas nutriunt ad modum laicorum, clericali honeſtate relicta, & parum ſeu modicum de tonſura ſeu corona oſtendunt, ſtatuimus, quod presbyteri, & diaconi, & ſubdiaconi, de cetero ſe faciant taliter tonſurari, quod uſque ad medietatem auris, & non ultra, pili ipſi protenuantur. Coronam vero & tonſuram congruenter habeant, juxta formam a nobis vel officiali noſtro tradendam.

De tractatu ſeptem ſacramentorum. D

Item ſtatuimus, quod uſque ad feſtum proximum Nativitatis Domini quilibet clericus parochialis habeat tractatum ſacramentorum, quem dominus P. bonæ memoriæ Tarraconenſis archiepiſcopus edidit.

Ne aliquis ſepeliatur intra principales parietes Eccleſiæ.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, tertia feria poſt feſtum ſancti Lucæ, ſexto decimo Kalendas Novembris, nos frater Arnaldus divina miſeratione Valentinus epiſcopus, prout moris eſt, a ſanctis Patribus E ſtatutum, ſanctam ſynodum in Valentina eccleſia celebrantes; ſtatuimus in primis, quod ſi quis rector ſepelierit infra principales parietes eccleſiæ aliquam perſonam, niſi de illis, de quibus canonice eſt licitum ſepelire, ſine mandato epiſcopi; ipſo jure ſit privatus beneficio dictæ eccleſiæ. Et ſi alii clerici, qui in deſpectum hujus conſtitutionis, hanc conſtitutionem ſcientes, & memoriæ habentes, dictæ ſepulturæ prohibitæ interfuerint, ipſo facto ab introitu eccleſiæ ſint ſuſpenſi.

Ne aliquis clericus interponat laicum in ſui promotione. ANNO CHRISTI 1261.

Item ſtatuimus, quod ſi quis clericus in promotione ſuorum ordinum, per ſe vel per alium interpoſuerit laicum pro ſua promotione obtinenda ordinum prædictorum, vel aliquis clericus alius pro prædicta promotione facit rogare laicos, volentes per importunitatem ad ſacros ordines promoveri; tam ipſe, quam ipſi clerici ſcientes hanc præſentem conſtitutionem, & memoriæ habentes eamdem, ipſo jure ſint excommunicati. Sed hæc conſtitutio non duret niſi per triennium, nec pœna ejus.

De vino Judæorum non bibendo.

Item ſtatuimus, quod ſi quis clericus bibit vinum Judæorum in domibus ipſorum (quod omnino fieri prohibemus) ipſo facto ſit excommunicatus, ſi hanc præſentem conſtitutionem ſciverit, vel recoluerit. Item qui eorum vinum ſcienter emerit, niſi tempore neceſſitatis, noſtræ ſubjaceat ultioni.

De teſtamentis & manumiſſoribus.

Nos frater Arnaldus divina miſeratione Valentinus epiſcopus, circa commiſſum nobis gregem debitum officii paſtoralis invigilantes, & quantum noſtræ fragilitatis poſſibilitas ſuſtinet, debitam ſolicitudinem adhibentes; cum zelus animarum ipſarum conſideratione aſſidua nos commendet & conſtrigant: quia ex frequenti multorum clamore ad noſtram pervenit notitiam, quod quædam turpis impietas & peccatum horribile in civitate & diœceſi noſtra adeo inoleverit, quod quaſi in conſuetudinem ſit redacta: manumiſſores enim & executores teſtamentorum, quorum ab ipſis teſtatoribus fides eligitur, & ſuorum teſtamentorum, ſeu cujuslibet ultimæ voluntatis continetur executio, ſuarum animarum ſalutis immemores, abjecta etiam præſentis ſtatus honeſtate, & omni verecundia ac rubore poſtpoſitis, propriis commodis inhiantes, (quæ verius incommoda dici poſſunt:) illud modicum, quod ipſi defuncti pro ſuis reſtituendis injuriis, vel ob modum & remedium animarum ſuarum, ad pias cauſſas reliquerunt, aliquando ſubticent & occultant, & in proprias burſas convertunt; aliquando etiam novos modos & occaſiones quærunt, & quomodo poſſunt, diutius ipſas pecunias ad uſus proprios retinent, ſupponendo frequenter aliquos querelantes; & ipſorum occaſione aſſumptis & habitis advocatis, in quos etiam ipſas conſummaverunt pecunias, eiſdem de alieno gratificari volentes, ut cum proprias cauſſas habent, & gratis ſine ſalario eis patrocinium præſtent, & ſic diu propter ipſorum advocatorum facundiam ſeu malitiam cauſſa protrahitur, & teſtamentorum executio retardatur; & penes ipſos manumiſſores pecunia retinetur, & occaſione hujus in ultimum expenſarum legata diminuunt & defalcant: plures etiam fraudes & malitias, prout certe didicimus, adhibent & excogitant circa iſta.

Conſiderantes igitur, quod nihil magis debetur hominibus, quam ut ſupremæ voluntatis liber ſit ſtilus, & licitum quod iterum non redditur ad arbitrium; cum ad noſtrum ſpectet officium curam gerere circa complendas & ex-

ANNO CHRISTI 1261.

sequendas voluntates deficientium; volentes circa prædicta salubrem adhibere medelam, & prædictis malitiis obviare; communicato religiosorum virorum, & aliorum sapientiorum consilio, adhibita deliberatione provida; monemus generaliter, & in scriptis universos civitatis & diœcesis Valentinæ manumissores & executores testamentorum & ultimæ voluntatis cujuslibet, tam clericos quam laicos, cujuscumque dignitatis & conditionis exsistant, qui prædicta non solverint legata, quorum a morte testatoris annus est elapsus, quod infra festum Purificationis beatæ Mariæ proximum; alii vero quorum annus nondum est elapsus, infra ipsius anni spatium, mandatum testamentorum quantumcumque ad restituendas injurias, & prædicta legata, ad pias causas solvendas studeant adimplere: vel si forte ex causa necessaria ab ipsis fuerint retinenda; saltem ipsas pecunias, aut res mobiles, vel se moventes, quæ essent tempore perituræ, sine omni fraude vendi præcipimus.

Quas quidem pecunias, & allas quæ ad manus devenerunt ipsorum manumissorum, in æde sacra deponant, ut omnem occasionem & causam retinendi, seu indebite consumendi ipsas pecunias, sive res, & suspicionis materiam a se prorsus abjiciant & excludant; ut cum ipsi, vel aliqui amici, consanguinei, vel familiares ipsorum, nullum sentient commodum de ipsis pecuniis sive rebus adimplendis, defunctorum voluntates promptiores exsistant. Alioquin cum jam præmissa non possimus sub dissimulatione & conniventibus oculis pertransire; ne ipsorum peccata nostra facere videamur, nisi infra prædictum tempus alterum de prædictis implere curaverint, ex nunc, ut ex tunc in personas ipsorum excommunicationis sententiam promulgamus; ad alias pœnas canonicas, si ipsorum contumacia & rebellio hoc exegerit, nihilominus processuri.

Eadem sententia involvi volumus omnes illos qui fraudem vel malitiam adhibuerint, quominus ipsæ pecuniæ sive res ad ipsos perveniant, & a manibus eripiantur hæredum: sub detestatione divini judicii præcipientes eisdem, & in suorum peccatorum remissionem injungentes, quod circa eas exigendas & habendas, solicitudinem & diligentiam, quam potuerint & debuerint, adhibere procurent. Nos enim ipsis circa præmissa nostrum consilium sive auxilium sine difficultate qualibet dare promittimus, ut debemus, * quomodocumque ab ipsis fuerimus requisiti.

* Præquandocumque.

Futuri autem manumissores, nisi infra annum, seu executores a morte testatoris, juxta voluntatem ipsius, injurias restituerint, & legata ad pias causas persolverint; vel saltem, ut prædiximus, in eadem sacra æde posuerint, statim post annum eadem sententia sint ligati: ut sic remoto obstaculo, quod impedit, vel suspendit ipsam solutionem fieri legatorum, voluntas defuncti citius & liberius impleatur. Quia frequenter, ut prædiximus, prædicti manumissores, occasione advocatorum, prædicta legata diminuunt & consumunt, quos dicunt esse executores testamentorum & defensores, cum deberent dici potius destructores, eo quod voluntatem defuncti scienter & malitiose impediunt & retardant.

Quia voluntarios labores debemus appetere ut quietem aliis præparemus, eligimus certum & specialem dare patronum & advocatum omnibus testamentis, certum salarium de mensa nostra constituendo eidem qui circa prædicta ipsa testamenta & ultimas voluntates in jure defendat. Et volentes circa præmissa omnem fraudem, malitiam, & suspicionis materiam amputare; juramentum ab ipso recepimus, quod excussis manibus ab omni munere, & qualibet illicita pactione, sine omni malitia & diffugio, nihil tamen de contingentibus quantum ad juris scientiam omittendo, ipsis manumissoribus patrocinium præstet, quandocumque ab ipsis fuerit requisitus.

ANNO CHRISTI 1261.

De pluralitate capellaniarum.

Anno Domini MCCLXII. nos frater Arnaldus divina miseratione Valentinus episcopus, sicut juris est & consuetudinis approbandum, sanctam Synodum celebrantes: Quia intelleximus quod aliqui clerici civitatis & diœcesis nostræ temporalia spiritualibus præponentes, in grave plurimorum & suarum periculum animarum, ac diminutionem divini officii, plures capellanias recipiunt, & ad earum servitium se adstringunt, cum tamen ad unius servitium, vix sufficientes exsistant; zelantes, ac providere volentes, quod divina officia honeste ac modo debito celebrentur; provida deliberatione statuimus, quod aliquis clericus habens in civitate vel diœcesi capellaniam perpetuam, vel etiam temporalem, nullatenus se obligare præsumat, simul & semel ad alterius capellaniæ servitium faciendum. Quod si fecerit, & præsentis constitutionis transgressor aliam recipiat similiter temporalem, ipso facto sit utraque privatus. Reliqui vero clerici & sacerdotes, qui ad aliud quodcumque, non tamen sacerdotale officium faciendum, ex debito sunt adstricti, capellanias in eadem ecclesia in qua prædictum exercent officium, vel in aliis ecclesiis capellanias, temporales, sine nostra vel officialis nostri licentia aliquatenus recipere non attentent, si canonicam cupiunt fugere ultionem.

Quod clerici non sint faciles ad jurandum

Nos frater Arnaldus &c. statuto & solito tempore sanctam synodum celebrantes: Quia pro certo invenimus, quod multi clerici civitatis & diœcesis Valentinæ, ordinis honestate & maturitate depositis, ita se faciles exhibent ad jurandum, quod cum quoscumque contractus obligationis cum quibuscumque personis ineunt, sub religione juramenti frequenter se obligant statutis temporibus; & postmodum suæ salutis immemores, aliquando ex indigentia, aliquando ex fonte avaritiæ, præpositis terminis ipsa debita solvere non procurant; & sic labem perjurii incurrentes, juxta statuta canonica beneficiis reddunt ecclesiasticis se indignos: propter quod aliquando grave scandalum est exortum.

Volentes hujusmodi vitium & pravum usum de nostra civitate & diœcesi exstirpare, & eisdem clericis tollere materiam delinquendi; provida deliberatione statuimus, ne usque ad annum continuum, & completum, a die præsenti, ipsorum clericorum aliqui in quocumque contractu jurare præsumant sine nostra licentia speciali. Quicumque autem hoc attentare præsumpserit, si in nostra civitate vel diœcesi ecclesiasticum obtinet beneficium, ipso facto ab eodem beneficio noverit se privatum. Si vero beneficium nullum habeat, & in sacris sit ordini-

dinibus constitutus, sententiam excommunicationis, quam in transgressores præsentis constitutionis ex nunc ferimus ipso facto se noverit incursurum.

Ne clerici emant possessiones suis spuriis de bonis ecclesiarum.

Item quia invenimus quod plures clerici nostræ civitatis & diœcesis de bonis ecclesiæ cui præsunt, emunt possessiones & immobilia ad opus filiorum suorum, quos deberent prorsus a se abjicere, si ordinis honestatem attenderent; cum tamen deberent potius emere & acquirere ad opus ecclesiarum, a quibus bona suscipiunt; cum nullus tam proximus hæres exsistat, quam ecclesiæ quarum dominio sociantur; volentes huic morbo salubri remedio obviare, provida deliberatione statuimus, ne aliquis clericorum civitatis & diœcesis deinceps hujusmodi spuriis aliqua immobilia de bonis ecclesiæ, vel quæ ipsius intuitu ad eos pervenerant, emere audeat; cum aliquid talibus emi vel donari non deberet, qui essent potius distrahendi; quibus nedum de bonis ecclesiasticis, sed etiam de aliis bonis paternis omne beneficium denegatur, tam a Jure canonico quam civili.

Quicumque autem præsentis constitutionis ausu temerario se constituerit transgressorem, ipso facto beneficio, quod in civitate vel diœcesi obtinet, sit privatus, cujuscumque dignitatis vel conditionis exsistat. Si vero beneficium ecclesiasticum nullum habeat, & in sacris sit ordinibus constitutus; ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

Ne laici egrediantur de ecclesia in diebus Dominicis & festivis, antequam Missa perficiatur.

Anno Domini MCCLXVIII. nono Kalendas Novembris, nos frater Arnaldus divina miseratione Valentinus episcopus, prout moris est, & a sanctis patribus constitutum, sanctam synodum in Valentina ecclesia celebrantes; statuimus imprimis, ut moneantur laici, quod qualibet die Dominica & diebus festivis non egrediantur de ecclesia, donec fuerit Corpus Christi receptum a sacerdote, & Missa fuerit completa.

De lusoribus ad aleas & taxillos.

Item statuimus, quod si clericus in sacris ordinibus constitutus, sive beneficiatus exsistat, sive in civitate, sive in diœcesi, ad aleas & ad taxillos luserit, vel ad quemcumque alium ludum cum taxillis; ipso facto pœnam quinque morabetinorum incurrat: & si a tempore requisitionis infra ipsorum morabetinorum eos non solverit, infra decem dies decernimus eum excommunicationis sententiæ subjacere. Caveant autem clerici, ne ludo taxillorum intersint, si canonicam voluerint effugere ultionem.

De pœna clericorum se inebriantium.

Item cum sit cautum in Jure, quod clerici a crapula & ebrietate debeant abstinere, & nonnulli clerici civitatis & diœcesis, vacantes comestionibus & potationibus, se inebrient impudenter, & eorum ebrietas cedat in grave scandalum plurimorum, sacra comprobrante sy-

nodo statuimus, quod si quis clericus de cetero ebrius inveniatur, pœna decem solidorum multetur; nullam super hoc misericordiam habiturus: & nihilominus, si monitus non destiterit, ad pœnam canonicam procedetur. ANNO CHRISTI 1261.

De vestibus inhonestis.

Item cum multi clerici indumentis & vestibus non se gerant honeste, prout in canonibus est statutum; statuimus, quod clerici pannis rubeis, viridibus, & croceis in chlamydibus chori longis, & colorum similium non utantur, nec in vestibus ponant erminium, nec aliqua superflua, nec etiam inhonesta. Sacerdotes vero parochiales & alii sacerdotes, clausa desuper deferant indumenta: & in ecclesia, & extra non utantur cappis transversariis, sed cappis rotundis, vel mantellis. Alii vero clerici in sacris ordinibus constituti, cappis transversariis a se prorsus abjectis, utantur similiter cappis rotundis vel mantellis.

Volentes tamen parcere sumptibus & expensis propter aliquorum indigentias; toleramus, ut jam factis sumptibus utantur a præsenti die usque ad annum. Verum si interim aliqui aliquas vestes novas fecerint, faciant prout superius est jam dictum vel statutum. Quod si aliquis hujus constitutionis fecerit se transgressorem, si clericus fuerit alterius diœcesis, & in nostra diœcesi commoretur, ipso facto per annum exulet extra diœcesim, nullam super hoc misericordiam habiturus. Alii vero clerici nostræ diœcesis vestes perdant: & nihilominus contra illos ad aliam pœnam procedetur, si hoc meruerit protervitas contumacis.

Item cum multoties, tam in synodis quam in visitationibus ecclesiarum, clericos duxerimus commonendos, ut abjectis a se penitus concubinis, honeste viverent, ut deceret; nec propter hoc multi ex ipsis se curaverint emendare, statuimus, quod quicumque fuerint inventi publici concubinarii a tempore obsidionis Murciæ, vel de cetero poterint inveniri; ipso facto triginta morabetinorum pœnam incurrant, & nihilominus in detestationem peccati, filios qui de cetero de tam damnato coitu generabuntur, distrahendos esse censemus.

De concubinis clericorum, & lusoribus non celandis.

Item statuimus, quod quilibet clericus parochialis circa parochiam suam solicite vigilet & intendat; & cum sciverit aliquem clericum concubinarium, seu lusorem, vel concubinam alicujus clerici alterius parochiæ in sua parochia, statim curet episcopo nunciare: quod si non fecerit, ipso facto pœnam quinque morabetinorum incurrat, nullam super hoc misericordiam habiturus.

De armis prohibitis clericis.

Anno Domini MCCLXIX. decimo Kalendas Novembris, nos frater Arnaldus divina miseratione episcopus Valentinus, prout moris est, & a sanctis patribus constitutum, sanctam synodum in Valentina ecclesia celebrantes, sacra approbante synodo statuimus, quod constitutiones super vestibus rotundis, & super ludo taxillorum jam editæ, ab universis clericis nostræ diœcesis inviolabiliter observentur. Item

ANNO CHRISTI 1261.

quia per frequentes clamores, tam clericorum quam laicorum, ad noſtras aures pervenit, quod clerici ſuæ honeſtatis & eccleſiaſticæ ſimplicitatis obliti, arma portant diverſorum generum, & ſignanter coſtalarios, & gladios majores quam laici: propter quod tam in clero quam in populo magnum ſcandalum generatur: ſacra approbante ſynodo ſtatuimus, quod de cetero non portent de die neque de nocte coſtalarios, neque coltellos, ultra midam in foro conſtitutam, nec etiam alia arma. Permittimus tamen, quod in itinere conſtituti portent enſem pennatum vel Segovianum publice; quæ tamen cum in quacumque fuerint villa, ſtatim immediate cum fuerint in hoſpitio deponant. Quod ſi ſecus fuerit attentatum; & arma perdant & pœnam quindecim ſolidorum de die, & viginti de nocte, ipſo facto incurrant, ſuper hoc nullam miſericordiam habituri.

De armis non portandis Sarracenis. Et de monitione facienda manumiſſoribus non complentibus teſtamenta.

Item præcipimus univerſis clericis civitatis, & aliis prope mare conſtitutis, ut diebus Dominicis & feſtivis denuncient excommunicatos omnes illos qui portant arma, ferrum, & lignamina, & alias res prohibitas Sarracenis. Et etiam manumiſſores teſtamentorum, qui non ſolverunt injurias & relicta ad pias cauſſas, juxta ordinationem per nos factam, & in ſynodo promulgatam.

De luſoribus ad aleas & taxillos, & denuncientibus eos.

Anno Domini MCCLXXIII. nono Kalendas Novembris, nos frater Arnaldus divina miſeratione Valentinus epiſcopus, prout moris eſt, & a ſanctis patribus conſtitutum, ſanctam ſynodum in Valentina eccleſia celebrantes, ſacra approbante ſynodo ſtatuimus, quod conſtitutiones per nos factæ circa honeſtatem clericorum inviolabiliter obſerventur.

Recolentes autem olim ſalubriter ſtatuiſſe, ne aliquis clericus in civitate & diœceſi Valentina ad aleas ludere præſumat, vel ad ludum aliquem taxillorum; & quod violatores ipſius conſtitutionis pœnam quinque morabetinorum ipſo facto incurrant; volentes adhibere remedium, quod ipſa conſtrictius & firmius obſervetur; præfatæ conſtitutioni adjicimus, quod ſi quis aliquem tranſgreſſorem conſtitutionis prædictæ nobis vel officiali noſtro denunciaverit, ita quod probari poſſit; tertiam partem de pœna prædicta habeat, conſtitutione prædicta nihilominus in ſuo robore duratura.

De veſte rotunda.

Item quia nobis conſtat, quod conſtitutio quam olim feciſſe recolimus, qua cavetur quod clerici parochiales, & alii ſacerdotes civitatis & diœceſis Valentinæ rotundis utantur veſtibus, quas portant exterius, & honeſtis, non ſervatur ab omnibus, ut deceret; ex quo læditur clericorum religio & honeſtas; præſertim cum videantur hoc facere in contemptum, ex quo reddunt ſe notabiles de inobedientia manifeſta; volentes ipſam in ſuo robore permanere & ſtrictius obſervari, eamdem ad omnes diaconos ejuſdem civitatis & diœceſis, & ad alios etiam in ſacris ordinibus conſtitutos beneficia eccleſiaſtica obtinentes, extendi volumus. Adjicientes eidem, quod quicumque deinceps ſuperiorem veſtem portaverit non rotundam, ipſa veſtis ipſo facto fabricæ eccleſiæ beatæ Mariæ Virginis applicetur. Et ſi quis infra decem dies a tempore mandati ſuper hoc recepti ipſam veſtem fabricæ non dederit; ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat.

Et ut melius nobis conſtare poſſit de illis qui ſe reddiderint contemptores; ſtatuimus, quod clerici parochiales civitatis & diœceſis circa hoc diligenter vigilent, & ſi qui fuerint in ſuis parochiis non ſervantes conſtitutionem prædictam, ipſos nobis vel officiali noſtro manifeſtare procurent. Statuentes nihilominus, quod ſi quis eorum circa hoc inventus fuerit negligens vel remiſſus, pœnam quinque morabetinorum incurrat, prædictæ fabricæ ſimiliter applicandam, nullam ſuper hoc miſericordiam habiturus.

Volentes etiam ab ipſis clericis parochialibus firmiter obſervari; præcipiendo mandantes, quod clericos, quos conſtitutionem de luſoribus factam, & iſtam de portandis rotundis veſtibus, ſciverint non ſervare, in ſuis eccleſiis nullatenus celebrare permittant; alias pœnis eiſdem conſtitutionibus contentis ſe noverint ſubjacere.

Quod oratio Dominica alta voce cantetur.

Item quia intelleximus quod multi ſunt in noſtra civitate & diœceſi qui ignorant orationem Dominicam, ſcilicet, *Pater noſter*; ſeu ipſam perfecte non ſciunt; & ſunt pauciſſimi qui ſciant *Credo in Deum*, in quibus multum conſiſtit noſtræ fidei fundamentum; volentes in prædictis eos inſtitui & ſalubriter edoceri; ſtatuimus, quod deinceps clerici in ſuis eccleſiis in completorio & in prima, prædictas orationes proferant alta voce diſtincte, ac etiam ſpatioſe: monendo parochianos ſuos, quod dum dictæ orationes dicuntur, ſuos animos applicent, & diligenter intendant: exponentes eiſdem quanta ſit utilitas quod hoc ſciant, & quantum ſcire tenetur quilibet Chriſtianus.

De publicatione publicorum adulterorum.

Item olim excommunicationis ſententiam per bonæ memoriæ Andream prædeceſſorem noſtrum contra publicos adulteros civitatis & diœceſis Valentinæ editam, & etiam publicatam per nos poſtmodum, tam in ſynodis, quam in noſtris prædicationibus publicatam, & hactenus obſervatam, ad memoriam reducentes; quia invenimus quod aliqui ad ſua pallianda peccata, eam conabantur & conantur ſuis mendaciis in dubium revocare; eamdem iterum approbantes, & etiam innovantes, nihilominus ad æternam rei memoriam in jam dictos excommunicationis ſententiam promulgamus: mandantes clericis parochialibus, quod ſi quos in ſuis parochiis ſciverint prædicto crimine adulterii publice laborantes, nullo ſuper hoc exſpectato mandato, eoſdem excommunicatos denuncient diebus Dominicis & feſtivis, auctoritate noſtra & conſtitutionis præſentis, quam inviolabiliter mandamus obſervari.

CON-

ANNO CHRISTI 1261.

CONCILIUM LAMBETHENSE

SIVE

Conſtitutiones provinciales, in concilio Lambethenſi, per Bonifacium Cantuar. archiepiſcopum editæ III. Idus Maii ann. Dom. MCCLXI.

Ex MS. bibliothecæ Cotton. edidit collector Anglicanus.

UNiverſis ſanctæ matris eccleſiæ filiis per Cantuarienſem provinciam conſtitutis, B. miſeratione divina Cantuarienſis archiepiſcopus, totius Angliæ primas, ejuſdemque ſuffraganei, ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum. Æternæ ſanctio voluntatis, quæ rerum ordinem omnium, cunctarumque ſemina naturarum, in pondere, numero & menſura decrevit, ad exemplar cœleſtium procedere cenſuit regimen terrenorum, humanum genus, quod ceteris præſtare voluit dignitatis excellentia creaturis, conſtringens a ſenſualitatis prurigine naturalibus regulis, & ab arbitriis lubricitate legalibus cohibens inſtitutis: ut potentiores laxatam ſibi paſſim non crederent in ſubjectos imperandi licentiam; & inferiores, quos, etſi natura pares, cauſarum facit ſeries indeflexa prælatis diſſimiles, ſuperiorum non contemnerent diſciplinam: & ſicut terrenæ domicilium manſionis, pro cœleſtium luminum qualitate, lucis vices ac noctis continuis ſucceſſionibus mutuatur, & cœleſtium ſubjicitur moderamini poteſtarum; ſic ordo rectorum ipſius, ſpiritualis videlicet, & terrenus, ſacerdotalis & regius, conceſſæ ſibi prælationis habenas dirigeret, quod unius impetus proceſſus alterius non turbaret; ſed accederet unus alteri ſuffragator in mutuæ caritatis ſubſidium, quo ſibi invicem ad humanæ noctis tenebras diſſolvendas ſuſcepti participarent luminis ornamentum.

Sane attendentes olim patres & prædeceſſores noſtri Cantuarienſes archiepiſcopi, totius Angliæ primates, & ſuffraganei eorumdem, & potiſſimum temporibus parum retro decurſis, amicus Dei beatus Edmundus, prædeceſſor noſter, cujus memoria in benedictione, & inter electos Dei ſors ejus eſt computata. Nos, qui licet immeriti, in locum regiminis ſibi immediate ſucceſſimus, cum fratribus & coepiſcopis noſtris ſuffraganeis Cantuarienſis eccleſiæ, noſtris temporibus ſolicite ponderantes, quod gravamina & oppreſſiones, quibus in Anglia libertas eccleſiaſtica premitur & calcatur, illuſtri domino Regi noſtro nequaquam accedunt ad commodum; ſed potius, ad non modicum ſalutis ſuæ & noſtræ ſimul periculum, & honoris tam perſonæ ſuæ, quam totius regni ſui, notorium detrimentum: ipſum frequenter monuimus & ſupplicavimus ei, ac ſupplicari fecimus cum inſtantia ſæpius reverenter; nec non apud principes, magnates & conſiliarios, quorum moderamine diſponuntur regni negotia, precibus & exhortationibus pulſavimus importuna opportunitate, & opportuna importunitate frequenter, quatenus intra memoriam revolventes, quot plagis Ægyptii fuerunt percuſſi, pro eo quod populum Domini filios Iſrael, typum gerentes miniſtrorum altaris, in luto cogebant ſervire & latere; ſubjicientes eos indebitæ ſervituti, contra præceptum Dei, & juris privilegium naturalis, quo quis tenetur alteri non facere, quod & nollet ab alio ſuſtinere. Penſanteſque prudenter, quod Chriſtus ſponſam ſuam in tantum dilexit eccleſiam, cujus hodie, peccatis exigentibus, patres angariantur a filiis, & oves deſæviunt in paſtores, quod vetuſtæ chirographum ſervitutis in protoplaſti prævaricatione conſcriptum, proprio cruore delevit, & ſanguine martyrum, armis fidei dimicantium, adverſus mundi principes, & ſæculi proteſtates, rubricavit privilegium libertatis e cœlo prius conceſſum eccleſiæ, & in terris poſtmodum a principibus hujus mundi fidelibus innovatum.

Huic inquam privilegio, tam pio tamque nobili pretio comparato, deferrent humiliter ob reverentiam Redemptoris, permittendo clerum Angliæ in ſolicitudine libertatis, laudis ſacrificium Domino immolare: ne perſecutores ſubmergi contingat in fluctibus iræ cœleſtis, ſi contemptis Divinis imperiis, ipſum cogant ad paleas ſervitutis. Licet autem in precibus inculcandis diu laboraverimus ſuſtinendo, & ſuſtinuerimus laborando: adhuc tamen, inſtantia noſtra ſæpius iterata, ad exauditionis gratiam ingreſſum mereri non potuit, nec effectum ſortiri diutius expectatum. Quia vero periculoſe negligitur, quod contra cœli principem uſurpatur: contra gravamina prælibata, quæ abſque Dei offenſa ulterius connivere non poſſumus, nec debemus, ad arma juſtitiæ, quod eſt verbum Dei, penetrabilius omni gladio ancipiti, cum fiducia recurrentes, certa remedia adverſis conatibus opponenda providimus, quæ, ſacro concilio approbante, nuper providæ deliberationis judicio ſtatuenda duximus ſub hac forma.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. In meſſem Dominicam, in qua, non reges & principes ſæculi, ſed regnorum victores & regnum, per fidem, apoſtolos & ſucceſſores eorum, Chriſtus mittendos elegit, falcem terrenæ damnationis, caritate frigeſcente, cernentes effrænatius currere * quam cœleſtis regula patiatur, qua reddi jubentur Cæſari quæ ſunt ejus; & quæ ſunt Dei, Deo: dolore cordis concutimur, & amaritudine replemur horroris, timentes, quod dum occurrere malis negligimus, indignationis periculum incurramus. Cum igitur eccleſia Anglicana, non contemnenda portiuncula dictæ meſſis, non ſolum contra jura Divina & ſtatuta canonica, ſed etiam contra libertates a regibus, principibus, & aliis regni magnatibus conceſſas eidem, auſibus ſacrilegis, novis irruptionibus, diris conceſſionibus, & oppreſſionibus nefariis, multipliciter ſit attrita, & hoc

* *Cor.* dominationis.

ANNO CHRISTI 1261.

& hoc non absque superni regis offensa, & perpetuo animarum regis nostri temporalis, & aliorum regni magnatum, ac nostrarum, & subditorum nostrorum periculo, sub dissimulationis conniventia ulterius pertransire non possimus: auctoritate præsentis sacri concilii inhibemus, & inhibendo statuimus, ut si contingat ab hac die in antea, quod Deus avertat a sensibus fidelium sanctæ matris ecclesiæ filiorum, quemquam archiepiscopum, vel alium prælatum inferiorem, per litteras domini regis, vel alicujus alterius potestatis, ad sæculare judicium evocari, ut ibi respondeat super his, quæ mere ad ipsius officium & forum ecclesiasticum pertinere noscuntur, prout temporibus retroactis usurpative contra Deum & justitiam, ac libertatem ecclesiasticam, pluries est præsumptum: statuimus, inquam, & statuendo inhibemus, quod archiepiscopi, episcopi, & ceteri ecclesiarum prælati, majores & minores, ad sæculare judicium, ibidem subituri judicium, non veniant, sicut nec venire tenentur pro hujusmodi spiritualibus evocati: utpote si forte vocetur prælatus responsurus in sæculari judicio, pro eo quod clericos ad ecclesias vel capellas vacantes non admiserit, rectores instituerit vel non instituerit in eisdem; suos subditos excommunicavit, suspendit vel interdixit; excommunicatos, suspensos, vel interdictos denunciavit; aut pro eo quod ecclesias dedicavit, vel ordines celebravit; aut de causis mere spiritualibus cognovit, puta de decimis, oblationibus, limitibus parochiarum, & similibus, quæ non possunt ad sæculare forum aliquatenus pertinere; aut quia cognovit de peccatis & excessibus subditorum, sicut de perjurio, & fidei transgressione, sacrilegio, violatione, ac perturbatione ecclesiasticæ libertatis: cujus violatores, & perturbatores, nec non & libertatum, per chartas domini regis ecclesiæ concessarum, contradictiones, in sententiam excommunicationis incidant ipso facto.

Item, si vocetur prælatus ad judicium sæculare, pro eo quod cognovit inter clericos suos, vel inter laicos conquerentes & clericos defendentes, in personalibus actionibus, super contractibus, aut delictis, vel quasi; aut pro eo quod personas ecclesiasticas, ad mandatum domini regis, in judicio sæculari non exhibet; seu clericos in foro sæculari, pro negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus, amercitos non compulit ad amerciamenta exsolvenda, seu ipsa pro eisdem non solvit, vel quia in ecclesiis & capellis annexis episcopatibus aut monasteriis vacantibus, per mortem aut cessionem prælatorum, aut alio justo modo, jurisdictionem suam ecclesiasticam, canonicam & consuetam exercet; vel si qua his similia facit, vel non facit prælatus, pertinentia ad officium pastorale, & ad forum seu jurisdictionem ecclesiasticam evidentem: pro talibus, inquam, & his similibus, prælati ad judicium sæculare vocati, ut ibidem pro his judicium subeant, nullatenus venire præsumant, cum judicandi christos Domini, nulla sit laicis attributa potestas, quos manet necessitas obsequendi. Ut tamen honori regio deferatur, majores prælati dominum regem adeant, vel sibi scribant, quod pro hujusmodi mandatis regiis, parere non possunt absque periculo sui ordinis, & subversione ecclesiasticæ libertatis. Et si forte dominus rex in suis inhibitionibus vel summonitionibus, non de decimis, sed de jure patronatus; non de fide mentita seu perjurio, sed de catallis; non de sacrilegio vel perturbatione ecclesiasticæ libertatis, sed de transgressione subditorum vel ballivorum suorum, quorum correctiones ad se tantum asserit pertinere, fecerit mentionem: tunc intiment ei prælati prædicti, quod non de patronatu, cujus cognitionem rex de facto exercet, neque de catallis, seu aliis ad forum ipsius pertinentibus, cognoscunt seu cognoscere intendunt, sed de decimis, peccatis, & aliis mere spiritualibus, ad officium & jurisdictionem eorum pertinentibus, & ad animarum salutem; monendo & rogando eumdem, quod ipsos non impediat in præmissis. Et nihilo minus, episcopus, & cujus res agitur, dominum regem iterato moneat, ut animæ suæ saluti consulat, & ab hujusmodi mandatis omnino desistat. Et si non desiterit, tunc vicecomites & alii quicumque ballivi attachiantes, & distringentes, per locorum diœcesanos, in forma juris, per suspensionis & excommunicationis sententias arceantur.

Idem fiat, si vicecomites aut ballivi ad attachiationes & districtiones processerint, pendentibus supradictis monitionibus, domino regi taliter faciendis.

Et si vicecomites aut ballivi in duritia sua perseveraverint, loca, in quibus commorantur, & terræ eorum, quas habent in provincia Cantuarienſi, per locorum diœcesanos, ad denunciationem diœcesani, in cujus episcopatu tales fuerint districtiones, interdicto ecclesiastico, auctoritate præsentis concilii, supponantur. Et si taliter attachiantes, clerici fuerint & beneficiati ab officio suspendantur. Et si in eorum malitia perseveraverint, ad desistendum & satisfaciendum per subtractionem proventuum suorum, quos obtinent, compellantur. Non beneficiati, vero, in pœnam suæ malitiæ, per quinquennium, si ad beneficium ecclesiasticum in provincia Cantuarienſi præsentati fuerint, minime admittantur.

Clerici vero qui brevia hujusmodi attachiationum seu districtionum dictaverint, scripserint, signaverint, consilium aut auxilium ad hoc præstiterint faciendum, canonice puniantur. Et si de hoc fuerint certa ratione suspecti, ad aliquod beneficium ecclesiasticum obtinendum, donec super his canonice se purgaverint, præcipimus non admitti. Et si dominus rex, vel alia quælibet sæcularis potestas, super hoc competenter monitus, hujusmodi districtiones seu attachiationes non revocaverit: episcopus, qui districtus fuerit, terras, villas dominicas, & castra, quæ dominus rex, vel alia sæcularis potestas taliter distringens in suo episcopatu obtinet, ecclesiastico supponat interdicto. Et si rex vel alia sæcularis potestas, contemptis pœnis hujusmodi, in sua duritia perseveret: tunc archiepiscopus, ad denunciationem episcopi conquerentis, convocatis duobus episcopis vel tribus, aut pluribus, quos duxerit evocandos, si in provincia præsens extiterit; alioquin, episcopus Londonienſis, tanquam decanus episcoporum, duobus episcopis vel pluribus sibi adjunctis, dominum regem adeant, & ipsum moneant diligenter; requirentes, quod a mandatis suis supersedeat supradictis.

Et si dominus rex, hortationibus & monitionibus, obauditis, ad attachiationes vel districtiones per se vel per alios processerit: tunc ceteri coepiscopi, districtiones hujusmodi, quasi com-

si communem omnium causam, & privatissimam singulorum, & etiam communem injuriam ecclesiæ reputantes, civitates, terras dominicas, burgos, castra, & villas ipsius regis vel alterius potestatis in suis episcopatibus consistentes, auctoritate præsentis concilii, ecclesiastico supponant interdicto. Et si nondum, propter hoc, infra xx. dies postmodum attachiationes & districtiones rex, vel potestas attachians vel distringens, revocaverit, sed ob hoc manum contra ecclesiam aggravaverit & pectus cum Pharaone; durior inter flagella pœnarum: extunc archiepiscopus & episcopi suas diœceses ecclesiastico supponant interdicto. Idem fiat de terris, castris, burgis, & villis magnatum regalia habentium in provincia memorata.

Si vero episcoporum aliquis, circa executionem præmissarum pœnarum, in suis casibus negligens inventus fuerit, aut remissus: per suum metropolitanum graviter arguatur. Et si perseveraverit in negligentia, per eumdem canonice puniatur: & nihilo minus sua diœcesis, omnium prælatorum & sua auctoritate, voluntate, & consensu, in præsenti concilio interpositis & expressis, ecclesiastico subjaceat interdicto.

Item statuimus, ut si forte ab hac die in ante, ab aliquo episcopo, vel judice ecclesiastico, vel prælato inferiore compulso per districtiones vel sponte comparente coram domino rege, vel justitiariis suis, ut alleget privilegium fori in casu a jure non concesso, vel ut eos moneat, ut a prædictis desistat injuriis, acta processus sui exigi contingat, ut per ea appareat, utrum contra prohibitionem regiam in aliquo prædictorum casuum vel consimilium processerit: vel petatur ab eo super his juramentum excusationis vel purgationis, nullo modo exhibeat acta vel juret, cum instrumenta hujusmodi sive acta possint ab alterutra partium, si necesse fuerit, exhiberi. Et si clericus propter hoc fuerit arrestatus, diœcesanus taliter arrestati, vel aliter impetiti clerici, vel archiepiscopus, vel episcopus Londoniensis, tanquam decanus episcoporum, cum aliquibus episcopis sibi associatis, si episcopus sit ille qui fuerit in hoc casu, requirant eum, & puniant detentores; & si necesse fuerit, in hoc casu ad pœnas procedatur superius annotatas.

Item, si aliquo evincente jus patronatus contra alium in foro regio, scribat rex episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, quod præsentatum ab illo qui evicit admittat: si vacaverit beneficium, ne patrono fiat injuria, & aliter nihil canonicum obsistat, admittatur libere hujusmodi præsentatus: si vero non vacat beneficium, hoc domino regi, vel suis justitiariis, studeat intimare prælatus, excusando se, quod, quia beneficium tale non vacat, non potest mandatum regium adimplere. Liceat autem patrono, si voluerit, possidentem iterum præsentare: ut sic evincentis jus patronatus imposterum declaretur.

De intrusis.

Ad hæc, quoniam ambitio pravissima, imitatrix virtutis, nihil ducit illicitum, quod sibi æstimat fructuosum: nec curat quibus studiis avare sitim reficiat voluntatis, dum quæstum reputans pietatem, abominandis & damnabilibus pretiis commercium venatur honoris: sacro approbante concilio, districtius inhibemus clericis quibuscumque, cujuscumque conditionis existant aut ordinis, ne parochiales aut præbendales ecclesias, curam animarum habentes, sive alia beneficia ecclesiastica, dignitates, vel personatus, propria auctoritate audeant occupare, vel in ipsis se faciant per laicalem potentiam intrudi. Quod si quis nostræ hujusmodi inhibitionis salutiferæ temerarius transgressor extiterit, & absque ecclesiastica auctoritate, per laicalem potentiam intrusus fuerit in ecclesia, vel præbenda sive capella, aut ecclesiastico beneficio: servato juris ordine, excommunicationis sententia percellatur, & excommunicatus per loci diœcesanum publice nuncietur, & ipso beneficio in perpetuum careat ipso facto, Et si post latam in se sententiam excommunicationis, in intrusione hujusmodi & detentione sic occupati beneficii, pertinaci animo per duos menses perstiterit: per locorum diœcesanos, in quorum diœcesibus habet alia beneficia ecclesiastica, ad denunciationem illius episcopi, in cujus civitate vel diœcesi se intrusit, vel procuravit intrudi, cujusque monitionem & excommunicationem per dictum tempus contempserit, proventus illorum beneficiorum ei subtrahantur omnino, quousque satisfecerit competenter. Et si per annum idem intrusus in hujusmodi excommunicationis sententia perseveraverit, extunc ad aliquod beneficium ecclesiasticum in provincia Cantuariensi minime admittatur. Si vero per clericum procuratorem fuerit intrusus, contra eumdem clericum procuratorem modo simili procedatur, & pœnis subjaceat supradictis. Si vero procurator talis, laicus fuerit; in forma juris excommunicetur, & excommunicatus publice nuncietur. Dominus autem absens citetur, qui si comparens factum cujuscumque procuratoris ratificaverit in hac parte, pœnis subjaceat supradictis. Si vero per contumaciam se absentet, post spatium trium mensium expectatus, si sit in regno, majoris excommunicationis sententia innodetur, & pœnas nihilominus prætaxatas incurrat: maxime cum sacrilegio inobedientiam adjecerit & contemptum. Si vero fuerit extra regnum, contra ipsum vocatum post dilationes transmarinas modo simili procedatur: & ecclesia vel præbenda, in qua facta fuerit talis intrusio, supponatur ecclesiastico interdicto. Fautores vero & cooperatores hujusmodi intrusoris, si clerici fuerint, præfatas pœnas contra clericos editas perferant; & si laici fuerint, pœnis plectantur contra laicos superius constitutis. Loca vero & terræ hujusmodi intrudentium & intrusorum, si infra unum mensem non satisfecerint, ecclesiastico supponantur interdicto.

Si vero hujusmodi intrusiones factæ fuerint ex regia potestate, moneatur dominus rex per loci diœcesanum, in quo facta fuerit intrusio, quod eas faciat infra tempus competens revocari: alioquin, terræ & loca, quæ dominus rex habet in illa diœcesi, in qua facta fuerit intrusio, supponantur ecclesiastico interdicto, secundum formam superius annotatam. Si vero per alium magnatem seu potestatem fiat talis intrusio: per interdicta & excommunicationis sententias, ut superius dictum est, arceatur. Et si per duos menses sententiam sustinuerit propter hoc in se latam, extunc terræ & loca, quæ obtinet in illa diœcesi, per loci diœcesanum supponantur ecclesiastico interdicto: nec relaxentur sententiæ prætaxatæ, donec

ANNO CHRISTI 1251.

ANNO CHRISTI 1261.

nec de injuria, inobedientia, & contemptu, satisfecerit competenter.

De excommunicatis capiendis.

Præterea contingit interdum, quod excommunicati, de mandato prælatorum, secundum consuetudinem regni, capti & carceri mancipati, aliquando per regem, quandoque per vicecomites, alioſque ballivos, sine consensu prælatorum, ad quorum mandatum sic captorum deberet liberatio fieri, nulla satisfactione præstita, liberantur. Et plerumque etiam hujusmodi excommunicati non capiuntur, neque de ipsis capiendis litteræ regiæ conceduntur: nonnunquam etiam dicti rex & sui ballivi, cum hujusmodi excommunicatis & denunciatis publice communicant, claves ecclesiæ contemnendo in subversionem ecclesiasticæ libertatis, & suarum periculum animarum. Huic igitur morbo congruam volentes adhibere medelam: statuimus, quod excommunicati sic capti, ac taliter exeuntes ad majorem sui detestationem, publice & solemniter, pulsatis campanis, & candelis accensis, excommunicentur, & denuncientur excommunicati in locis, ubi ordinariis eorumdem locorum videbitur expedire. Vicecomites autem & ballivi alii, qui eos liberaverint, non præstita satisfactione ecclesiæ vel emenda, innodentur sententia simili, & tales publice nuncientur. Si tamen de mandato regio ad hoc processerint: mitius cum eis, arbitrio ordinariorum, agatur. Si autem contingat, quod littera consueta de excommunicato capiendo denegetur, cum ipsam requiri contingat, in casu quo dari debet, secundum regni consuetudinem approbatam: moneatur dominus rex per episcopum repræsentantem capiendum, quod eam concedat, & faciat pertransire. Quod si non fecerit, civitates, castra, burgi, & villæ, quas habet in diœcesi sic scribentis episcopi, per ipsum supponantur ecclesiastico interdicto, donec petitæ taliter litteræ concedantur, & executionem debitam sortiantur. Contra communicantes quoque & participantes cum excommunicatis, procedant secundum censuram ecclesiasticæ disciplinæ.

De clericis captis, & per ecclesiam requirendis.

Contingit etiam aliquando, quod clerici, sine delectu personarum, quamquam in facto deprehensi non fuerint, vel convicti, tanquam facinorosi vel suspecti de crimine seu delicto, injuria personali, capiuntur per potentiam laicalem, & in carcere detinentur, nec reddantur suis ordinariis eos requirentibus, secundum canones libere judicandi. Et si clerici, quibus crimina imponuntur, coram judicibus sæcularibus vocati, non comparuerint, forbaniuntur a regno. Quia vero in hoc libertas ecclesiastica confunditur, cum clericus a laico judicatur: statuimus, quod si clerici sic capti noti fuerint & honesti, ipsorum detentores, & ad requestum ordinariorum eos reddere recusantes, per locorum ordinarios excommunicati publice nuncientur. Loca etiam, in quibus fuerint detenti, & terræ capientium, & eos detinentium, supponantur ecclesiastico interdicto: donec reddantur eorum corpora, & super hujusmodi excessu satisfecerint competenter. Illi autem, qui eis falsa crimina taliter imposuerint, seu malitiose confinxerint conventa vel fraudes, propter quæ capti fuerint, & injuste detenti, excommunicati similiter publice nuncientur, cum vinculum excommunicationis incurrant, auctoritate Oxonienſis concilii, ipso facto. Clerici vero vagi & ignoti, capti ex causis aliquibus & detenti, si in possessione inventi fuerint clericatus, per locorum ordinarios requirantur a domino rege, vel ab alio qui habet potestatem reddendi eosdem, ut ipsos restituat per ecclesiam libere judicandos. Et si denegentur, procedatur contra denegantes & detentores per pœnas superius annotatas.

De clericis amerciatis per judicem sæcularem,

Et si clerici ecclesiæ redditi, pro transgressione aliqua personali amerciati fuerint a judice sæculari, prælati ad hujusmodi amerciamenta solvenda, prædictos clericos non compellant, cum a non suis judicibus fuerint condemnati. Et si propter hoc prælatos distringi vel attachiari contingat: contra hujusmodi attachiationes vel districtiones, utantur remediis antedictis. Idem fiat quotiescumque amerciati fuerint viri ecclesiastici per judicem sæcularem, pro his, quæ ad forum ecclesiasticum mere pertinere noscuntur.

De clericis diffamatis de foresta.

Item statuimus, ut si aliquis clericus de transgressione forestæ seu parci alicu jus diffamatus fuerit, & convictus legitime, coram suo ordinario, vel confessus: idem per suum diœcesanum, si bona habeat, pro qualitate transgressionis, graviter redimatur, & illi, cui noxia vel injuria est illata, hujusmodi redemptio assignetur. Si autem bona non habeat, suus episcopus ipsum, prout culpa poposcerit, graviter puniat in persona, ne propter impunitatis fiduciam, pateat præsumptoribus licentia delinquendi.

Quod restituantur bona clericorum se purgantium.

Ad hæc, si clerici se canonice purgaverint super sibi impositis & objectis, ac laica potestas nihilominus bona occupet, vel occupata detineat eorumdem: occupantes & detinentes bona, purgato hujusmodi, ad restituenda ea per censuram ecclesiasticam compellantur.

De clericis captis, & abrasis, seu suspensis.

Quod si aliqui clerici capti fuerint, tonsuram, & habitum clericalem habentes, & tempore medio malitiose abrasi fuerint, vel suspensi, vel alio modo puniti: abradentes, vel suspendentes, vel alio modo punientes eosdem, & ad hoc, consilium, favorem, & auxilium impendentes pœnis subjaceant supradictis. Forbanientes quoque hujusmodi clericos, pœnis consimilibus percellantur.

De falsis delatoribus & suggestoribus domino regi.

Item, cum sæpius domino regi & suis justiciariis falso suggeratur, quod prælati & judices eccle-

ecclesiastici de jure patronatus, catallis, & aliis ad forum regium pertinentibus cognoscant, in domini regis præjudicium, cum iidem prælati & judices super decimis, peccatis, ac super excessibus suorum subditorum, vel suæ jurisdictionis officium, prout ad eos pertinet, interponant: moneantur hujusmodi suggestores & delatores iniqui, ut a tali suggestione & delatione desistant. Quod si prælatos, judices ecclesiasticos, sic delatos & accusatos principi vel alteri potestati, propter delationem & incussionem hujusmodi, damnificari contigerit seu vexari; tales suggestores & delatores Deo odibiles, & quantum in ipsis est, fratrum necatores, excommunicati publice nuncientur, tanquam violatores, & impugnatores Christianæ unitatis, & ecclesiasticæ pacis ac etiam libertatis: donec de expensis, damnis & injuriis, tam judicibus, quam partibus quas læserint, satisfactionem exhibuerint competentem,

De juramento veritatis præstando a laicis coram ordinariis, cum de excessibus subditorum inquiruntur,

Evenit etiam interdum, quod, cum prælati ecclesiastici, ex officii sui debito, de morum disciplina, peccatis, & excessibus subditorum inquirunt, dominus rex, ceterique magnates, & aliæ potestates sæculares, & milites, officia impediunt eorumdem, personis laicis inhibendo, ne ad mandatum patrum & prælatorum suorum spiritualium, quibus vulnera tenentur detegere, ut medicinæ consilium valeant reportare, de veritate dicenda subeant juramentum: nec permittunt aliquotiens dictos prælatos, subditis suis, in causis seu negotiis ecclesiasticis, pro excessibus sive culpis eorum, corporalem pœnam vel pecuniariam imponere, secundum canonicas sanctiones, pro culparum & pœnarum delinquentium qualitate. Quia vero tam jure poli, quam jure fori, hominibus idcirco metus pœnæ, & præmium virtutis proponitur, ut appetitus noxius refrænetur, & ad culpam facile proruerent homines, si pœna non reprimeret transgressores, cum infelici felicitate peccantium, pœnalis nonnunquam nutriatur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior roboretur: statuimus, quod laici ad præstandum hujusmodi juramentum, & ad exsolvendam quamlibet pœnam, tam corporales, quam pecuniarias, canonice per prælatos suos eis inflictas, præcise per excommunicationis sententiam compellantur. Impedientes vero ne juramenta prædicta præstentur, aut pœnæ hujusmodi exsolvantur, per interdicti & excommunicationis sententias arceantur. Et si propter hoc ad districtiones prælatorum processum extiterit: contra districtingentes, per pœnas dictatas superius, procedatur.

Quod Judæus delinquens in rebus ecclesiasticis, respondeat coram judice ecclesiastico.

Et quia modo consimili ecclesiastica censura confunditur, & prælatorum officium impeditur, cum Judæus delinquens in rebus ecclesiasticis & personis, super his vel super aliis, quæ ad forum ecclesiasticum pertinent, mero jure coram ecclesiastico judice convenitur, & per regem, seu per vicecomites, aut ballivos super præmissis non permittitur coram ecclesiastico judice stare juri, sed potius declinare compellitur ad forum ejus: statuimus, ut hujusmodi Judæi per interdictum commercii, contractuum & conventionis fidelium, ad respondendum in his casibus coram ecclesiastico judice compellantur: & quod inhibentes & impedientes in hoc casu jurisdictionem ecclesiasticam, & hac de causa, judices vel alios districtingentes & molestantes, per excommunicationis & interdicti sententias arceantur.

ANNO CHRISTI 1261.

De his qui ad ecclesiam confugiunt.

Item cum ad immunitatem ecclesiæ confugientibus aliquando vix in alimentis valeat subveniri, propter arctam custodiam, quæ frequenter apponitur circa ipsos, ac aliquando confugientes hujusmodi ab ecclesiis vel cœmeteriis, aut viis publicis, post terræ abjurationem violenter sæpius extrahantur, ac sic extrhacti in præjudicium immunitatis ecclesiæ crudeliter occidantur: statuimus, quod qui talibus confugis, quos quidem ecclesia tenetur tueri, alimenta impedierint ministrari, secundum arbitrium ordinariorum, per censuram ecclesiasticam castigentur. Illos vero, qui hujusmodi confugas ab ecclesia, vel cœmeterio, vel ab alio quocumque loco ecclesiasticam immunitatem habente, post abjurationem patriæ, aut a via publica extrahentes, vel extrhactos taliter ausu sacrilego occidentes, cum sub ecclesiastica protectione consistant, omnibus pœnis sacrilegii decrevimus puniendos, una reliquum minima consumente. In ecclesia autem vel cœmeterio, nulla omnino deputetur custodia, contra fugientes ad ecclesiam, per potentiam laicalem. Quod si secus præsumptum fuerit, tam custodes, quam qui eos apposuerint, in forma juris per excommunicationis sententiam arceantur. Illos autem tantummodo tueatur ecclesia, quos canones præcipiunt esse tuendos,

De invadentibus res ecclesiasticas, & earum libertates infringentibus.

Item, ut invadentibus bona ecclesiastica, & infringentibus ecclesiasticas libertates, ac violatoribus & perturbatoribus earumdem, debitis remediis obvietur: præsenti statuto præcipimus, quod hujusmodi malefactores sacrilegi, & excommunicationis vinculo irretiti, per locorum ordinarios nuncientur; & si in sua malitia & pertinacia per unum mensem post hujusmodi denunciationem pertinaciter perseveraverint, extunc terræ ipsorum, & loca in quibus commorantur, supponantur ecclesiastico interdicto, nec ante utraque relaxetur sententia, quam de damnis & injuriis satisfactum fuerit competenter. Illos autem, qui Divino non deferentes honori, ecclesias possessionibus, juribus, aut libertatibus suis spoliare præsumpserint, in forma juris censemus anathemate feriendos, & pœnis aliis editis contra sacrilegos, usque ad restitutionem & satisfactionem condignam percelli. Et si iidem sacrilegi faciant aut procurent judices seu prælatos propter hoc attachiari vel distringi: tam ipsi, quam distringentes, pœnis in attachiatores & districtores superius editis percellantur.

ANNO CHRISTI 1261.

De custodia cathedralium ecclesiarum & conventualium.

Accidit etiam aliquando, quod, domino rege vel alio magnate, ecclesiarum * vel conventualium, de regni consuetudine, custodiam exercente, cum secundum chartam libertatum, ab eodem domino rege & suis prædecessoribus ecclesiæ concessarum, tantummodo rationabiles exitus capere debeat, & rationabiles consuetudines, ac rationabilia servitia talis custos, & hoc sine destructione, dissipatione, & vasto, rerum & hominum: ballivi tamen, regis vel magnatis tutelam sive custodiam exercentes, præter tallagia immoderata, quæ imponunt hominibus & tenentibus ecclesiarum vacantium minus juste, bona mobilia & immobilia plerumque hominum & tenentium prædictorum sic vacantis ecclesiæ, in tali custodia, seu cruciatu potius, constitutæ, consumunt prodigaliter, & dirimunt violenter: parcos, nemora, & vivaria destruentes, & domos, habitationes, & grangias, ceteraque ædificia, quæ sustineri deberent in bono statu, ex negligentia vel malitia quandoque dissipari & ruere permittentes, bona dilapidant, pauperes ac alios male tractant, non solum ad ea, quæ ratione custodiæ obtinere consueverant, manus extendunt: sed etiam ad bona superstitum, & ad ea, de quibus conventus ecclesiarum ipsarum sustentari deberet; & ad ea etiam, quæ ratione baroniæ, ad dominum regem, vel magnates alios, vel ad eorum administrationem seu dispositionem, cum sint spiritualia vel annexa spiritualibus, pertinere non possunt, utpote ad decimas, oblationes altaris, episcopatibus seu monasteriis appropriatas, & ad similia, quæ profanis usibus applicari non debent. Ut igitur tali morbo salubris medicinæ remedio succurratur, quia talis custodiæ ratio, quæ in favorem ecclesiæ dignoscitur introducta, non debeat in ejus læsionem retorqueri: præsenti statuto præcipimus, quod statim cum escaetores vel ballivi domini regis, vel aliorum magnatum, hujusmodi custodias ingressi fuerint, prælati, qui jurisdictioni præsunt, publice & solemniter interdicant dictis escaetoribus seu ballivis regiis, & aliis quibuscumque, & sub pœna excommunicationis districte inhibeant, ne talia attentare præsumant. Quod si contra fecerint, denuncient eos in sententiam excommunicationis latam in violatores & perturbatores ecclesiasticæ libertatis incidisse, donec de damnis & injuriis satisfecerint competenter: quam sententiam si post denunciationem hujusmodi contempserint, contra eos procedatur per interdicta & alias pœnas superius recensitas. Et nisi dominus rex, super his competenter monitus, restituerit, seu restitui fecerit sic ablata, & damna resarciverit vel resarciri fecerit per suos illata, & alii magnates similiter: procedatur contra eos, sicut in aliis casibus regem & magnates tangentibus, superius est statutum.

* *f.* cathedralium vel conv

De bonis laicorum ab intestato decedentium.

Ceterum, contingit interdum, quod laicis * Divino decedentibus intestatis, domini feudorum non permittunt debita defunctorum solvi de bonis mobilibus eorumdem, nec in usus liberorum suorum aut parentum, vel aliter pro dispositione ordinariorum, bona prædicta pie distribui sustinent pro defunctis. Unde statuimus, quod hujusmodi domini & eorum ballivi diligentius moneantur, ut a talibus impedimentis omnino desistant. Quod si monitis parere contempserint, & bona hujusmodi intestatorum non permiserint pie distribui in usus misericordiæ, pro dispositione ordinariorum, saltem pro ea portione, quæ defunctum contingit, secundum consuetudinem patriæ: eorum præsumptio per excommunicationis sententiam compescatur. Modo simili procedatur contra eos etiam qui ascriptitiorum & aliorum servilis conditionis hominum testamenta & ultimas voluntates impediunt, & deinceps præsumpserint impedire, contra consuetudines ecclesiæ Anglicanæ hactenus approbatas.

* *Lege*, divino judicio, *ut infra in Concilio Londinensi* 1342. *cap.* 7. Hard.

De testamentis & eorum executoribus,

Inhibemus etiam hoc salubri statuto, ne cuiquam executori permittatur administrare de bonis testatoris, nisi prius de omnibus bonis ipsius defuncti fiat fidele inventarium, quod loci ordinario ostendatur. Et postquam coram ordinario, juxta morem, probatum fuerit testamentum, non permittatur aliquibus executio seu administratio in bonis defunctorum, nisi talibus qui debitam administrationis suæ possint reddere, si necesse fuerit rationem, cum super hoc, per locorum ordinarios, canonice fuerint requisiti.

Item statuimus præsentis authoritate concilii, ne aliqui religiosi, cujuscumque professionis existant, sint executores testamentorum, nisi de licentia ordinariorum & voluntate procedat.

Item, testamentis coram ordinariis locorum probatis, & approbatis, eorundem probatio, seu approbatio testamentorum a laicis nullatenus exigatur; nec impediant laici, nec impedire procurent, quo minus ultimæ voluntates defunctorum procedant, in his præsertim, quæ legari possint de consuetudine vel de jure. Si qui vero contra hoc statutum ausu temerario venire præsumpserint, sciant se, authoritate præsentis sacri concilii, esse excommunicationis sententia involutos: & in eos tanquam ecclesiasticarum libertatum violatores & perturbatores censuræ gladium exercendum.

De testamento conjugatæ sive solutæ.

Item statuimus, ne quis, alicujus solutæ mulieris sive conjugatæ, alienæ vel propriæ, impediat vel perturbet, seu impediri aut perturbari faciat, seu procuret justam & consuetam testamenti liberam factionem: quod si fecerit, sciat se excommunicationis innodatum sententia ipso facto.

Item statuimus, quod de portione, quæ defunctum contingit, ecclesia jus percipiat consuetum, deductis tamen prius de communi his quæ debentur, & quod domino debetur, ac expensis funerariis.

Item statuimus, quod nullus executorum aliquid retineat de bonis defuncti, cujus testamentum exequitur, emptionis titulo, vel aliquo modo alio: nisi fuerit sibi a testatore inter vivos donatum, vel in testamento seu ultima voluntate relictum.

De

De sacramentis confessionis & pœnitentiæ.

Præterea, cum sacramentum confessionis & pœnitentiæ, secunda post naufragium tabula, vel ultimus humanæ navigationis propositus ac finale refugium, sit unicuique peccatori pernecessarium ad salutem: sub pœna excommunicationis districtius præcipimus, ne aliquis impedire præsumat, quod hujusmodi sacramentum pœnitentiæ unicuique petenti libere impendatur, & spatium liberum confitendi; quod propter incarceratos potissime suadetur, quibus hujusmodi sacramentum sæpius inhumaniter denegatur, ne dicamus infideliter; & si interdum confitendi eis spatium datur, hoc eis ita breve & inopportune conceditur, quod potius miseris cedat in desolationem ac desperationis periculum, quam in consolationem gaudii spiritualis.

De apparitoribus sive bedellis.

Item, contra gravamina & excessus, quæ per bedellos, sive apparitores archidiaconorum & decanorum, subditis inferri didicimus, remedium adhibere volentes: statuimus, ut cum profitendis executionibus, aut pro aliis necessitatibus, ad hospitia rectorum, vicariorum, seu capellanorum vel aliorum sacerdotum vel clericorum, aut religiosorum eos declinare contigerit, nihil omnino ratione procurationis vel altaris servitii exigant ab eisdem, sed cum gratiarum actione recipientes ea, quæ eis ab hospitibus apponentur, & illis contenti existant. Neque per nuncios aut subbedellos, sed per se ipsos executiones faciant præceptorum. Sententias autem excommunicationis, interdicti, seu suspensionis, per se non ferant, neque per alios latas denuncient, sine specialibus litteris dominorum suorum. Et si secus præsumptum fuerit, sententiæ sic latæ, ipso facto non teneant, neque serventur, cum in veritate non ligent. Et bedelli, qui contra hoc statutum fecerint, & onerosi seu injurioli subditis dominorum inventi fuerint, graviter puniantur, & gravatis duplum restituere teneantur vel compellantur.

De tonsura clericorum & corona.

Item statuimus, quod episcopi in suis synodis & aliis convocationibus, & singuli archidiaconi & decani in suis capitulis, & rectores, vicarii, sive capellani ecclesiarum parochialium, in suis ecclesiis, ter in anno publice denuncient omnibus, qui privilegio clericali gaudere voluerint, quod tonsuram decentem & coronam rasi capitis deferant competentem; maxime coram ordinariis suis, & in ecclesiis, & in congregationibus clericorum. Nec erubescant ipsius portare stigmata, qui pro eis spineam non dedignatus est portare coronam; factus patri usque ad mortem obediens, ut eos suæ resurrectionis tribueret esse participes, & hæreditatis pretio sui sanguinis adquisitæ consortes. Comminaturi eis, quod qui contra denunciationem istam secus præsumpserint attentare, quod sui signum salvatoris erubuerint frontibus suis imprimere, frustra salvatoris debebunt auxilium implorare, cum privilegium dignitatis meretur amittere, qui concessa sibi abuti detegitur dignitate. ANNO CHRISTI 1261.

De carceribus in qualibet diœcesi habendis.

Item speciali præcepto statuimus, quod quilibet episcopus in suo episcopatu habeat unum vel duos carceres, prout competentius & securius poterit providere, pro clericis flagitiosis deprehensis in crimine, vel convictis, juxta censuram canonicam detinendis.

Item statuimus, quod si clericus aliquis adeo malitiosus & incorrigibilis fuerit, & ad flagitia committenda fuerit consuetus, quod si esset laicus, secundum leges sæculi, ultimum deberet pati supplicium, talis clericus carceri perpetuo addicatur. In his autem, quæ non ex voluntate & proposito, sed casu fortuito, vel iracundia, aut forte insania, talia commiserit, antiqua decrevimus jura servari.

Hæc autem statuta nostra prædicta, tam ad præsentia negotia extendi volumus, quam etiam ad futura, optantes omnibus sanctæ ecclesiæ libertates & jura servantibus, post labentis commoda sæculi, desideranda gaudia duraturi.

Acta sunt hæc in concilio apud Lambethe celebrato, & recitata in ultima actione dicti concilii, die Veneris III. Id. Maii. B. littera Dom. currente. Anno Domini MCCLXI, anno pontificatus domini Alexandri papæ quarti septimo. In cujus rei testimonium, &c.

G. C. ADDITIO
ad concilium Lambethense.

Matthæus Westmonasterienſis ad hunc annum: Post Pascha, *inquit*, Bartholomæus archiepiscopus Cantuarienſis, authoritate fretus apostolica, concilium celebravit provinciale apud Lambetham, juxta Londinum, consilio præsulum provinciæ suæ, super executione præfati mandati apostolici contra Tartaros, qui jam orbem terræ maxima ex parte graviter oppressérant, prout superius plenius demonstratur. Ad quod quidem Divinæ indignationis flagellum Deo duce eruendum, sanxerunt sancti Patres concilio huic assistentes, ad processiones & jejunia, & alia hujuscemodi pietatis opera recurrendum: per quæ, si in spiritu humilitatis & in animo contrito Domino offerrentur, Divina cessante iracundia, propter peccata populi ad vindictam succensa, fideles populos fore confiderent misericorditer liberandos.

G. C. Walterus de Reygate legatus in Angliam a pontifice missus, ut auxilio contra Tartaros aliisque rebus provideret: *veniens*, inquit Westmonasterienſis, *fecit summoneri omnes Angliæ prælatos, ut in quindena Paschæ coram ipso Londini conveniant, & mandatis auditis papalibus, de responsis salutaribus tractare non omittant*. Videri ergo posset interfuisse huic concilio, quando celebratum est illo ipso, quod indixerat, tempore. Sed cum nulla neque in actis concilii, neque apud Westmonasterienſem, sit legati mentio: non dubito quin indictum ab ipso concilium dilatum sit ad XVII. Kal. Junias, quo die Londinensi concilio præfuit, ut mox intelliges.

ANNO CHRISTI 1261.

CONCILIA UBIQUE TERRARUM

Anno MCCLXI celebrata.

G. C. ALexander papa cum decreviſſet, *ait Weſtmonaſterienſis ad annum MCCLXI.* concilium ſuum generale in quindena Paſchæ celebrare: audito tandem viciniore incurſu Tartarorum in terras Chriſtianorum, prædictum tum diſtulit decretum. Poſtea vero audiens prædictos Tartaros uſque ad LII. millia in Hungaria trucidatos, timenſque reſiduos ſibi ceteriſque Chriſtianis in brevi nocituros; ſummoneri fecit omnes prælatos tranſalpinos & viciniores, ut citra *feſtum apoſtolorum Petri & Pauli Romæ conveniant, proviſuri, qualiter prædictis inimicis reſiſtant,

* *f.* circa

Interim autem, ait Stero, direxit litteras regibus & ducibus, archiepiſcopis & univerſis principibus Chriſtianis, hortando ipſos, ut contra rabiem Tartarorum conſiliis & armis ſe præmunire deberent: *atque (ut habent Urbani IV. litteræ ad archiepiſcopum Nidroſienſem, relatæ a Raynaldo ad annum MCCLXII. num. 29 & deinceps)* quæ & qualia ſubventionis auxilia particulariter ob hoc indici deberent cleris & populis Chriſtianis,

Has deliberationes in conciliis haberi pontifex juſſerat, ut docent Siffridus presbyter, & Matthæus Weſtmonaſterienſis. Matthæi verba partim allata ſunt ad Lambethenſe concilium, partim mox afferentur ad alia duo concilia Britannica: Siffridi vero teſtimonium ad Moguntinum ejuſdem anni concilium.

CONCILIA DUO BRITANNICA

Londinense et Beverlacense.

Adverſus Tartarorum incurſiones ann. MCCLXI.

M*Atthæus Weſtmonaſterienſis, ad an. MCCLXI.* Menſe, *inquit*, Maii, ſummonitis omnibus Angliæ prælatis, ſcilicet archiepiſcopis, epiſcopis, & abbatibus, tam exemptis, quam non exemptis, prioribus, archidiaconis, & aliis eccleſiarum ordinariis, ut ſcilicet, auditis domini papæ mandatis, certis eidem ſatisfacerent in reſponſis: die Lunæ ante feſtum S. Dunſtani convenerunt omnes auſtrales Londini coram archiepiſcopo Cantuariæ Bartholomæo, & prædicto fratre Guillelmo * nuncio domini papæ. Die vero Lunæ ſequente, aquilonares apud Beverley coram archiepiſcopo Eboracenſi negotium idem exequentes. Celebratoque hinc inde concilio ſuper prædictis articulis, ſtatuta tunc quædam nova prodiverunt hic & ibi ſuper ſtatum eccleſiæ Anglicanæ: quæ, una cum aliis quondam apud * Oxoniam proviſis, ſtatuerunt cuſtodiri.

Londinenſe. 16. Maii.

* *Corr.* Galthero, *ut ex ſuperioribus conſtat.*

Eboracenſe. 23. Maji.

* an. 1221.

Super his autem & aliis, maxime ad reſiſtendum Tartaris, communiter proviſis, nuncios diſcretos & generales providerunt Romam dirigere, qui communi eorum burſa victuri, dominum papam poſſent ſuper eorum reſponſis in concilio Romæ celebrando certificare. Hi, ut communiter dicitur, juraverunt coram prædictis epiſcopis, quod nihil contra ipſos procurabunt, aut patientur pertranſire: ſed contra religioſos, & maxime exemptos, ſtudebunt contendere. Unde ipſi exempti, omnibus aliis certa reſponſa donantibus, ita tunc una voce reſponderunt; Vos pro vobis tantum, & contra nos, legatos mittitis ad curiam, & ad hoc nos cogitis vobis contribuere. Si nuncios velitis generales pro communi noſtrum utilitate tranſmittere, vobiſcum libenter contribuemus; ſin autem, non conſentimus. Quo audito epiſcopi ſuam exinde ſumpſerunt excuſationem, reſcribentes papæ, ſe propter diviſionem exemptorum certam dare non poſſe reſponſionem. Ipſi igitur exempti timentes, nuncios poſt ipſos certius deſtinarunt ſpeciales, qui contra prædictos procurarent, aut eorum contradicendo annullarent impetrationes. *Hactenus Weſtmonaſterienſis.*

CONCILIUM MOGUNTINUM

De resistendo Tartarorum

Incurſionibus, anno Domini MCCLXI.

C*Um celebrata ſint, uti modo diximus, ubique hoc anno concilia: Moguntini nominatim extat mentio in Siffridi presbyteri epitome.* Anno, *inquit*, MCCLXI. celebrata ſunt concilia, in Moguntia ab archiepiſcopo Wernero, & alias ab aliis archiepiſcopis, jubente papa Alexandro, contra Tartaros & alia pericula: ut per verbum crucis & orationes fidelium, inimicis eccleſiæ reſiſteretur. *Hoc tantum Siffridus.*

VI-

VITA URBANI PAPÆ IV.

URBANUS quartus, cui Jacobi Pantaleonis nomen fuerat, Trecis in Gallia oriundus, patriarcha Hierosolymitanus, Viterbii in Tuscia, ubi tunc propter tyrannidem Manfredi regis Siciliæ, & potentiam Gibellinorum ecclesiam persequentium Romana curia erat, diuque permansit, absens electus est pontifex anno Redemptoris 1261. regnante Richardo Cornubiæ comite, & regis Angliæ fratre. Ut securior a malevolorum insidiis esset, Orvietum se recepit: eumque nulla ratione a Manfredi potentia & tyrannide sese defendere posset, in extrema rerum calamitate definivit, ut auxiliares copiæ, quæ ut in Asiam trajicerentur delectæ erant, e Gallliis advocarentur; quæ, accepta a pontifice benedictione, omnem Manfredi exercitum ex Saracenis conflatum deleverunt. Eo tempore Romani debitam obedientiam pontifici nullam præstabant: verum magistratum suo genio & voluptati deservientem pro libito sibi deligebant. Quem sui contemptum Urbanus ex eo procedere videns, quod omnem suam authoritatem a Manfredi iniquitate & injuriis depressam & obscuratam viderent: concilio Orvieti habito conclusum est, ut Carolus Andegaviæ comes, Franciæ regis frater, in Italiam cum titulo regni Neapolitani advocaretur. Et quamquam ad eam legationem perficiendam cardinalis missus esset: nihil tamen ejus rei, nisi subsequentis pontificis tempore, executionem suam sortitum est. Hoc unum post hominum memoriam celeberrimum ad posteros transmisit, quod suo tempore augustissimi ac simul sacratissimi corporis Domini nostri Jesu Christi celebritatem instituerit, idque ad hæresim contrariam verbo simul & facto impugnandam, quæ his temporibus venerabili sacramento debitum cultum indebite adimebat. Fueritne pontifex ad hanc festivitatem instituendam religiosæ cujusdam mulieris instructu ac revelatione, ut asserit Molanus, vel potius miraculosa sanguinis effluxione, quod scribit Tempesta, commotus, aliorum esto judicium. Porro tantæ celebritatis sanctissimi corporis Christi officium, quamquam eiisdem temporibus cura Julianæ editum esset, ac magnorum theologorum calculo approbatum: divus tamen Thomas ab Aquino ad id perfectius præstandum authoritate apostolica delectus fuit. In quo, ut in ceteris, suo munere adeo affabre functus est, ut Divina censura opus ab eo de ea re compositum approbari meruerit. Nam cum ante Crucifixum provolutus intentius oraret, vocem, nemine comparente, audivit: Bene scripsisti de me Thoma. Et in eo profecto ampliorem laudis cumulum jure sibi vindicare posset, quam ut hic anguste & jejune memoretur. Ut vero ad Urbanum redeamus, postquam urbem Orvietum præclaris ædificiis tam privatis quam publicis exornasset, Perusii ad vitæ periodum perductus obiit, sexto nonas Octobris, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, cum pontificatum tribus annis & triginta quatuor diebus administrasset. Sedes ejus morte quinque mensibus vacavit. Eodem tempore floruit Albertus, cognomento Magnus, insigni laude ob eximiam eruditionem merito dignissimus, quippe cujus magisterio divum Thomam doctorem angelicum ad multorum institutionem accepimus.

EPISTOLA I.

URBANI PAPÆ IV.

AD EVAM RECLUSAM

S. MARTINI LEODIENSIS.

DE FESTO CORPORIS CHRISTI.

Urbanus episcopus dilectæ in Christo filiæ Evæ reclusæ sancti Martini Leodiensis salutem & apostolicam benedictionem.

SCIMUS, o filia, quod magno desiderio desideravit anima tua, ut solenne festum sacratissimi corporis Domini nostri Jesu Christi institueretur in ecclesia Dei, a Christi fidelibus perpetuis temporibus celebrandum: & ideo tibi significamus ad gaudium, quod nos ad corroborationem catholicæ fidei digne duximus statuendum, ut de tam mirabili sacramento, præter quotidianam commemorationem, quam de ipso facit ecclesia, specialior & solennior memoria celebretur: ad hoc diem designantes certum, ut in eo turbæ fidelium propter hoc affectuose ad ecclesias concurrant, sitque dies ille universis Christicolis nova festivitate jucundus, & ampla jucunditate festivus, prout in litteris apostolicis, quas per universum orbem dirigimus, plenius continetur. Et scias quod nos hujusmodi festum cum omnibus archiepiscopis, episcopis, ceterisque ecclesiarum prælatis tunc apud sedem apostolicam commorantibus, ad hoc ut videntibus & audientibus de tanti festi celebritate salubre præberetur exemplum, duximus celebrandum. Magnificet igitur anima tua Dominum, & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Quia viderunt jam oculi tui salutare tuum, quod paravimus ante faciem omnium populorum. Lætare insuper, quia omnipotens Deus tribuit tibi desiderium cordis tui, & voluntate labiorum tuorum non fraudavit te cœlestis gratiæ plenitudo.

Et quia quaternum, in quo ipsius festi habetur officium, tibi sub bulla nostra per latorem præsentium destinamus, volumus, & per apostolica scripta tibi mandamus, quatenus quaternum ipsum cum devotione recipias, & ejus copiam personis illam petentibus exhibeas liberaliter & libenter: & instes devotis precibus apud illum, qui memoriale tam salutiferum de seipso reliquit in terris, ut nobis ex alto tribuat gratiam, commissam nostro regimini ecclesiam suam regendi utiliter, ad laudem

dem & gloriam sui nominis, & salubriter gubernandi.

ANNO CHRISTI 1261. Datum apud Urbem veterem sexto Idus Septembris, pontificatus nostri anno quarto.

II. AD OMNES PRÆLATOS.

De eodem.

Urbanus episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, salutem & apostolicam benedictionem.

TRansiturus de hoc mundo ad patrem salvator noster dominus Jesus Christus, cum tempus suæ passionis, instaret, sumpta cœna in memoriam mortis suæ, instituit summum & magnificum sui corporis & sanguinis sacramentum, corpus in cibum, & sanguinem in poculum tribuendo. Nam quotiens hunc panem manducamus, & calicem bibimus, mortem Domini annunciamus. In institutione quidem hujus sacramenti dixit ipse apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*: ut præcipuum & insigne memoriale sui amoris eximii, quo nos dilexit, esset nobis hoc præcelsum & venerabile sacramentum: memoriale, inquam, mirabile ac stupendum, delectabile, suave, tutissimum, ac super omnia pretiosum, in quo innovata sunt signa, & mirabilia immutata; in quo habetur omne delectamentum, & omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur; in quo utique vitæ suffragium consequimur & salutis. Hoc est memoriale dulcissimum, memoriale salvificum, in quo gratam redemptionis nostræ recensemus memoriam, in quo a malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementa, in quo profecto proficimus ipsius corporali præsentia Salvatoris. Alia namque, quorum memoriam agimus, spiritu menteque complectimur; sed non propter hoc realem eorum præsentiam obtinemus. In hac vero sacramentali Christi commemoratione Jesus Christus præsens, sub alia quidem forma, in propria vero substantia est nobiscum. Ascensurus enim in cœlum dixit apostolis & eorum sequacibus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: benigna ipsos promissione confortans, quod remaneret & esset cum eis etiam præsentia corporali. O digna & nunquam intermittenda memoria, in qua mortem nostram recolimus mortuam, nostrumque interitum interiisse, ac lignum vivificum ligno crucis affixum fructum nobis attulisse salutis! Hæc est commemoratio glorioſa, quæ fidelium animos replet gaudio salutari, & cum infusione lætitiæ, devotionis lacrimas subministrat: exultamus nimirum, nostram memorando liberationem; & recolendo passionem Dominicam, per quam liberati sumus, vix lacrymas continemus. In hac itaque sacratissima commemoratione adsunt nobis suavitatis gaudium simul & lacrymæ; quia & in ea congaudemus lacrymantes, & lacrymamur devote gaudentes, lætas habendo lacrymas, & lætitiam lacrymantem, nam & cor ingenti perfusum gaudio dulces per oculos stillat guttas. O Divini amoris immensitas, Divinæ pietatis superabundantia, Divinæ affluentia largitatis! Dedit enim nobis Dominus omnia, quæ subjecit sub pedibus nostris, & super universas terræ creaturas contulit nobis dominii principatum. Ex * ministris etiam spirituum superiorum nobilitat & sublimat hominis dignitatem. Administratorii namque sunt omnes in ministerium, propter eos qui hæreditatem salutis capiunt, destinati. Et cum tam copiosa fuerit erga nos ejus munificentia, volens adhuc ipse nobis suam exuberantem caritatem præcipua liberalitate monstrare: semetipsum nobis exhibuit, & transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, attribuit se in cibum. O singularis & admiranda liberalitas, ubi donator venit in donum, & datum est idem penitus cum datore! Quam larga & prodiga largitas, cum tribuit quis seipsum. Dedit igitur nobis se in pabulum, ut quia per * mortem homo corruerat, & per cibum ipse relevetur ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni mortiferum, relevatus est homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit esca mortis, in isto pependit vitæ alimentum. Illius esus meruit læsionem, istius gustus intulit sanitatem. Gustus fauciavit, & gustus sanavit. Vide quia unde vulnus est ortum, prodiit & medela: & unde mors subiit, exinde vita evenit. De illo siquidem gustu dicitur. *Quacumque die comederis, morte morieris*. De isto vero loquitur: *Si quis comederit ex hoc pane, vivet in æternum*. Hic est cibus qui plene reficit, vere nutrit, summeque impinguat, non corpus, sed cor; non carnem, sed escam; non ventrem, sed mentem, Homini ergo, qui spirituali alimonia indigebat, Salvator ipse misericors, de nobiliori & potentiori hujus mundi alimento, pro animæ refectione pia dispositione providit, Decens quoque liberalitas extitit, & conveniens operatio pietatis, & * verbum Dei æternum, quod rationabilis creaturæ cibus est & refectio, factum caro, se rationabili creaturæ carni & corpori, homo * videlicet, in edulium largiretur. Panem enim angelorum manducavit homo: & ideo Salvator ait: *Caro mea vere est cibus*. Hic panis sumitur, sed vere non consumitur; manducatur, sed non transmutatur, quia in edentem minime transformatur: sed si digne recipitur, sibi recipiens conformatur. O excellentissimum sacramentum, o adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum obsequiis, & sinceris mentibus retinendum! O memoriale nobilissimum intimis commendandum præcordiis, firmiter animo alligandum, diligenter reservandum in cordis utero & meditatione, ac celebritate sedula recensendum! Hujus memorialis continuam debemus celebrare memoriam, ut illius, cujus ipsum fore memoriale cognoscimus, semper memores existamus: quia cujus donum vel munus frequentius aspicitur, hujus memoria strictius retinetur. Licet igitur hoc memoriale sacramentum in quotidianis Missarum solenniis frequentetur, conveniens tamen arbitramur & dignum, ut de ipso semel saltem in anno, ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam & insaniam, memoria solennior & celebrior habeatur. In die namque cœnæ Domini, quo die ipse Christus hoc instituit sacramentum, universalis ecclesia pro pœnitentium reconciliatione, sacri confectione chrismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum, & aliis, quamplurimum occupata, plene vacare non potest celebrationi hujus maximi sacramenti. Hoc enim circa sanctos, quos

ANNO CHRIST 1261.

* Forte, ministeriis.

* Forte, bum. H.

* Corr.

* for. h mini.

1 Cor. 11.

Matth. 28.

Ibid.

quos per anni circulum veneramur, ipsa ob- A
servat ecclesia, ut quamvis in litanniis & Mis-
sis, ac aliis etiam, ipsorum memoriam sæpius
renovemus; nihilo minus tamen ipsorum nata-
litia certis diebus per annum solennius reco-
lat, festa propter hoc eisdem diebus specialia
celebrando. Et quia in his festis circa solenni-
tatis debitum, aliquid per negligentiam, aut
rei familiaris occupationem, aut alias ex hu-
mana fragilitate omittitur: statuit ipsa mater
ecclesia certum diem, in qua generaliter om-
nium sanctorum commemoratio fieret, ut in
hac ipsorum celebratione communi, quidquid
in propriis ipsorum festivitatibus omissum exi-
steret, solveretur. Potissime igitur exequendum
est erga hoc vivificum sacramentum corporis & B
sanguinis Jesu Christi, qui est sanctorum om-
nium gloria & corona, ut festivitate ac cele-
britate præfulgeat speciali; quatenus in eo,
quod in aliis Missarum officiis circa solennita-
tem est forsitan prætermissum, devota diligentia
suppleatur; & fideles, festivitate ipsa instante,
intra se præterita memorantes, id quod in ipsis
Missarum solenniis, sæcularibus forsan agendis
impliciti, aut alias ex negligentia vel fragilita-
te humana, minus plene gesserunt, tunc at-
tente in humilitate spiritus & animi puritate
restaurent. Intelleximus autem olim, dum in
minori essemus officio constituti, quod fuerat
quibusdam catholicis divinitus revelatum, fe-
stum hujusmodi generaliter in ecclesia celebran- C
dum. Nos itaque ad corroborationem & exal-
tationem catholicæ fidei, digne ac rationabili-
ter duximus statuendum, ut de tanto sacra-
mento, præter quotidianam memoriam, quam
de ipso facit ecclesia, solennior & specialior
annuatim memoria celebretur, certum ad hoc
designantes, & describentes diem, videlicet fe-
riam quintam proximam post octavam Pente-
costes, ut in ipsa quinta feria devotæ turbæ
fidelium propter hoc ad ecclesias affectuose con-
currant, & tam clerici quam populi gaudentes
in cantica laudum surgant. Tunc enim om-
nium corda & vota, ora & labia, hymnos
persolvant lætitiæ salutaris: tunc psallat fides,
spes tripudiet, exultet caritas, devotio plaudat, D
jubilet chorus, puritas jucundetur. Tunc sin-
guli alacri animo pronaque voluntate conve-
niant sua studia laudabiliter exequendo, tanti
festi solennitatem celebrantes. Et utinam ad
Christi servitium, sic ejus fideles ardor inflam-
met, ut per hæc & alia, proficientibus ipsis
meritorum cumulis, apud eum qui sese dedit
pro eis in pretium, tribuitque se ipsis in pa-
bulum, tandem post hujus vitæ decursum eis
se in præmium largiatur. Ideoque universita-
tem vestram monemus & hortamur in Domi-
no, & per apostolica scripta in virtute sanctæ
obedientiæ districte præcipiendo mandamus, in
remissionem peccatorum injungentes: quatenus
tam excelsum & tam glorioſum festum, præ-
dicta quinta feria, singulis annis, devote & so-
lenniter celebretis, & faciatis studiose per uni-
versas ecclesias civitatum vestrarum & diœce-
sum celebrari, subditos vestros in Dominica
dictam quintam feriam proxime præcedente,
salutaribus monitis solicite per vos & per alios
exhortantes, ut per veram & puram confes-
sionem, eleemosynarum largitionem, attentas
& sedulas orationes, & alia devotionis & pie-
tatis opera taliter se studeant præparare, quod
hujus pretiosissimi sacramenti mereantur fieri
participes illa die, possintque ipsum suscipere
reverenter, ac ejus virtute augmentum conse-
qui gratiarum. Nos enim Christi fideles ad co-
lendum tantum festum & celebrandum donis
volentes spiritualibus animare, omnibus vere
pœnitentibus & confessis, qui matutinali offi-
cio festi ejusdem in ecclesia, in qua idem ce-
lebrabitur, interfuerint, centum; qui vero
Missæ, totidem; qui autem in primis ipsius
festi vesperis interfuerint, similiter centum;
qui vero in secundis, totidem; illis vero qui
primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, ac completorii
officiis interfuerint, pro qualibet horarum ip-
sarum, quadraginta; illis autem qui per octa-
vas illius festi matutinalibus, vespertinis, Mis-
sæ ac prædictarum horarum officiis interfue-
rint, centum dies, singulis octavarum suarum
diebus, in omnipotentis Dei misericordia, ac
beatorum apostolorum ejus Petri & Pauli au-
thoritate confisi, de injunctis sibi pœnitentiis
relaxamus. Datum, &c.

ANNO CHRISTI 1261.

D Ejusdem pontificis epistolæ quædam extant tomo V. hi-
stor. Franc. Ducheſnii pag. 418. & sequ. tum pag. 864. &
seq. Multæ etiam apud annalium ecclesiasticorum scrip-
tores.

CONCILIUM PROVINCIALE MOGUNTINUM

A WERNHERO, MOGUNTINENSI ARCHIEPISCOPO CELEBRATUM.

ANNO MCCLXI.

CANONES LIV.

I. *De Hæreticis.*

EXcommunicamus ante omnia, & anathe-
matizamus universos hæreticos, quibuscun-
que nominibus censeantur; facies quidem ha-
bentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, qui de vanitate convinciunt in idipsum, damnati vero per Ecclesiam, sæculari judicio relinquuntur animadversione debita puniendi. E Clericis vero a suis ordinibus degradandis..... de ipsis hæreticis, postquam manifeste deprehensi fuerint, vel convicti, ad emendationem redire voluerint, ad agendam condignam pœnitentiam in .... carcere recludentur. Cleditores quoque ipsos, quos similiter .... receptores, defensores, fautores excommunicationi eorum decernimus subjacere firmiter statuentes, ut Episcopi per Diœceses suas diligentius ..... ad exterminandam hæreticam pravitatem servatis circa ipsos hæreticos, & bona ipsorum Romanorum Pontificum, & Im-

pe-

perialibus constitutionibus, nec non & statutis Concilii Moguntini novissime celebrati.

ANNO CHRISTI 1261.

II. *De vita, & honestate Clericorum.*

Clerici officia, vel commercia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta; tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti: choreis, & publicis spectaculis non interfint: coronam, & tonsuram habeant competentem, ad quod per prælatos suos per subtractionem officii, vel beneficii compellantur, & si Prælati ipsorum in his desides fuerint, & remissi, per Episcopum suum, vel Metropolitanum, si Episcopus negligens fuerit, a suis dignitatibus suspendantur; & ut Clericorum mores & actus in melius reformentur, continenter & caste vivere studeant universi, præsertim in sacris ordinibus constituti, quatenus in conspectu Omnipotentis Dei puro corde, & mundo corpore valeant ministrare: quicumque autem propter vitium incontinentiæ a Prælato suo suspensus, præsumpserit celebrare Divina, non solum Ecclesiasticis beneficiis spolietur, verum etiam pro duplici culpa perpetuo deponatur; nec credat aliquis, posse per alium cum talibus celebrantibus, nisi per Romanum Pontificem dispensari.

III. *Ut Sacramenta reverenter ministrentur.*

Et ut Sacramenta Ecclesiæ mundius & reverentius ministrentur, priori Concilio inhærentes, statuimus: ut Sacerdotes Baptismum, Oleum infirmorum, seu viaticum, camisiis ministrantes albis, vel superpelliciis sint induti, quæ penes altare reserventur, & in eundo, redeundo, cum infirmos visitant, pariter & in Missa eis utantur.

IV. *De Baptismo.*

Baptismus cum reverentia summa celebretur, maxime in distinctione & prolatione verborum, in quibus Sacramenti virtus consistit, iis scilicet: *Ego Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Doceant Sacerdotes tam mares, quam fœminas in necessitate debere parvulos baptizare, eadem forma in suo idiomate, & quod patres, & matres proprios infantes, si summa necessitas exigat, poterunt baptizare, & si Sacerdotes super hoc requirentes diligentius, debitam formam in Baptismate servatam invenerint, quod factum est, approbent, supplentes etiam baptizatum, quoad unctionem olei in pectore, & in scapulis, & Crismatis in vertice, quod a laicis est obmissum: si autem in Baptismate debitam formam non invenerint observatam, non differant baptizare. Tres ad suscipiendum de sacro fonte puerum, propter impedimenta Matrimonii, admittantur. Item statuimus, ut in cunctis Ecclesiis Baptisma, Chrisma, Oleum, & Eucharistia sub fideli custodia, clavibus adhibitis, conserventur: ne possit ad illa temeraria manus extendi. Palla quoque Altaris, corporalia & vestimenta ministrorum munda & nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum negligere in sacris, quæ deceant in prophanis.

V. *De Infirmis,*

ANNO CHRISTI 1261.

Diaconi vel inferioris ordinis Clerici, ad infirmos Eucharistiam deferræ non audeant, nisi Sacerdotis absentia, vel alia necessitas hoc exposcat.

VI.

Sacerdos vero quilibet plebem suam doceat diligenter, ut cum in celebratione missarum elevatur hostia salutaris, quilibet devote flectat genua sua, vel saltem se reverenter inclinet, idem faciens cum eam portat Presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu super posito velamine, ferat manifeste, ac honorifice ante pectus cum omni reverentia, & honore, atque timore: semper nota parvula, lumine, nisi locorum repugnet distantia, vel temporis qualitas, præcedente, ut ex hoc apud homines fides, & devotio augeatur.

VII.

Et quia plerumque infirmus sua confiteri peccata propter multorum præsentiam erubescit, id a Sacerdotibus districte præcipimus observari, ut prius familiariter, & secrete audiant confessionem ipsius, si moræ periculum non obsistat & postea ad eum Eucharistiam more deferat prætaxato.

VIII. *De Pœnitentia.*

In Confessionibus audiendis maximam adhibeant diligentiam Sacerdotes, ita ut a pœnitente usitata peccata sigillatim & communia, inusitata vero tantum per quasdam circumstantias caute perquirant; ne inexpertis detur materia, quod ante nescierant perpetrandi. In eminentiori loco Ecclesiæ sedeant, ut suspicione careant, dum confessiones audiunt & patienter in spiritu lenitatis audiant consistentem.

In satisfactionibus injungendis majoribus majora reservent, sicut horrenda sacrilegia, peccatum contra naturam, incestus virginum, injectiones manuum in parentes, & fractiones votorum, & hujusmodi; caveat autem omnino sacerdos ne verbo, aut signo, aut aliquo modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentiorum consilio indigeret, absque omni expressione personæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum, a sacerdotali officio deponendum decernimus; verum & ad agendam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum. Verum quia quidam Confessorum, etsi peccatum confitentis non exprimant circumlocutionibus tamen confitentium, & peccati circumstantias, sub quædam generalitatis vocabula indirecte publicant confitentem; concilium proxime celebratum clarius elucidando, statuimus: ut nullus Sacerdos expressa religione, ordine, seu statu, alicujus peccatum recitet confitentis, imo nec peccati qualitas, locus, seu vicinia perpetrati facinoris specificetur ullo modo, cum ex hujusmodi circumlocutionibus, & indiciis, auditoris industria peccatum interdum eliciat peccatoris, & ex specificatione peccati fragilitas ad perpetrandum similia forsitan provocetur. Sciat autem tria peccata quæ in satisfactionibus injungendis sunt

Do-

☞ Domino Apoſtolico reſervanda, ſcilicet in Cle-
ricos, vel in quoſcumque religioſos injectio ma-
NO nuum violenta, Eccleſiarum vel religioſorum
ISTI locorum incendia, & ſimonia in ordine perpe-
61. trata: in aliis vero peccatis minoribus ſecun-
dum quantitatem culpæ, & confitentis poſſibi-
litatem, & ſatisfactionem temperent Sacer-
dotes.

In furto, uſura, rapina, & fraude, ante omnia injungant pœnitentibus, ut ſi poſſint, ablata reſtituant; alias nulla valebit eis ſatisfactio ad ſalutem, cum non dimittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

Prohibemus etiam ne quis Sacerdos ab uno ſibi confitente de aliorum peccatis, nominibus expreſſis inquirat, & ne Miſſas, quas pœ- B nitentibus procurandas injunxit, ipſemet celebrare præſumat, & ne pro vivis fiat aliquod tricennale, vel annuale; quia reconciliationis Myſterium vilipenditur a pleriſque, eo quod ad reconciliationem paſſim quilibet admittatur, diſtricte præcipimus: ne quiſquam ad reconciliationis beneficium de cætero admittatur, niſi litteras Plebani ſui, vel Sacerdotis exhibeat, continentes utrum pœnitentiam ſibi injunctam, vel ſaltem partem ejus peregerit, vel utrum vere pœnitens videatur: nec ad reconciliationem recipiantur aliqui, niſi veſtem & tonſuram habeant ſolemniter pœnitentis & ex his utrum vere, vel perfecte pœniteant cognoſcantur.

IX. *De Sepulturis.*

Sacro etiam approbante Concilio, univerſos Sacerdotes eccleſiarum Parochialium, vel Capellarum Miniſtros excommunicationi decernimus ſubjacere, quicumque alicui de plebe ſua, ſive in vita, ſive in morte, directe, vel indirecte perſuadere præſumpſerit, ne in Eccleſiis Conventualibus, vel aliis locis magis religioſis, ſibi eligat ſepulturam, cum talis perſuaſio Sacris Canonibus contradicat, & de avaritiæ radice procedat.

X. *De Matrimonio.*

Matrimonium, ſecundum quod Concilio noviſſime celebrato ſtatuimus, cum omni reverentia, & honore in conſpectu Eccleſiæ celebretur; & cum Matrimonium fuerit contrahendum, per Præsbyteros in Eccleſiis tribus diebus Dominicis aut feſtivis a ſe diſtantibus publice proponatur, ut ſi quidem impedimentum Matrimonii contrahendi noverint aliqui, illud infra terminum competentem ab ipſis Præsbiteris præfigendum, in facie Eccleſiæ, ſine difficultate revelent; excommunicationis quoque ſententia in genere proferatur in omnes hujuſmodi impedimentum celantes, a qua ſine ſatisfactione debita, nullatenus abſolvantur: & ſi qui tempore hujuſmodi denunciationis præ- E ſentes fuerunt, & impedimentum celaverint, poſtmodum nec ad excuſationem, nec ad teſtimonium contra ipſum Matrimonium admittantur.

XI. *Ut epiſcopi Verbum Dei proponant.*

Antiquum ſtatutum Moguntini Concilii renovantes, præcipimus: ut Epiſcopi ſummis Feſtivitatibus populo Verbum Dei proponant, vel ſe præſentibus, per alios ad hoc idoneos proponi faciant, indulgentiam populo, Miſſamque

A in eiſdem Feſtivitatibus in Eccleſiis Cathedralibus celebrent, niſi magna neceſſitate fuerint impediti. ANNO CHRISTI 1261.

XII. *De cura animarum.*

Prohibemus inſuper, ne Epiſcopi vel Archidiaconi cuiquam curam animarum permittant, niſi ſaltem quartum decimum ætatis ſuæ annum peregerit, & ad hoc ipſum ſine diſpenſatione Epiſcopi ex juſta cauſa, & neceſſitate præcedente, nullatenus admittatur, aliter inveſtitura non valeat. Prohibemus inſuper, ne illiteratis, & in minoribus ordinibus conſtitutis, animarum Regimen committatur: huic etiam B adjicimus ſanctioni, ne quemquam inveſtiant loco . . . . . præſentatum. Epiſcopus autem, ſi contra fecerit ab ingreſſu Eccleſiæ, Archidiaconus vero ab officio hujuſmodi facti auctoritate Concilii ſit ipſo facto ſuſpenſus, quæ ſuſpenſio citra ſatisfactionem debitam minime relaxetur.

Si quis vero Clericus Epiſcopo ſuo vel Archidiacono ſe offerat, tanquam nomine proprio præſentatus . . . . . ab officio ſimiliter ſit ipſo jure ſuſpenſus, & ſi convictus fuerit, Prælato ſuo taliter illuſiſſe, omnibus beneficiis per Epiſcopum ſuum, ſine reſtitutionis ſpe, in perpetuum ſpolietur.

C XIII, *Ne clerici vel Monachi colligationes faciant.*

Excommunicamus præterea Clericos, Monachos, & Canonicos univerſos, qui colligationes ſive confæderationes fecerint, vel fidei, vel juramenti interpoſita cautione, ſive in electionibus faciendis, ſive pro aliis quibuſcumque negotiis, contra canonicas ſanctiones; cum ex his colligationibus ſuboriantur diſcordiæ, quæ Eccleſiaſticam diſciplinam, bona Eccleſiarum diſſipant, & pericula procurant animarum; volentes ex fœderatione hujuſmodi neminem obligari. Eadem quoque excommunicationis ſententia innodamus eos, qui conjurationes ſive D confœderationes tales fecerint, ſine difficultate & dilatatione qualibet, quouſque invicem ſe abſolvant; & quicumque detecti fuerint confœderationes hujuſmodi acceptare, ſi Monachi, vel Canonici fuerint, regulariter de ſuis monaſteriis tamquam membra putrida excludantur: Si Clerici ſæculares, officiis & beneficiis in perpetuum ſpolientur.

XIV. *De fundatione Eccleſiarum.*

Prohibemus etiam, ne religioſi, vel alii quilibet, Eccleſias de novo fundare, & fundatas transferre ſine Epiſcopi diœceſani licentia, & ſine Primarii lapidis benedictione, præſumant: E aliter fundata Eccleſia diruatur, & is, qui fundavit, ſi Clericus exiſtat, vel Monachus ab officio ſuſpendatur; alia pœna nihilominus juxta Superioris arbitrium puniendus: Si laicus fuerit, uſque ad ſatisfactionem condignam excommunicationis vinculis innodetur.

XV. *De Altaribus.*

Altaria ſuperflua per Eccleſias Parochiales omnino tollantur, cum ſingulis Eccleſiis, non Conventualibus, ad plus tria ſufficiant; nec altare aliquod de novo fiat, niſi Epiſcopo per-

☞ mittente, ac tantum eidem altari in proventibus assignetur, ut saltem lumina habeat competentia.

ANNO CHRISTI 1261.

Hujus præsentis auctoritate Concilii declarantes: quod Episcopus primarium lapidem benedicere, & in fundamento locare, in persona propria teneatur nec benedictionem lapidis, seu positionem ejusdem debeat alii, quam Episcopo, demandare.

XVI. *De Jure Patronatus.*

Ad omnem quoque dubitationis, seu quæstionis materiam amputandam statuimus: ut si quis prædium suum, cui jus attinet patronatus, cuiquam obligaverit indistincte, jus præsentandi apud ipsum obligantem resideat, cum tale jus æstimari non possit, & quod in sortem nequeat computari, cum semper fructus rei pignoratæ in sortem debeant computari juxta canonicas, & legitimas sanctiones. Renovantes etiam Concilium quod noviſſime celebravimus, firmiter prohibemus: ne Episcopi, vel Archidiaconi concessionibus Ecclesiarum, quæ fiunt a Templariis, vel aliis Religiosis quibuslibet, approbationis consensum ullo modo adhibeant, nisi requisito prius, & habito consensu capituli Ecclesiæ Cathedralis, aliter concessiones hujusmodi, sive factas, sive de cætero faciendas, vires decernimus non habere.

XVII. *De Quæstuariis, & Clericis vagabundis.*

Quia per Prædicatores quæstuarios gravia plerumque scandala sunt exorta, sacra Concilii approbatione prohibemus districte: ne in Ecclesiis admittantur; Clerici vero, qui eos admittunt, ab officio, & beneficio, donec satisfaciant, suspendantur; si autem Episcopalis provisio aliquos Prædicatores hujusmodi, causa necessaria, in sua Dioceſi duxerit admittendos, non permittantur aliquatenus, cum per vicos transeunt, pulsare campanas, aut præsentare Reliquias, vel in Ecclesiis prædicare, sed Sacerdotes, pro illis loquantur causam adventus ipsorum, Episcopi Diœcesani litteras, sine quibus admitti non debent, populo breviter exponendo.

Et quia plerique falsarii se litteris, Apostolicis, & aliorum Prælatorum testimoniis, asserunt esse munitos, hoc Sanctum decrevit Concilium, ne tales, qualiacunque scripta deferant, a Clericis, vel quibuslibet aliis personis Ecclesiasticis recipiantur in Ecclesiis, vel in Domo, nisi prius ipsorum literæ per Episcopum Diœcesanum, si copia possit haberi ejus, alioquin per Capitulum Ecclesiæ cathedralis, examinatæ fuerint diligenter, & nisi Episcopi, vel Capituli literis testimonialibus sint muniti & hoc ideo, quia per Sacerdotes simplices non potest de facili literarum veritas, vel falsitas indagari. Sane quæcumque persona Ecclesiastica citra hanc formam tales receperit, ipso jure ab officio & beneficio per triennium sit suspensa, alia pœna nihilominus juxta superioris arbitrium punienda. Illud quoque, præsentis auctoritate Concilii, huic Capitulo duximus annectendum, ut si tales sine dictis literis testimonialibus petitiones suas præsumpserint promovere, Plebani civitatum, & villarum, ac alii, ad quos venerint, eos cum rebus eorum per sæculare judicium, si alias detineri non possint, non dubitent occupare, A Diœcesano, seu Archidiacono, præsentandos.

ANNO CHRISTI 1261.

Clerici, & vagabundi, quos vulgus Eberhardinos vocat quorum vita Deo odibilis, etiam Laicos scandalizat, priori inhærentes Concilio, a Clericis vel personis Ecclesiasticis recipi prohibemus, firmiter statuentes: ne aliquid dent iisdem: nolumus tamen, ut hujusmodi occasione statuti Concilii, vel Scholares pauperes, quos quando justa eos necessitas peregrinari compellit, a caritatis operibus excludantur: dummodo tanquam pauperes eleemosynam & hospitium sibi postulent intuitu Divinæ remunerationis impendi, cum necessitatis tempore, sine personarum delectu, omnibus sit eleemosyna impendenda; adjicientes: quod *Eberhardini* præfati qui vitam ducunt reprobam, & infamem, ne ad Sacros Ordines vel Ecclesiastica Beneficia, ut nostrum non vituperetur Ministerium, aliquatenus admittantur; nisi per longam morum emendationem ac honestam vitæ conversationem, Diœcesani judicio moderandam, temporis anteacti inventi fuerint infamiam expiasse, & tunc dispensative ad Sacros ordines & Ecclesiastica Beneficia eis additus concedatur.

XVIII. *Ne Judices Ecclesiastici Sæcularibus se immiscent.*

Huic adjicimus sanctioni, prioris statuta Concilii sectantes: ne Prælati, vel quilibet Judices Ecclesiastici, de causis, quas laici habent ad invicem, se ullatenus intromittant, nisi tales sint causæ, quas ad forum Ecclesiasticum non sit dubium pertinere: ne ex hoc sæculare, quod est valde incongruum, enervetur.

XIX. *De bonorum Ecclesiasticorum administratoribus.*

Illud etiam statutum Concilii Moguntini innovamus: quo Præpositi, Archidiaconi, Ebdomadarii, seu quicumque administrationem fratrum extrinsecam exercentes, quantitate debita, & statuto tempore, stipendia sua fratribus administrent, alioquin competenti ammonitione præmissa, dum majori & saniori parti Capituli visum fuerit, auctoritate, Concilii, omni cessante favore, vel odio, fratres abstineant a Divinis, eo quod nemo cogitur suis stipendiis militare, & si Præpositi, vel alius administratot quilibet, post suspensionem hujusmodi Divinorum usque ad XIV. dies in pertinacia sua perstiterit, ex tunc ab administrationis officio sit ipso jure suspensus, passurus nihilominus correctiones alias approbatas; quæ administratio apud fratres usque ad satisfactionem condignam residebit, & si præpositi vel administratores alii dispensatione hujusmodi vilipensa, de administratione se intromiserint, per Episcopum suum gravius puniantur.

Prohibemus autem, ne unus Canonicus Divinum Officium valeat impedire, vices suas denegans propter præbendæ suæ defectum, sicut in quibusdam Ecclesiis fieri consuevit, cum satis ex priori statuto hujusmodi casibus sit provisum.

Interdicimus etiam prioris Concilii statuta sectantes, ne administratores hujusmodi, de rebus ad eorum administrationem pertinentibus, sine consensu majoris & sanioris partis Capituli, quidquam penitus alienare præsumant:

Ver-

☞ Verbo autem alienationis, donationis, venditionis, obligationis, permutationis, & Enphyteuseos, perpetuum contractum nolumus comprehendi, & si quid contra factum fuerit, irritum decernimus & inane. Foresta quoque nemorum secari non faciant sine fratrum consilio, & assensu, quod si fecerint, in usum fratrum pretium convertatur. Abbas vero vel Officialis cujuscumque Monasterii, si de rebus Ecclesiæ suæ quicquam citra formam Canonicam alienare præsumpserit, ipsum superior, cum id ei certis claruerit argumentis, a suo in continenti deponat officio, nec de cætero ad diligentiam aliquam, vel administrationem Ecclesiasticam, admittatur nisi secum sit per Episcopum loci misericorditer dispensatum; auctoritate præsentis Concilii decernentes: ut in mutuo contrahendo, nec non in obligatione immobilium Sacri Canones observentur, qui eos creditores tantum approbant, qui probant mutuum in utilitatem Ecclesiæ cessisse.

ANNO CHRISTI 1261.

XX. *De causis Matrimonialibus.*

Causas Matrimoniales nullus Sacerdos Archipresbyter vel Plebanus sine speciali mandato Episcopi audire præsumat, aliter ejus sententia, vel processus, nullam obtineat firmitatem, & ipse transgressor durissime puniatur.

XXI. *Prædam ne quis emat.*

Nullus etiam prædam aliquam scienter emere, vel tenere præsumat, alioquin, nisi ipsam restituat, excommunicationis sententia percellatur.

XXII. *De claustris Monialium.*

Claustra Monialium nullus Clericorum, vel etiam Monachorum, sine causa honesta & bono testimonio introeat, alioquin Prælatus suus ipsum debitæ subjiciet ultioni, neque Moniales de suis egrediantur Monasteriis, nisi Monasteriorum necessitas id exposcat, & velatæ incedant: illis autem tantum ob hanc causam liceat egredi, quibus administratio est commissa, vel quæ a superiori hoc acceperunt in mandatis: hæc quidem de illis monialibus, quæ clausæ sunt intelligi volumus, cum illis omnino exire non liceat: & non de illis, quæ sine clausura vitam consueverunt ducere laxiorem.

Statuimus insuper, ut in singulis Monasteriis fenestræ parlatoriæ duplicata habeant ferramenta, & ut Moniales suis Præpositis & Prælatis in rebus licitis & honestis obediant, nec cuiquam alii, præter earum Præpositi licentiam, sua confiteantur peccata: ipsi autem Præpositi nullo modo introeant, nisi magna & evidens necessitas id exposcat.

XXIII. *De Monachis & Monialibus, eorumque Abbatibus, seu Abbatissis.*

Compaternitatem a Monachis, vel Monialibus contrahi districte prohibemus, statuentes: ut si aliqua claustra Monialium ad inopiam tantam devenerint, quod ibi de proventibus Monasterii sustentari non possint, & ab amicis panis, vinum, denarii, vel alia hujusmodi transmittantur eisdem, non hæc prius recipiant, quam Abbatissæ, vel Magistræ suæ significaverint, ut ejus arbitrio, quid de hoc, quod missum est, fieri debeat, statuatur, & labores eorum veniant in commune, quod & de Monachis irrefragabiliter volumus observari.

Statuimus etiam, juxta concilium proxime celebratum, ut Monachi, & alii Religiosi quilibet alterius coloris vestibus quam eorum ordini congruat, non utantur, seu cottidianæ, seu pluviales, existant: Monasteria Sanctorum Augustini, & Benedicti, ad observationem suæ regulæ efficacius reformentur; prohibemus districte, ne quis Abbas vel Abbatissa duas habeat Abbatias, & nulli Monacho vel Moniali duo officia in Monasterio assignentur, nisi Abbatis providentia de consensu Capituli propter evidentem necessitatem vel utilitatem Monasterii aliter duxerit ordinandum.

Nullus Monachus in Abbatem, vel ad aliquod officium, nisi dudum professus fuerit, assumatur, & si qui jam aliter sunt assumpti a suis removeantur officiis, & alii substituantur eisdem, quod & de Monialibus decrevimus observandum, hoc priori Concilio in non professorum odium adjungentes, ut cum juxta decretum Pelagii, Abbas sit a Monachis eligendus, nullus omnino non professus, quantacumque temporis diuturnitate in Religione duraverit, ad electionem Abbatis nullatenus admittatur, nec ei valeat suffragari sive de facto, sive de consuetudine una cum ceteris Monachis ad alios tractatus Ecclesiæ antea sit admissus.

Novitii jam adulti, si post annum probationis, in manu Abbatis facere professionem recusaverint, de Monasterio expellantur, quod & de Monialibus observetur. Nullus Monachus, vel Monialis, in duobus Monasteriis locum habeat, vel præbendas; item quidquid Monachus, vel Monialis habeat, undecumque provenerit, suis apparare usibus non præsumat; sed totum in communes usus Monasterii redigat. Nullus Monachus, vel Monialis proprium quid habeat, & si proprium habuisse, in morte fuerint deprehensi, Ecclesiastica carebunt sepultura, & qui sepulti fuerint inde exhumentur. Si qui vero ipsorum ad mandatum sui Prælati propriis renuntiare noluerint, de Monasterio expellantur. Ludos alearum, chorearum, scacorum, taxillorum, annulorum, globorum, Monachis, & Monialibus prohibemus districte. Item Monachi, & Abbates, mantella, vel forcotos non portent, nec pannos de nigro bruneto, vel alios prætiosos, sed quanto possit haberi prætii vilius, juxta quod præcipit Regula eorumdem.

Abbates, & Abbatissæ in communi dormiant Dormitorio cum Monachis, & Monialibus suis, & in refectorio communi vescantur cibo, nisi quando justa necessitas propter magnos & honestos Hospites id minime observari compellat. Item tam Abbatibus, quam Monachis, vulpina pellicula, & de Kuniculis prohibemus, sed agninis tantummodo utantur. Item Monachi celceos, qui æstivales dicuntur, non habeant, sed alios suæ regulæ competentes. Item Abbates cappas rotundas ad modum Episcoporum in usu cottidiano non portent, sed cum manicis, ut ipsorum ordo postulat & requirit; nec ipsi, nec Monachi qui equitant mantella deferant super cappas, quæ clausas fore censemus. Hoc etiam statutum lucidius declarantes statuimus: ut tam Monachi, quam Abbates, in cappis nigris equitent & rotundis, vel in habitu usitato.

Insuper prohibemus districte: ne occasione qualibet Sæculares personæ domos, vel habitacula sua faciant juxta monasteria Monachorum quia frequenter ex hoc contra Monachos siniſtra suspicio est exorta, nisi forte aliter pro causa omni suspicione carente, id de consensu & auctoritate Diœcesani Episcopi permittatur. Abbas vero, qui contra hæc fieri consenserit, gravi subjaceat ultioni. Item. Abbas nullum Monachum alterius Monasterii, sine literis dimissoriis proprii Abbatis in suo Monasterio recipere, vel tenere præsumat. Item, Monachi carnibus in Refectorio non vescantur, nisi in Infirmaria, cum ægrotant. Item, quicunque Monachus in lapsu Carnis ceciderit de quo fuerit manifestum, ad nullam dignitatem nec ad aliquod officium Monasterii assumatur, nisi per manifestam emendationem & honestam, ac religiosam conversationem ipsius, per Diœcesanum Episcopum secum fuerit misericorditer dispensatum; eidem quoque pœnæ subjaceat si de hoc infamatus fuerit, nec canonice potuerit se purgare, & in pœna sui criminis de cætero ultimus stet in Choro, in Capitulo vocem non habeat, ad aliquam Monasterii ordinationem tractandam, nisi propter emendationem manifestam, Abbatis providentia de consensu conventus ipsum duxerit admittendum. Si vero Abbas, vel Monachus, in officio constitutus in similem lapsum ceciderit, a suo statim removeatur officio, quod & circa Præpositum fieri volumus, si de simili infammatus fuerit, nisi de hoc canonice se expurget, & nihilominus pœnis illis subjaceat, quæ de simplici Monacho superius sunt expressæ: idem de Abbatissis, & Monialibus statuimus observandum, & hæc omnia, quæ statuta sunt de Monachis circa continentiam, proprii abdicationem & similia, ad canonicos volumus Regulares extendi, licet quoad esum carnium, & quædam alia regulæ inserviant laxiori. Item præcipimus Abbatibus, Abbatissis, nec non & aliis omnibus Monasteriorum Rectoribus, ut subditis suis secundum uniuscujusque monasterii facultatem tam in victu, quam in vestitu necessaria administrent.

Item, juxta prioris statuta Concilii prohibemus; ne mulierculæ, quæ votum continentiæ emiserunt, mutantes habitum sæcularem nec tamen aliter certæ regulæ se adstringentes, per vicos passim discurrant; sed si propriæ eis competant facultates, continenter in suis vivant Domibus, & honeste: si vero sunt pauperes, manuum suarum laboribus, & honestis servitiis, necessaria sibi quærant, plebanis suis sint subditæ, & consilio eorundem regantur. Ad hoc: quia juvencularum Beginarum lapsus frequens, & evidens, statum religionis deformat, & plurimos scandalizat, statuimus, ut nulla de cætero in earum numerum admittatur, nisi XL. ætatis suæ annum excesserit, & probatæ opinionis existat; sexagenarium numerum, quem præscripsit Apostolus, talibus assumendis, propter fragilitatem nostri temporis, ad quadragenarium restringentes. Sub pœna anathematis prohibemus, ne Clericus vel Religiosus quampiam Domum introeat earundem; sed si quis ex justa causa & honesta cuiquam earum loqui voluerit, hoc in Ecclesia sub bono testimonio faciat manifeste, ne siniſtra contra ipsum suspicio oriatur.

ANNO CHRISTI 1261.

XXIV. *De beneficiis Ecclesiasticis.*

ANNO CHRISTI 1261.

Cum Beneficia ecclesiastica sine diminutione conferri debeant, & quidam Ecclesiarum patroni, personis idoneis prætermissis, tales ad ea promoveant, qui portione quantalibet debeant esse contenti; reliquum suis usibus totaliter applicando; verum ad hujus mali perniciem extirpandam statuimus, quod si tales Clerici se portione debita spoliari videntes, ad Episcopum suum quærelam non detulerint; Auctoritate hujus Concilii sint ipso jure suspensi, & nihilominus eisdem Ecclesiis spolientur per Episcopum: Si vero ad superiorem super hoc detulerint quærelam, ipse per censuram Ecclesiasticam ab hujusmodi molestatione compescat, adjicientes nihilominus, quod si in hoc pertinax patronus extiterit, ad præsentationem cum proxime vacaverit, nullatenus admittatur.

Et quia Ecclesiarum Rectores vicariis suis relinquunt adeo exiguam portionem, quod ex ea nequeunt sustentari, generali Concilio inhærentes statuimus, ut ipsis vicariis sufficiens, & honesta portio de proventibus Ecclesiæ assignetur; alioquin ipsos Rectores suis decernimus Ecclesiis spoliandos.

XXV. *De Usuris.*

Contra usurarios juxta statutum Lateranensis Concilii procedatur, ut si notorius fuerit ipsorum excessus, sine distinctione, Ecclesiastica careant sepultura, nihilominus ipsorum hæredibus ad restituendas usuras per censuram Ecclesiasticam compellendis. Si qui autem tales sepelire præsumpserint, suis beneficiis spolientur. Excommunicationis sententia singulis diebus solemnibus proferatur in omnes, quicunque usuras de cætero præsumpserint exercere; hoc priori Concilio adjungentes: ut si notorii usurarii, demum in ægritudine constituti, absolvi desiderent, nullatenus audiantur, nisi primitus satisfaciant, vel hæredes tales habuerint per quos pro eis satisfiat, in quantum possibile fuerit, de usuris.

XXVI. *De Confessione, & jejunio observandis.*

Sacerdotes frequenter moneant plebem suam, ut in initio quadragesimæ ad confessionem veniat, & saltem in Resurrectione Domini recipiat Corpus Christi si velit inter catholicos reputari.

Adhæc etiam prohibemus, ne quis adultus pariter & discretus ordinaria, & statuta jejunia, ut quadragesimalia, quatuor temporum, & vigiliarum præsumat infringere, & ne hujusmodi necessaria jejunia prætextu votivi, & extraordinarii jejunii violentur, cum tale damnum tali lucro Deus nolit compensari. Inhærentes etiam priori Concilio, quorundam consuetudinem reprobamus, qui sextam Feriam violant, sabbato, quarta feria, vel die alia in Ebdomade jejunantes: hoc de cætero fieri hujus Sacri auctoritate Concilii firmiter prohibemus.

XXVII. *Ne bona Ecclesiæ in Concubinarum usus cedant.*

Clericus de proventibus anni gratiæ, vel alias de rebus Ecclesiæ acquisitis Concubinæ suæ, vel

vel Filiis ex fornicatione genitis quicquam penitus non relinquat: quod si fecerit legatum non teneat, & quod taliter est relictum Ecclesiæ applicetur.

ANNO CHRISTI 1261.

XXVIII. *In quibus casibus Clerico patrocinari liceat.*

Item, cum Sacerdotis sit nulli nocere, omnibus autem velle prodesse, districte præcipimus; ne Presbyteri, nisi pro se ipsis, Ecclesia sua, vel si necessitas imminet, pro personis convictis, & miserabilibus, & Dominis suis, & tunc gratis & sine questu quolibet patrocinari præsumant: alias a patrocinio repellantur, quod multo fortius ab Ecclesiarum Prælatis volumus observari.

XXIX. *De Præbendis.*

Item, nullus in Canonicum eligatur, beneficio non vacante, nisi justa necessitas, vel utilitas Ecclesiæ id postularit, & tunc unum tantum, & non plures assumi permittimus: & is qui taliter assumptus fuerit, statim, ad residentiam compellatur. Si quis contra hoc statutum aliquos, vel successive, vel simul elegerit, quod factum est, ipso jure non teneat, & Episcopus ad tot præbendas potestatem habeat eligendi, quot personæ sic fuerint assumptæ; hujus autem auctoritate Concilii statuentes: ut ante receptionem personæ in Canonicum assumendæ, personæ necessitas & utilitas ex receptione ejus secutura primitus exponatur loci Episcopo, ne per subreptionem astutiæ, in fraudem hujus Concilii, aliquæ acceptentur.

XXX. *De Sortilegis.*

Excommunicamus, & Anathematizamus omnes Sortilegos, & firmiter prohibemus: ne ab alio, quam a suo Episcopo, nisi forsan in mortis articulo, absolvantur, & hanc Excommunicationis sententiam singulis diebus Dominicis & festivis per Sacerdotes in eorum Ecclesiis & Capellis præcipimus publicari.

XXXI. *Ut Festum Conversionis S. Pauli solemniter celebretur.*

Cæterum quia Beatus Paulus vas Electionis & Doctor Gentium doctrina sua præ cæteris illuminavit Ecclesiam, & ipsius conversio nostræ fortissimum est fidei argumentum; statuit hoc sacrum Concilium, ut Festum Conversionis ejusdem, quilibet Episcopus in Diœcesi sua solemniter faciat celebrari.

XXXII. *De qualitate Ordinandorum.*

His omnibus necessario duximus adjungendum, quod nulli illegitime nati ad Sacros Ordines, vel dignitates Ecclesiasticas, vel ad aliqua beneficia, quæ curam animarum obtinent, admittantur, nisi per Diœcesanum suum, quo ad ordines, & per sedem Apostolicam, quo ad dignitates & beneficia, cum eis fuerit misericorditer dispensatum: aliter executione ordinum careant, & dignitatibus ac beneficiis, animarum curam habentibus, spolientur. Peregrini etiam & Clerici ignoti nullo modo recipiantur ad ordines, nisi literis Episcoporum suorum commendatiis, & dimissoriis sint muniti, vel saltem Testimonium habeant Capituli Ecclesiæ Cathedralis.

Nullus quoque de non petendo beneficio ab ordinatore se de præsentatore ipsius cautionem vel promissionem aliquam interponat, quia hoc simoniacum est, & contra Canonicas Sanctiones. Et quia Ecclesiarum Reconciliatio dubitari consuevit a multis; præsentis auctoritate Concilii declaramus, quod Ecclesia violata per alium, quam Episcopum, reconciliari non potest, cum ea, quæ Episcopalis ordinis sunt, non nisi Episcopo valeant demandari.

XXXIII. *De casibus reservatis.*

Quia frequenter in pœnitentiis injungendis quidam casus emergunt, qui propter Sacerdotum ignorantiam expediri non possunt, & quod etiam dispensationem Episcopalem requirant; ideo salubriter duximus statuendum, quod Episcopus, eo quod propter occupationes multiplices ejus copia quandoque haberi non potest, unum pœnitentiarium penes se habeat honestum providum, & discretum: & nihilominus alium instituat in Ecclesia sua Cathedrali; ut saltem ad ipsorum alterutrum recursus in his casibus habeatur, qui etiam in illis casibus, in quibus Episcopi dispensandi obtinent facultatem, ipsorum auctoritate dispensent. Archidiaconi quoque & Archipresbyteri, & Plebani, suis subditis Presbyteris in Provinciali judicio districte injungant; ut in casibus memoratis, sive occulti, sive manifesti existant, recursum habeant ad pœnitentiarios supradictos, opportunum ab eis consilium requirentes.

XXXIV. *Ut Episcopi suos carceres habeant.*

Ad hæc statuimus: ut singuli Episcoporum suos carceres habeant juxta Ecclesiam Cathedralem, in quibus falsarii Clerici, vel Monachi incorrigibiles, & Apostatæ & alii, qui hoc meruerint includantur; ad quod efficacius exequendum aliæ Ecclesiæ, si opus fuerit, consilium conferant & juvamen.

XXXV. *De Citationibus.*

Et quia quidam propter potentiam, quidam propter crudelitatem magnam citari non possunt, & quidem in Castris habitant, ita quod nulla potest ad eos citatio pervenire; idcirco provida & necessaria deliberatione statuimus; ut contra tales citationis edictum apud Parochialem ipsorum Ecclesiarum publice & legitime proponatur; quod si Parochiales Sacerdotes se citare non posse coram superiore, non simplici, vel proprio juramento sed justis probaverint documentis, in Ecclesia cathedrali tribus dominicis diebus continuis publice in ambone citentur, dummodo citandi infra unam dietam sint a Cathedrali Ecclesia constituti: alioquin ad tres quindenas solenniter evocentur, & ex tunc contra hos, ac si personaliter citati fuerint, procedatur, ne ex malitia commodum valeant receptare: statutum Concilii novissime celebrati, quantum ad hunc articulum, corrigentes.

XXXVI. *De Appellationibus.*

Ecclesia Moguntina, ex rationabili, & antiqua consuetudine, obtinuisse dignoscitur, quod cau-

☞ causas ad eam per appellationes delatas, subditis suffraganeorum suorum committere valeat & compellere jurisdictionem hujusmodi recipere detrectantes; quæ consuetudo ex his causis noscitur introducta, ut vitetur circuitus, cum per Diœcesanos ad recipiendam delegationem talem compellere possit Metropolitanus suffraganeorum subjectos: præterea; ut propter distantiam caveatur laboribus partium, & expensis, cum, si non reciperentur delegationes hujusmodi, partes apud sedem Metropolitanam cogerentur personaliter litigare: sacri hujus approbatione Concilii, statuimus :antiquam consuetudinem declarantes, ut sedes Moguntina causas hujusmodi subditis suffraganeorum valeat delegare, & animadvertere in rebelles.

ANNO CHRISTI 1261.

XXXVII. *De Excommunicatis.*

Quia Clerici quidam & Laici, vinculo excommunicationis adstricti, fiducia finalis pœnitentiæ, & absolutionis extremæ claves Ecclesiæ contemnunt tempore sanitatis: hujus Sancti auctoritate Concilij, statuimus: ut tales in extremis ad reconciliationis beneficium nullatenus admittantur, dumtaxat sub proprio juramento, nisi & aliam idoneam exhibeant cautionem, ut sive moriantur, sive convalescant, ad mandatum Ecclesiæ per se vel per alios, in quantum possibile est, satisfaciant de commissis.

XXXVIII. *De Obedientia Superioribus præstanda.*

Sacro etiam approbante Concilio statuimus: ut nulli Clerici nobilium Capellani, in Capellis Castrorum Dominorum suorum celebrare præsumant, seu alia Sacramenta Ecclesiastica, nisi ante Episcopo, vel loci Archidiacono obedientiam faciant manualem, ad Synodum veniant, & capitula certis temporibus & statutis recepturi, mandata Ecclesiastica perferant suis Dominis & eorum castrensibus, secundum quod fuerit opportunum: cum Plebani, in quorum terminis consistunt, hoc facere frequenter non audeant propter tyrannidem Dominorum. Qui autem, ante præstitam obedientiam, capellas tales officiare præsumpserint, a Prælatis suspensi & excommunicati per vicinarum Ecclesiarum Plebanos tanto tempore nuntientur, quousque satisfaciant, & obediant: statuentes; & sub pœna excommunicationis jam latæ, mandantes: ut si quam prædam, vel spolium spiritualium personarum, seu etiam Ecclesiasticam personam captivam, ad aliquam civitatem, villam, oppidum, sive castrum adduci contigerit Sacerdotes & Capellani, postquam hoc sciverint, non expectato super hoc superioris mandato, abstineant a Divinis.

Plerique Clerici, ac etiam alii, cum excommunicatis publice communicasse contra conscientiam arguuntur, eove pretextu se malitiose excusant, quod excommunicatio talium non fuerit eis specialiter nuntiata: verum necessario sacri approbatione Concilij statuimus decernendo, ut postquam excommunicationis, vel interdicti sententiæ publice proferuntur, & in Cathedrali Ecclesia, Synodo, vel Capitulo, vel alias in locis debitis solemniter promulgantur, non sit necessarium eas singulorum auribus inculcari; imo post publicationem hujusmodi singuli ad vitandum taliter excommunicatos, etiamsi specialiter eis denunciati non fuerint, dummodo qualitercumque eis excommunicatio innotuerit, teneantur, cum talis ignorantia crassa sit penitus, & supina.

ANNO CHRISTI 1261.

Quia Clerici, & Religiosi nonnulli non attendentes, quantum sit obedientiæ bonum quod victimis præfertur, & quod peccatum est ariolandi, nolle acquiescere, & scælus idolatriæ, obedire non velle, amissionem rerum suarum, & corporis vanum metum allegant frequenter, ne cogantur mandatum exequi Prælatorum, qui cum prosperitatis tempore multa bona receperint, laute vixerint de patrimonio Crucifixi, imminente Ecclesiæ necessitatis articulo, pro honore illius adversitates sustinere detrectent: ex quo propter contemptum clavium Ecclesiæ, nervus Ecclesiasticæ disciplinæ dissolvitur, & animas miserabiliter periclitari contingit; Sacri hujus Concilii necessaria deliberatione statuimus, ut nulla rerum perditio aut metus corporis, legitime non probatus, subditi inobedientiam, mandatum Prælati exequi non curantis, valeat excusare: adeoque si metus corporis non simplici, vel proprio juramento, sed legitimis coram eo, a quo mandatum subditus recepit, ostensus fuerit documentis; nihilominus loco cedat, ne notam transgressionis incurrere videatur: in his autem, quæ in non faciendo consistunt, utpote, cum mandatur, non communicari cum excommunicatis, non celebrari interdictis, ac aliis hujusmodi, nullus omnino nec rerum, nec corporis metus excuset, cum pro nullo metu quis debeat peccatum mortale committere, quod ex inobedientia surgere, Sanctorum auctoritatibus comprobatur.

XXXIX. *De Clericis militaribus & concubinariis.*

Contra illos autem Clericos militares, qui Clericali schemate relicto, comam nutriunt, & gestantes habitum laicalem coram Prælatis suis, & in ecclesiis, in quibus habitant, irreverenter incedunt: demum post tyrocinia, & actus alios militares, quos interdum exercent, habitum pristinum resumentes, ad beneficia se priora admitti impune desiderant sic terram viis duabus ingredi non verentes; hoc sacro Concilio approbante, statuimus: ut apostatantes hujusmodi, si antequam a suis Prælatis, sive Capitulis evocati, & prioribus habitis beneficiis fuerint spoliati, ad suas Ecclesias, seu Præbendas redire noluerint, non aliter admittantur, nisi disciplinæ claustralis carcerem tanto tempore sustinuerint, quanto a suis Ecclesiis eos constiterit taliter aberrasse, sic minus satisfactionis prolixitas, quam prævaricationis diuturnitas, prorogatur.

Cohabitationis vitium publice multis successive laboribus extirpatum, quorundam negligentia Prælatorum, immo quod detestabilius est, aliquorum malitia, qui quæstum æstimant pietatem, sentitur iterum pullulare. Quapropter Prælatis universis, Archidiaconis videlicet, & Decanis, ac aliis, quorum interest hujusmodi excessus corrigere, hujus sacri auctoritate Concilii præcipimus, ut tam periculoso recidivo pervigili studio occurrere non prætermittant: ne subditorum sanguis de eorum manibus requiratur, ac eorum negligentia per locorum Episcopos gravissime puniatur: si qui autem (quod absit) ob quæstum turpem peccatum

tum hujuſmodi ad ſe delatum in ſubditis ſuis fovere vel diſſimulare præſumpſerint, illi per ſuos prælatos ab eis dejiciantur honoribus, quos acceptatione ſordium talium dehonorant.

Licet multa ſuper continentia Clericorum, Patrum hactenus emanaverint inſtituta, quia tamen adhuc nonnulli Clerici lumbos ſuos cingulo continentiæ, ut accepimus, non accingunt in animæ ſuæ grave periculum, & ſcandalum plurimorum, non attendentes, quod ſcriptum eſt: *Sancti eſtote, quoniam Sanctus ſum &c.* Nos qui ſaltem circa undecimam horam miſſi ſumus, ut nociva de vinea Domini Sabaoth, ex officio nobis injuncto, quantum ipſe dedit, extirpemus, quia *zelus nos comedit Domus Dei:* hujus igitur ſacri approbatione Concilii duximus aliquid ſtatuendum. Præcipimus igitur, ut Clerici continenter & caſte vivere debeant univerſim, maxime in ſacris ordinibus conſtituti, quatenus in conſpectu Omnipotentis Dei puro corde valeant miniſtrare: Si quis autem Clericorum deinceps viſus fuerit incontinentiæ vitio laborare, detinendo concubinam; niſi poſt ammonitionem Canonicam illam prorſus a ſe expulerit, tunc officio, & beneficio ſpolietur: ſi vero nec fœtorem ſuæ libidinis curaverit evitare, quia creſcente contumacia creſcere debet & pœna, anathematis gladio feriatur. Qui vero, obſcœnis voluptatibus inhiantes, concubinas uſque ad hæc tempora tenuerunt publice, ne delictum præteritum tranſeat impunitum, eos ſub tali pœna duximus religandos, ut ſi Canonici fuerint quadraginta diebus in clauſtris ſuis in quadrageſimali cibo jejunent. Si autem hoc agere contempſerint. Præpoſitis, Decanis, & Capitulo Eccleſiarum ſub anathemate prohibemus, ne præbendarum fructus eis miniſtrent, vel ad conſortium Capituli eos admittant, niſi digna, pœnitentia incepta, vel peracta, & præſtito juramento, quod eas ulterius non reſument. Qui vero ſic amotas reſumpſerint, decernimus eos beneficiis eſſe privandos ſtatuentes: ut illi, ad quorum collationem beneficia pertinent, ea perſonis idoneis aſſignent infra tempus in Lateranenſi Concilio compræhenſum, alioquin proximus ſuperior ex tunc ea ſtudeat aſſignare: ſi vero Decani, vel alii eorum confratres, exceſſum ſcientes, diſſimulare præſumpſerint, eos denuntiamus excommunicationis vinculo ſubjacere.

De Clericis concubinariis rigor ſuperius expreſſus ſervetur, quorum Archidiaconi ſi eos in ſuis iniquitatibus voluerint confovere, vel eorum diſſimulare exceſſus, ſciant ab officio ſe ſuſpenſos, & ſi in præſumptione permanſerint: eos præcipimus per Epiſcopos ſuos a dignitatibus removeri, quæ dignitates per eoſdem Epiſcopos, vel ad quos denominatio ſpectat, perſonis idoneis aſſignentur.

Ad abolendam de Domo Domini conſuetudinem vel potius corruptelam, ſeu temeritatem, qua Clerici, qui ſignum pudicitiæ debent oſtendere laicis, quibus poſiti ſunt in exemplum, in argumentum ſuæ finalis pœnitentiæ, fructus præbendarum ſuarum concubinis ſuis legant in ultima voluntate, rigor Eccleſiaſticus debet exerceri. Quare ſub anathematis vinculo prohibemus: ne de cœtero Clerici gratiæ annis abutentes, cum de rebus Eccleſiæ nullum poſſint condere teſtamentum, fructus beneficiorum Eccleſiaſticorum ſpuriis, vel concubinis dimittant. Qui vero contra hanc inhibitionem venire præſumpſerint in ſignum ſuæ perditionis, Eccleſiaſtica ſepultura careant, & quibus taliter fructus legantur, eis careant ipſo jure: qui autem teſtamentum tale poſt mortem defuncti manutenere voluerint, & per quorum manus illis fructus præbendæ fuerint miniſtrati, Eccleſia ipſa ſuppoſita ſit interdicto.

ANNO CHRISTI 1261.

XL. *De ſententia excommunicationis.*

Quantæ præſumptionis, & temeritatis exiſtat, quod qui ſervare debent Canonicas ſanctiones, in quibus aperte continetur, quod nullus aliquem ſine rationabili cauſa excommunicare præſumat, eas frangere non formidant, pleroſque non animo juſtitiæ, ſed livore odii, vel favore adverſariorum excommunicationis vinculo innodantes nullus penitus ignorat. Quare firmiter prohibemus, ne quis excommunicationis ſententiam in aliquem, niſi competenti admonitione præmiſſa, & præſentibus idoneis perſonis, per quas, ſi neceſſe fuerit, poſſit probari ammonitio, promulgare præſumat: & ſi prælatus contra hoc fecerit, & admonitus errorem ſuum non revocaverit, per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ ſit excluſus.

Cum ſcriptum ſit in lege Domini, quod quicumque *non obtemperaſſet Sacerdotibus, aut extra Caſtra poſitus lapidabatur a populo, aut gladio cervice ſubjecta expiabat contemptum*: In primitiva Eccleſia inobedientes ejecti de Eccleſia rapido ore dæmonum trahebantur: multi nomine Sacerdotes cenſuram Eccleſiæ contemnentes excommunicationis, & ſuſpenſionis a prælatis ipſorum, exigentibus culpis ſuis, & immemores, quod Epiſcopis, & Prælatis clavium ſit collata poteſtas, attrectare ſibi interdicta miniſteria non verentur, contra quos volumus rigorem eccleſiaſticum exercere.

Statuimus, igitur, ut tales ſine ſpe reſtitutionis, ab officiis, & beneficiis deponantur, & infames, & deteſtabiles facti, de cætero ad beneficia Eccleſiaſtica nullatenus admittantur niſi per pœnitentiam approbatam, & converſationem laudabilem, ſedis Apoſtolicæ gratiam meruerint obtinere. Præterea ſunt nonnulli craſſam ignorantiam prætendentes, quæ non excuſat a culpa, nec eos a pœna poterit excuſare: hi divina celebrare præſumunt iis, qui ſunt excommunicationis vinculo innodati; quapropter ſtatuimus, ut poſtquam excommunicati in locis vicinis denunciati fuerint; Sacerdos, qui eis Divina celebrare præſumpſit, pœna ſimili puniatur.

Si Epiſcopus aliquem excommunicat certa de cauſa, denunciet vicinis Epiſcopis per ſuas patentes litteras, ut excommunicatum faciant denunciari & vitari, & ſine difficultate aliqua vicini Epiſcopi excommunicatum faciant publice nuntiari, & in diœceſibus ſuis arctius evitari: Si vero Epiſcopi in hoc fuerint negligentes, vel excommunicatis communicaverint tandiu Cathedralium Eccleſiarum Canonici ſibi non . . . . . quandiu huic ſalubri ſtatuto præſumpſerint obviare.

XLI. *De jure Patronatus.*

Quoniam in quibuſdam Alemanniæ locis, Fundatores Eccleſiarum vel hæredes eorum, poteſtate, in qua eos Eccleſia hucuſque ſuſtinuit, abutuntur, partem decimarum, vel aliarum obventionum Eccleſiaſticarum, in quibus

jus

jus obtinent Patronatus, sibi retinentes ex pacto, cum præsentant Clericos ad easdem; huic vero contentioso, & simoniaco modo censuræ ferrum apponimus decernentes: ut, ex quo constiterit patronum hujusmodi perpetrasse flagitium, anathemate feriatur, & ejus terra ponatur sub Ecclesiastico interdicto, donec Ecclesiam liberam sub suo jure dimittat, salvo jure Patronatus, quod etiam eis de jure reservamus, quin possint pro juris ignorantia excusari. Qui vero cœca cupiditate seducti, taliter a Patronis præsentatum suscipiunt, officio, beneficioque priventur, nec ad beneficium, vel actus Ecclesiasticos admittantur, nisi per sedem Apostolicam secum fuerit dispensatum. Episcopi vero, vel Archidiaconi, qui talibus scienter curam commiserint animarum, ab institutione beneficiorum & collatione perpetuo sint suspensi. Statuimus etiam, quod nullus Clericus ad curam animarum ab Episcopo, vel Archidiacono admittatur, nisi prius juraverit, quod nullam in adeptione beneficii, ad ejus curam præsentatus, commiserit simoniam.

ANNO CHRISTI 1261.

XLII. *De vicariis.*

Quia enormis quædam consuetudo in quibusdam Alemanniæ partibus contra canonicas Sanctiones invaluit ut ponantur in Ecclesiis conducti Sacerdotes, vel vicarii temporales; ne id de cætero fiat auctoritate legationis, qua fungimur, modis omnibus inhibemus, sed cum vicarius poni debet, & potest, perpetuus instituatur, de assensu, & auctoritate diœcesani vel Archidiaconi loci ejusdem, nec Episcopus, vel Archidiaconus talem instituat, nisi ei tantum de bonis Ecclesiæ coram eo fuerit assignatum, unde jura Episcopi, & Archidiaconi possit persolvere, & congruam, atque sufficientem substentationem possit habere.

XLIII. *De raptoribus, & Clericorum captivatoribus.*

Ad manutenendam Ecclesiarum immunitatem, ad conservandum jus & honorem Dei, & Ecclesiasticæ libertatis, contra usurarios manifestos, quæstuarios, maledicos, ac indulgentiarum nimietatem, a Prædecessoribus nostris diversis diversa emanarunt pro tempore statuta de suorum consilio Prælatorum: & licet plura ex illis sint de verbo ad verbum per sedem Apostolicam confirmata, ea tamen approbatione Sacri hujus Concilii duximus innovanda, ut per hoc in notitiam solemniorem deveniant, ac eo libentius observentur. Statuit ea primum recolendæ memoriæ Patruus noster, Dominus Sigifridus Archiepiscopus, quæ & Dominus Innocentius IV. Papa confirmavit: cum indignum sit valde illos in se, vel in suis per Ecclesiam promoveri, qui honoris & Ecclesiasticæ libertatis subversores existunt; Statuimus itaque ut nullus de filiis eorum, qui Clericos captivaverunt, vel ad hoc opem, vel operam impenderunt, ac in suis domiciliis detinuerunt captivatos; ad ordines, beneficia, aut etiam Prælaturas & dignitates aliquatenus admittantur, immo ex delicto parentum ipso facto reddantur inhabiles ad hujusmodi consequenda: sub pœna excommunicationis jam latæ sententiæ, mandantes examinatoribus Clericorum, Capitulis, Patronis, & Archidiaconis, ut nullum ex talibus ad ordines admittant, Capitula nullum ex eis ad præbendas eligant, Patroni nullum ex ipsis præsentent, Episcopi & Archidiaconi tales non investiant ullo modo: alioquin capitula, & Patroni jus suum ipso facto amittant, & ea vice ad loci Episcopum devolvatur. Examinatores vero, & Archidiaconi, aliquem ex talibus scienter ad ordines & beneficia admittentes, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, & alias per Ordinarium gravius puniantur; quod & nos de filiabus præmissorum, sub pœna simili, duximus statuendum, videlicet: quod filiæ eorum in claustris, & cœnobiis ordinis cujuscumque nullatenus admittantur.

ANNO CHRISTI 1261.

Statuit etiam alia circa hoc bonæ memoriæ Gerhardus Archiepiscopus, Prædecessor noster, quæ Sanctissimus Pater noster Alexander IV. de verbo ad verbum noscitur confirmasse.

Nos igitur statuta ipsa non solum auctoritate hujus sacri Concilii approbamus; verum etiam hoc duximus adnectendum, firmiter statuentes, quod si temerarii captivatores Clericorum, aliquos in familia sua habuerint Clericos, utpote Capellanos & scriptores, iidem abstrahant se statim a communione eorum non solum in Divinis, sed & in mensa, & in aliis, quibus excommunicato communicatur illicite. Item, nec consiliis eorum intersint, nisi forte tractatum habeant cum eis de procuranda liberatione eorum, quam si infra duos menses procurare non potuerint; sub pœna excommunicationis jam latæ sententiæ præcipimus, quod ex tunc non solum a consilio & scribendo se abstineant, sed ab eis omnino recedant.

Statuimus etiam, ut nullus manufidelis amicus, vel alius habens potestatem rerum Clerici captivati, promittat, vel det aliquid pro liberatione ipsius, vel de dando interponat per se vel alios aliquam cautionem, adjicientes: quod si detentor Clerici per unum mensem clericum detinuerit captivum, ac eo dimisso, infra annum a tempore captivitatis Clerici computandum, satisfactione neglecta, non obtinuerit se absolvi, ex tunc ab omnibus feudis cadat ipso jure, quæ a quibuscumque Ecclesiis noscitur obtinere.

Hæc omnia circa captivatores Episcoporum multo fortius volumus observari, eo adjecto, quod Episcopo captivato Clerici de familia captivatoris statim recedere teneantur, quodque tales captivatores ipso facto non solum a jure cadant perpetuo feudorum, quæ a quibuscumque Ecclesiis obtinebant: verum etiam in ipso jure cum omni sua posteritate fiant inhabiles ad feuda quælibet a quibuslibet Ecclesiis possidenda, seu obtinenda; ac hi qui feuda ipsis duxerint concedenda, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant; quod si proximi Domini feudorum feuda illa, a quibus in causis Episcoporum, vel Clericorum captivatores illi ceciderint, infra unum mensem, vel concedere, vel ad se neglexerint revocare, ex tunc feudorum ipsorum collatio ad superiorem proximi devolvatur, quæ in occisoribus vel mutilatoribus Clericorum, multo fortius volumus observari.

XLIV. *De usurariis.*

Statuit etiam hoc idem Dominus Gerhardus, in usurarios omnes, cujuscumque status & conditionis existant, cunctis diebus Diminicis & diebus festivis per locorum Plebanos, & eorum

Vica-

Vicarios excommunicationis ſententiam publice proferri, ita, quod qui publice exercent uſuras, ac qui coram Eccleſia de uſura convicti fuerint, vel confeſſi, & qui per juratores villarum pro uſurariis ſunt publice proclamati, excommunicentur ſolemniter nominatim: qui vero de uſuræ vitio ſola ſunt ſuſpicione notabiles, niſi ſe de hujuſmodi vitio legitime coram Eccleſia expurgaverint, & debitores uſurarum, & fidejuſſores ſuper eis abſolverint ſimpliciter, & publice ab uſuris, excommunicentur ſimiliter nominatim. Tales autem, ſi curaverint jam reſipiſcere a peccato, ſi ad reſtitutionem omnium, ipſorum ſuffecerint facultates, vel ſi in totum ſolvendo non fuerint, prius reſtituta ea, ad quam ſuffecerint, portione, & de reddendo reſiduo fortunæ tempore pinguioris, eis, vel ſi non exiſtant, eorum hæredibus, a quibus extorſerunt uſuras, fidejuſſores conſtituant, alioquin pauperibus, ſeu piis locis juxta ordinationem judicum ſedis noſtræ ac Archidiaconorum de ſatisfaciendo Eccleſiæ, idonea præſtita cautione, ab eiſdem judicibus abſolutionis beneficium conſequantur. Nos enim ſolis eis abſolutionem talium duximus committendam, ne per quorundam Sacerdotum ſimplicitatem, & per malitiam aliorum, qui circa reſtitutionem hujuſmodi proprium quæſtum quærunt non ſalutem animarum, vel commodum proximorum, quibus eſt merito reſtitutio facienda, circa uſurarios aliquod incongruum ſtatuatur. Quod ſi uſurarii præſcripti ſpe finalis pœnitentiæ & abſolutionis extremæ, claves Eccleſiæ ſani contempſerint, & temere ſubtinuerint anathema, ſeque in extremis abſolvi petierint, juxta proviſionem Fritislarienſis Concilii, non ſtatim ſub proprio juramento eis erit abſolutio impendenda, niſi prius cuncta male extorta reſtituant, dummodo tantum, in bonis mobilibus, vel immobilibus habeant; quod reſtituere valeant univerſa vel ſaltem tantum refundant, quantum ſe ipſorum facultates extendunt, & de reliquo refundendo, ſatisfaciendo Eccleſiæ, dederint fidejuſſores idoneos, conſanguineos, & affines: quod ſi fidejuſſores tales non extiterint, & in eis apparuerint, veræ pœnitentiæ ſigna, ſub forma præſcripta, proprio juramento, admittantur ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta: ſed in pœnam tam diuturni contemptus clavium Eccleſiæ, & terrorem aliorum, negetur eis extrema Unctio, & Eccleſiaſtica ſepultura, niſi forte ſuadente cauſa legitima, hoc a nobis ex gratia contigerit indulgeri, ad quæ etiam duo ultima conſequenda non ſufficiat proprium juramentum & pœnitentiæ ſigna præmiſſa, cum pater & mater male acquiſita ſint parati refundere, ſed forſitan filii contradicunt, vel, vel pro parentibus nolunt præmiſſas exponere cautiones, vel cum uxor pro marito, vel contra maritus pro uxore ſimilia facere detrectarit: adjicientes, quod ſi uſurarii manifeſti per menſem unum temere in excommunicatione duraverint, ex tunc uxori, ac filiis, & propriis eorum mancipiis, Divina, & Sacramenta Eccleſiaſtica ſubtrahantur, Baptiſmate parvulorum, & pœnitentia morientium exceptis: ſervientibus aliis & ancillis conductitiis, & colonis eorum excommunicationis gladio feriendis. Præterea, cum delictum privilegium immunitatis non habeat, & delinquentem pœna merito comitetur; ſtatuimus, ut quilibet ſive miles, ſive miniſterialis noſter exiſtat, ſeu ex quocumque privilegio fori præſcriptione ne præſulſerit, ſuper uſuris ceſſante in hoc immunitate omni, ſub judicibus valeat conveniri, cum privilegium mereatur amittere, qui ſui honoris & fori tam viliter abutitur dignitate: nihilominus circa hoc captivatores & ſpoliatores Clericorum & Eccleſiarum, ſi Miniſteriales ſint, vel alias gaudeant privilegio circa fidejuſſores dato, ab uſurariis volumus obſervari, videlicet quod per noſtros judices valeant de talibus inſolentiis coarctari.

ANNO CHRISTI 1261.

XLV. *Ne Ordines Religioſi Privilegiis abutantur.*

Quamvis Eccleſia doleat, quod de proprii Sacerdotis voluntate, ſubditi Plebanorum, pro maturiori conſilio capeſcendo, Religioſis quibuſdam confiteantur interdum; nolumus tamen, ſacri Concilii authoritate, & ſub pœna excommunicationis jam latæ vetamus omnibus Religioſis, ne ſubditos Plebanorum, maxime autem Bekinas, & Bicornos, & Moluſas, ac alias perſonas hujuſmodi communicent corpore Domini, aut alia porrigant Eccleſiaſtica Sacramenta parvulis, vel adultis, hoc etiam ſub eadem pœna Religioſis omnibus inhibentes firmiter: ut cum proceſſiones, & Stationes ſolemnes, quas obſervat Eccleſia generalis, in inſtitutione Eccleſiæ, & magnæ auctoritatis, & multæ opitulationis exiſtant, utpote in quibus Dominus honoratur votis communibus & placatur; ne populum ab eiſdem, prædicationes tunc temporis inſtaurando retrahant: immo in prædicationibus ſuis ſedulo eidem, quod tenetur talibus intereſſe, & quod peccat, ſe ab his ſubtrahendo, eidem etiam populo frequenter exponant, quod etiam ad matricem Eccleſiam in præcipuis feſtivitatibus teneatur accedere, ac illam ſui præſentia honorare, a qua Sacramentorum gratia, quæ in eos quaſi ex fontali gurgite influit & deſcendit, ipſi tunc abſtineant ab omnibus allectivis, quibus abſtrahi poſſit populus, quo minus ad ſolemnitates veniat ſuæ matris.

XLVI. *Ut per præces ac ſupplicationes imminens Tartarorum avertatur irruptio.*

In omnibus & ſingulis ſermonibus, & brevibus quantumcumque, fiat mentio tartarorum, ſitque talis materia proponenti verbum Dei, per quam populus animetur ad reſiſtendum tirannidi eorum, ac incitetur ad ſupplicandum Domino pro averſione tam duri ac diri flagelli, & ut provocetur ad reconciliandum ſe Deo.... ſibi dignis pœnitentiæ fructibus, nec non ad reformandum in ſeipſis fœdus pacis mutuæ efficaciter inducantur, ut divinæ ultionis iracundia contemptu ſuccenſa, devota petentium, & in Cœlum ad Deum clamantium humilitate placetur. Presbyteri qualeſcumque Miſſarum ſolemnia publice celebrantes, poſt Offertorium, & ante Canonem, dicant cum præſentibus Clericis pſalmum: *Deus venerunt gentes* &c. cum oratione Dominica, & verſiculo: *Fiat pax in virtute tua* &c. & Collecta *Deus a quo Sancta deſideria* &c. flexis genibus, & proſtrati. Similiter Parochiales Presbyteri dicant populo in vulgari: *Pœnitentiam agite*. Et in terram ſe proſternant, dicentes orationem Dominicam & orent Deum, ut a peſtilentia Tartarorum liberet populum Cariſtianum, & dum hæc fiunt, pulſetur campana, ut audientes campanam ad de-

☞ devotionem, & orationem excitentur, & sic orantes habeant indulgentiam X. dierum. Item singulis mensibus semel fiat in Civitatibus Cleri, & Populi, cum reverentia & devotione, & abstinentia, Processio generalis, cui, præter Moniales, exempti & non exempti in civitatibus habitantes, interfint, ordinis cujuscumque, die, & loco per Ordinarium loci cum consilio Cathedralis Ecclesiæ disponendi. In Diœcesi vero Abbates, ceterique Prælati, cum eorum Capitulis, & Conventibus, nec non & singuli Sacerdotes per villas, in quibus habitant, cum Clero, & Populo faciant processionem hujusmodi generalem, die, & loco per ipsos, prout ipsis expedire videbitur, eligendis, nisi ex provisione Ordinarii aliud disponatur. Die vero Processionis hujusmodi jejunetur, nisi dies Dominica, vel festiva fuerit, & si tunc expedire videbitur, sermo fiat, & qui his interfuerint, habeant indulgentiam XL. dierum. Item, fiat sermo singulis mensibus soli Clero & Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, & per illum, quem Decanus Ecclesiæ ejusdem dixerit eligendum.

ANNO CHRISTI 1261.

XLVII. *De Monachorum avaritia refrænanda.*

Religiosi plerique, modum avaritiæ non ponentes, nec contenti divitiarum fluvio, quem absorbuisse noscuntur, accumulando sibi largissima prædia, & alios redditus copiosos, ut in os eorum totus Jordanus influat; tot suis Collegiis, cupiditatis studio, obtinuerunt uniri Parrochias, & maxime meliores, quod paucæ in Alemannia inveniantur Ecclesiæ, de quibus possint Clerici commode substentari: unde contingit, quod Clerici sæculares, quorum ordo aliis prior est tempore, & propter dignitatem, juxta Micheæ præsagium facti sunt quasi qui colligit in autumno post botros racemos vindemiæ, & spicas post messem, seu stipulas post trituram; & cum de una Ecclesia sustentari non valeant, plures cumulare coguntur contra statuta Concilii: communi necessitate statuimus: ut nullæ Ecclesiæ quibuscumque Religiosis de cetero conferantur: quod si a quocunque eis hujusmodi Ecclesia, vel Ecclesiæ, collatæ fuerint, collator ipso actu jus patronatus amittat, & ad loci Episcopum perpetuo devolvatur; collegium vero, quod talem Ecclesiam acceptaverit, nullum jus penitus acquirat, immo si habuerit ante Ecclesias aliquas sibi unitas in Diœcesi illa, vacent per præceptionem hujusmodi ipso facto, & per Diœcesanum vel locorum Archidiaconum personis idoneis conferantur. Ad hæc cum Religiosi quidam alicubi per fratres sui ordinis officient Ecclesias sic unitas, & in fratribus ipsis sit dissolutionis occasio, quia iidem eo sunt procliviores ad lubricum, quo Religionis titulo scilte autumant esse exemptos, ac Prælati eorum per Archidiaconos tales corrigi minime patiantur; sed quia pro ordinis scandalo evitando, ipsos ad domos revocant, vel ad alias Parrochias mittunt; auctoritate hujus Sacri Concilii, & hoc duximus admittendum: ut Religiosorum Ecclesiæ non per fratres eorum officientur, sed per Clericos sæculares, ut saltem de Reliquiis, quæ de immensa Religiosorum mensa cecederunt, sustentari valeant pauperes Sacerdotes, qui in vituperium nostri, publica egestate laborant, ita ut heu jam sint verissima illa verba Jeronymi dicentis in canone: *Mendicat infelix Clericus in platea.*

XLVIII. *De Quæstuariorum excessibus tollendis & abrogandis.*

ANNO CHRIST 1261.

Contra Quæstuarios maledicos, quibus ob monstruosum turpis quæstus abusum, sic incanduit orbis odium cui, utpote homines pestilentes, suaque nequitia merito odiosi, ita se reddiderunt exosos, quod adversum eos constrepit omnis linguæ conquæstio querulosa, (& quis Dei & Fidei etiam modicum habens illos, quorum omnes viæ perversæ, & gressus infames ex parte diaboli, qui pater mendaciorum existit, ad concudenda & concinnanda mendaciorum genera genitus, non odiret?) Qui in cunctis exercitati nequitiis, ut pote fabricatores mendacii, & figuli falsitatis, nihil aliud suas linguas, quam ex propriis loqui mendacis docuerunt in tantum, ut verbo Domini ad convertendum animas specialiter consecrato, ob quæstum pecuniarum ad suum propositum mendaciter abutantur, cum tamen Dominus non egeat eorum nec velit, ut loquantur pro eo in Ecclesiis suis dolos. Hi profanissimi, pro reliquiis sæpe exponunt ossa profana hominum, seu brutorum, & miracula mentiuntur, causasque petitionum suarum mendose confictas, effusis lacrimarum profluviis, ad quas habent oculos eruditos, & extenuatis faciebus cum clamoribus validis, & gestibus miserandis sic motive proponunt, tamque indulgentiarum numerositatem contra statutum generalis Concilii, & relaxationem peccaminum pollicentur, quod vix est aliquis, etiam ipsorum agnoscens nequitias, qui se a subventione eorum valeat continere: ex quo vilescunt claves Ecclesiæ, & dissolvitur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, cum pauci sint, qui subire velint aliquam pœnitentiam etiam impositam a proprio Sacerdote, credentes, vel saltem asserentes se a peccatis per hujusmodi indulgentias absolutos. Ad hæc iidem Quæstuarii male taliter acquisita, pejus Ecclesiis subtrahunt, quarum intuitu conferuntur; ex quo non tam furti, quam sacrilegii crimen incurrunt, dum male acquisita, pejus subtracta, pessime dissipant, & consumunt in commessationibus, ebrietate, ludis, & luxuriis, pretium sanguinis expendentes, qui quoad primum Simoni Mago, & Jezi leproso; quo ad secundum Achor furi, & Judæ perfido; quo ad tertium pro eo, quod eis neuter est Deus, quodque post carnis suæ immunditias jugiter ambulant, filio prodigo potuerint merito comparari. Quare Sacri auctoritate Concilii, præfatos pestiferos homines totam patriam corrumpentes, a nostra Provincia duximus perpetuo proscribendos, firmiter inhibentes; ne a quoquam de cetero admittantur, sed ubicumque visi fuerint, vel inventi, captivi Diœcesano, vel suo officiali, protinus præsententur; qui vero, ut Antoniarii, annuum censum colligere consueverunt per fratres duntaxat ordinis sui, & non per alios colligant: alioquin tales, sicut Quæstuarios volumus detineri, & tunc non per fratres, sed per Sacerdotes locorum, ipsorum petitio absque prædicatione, & conquassatione nolarum simpliciter proponatur. Quod si aliqua Ecclesia civitatis, vel Diœcesis, de consensu Diœcesani, pro sui reparatione, Eleemosynas fidelium decreverit requirendas, Sacerdotibus Diœcesis illius cartulæ dirigantur, necessitatem Ecclesiæ & quantitatem indulgentiæ continentes, ut juxta hoc ad subventionis subsidium suos populos exhortentur:

ea

ea vero, quæ collecta fuerint sub custodia Sacerdotis, & duorum juratorum de villa, remaneant Ecclesiæ, ad cujus necessitatem collata, suo sunt tempore reportanda; unaquæque etiam Diœcesis suorum populorum Eleemosynis sit contenta, nec jure alterius imploret auxilium: in hoc casu Inhibemus etiam Religiosis, vel aliis quibuslibet, Ecclesias de novo fundare, vel fundatas transferre &c.

XLIX. *De his, qui vices Episcopi Diœcesani obeunt.*

Cum igitur, ex hoc quod aliqui in civitatibus, oppidis, villis & interdum in rure vel nemore se passim recipientes, Ecclesias, Oratoria construunt, & Capellas, quas ab inde postmodum recedentes, desolatas dimittunt, loca Sacra contingat sæpius profanari; auctoritate Sacri Concilii, ducimus statuendum: quod nullus ex ipsis, qui interdum in consecrationibus Ecclesiarum vices Diœcesani exercent, in locis de novo fundatis, seu fundandis Ecclesiam, Oratorium, seu Capellam dedicet, & lapidem primarium ponat, nisi auctoritate Diœcesani, sacræ domui provideatur de dote, & lumine competenti, ne talibus recedentibus, ea facilitate, qua venerunt, loca sacra desolari, & profanari contingat, & ob hoc etiam de novo adventantes; antequam locum adire permittantur, Diœcesani providentia præcaveat, ne parochiali Ecclesiæ infra cujus terminos se recipiunt, sint successu temporis nocumento. Adhæc, illis Episcopis, qui vices Diœcesani in consecrationibus gerunt, prohibemus expresse ne generalis commissionis prætextu, aliquas Conventuales Ecclesias dedicent quoquo modo, vel in eis primarium lapidem ponant, nisi hoc eis a Diœcesano specialiter committatur; interpretatione congrua declarantes: quod iidem Episcopi, ratione commissionis hujusmodi, cum Diœcesanorum subditis dispensandi ac ligandi, vel solvendi eosdem in manifestis casibus, vel occultis, nullam obtinent facultatem, vel potestatem, nisi Diœcesanus circa hoc eis quidquam specialiter duxerit permittendum vel concedendum. Item, inhibemus eisdem, ne cum ordines celebrant, sub suo titulo, aliquos ordinandos inscribi faciant vel admittant, nisi examinatoris judicio fuerint approbati.

Præterea; cum indulgentiarum nimietas, claves Ecclesiæ contemptibiles raddat, pœnitentialem satisfactionem enervet, & Pontificalem auctoritatem annihilet, generali Concilio inhærendo statuimus: ut nullus in dedicatione cujuslibet Basilicæ det Indulgentiam ultra annum, seu ab uno Episcopo, seu a pluribus dedicetur, & in anniversario XL. dies: in dedicationibus autem talibus, ac ordinum temporibus, relaxari catenas, & pœnitentias introduci, omnino vetamus, sed hoc fiat tantummodo in festo Cœnæ Domini ad hoc ordinato.

L. *De promovendis ad Ordines Sacros.*

Timotheo præcipit Apostolus: ut *nemini cito manus imponeret*, & Carthaginense Concilium statuit: nullum Clericum, nisi probatum examine, ad ordines promoveri. Quare cum una dumtaxat, qua se demum examinandi præsentant die Sabbatho videlicet, debita examinationis discussio non valeat exerceri: Navarensi Concilio inhærendo statuimus: ut examinandi quarta feria ante sabbatum Ordinarii Examinatorum conspectui se repræsentent, quatenus eo die, & duabus sequentibus, examinatorum continuetur officium; sic, quod in Sabbato quo ordines conferuntur, orationibus, & aliis quæ ad devotionem conducunt, vacare valeant ordinandi: statuentes: quod nullus ad examen admittatur, nisi recenter confessus fuerit omnia sua delicta idoneo Sacerdoti; ut quia pauci sunt qui sua delicta, vel sequelas intelligant delictorum, per Sacerdotem discretum valeant instrui ordinandi, an sibi expediat ordinari, vel ob irregularitatis alicujus sequelam, eis sit potius abstinendum. ANNO CHRISTI 1261.

LI. *De sepulturis.*

Moguntinum Concilium universos Sacerdotes Parochialium Ecclesiarum, & Capellarum ministros excommunicationi subjacere decrevit, quicumque alicui de plebe sua, sive in vita, sive in morte, directe, vel indirecte, persuadere præsumpserit, ne in Ecclesiis Conventualibus, vel in aliis locis magis religiosis, sibi eligat Sepulturam, cum talis persuasio sacris Canonibus contradicat, & de avaritiæ radice procedat; verum Sacerdotes, & ministri prædicti in communicando subditos suos in ægritudine constitutos, difficultatem, ut accepimus, ingerunt, ob hoc dumtaxat, quod iidem subditi in Ecclesiis Conventualibus, seu locis aliis Religiosis sibi elegerint sepulturam. Cum igitur mora in talibus periculosa sit admodum, & damnosa, hujus Sacri approbatione Concilii adjicimus Concilio memorato, ut postquam dicti subditi peccatorum suorum confessionem fecerint, ut tenentur, si Rectores eorum, ob hoc quod elegerint sepulturam in Ecclesiis Conventualibus, seu aliis locis, magis religiosis, & Diœcesano subjectis, difficiles se reddiderint in communicando eosdem, iidem ex tunc communionem Domini nostri Jesu Christi recipere valeant, a quo maluerint Sacerdote. Decrevimus etiam ut parentes pro liberis infra annos discretionis, ac pro his, quos tenent in paterna potestate, eligere valeant liberam Sepulturam.

LII. *De Monachis commessatoribus & rerum sæcularium sectatoribus.*

Plerique Religiosi, maxime ordinis Sancti Benedicti, non verentur convivia frequentare, sæculares personas ad ipsa Cœnobia pro commessationibus invitantes, ex quo scandalizantur non solum extranei, sed etiam confratres eorum, Religio dissolvitur, & modestia Monastica deformatur: cum igitur juxta Sacrorum statuta Canonum, & venerabilium Conciliorum decreta, Monacho non liceat, undecumque provenerit, aliquid usibus appropriare privatis, & convivia & commessationes prædictas non sit dubium sumptus requirere proprios, & privatos; Sacri approbatione Concilii de cætero ex quacumque causa fieri prohibemus: si quis autem transgressor extiterit, carceralem octo dierum sustineat disciplinam.

Cæterum cum dicat Apostolus: *Nemo militans Deo implicat negotiis sæcularibus*, & juxta decretum Eugenii Papæ, nullus Monachorum pro lucro terreno de Monasterio exire, nefandissimo ausu, præsumere debeat; Sacrorum Statuta Canonum imitantes, districtius inhibemus: ne quis Monachus in quocumque judicio Ec-

cleſiaſtico, vel civili, præſumat aliquatenus advocare, niſi forte, ut canon indulget, in cauſa ſui Monaſterii, & hoc Abbate nihilominus imperante: hujus autem ſtatuti tranſgreſſor pro qualibet advocatione unius diei carcerem in culpa ſubjaceat graviori; Abbas vero vel Prior, ſi Abbatem eo tempore deeſſe contingat, qui pœnas hujuſmodi diſſimulare præſumpſerit, gravi ſubjaceat ultioni, Diœceſani ſui judicio puniendus. ANNO CHRISTI 1261.

LIII. *Ut in ſingulis Monaſteriis domus hoſpitales ſint.*

Cæterum, cum in pleriſque Cœnobiis ſit Hoſpitale ab antiquo conſtructum, & officium Hoſpitalarii, Hoſpitalarius vero, qui tali præeſt officio, ipſius Hoſpitalis redditus propriis uſibus damnabiliter applicet, quos potius deberet in uſus convertere infirmorum; hoc Sacro favente Concilio, ſtatuimus: ut in ſingulis Monaſteriis diſcretæ eligantur & maturæ perſonæ, qui redditus prædicti officii recolligant univerſos: in ipſis vero Hoſpitalibus recipiantur ammodo & paſcantur de dictis redditibus ſenes infirmi, & decrepiti Sacerdotes, qui pro debilitate corporis non valent nec debent Sacerdotale officium ulterius exercere, ne ipſos, quos Miniſterii noſtri cooperatores habuimus, fame oporteat miſerabiliter interire, vel neceſſitate cogente, in vituperium Miniſterii noſtri, & in opprobrium ordinis Clericalis, in plateis, quod Jeronymus deteſtatur, miſeros mendicare.

LIV. *De Anno gratiæ.*

Sunt nonnulli, qui anno gratiæ, qui pro relevatione debitorum in fructibus beneficiorum defunctis Clericis eſt conceſſus, damnabiliter abutuntur; fructus ipſius anni conſanguineis ſuis, vel aliis, quibus voluerint, relinquentes, ex quo provenit duplex injuria Eccleſiæ: defraudatur enim Eccleſia per dictum anni ſpatium ſervitore, privatur etiam perſona ſuccedens in percipiendis fructibus jure ſuo; quod de cætero fieri prohibentes, & Sacro approbante Concilio, ſtatuimus, quod niſi pro relevatione debitorum, quæ tamen aliunde ſolvi non poſſunt, anno gratiæ Clerici non utantur, vel niſi ipſius anni fructus pro aliqua pia cauſa ipſi relinquant Eccleſiæ, unde beneficium habuiſſe noſcuntur. Statuimus etiam, ut Diœceſanus provideat, ne in aliquo Hoſpitali recipiatur aliquis, qui A ſuſtentationem habere debeat in Hoſpitali eodem, niſi primitus ſignum aliquod in veſtis mutatione deferat, per quod ab aliis ſæcularibus diſcernatur. ANNO CHRISTI 1261.

Ex codice M. S. Monaſterii S. Petri Erfordiæ deſcripſit Cl. Schannatus.

Ad elucidationem cap. XLVIII. ſpectant articuli ſequentes, ex parte Epiſcopi Argentinenſis Watheri, in eadem hac ſynodo exhibiti adverſus Quæſtuarios, ſeu FF. Mendicantes.

I. Magiſter Henricus, in publicis ſuis ſermonibus docuit, quod Sacerdos vinculo peccati mortalis ligatus, alium conſimili vinculo ligatum abſolvere non poteſt, declarans hoc de duobus ligatis, quorum unus alium ſolvere non poteſt. B

II. Per eundem fratrem præfatum publice in civitate Argentina, in foro equorum, prædictum fuit: quod Monialis profeſſa, ſi carnis tentatione & humana fragilitate victa, caſtitatem ſervare nollet, majoris veniæ & minoris culpæ eſſet, ſi cum Religioſo, quam cum laico committat flagitium.

III. Item per eundem, & generaliter omnes Quæſtuarios, prædicatum fuit in diverſis locis: quod excommunicationis Sententia non ligat animam, ſed ſolum corpus, & quod ad terrorem dumtaxat eſt adinventa. C

IV. Item quod auctoritas ipſorum ſit altior, quam Plebanorum.

V. Item, quod nullus tenetur diebus Dominicis & Feſtivis accedere ad propriam Parochiam.

VI. Item; Quod nullus tenetur Plebano ſuo, etiam quocumque tempore anni, confiteri.

VII. Item; quod Sacerdos beneficiatus, pro aliis, quam pro ſuis Fundatoribus orare non poſſit.

VIII. Item, damnaverunt publice conſuetudinem civitatis Argentinæ, per quam Parochianus eligens extra ſuam Parochiam ſepeliri, dat ſuo Plebano ultimum vale, ſeu aliquas pecunias loco illius. D

IX. Item; generaliter plurima ſcandaloquia proferunt in ludibrium, & vituperium Cleri Civitatis Argentinæ, etiam nominando publice perſonas, præſertim Plebanorum, dictæ civitatis, per quod populus a frequentatione Parochiarum retrahitur.

CONCILIUM COPRINIACENSE

ANNO CHRISTI 1262.

Ex codice Santonenſium conſtitutionum, & ex MS. editum.

Conſtitutiones provinciales factæ in ſynodo apud Cognac, præſidente domino Petro Dei gratia Burdegalenſi archiepiſcopo, an. Dom. MCCLXII. in primo anno promotionis ſuæ. E

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut loca in quibus res vel perſonæ eccleſiaſticæ captæ detinentur, ſubjaceant interdicto.*
2. *De illis qui impediunt juriſdictionem eccleſiaſticam.*
3. *De excommunicatis compellendis.*
4. *Ut detentores non abſolvantur ab excommunicatione, niſi reſtituant.*
5. *Quomodo impediendi, qui publice celebrant Divina durante interdicto.*
6. *De vicariis non conſtituendis.*
7. *Quomodo debent pronunciari conſtitutiones provinciales in ſynodo.*

CA-

ANNO CHRISTI 1261.

CAPITULA.

I.

Ut loca in quibus res vel perſonæ eccleſiaſticæ captæ detinentur, ſubjaceant interdicto.

STatuimus, & ſacri approbatione concilii definimus, quod loca, villæ, caſtra, civitates, ſive parochiæ, in quibus res eccleſiæ aut perſonarum eccleſiaſticarum, vel ipſæ perſonæ, captæ, raptæ, invaſæ, vel occupatæ detinebuntur, niſi monitione præmiſſa, ſolvantur vel recredantur, ipſo facto ſubjaceant interdicto: ipſis etiam capientibus, invadentibus, occupantibus, detinentibus, & id fieri procurantibus, excommunicationis ſententiæ ſubjacentibus ipſo facto. Et ſi forte alibi transferantur, ut aliquando comperimus eſſe factum, loco illo in quo facta eſt translatio, ſubjacente denuo interdicto, primum interdictum nihilo minus in ſuo robore perſeveret. Et ſi ad plura loca translationem contingat fieri, idem duximus obſervandum.

II.

De illis qui impediunt juriſdictionem eccleſiaſticam.

Rurſus illos qui impediunt quoquo modo, vel procuraverint impedire, ne cauſæ quæ ad forum eccleſiaſticum de jure vel de conſuetudine pertinere noſcuntur, in foro eccleſiaſtico ventilentur, excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.

III.

De excommunicatis compellendis.

Cum quos timor Dei a malo non revocat, pœna debeat cohibere temporalis: ſtatuimus, quod barones & alii juriſdictionem temporalem habentes, ad compellendum excommunicatos per occupationem bonorum, quæ ſub ſua juriſdictione conſiſtunt, vel alias, redire ad eccleſiæ unitatem, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur.

IV.

Ut detentores non abſolvantur ab excommunicatione, niſi reſtituant.

Prædicti vero delinquentes, a dictæ excommunicationis ſententia nullatenus abſolvantur, niſi rerum & perſonarum facta prius deliberatione & reſtitutione plenarie, & ſatisfaciant de expenſis, damnis, intereſſe, & deperditis, tam ipſis paſſis injuriam, quam etiam eccleſiis & eorum adminiſtratoribus, in quibus ob eorum delictum ceſſatum extiterit.

V.

Quomodo impediendi, qui publice celebrant Divina durante interdicto.

Adjicimus: cum erit generale interdictum loci, & denunciatum per ordinarium, videtur poſſe occurri contra illos, qui celebrant publice Divina non clauſis januis, durante interdicto prædicto, hoc modo: ut inhibeatur in quolibet epiſcopatu generaliter, & ſpecialiter ubi opus erit, quod parochiani & ſubditi non accedant ad eccleſias ſuas infra metas parochiæ loci interdicti, cauſa audiendi in eis Divina, durante prædicto interdicto. Et ſi ſecus egerint, excommunicentur, & excommunicati denuncientur.

VI.

De vicariis non conſtituendis.

Cum olim in concilio provinciali fuerit ordinatum, vicarios per archidiaconatus, decanatus, archipresbyteratus, ab archidiaconis, decanis, vel archipresbyteris non conſtitui, niſi forte ipſis juſta cauſa abſentibus, hoc fieret de ſuorum licentia prælatorum; & nonnulli de prædictis prædictam conſtitutionem hactenus, prout intelleximus, neglexerint obſervare: ipſam ex nunc, per interminationem excommunicationis, cui non parendo, tam conſtituentes, quam conſtitutos ſupponimus, inviolabiliter præcipimus obſervari. Adjicientes, ut & ipſi extra fines archidiaconatuum, decanatuum, & archipresbyteratuum, de cauſis aliquibus cognoſcere non præſumant, contra facientibus pœnam infligentes eamdem.

ANNO CHRISTI 1262.

VII.

Quomodo debent pronunciari conſtitutiones provinciales in ſynodo.

Statuimus, ut conſtitutiones provinciales annis ſingulis in ſynodis publicentur, & maxime illæ, per quas pœnæ tranſgreſſoribus infliguntur.

NOTA GABR. COSSARTII

In codice Santonenſis eccleſiæ, dicuntur hæ conſtitutiones factæ apud Copriniacum: in MS. noſtro, factæ apud *Cognac*. Cujus de apellatione loci vide obſervationem noſtram de concilio Copriniacenſi, pag. 746.

ANNO CHRIST. 1262.

CONSTITUTIONES D. PETRI

BURDEGALENSIS ARCHIEPISCOPI

ANNM CHRISTI 1263.

Anno Domini MCCLXIII.

ANNO CHRIST 1263.

G. C. Cum ſint in codice Conſtitutionum Santonenſium: eſt cur provinciales vîderi poſſint. Verba tamen ipſa ſynodum ſonant diœceſanam, ut c. 1. *literas noſtras abſolutorias*, & c. 4. diſertius, *diœceſis noſtræ*.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut excommunicati, pro abſolutis non habeantur, donec litteras abſolutorias epiſcopi receperint.*
2. *Quod qui per annum excommunicationem ſuſtinuerit, hæreticus nuncietur.*
3. *Ne ſepeliatur alienus parochianus.*
4. *De Confirmatione.*
5. *De clandeſtinis matrimoniis.*
6. *De ſcribendis excommunicatis.*
7. *De abſolutione infirmi excommunicati.*

CAPITULA

I.

Ut excommunicati, pro abſolutis non habeantur, donec litteras abſolutorias epiſcopi receperint.

STatuimus & præcipimus ſub pœna excommunicationis, cui ipſo facto non parentes ſupponimus: quod illi qui authoritate noſtra excommunicati fuerint, ſuper quorum abſolutione litteras noſtras non receperint capellani, non denuncientur abſoluti, nec pro abſolutis habeantur, quouſque noſtras litteras abſolutorias receperint eorumdem.

II.

Quod qui per annum excommunicationem ſuſtinuerit, hæreticus nuncietur.

Statuimus, quod ſi aliquis, cujuſcumque ſexus vel conditionis exiſtat, per annum excommunicationem ſuſtinuerit, ex tunc denuncietur hæreticus, & etiam habeatur,

III.

Ne ſepeliatur alienus parochianus.

Statuimus, quod aliquis non recipiat alienum parochianum ad ſepulturam, niſi de licentia ſui capellani, vel aliorum ad quos ſepultura ejus pertinet: tamen de jure ſuo primitus ſatisfacto. Alias præter pœnam excommunicationis, cui contra facientes ſupponimus, tam recipientes quam hæredes recepti; ac prædictis capellanis, & aliis quibus ſepultura ejus pertinet, ad intereſſe eorum juramento declarandum noverint ſe teneri.

IV.

De Confirmatione.

Conſtitutioni prædeceſſorum noſtrorum, quæ eſt de adultis confirmandis, * adduximus, ut cum jura noſtræ diœceſis nos contingit viſitare, ſacerdos ad quem declinabimus, noſtro recepto nuncio, ſubditos ſuos moneat, & inducat, quod pro Confirmationis ſacramento recipiendo, cum neceſſitas exiſtat, noſtro conſpectui ſe præſentent.

* Fortè dendum ximus.

V.

De clandeſtinis matrimoniis.

Conſtitutioni de clandeſtinis matrimoniis duximus hoc addendum, quod clandeſtina matrimonia contrahentes, necnon illi qui talibus matrimoniis intererunt, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant: inſuper presbyteri

teri & clerici, qui talibus matrimoniis A intererunt, ipso facto, præter pœnam excommunicationis prædictam, ab officio & beneficio sint suspensi.

Clandestina autem matrimonia intelligimus in hoc casu, dum aliqui matrimonium contrahunt in facie ecclesiæ nisi in ecclesia parochiali viri, & tunc cum licentia capellani uxoris; vel in ecclesia uxoris, cum licentia capellani viri; vel nisi in ecclesia alia parochiali cum capellanorum licentia utriusque.

Clandestinum matrimonium dicitur tribus modis: scilicet, cum non habentur testes, ut extr. de clandestina desponsi. c. *Quod nobis*. Item cum non fit cum solemnitate: ut xxx. q. v. can. *Aliter*. Item quando fit non præmissa denunciatione; ut extr. de clandestina desponsi. c. *Cum inhib. con.* B

VI.

De scribendis excommunicatis.

Statuimus, quod quilibet capellanus papirum habeat in parochiali ecclesia, C in qua scribantur nomina excommunicatorum; ita quod si quoquo modo mutari contingeret capitulum, appareant, & amitti non possint a denunciatione pro excommunicatis, prout a judice fuerit injunctum: alioquin adversario ad interesse, & ad jus judicis teneantur. ANNO CHRISTI 1263.

VII.

De absolutione infirmi excommunicati.

Statuimus, immo verius in jure declaratum est & statutum, quod excommunicatus, interdictus, vel suspensus a quocumque judice, si de facto absolvatur ab alio, quam a judice qui sententias tulerit, vel a proprio capellano in necessitatis articulo, pro absoluto minime habeatur. Sed si signa pœnitentiæ præcesserint in eodem, ejus absolutio requiratur post mortem a judice, a quo lata fuerat sententia dum vivebat.

CONCILIUM PARISIENSE,

In quo centesima bonorum ecclesiasticorum subsidio terræ sanctæ in quinquennium addicta anno Domini MCCLXIII.

Edidit Cl. Menardus inter observationes ad Jonvillanum.

Declaratio centesimæ.

HÆc est tractatio & ordinatio Parisiis in octava beati Martini hiemalis habita, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio.

Primo quod archiepiscopus Tyrensis apostolicæ sedis legatus litteras, quas habet & legi fecit super centesima reddituum ecclesiasticorum pro subsidio terræ sanctæ, tradat domino regi, nec eis de cetero utatur dictus archiepiscopus, per se vel per alium, contra illos, qui ordinationi prælatorum, quæ sequitur, fuerint obedientes, & ordinationi prædictæ adhærentes. Si vero aliqui nollent prælatis adhærere, vel stare ordinationi eorundem; contra illos, si vellet, dominus archiepiscopus utetur litteris E supradictis. Talis est autem, super subventione prædictæ terræ sanctæ, spontanea, non coacta ordinatio prælatorum.

Concessum est a prælatis & suis subditis, pro se & sibi adhærentibus, ex ipsorum prælatorum mera gratia, non ex vi litteræ, super subventione terræ sanctæ a domino Papa impetrata, non aliqua coactione, sed sponte: quod ipsi prælati, & eorum subditi & sibi adhærentes, ob salutem animarum suarum, propter necessitatem terræ sanctæ, concedant terræ sanctæ subsidium, de centum libris & viginti solidis reddituum suorum ecclesiasticorum viginti solidos, & secundum proportionem huDjus summæ, secundum quod plus vel minus habebunt aliqui in redditibus ecclesiasticis, solvant: & quod nullus compellatur per sæcularem potestatem ad præstandum hujusmodi subventionem, sive portionem ipsum contingentem: sed quilibet prælatus in sua diœcesi compellat subditos suos solvere per censuram ecclesiasticam. Et si aliquis rebellis esset, exemptus, vel non exemptus, qui nollet solvere ad mandatum & coactionem prælati sui: tum dominus Tyrensis archiepiscopus, per se, vel per alium, posset uti contra eum litteris suis. Si quis vero fuerit presbyter parochialis, capellanus, vel alius, cujus redditus est ita pauper & tenuis, quod non excedit summam duodecim librarum Parisiensium; nihil solvat, nisi voluerit: Et erit in æstimatione diœcesani loci, qui redditus, sive beneficium, sit duodecim librarum, vel minus, & tunc ex iis non solvatur: & si excedat, solvatur. Ita tamen quod si aliqua persona habeat plura beneficia, quorum quodlibet non valeat duodecim libras, sed omnia sua beneficia insimul computata valerent duodecim libras, integre de omnibus solvere teneatur. Et debet ista subventio durare per quinquennium; & quolibet anno solvi medietas in festo nativitatis beati Joannis Baptistæ, & alia medietas infra nativitatem Domini, proxime subsequentem. Nomine autem reddituum intelliguntur valores terrarum, pratorum, vinea-

ANNO CHRISTI 1263.

nearum, feudorum: ſecundum quod valores eorum per annum æſtimantur in loco ubi ſunt ſitæ. De diſtributionibus autem quotidianis, quæ in eccleſiis fieri conſueverunt, canonici nihil ſolvant: dum tamen de communi burſa capitulorum, unde diſtributiones fieri conſueverunt, ſubventio prædicta fuerit exſoluta.

ANNO CHRISTI 1263.

SYNODUS MASSILIENSIS

In qua Excommunicantur

In ſolvendo decimas contumaces.

Ex Miſcell. Baluz. t. 6. p. 353.

QUoniam in ſignum univerſalis dominii univerſorum dominus Deus, de univerſis quæ dedit uſui hominum, decimas ſibi retinuit, eaſque diſtribuit clericis & Eccleſiis, per quos & in quibus ejus cultus fieret, & ſibi ut dominatori omnium ſerviretur; ideo decimæ per rectores Eccleſiarum ex debito requiruntur, in tantum quod qui eas ſolvere integre noluerit, debet ut invaſor & detentor juris divini & eccleſiaſtici excommunicari tanquam pro peccato mortali, ſicut docent jura canonica & divina. Cum igitur nos B. Dei gratia Maſſilienſis Epiſcopus intellexiſſemus per plurimos, & etiam nos noſtra conſcientia remorderet, quod de negligentia eramus plurimum arguendi tanquam immemores ſalutis noſtræ noſtrorumque ſubditorum, quia decimas in civitate Maſſilienſi non faciebamus ſolvere ut canonica docent jura. Et licet huc uſque poſſemus aliquatenus excuſari, quia quondam errores hæreticorum invaluerant in civitate, qui contemptibiliter irridebant eos qui decimas vel primitias vel oblationes clericis vel Eccleſiis materialibus perſolvebant, & impunitatem non præſtantibus prædicabant; nunc non haberet locum illa excuſatio, quia per Dei gratiam illi hæretici & eorum errores per ſalubre prædicationis & inquiſitionis officium a civitate Maſſilienſi extirpati ſunt & quotidie extirpantur; & ideo error de non ſolvendis decimis eſt merito in civitate Maſſilienſi extirpandus. Hinc eſt, quod nos B. Dei gratia Maſſilienſis Epiſcopus de taciturnitate & negligentia pœnitentes, & honorem Dei & Eccleſiæ, ac ſalutem ſubditorum promovere volentes, ſecundum doctrinam Domini noſtri Jeſu Chriſti pluries moneri fecimus cives Maſſilienſes per capellanos parochiales ſolemniter in Eccleſiis ad Miſſas, & nos perſonaliter viva voce pluries monuimus illos, qui propter hoc ad nos veniebant de mandato & vice conſilii generalis Maſſiliæ, ut omnes integre ſolverent decimas ſecundum ſtatuta canonica & divina, & poſt plures monitiones ſententiam excommunicationis ferri fecimus & publicari per dictas Eccleſias contra illos qui decimas integre ſolvere denegarent. Et quia intelleximus quod quidam ſunt in tantum in ſua malitia obſtinati, quod impudenter dicunt non eſſe ſolvendas decimas ex debito clericis vel Eccleſiis, nec ad hoc debet per excommunicationis ſententiam quis compelli, & quod illi qui volent ſolvere, poſſunt eas dare pro eleemoſyna quibus voluerint, Epiſcopi licentia non obtenta, nos attendentes quod ſecundum jura canonica hæc omnia ſunt ..... fecimus fieri ſolemniter iterum monitiones per Eccleſias, quod nullus verbo vel facto ſe excuſaret vel defenderet, quin quilibet teneretur reddere decimas Eccleſiis & clericis integre ſecundum quod in ſacris canonibus & ſtatutis apoſtolicis continetur. Et quia per plures dies ſolemnes auctoritate noſtra factæ fuerunt hujuſmodi monitiones, cum intelligamus quod non ceſſant iſti detractores Eccleſiæ, defenſores errorum, & impugnatores juſtitiæ, nos eorum malitiæ obviantes, cum dicant jura quod ſi quis peccantem defenderit, maledictus erit apud Deum & homines, & acrius quam ille qui peccavit debet coerceri, & qui alterius errori conſentit, ſimili modo eſt culpabilis judicandus, (ut XI. q. III. *Qui conſentit.*) & qui aliorum errorem defendit, multo eſt damnabilior illis qui errant, quia non ſolum ille errat, ſed etiam aliis offend*icula* erroris præparat & confirmat, unde quia magiſter erroris eſt, non tantum hæreticus, ſed hæreſiarcha eſt dicendus. (XXIV. q. I I I. *Quæ aliorum.*) Nos B. Dei gratia Maſſilienſis Epiſcopus in plena ſynodo reſidentes, poſitis coram nobis evangeliis, & ſanctorum reliquiis, auctoritate Dei omnipotentis patris & filii & ſpiritus ſancti, in ſcriptis excommunicamus omnes illos qui in civitate Maſſilienſi contumaces fuerint in non ſolvendo decimas integre, & qui talibus in hoc verbo vel opere dederint conſilium, auxilium, vel favorem, ſententias etiam latas auctoritate noſtra ſuper hoc per officialem noſtrum nihilominus confirmantes, & mandantes Notariis noſtris præſentibus, ut ſuper iis faciant publica inſtrumenta. Lata fuit hæc ſententia anno Domini MCCLXIII. IX. Kal. Novembris in majori Eccleſia beatæ Mariæ ſedis Maſſiliæ.

ANNO CHRISTI 1263.

CONCILIUM BONARCADENSE IN SARDINIA

A PROSPERO ARCHIEPISCOPO TURRITANO

Pro Eccleſiæ ſuæ regimine anno 1263. celebratum.

CONcilii hujus acta nulla prodierunt; ſed A ejus meminit Vicus in annalibus Sardiniæ apud cl. Matthæi in ſua *Sardinia Sacra* p. 156. qui tamen de illo num habitum unquam fuerit dubitat, ex rationibus quas infra ipſis ejus verbis referam. Hæc igitur ejus verba de eodem Concilio:

„ Franciſcus Vicus Stephanum in Archiepiſcopis Turritanis non agnoſcit; ſed poſt Opizonem refert Proſperum, quem electum aſſerit anno 1252. quod falſum eſſe ex a me paulo ante narratis aperte conſtat. Plura de eo tradit ac inter cetera declaratum R. P. legatum totius Sardiniæ anno circiter 1263. B Concilium celebraſſe cui ille præfuit & ſinguli alii Regni Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates interfuerunt. Hoc ordine recenſentur ab eodem Vico Tom. 2. par. 4. cap. 31. fol. 72. ex ejus actis quæ MSS. in tabul. Eccl. Turritanæ, Arborenſis, & Uſellenſis aſſervantur

„ *Proſper Archiepiſcopus Turritanus metropolitanus, Legatus Sardiniæ & Corſicæ.*
„ *Archiepiſcopus Calaritanus.*
„ *Epiſcopus Terralbenſis.*
„ *Epiſcop. Dolienſis.*
„ *Epiſcop. Suellenſis.*
„ *Epiſcop. Civitatenſis.*
„ *Epiſcop. Sorrenſis.*
„ *Archiepiſcopus Arborenſis.*
„ *Epiſcop. Sanctæ Juſtæ.*
„ *Epiſcop. Uſellellenſis.*
„ *Epiſcop. Sulcitanenſis.*
„ *Epiſcop. Othanenſis.*
„ *Abbas de Saccargia.*

„ In hoc autem Concilio habito, ut ille ait, „ in oppido Bonarcadæ, quod ad Diœceſim „ Arbonenſem ſpectat, uti liquet ex numero „ pagorum illi ſubjectorum apud Vitalem *in* „ *Appara. ad An. Sardiniæ col.* 35. editæ ſunt „ communi ſuffragio (*Vicus loco cit.*) 31. „ Conſtitutiones valde fructugæ ad bonum Ecclefiarum regimen. Ex his una eſt (Vicus „ Par. 6. c. 5.) *de Sanctis non canonizatis, &* „ *tollendis Reliquiis inconſulto Pontifice expoſitis,* E „ *& demolitione Eccleſiarum eiſdem erectarum.* „ Singulas executioni mandarunt in Concilio „ Provinciali Saſſari poſtea habito, & in altero „ item Provinciali celebrato Arboreæ ab Od- „ done illius Urbis Antiſtite an. 1309., & a „ ſuis *ſuffraganeis* Joanne Epiſcopo Sanctæ Juſtæ, & Roberto Epiſcopo Terralbenſi, in „ quo inſuper undecim alias Conſtitut. edide- „ runt Vicus *Par.* 4. c. 31. Cum nemo ex tot, „ qui Collectioni Conciliorum locupletandæ „ operam navarunt, Synodorum, de quibus hactenus verba feci, Acta ediderit, ſi quis eadem publica donaret luce, tam gratum faceret, quam quod gratiſſimum. Ego, quod ad primum Concil. attinet, per litteras ſupplicare non omiſi virum Saſſaritanum doctum mihique ſodalitate conjunctum, ut illius acta traſmittere vellet, ſed nondum, neſcio quo caſu, dedit reſponſum, quo ſaltem in magnam ſpem animum meum erigeret, ſe aliquando miſſurum. Si voti compos factus ero, ea ad calcem hujuſce operis in lucem emittam. Interea animadverto, non deeſſe, qui Concilium Bonarcadenſe dubium cenſent, imo vero etiam qui libere apocryphum pronunciant Ambrogius Machinus lib. 2. *Defenſionis Primatus Arch. Calaritani cap.* 38. *pag.* 170. aſſerit ſpurium, & a Turritanis confictum, qui, ait ille, ſoliti ſunt ſimilia facere uti conſtat ex Catalogo Archiep. C Turritanorum. *Clodius accuſat Mœchos, Catilina Cethegum*, Dubium vero cenſet cl. Cantelius *Hiſt. Metropol. Urbium Par.* 3. *Diſſerta.* 6. *cap.* 4. *num.* 6. Huic ego quoque adſtipulor ob ſequentes conjecturas; in primis enim Turritani variant de anno, quo fuit celebratum, quorum aliqui hoc factum aſſerunt anno 1263., alii (apud Machinum ibidem) anno 1272.; deinde incertum eſt, utrum Proſper unquam hanc adminiſtrarit Eccleſiam; etenim Vicus, qui iſtius meminit, ait electum eſſe anno 1252. D quo erat Archiepiſc. Stephanus; tandem eſto Proſper Turritanam per ea tempora occupaverit ſedem, tamen Antiſtes Saſſar., ſeu Turr. anno 1263. Legatus erat Pontif. non in Sard. & Corſica, ut legitur in præfatæ Synodi Actis, ſed ad Genuenſes, uti Juſtinianus *loco indic.* tradit, & ante illum litteris conſignarat Bartholomæus Scala *lib. 6. Annal. Genuenſ.* apud Murat. T. VI. *Script. Rer. Ital. col.* 3. 530.; *de menſe Junii (an.* 1263.) *circa exitum dicti menſis, venerunt .... Ambaſiadores Januam, & adduxerunt ſecum legatum unum Dom. Papæ ſcilicet archiep. de Saſſari: qui Januæ ſtetit per multos dies, & expoſuit in conſilio ambaſciariam ſuam ex parte Domini Papæ.*

ANNO CHRISTI 1264.

PRÆCEPTUM HENRICI III.

ANGLORUM REGIS,

Contra non reſidentiam prælatorum.

Ex bibliothecæ Cotton. edidit collector Anglicanus.

Rex epiſcopo Hereſordiæ ſalutem.

PAſtores gregibus præponuntur, ut diei noctiſque vigilias exercendo ſuper eos qui pecoris vultum agnoſcunt, oves famelicas infertilitatis paſcua introducant: errantes vero, per verbum ſalutis, & virgam correctionis, in unius ovilis conſervare ſtudeant indiſſolubilem unitatem. Sed ſunt nonnulli, qui ſanctam doctrinam damnabiliter contemnentes, ac ſua ab aliis pecora diſtingui neſcientes, lac & lanam tollunt; qualiter Dominicus grex alatur, non curantes, temporalia rapiunt, & quis in parochia fame pereat, aut periclitetur in moribus, non attendunt: qui non paſtores ſed mercenarii dici promerentur. Hoc ſiquidem dum his diebus ad diſponendum de regni noſtri præſidiis, in partes Marchiæ nos transferemus, in eccleſia veſtra Herefordienſi dolenter referimus nos inveniſſe: quam adeo nos invenimus paſtoris ſolatio deſtitutam, ut ne dum epiſcopum, ſed nec officialem habeat, vicarium aut decanum, qui quicquam ſpiritualiter exercere poſſit in eadem. Sed eccleſia ipſa, quæ olim deliciis affluere conſuevit, & canonicis, qui ibidem nocturnis & diurnis officiis vacare, & opera caritatis exercere deberent, eam deſerentibus & longe degentibus in remotis, ſtola jucunditatis exuta, recidit in terram, viduitatis ſuæ detrimenta deplorans: nec eſt, qui conſoletur eam ex omnibus caris ejus. Sane dum hæc, vidimus & conſideramus diligenter, pietatis aculeus viſcera noſtra commovit, & compaſſionis gladius intima cordis noſtri acrius vulneravit: & tantam eccleſiæ matris noſtræ injuriam ulterius diſſimulare non poſſumus, nec pertranſire incorrectam. Quapropter vobis mandamus firmiter injungentes, quatenus ad eccleſiam veſtram prædictam, occaſionibus quibuſcunque poſtpoſitis, cum ea qua poteritis celeritate, vos transferre curetis: commiſſum vobis in eadem cura paſtorali officium perſonaliter executorum, &c. Alioquin ſcire vos volumus pro conſtanti, quod ſi iſtud facere non curaveritis, bona temporalia, & omnia quæ ad baroniam ipſius eccleſiæ pertinent, quæ pro ſpiritualibus in eadem exercendis, pia progenitorum noſtrorum devotione, conſtat eidem fuiſſe collata, & quæ hactenus colligi & ſalva cuſtodire præcepimus in commodum & utilitatem ipſius eccleſiæ committenda, ceſſante jam cauſa, in manu noſtra totaliter capiemus: nec ulterius ſuſtinebimus, quod temporalia metat, qui ſpiritualia, ad quæ ex officii ſui debito tenetur, irreverenter ſubtrahere non formidat; aut quod emomulenta percipiat qui incumbentia ejuſdem onera ſubire recuſat. Teſte rege apud Herefordiam primo die Junii, anno regni ſui XLVII.

CONCILIUM NANNETENSE

Anno Domini MCCLXIV. die Martis poſt feſtum apoſtolorum Petri & Pauli concilium provinciale factum Nannetis a reverendo Patre Vincentio tunc archiepiſcopo Turonenſi.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ne prælati vel patroni ſe obligent ad beneficium non vacans.*
2. *Ne numerus monachorum imminuatur.*
3. *Ne clerici ſint venatores.*
4. *Ne vicariæ conſtituantur.*
5. *De procurationibus.*
6. *De reſidentiis faciendis, & beneficiorum pluralitate.*
7. *De pedagiis a clericis non exigendis.*
8. *De foro competenti.*
9. *De retredentia facienda de bonis clericorum per laicos captis.*

CAPITULA.

I.

Ne prælati vel patroni ſe obligent ad beneficium non vacans.

ORdinamus in primis, quod nullus prælatus eccleſiaſticus, vel patronus, ſe per litteras obliget ad collationem ſeu præſentationem beneficii non vacantis: & ſi contra fecerit, decernimus ipſum ex obligatione hujuſmodi non teneri: & promittens, per ſuperiorem pœna canonica puniatur.

II.

ANNO CHRISTI 64.

II.

Ne numerus monachorum imminuatur.

Item, cum cultus Divinus minui non debeat, sed augeri: statuimus ut in prioratibus non minuatur antiquus numerus monachorum; & si alicubi diminutus fuerit, restauretur: nisi prius coram episcopo loci causa sufficiens diminutionis hujusmodi proposita, ab ipso episcopo fuerit approbata.

III.

Ne clerici sint venatores.

Item, quia nullum venatorem invenimus sanctum: præcipimus ut prælati soliciti sint & intenti in puniendo clericos venatores, & præcipue presbyteros & religiosos, de quibus majus scandalum generatur.

IV.

Ne vicariæ constituantur.

Item ordinamus insuper, quod nullæ de cetero vicariæ constituantur, nisi in casibus a jure permissis. Et si contra factum fuerit, id decernimus non tenere.

V.

De procurationibus.

Præterea ne longi temporis victum brevis hora consumat: statuimus ut prælatis, cum ipsos ad suos subditos causa visitationis declinare contigerit, duo tantum fercula præparentur, nisi fiat de licentia prælatorum. Alioquin quod ultra præparatum fuerit, pauperibus erogetur: & subditus, qui hoc fecerit, vel etiam in duobus ferculis fraudem adhibuerit, ad superioris arbitrium puniatur.

VI.

De residentiis faciendis, & beneficiorum pluralitate.

Item volumus & ordinamus, quod habentes beneficia curam animarum habentia, in ipsis beneficiis resideant, sicut jura præcipiunt, & ipsorum beneficiorum curæ requirunt: salva tamen in omnibus diœcesani episcopi potestate. Si vero quisquam capellaniam adeptus fuerit, quæ residentiam debeat personalem, aut aliud beneficium curam animarum habens annexam: ipso jure vacet primum, quod similiter personalem residentiam exigebat.

ANNO CHRISTI 1164.

VII.

De pedagiis a clericis non exigendis.

Præterea cum juris sit provisione statutum, ne pro rebus ecclesiasticarum personarum, pedagia exigantur: prohibemus ne pro rebus clericorum, aut quarumcunque ecclesiasticarum personarum, quas non mercimonii causa duci faciunt per terram, aut per aquam, quisquam pedagia exigat, vel consuetumas, aut exactiones aliquas, quocunque nomine censeantur. Si vero aliquis a locorum ordinariis, in generali, canonica monitione facta, ut a prædictis exactionibus desistatur, circa hoc aliquid attentare præsumpserit: ex tunc volumus ipsum excommunicationis sententiam incurrere ipso facto.

VIII.

De foro competenti.

Prohibemus omnibus abbatibus, decanis, archidiaconis, & aliis ecclesiasticis personis, ne authoritate extraordinaria, ad loca minus insignia, ubi non potest juris peritorum copia haberi, coram se faciant, contra constitutionem fe. recor. Innoc. papæ IV. aliquem ad judicium evocari, aut litigare compellant, nisi hoc de partium processerit voluntate. Nec per generalem clausulam, *quidam alii*, plus quam quatuor evocentur. Alioquin qui contra hoc fecerit ad superioris arbitrium canonice puniatur.

IX.

De reeredentia facienda de bonis clericorum per laicos captis.

Sane quia laici clericis oppido sunt infesti: statuimus, ut si bona cujusquam ecclesiasticæ personæ per sæcularem potestatem, aut quemcunque laicum, occupata fuerint, aut detenta, ad reddendum vel recredendum, per locorum ordinarios, absque obligatione libelli, occupatores & detentores hujusmodi censura ecclesiastica compellantur: prius tamen ab ipsis conquerentibus judici ecclesiastico, vel ejus mandato, data idonea cautione de parendo juri coram eo,

ANNO CHRISTI 1264.

eo, vel ubi debebit, & de reddendis præfatis occupatoribus hujuſmodi rebus, ſi coram judice eccleſiaſtico probaverint quod jus habeant capiendi. Si vero illa occaſione, quod in prædictis recredentiis libellus fuerit denegatus, appellari contigerit: non audiatur appellans.

ANNO CHRISTI 1264.

CONCILIUM PARISIENSE

Adversus blasphemantes.

Præſente S. Ludovico Francorum rege, & Simone Card. ſedis apoſtolicæ legato, anno MCCLXIV.

EX tabulis ſupremæ rationum curiæ Pariſienſis, certum habemus hoc concilium. Hæc enim earum verba. Hoc anno MCCLXIV. celebratum eſt Pariſiis generale concilium a Simone tituli S. Cæciliæ cardinale, apoſtolicæ ſedis legato, in craſtino S. Bartholomæi. *Quid autem in eo geſtum? Illud opinor, quod narrat Gaufredus de Belloloco ordinis Predicatorum, cap.* XXXIII. *vitæ S. Ludovici, cui a confeſſionibus fuit: quod cum certo anno non tribuat, nos cur huic potius aſſignemus, rationem reddemus in notis.* Plurimum, *inquit*, anxiabatur & compaticbatur cor ejus ſuper peſtem illam generalem, quæ ab antiquo noxia, occupaverat ſpecialiter regnum ſuum: videlicet vitium jurationum turpium & blaſphemiarum in Dominum, & in ſanctos ipſius. Zelo igitur Divino permotus, & ſolerter cogitans, qualiter hæc execrabilis noxa poſſet ad honorem Dei de regno ſuo radicitus extirpari: habito prius diligenti conſilio cum domino Simone S. Cæciliæ presbytero cardinali, tunc apoſtolicæ ſedis legato in Francia, auctoritate ipſius legati & ſua convocati ſunt Pariſiis majores de regno, tam principes, quam prælati: ut ſuper hoc damnabili vitio refrænando, vel potius deſtruendo, apponeretur conſilium & remedium ſalutare. Igitur a domino legato facto ſuper hac materia ſermone ſolemni plurimum efficace, rex catholicus zelo ſancto ſuccenſus, ore proprio fecit ſuper hoc exhortationem devotam, & rationibus validis & apertis ſubnixam. Igitur de communi conſilio & aſſenſu edidit pius rex generale ſtatutum, quod per totum regnum ſervari & promulgari, voluit, in hæc verba. *Mutilus eſt hac parte Gaufredi codex: & ſtatutum in eo deſideratur.*

NOTÆ G. COSS.

Admonent qui Gaufredum ediderunt, edictum illud quod apud ipſum deeſt, in Jonvillani hiſtoria reperiri. Falſo. Nam ſtatuta, quorum meminit Gaufredus non ante annum MCCLXIV. ſunt edita, ut mox docebimus. At quæ legimus apud Jonvillanum, cum eadem Gallice ſint atque Latina illa quæ paulo ante concilio Biterrenſi adjunximus (niſi quod paulo contractiora) anno MCCLIV. Pariſiis edita ſunt, & Biterris in ſyuodo anno MCCLV. recitata & confirmata, ut paulo ante vidiſti. Ex quo Nangium obiter emenda, qui anno MCCLVI. promulgata eſſe ſcripſit.

Alia in idem flagitium, S. Ludovici ſtatuta edidit V. Cl. Carolus Du Freſne, Cangii dominus, eruditiſſimis ſuis ad Jonvillanum obſervationibus intexta: ſed non ea quæ in hoc Simonis legati concilio ſancita ſunt. Nam ſeveriora multo erant hæc noſtra: ferrumque candens intentabant, quo ſtatim poſt elictum inuſta eſſe labia civis Pariſienſis, qui *inhoneſte valde jurando blaſphemaverat in Deum*, Gaufredus ibidem narrat. At edictum quod affert Cangius, atrociores illas pœnas ſuſtulerat, obſequente haud dubie rege optimo Clementis IV. pont. max. conſiliis, qui anno MCCLXVIII. cum hortaretur ut peſtem illam de regno ſuo tolleret, tum auctor erat, ut pœnas alias reperiret *citra membri mutilationem aut mortem*. Quod didiciſſe nos profitemur ex eo, quem modo laudavimus, Cangio.

Cum igitur Pont. Max. anno MCCLXVIII. de illa pœnarum acerbitate quereretur: ante annum illum celebrata fuit, relata a Gaufredo ſynodus, in qua decretæ ſunt. At non ante MCCLXIV. Quo anno Simonem cardinalem, qui concilio præfuit, legatum in Gallias veniſſe diſcimus ex Urbani IV. ad S. Ludovicum epiſtola, qua cum a ſe mitti ſignificat, data IV. Non. Maii, III. pontificatus anno, qui annus eſt Chriſti MCCLXIV. Quam epiſtolam cum fine die annoque Ducheſnius ediditſet tomo V. cum iiſdem adſcriptis profert: Raynaldus ad hunc annum num. 13. Ex quo convicuntur erroris, & chronicon Mauriniacenſe, quod legati hujus in Galliam adventum tribuit anno MCCLXII. & Spondanus aliique, qui anno MCCLXIII.

Concilium autem anno MCCLXIV. in tabulis curiæ rationum Pariſienſis indicatum, illud ipſum eſſe, in quo edictum illud ſancitum eſt, multa perſuadent. Primum enim, haberi prius non potuit, ut jam dixi. Deinde in eo notas quas Gaufredus deſignat, invenio, nempe frequentiam præſulum, & Simonis legati præſentiam. Denique nullum aliud reperimus ante annum MCCLXVIII. ante quem, ut oſtendi, celebratum fuiſſe oportet.

CONCILIUM BONONIENSE

in Gallia.

In quo Angli regi ſuo rebelles excommunicantur, Anno Dom. MCCLXIV.

HEnricus III. Angliæ rex in leges quaſdam a regni ſui proceribus Oxoniæ anno MCCLIV. conditas jurare adactus, ab Urbano IV. Pont. Max. ann. MCCLXI. juramenti religione ſolutus, iis ſtare recuſavit. Hinc turbæ in Angliæ maximæ. Delectus arbiter S. Ludovicus IX. Franc. rex, anno MCCLXIII. Ambiani in magno epiſcoporum & optimatum conventu ſecundum regem Angliæ, antiquatis Oxonienſibus legibus, judicavit. Sed cum non acquieviſſent Angli proceres, malum recruduit. Ad extremum Urbanus papa (*inquit Pariſii continuator*) turbationi regni Angliæ compatiens, legatum miſit dominum *Guidonem* Sabinenſem epiſcopum, cardinalem, qui Angliam intrare non valens, navigio Quinque portuum mare occupante, quoſdam epiſcopos ex Anglia

ad

ad se, primo Ambianos, deinde Bononiam evocavit. Quibus sententiam excommunicationis & interdicti, auctoritate papali, in civitatem Londoniensem & Quinque portus, omnesque pacem regis Angliæ turbantes, fulminatam, publicandam exequendamque commisit. *Hæc continuator Parisii, qui hæc perperam ad annum MCCLXV. narrat. Nam antecedente contigisse hinc constat, quod Guido successit Urbano IV. qui anno MCCLXIV. obiit* VI. *non. Octobr. Sed hoc familiare est huic scriptori, ut res gestas anno uno differat. Eadem narrat Matthæus Westmonasterienſis.*

ANNO CHRISTI 1264.

VITA
ET EPISTOLÆ
CLEMENTIS PAPÆ IV.

CLemens quartus, patria Narbonensis, e villa sancti Ægidii, antea Guido Falcodius appellatus, jurisprudentiæ laude clarissimus, mortua conjuge quam prius habuerat, Podiensis, & paulo post Narbonensis episcopus factus, ex cardinale omnium acclamatione designatus est pontifex ipsis Nonis Februarii, anno Christi MCCLXV. regnante Richardo Romanorum rege. Initio pontificatus, mendicantis habitu Perusium usque profectus est; quo cardinales subsecuti, eum cum debito honore Viterbium deduxerunt. Interea Carolus Andegavensis Italiam ingressus, Romæ per cardinales ad hoc deputatos, Neapoleos & Siciliæ rex renunciatus est: ea conditione adjecta, ut feudi titulo ecclesiæ Romanæ quadraginta millia ducatorum quotannis penderet. Carolo rege creato, post Manfredi obitum, quem ipse devicerat, Conradinus valida manu instructus, ut regnum recuperaret supervenit: de quo Pontifex cum per agros Viterbienses eum transeuntem videret, fertur dixisse, ipsum tanquam agnum ad macellum deduci; quemadmodum etiam juste evenit. Eduvigem Poloniæ reginam, post mortem miracula facientem, in numerum sanctorum retulit. Sanctum Bonaventuram unice dilexit. In pauperes liberalis, erga Deum religiosus, apud omnes modestus extitit: & ut paucis multa complectar, nullis non virtutibus ornatus erat. Bona ecclesiæ fidelissime, nullo personarum habito respectu, distribuit. Filiarum duarum alteri, quas ex legitimo matrimonio ante pontificatum susceperat, in monasterio collocatæ triginta tantum libras, alteri trecentas libras dotis nomine dedit. Clerico nepoti tres præbendas habenti, duas abstulit, dicens, se Deo non carni & sanguini velle acquiescere. Post tres annos dieſque viginti & unum occupatæ sedis apostolicæ, mortuus & sepultus est Viterbii in ecclesia beatæ Mariæ virginis ad Gradus, tertio Kalendas Decembris, anno MCCLXVIII. Cumque de novo pontifice eligendo diutius disceptaretur, annis duobus & novem mensibus sedes apostolica pastore vacavit.

EPISTOLA I.

CLEMENTIS PAPÆ IV.

AD PETRUM GROSSUM DE SANCTO ÆGIDIO.

Agnatos suos in Italiam venire vetat, eosque ad humilitatem hortatur.

Clemens episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro Grosso de sancto Ægidio salutem, &c.

MUltis de nostra promotione gaudentibus, nos soli sumus qui certius immensitatem oneris experimur: & idcirco quod aliis gaudium, nobis metum subministrat & fletum. Sane ut scias qualiter his auditis debeas te habere, scire te volumus quod humilior solito debes esse. Neque enim quod nos vehementer humiliat, debet nostros extollere: maxime cum honor hujus sæculi momentaneus sit, & sicut ros transeat matutinus: nec ad nos te, nec fratrem tuum, vel ex aliis nostris aliquem venire volumus, sine nostro speciali mandato. Quia spe sua frustratos, si secus venire præsumerent, oporteret redire confusos. Sed nec in tuæ sororis nuptiis gradum quæras propter nos altiorem: nec enim nos haberes propitios, nec in aliquo adjutores. Si tamen eam filio militis simplicius desponsaveris, in tercentum libris Turonensibus tibi proponimus subvenire. Et si altiora quæsiveris, nec a nobis denarium speres unum: & hoc ipsum secretissimum esse volumus & tibi & matri solummodo notum esse. Illud etiam scias, quod nullum nullamque de sanguine nostro sub nostri sublimatione obtentu inflare volumus: sed tam Mobiliam quam Cæciliam illos viros habere volumus, quos haberent, si essemus in simplici clericatu. Sybillam visita, & dic ei quod locum non mutet, sed remaneat apud Susam, & omnem maturitatem, & habitus honestatem observet, & preces nobis pro aliquo non præsumat assumere. Nam & ei, pro quo fierent, essent inutiles; & ipsi qui rogaverit, damnosæ. Et si forte per aliquos ex hac causa munera offerantur: ea respuat, si vult nostram gratiam retinere. Saluta matrem & fratres: non scribimus tibi, nec familiaribus nostris sub bulla, sed sub piscatoris sigillo, quo Romani pontifices in suis secretis utuntur.

Datum Perusii in festo sanctarum Perpetuæ & Felicitatis.

II. AD

ANNO CHRISTI 1264.

II. AD WELODIZLAUM ELECTUM SALTZBURGENSEM EPISCOPUM.

Ipsum confirmat in archiepiscopum Saltzburgensem.

Clemens episcopus servus servorum Dei dilecto filio Welodizlao electo Saltzburgensi salutem & apostolicam benedictionem.

ROmana ecclesia, cui Divina inscrutabilis altitudo dispositione incommutabili præcipuum contulit super ceteras magistratum, pium ad cunctas alias in hujus orbis latitudine constitutas ecclesias materna provisione habens respectum, laudabili studuit hactenus observantia custodire, ut de illis potissimam curam gerens, eis, opportunitatis tempore occurrente, congrua subventionis non differret consilia tam libenter quam liberaliter exhibere. Nos etiam, cui licet insufficientibus meritis in sublimi culminis apostolici specula sumus, disponente Domino constituti: prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum in hoc vestigiis inhærendo, prædictas ecclesias, tam proximas, quam longe positas, paternæ considerationis oculis intuentes, injunctum erga ipsas solicitudinis nostræ ministerium circumstantiis universis, ac variis personarum, rerum, locorum & temporum emergentibus necessitatum articulis diligenter inspectis, quantum nobis ex alto permissum fuerit ita vigilanter intendimus exercere; ut nihil prorsus in spiritualibus vel temporalibus desit ibi, quod per diligentiæ nostræ studium possit aut debeat procurari. Et quamvis ministerii hujusmodi debitum circa singulas ecclesias exolvere cupiamus: erga illas tamen, quæ viduitatis deplorant incommoda, ut videlicet ipsis de pastoribus juxta cor nostrum idoneis cæli providentia utiliter consulatur, curis continuis, eoque anxius attingimur insultibus, quod successivis * eo instantius propulsamur, quo ipsæ, dum vacant, periculis subjacentes majoribus, potiori noscuntur apostolico suffragio indigere. Sane venerabilis frater noster Ulricus, quondam Saltzburgensis archiepiscopus, rectæ considerationis meditatione advertens, quod ipse qui jam vergens in senium, multa proprii corporis debilitate gravari dicitur in commisso sibi plebis gubernaculo, variis de causis se fructuose gerere, sicut erat expediens, non valebat, ac proprium & subditorum periculum reformidans, zelo caritatis, quo erga ecclesiam suam vigebat, inductus, ne occasione suæ impotentiæ gregem suum inimicus insidiator invaderet, vel ecclesiæ Saltzburgensi utilitatibus dispensatoriis per invaletudinem forsitan deperiret, ipsius ecclesiæ regimine elegit sponte cedere; per litteras & nuncium specialiter supplici a nobis deposcens instantia, ut cessionem ipsius, quam sic offerebat spontaneus, de benignitate apostolica recipere dignaremur. Nos autem tam ipsius archiepiscopi quieti & commoditatibus providere, quam ejusdem ecclesiæ occurrere periculis, opportuna diligentia intendentes, cessionem ipsius duximus admittendam. Per hujusmodi vero cessionem in manibus nostris factam; eadem Saltzburgensis ecclesia pastore vacante, ordinationem illius nobis specialiter reserventes, inhibuimus expresse capitulo Saltzburgensi, ne ad electionem seu postulationem aut nominationem aliquam procederent de archiepiscopo illa vice; ac decrevimus nihilo minus irritum & inane, si quid contra inhibitionem hujusmodi contigeret attentari. Et demum de salubri provisione ipsius Saltzburgensis ecclesiæ solicite cogitantes, post exactæ deliberationis examen, decens ac necessarium nihilo minus & expediens fore vidimus, ut eadem ecclesia titulo nobilitatis insignis, quæ, currentium dierum faciente malitia, multis est discriminibus exposita, variis conquassata molestiis, graviterque in temporalibus diminuta, & enormiter in spiritualibus deformata, nobilis decore sponsi ac utilis ornaretur, cujus potentia & providentia circumspecta damna resarciantur, ipsius regantur directa, & indirecta in debitam rectitudinis semitam dirigantur, ecclesiastica defensetur libertas, cleri status reddatur tranquillior, & commodis salutis & gaudii plebs lætetur. Unde nos laudabiles actus tuos, quibus de virtute in virtutem proficiens in oculis hominum, a tuæ juventutis primitiis te gratum reddere studuisti, delectabiliter in animo revolventes, ac de redolentis tuæ famæ suavitate, quæ publico prædicatur testimonio, quod claram sereniſſimorum tuorum nobilitatem natalium studiis ac operibus nobilitare satagis virtuosis, odorem acceptabilem sentientes, in te generosum ac benedictionis filium direximus oculos mentis nostræ. In quo te ipsi Saltzburgensi præficiendo ecclesiæ noster non indigne spiritus requievit, spem grandem ac fiduciam obtinentes, quod cum sis multorum principum consanguinitate & affinitate subnixus, littera sufficienti dotatus, gratus moribus, conversatione placidus, vitæ honestate conspicuus, aliisque virtutibus multipliciter insignitus in spiritualibus, nihilo minus providentiam ac in temporalibus discretionem obtinens, ecclesia eadem per tuam potentiam & circumspectionem fructuosam ab instantibus periculis efficaciter eruetur, a futuris præservabitur salubriter, & non solum in suis bonis juribus, immunitatibus, & libertatibus magnifice defensabitur, verum etiam optatæ felicitatis & prosperitatis augmentum spiritualiter & temporaliter ad pacem & bonum statum subditorum, sibi cleri & populi Divina favente clementia, consequetur. His itaque digna meditatione pensatis ecclesiæ prælibatæ, cujus in hac parte profectum potissime attendimus, speciali volentes diligentia providere, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine in nomine Domini, non obstante defectu quem in ordinibus pateris, & ætate, te tunc præpositum Wisegradensis ecclesiæ, capellanum nostrum, prælibatæ Saltzburgensi ecclesiæ in archiepiscopum præfecimus & pastorem, curam & administrationem illius tam circa spiritalia quam temporalia tibi totaliter committentes. Quapropter discretionem tuam rogamus, monemus attentius, & hortamur per apostolica scripta, tibi in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandantes; quatenus tibi onus a Domino impositum reverenter suscipiens, ad commissam tibi ecclesiam cum plena nostræ gratia benedictionis accedas, & illius commissum tibi regimen sic prudenter & utiliter exequaris, quod ipsa tua salubri ministerio gubernetur feliciter, ac prospere dirigatur, tuque velut pastor solicitus gregis Dominicis tuæ custodiæ deputati, vigilem curam gerere comproberis, ex quibus clara tui fama nominis extendatur latius, & erga personam tuam benevolentia nostræ

ANNO CHRISTI 1264.

ſtræ ſinceritatis digne de bono in melius augeatur.

Datum Peruſii quarto Idus Novembris pontificatus noſtri anno primo.

III. AD PETRUM ELECTUM PATAVIENSEM EPISCOPUM.

Ipſum confirmat in epiſcopum.

Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Petro electo Patavienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

IN ſupremæ ſpeculationis vertice, cui nos licet indignos apoſtolicæ dignitatis gradus prætulit, conſtituti, de variis immenſiſque negotiis jugiter emergentibus ſolicitudinis apoſtolicæ ſtudio dirigendis continua reddimur attentione ſoliciti: ne diligentiæ noſtræ miniſterium videatur deeſſe, ubi paſtorale tenemur injunctum nobis officium exercere. Inter quæ de ſtatu proſpero ac ſalubri eccleſiarum omnium ubilibet poſitarum, curæ noſtræ ſpecialiter ſuperna diſponente clementia, commiſſarum, aſſidue cogitamus: & profundis vigiliis excitamur, ut aliquid penitus non deſit inibi, quod ad ipſarum utilitatem per nos valeat procurari. Specialiter autem ad illas, quas viduitatis incommoda deplorare conſpicimus, noſtrum animum convertentes, in hoc præcipue noſtra ſedulitas officioſa verſatur, ut eædem de perſonis ſecundum cor noſtrum idoneis celeriter ordinentur, ad quod eo inſtantius vigilamus, quod ad id ex ſuſceptæ adminiſtrationis cura ſpecialius obligamur. Et quo eccleſias ipſas per vacationem illarum diutinam majoribus ſpiritualiter & temporaliter exponi diſcriminibus intuemur. Sane Patavienſis eccleſia paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii capellani ejuſdem eccleſiæ pro futuri electione pontificis, ut eſt moris, die ad eligendum præfixa convenientes in unum, Spiritus ſancti invocata gratia, dilectum filium Welodislaum, nunc Saltzburgenſem electum, tunc capellanum noſtrum, & eccleſiæ Wiſegradenſis præpoſitum, in eorum epiſcopum unanimiter & concorditer poſtularunt, & poſtulationem hujuſmodi præſentantes, illam admitti cum inſtantia poſtularunt. Nos quidem poſtulatæ perſonæ, de cujus probitate multa laude digna relata nobis fuerant, nec non & de illius meritis certam volentes notitiam obtinere: eumdem electum ad noſtram duximus præſentiam evocandum, qui velut obedientiæ filius ſe noſtro conſpectui præſentavit. Licet autem poſtmodum inſpecta electi ejuſdem laudabilium copia meritorum, de quibus tam per communis famæ præconium & multorum fide dignorum laudabile teſtimonium, quam etiam per experientiam facti, nobis evidenter conſtitit, poſtulationem prædictam velut de perſona ſufficienti & idonea canonice celebratam deliberaſſemus admittere: interim tamen venerabili fratre noſtro Ulrico quondam Saltzburgenſi epiſcopo, pro eo quod ipſe in commiſſo ſibi plebis gubernaculo variis de cauſis ſe utiliter gerere, ſicut erat expediens, non valebat, ceſſionem ſuam archiepiſcopalis regiminis nobis per ſpeciales litteras & nuncium offerente, illamque a nobis admitti cum inſtantia poſtulante: nos tam ipſius archiepiſcopi quieti & commoditatibus providere, quam Saltzburgenſis eccleſiæ occurrere periculis, opportuna diligentia intendentes, ceſſionem ipſius duximus admittendam. Recepta hujuſmodi ceſſione, nos attendentes, quod nobilis eccleſia ipſa, quæ dierum faciente malitia multis periculis eſt expoſita virtuoſi ac potentis indigebat cura rectoris: ipſum electum eidem Salzburgenſi eccleſiæ in archiepiſcopum præfecimus & paſtorem. Demum vero ne præfata Patavienſis eccleſia, quæ prepoſiti paſtoris carebat ſolatio prolixioris vacationis detrimenta ſentiret: ſtudioſe vacavimus ad exquirendum virum talem, qui ad ipſius eccleſiæ regimen idoneus haberetur. Unde nos ad perſonam tuam, quam noſtræ benevolentiæ plenitudinem aſſecutam odor famæ nobis reddit acceptam, cum ſufficiens tibi litterarum ſcientia ſuffragetur, & habearis vir vitæ laudabilis & converſationis honeſtæ morum honeſtate decorus, diſcretionis maturitate conſpicuus, clarus meritis, & alias in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus noſtræ conſiderationis dirigentes intuitum, ac ſperantes quod virtutibus deſurſum tibi traditis inſignitus, ipſam Patavienſem eccleſiam feliciter, dante Domino, gubernabis, ipſaque utilis gubernationis munita præſidio ſalubriter præſervabitur a noxiis, & optatis proſperitatis affluet incrementis: in nomine Domini, te tunc eccleſiæ Uratislavenſis canonicum, ipſi Patavienſi eccleſiæ de fratrum noſtrorum conſilio & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis præfecimus in epiſcopum & paſtorem. Ideoque diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus impoſitum tibi onus a Domino ſuſcipiens, reverenter ad commiſſam tibi eccleſiam cum gratia noſtræ benedictionis accedas: illius amplificandis honoribus & profectibus procurandis te ſic reddendo ſolicitum, ut laudabilis famæ tuæ titulus apud remotos & proximos clareat per effectum; & in delectationem nobis veniat, te ſemper & condigna gratia proſequi, & tuis deſideriis favorem benevolum impertiri.

Datum Peruſii octavo Kalendas Decembris, pontificatus noſtri anno primo.

ANNO CHRISTI 1264.

CONCILIUM LONDINENSE

ANNO CHRISTI 1265.

In quo ſedis Apoſtolicæ legatus regis Angl. adverſarios excommunicavit anno MCCLXV.

ANNO CHRISTI 1265.

EOdem anno (MCCLXV.) *inquit Matthæus Weſtmonaſterienſis*, Clemens IV. papa deſtinavit in Angliam per conſilium cardinalium Ottobonum S. Adriani cardinalem: qui cum rubeis in Angliam veniens indumentis, in eccleſia Weſtmonaſterienſi congregato concilio, fecit mandata apoſtolica publicari. Qui ſuæ legationis fungens officio, ſententiam in regis adverſarios fulminavit.

CON-

ANNO CHRISTI 1266.

CONCILIUM TARRACONENSE

Anno 1266. habitum.

An. 1266. Extat ap. Mart. Vet. Mon. t. VII. p. 171. ex MS. Cod. Colbert. Affert Manſi Sup. to. II. p. 1643.

I.

ANno Domini MCCLXVI. XII. calendas Novembris, cum nos Benedictus miſeratione divina Terraconenſis archiepiſcopus eſſemus in civitate Terracona perſonaliter conſtituti, præſentibus venerabilibus fratribus Arnaldo Ceſar-auguſtano, Arnaldo Valentino, Ar. Barchinonenſi, Petro Gerundenſi, D. Dertuſenſi, G. Ilerdenſi, F. Tiraſonenſi, & R. vicenſi epiſcopis, aliorum etiam ſuffraganeorum noſtrorum & capitulorum eccleſiarum cathedralium & aliorum prælatorum Terraconenſis provinciæ procuratoribus, ac venerabilibus & diſcretis viris fratre Guidone de Lagueſpa caſtellano Empoſtæ, & fratre Petro de Queraldo tenente locum magiſtri domus militiæ Templi in Aragonia & Catalonia præſentibus, ad honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus S. concilium celebrantes ſuper tuitione & conſervatione eccleſiaſticæ libertatis, & corrigendis clericorum exceſſibus, & moribus in melius reformandis, ac ſuper ſalubri & tranquillo ſtatu totius provinciæ Terraconenſis, cum prædictis tractavimus diligenter, & de aſſenſu prædictorum, venerabiles fratres noſtros dominos Ceſar-auguſtanum & Vicenſem epiſcopos, & fratrem Petrum de Quiraldo pro tractanda pace inter nobiles viros comitem Urgellenſem & Remundum vicecomitem de Cardona & eorum valitores, dicto pendente concilio, duximus deſtinandos, qui epiſcopi nobis vices ſuas totaliter commiſerunt in his quæ agenda & tractanda eſſent in concilio memorato. Attendentes igitur quod conſtitutiones editæ ac edendæ parum eſſent, ſi non eſſet eorumdem diligens executor, ſacro approbante concilio mandamus firmiter & diſtricte, quod conſtitutiones quæ per bonæ memoriæ dominum I. * Sabinenſem epiſcopum olim in Hiſpaniæ partibus apoſtolicæ ſedis legatum, & prædeceſſores noſtros, ac nos etiam in conciliis provincialibus editæ ſunt, ab univerſis & ſingulis noſtræ provinciæ inviolabiliter obſerventur, eaſdem conſtitutiones ex certa ſcientia confirmantes. Verum cum in conſtitutione bonæ memoriæ domini Petri prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Olim excommunicaſſe*, &c. caveatur quod loca, ad quæ præda clericorum, eccleſiarum, vel perſonarum religioſarum, ſeu hominum eorundem violenter accepta pervenerit, quamdiu ibi fuerit, ceſſent penitus a divinis; volentes invaſorum & raptorum excogitatis malitiis & machinationibus, quantum cum juſtitia poſſemus, obviare, declaramus & conſtituimus, quod loca in quibus hujuſmodi præda vendita, vel alio modo alienata vel conſumata fuerit, tamdiu ceſſent penitus a divinis, quouſque condigna ſatisfactio damna paſſis facta fuerit per eoſdem.

* Joannem.

II.

Contra capientes clericos.

Item, cum clerici & perſonæ eccleſiaſticæ majori quam res eorumdem debeant privilegio & immunitate ſive libertate gaudere ſacro approbante concilio, ſtatuimus quod loca ad quæ occiſores & mutilatores clericorum, & perſonarum eccleſiaſticarum, ac capientes eoſdem pervenerint, ceſſent penitus a divinis.

III.

Contra invaſores & occiſores clericorum.

Item, quia facientes & conſentientes pari debent pœna damnari, eodem concilio approbante, receptores eorum qui occidunt & mutilant, vel capiunt clericos, vel perſonas eccleſiaſticas, excommunicationis ſententia innodamus.

CONSTANTINOPOLITANUM SCHISMATICORUM CONCILIUM

QUO IN ARSENIUM PATRIARCHAM ANATHEMA DICTUM

Anno 1266. circ. habitum.

An. 1266. circiter.

ARſenio Autoriano patriarchæ CPtano, quod partibus Joannis Ducæ eſſet additior averſatus Michael Palæologus mille in cum calumnias invexit, & mille inſectationibus vexavit. Tandem diem illi dixit ad ſynodum CPtanam, *quaſi inſidiatores excitaſſet, qui eum occiderent. Quocirca mœcha ſynodus excommunicationis cenſuram in me emiſit; ac ego ipſum me ſegregationi ſubdidi, ſi de quoquam ejuſmodi eſſem conſcius; ſin minus calumniæ authores inſidiarumque, iiſque credulos excommunicavi.* Verba ſunt Arſenii in ſuo teſtamento vulgato a Cotelerio Monum. Eccleſiæ Græcæ tom. III, pag. 175. &c. Synodi hujus annus ultra 1264. protrahi haud poſſet, ſi vetuſtus ille Nicephori catalogus Conſtantinopolitanorum Patriarcharum a Bandurio vulgatus & expenſus Imper. Orient. tom. 11. pag. 164. teneretur; cum binis annis ante regreſſum Græcorum CPim rebus ſacris præfuiſſe Arſenius ibidem notetur.

Ve-

Verum ex eodem teſtamento intelligimus poſt triennium a capta CPoli, ideſt anno 1264. cœpiſſe Michaelem acerbius invehi in Patriarcham, quoadusque illum tandem exilio ejecerit. Poſt exilium in eum iterum evocatum ea molitus eſt Imperator ſynodo convocata quæ ſuperius deſcripſi. Fit inde ut Arſenius Conſtantinopoli redditus patriarchatum ſuum ultra biennium a recuperata urbe prorogaverit. Quare ſynodum anno circiter 1265. aſſignaverim, & in catalogo Nicephori mendum quoad annos ſedis irrepſiſſe tenuerim.

ANNO CHRISTI 1266.

CONCILIUM COLONIENSE

PROVINCIALE

Anno Domini MCCLXVI. celebratum.

CAPITULA SEU RUBRICÆ.

Statutorum eccleſiæ Colonienſis editorum ab Engilberto archiepiſcopo Colonienſi, quæ facta ſunt provincialia, per D. Henricum archiepiſcopum Colonienſem, ut infra in ſtatutis ejus invenies.

1. *Contra eos qui manus in clericos vel perſonas eccleſiaſticas injiciunt temere violentas.*
2. *Contra incendiarios & effractores eccleſiarum & monaſteriorum, & bonorum eccleſiaſticorum.*
3. *Contra violatores immunitatum & dotum eccleſiarum.*
4. *Contra raptores & invaſores bonorum eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum.*
5. *Contra detentores ſeu ſubtractores decimarum.*
6. *Contra nobiles, in expeditionibus damna perſonis eccleſiaſticis in curtibus earum inferentes.*
7. *Contra illos, qui ſe bonis clericorum, ſive in vita ſive in morte, intromittunt.*
8. *Ut bona clericorum tranſeant ſine telonio libera & abſoluta.*
9. *Ne clerici vel religioſi trahantur ad judicium ſæculare.*
10. *Contra clericos, qui perſonas eccleſiaſticas ratione bonorum ſuorum vocant ad forum ſæculare.*
11. *Contra eos qui clericos quacumque ratione ad forum ſæculare traxerint.*
12. *Ut ſimiliter contra occupantes & arreſtantes bona eccleſiarum procedatur.*
13. *Ut judices eccleſiaſtici & prælati eccleſiarum, laicis contra clericos cauſam habentibus faciant juſtitiam expeditam.*
14. *Contra impedientes & turbantes celebrationes ſanctarum ſynodorum.*
15. *Ut prælati juriſdictione ſua libere utantur in terminis eorum juriſdictioni ſubjectis.*
16. *Ut judices eccleſiaſtici fraudem in judiciis ſuis non committant.*
17. *Ne judices eccleſiaſtici ſe de cauſis ad forum ſæculare ſpectantibus intromittant.*
18. *Contra impedientes eccleſiaſticorum judicum juriſdictionem & executionem ſententiarum.*
19. *Contra eos qui clericos non ſine violenta manuum injectione capiunt & detinent.*
20. *Proceſſus forma contra eoſdem.*
21. *Si propter captivitatem clerici, locus aliquis per menſem manſerit interdictus.*
22. *Si decanatus per quindenam maneat interdictus.*
23. *Si captivantes clericum, per duos menſes excommunicati fuerint.*
24. *Ne filii vel filiæ clericos captivantium, & per annum excommunicatorum, ad ordines vel ad beneficia admittantur.*
25. *Ut feuda eccleſiaſtica ab his, qui per annum contumaciter excommunicationem ſuſtinuerint, ad eccleſias revertantur.*
26. *Mitigationes pro fratribus & ſororibus ac aliis perſonis factæ, ſi ſe noluerint intra annum canonice expurgare.*
27. *Si clericum in alia diœceſi capi, vel in iſta captum, ad aliam diœceſim deduci contingat.*
28. *Contra occiſores & mutilatores clericorum.*
29. *Contra occiſores clericorum, per annum in excommunicatione exiſtentes.*
30. *Contra eos qui minas intulerint perſonis eccleſiaſticis de corpore vel de rebus.*
31. *Contra eos clericos, qui ſacrilegium in clericos committere non verentur.*
32. *Contra clericum, qui occaſione alicujus quæſtionis clericum aliquem captivaverit.*
33. *Contra clericos qui occidunt vel mutilant clericos.*
34. *De litigantibus ſuper una præbenda in aliqua eccleſia diœceſis Colonienſis.*
35. *Ne aliquis clericus ſacrilegis ſeu excommunicatis aut uſurariis aſſiſtat, vel eos defendat.*
36. *Ne clerici capellani nobilium excommunicatorum cum ipſis dominis ſuis ultra menſem permaneant.*
37. *Contra eos qui ſententiam excommunicationis damnabiliter vilipendunt.*
38. *Contra computreſcentes in excommunicatione ultra annum, quomodo procedendum.*
39. *Ut prælati & quælibet eccleſiaſticæ perſonæ ad obſervationem ſtatutorum iſtorum fideliter teneantur.*
40. *Contra clericos in executionibus ſententiarum remiſſos, & ſententias ipſas modo debito non ſervantes.*
41. *Contra eos qui in loco interdicto celebraverint.*
42. *Ut percepto forefacto, ſtatim ceſſetur a Divinis, ne quis ſe poſſit per craſſam ignorantiam excuſare.*
43. *Ut hæc ſtatuta ad perſonas eccleſiaſticas cujuſcumque ordinis extendantur.*
44. *Ut hæc ſtatuta, ne aliquem latere poſſint, tam in capitulis quam in aliis locis ſæpius publicentur.*
45. *Ut nomina ſacrilegorum poſita in regiſtro ſæpius recitentur.*

ANNO CHRISTI 1266.

PRÆFATIO.

In nomine Domini, Amen.

ENgilbertus Dei gratia ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopus, ſacri Imperii per Italiam archicancellarius. Quamvis ad manutenendam ac defendendam immunitatem, & ad conſervandum jus & libertatem eccleſiarum ipſarum & eccleſiaſticarum perſonarum, & eorum qui in ſortem Domini ſunt vocati, plurima tam canonica quam legalia edita ſint ſtatuta, & diverſæ etiam a diverſis noſtris prædeceſſoribus ac majoribus ſuper hoc proviſiones emanarint: tamen quia excreſcente malitia quorundam zelum Dei non habentium, nova gravamina, exactiones & adinventiones pravas & deteſtabiles, contra eccleſiam Dei & eccleſiaſticas perſonas machinantium, ipſa eccleſia per ſtatuta & proviſiones hujuſmodi, a ſuis oppreſſionibus, quas patitur a diverſis, nullatenus ſublevatur: nos conſiderantes, quod contra diverſas & innumerabiles tribulationes & injurias, quas a nonnullis (qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, & ſolo nomine ſe gloriantur Chriſtianos) eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis frequenter & maxime modernis temporibus inferuntur, pauciſſimi, immo nulli etiam eccleſiæ devotorum ſe opponunt, licet ex debito omnes ad hoc ſint obligati, & maxime locorum moderatores & judices ſæculares, qui ex imperiali etiam conſtitutione, ad ulciſcendum eccleſiarum & eccleſiæ miniſtrorum injurias in ſacrilegos ſunt adſtricti, non expectato quod ab eis ultro injuriarum expoſcatur, propter quod contingit malos in malo plus animari, & eccleſiam, cum non ſit qui conſoletur eam, ſentire in rebus & perſonis multiplex detrimentum. Volentes itaque incurſibus malorum, ſe erigentium ex adverſo contra eccleſiam Dei, & eccleſiaſticam libertatem, coercitione, qua poſſumus, obviare, ſalvis & in ſuo robore duraturis conſtitutionibus & ordinationibus prædeceſſorum noſtrorum, per quas eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis in ſuis libertatibus eſt proſpectum, quas nos innovamus & approbamus, & præcipimus per noſtram civitatem & diœceſim inviolabiliter obſervari: ſalvis etiam juribus prælatorum & eccleſiarum conſuetudinibus licitis & honeſtis electionibus, tam in prælaturis quam aliis beneficiis, correctionibus & ordinationibus, ac aliis libertatibus hucuſque in eccleſiis habitis & ſervatis, quæ omnia & ſingula ipſis eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis confirmamus, & firma ac illibata volumus permanere: de communi conſilio & aſſenſu capituli noſtri, & omnium prælatorum, & eccleſiarum, & cleri civitatis & diœceſis Colonienſis, & ad illorum ſolicitam inſtantiam, ut præſumptorum coerceatur audacia, & poſſint viri eccleſiaſtici tuti inter improbos Divinis obſequiis ferventius inſudare.

CAPITULA.

I. Contra eos, qui manus in clericos vel perſonas eccleſiaſticas injiciunt temere violentas.

STatuimus, ut ſacrilegi qui ſuadente diabolo, Dei timore poſtpoſito, manus injiciunt in clericum vel alias perſonas eccleſiaſticas & religioſas, temere violentas & ex hoc incidunt in excommunicationis ſententiam canonis jam prolati, per frequentem denunciationem & communionis denegationem, reconciliationis gratiam quærere, & de offenſa ſatisfacere compellantur: cum de injectione hujuſmodi conſtiterit per facti evidentiam, vel publicam famam, vel aliam fidem, coram loci ordinario faciendam per juramentum injuriam paſſi, ſi fuerit perſona honeſta & fide digna, vel per teſtes. In loco, in quo ſacrilegi domicilium habuerint, & in quo ſacrilegium comittitur, ſi committens dominus loci fuerit, ceſſetur a Divinis: & ipſi ſacrilegi per omnes eccleſias conventuales & parochiales ac capellas civitatis Colonienſis, (ſi injuria in civitate committatur) ſingulis diebus Dominicis & feſtivis excommunicati publice & nominatim, & eorum nomina ſciri poterunt, alioqui in genere, nuncientur. Si injuria extra civitatem committatur, ſimiliter denuncientur per omnes eccleſias conventuales, parochiales ac capellas decanatus illius vel etiam archidiaconatus, in quo hoc contingit. Ita tamen, quod nihilo minus ad denunciationem eorundem, pro ipſo forefacto ubicumque commiſſo, & intra civitatem & extra, ultra procedatur per loci ordinarium, prout hoc viſum fuerit expedire. Si vero dicti ſacrilegi, per menſem hujuſmodi denunciationem ſuſtinerint, minime ſatisfacientes, ex tunc ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, campanis pulſatis & candelis extinctis, per eccleſias conventuales, parochiales, & capellas, ut proxime dictum eſt, denuncientur excommunicati, & ab omnibus arctius evitandi, donec læſo, nobis, & eccleſiæ ſatisfecerint competenter & evidenter, & auctoritate apoſtolica abſolutionis beneficium conſequantur.

Quod ſi per dimidium annum in excommunicatione perſtiterint, hujuſmodi denunciationibus vilipenſis, ſi laici nobiles fuerint hujuſmodi ſacrilegium committentes, terra eorum & diſtrictus, ſi eos habuerint, ipſo facto eccleſiaſtico ſuppoſiti ſint interdicto: quod nul-

ANNO CHRISTI 1266.

nullatenus relaxetur, nisi de commisso legitime fuerit satisfactum. Si autem fuerint alii quam nobiles, domini terræ in quorum districtibus manent, extunc moneantur per loci ordinarium, ut dictos sacrilegos compellant per bonorum, quæ in suis habent districtibus, subtractionem, vel quemcumque alium modum, ut ipsi sacrilegi satisfaciant, & absolutionis beneficium requirant. Et si ipsi domini in hoc negligentes fuerint, extunc per loci ordinarium excommunicentur: quod si sustinuerint animo indurato usque ad annum, extunc terra eorum ecclesiastico sit supposita interdicto. Salvis pœnis contra delinquentes hujusmodi, & participantes constitutis, ad quas procedatur nihilo minus, prout hoc visum fuerit expedire.

II. Contra incendiarios & effractores ecclesiarum & monasteriorum, & bonorum ecclesiasticorum.

Contra incendiarios autem & effractores ecclesiarum & monasteriorum, cum ipso facto sint excommunicati, eodem modo procedi statuimus & mandamus, adjicientes, ut si habuerint terram vel districtum, illa post tres menses a tempore perpetrati criminis ecclesiastico suppositа sint interdicto. Cum autem incendiarii aliarum rerum & bonorum ecclesiarum & monasteriorum, sint tanquam sacrilegi excommunicandi: statuimus, ut tales moneantur nominatim (si eorum nomina sciri potuerint, alioqui in genere) per ordinarium loci, in quo committi contingit hujusmodi forefactum, ut intra septem dies a die monitionis satisfaciant, alioqui idem ordinarius extunc sine dilatione ipsos excommunicet, & excommunicatos denunciet, & faciat denunciari in locis ubi hoc visum fuerit expedire: ita quod nisi intra quindenam a tempore excommunicationis & denunciationis satisfecerint, extunc singulis diebus Dominicis & festivis, campanis pulsatis, & candelis extinctis, per omnes ecclesias conventuales, parochiales, & capellas civitatis, si in civitate contingit, seu decanatus, vel archidiaconatus illius loci, excommunicati publice nuncientur, sicut de incendiariis ecclesiarum est præmissum. Et si per sex menses in excommunicatione contumaciter perstiterint, si habent districtus, illi sint extunc interdicti; * aliorum autem districtus non habentium, domini moneantur, & procedatur sicut superius de injectoribus manuum continetur.

III. Contra violatores immunitatum & dotum ecclesiarum.

Statuimus item de his qui violant ecclesiarum immunitates seu dotes, ut violatores hujusmodi, videlicet qui hominem de immunitate seu dote extraxerint, vel aliam rem abstulerint, vel modo alio eam præsumpserint violare, quos tanquam sacrilegos in his scriptis excommunicamus, simili modo quo diximus de incendiariis bonorum ecclesiarum, publice excommunicati denuncientur. Et si plures fuerint, vel judex sæcularis sit qui hujusmodi violentiam fecerit: locus in quo tales domicilium habuerint, sit ipso facto interdictus. Et in loco ubi immunitas læsa est, cessetur a Divinis.

IV. Contra raptores & invasores bonorum ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum.

Atque ad reprimendum importunam præsumptionem raptorum, prædonum, & invasorum bonorum ac rerum ecclesiarum, monasteriorum, & ecclesiasticarum personarum: statuimus, ut quilibet locus seu parochia nostræ civitatis vel diœcesis, ad quem vel ad quam ipsi raptores, prædones, & invasores pervenerint, seu præda, spolium vel rapina deducta fuerint, vel ubi prædæ ipsius emptor fuerit, ipso facto sit ecclesiastico supposito interdicto: & quamdiu ibi fuerit, cessetur penitus a Divinis. Et si per triduum ibi steterint, licet extunc recesserint, vel ad alia loca se transtulerint, vel præda seu spolium * alias deductum fuerit: nihilominus parochia seu locus in quo triduo manserint, vel ubi præda consumpta fuerit, maneat per duos menses interdictus, nisi medio tempore fuerit satisfactum. Prædones autem, raptores, & invasores hujusmodi, & eorum receptatores ac adjutores, nec non & prædarum emptores, per ordinarium moneantur nominatim, si eorum nomina sciri poterunt, alioqui in genere, ut intra triduum post monitionem, ipsam prædam, spolium, vel rapinam, restituant, & condigne satisfaciant: alioqui tanquam sacrilegi sententiam excommunicationis, quam nunc ferimus in his scriptis, extunc incurrant ipso facto, & excommunicati per locorum ordinarios & eorum plebanos nuncientur. In qua excommunicatione, si sa-

* alio

ANNO CHRISTI 1266.

tisfactione neglecta duraverint per quindenam, extunc per omnes ecclesias conventuales & parochiales decanatus illius, in quo rapina committitur, & ubi ipsi sacrilegi domicilium habent, vel etiam (si opus fuerit) civitatis & aliorum locorum, campanis pulsatis & candelis accensis, usque ad satisfactionem condignam nuncientur excommunicati singulis diebus Dominicis & festivis. Quod si per dimidium annum in excommunicatione contumaciter perstiterint, ex tunc subjaceant pœnis expressis superius contra eos, qui manus in clericos injiciunt violentas: & secundum hoc, ut ibi diximus, procedatur.

V. Contra detentores seu subtractores decimarum.

Item cum sacrilegi censeantur, qui injuriose subtrahunt vel auferunt tributa egentium animarum, videlicet decimas ad hoc a Domino institutas, ut sint cibus in domo Dei, & eas ecclesiis, quibus debentur, non persolvunt, surreptores multorum bonorum, quæ ex justa solutione decimarum solent, Domino largiente, omnibus evenire, & incitatores sterilitatis, pestilentiæ, tempestatis, & aliorum malorum, quæ frequenter eveniunt ex subtractione earumdem; statuimus, ut hujusmodi sacrilegi, ac detentores & raptores decimarum tam novalium quam aliarum (quos nos in his scriptis excommunicamus,) per omnes ecclesias parochiales nostræ civitatis & diœcesis, per totum circulum cujuslibet anni, quolibet mense, uno die Dominico vel festivo campanis pulsatis & * districte per rectores ecclesiarum nuncientur. Et nihilo minus ad ulteriora procedatur per loci ordinarium, si visum fuerit expedire.

distincte per provisores ecclesiarum.

VI. Contra nobiles, in expeditionibus damna personis ecclesiasticis in curtibus earum inferentes.

Statuimus item, quod quicumq; nobiles vel alii, ad prælia, vel ad alias expeditiones, processuri, jacuerint in grangiis, curtibus seu possessionibus vel bonis ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum, vel monachorum cujuscumque ordinis, aut fecerint ibidem damna vel rapinas: nisi intra mensem post monitionem, a capitulo & prioribus Colonienſibus, qui præsentes fuerint, faciendam, de damnis, rapinis & injuriis irrogatis satisfaciant læsis & damnum passis, ipso facto sint excommunicati A excommunicatione quam ipsos ferimus in his scriptis: & excommunicari publice usque ad satisfactionem condignam, ubi & quando expedire videbitur, nuncientur. Et ulterius crescente contumacia, contra eos procedatur, sicut contra bonorum ecclesiarum invasores superius est expressum. ANNO CHRISTI 1266.

VII. Contra illos, qui se de bonis clericorum, sive in vita, sive in morte, intromittunt.

B Statuimus item, ut nullus laicus, cujuscumque dignitatis vel conditionis existat, de bonis clericorum, sive in vita, sive in morte, se intromittat: sed quilibet clericus de bonis suis, sicut in vita, ita & in morte, testamentum suum faciendi, & de rebus suis disponendi per se, vel per alios quibus hoc commiserit, liberam habeat facultatem. Et illos qui contra hoc statutum de bonis & rebus clericorum decedentium, ausu sacrilego se injecerint, nisi sint ipsorum clericorum manufideles, C seu ultimarum executores voluntatum, exnunc sententia excommunicationis innodamus: & per locorum ordinarios præcipimus excommunicatos publice nunciari, donec ablata restituerint, & alias satisfecerint competenter. In qua excommunicatione si per mensem perstiterint: extunc contra eos, tanquam invasores bonorum ecclesiarum, procedatur.

VIII. Ut bona clericorum transeant sine telonio libera & absoluta.

D Statuimus etiam, ut bona ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum civitatis & diœcesis Colonienſis, sint & maneant in omni loco, tam in civitate quam extra, & transeant tam in terris, quam in aquis, absque telonio & qualibet exactione, & sine omni impedimento libera & penitus absoluta. Si qui vero contra hoc venire præsumpserint, contra ipsos tanquam contra invasores & raptores bonorum ecE clesiarum, de quibus supra dictum est, procedatur.

IX. Ne clerici vel religiosi trahantur ad judicium sæculare.

Item cum clerici vel religiosi coram judicio sæculari non debeant in causam trahi, suo, vel ecclesiæ, vel alicujus alterius nomine, nec a laicis contra eos sententia dictari: hoc fieri sub interminatione excommunicationis, quam ferimus

mus in his ſcriptis, firmiter prohibemus: ſtatuentes, ut ſi laicus clericum vel religioſum ad forum traxerit ſæculare, idem laicus omnino cadat a cauſa; & nihilo minus per ordinarium ipſius excommunicatus denuncietur publice uſque ad ſatisfactionem condignam.

Præterea judex ſæcularis & ſcabini loci, in quo contingit hoc, per ordinarium ipſius loci moneantur, ut de tali ſe cauſa nullatenus intromittant: penitus deſiſtendo & revocando intra triduum, ſi in aliquo, occaſione hujuſmodi, in præjudicium ipſius clerici vel religioſi eſt proceſſum. Alioqui ipſi judices & ſcabini per eumdem ordinarium ſine dilatione qualibet excommunicentur, & excommunicati publice uſque ad ſatisfactionem condignam nuncientur. In qua excommunicatione ſi per quindenam perduraverint, locus ille ſit extunc eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto: quod non relaxetur, niſi prius ſufficienter ſit ſatisfactum paſſo injuriam, ac nobis, & eccleſiæ. Et judicatum, ſi quod contra ipſum clericum & religioſum eſt factum, & ſi quid aliud ſubſecutum eſt, ſit penitus revocatum.

X. Contra clericos, qui perſonas eccleſiaſticas ratione bonorum ſuorum vocant ad judicium ſæculare.

Si vero clericus clericum in foro ſæculari, ſuo vel eccleſiæ vel alterius cujuſcumque nomine, in cauſam traxerit, cauſam amittat. Et ſi monitus ab ordinario, in continenti non deſtiterit, ac intra ſeptem dies non ſatisfecerit in cauſam tracto, nobis, & eccleſiæ competenter, ab officio vel beneficio ſit ſuſpenſus ipſo facto, donec ſatisfecerit competenter. Et ſi ſuſpenſione hujuſmodi durante, ſe ingeſſerit beneficio vel officio: ab eodem ordinario excommunicetur, & excommunicatus publice nuncietur. Et ſi in hujuſmodi contumacia & excommunicatione per tres ſeptimanas permanſerit: extunc beneficio, ſi quod habet, cum cura, vel ſine cura, ipſo facto ſit privatus, & ad idem beneficium nihilo minus inhabilis ad rehabendum exiſtat: ſi vero beneficium aliquod non habuerit, ſit inhabilis ad habendum. Contra judicem vero & ſcabinos, qui ſe de hujuſmodi judicio vel cauſa intromiſerint, procedatur ſicut ſuperius in proximo capitulo eſt expreſſum.

XI. Contra eos qui clericos occaſione quacumque ad forum ſæculare traxerint.

Item damnamus & ſub interminatione anathematis prohibemus deteſtabile ſtatutum, immo errorem, a quibuſdam laicis contra libertatem eccleſiaſticam introductum: videlicet ut ſi laicus cauſam habet contra clericum, vel eccleſiam conventualem ſeu monaſterium, ſeu quamcumque aliam domum religioſam, idemque clericus, vel eccleſia, poſſeſſiones vel alia bona habet in diſtrictu judicis ſæcularis, laicus ipſe vel judex compellit clericum vel eccleſiam coram ſæculari judicio litigare, ratione poſſeſſionum vel bonorum eorumdem. Et ipſe judex ſæcularis diem aſſignat clerico vel eccleſiæ ad litigandum coram eo: ad quem ſi non venerit, ſicut nec tenetur, vel veniens, coram eo noluerit litigare, bonis ſuis privat eumdem, plurimas alias abuſiones in his & conſimilibus committendo: ſtatuimus, in hoc caſu idem tam contra actorem, quam judicem & ſcabinos, obſervari, quod diximus de clerico clericum trahente ad judicium ſæculare. Et judicibus ipſis & ſcabinis, hujuſmodi factum non revocantibus, & alias non ſatisfacientibus competenter intra biduum poſt monitionem ab ordinario faciendam, locus ubi hoc contingit, eccleſiaſtico ſit ſuppoſitus interdicto. Quo durante per quindennam, ſuperior ſive dominus illius judicis & ſcabinorum, moneatur per ordinarium, ut tale forefactum procuret revocari, & faciat intra ſeptem dies poſt ipſam monitionem emendari. Alioqui contra ipſum ſuperiorem ſive dominum procedatur, prout in ſtatuto contra injectores manuum in clericos, de nobilibus & dominis eſt expreſſum.

XII. Ut ſimiliter contra occupantes & arreſtantes bona eccleſiarum procedatur.

Et eodem modo ſtatuimus contra occupantes ſeu ſæculari judicio arreſtantes bona eccleſiarum, vel eccleſiaſticarum perſonarum ſive religioſarum, procedi, & idem obſervari.

XIII. Ut judices eccleſiaſtici & prælati eccleſiarum, laicis contra clericos cauſam habentibus juſtitiam faciant expeditam.

Ne vero laici occaſionem habeant de defectu juſtitiæ contra clericos querulandi, ſtatuimus ſub pœna excommunica-

nicationis firmiter præcipientes, ut prælati seu ordinarii clericorum & ecclesiarum, laicis contra ipsos clericos vel ecclesias causam habentibus faciant, cum requisiti fuerint, secundum consuetudinem capitulorum, si fuerint in ecclesia collegiata: & alias de clericis non existentibus de collegio, secundum jus scriptum vel consuetudinarium, justitiam expeditam. ANNO CHRISTI 1266.

XIV. Contra impedientes & turbantes celebrationes sanctarum synodorum.

Statuimus etiam, ut prælati & ordinarii judices nostræ civitatis & diœcesis, in terminis eorum jurisdictioni subjectis, synodum suam, qui ad hoc tenentur, observent per se vel per alios congruis temporibus ab ipsis prælatis, prout expedire viderint, præfigendis, & quæ corrigenda vel reformanda occurrunt, corrigant & reforment: & omnes in ecclesia illa & parochia, in qua synodus celebranda fuerit, quandocumque eis fuerit denunciata, ad ecclesiam & synodum veniant obedienter, & jura synodalia observent reverenter, non obstante aliqua occasione vel consuetudine contraria, quam corruptelam reputamus, & penitus reprobamus. Soli tamen nobiles excipiantur, qui ad nostram synodum noscuntur specialiter pertinere. Si qui vero laicorum contra hoc venire præsumpserint, & in hoc, mandato ipsius prælati sive ordinarii non obediverint: sententiam excommunicationis, quam in his scriptis in ipsos ferimus, ipso facto vel omissione incurrant, & excommunicati singulis diebus Dominicis & festivis per plebanos eorum & alios, prout hoc prælato ipsi expedire videbitur, usque ad satisfactionem condignam publice nuncientur. Si vero multitudo parochiæ fuerit in causa seu in culpa, locus ille in quo synodum vel jura synodalia impediri contingit, sit ipso facto, ecclesiastico suppositus interdicto, quod non relaxetur, nisi de hoc satisfactum fuerit, competenter. Nobilibus vero, ne hujusmodi synodos vel jura synodalia impediant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ firmiter prohibemus.

XV. Ut prælati jurisdictione sua libere utantur in terminis eorum jurisdictioni subjectis.

Sed ne delicta seu commissa subditorum maneant impunita, & ex hoc tribuatur audacia delinquendi: statuimus, ut prælati in terminis eorum jurisdictioni subjectis, sua jurisdictione libere utantur, tam in correctione, quam in judicio & animadversione ac aliis, quæ ad hoc videbuntur expedire: nec in his alter ab altero impediatur, sed juvetur. Et si aliquæ sententiæ a prælato in suum subditum propter ipsius excessus prolatæ fuerint, illæ sententiæ ab aliis prælatis inviolabiliter usque ad satisfactionem condignam observentur, & etiam executioni, si opus fuerit, demandentur. ANNO CHRISTI 1266.

XVI. Ut judices ecclesiastici fraudem in judiciis suis non committant.

Ut judices ecclesiastici in judiciis sive causis officium suum, solum Deum & justitiam præ oculis habentes, fideliter exequantur. Et si scienter per gratiam vel per sordes aliquam partium in causis contra justitiam læserint præter pœnas a jure statutas, quibus * subjaceant, ipso facto incurrant sententiam excommunicationis, a nobis latam in his scriptis: & nihilominus per superiorem contra eos, si opus fuerit, ad graviora procedatur.

* Forte, subjacent Haraun

XVII. Ne judices ecclesiastici se de causis, ad forum sæculare spectantibus intromittant.

Statuimus & hoc, ut de causis ad forum sæculare spectantibus, judices ecclesiastici se nullatenus intromittant: sed quam cito inter litigantes de hoc exceptum fuerit coram ipsis judicibus ecclesiasticis, & ostensam, sicut de jure fuerit faciendum, causam ad judicem sæcularem remittere non postponant.

XVIII. Contra impedientes ecclesiasticorum judicum jurisdictionem & executionem sententiarum.

Ne vero jurisdictionem judicum ecclesiasticorum, sive ordinarii fuerint sive delegati, a sæcularibus judicibus vel personis impediri, & ex hoc, sicut a pluribus intentatur, dissolvi contingat nervum ecclesiasticæ disciplinæ: statuimus, ut nullus sæcularium, sive nobilis fuerit, sive aliter qualiscumque, ecclesiasticorum judicum jurisdictionem in citationibus, monitionibus, denunciationibus executionibus, ac aliis modis quibus jurisdictio ecclesiastica exercetur, per se vel per alium impediat aliquatenus vel retardet: & qui contra hoc ausu temerario venire præsumpserit, & monitus ab ordinario vel delegato, in-

tra

ANNO CHRISTI 1366.

tra septem dies a tempore monitionis A
factæ non desiterit omnino, nec revocaverit, si quid in præjudicium præmissorum attentaverit, sententiam excommunicationis quam in his scriptis ferimus in hujusmodi præsumptores, incurrat ipso facto. Quam excommunicationem si per quindecim sequentes dies contumaciter sustinuerit: extunc, si nobilis aut dominus est, terra ipsius & districtus, si quem habet, sit ipso facto ecclesiastico suppositus interdicto. Et nihilominus in loco, ubi faciens impedimentum prædictum vel procurans, domicilium habuerit, cessetur a Divinis, quousque impedimentum sit revocatum, & alias legitime satisfactum. B

XIX. Contra eos qui clericos non sine violenta manuum injectione capiunt & detinent.

Quia vero in tantam vesaniam plerumque prorumpit quorumdam perversitas perversorum, ut ausu sacrilego clericos & ecclesiasticas personas non sine violenta manuum injectione damnabiliter capere, & captivos execrabiliter detinere non formident: statuimus, ut clericorum captivatores, quicunque fuerint aut cujuscumque dignitatis aut conditionis, cum omnibus consilium, auxilium, opem vel operam adhibentibus, per omnes ecclesias conventuales, parochiales, & capellas civitatis & diœcesis Colonienſis, cum ipso facto excommunicatione canonis sint ligati, excommunicati nominatim, si eorum nomina sciri poterunt, alioqui in genere, publice denuncientur, donec captivus sit liberatus, & de forefacto fuerit læso, nobis, & ecclesiæ satisfactum. Et si intra octo dies post hujusmodi denunciationem captivus non fuerit liberatus, extunc iidem captivatores cum adhibentibus consilium, auxilium, opem vel operam, ut prædictum est, nominatim, quorum nomina sciri potuerint, alioqui in genere, singulis diebus Dominicis & festivis, campanis pulsatis & candelis extinctis, per easdem ecclesias & capellas excommunicati solenniter & publice nuncientur. Idemque observetur, si captivo liberato, non fuerit læso, nobis, & ecclesiæ intra mensem satisfactum. Et nihilo minus evitentur, donec per auctoritatem apostolicam absolvantur. C D E

XX. Processus forma contra eosdem.

Statuimus etiam, quod in omni loco, videlicet civitate, oppido, castro seu munitione, vel villa, vel alio, quocumque nomine vocetur, ubi clericus captivus fuerit adductus, receptus, vel detentus, eodem die cum illuc deductus, receptus vel detentus fuerit, & quamdiu ibidem extiterit, cessetur penitus a Divinis; & sit ipse locus ipso facto, ecclesiastico suppositus interdicto. Et si per triduum ibidem manserit captivus, nec fuerit liberatus: locus ipse, quamvis postmodum captivus de eodem fuerit deductus, nihilo minus maneat interdictus, donec captivus liberetur, & modo præmisso fuerit satisfactum: ut sic tam nobiles quam magnates, ac etiam populares cum plebe, contra malefactores & sacrilegos hujusmodi ex Divinorum carentia provocati, consurgant ad liberationem illius, qui ausu sacrilego captivus detinetur, auxilium præstituri.

XXI. Si propter captivitatem clerici, locus aliquis per mensem manserit interdictus.

Item si propter captivitatem vel detentionem clerici captivi, locus ubi detinetur, vel ubi captivans habet domicilium, per mensem unum manserit interdictus, ita quod clericus liberatus non fuerit, nec alias satisfactum: extunc interdictum ipsum, ad totum decanatum, in quo locus ille consistit, extendatur, & sit ipse decanatus totus interdictus.

XXII. Si decanatus per quindenam maneant interdictus.

Et si hujusmodi interdicto durante per quindenam, clericus captivus non fuerit liberatus, extunc, si nobilis fuerit vel potens, vel alius quicumque habens terram, jurisdictionem vel districtum qui clericum captivavit vel detinet: terra & districtus ejus, ubicumque fuerit, ecclesiastico subjaceat interdicto. Et idem interdictum, eademque pœna observetur, si dominus aut nobilis, aut alius quicumque in cujus districtu vel jurisdictione captivans vel detinens clericum, quamvis ab alio captivatum, habuerit domicilium vel receptaculum, monitus ab ordinario loci, intra quindenam a die monitionis factæ ipsum Clericum non procuraverit liberari.

ANNO CHRISTI 1266.

XXIII. Si captivantes clericum, per duos menſes excommunicati fuerint.

Sed & poſtquam captivans clericum, vel detinens captivatum, per duos menſes in excommunicatione perſtiterit, clerico non liberato; omnis locus, ad quem captivans vel detinens pervenerit, vel qua tranſierit, ibidem comedendo vel bibendo, ſit per continuum ſequens triduum interdictus. Sic & per ſeptem ſequentes dies ſit interdictus, ubi ipſum contigerit pernoctare.

XXIV. Ne filii vel filiæ clericos captivantium, & per annum excommunicatorum, ad ordines vel ad beneficia eccleſiaſtica admittantur.

Porro ſi captivans clericum vel religioſum, vel detinens, ac ſacrilegus, hujuſmodi pœnis ſupradictis vilipenſis, congrua ſatisfactione neglecta, per annum unum in excommunicatione hujuſmodi perdurare animo præſumpſerit indurato ſive obſtinato: ſtatuimus, ut nulli de filiis & filiabus, fratribus & ſororibus, ſeu filiis vel filiabus fratrum vel ſororum uſque ad tertium gradum incluſive in linea deſcendenti & collaterali, & illi etiam qui ad hujuſmodi captivitatem opem vel operam impenderint, vel captivum clericum in ſuis domiciliis detinuerint, ad ordines ſeu beneficia, aut etiam prælaturas admittantur: cum ex delicto parentum, ipſo facto reddantur inhabiles ad hujuſmodi conſequenda: ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſtatuentes & mandantes examinatoribus clericorum, capitulis, patronis & archidiaconis ac prælatis ut nullum ex talibus ad ordines admittant, capitula nullum ex eis ad præbendam eligant, patroni nullum ex eis præſentent, archidiaconi ac prælati tales non inveſtiant ullo modo. Alioqui capitula, patroni, & archidiaconi ac prælati, ipſo facto, jus ſuum amittant ea vice, & ad proximum ſuperiorem devolvatur. Examinatotes vero & archidiaconi aliquem ex talibus ſcienter ad ordines vel beneficia admittentes, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Item de filiabus, ſororibus, & filiabus ſororum & filiarum prædictarum, uſque ad gradum prædictum, ſtatuimus obſervandum, ut in clauſtris vel cœnobiis cujuſcumque ordinis nullatenus admittantur.

Idem etiam, quoad excluſionem hujuſmodi, in filiis, filiabus, nepotibus, & neptibus eorum, qui eccleſias vel monaſteria incenderint, ſi per annum in excommunicatione, neglecta ſatisfactione, perſtiterint contumaciter, contra tales ſtatuimus obſervandum.

ANNO CHRISTI 1266.

XXV. Ut feuda eccleſiaſtica ab his, qui per annum contnmaciter excommunicationem ſuſtinuerint, ad eccleſias revertantur.

Feuda etiam, ſi qua prædicti ſacrilegi ab eccleſiis vel eccleſiaſticis perſonis tenuerint, poſt lapſum anni, per quem excommunicationem ſuſtinuerunt, ad eccleſias & perſonas eccleſiaſticas libere revertantur: ita ut, ſi ipſi ſacrilegi ultra ſe de hujuſmodi feudis ingeſſerint, contra eos tanquam invaſores bonorum eccleſiæ procedatur.

XXVI. Mitigationes pro fratribus & ſororibus ac aliis perſonis factæ, ſi ſe voluerint intra annum canonice expurgare.

Volentes nihilo minus, ut fratres & ſorores, filii & filiæ fratrum & ſororum, & alii in linea collaterali gradus ſupradicti, qui ſacrilegis & excommunicatis hujuſmodi in ſuis maleficiis non aſſiſtunt, nec adſtiterunt, & ad ipſa maleficia opem vel operam aut favorem non impenderunt, nec impendunt, ſine culpa eorum aut ſine cauſa non graventur ex maleficiis aliorum: ſtatuimus, ut iidem fratres & ſorores, filii & filiæ fratrum & ſororum, & aliæ perſonæ lineæ collateralis, pœnis ſupradictis, quoad excluſionem ab ordinibus & beneficiis & prælaturis hujuſmodi, non ſubjaceant, nec adſtringantur eiſdem, ſi intra eumdem annum coram nobis aut capitulo & prioribus Colonienſibus ſe canonice expurgaverint, quilibet quarta manu, quod prædictis ſacrilegis in hujuſmodi maleficiis concilio vel auxilio, ope vel opera non adſtiterint, & juramento corporali firmaverint, quod eis ulterius non adſtabunt.

XXVII. Si clericum in alia diœceſi capi, vel in iſta captum, ad aliam diœceſim deduci contingat.

Statuimus item, ut ſi clericum Colonienſis civitatis aut diœceſis, in alia diœceſi capi contingat, vel in noſtra civitate aut diœceſi captum, ad aliam diœceſim deduci vel transferri: quod per capitulum & priores Colonienſes, & alia capitula, ad liberationem captivi, & ad procedendum contra ſacrilegum illius diœceſis, qui in hoc culpabilis fuerit, apud loci diœceſanum affectuoſe laboretur, prout viſum fuerit expedire.

ANNO CHRISTI 1266.

XXVIII. Contra occisores & mutilatores clericorum.

De occisoribus & mutilatoribus clericorum, & clericos in captivitate usque ad mortem detinentibus, seu alias enormiter lædentibus: statuimus, ut per omnes ecclesias conventuales, parochiales, & capellas civitatis & diœcesis Colonienſis, ipsi occisores & mutilatores, & omnes opem & operam seu consilium ad hoc adhibentes, singulis diebus Dominicis & festivis, campanis pulsatis & candelis extinctis, nominatim, quorum nomina sciuntur, alioqui in genere, excommunicati denuncientur, ab omnibus arctius evitandi, donec sufficienter satisfecerint, & a sede apostolica redierint absoluti.

Præterea locus omnis, ad quem venerint, sit interdictus, quamdiu ibi fuerint: & per sequens triduum, si ibi biberint vel commederint: & per septem sequentes dies, ubi eos pernoctare contigerit. Ceterum si nobiles fuerint, vel alii terram & jurisdictionem vel districtum habentes, & intra tres menses a tempore perpetrati sceleris, ad arbitrium nostrum aut capituli & priorum Colonienſium, non satisfecerint: terra eorum & districtus ex tunc sit, ipso facto, ecclesiastico supposito interdicto: & feuda seu officia vel * possessiones, si quas habent ab ecclesiis & ecclesiasticis personis, amittant, & ad ecclesias, a quibus ea habuerint, revertantur: ita quod ipsorum sacrilegorum hæredes ad feuda hujusmodi, vel ad aliqua alia ab ecclesiis vel ecclesiasticis personis descendentia, numquam in perpetuum admittantur. De quibus si ultra se ingesserint, contra eos procedatur tanquam contra bonorum ecclesiarum invasores, prout superius est expressum. Et hoc etiam in aliis personis, quæ non sunt nobiles, feuda habentibus, volumus observari.

Præterea si domini terræ, in quorum districtibus manent vel domicilium habent, vel ubi tam enorme scelus commissum extiterit, tam nefarios, sacrilegos, & nefandos, in suis districtibus sustinuerint, & contra eos ad bonorum privationem & proscriptionem de terra, non processerint: contra ipsos dominos, tanquam contra consentientes malo hujusmodi, monitione præmissa procedatur.

XXIX. Contra occisores clericorum, per annum in excommunicatione existentes.

Si autem intra annum absolutionem a sede apostolica impetrare, & alias congrue satisfacere neglexerint: statuimus, ut extunc nullus filiorum aut nepotum eorumdem sacrilegorum, ad ordines vel ad beneficium ecclesiasticum vel dignitatem, usque ad quartum gradum, admittatur. Et idem fiat de filiabus & neptibus eorumdem. Et si qui eos vel eas admiserint, incurrant pœnas quæ superius de filiis & nepotibus clericos captivantium, sunt expressæ.

XXX. Contra eos qui minas intulerint personis ecclesiasticis de corpore vel de rebus.

Volentes item malo, antequam eveniat, quantum possumus, obviare: statuimus, ut si quis ecclesiasticæ personæ minas intulerit de corpore vel de rebus, & monitus a judice ordinario, ipsam personam ecclesiasticam non assecuraverit, a tempore monitionis intra septem dies, ab ipso ordinario extunc excommunicetur, & excommunicatus publice nuncientur, donec assecuret ipsam personam ecclesiasticam, & de ea coram suo judice accipiat rationem.

XXXI. Contra eos clericos, qui sacrilegium in clericos committere non verentur.

Cum vero magnum sit scandalum, & plerisque laicis, qui alioqui clericis sunt infesti, similia committendi existat quamplurimum incentivum, quod clerici in clericos sacrilegium committere non verentur: statuimus, ut clericus vel canonicus injiciens manus violentas in clericum, vel ecclesiam suam vel aliam, aut ecclesiasticam personam spolians, vel violentiam in immunitate committens, vel bona eorum sæculari judicio occupans, vel ad aliquod horum, consilium seu auxilium vel operam dans, pro hujusmodi injectione, in continenti per omnes ecclesias & capellas civitatis & diœcesis excommunicatus nuncietur. Et cum de aliis constiterit per evidentiam vel famam publicam, vel juramentum injuriam vel damnum passi, si fuerit persona fide digna, vel per fidem testium summarie faciendam: per ordinarium moneatur, ut intra septem dies a tempore monitionis factæ, de forefacto perpetrato satis-

ANNO CHRISTI 1266.

tisfaciat competenter. Alioqui a nobis excommunicatus excommunicatione quam ferimus in his ſcriptis, extunc per omnes eccleſias, ut ſupra dictum eſt, publice nuncietur.

Quod ſi intra quindecim dies non ſatisfecerit, extunc denuncietur, campanis pulſatis & candelis extinctis, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, excommunicatus. Quod ſi per annum in hujuſmodi excommunicatione perſtiterit: extunc omnibus beneficiis eccleſiaſticis, ſi qua habuerit, ipſo facto ſit privatus. Et illi ad quos ſpectat ipſorum beneficiorum collatio, ea conferant intra menſem. Alioqui per ſuperiorem extunc conferantur. Et nihilo minus ſit inhabilis ad aliqua alia conſequenda.

XXXII. Contra clericum, qui occaſione alicujus quæſtionis clericum captivaverit.

Si autem clericus clericum occaſione alicujus quæſtionis, quam habeat, captivaverit, vel ad capiendum ipſum, conſilium, auxilium, vel operam adhibuerit: ſtatuimus, ut cauſam amittat ipſo facto, & excommunicatus publice, ut de aliis captivatoribus præmiſſum eſt, nuncietur. Et ſi intra ſeptem dies liberationem ipſius captivi non procuraverit, ac intra alios quindecim dies læſo, nobis, & eccleſiæ non ſatisfecerit: extunc omnibus beneficiis eccleſiaſticis, ſi quæ habet, ſit ipſo facto privatus, & inhabilis in perpetuum ad aliquod beneficium conſequendum. Et ſi ille, ad quem collatio beneficiorum hujuſmodi pertinuerit intra menſem non de eis ordinaverit, ea aliis vel alii conferendo: collatio ac ordinatio eorumdem ad proximum ſuperiorem ſit ipſo facto devoluta. Si vero beneficium non habuerit, ſit inhabilis in perpetuum ad obtinendum.

Præterea omnis locus, ad quem hujuſmodi ſacrilegus pervenerit, vel ubi biberit aut comederit, aut pernoctaverit, ſit ipſo facto interdictus eo modo, ſicut de laicis captivatoribus clericorum eſt præmiſſum.

XXXIII. Contra clericos qui mutilant vel occidunt clericum.

Statuimus etiam, ut clericus occidens vel mutilans clericum, vel eum uſque ad mortem captivum detinens, ſit ipſo facto ab omnibus beneficiis eccleſiaſticis habitis, & a ſpe habendorum penitus deſtitutus, & excommunicatus in omnibus eccleſiis, ut ſuperius dictum eſt, nuncietur: locis ad quæ venerit, vel ubi biberit, commederit, aut pernoctaverit, ut ſuperius dictum eſt, ſuppoſitis ipſo facto eccleſiaſtico interdicto. Et nihilo minus ad alias pœnas, per nos aut capitulum & priores Colonienſes, ſicut opus fuerit, procedatur.

XXXIV. De litigantibus ſuper una præbenda in aliqua eccleſia diœceſis Colonienſis.

Cum vero plerumque contingat, quod vacante præbenda in aliqua eccleſia civitatis vel diœceſis Colonienſis, in qua duo vel plures authoritate ſedis apoſtolicæ vel legatorum ejus, aut quavis alia authoritate, jus ſe aſſerunt habere, & per executores ſuos ſeu quoſcumque alios ſe procurant mitti in poſſeſſionem corporalem præbendæ ipſius, cujus occaſione miſſionis, de hujuſmodi præbenda contendentes, bona, res, & jura ipſius eccleſiæ tam intra immunitatem, quam extra, indifferenter rapiunt & invadunt, ſeu per ſæculare judicium occupari vel arreſtari procurant, ſententias excommunicationis in* in certas perſonas de capitulo, & ſuſpenſionis in capitulum, nihilo minus a ſuis executoribus fulminari facientes, propter quod in rebus & perſonis tam ſpiritualibus quam temporalibus, eccleſiæ non modicum detrimentum ſuſtinent & jacturam: ſtatuimus, ut cum in aliqua eccleſia caſus hujuſmodi emerſerit, decanus & capitulum illius eccleſiæ authoritate hujuſmodi conſtitutionis ſibi faciant litteras authenticas & inſtrumenta, quibus ſic contendentes uti voluerint pro jure ſuo, hinc inde a partibus exhiberi, & convocatis capitulo & prioribus Colonienſibus, qui præſentes fuerint, & haberi commode potuerint, per eos ad hoc vocatis juris peritis, qui viſi fuerint expedire, per quos hujuſmodi quæſtio & diſcordia decidatur, & eorum diſcuſſioni ſeu ſententiæ ſtetur, & inviolabiliter obſervetur. Et ſi capitulum & priores, propter difficultatem juris vel alias cauſas legitimas, quæſtionem hujuſmodi decidere non poterunt, nec decidunt: cauſam eamdem ad curiam domini papæ decidendam tranſmittant, præfigentes partibus terminum competentem, quo ſe conſpectui papæ repræſentent, cum omnibus ſuis monumentis & documentis juſtitiam recepturæ. Cauſa vero & quæſtione hujuſmodi durante, medietas fructus præbendæ vacantis in uſus cedat eccleſiæ: & reliqua pars alicui idoneæ perſonæ, quæ deſerviat in ordine, quem defuncti præben-

* tertias

benda requisierit, deputetur. Et si qua A
ANNO CHRISTI 1266. partium sententiam pro se in curia habuerit, & in causa evicerit: fructus ejusdem præbendæ de mandato domini papæ capitulo præsentato, cessante occasione qualibet, ministretur. Si qua vero partium, litterarum suarum copiam facere, & hoc statutum subire contumaciter renuerit, & de sua potentia vel malitia confisa, bona ecclesiæ invadere, ac rapere temere & irreverenter, Dei timore postposito, præsumpserit: contra ipsam partem, tanquam contra raptorem bonorum ecclesiæ, ut B
dem excommunicatione involutos.

supradictum est procedatur. Statuimus etiam, ut hæc non solum adfutura hujusmudi negotia, sed etiam ad præsentia & præterita, a tempore electionis nostræ extendantur.

XXXV. Ne aliquis clericus sacrilegis excommunicatis aut usurariis assistat vel eos defendat.

Cum salvis pœnis, statutis tam in jure canonico quam civili, & coercitione nostræ ordinariæ potestatis contra C
injuratores ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum, prædictis modis & aliis qui ad hoc videbuntur expedire, providerimus procedendum: statuimus ut personis quibuscumque qui manus in clericos aut religiosos injiciunt, vel * alias spoliant & capiunt, aut in aliquo supradictorum modorum vel excessuum contra ecclesias vel ecclesiasticas personas excesserint, seu sententiis excommunicationis, suspensionis aut interdicti aut aliis modis supradictis se involverint, clerici sive in dignitate D
constituti, sive alii, vel etiam advocati: consilio vel auxilio in aperto vel in occulto non assistant: & qui contra venerint verbo vel facto, sententiam excommunicationis, quam in eos ferimus in his scriptis, incurrant ipso facto, & excommunicati publice, qui de hoc convicti fuerint vel confessi, usque ad satisfactionem condignam nuncientur: & publicæ pro hujusmodi personis præsumpserint in judicio postulare, earum injurias defendendo, & moniti ab eo- E
rum ordinariis, non destiterint, excommunicati publice, tanquam illi quorum excessus vel injurias nituntur defendere, nuncientur: & alias etiam contra eos, si opus fuerit, procedatur. Idem statuimus fieri de his, qui usurariis manifestis assistunt patrocinio, vel defendunt eosdem.

XXXVI. Ne clerici capellani nobilium excommunicatorum, cum ipsis dominis suis ultra mensem permaneant.

ANNO CHRISTI 1266.

Statuimus item, ut clerici seu capellani dominorum suorum aut nobilium vel aliarum personarum, quæ fuerint propter aliquem prædictorum excessuum, sententia excommunicationis innodati, dominis suis in hujusmodi injuriis consilium vel auxilium, verbo vel facto non impendant: alioqui se noverint ea-

Præterea ipsos dominos suos modis quibus poterunt inducant, ut de eis pro quibus excommunicati existunt satisfaciant, & ad reconciliationem sanctæ matris ecclesiæ revertantur: quod si intra mensem eosdem dominos suos ad hoc inducere nequiverint, extunc omnino recedant ab eisdem, nec eis communicent. Alioqui ipsos clericos seu capellanos, qui ultra id cum dominis suis permanserint, & eis communicaverint, majori excommunicatione in his scriptis latæ sententiæ innodamus, & præcipimus eos per locorum ordinarios, excommunicatos publice nunciari. In qua excommunicatione si per duos menses contumaciter perduraverint, & a dominis suis non recesserint, extunc ipso facto omnibus beneficiis ecclesiasticis, cum cura vel sine cura, quæ habent, sint privati: & eadem beneficia per illos, ad quorum collationem pertinent, aliis personis idoneis intra mensem conferantur: alioqui extunc per superiorem proximum conferantur, & nihilo minus sint inhabiles ad alia beneficia obtinenda.

XXXVII. Contra eos qui sententiam excommunicationis damnabiliter vilipendunt.

Cumque nonnulli sententiam excommunicationis damnabiliter vilipendant: statuimus, ut quicumque excommunicatus & in parochia sua denunciatus, per annum in ipsa excommunicatione perstiterit, & de hoc fides facta fuerit per litteras excommunicatoris, quas sufficere volumus in hac parte, si fuerit ordinarius, & alias per aliam fidem sufficientem, si hujusmodi fuerit nobilis vel alius habens terram vel districtum, illa terra vel districtus per ordinarium loci, super hoc requisitum ab excommunicatore vel actore, ecclesiastico sine difficultate supponatur interdicto. Et si fuerit alius quam nobilis, dominus temporalis seu judex, in cujus districtu ex-

ANNO CHRISTI 1266.

excommunicatus manserit, seu domicilium habuerit, moneatur per ordinarium ipsius, ut compellat ipsum excommunicatum redire ad sanctæ matris eccle-
* unionem siæ * unitatem. Alioqui idem dominus sive judex, per ipsum ordinarium excommunicationis sententia percellatur.

XXXVIII. Contra computrescentes in excommunicatione ultra annum, quomodo procedendum.

Ipsi autem excommunicati, cum per annum in excommunicatione perstiterint, in synodis accusentur, tanquam clavium ecclesiæ contemptores, & satisfacere compellantur: adhibito etiam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

XXXIX. Ut prælati & quælibet ecclesiasticæ personæ, ad observationem statutorum istorum fideliter teneantur.

Quia vero omnibus per statuta hujusmodi paterna solicitudine intendimus providere, ut videlicet quies procuretur ecclesiis & ecclesiasticis personis, & pacis turbatores pœnæ formidine cohibeantur a peccatis: præcipimus & mandamus sub pœna excommunicationis, ut statuta ipsa ab omnibus tam ecclesiasticis quam sæcularibus personis inviolabiliter observentur: statuentes, ut capitulum, prælati, archidiaconi, præpositi, decani Capitulorum, & alia capitula, & singuli de capitulis, decani Christianitatum, rectores ecclesiarum & capellarum, necnon & vicarii, & omnes clerici civitatis & diœcesis Colonienſis, ad observationem sententiarum prædictarum, scilicet excommunicationis suspensionis, & interdicti, & ad earum executionem, quandocumque & quotiescumque opus fuerit, & aliquod forefactorum prædictorum committi contigerit in civitate aut diœcesi Colonienſi, omni fraude & dolo penitus exclusis, fideliter teneantur. Si quis autem prælatus in his remissus fuerit, & ex parte ecclesiæ vel personæ injuriam vel damnum passæ, tertio requisitus, ad executionem præmissorum, prout in superioribus continetur, per se vel per alium procedere neglexerit: sententiam suspensionis a nobis latam in his scriptis, incurrat ipsa omissione: quam scilicet suspensionis sententiam, si per octo dies in negligentia perdurando substinuerit, extunc incurrat excommunicationis sententiam, a nobis latam in his scriptis. Et nihilo minus contra eum ad ulteriora per nos, de consilio capituli & priorum Colonienſium, procedatur.

ANNO CHRISTI 1266.

XL. Contra clericos in executionibus sententiarum remissos, & sententias ipsas modo debito non servantes.

Hebdomadarii item in ecclesiis conventualibus, plebani, rectores seu provisores parochialium ecclesiarum & capellarum civitatis & diœcesis Colonienſis, qui in suis ecclesiis seu capellis illos qui ex aliquibus causis, de quibus supra dictum est, in excommunicationem inciderint vel * juris vel hominis, * canonis & fuerint, ut præmissum est, excommunicati nunciandi, denunciare omiserint, ipsa omissione se sciant excommunicationis sententiam, in his scriptis a nobis latam, incurrisse, & poterunt depositionis periculum formidare, si Divinis se ingesserint sic ligati: ita ut, nisi celeri satisfactione sibi prospexerint, monitione præmissa a suis ordinariis, priventur beneficiis quæ habent, & illa aliis personis idoneis, per eos ad quorum spectant collationes, conferantur.

XLI. Contra eos qui in loco interdicto celebraverint.

Si quis autem sacerdos in loco, propter captivitatem clerici, vel propter spolium ecclesiæ vel ecclesiasticæ personæ, vel propter aliquam aliarum causarum prædictarum interdicto, celebraverit, & sic irregularis, in continenti non destiterit, aut intra quindecim dies non satisfecerit nobis & ecclesiæ, extunc incurrat ipso facto excommunicationis sententiam, quam in hujusmodi præsumptores ferimus in his scriptis. In qua excommunicatione si per quindecim dies contumaciter perduraverit, negligens satisfacere: extunc sit ipso facto omnibus beneficiis ecclesiasticis, quæ habet, destitutus. Et si illi ad quos beneficiorum hujusmodi collatio pertinuerit, ea aliis personis non contulerint intra mensem, eorum collatio ad proximum superiorem devolvatur. Si vero beneficium sacerdos non habuerit, hujusmodi sit post tempus prædictum inhabilis in perpetuum ad aliquod obtinendum.

XLII. Ut percepto forefacto, statim cessetur a Divinis, ne quis per crassam ignorantiam possit excusari.

Ceterum ne aliquis prælatus, archidiaconus, præpositus, * decanus capitu- * decani

lo-

lorum & christianitatum, aut rector ecclesiæ vel capellæ, per crassam ignorantiam ab observationibus sententiarum prædictarum se valeat excusare, cum difficile sit, singulari denunciatione singulorum auribus inculcari captivationem clerici vel spolium ecclesiæ vel ecclesiasticæ personæ, aut aliud quodcumque forefactum, propter quod loca aliqua contingit esse interdicta, sicut superius in pluribus locis est expressum: statuimus, ut prælati, archidiaconi, præpositi, decani & rectores, seu vicarii, quam cito captivitas clerici vel spolium, aut aliquod forefactum, de quibus est supradictum, ad eorum notitiam, vel fama deferente, vel alio quocumque modo pervenerit, statim cessent a Divinis, ubi hoc juxta præmissa fuerit faciendum, & ad observantiam & executionem dictarum sententiarum per se, vel per alios teneantur. Alioqui non obstante excusatione crassæ ignorantiæ, pœnis & sententiis subjaceat supradictis.

XLIII. Ut hæc statuta ad personas ecclesiasticas cujuscumque ordinis extendantur.

Statuimus item, ut ad monasteria & bona eorum, & ad monachos & alias religiosas personas cujuscumque ordinis civitatis & Diœcesis Colonienſis, hujusmodi statuta extendantur. Et monachorum prælati & monachi, ac aliæ personæ religiosæ, cujuscumque ordinis existant, * se voluerint occasione alicujus privilegii, ab executione seu observatione statutorum ipsorum tueri, vel excusare: prædictorum statutorum auxilio non juventur.

XLIV. Ut hæc statuta, ne aliquem latere possint tam in capitulis, quam in aliis locis, sæpius publicentur.

Statuimus item & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, ut hæc eadem statuta per omnes ecclesias conventuales & parochiales & capellas civitatis & diœcesis Colonienſis, singulis annis, ne aliquem latere possint, sæpius publicentur, & in capellis ruralibus perlegantur.

XLV. Ut nomina sacrilegorum posita in registro, sæpius recitentur.

Et nomina eorum, qui contra ecclesias seu personas ecclesiasticas aliquo modorum supradictorum excesserint vel deliquerint, statim, cum hoc factum fuerit, ponantur in registro, & sæpius recitentur in publico, ut sciri possit ex qualitate facti & ejus circumstantiis, nec non ex dilatione satisfactionis, qualiter sit contra excedentes & delinquentes hujusmodi procedendum, nec deleantur eorum nomina, nisi congrua satisfactione præcedente. Si quid vero dubii aut difficultatis super præmissis emerserit: hoc nobis, capitulo & prioribus Colonienſibus reservamus declarandum.

Nos vero capitulum, prælati, & alia capitula majoris & aliarum ecclesiarum civitatis & diœcesis Colonienſis, plenam in Domino fiduciam obtinentes, quod per statuta hujusmodi, ecclesiis & monasteriis, & personis tam ecclesiasticis quam religiosis, in spiritualibus & temporalibus provisum sit, & debeat provideri, ad observationem eorumdem statutorum, bona fide, omni fraude & dolo exclusis, firmiter obligamus, sigilla ecclesiarum nostrarum eisdem statutis in testimonium apponentes.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, VI. Idus Maii.

STATUTA PROVINCIALIA

Edita a Widone S. R. E. Cardinali,

Et Apostolico Legato in Concilio Bremensi anno MCCLXVI.

FRater Wido, miseratione divina in Lucina Presbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis legatus. Ad perpetuam rei memoriam. Humanæ naturæ sauciata conditio, quam hostis antiqui invidia gratuitis spoliare & in naturalibus vulnerare fraudulentis conatibus elaborat ligamenta requirit salutarium præceptorum. Infusionem quoque olei per quod intelligitur pia ammonitio, & vini, per quod pungitiva correptio, vel increpatio figuratur, sicut in homi-

ANNO CHRISTI 1266.

mine, qui descendit ab Hierosolyma in Jericho & incidit in latrones, pio scemate declaratur. Hinc est, quod cum Dominus noster summus Pontifex, Vicarius Jesu Christi, Nos, ad Bremensem ecclesiam, cum plenæ legationis officio duxerit destinandos, ea libenti & diligenti animo cogitamus, ordinamus atque statuimus, quæ libertati Ecclesiasticæ conveniunt, animarum saluti proficiant, finem imponant vitiis, remissionem peccati, vitæ ordinem, morbus disciplinam. Verum quoniam expedit, ut sacramenta ecclesiæ, in quibus, tanquam in vasis medicinalibus populus devotus & humilis antidotum gratiæ recipere consuevit, in honore & reverentia ab omnibus habeantur, cum ea plerumque contingat effici vilia, propter vilem & abominabilem ministrorum Ecclesiæ conversationem: Universis personis Ecclesiasticis Provinciæ memoratæ districte præcipimus, ut in victu, vestitu, gestu & aliis operibus & circumstantiis status sui sic honeste se habeant & decenter, ne propter ipsos nomen Ecclesiasticum inter Laicos blasphemetur. Eisdem inprimis districtius inhibentes, ne de Patrimonio crucifixi inimicos se faciant crucis Christi. Sicuti illi, quorum Deus venter est, & qui terrena sapiunt, non divina. In conviviis suis modestiam & mediocritatem observent, superfluitatem indebitam resecantes. Ebrietatem omnium vitiorum comitem & nutricem devitent. Prælati vero a gravaminibus abstineant subditorum, & maxime cum Ecclesias visitant moderentur expensas, coerceant evectionem, numerum, prout in generali consilio extitit definitum, sibi & gregi suo taliter intendentes, ut Zelatores justitiæ & modestiæ amatores, & generaliter omnium sectatores bonorum operum ostendantur. Præsentis igitur consilii approbatione præcipimus, ut continenter & caste vivere studeant, ut puro corde & mundo corpore Domino possint in offertorio Ecclesiastico ministrare. Si qui de cetero deprehensi fuerint detinere publice concubinas, nisi se ab eis, & earum consortio separaverint, ita quod in domibus ipsarum, aut ipsis, aut aliis quibuscunque non cohabitent, nec ad illas accedant, ex tunc omni beneficio ecclesiastico, & per eos, ad quos dictorum beneficiorum spectat collatio personis idoneis conferantur; illis exceptis, qui nostræ collationi hac vice duximus reservanda. Illi vero, qui Subdiaconi, aut aliis superioribus ordinibus insigniti, fornicariam aliquam sub uxoris specie animo sibi præsumserint, de facto matrimonialiter copulandi, omni officio ecclesiastico perpetuo sint privati. Et sicut ob culpam omnis ejus posteritas legitur condemnata: Si pœnam talibus infligendam in progenie, quæ de coitu sic damnato nascitur duximus protendendam, statuentes, ut filii, nec non qui tam incestuosum & sacrilegum concubitum duxerint eligendum, ab omnibus bonis eorum mobilibus habeantur penitus alieni, & quidquid eis fuit ab ipsis relictum in morte, vel in vita donatum, inter Episcopum & civitatem loci ejusdem æqualiter dividantur. Præfatos vero filios nota semper infamiæ comitetur. Et quia sicut intellexerimus, aliqui prælati tales, in scandalum totius ecclesiæ ipsius, iniquitatibus & immunditiis, obtentu pecuniæ, confovent & defendunt, qui eos deberent a suis iniquitatibus & immunditiis ex injuncto sibi officio revocare; Excommunicamus in scriptis & anathematizamus omnes illos, tam clericos, quam laicos, tam Prælatos, quam subditos, tam minores, quam majores & medios, qui hujus cohabitatores, sive clam, sive palam, in suis iniquitatibus præsumserint defensare, nec non & illos qui præstabunt consilium vel auxilium, opem vel operam quo minus observetur istud nimirum salutare statutum, quod legi præcipimus annis singulis in Synodis Episcopalibus & provincialibus, ne aliquis prætextu ignorantiæ se valeat excusare, Illi vero, sive laici, sive clerici fuerint, qui de cetero filias, sorores, aut cognatas personis in sacris ordinibus constitutis sive ratione matrimonii quod multi errore cæcati, fieri posse credunt, ut dicitur, seu ratione concubinatus duxerint contendendas, sive mediatores extiterint, aut fautores introitum Ecclesiæ sibi noverint interdictum, si vero aliqui clerici tanti furoris arrepti fuerint, ut in prælatos suos, aut alios, quos ad exequendum tam salubre statutum contigerit deputare, præsumant insurgere, aut se in sua turpitudine viribus temporalibus defensare, sicut nonnulli jam feciisse dicuntur, ipso facto officio & beneficio ecclesiastico sint privati, nec restitui valeant, nisi cum eis per sedem Apostolicam fuerit dispensatum. Et cum in plerisque locis quorundam iniquitas tantum invaluerit, quod in rebus Ecclesiæ furtum reputetur sagacitas, rapina probitas & violentia fortitudo: Synodali judicio definimus, ut quæ bona Ecclesiarum scienter detinent occupata nisi infra instantem Quadragesimam eadem restituerint & de damnis aut injuriis satisfecerint, competentur, ex tunc introitum Ecclesiæ sibi noverint interdictum, nec ab Episcopis, aut aliis Ecclesiarum prælatis ad communionem Dominici corporis admittantur. Qui vero obstinata mente, dum vixerint, satisfacere non curaverint, nullus clericus sæcularis, vel regularis sepulturæ ipsorum interesse præsumat. Adjicientes, ut singulis annis in Synodo illi, qui Clericos rapuerint, verberant vel occidunt, vel alias in ipsos manus injiciunt violentas, excommunicati denuncientur, & nominatim illi, de quibus constiterit manifeste. Quicunque vero personam Ecclesiasticam enormiter vulneraverit, mutilaverit, vel occiderit, vel captivaverit, non nisi per sedem Apostolicam absolvatur. Et in ipso facto, si quid tenebat, illud perdat & res suæ in utilitatem Ecclesiæ convertantur. Adjicientes, quod in illa diœcesi, in qua aliquod canonicum cathedralis Ecclesiæ vel in dignitate ecclesiastica constitutum capi contigerit, vel captum detinere, usque ad libertatem ipsius & exhibitionem debitæ satisfactionis cesset generaliter a divinis. Similiter & in illa Parochia, in qua res Clericis violenter ablatas capi, vel detineri contigerit, usque ad restitutionem & satisfactionem congruam a divinis cesset. Item cum matrimonii sacramentum non sit in continentiæ præcipitium, seu potius remedium contra illud, non absque dolore cordis audivimus quosdam in hac Provincia sic a suæ carnis voluptate, vel terrena cupiditate deceptos, quod in gradu prohibito de facto temere contrahentes, quod non tam matrimonium, quam contubernium censeri dicitur, se incestuosæ luxuriæ vilitati immergere, & sacramentum matrimonii, quantum in ipsis est, polluere non verentur. Nos itaque tantum excessum conniventibus oculis pertransire

non

NNO RISTI 266.

non valentes, ſub pœna excommunicationis diſtrictius prohibemus, ne abſque diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ tale de cetero matrimonium ſeu contubernium contrahatur. Alioquin ſacerdotes, qui tales conjunxerint, a ſacerdotali officio ſe noverint eſſe ſuſpenſos. Illi vero, qui ſcientes ſic permiſerint ſe conjungi, ipſo facto ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendantur, ſub eadem pœna, qua illis, qui jam abſque diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ tale matrimonium contraxerunt, diſtricte præcipimus, ut a cohabitatione invicem abſtinentes diœceſano ſuo, ſeu alio prælato, ad quem de jure vel conſuetudine pertinere dignoſcitur talium cauſarum cognitio, rei veritatem inſinuare non tardent, convocatis, qui fuerint evocandi, & cauſa diligenter examinata, quod canonicum fuerit, ſtatuat, faciens quod decrevit per cenſuram eccleſiaſticam inviolabiliter obſervari. Epiſcopi vero, ſeu alii Prælati de cauſis matrimonialibus cognoſcentes omnino caveant, ne cupiditate devicti, non ſolum dirimenda non dirimant, verum etiam ſeparanda redintegratione, prætextu pecuniæ & alterius commodi non præſumant. Si quis autem contra hoc venire præſumſerit interdictum, eo ipſo ſe noverit officio beneficioque privatum. Laici vero, qui de pœnis inferendis perſonis conjunctis in cauſa matrimoniali, ſeu accuſatoribus ſe intromiſerint, cum ad ipſos non pertineant, ſed ad judicem Eccleſiaſticum, coram quo negotium ventilatur, per cenſuram eccleſiaſticam compeſcantur, cum ex hoc multi ab accuſatione matrimonii retrahantur. Item cum detentores plurium perſonatuum vel dignitatum, ſeu beneficiorum eccleſiaſticorum cum cura, ſint ſacrorum canonum tranſgreſſores, & fructus talium beneficiorum percipiendo furtum committere dignoſcantur. Statuimus, ut omnis, qui hujus dignitatum, perſonatuum, vel dignitatum, ſeu beneficiorum cum cura pluralitatem retinent, niſi ſuper hoc diſpenſatum fuiſſe coram nobis infra proximam Quadrageſimam doceant manifeſte, aut ſi cum eis non fuit diſpenſatum, eligant ergo unum de prædictis beneficiis retinendum, & alia infra terminum memoratum libere in manibus eorum reſignent, ad quos illorum collatio dignoſcatur pertinere, alioquin ex tunc ab omnibus eccleſiaſticis beneficiis, dignitatibus, ſeu perſonatibus ſe noverint eſſe privatos. Præcipimus autem illis, ad quos illorum beneficiorum, dignitatum, ſeu perſonatuum collatio pertinet, ut aliis perſonis idoneis eadem conferant & aſſignent. Quod ſi infra terminum determinatum a jure hoc adimplere non curaverint, ad proximum ſuperiorem collatio devolvatur. Item cum judiciorum vigor, juriſque publici tutela ſit in medio conſtituta, ne quis ſibi ſumere audeat ultionem, præſenti decreto ſtatuimus, ut ſi quis aliquid contra quemcumque Clericum, vel Laicum de jure competere crediderit, nequaquam in ipſum ſponte inſurgere, aut res ejus propria auctoritate occupare præſumat, ſed ipſum vocari faciat coram judice competente. Adjicientes, quod ille, tanquam contumax puniatur, qui ne ad ipſum citatio perveniat, inferendo minas vel injurias præſumpſerint impedire. Item ad aures noſtras, quorundam Laicorum gravis exceſſus pervenit, quod Eccleſias parochiales de facto detinent, contra canonicas ſanctiones, qui niſi infra proximam nativitatem Domini dimiſerint libere & abſolute, ipſos excommunicamus in his ſcriptis diſtricte præcipientes, ut illi, ad quos prædictarum Eccleſiarum ordinatio pertinet, ex tunc perſonas idoneas inſtituant in eiſdem. Item cum Eccleſia, ad quam fideles ad audienda Divina conveniant, domus ſit orationis, non negotiationis, nec ſpelunca latronum, nec locus armorum, ſeu materialium gladiorum. Statuimus, ut quicunque ad Eccleſias ad audienda divina convenerint, inter ipſas, vel Cœmeteria eorum arma non inferant, ſed extra dimittant, cum tales Judæis ſimiles videantur, qui ad capiendum Chriſtum cum gladiis & fuſtibus convenerunt, tranſgreſſores hujus ſtatuti per excommunicationis ſententiam compeſcantur. Item cum, ſicut perpendimus Bremenſem viſitando Provinciam, homines ejuſdem Provinciæ ad committendum homicidium proni ſint ac procli-vi, volentes tantam refrænare nequitiam, ut inter ipſos improbos tuta ſit innocentia & malignorum coerceatur audacia, præſenti decreto ſtatuimus, ut quicunque laicus in publico hominem interfecerit, pœnitentiam agat privatam & publicam, & carenas ſimiliter, & hoc ſecundum arbitrium diœceſani ſui. Alioquin eccleſiaſtica careat ſepultura, niſi forte jam incæpta pœnitentia, morte ſit præventus. Nihilominus præcipientes ſub pœna excommunicationis judicibus, ſæcularibus, ſub quorum juriſdictione homicidium a laicis contigerit perpetrari, ut homicidas requirant, & eos puniant ſecundum legitimas ſanctiones, & ſi quis in hoc negligens apparuerit, per diœceſanum Epiſcopum auctore hujus conſilii per cenſuram eccleſiaſticam compellatur. Item ſicut intelleximus fama crebreſcente beneficia eccleſiaſtica a nonnullis prælatis hujus provinciæ per vitium Simoniæ conferuntur. Nos ergo huic morbo peſtifero congruum remedium adhibere volentes, diſtricte præcipimus, ne id de cetero fiat, & quicunque ſentit morſum conſcientiæ hominis ſuper beneficio per Simoniam dato, vel recepto, illud infra inſtans paſcha reſignet, qui ſimoniace recepit, & qui obtulit pœnitentiam agat, & ſi quid accepit, pro eo reſtituat. Alioquin dantem ſcilicet & recipientem ex tunc excommunicationis vinculo innodamus. Item ſtatuimus ut unuſquiſque liberam teſtamenti factionem habeat, & liberam teſtandi voluntatem, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis per quoſcunque editis, videlicet, quod non valeat teſtamentum, niſi fiat parentibus conſulibus, vel laicis aliquibus de ipſo municipio, vel loco teſtantis, cujuſmodi ſtatuta decrevimus nullius fore momenti, abolerique præcipimus & abradi. Conſervatori vero horum ſtatutorum & apparitoribus eorundem, niſi reſipiunt, introitum Eccleſiæ denegamus. Sub eadem interminatione injungentes eiſdem, ut etiam ſtatuta contra eccleſiaſticam libertatem edita ab ipſis, prænoniti a diœceſanis epiſcopis, ſtudeant revocare. Item cum raptus & corruptionis Dinæ filiæ Jacob exemplo periculoſum eſſe noverimus vel diſcurſum, vel egreſſum mulieribus religioſis, præſenti decreto ſtatuimus, ut moniales, quæ evidenti neceſſitate exire debuerint, maturæ ſint & honeſtæ, & cum tali ſocietate ſe teneant, ut non ſolum propriæ ſalutis periculum, ſed & ſiniſtra ſuſpicio inde non valeat exoriri. Adjicientes, ut illis monialibus, quæ præpoſitos habere conſueverunt, religioſi, ſeu

ANNO CHRISTI 1266.

regu-

ANNO CHRISTI 1266.

regulares præficiantur, si personæ idoneæ de talibus potuerunt inveniri, si vero, propter defectum regularium, personas eis oportuit præfici sæculares, tales instituantur, qui morum maturitate præfulgeant, & probata diutius castitate. Acta fuerunt hæc in Consilio Bremensi, mense Novemb. Anno Domini M. CCLXVI.

ANNO CHRISTI 1266.

CONCILIUM MAGDEBURGENSE

An. Chr. MCCLXVI. celebratum.

Harthzeim Concil. Germ. T. III. pag. 798.

SCriptum in canone quod dictum est: *Seniores Provinciæ tuæ congrega, & eos interroga:* Sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifice B. Petri Apostoli successore, ad metropolitanæ sedis antistitem congrue emanavit. Nam & ipse sicut olim a sanctis Patribus noscitur institutum, cum suis suffraganeis annus singulis provinciale concilium celebrare jubetur, propter quod dictum est recte ad ipsum: *Seniores provinciæ tuæ congrega.* In quo quidem concilio congregato de corrigendis excessibus, & moribus reformandis præsertim in clero, diligentem habebit cum Dei timore tractatum, canonicas regulas & maxime quæ statuta sunt in conciliis, relegens diligenter, ut eas observari faciat, pœnam debitam transgressoribus infligendo. Et ut hæc omnia consultius & salubrius peragantur, expedit id fieri, suffraganeorum sibi approbatione & consilio in omnibus assistente, unde & subjungitur: *& eos interroga.* Spectat nihilominus ad ipsius metropolitani circumspectionem & prudentiam, ut juxta creditæ sibi dispensationis officium subditorum commodis profectibus & quieti, sollicitudinis debet studium adhibere, præcipue laicorum quorumdam, qui clericis oppido sunt infesti, nunc antiquorum statutorum declaratione & suppletione, nunc vero novorum editione, prout possibile fuerit, insultus & ausus nefarios reprimendo. Ipsi namque suis finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita frœna relaxant, ecclesiarum Prælatis, ecclesiis, ecclesiasticisque personis, & rebus etiam earumdem onera imponunt gravia, ipsasque vexationibus plurimis, talliis, collectisque multiplicibus frequenter aggravant, & molestant. Propter quod contra hujusmodi præsumptores summa suadet necessitas, gratia suffragante divina, pro pace & quiete, ac utilitate publica providendum, Sacro igitur approbante Concilio sanximus & statuimus:

I. Quod si quis deinceps in hoc sacrilegii genus nefandum irrepserit, quod Archiepiscopum Magdeburgensis provinciæ inter provinciam ipsam ceperit, seu captum detinuerit in eadem, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit vel favorem, aut postea sponte receptaverit, vel defensaverit scienter eumdem; cum ex eo excommunicationis sententiam incidat ipso facto, excommunicatus & ab omnibus arctius evitandus, accensis candelis & pulsatis campanis per totam denuntietur provinciam singulis diebus Dominicis & festivis, & cessetur nihilominus in ampliorem pœnam ipsius in tota provincia a solemniis divinorum.

II. Ita tamen quod singulis diebus in ecclesiis & monasteriis missæ celebrentur, & alia divina dicantur officia, sicut prius submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, ac etiam populo nostro admisso, & una campana semel tantum pulsata, ut sic conveniant, per quos debebit divinum officium celebrari: & insuper tempore hujusmodi cessationis nulla conferantur Eccles. Sacramenta.

III. Iis dumtaxat exceptis, quod tempore interdicti jura permittere voluerunt, videlicet baptismata parvulorum & tam sanorum quam infirmorum pœnitentia viaticum, & confirmationem in fronte. Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam unctio, quam ecclesiastica sepultura, de gratia tamen duximus concedendum quod tam clerici quam laici decedentes qui causam non præbuerunt hujusmodi interdicto, in cœmeterio ecclesiæ sine campanarum pulsatione sic quod laici absque presbytero, clerici vero cum præsentia presbyteri, sub silentio tumulentur; ita tamen quod funere ad suam ecclesiam deportato, & oblationibus, si qui eas exhibere voluerint, more solito ibi factis, populus ab ecclesia exeat, & presbyter in ecclesia, præsente funere, voce submissa, missam celebret pro defunctis. Quibus sic peractis, funus eo modo, ut dictum est, tradatur ecclesiasticæ, sepulturæ.

IV. Si vero Archiepiscopi vel Episcopi nostræ provinciæ captio vel detentio extra provinciam omittatur, ex tunc omnes Episcopi alii, & etiam Archiepiscopus ipse sicuti captus non fuerit cum suis capitulis infra XV. dies aut prius etiam, si commode fieri poterit, postquam ad eorum notitiam de captivitate Archiepiscopi, vel Episcopi pervenerit, archiepiscopum vel Episcopum extraneum in cujus diœcesi detinetur captivus efficaciter interpellare debebunt; ut ipse ad liberationem captivi exhibens consilium & auxilium oportunum, in tota sua diœcesi cessari faciat a solemniis divinorum: omnibus aliis supradictis in nostra observandis provincia tempore captivitatis hujusmodi in suo robore duraturis.

V. Si autem Canonicum ecclesiæ cathedralis vel abbatem aut archidiaconum, vel Prælatum collegiatæ, aut regularis ecclesiarum, in provincia ipsa capi, vel detineri contingat; ex tunc postquam de hoc constiterit per totam dieceſim, in qua captus fuerit, & captus etiam detinetur, cessent solemnia divinorum: & nihilominus in pœnam ipsius captivatoris, ac etiam aliorum, de quibus superius est expressum, ea, quæ sunt de excommunicationis denunciatione & observatione interdicti statuta, in ipsa diœcesi tantum inviolabiliter observetur.

VI. Eodem modo, si Canonicus ecclesiæ collegiatæ, vel Rector alterius ecclesiæ cujuscumque, seu etiam clericus in sacris, vel etiam minoribus ordinibus constitutus infra termi-

minos provinciæ captus fuerit, vel detentus per totum archidiaconatum tantum in quo detinetur a divinorum solemniis volumus abstineri; aliis pœnis superius positis in ipso Archidiaconatu diligentius observatis.

ANNO CHRISTI 1166.

VII. Si tamen cathedralis, vel aliarum ecclesiarum Canonicf aut abbates, Prælati, seu Clerici supradicti extra provinciam capti fuerint, vel detenti, Archiepiscopus sive episcopus ipsius capti ordinarius, pro ipsius liberatione Archiepiscopum vel Episcopum loci, in quo detinetur captivus, preces suae dirigere teneatur, ac etiam tam exacta diligentia exhortari, ut ipsi tempore detentionis hujusmodi cessari faciant in sua Diœcesi solemnia divinorum, contra captivatorem, seu captivatores, faciendo singulis diebus Dominicis & festivis excommunicationis sententiam publicari. Has autem omnes pœnas statuimus inviolabiliter observandas, donec captum liberum & solutum dimitti contingat cum satisfactione debita & condigna.

VIII. Contra eos similiter, qui clericos membro aliquo mutilare, enormiter vulnerare, aut etiam occidere non verentur, extendi volumus pœnas easdem, quæ contra clericorum captivatores seu detentores, sunt superius promulgatæ.

IX. Ceterum quia dignum est, ut propter enormitatem culparum, pœnarum modus exuberet, nec pœnis solitis contententur, statuimus quod filii & filiæ, & omnes eorum posteri, qui vel quæ usque ad quartam generationem per lineam rectam tam masculinam quam femininam a prædictis malefactoribus, descendere dinoscuntur, in nulla ecclesiarum nostræ provinciæ ad beneficium aliquod ecclesiasticum ante præstitam satisfactionem debitam & congruam aliqualiter assumantur.

X. Et quidem si secus per eos ad quos electio, collatio, præsentatio seu provisio talium beneficiorum spectare dignoscitur, attemptatum fuerit, ipsa electio, collatio præsentatio, vel provisio ea vice ad loci episcopum, qui si infra tempus a jure statutum id facere neglexerit, ad superiorem proximum devolvatur, non obstante aliqua consuetudine contraria, si quæ possint per quemcumque in oppositum allegari. Et ne in oblivionem veritas veniens vagetur incerta; statuimus ut nomina prædictorum Episcopo loci tradantur, per ipsum scripturæ memoriæ perhennanda, qui etiam talium copiam nominum ad alios transmittat Episcopos, prout viderit expedire.

XI. Eisdem etiam pœnis teneri volumus omnes, qui prædictorum spontanei receptatores vel defensores extiterint, aut ipsis præbuerint opem, consilium & favorem.

XII. Ut tamen pœnas præmissas contra captivatores & detentores personarum ecclesiasticarum nostræ provinciæ in hoc concilio generaliter promulgatas mitigare, remittere, interpretari, declarare vel etiam ampliare, prout qualitas facti exegerit, valeamus, tam nobis, quam cuilibet fratrum & coepiscoporum nostrorum in sua diœcesi libera sit facultas, pœnis prioribus super archiepiscopi seu episcopi captivitate vel detentione, statutis nullatenus immutatis, nisi super hoc omnium nostrorum accedente communi consilio & consensu.

XIII. Item quia non solum a jure censentur, qui in personas ecclesiasticas manus injiciunt temere violentas, verum etiam & illi, qui res ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum spoliant, diripiunt & invadunt; præsenti constitutione sanximus, quod spoliatores & invasores rerum ecclesiasticarum si legitima monitione præmissa, de damnis, & injuriis irrogatis, infra terminum competentem ad hoc assignatum, iisdes postquam per duos vel tres testes idoneos super damnis & injuriis hujusmodi sufficiens fuerit facta fides, satisfactionem competentem exhibere contempserint, excommunicationis vinculo constringantur. Et quod contra tales hujusmodi excommunicationis sententia promulgata per eos, qui super hoc requisiti fuerint, per totam nostram provinciam singulis diebus Dominicis accensis candelis & pulsatis campanis debeat publicari. At quod in omnibus locis in quibus malefactores præfati domicilium vel receptaculum habuerint, & ad quæ ipsos vel aliquem ipsorum pervenire contigerit, & quamdiu ipsi ibidem moram traxerint, & post recessum eorum per triduum immediate sequutum in illis, ad quæ ipsum spolium deducetur, civitatibus ecclesiarum cathedralium dumtaxat exceptis cessandum statuimus ab officio divinorum donec rebus expoliatis seu earum æstimatione, prout justum fuerit, restitutis de damnis, injuriis & interesse satisfactum fuerit competenter.

ANNO CHRISTI 1166.

XIV. Insuper extirpandum ad quorumdam laicorum patronorum detestabilem corruptelam, qui rectoribus ecclesiarum defunctis, dotes ipsas spoliare præsumunt, & de rebus mobilibus & immobilibus & se moventibus, in ipsis ecclesiis inventis se temere intromittunt, statuimus, ut si quis patronus laicus cujuscumque præeminentiæ dignitatis vel conditionis existat, talia de cetero facere præsumpserit, jure præsentandi clericum ad ecclesiam taliter spoliatam, sit ipsa vice privatus, & præsentatio clerici ad loci Episcopum, alioquin ipso Episcopo infra tempus a jure debitum negligente ad superiorem proximum devolvatur. Idemque patronus tamquam rerum ecclesiasticarum invasor, ad ablatorum restitutionem per censuram ecclesiasticam ab executoribus hujusmodi concilii compellatur.

XV. Sunt nonnulli ecclesiarum advocati, spe tuitionis & defensionis ecclesiarum assumpti, qui ecclesiarum jura, possessiones, & homines adeo turbant, lacerant, minuunt & molestant; quod ex defensoribus in offensores turpiter se transmutent ex eo quod tam immoderatis exactionibus & oneribus ecclesias ipsas opprimere non verentur; quod dominis suis propriis jura & decorum nequeunt persolvere, nec quod gravius est, vitæ suæ congruam sustentationem habere. Cum igitur hujusmodi ingratitudinem jura merito persequantur, statuimus & sanximus, quod iidem advocati suis juribus, ipsis ab initio deputatis, contenti nihil sibi amplius audeant occasione advocationis hujusmodi usurpare, alioquin ipsi advocati talia præsumentes, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, cum de præsumptione hujusmodi constiterit, excommunicati publice nuntiandi.

XVI. Item cum iniquum existat, aliquem ulterius odio prægravari, hujus sacri concilii auctoritate prohibemus ne prætextu inimicitiarum, quas quandoque contra ecclesiarum advocatos haberi continget, bona ecclesiarum & clericorum quisquam exactionibus seu vexationibus de cetero aggravare, lædere seu molesta-

☞ leſtare præſumat, alioquin ipſo facto ſententiæ excommunicationis ſe noverit ſubjacere, & contra talem ad interdicti ſententiam procedatur; ſi id ſtatutorum executori viſum fuerit expedire. ANNO CHRISTI 1266.

XVII. Amplius cum eccleſiæ, eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum non ſolo jure humano quinimo & divino a ſæcularium perſonarum exactionibus ſint immunes, propter multorum inſolentiam in actionibus talibus, & abuſum ſacri canones ſtatuerunt, quod ſi perſonæ ſingulares fuerint, talia præſumentes, excommunicationis, ſi autem collegium vel univerſitas civitatis caſtri ſeu loci alterius cujuſcumque, hæc præſumpſerit, ipſa civitas, caſtrum vel locus interdicti ſententias incurrere ipſo facto, quas quidem excommunicationis & interdicti ſententias ſtatuimus in ſingulis eccleſiis quandocumque & quotieſcumque opus fuerit, publicari & ſuper iis per executorem ſtatutorum præſentis ſacri concilii querulantibus ſine difficultate qualibet ſubveniri.

XVIII. Inſuper clerici ſeu notarii, qui per dominos ſuos præmiſſa fieri doloſe perſuaſerint, ſeu conſilium & auxilium præſtiterint ad talia faciendum, dum de dominorum ſuorum delicto conſtiterit, a familiaritate & ſervitio ipſorum infra menſem omnino recedere teneantur, alioquin propter dolum ipſorum, cum detectus fuerit, omnino reddantur inhabiles ad aliquod beneficium eccleſiaſticum inpoſterum conſequendum, & beneficio, ſi quod actu jam habent, ſint ipſo facto privati.

XIX. Item quia jura canonum eccleſias incaſtellari a laicis vetuerunt, nos volentes prohibitionem eandem pœnarum adjectione juvare, ſtatuimus, quod ſi qui laicorum eccleſias incaſtellare, & de eis propugnacula facere non formidant, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, & terra ipſorum, ſi quam habent, vel locus in quo de jure ſeu de facto juriſdictionem exercent, eccleſiaſtico ſit ſuppoſitus interdicto.

XX. Inſuper ſtatuimus quod omnes ii, qui ſtatuta facere ſeu edere mandare ſervari præſumpſerint, in derogationem ſubverſionem & conculcationem eccleſiaſticæ libertatis & præcipue munerum ſacro altari offerri volentium ſuis ſtatutis illicitis reſtringentes, qui ex facto hujuſmodi excommunicationis ſententiam juxta ſanctiones canonicas inciderunt; per rectores eccleſiarum cum expediens viderint excommunicati ſolemniter publicentur, niſi inter menſem ſuper hoc moniti, talia ſtatuta omnino revocent & faciant amoveri, nullo unquam tempore valituri.

XXI. Præterea cum debeant clerici non ſolum interiori ſed etiam exteriori ornatu fulgere, præſentis approbatione concilii prohibemus, A ne quis clericus, vel monachus tabernas frequentare præſumat, vel habitum clericalem ſeu monachalem abjiciat, vel tonſuram clericis congruentem & debitam portare contemnat: quia huic ornatui, qui in clericis nitere debet, videtur non modicum adverſari; tranſgreſſores vero prædictorum ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendantur: & ii qui contra tonſuram decentem & debitam deliquerint, redditus ſuorum beneficiorum non percipiant, nec ullum eis jus competat, redditus tales petendi, quouſque ſe modo debito faciant tonſurari. ANNO CHRISTI 1266.

XXII. Item cum ſacrorum imaginibus propter illorum reverentiam, quos figurant, locus dignior merito debeatur; ob hoc ne in civitatibus, oppidis, caſtris, villis, in quibus eccleſiæ parochiales habentur, alibi uſquam, quam in aliari conſecrato, quiſquam eas collocare præſumat, & ne portantes tabulas in manibus, fidelium elemoſynas petituri, ſacrorum imagines, vel reliquias tunc pariter cum tabulis, vel etiam præter tabulas ſecum deferant, aut forſitan ficte ſimulent ſe deferre, cum id ex avaritiæ radice procedat; fieri de cetero ſub anathemate prohibemus, diebus dedicationis, ac patroni ipſius eccleſiæ dumtaxat exceptis, cum his diebus propter multitudinem populi adunati non pateat acceſſus facilis ad altare, vel niſi ſuper hoc faciendo per epiſcopum loci, juſta cauſa penſata ſpiritualis licentia concedatur.

XXIII. Inſuper ſtatuimus, quod laici parochialium eccleſiarum proviſores ſeu vitrici, qui *altirmanni* vulgari vocabulo nuncupantur, de rebus eccleſiarum quas receperint, & expendunt ad requiſitionem Rectoris eccleſiæ, quem adhibeant, in virtute per obedientiæ duximus adſtringendum, bis in anno in præſentia ipſius Rectoris & quorumdam aliorum de parochia honeſtorum, rationem reddere teneantur; ut & de prædictorum conſilio & conſenſu res eccleſiarum ad uſus earumdem congruos & decentes utiliter convertantur: ac pariter & nos & aliorum locorum Epiſcopi, quibus eccleſiarum cura & ſolicitudo imminet ſuper rebus eccleſiarum per Rectores ipſos ſuper hoc requiſitos poſſimus apertius informari, Poſtremo præcipimus & mandamus, ut nulla ſtatuta alia a prædeceſſoribus noſtris in ſuis conciliis promulgata, ſi ſtatutis noſtris præmiſſis reperiantur contraria vel adverſa quiſquam recipiat, vel ſecundum ea judicet, aut pœnas ſeu ſententias earum auctoritate aliquas proferat vel etiam exequatur. Decernentes ſtatuta talia, ſententiam pœnas & proceſſus habitos ex iiſdem, nullius obtinere roboris firmitatem, per hoc ultimum ſtatuta alia Magdeburgenſium conciliorum, ſi qua fuerint, minime revocantes.

ANNO CHRISTI 1267.

CONCILIUM AD PONTEM AUDOMARI.

Anno MCCLXVII. celebratum.

Ex Coſſartii Append. Tom. XI.

SAcri approbatione concilii Rotomagenſis provinciæ, nuper apud Pontem Audemarum, in craſtino decollationis B. Joannis Baptiſtæ anno Domini MCCLXVII. favente Domino celebrati: vobis univerſis & ſingulis diſtricte præcipimus & mandamus, quatenus in ſingulis parochiis & locis publicis, vobis ſubditos moneatis, diebus Dominicis, aut feſtivis ſolemnitati-

tatibus, tribus a se distantibus, clericos non uxoratos, & etiam uxoratos, ut a negotiationibus sæcularibus exercendis abstineant & maxime inhonestis : quodque tonsuram deferant & habitum clerico congruentem, authoritate nostra solemniter ac publice nunciantes. ANNO CHRISTI 1167.

Quod si tertio a vobis moniti, ab hujusmodi non resipuerint : clericos non conjugatos, dum his se immiscuerint, quo minus de suis facultatibus, statutis & consuetudinibus patriæ subjaceant, ecclesia non defendet. Circa conjugatos siquidem æquanimiter tolerabit, quod domini sæculares ab ipsis justitias debitas, velut ab aliis, exigant, & servitia consueta.

Denique si post præmissas monitiones, ali- A qui clerici in apostasia tonsuræ & habitus clericalis permanserint, ac sævis enormitatibus se immiscuerint, & contingat quod pro suis excessibus a sæcularibus judicibus, capiantur in criminibus comprenensi : non præcipiemus eos per censuram ecclesiasticam liberari. ANNO CHRISTI 1167.

Item præcipimus, ut per singulas ecclesias moneantur clerici & crucesignati, ne litteris apostolicis, vel legatorum sedis ejusdem, aut aliorum judicum, aliquatenus abutantur : sciturі, quod nos & alii prælati, solicitudine qua convenit vigilabimus contra hujusmodi abusores, ut excessus eorum non remaneant B impuniti.

Actum & datum, ut supra.

CONCILIUM NORTHAMPTONIENSE,

In quo excommunicati qui contra regem Angliæ steterunt, & decima bonorum ecclesiasticorum regi in septem annos concessa anno MCCLXVII.

Matthæi Parisii continuator. Ottobonus, *inquit*, legatus, vocato concilio apud Northamptonam, sententiam excommunicationis tulit in omnes episcopos & clericos, qui comiti Simoni contra regem præstiterant auxilium, vel favorem. Et nominatim Joannem Wintonienſem, Walterum Wigornienſem, Henricum Londinenſem, Stephanum Ciceſtrenſem, episcopos. De quibus, Wigornienſis cito C post obiit viliter * Nonis Februarii, cui Nicolaus de Ely, cancellarius regis, succeſſit. Reliqui vero tres præfati episcopi, Romam profecti, domini Papæ gratiam expectabant. Eadem igitur sententia ceteros quosque; regi adversantes publice innodavit. Ibi etiam concessionem de decima ecclesiæ Anglicanæ, solvenda regi per septem annos proximos sequentes, publicavit.

* *f.* videlicet

CONCILIUM URATISLAVIENSE

Pro terræ sanctæ subsidio a Simone card sedis apostolicæ legato, anno MCCLXVII. festo Purificationis B. Virginis celebratum.

Anno Domini MCCLXVII. *inquit Matthias Michovienſis, l.* III. *c.* LVII. Guido frater Cistercienſis ordinis, S. R. E. presbyter cardinalis S. Laurentii in Lucina, legatus de latere a Clemente papa IV. in Poloniam missus : primum in Cracoviam IV. Kal. Jul. pervenit, a Boleslao Pudico, & Paulo episcopo Cracovienſi processionatim veneratus & exceptus. Dehinc Uratislaviam divertens, in festo Purificationis Mariæ generalem synodum, in qua erant episcopi ecclesiæ Poloniæ, Janus- D sius archiepiscopus Posnanienſis, Paulus Cracovienſis, Thomas Uratislavienſis, Volimirus Uladislavienſis, Nicolaus Posnanienſis, Thomas Plocenſis, Willelmus Lubucenſis, Henricus Culmenſis, episcopi, tenuit. Pro subveniendo terræ sanctæ, anni jubilæi gratiam, & crucem contra Saracenos prædicavit. Constitutæque in majoribus ecclesiis capsæ fuerunt, pro pecunia a merentibus jubilæum colligenda.

CONCILIUM VIENNENSE,

Authoritate Guidonis legati sedis apostolicæ, causa reformandæ ecclesiæ, celebratum anno Domini MCCLXVII. tempore Clementis papæ IV.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De vita & honestate clericorum.*
2. *De modo visitandi.*
3. *De castitate clericorum.*
4. *De violentiis quæ inferuntur rebus ecclesiasticis.*
5. *De læsionibus ecclesiasticarum personarum.*
6. *De his qui habent plura beneficia.*
7. *De decimis contra laicos.*
8. *De usurariis.*
9. *De correctione & contumacia clericorum.*

ANNO CHRISTI 1267.
10. *De rapina defunctorum clericorum.*
11. *De beneficiorum susceptione.*
12. *De personali residentia curatorum.*
13. *De visitatione nigrorum monachorum.*
14. *Ne abbates consecrent calices.*
15. *De habitu Judæorum.*
16. *De mancipiis Judæorum.*
17. *De coitu Judæi cum Christiana.*
18. *De conviviis eorundem.*
19. *De synagogis Judæorum.*

CONSTITUTIONES CONCILII VIENNENSIS, ANNO MCCLXVII.

(a) FRater Guido tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, concilium celebravit in Vienna VI. Idus Maii, cui interfuerunt Joannes Pragensis, Petrus Patavienſis, Conradus Frisingensis, Leo Ratisponensis, Bruno Brixinensis, Amalricus Lavendinus, episcopi, & quamplures abbates, præpositi, archidiaconi, & decani, ubi subscriptæ constitutiones sunt editæ, & ab eodem concilio approbatæ.

Frater Guido miseratione Divinæ tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, ad perpetuam rei memoriam.

(b) POstquam Deus formavit hominem ad imaginem & similitudinem suam, & in ætate virili, cum ipso etiam jus naturale produxit. Juris enim * naturalis origo a creaturæ rationalis simul cœpit exordio; quod quidem ad disponendum omnem mundi nascentis & temporis motum sufficeret, si non sibi mortem, quam Deus non fecit, rationalis creatura propriis manibus & pedibus quæsiviſſet. Hæc juris instituta primævi protinus justitia positiva ab eodem regulariter auctore procedens, qui sub mortis interminatione morsum pomi noxialis probibuit; qua prohibitione contempta, certa maledictionis sententia prodiit ab auctore, ut non solum ultio ferretur in auctores scelerum, verum etiam in progeniem damnatorum. Ex hinc usu hominum exigente, & rerum dominio introducto, quod juris regula nesciebat, ex humanis necessitatibus quædam sibi homines jura condiderunt. Traditæ sunt a Domino per Moysem justitiæ leges, cujus singulis pæne syllabis Christus includitur. Deinde prophetæ subsequuntur & reges, qui Christi præconia evidentiori sermone describunt: donec temporis plenitudine veniente, impleta veritate, figurisque cessantibus, Rex noster in æternum jura mansura disposuit. Datæ sunt enim Petro claves perpetuæ, a quo totius juris ecclesiastici pulchritudo manavit; quæ ad singulas provincias ob vindictam in nationibus, & increpationes in populis faciendas, nunc per summorum Pontificum, nunc per sedis Apostolicæ Legatos statuta, tanquam per quosdam rivulos derivatur; ut, hominum quotidie crescente malitia & effrænata cupiditate, quæ nova litigia generare non cessant, sub districtione jurium coarctati, discant honeste vivere, alterum non lædere, jus suum unicuique tribuere. Hinc est, quod cum sanctissimus in Christo pater & dominus noster Clemens Papa IV. ad Salzburgensem provinciam, & civitatem, & diœcesim Pragensem, cum plenæ legationis officio nos duxerit transmittendos, officii nostri debitum libenter exsequimur, evellendo videlicet evellenda, plantando plantanda, recta regendo, & dirigendo salubriter indirecta.

Adde primævi

ANNO CHRISTI 1267.

CAPITULA.

I. De vita & honestate clericorum.

VErum, * quantum expedit ad profectum & robur fidei Christianæ, ut sacramenta ecclesiæ, in quibus tanquam in vasis medicinalibus populus devotus & humilis antidotum gratiæ recipere consuevit, in honore & reverentia ab omnibus habeantur: cum ea plerumque contingat effici vilia propter vilem & abominabilem ministrorum ecclesiæ conversationem, universis ecclesiasticis personis provinciæ Saltzburgensis & civitatis & diœcesis Pragensis præcipimus, ut in victu, gestu, & aliis operibus ac circumstantiis status sui, sic honeste se habeant, & decenter, ne propter ipsos nomen ecclesiasticum inter laicos blasphemetur: eisdem * districtius inhibentes, ne de patrimonio Crucifixi inimicos se faciant crucis Christi; sicut illi, quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt, non Divina: in conviviis suis modestiam & mediocritatem observent, superfluitatem indebitam resecantes, ebrietatem omnium vitiorum fomitem & nutricem devitent.

* *forte* quoniam

* *al.* districte, *H.*

II. De modo visitandi.

Prælati vero a gravaminibus suorum abstinent subditorum; & maxime cum ecclesias visitant, moderentur expensas, coerceant evectionum nummum*, prout in generali concilio fuit definitum.

* *Corr.* h morum.

III. De castitate clericorum.

Præsentis igitur concilii approbatione præcipimus, ut clerici continenter & caste vivere studeant: quatenus puro corde & mundo corpore Deo possint in officio ecclesiastico ministrare. Si qui vero de cetero deprehensi fuerint detinere publice concubinas, nisi infra mensem se ab eis & ab earum consortio separaverint: ita quod in domibus ipsorum, aut propriis aut aliis qui-

(a) Vide Henricum Steronem in Annal. Tom. I. Henric. Canisii, unde hæc præfatio fere descripta est. *Hard.*

(b) Ex Mss. Bibliothecæ Cæsaræ edidit hæc multo emendatiora, quam prius erant, Petrus Lambecius tom. 2. Bibl. Vindobon. p. 61. cujus editionem hic exhibemus, neglecta priore, quæ innumeris mendis Scatebat. *Harduinus.*

quibuscumque non cohabitent, nec ad illas accedant : extunc enim beneficio ecclesiastico sint privati, ut per eos, ad quos beneficiorum prædictorum spectat collatio, personis idoneis conferantur. ANNO CHRISTI 1267.

IV. De violentiis quæ inferuntur rebus ecclesiasticis.

Item cum in quibusdam locis, quorundam laicorum iniquitas invaluerit, quod in rebus ecclesiæ furtum reputetur sagacitas, rapina probitas, & violentia fortitudo : synodali judicio definimus, ut qui bona ecclesiarum scienter detinent occupata, nec infra instans festum beati Joannis Baptistæ eadem restituerint, & de damnis ac injuriis satisfecerint competenter, extunc introitum ecclesiæ sibi noverint interdictum, nec ab episcopis, aut aliis ecclesiarum prælatis ad communionem Dominici corporis admittantur. Qui vero obstinata mente, dum vixerint, satisfacere non curaverint, nullus clericus sæcularis vel regularis sepulturæ eorum intereſſe præsumat : adjicientes, ut singulis annis in synodo, illi qui clericos capiunt, verberant, vel occidunt, aut alias in ipsos manus injiciunt violentas, excommunicati denuncientur, & nominati de illis, de quibus constituit * manifeste.

* err. contrit

V. De læsionibus ecclesiasticarum personarum.

Quicumque vero personam ecclesiasticam enormiter violaverit, mutilaverit, vel occiderit, aut captivaverit, non nisi per sedem apostolicam absolvatur : & ipso facto, si quid tenebat ab ecclesia, illud perdat, & in utilitatem ecclesiæ convertatur. Adjicientes, quod in illa diœcesi, in qua aliquem canonicum cathedralis ecclesiæ, vel in dignitate ecclesiastica constitutum, capi contigerit, vel captum detineri, usque ad liberationem ipsius & exhibitionem debitæ satisfactionis cesſetur generaliter a Divinis. Similiter & in illa parochia, in qua res clericorum violenter ablatas detineri, vel clericos ipsos capi contigerit, usque ad restaurationem congruam a Divinis cesſetur.

VI. De his qui habent plura beneficia.

Item, cum detentores plurium personatuum, seu beneficiorum cum cura, sine dispensatione, sint sacrorum canonum transgressores, & fructus talium beneficiorum percipiendo, furtum committere dignoscantur præsenti decreto statuimus, ut omnes qui hujusmodi dignitatum, personatuum, seu beneficiorum cum cura, pluralitatem detinent, illi qui sunt de provincia Saltzburgensi, super hoc secum dispensatum fuisse coram venerabili patre Dei gratia electo Saltzburgensi infra instans festum beati Joannis Baptistæ doceant manifeste. Alioquin extunc ultimo beneficio recepto sint contenti : & alia, quæ prius habuerunt, per illos ad quos dictorum beneficiorum collatio pertinet, personis idoneis conferantur. Si vero utrumque retinere contenderint : nos, ipsos & primis & ultimis ex tunc decernimus manere privatos. ANNO CHRISTI 1267.

VII. De decimis contra laicos.

Item, cum levitis seu ecclesiasticis personis jure Divino decimæ debeantur : dolentes referimus, quod quorumdam laicorum cupiditas jus hujuscemodi, quod sibi Deus in signum generalis dominii retinuit, nititur abolere ; & pro sua voluntate de his quæ ad ipsos non pertinent, aliter ordinare, immo potius deordinare præsumit, quasi a se Divini servitii jugum velint excutere, quod in baptismate sunt professi. Hujus igitur approbatione concilii districte præcipimus, ut juxta laudabilem consuetudinem patriæ, decimæ, tam antiquæ, quam etiam de novalibus, majores & minutæ plenarie persolvantur : nec liceat alicui laico nobili vel ignobili, cujuscumque dignitatis vel principatus existat, sibi decimas, maxime de minutis & novalibus, usurpare : alioquin, si contra fecerit, ab ingressu ecclesiæ usque ad satisfactionem condignam se noverit esse suspensum.

VIII. De usurariis.

Item dolentes referimus, quod quidam salutis suæ immemores, & prodigi famæ suæ, tam clerici, quam laici, per Saltzburgensem provinciam constituti, usuras & contractus usurarios exercere præsumunt : ad quorum cupiditatem refrænandam statuimus, ut ipsi super hoc in sacro concilio prænoniti a talibus abstineant, alioquin nos, ipsos excommunicamus in scriptis ; & ter in anno, videlicet in cœna Domini, in assumptione beatæ Virginis, & in nativitate Domini, præcipimus per plebanos & majores suos in locis suis excommunicatos publice denunciari. Clerici vero beneficiati, qui per tempus

trium

ANNO CHRISTI 1267

trium menſium ſententiam excommunicationis ſuſtinere præſumpſerint animo indurato, per ſuos diœceſanos ſuis beneficiis ſpolientur, & perſonis idoneis per illos, ad quos dictorum beneficiorum ſpectat collatio, conferantur; ſalvis aliis pœnis contra uſurarios editis, ſecundum canonicas ſanctiones.

IX. De correctione & contumacia clericorum.

Item ordinamus atque ſtatuimus, ut clerici & eccleſiaſticæ perſonæ, tam ſæculares quam regulares, prælatorum ſuorum correctiones legitimas cum debita humilitate ſuſcipiant: & ſi qui ex eis hac occaſione contra ſuos correctores auxilium brachii ſæcularis invocaverint, vel potentum preces armatas impetraverint, vel impetratis uti præſumpſerint, a ſuis beneficiis deponantur. Ipſis quoque prælatis diſtrictius inhibemus, ne prius * minoris ætatis, videlicet octodecim annorum, dignitates, perſonatus, ſeu beneficia curam animarum habentia, conferre præſumant, vel ad ipſa recipere præſentatos, niſi cum eis ſuper hoc a ſede apoſtolica, vel legatis ejuſdem, extiterit diſpenſatum.

* *Corr:* pueris

X. De rapina defunctorum clericorm.

Item ad aures noſtras per clamoſam inſinuationem multorum pervenit, quod patroni eccleſiarum tam clerici quam laici, advocati & judices, & præcones, bona decedentium clericorum occupant, volentes ſibi ab inteſtato * ſuccedere, pro ſuæ voluntatis arbitrio, non judicio rationis. Quare provide duximus ſtatuendum, ut patroni eccleſiarum, & alii ſupradicti, a talibus de cetero abſtineant: & niſi abſtinere voluerint, quouſque ſic ablata reſtituant, excommunicationis vinculo innodentur.

* *Lambec.* decedere:

XI. De beneficiorum ſuſceptione.

Item diſtrictius inhibemus, ne aliquis clericus eccleſiam parochialem a laico patrono recipere beneficium audeat, niſi ab epiſcopo vel archidiacono fuerit inſtitutus: alioquin ab officio & beneficio ſe noverit eſſe ſuſpenſum. Et laicus, qui auctoritate propria inſtituere præſumpſerit, ipſo facto a jure cadat patronatus. Adjicientes ut nullus patronus clericus vel laicus dotem eccleſiæ, in qua jus obtinet patronatus, alienare præſumat. Quod ſi contra fecerit, ipſo facto cadat a jure patronatus, & res alienata ad jus & proprietatem eccleſiæ revertatur.

ANNO CHRISTI 1267.

XII. De perſonali reſidentia curatorum.

Item ordinamus & ſtatuimus, ut prælati & curam animarum habentes, in ſuis eccleſiis corporaliter reſideant, & ad hoc a ſuis epiſcopis per ſubtractionem fructuum compellantur, niſi cauſa legitima ſe potuerint excuſare.

XIII. De viſitatione nigrorum monachorum.

Item clamoſa inſinuatio noſtrum perculſerit auditum & animum, quod abbates & monachi ordinis ſancti Benedicti in quampluribus locis ab obſervantia ſuæ regulæ temere recedentes, vitam nimis diſſolutam ducere non verentur, in ſuarum animarum periculum, & ſcandalum plurimorum. Volentes igitur, ut contra hujuſmodi corruptelam ſalubre remedium apponatur, univerſis epiſcopis Saltzburgenſis provinciæ, ac epiſcopo Pragenſi diſtricte præcipimus, ut quilibet ipſorum intra dimidium annum, aſſumptis ſecum duobus abbatibus Ciſtercienſis ordinis, omnia clauſtra nigrorum monachorum ſuæ diœceſis viſitet, corrigat & reformet, tam in capite quam in membris; illis * tamen exceptis, qui Romanæ eccleſiæ nullo medio ſubeſſe noſcuntur, quos per nos vel alios a nobis ſpecialiter deputandos intendimus viſitare.

* *in alio Mſ.* tantum.

XIV. Ne abbates conſecrent calices.

Prohibemus etiam abbatibus, ne calices vel patenas, ſeu ſacras veſtes benedicere vel conſecrare, aut alia epiſcopalia officia exercere præſumant, niſi ſuper hoc a ſede apoſtolica privilegium habuerint ſpeciale.

XV. De habitu Judæorum.

Item, cum in tantum inſolentiæ Judæorum excreverint, ut per eos in quampluribus Chriſtianis jam dicatur infici puritas catholicæ ſanctitatis, non tam nova cudentes, quam ſummorum pontificum ſtatuta vetera renovantes, diſtricte præcipimus, ut Judæi, qui diſcerni debent in habitu a Chriſtianis, cornutum pileum, quem * quidam in iſtis partibus conſueverunt deferre, & ſua * tenuitate deponere præſumpſerunt, * reſumantur, ut a Chriſtianis evidenter diſcerni valeant, ſicut olim in generali concilio extitit defini-

* *f.* quide
* *f.* temer tate
* *f.* reſu mant.

ni-

nitum. Quicumque autem Judæus sine tali signo deprehensus fuerit incedere, a domino terræ pœna pecuniaria puniatur. Adjicientes, ut Judæi sacerdoti parochiali, infra cujus parochiæ terminos manserint, pro eo quod loca in quibus Christiani * habitare deberent, occupant, juxta quantitatem damni, quod ei ex hoc inferunt, ad arbitrium diœcesani loci omnes proventus quos ex Christianis, si ibidem manerent, sacerdos perciperet, refundere compellantur. Decimas etiam prædiales cum omni integritate persolvant.

ANNO CHRISTI 1267.

XVI. De mancipiis Judæorum,

Prohibemus insuper ne * stubas & balnea seu tabernas Christianorum frequentare, seu intrare præsumant, nec servos, vel ancillas, aut nutrices, seu quæcumque Christiana mancipia die noctuve in domibus suis retinere præsumant, nec ad recipiendum telonium seu ad alia publica officia aliquatenus * assumantur.

XVII. De coitu Judæi cum Christiana.

Si quis vero Judæus cum aliqua Christiana fornicationis vitium deprehensus fuerit commisisse, quoadusque decem marcas argenti ad minus pro emendatione solverit, districto carceri mancipetur: & mulier Christiana, quæ tam damnosum coitum elegerit, per civitatem fustigata, de ipsa civitate sine spe redeundi penitus expellatur.

XVIII. De conviviis eorumdem.

Item omnibus Christianis istius provinciæ & civitatis & diœcesis Pragensis sub pœna excommunicationis districtius inhibemus, ne Judæos vel Judæas secum ad convivandum recipiant, vel cum eis bibere vel manducare audeant, aut etiam cum ipsis in suis nuptiis, vel neomeniis, vel ludis saltare vel tripudiare præsumant: nec Christiani carnes venales, seu alia cibaria a Judæis emant, ne forte Judæi per hoc Christianos, quos hostes reputant, fraudulenta machinatione venenent.

XIX. De synagogis Judæorum.

Adjicientes, ut si de cetero quocumque prætextu Judæi a Christianis graves seu immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis * participationem subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter. Unde Christiani, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam compellantur ab eorum commerciis abstinere. Principibus autem injungimus, ut propter hoc non sint Christianis infesti, sed potius a tanto gravamine Judæos studeant cohibere. Si vero sacramentum altaris ante domos eorum deferri contigerit: ipsi Judæi, audito sonitu prævio, intra domos suas se recipiant, & fenestras ac ostia sua claudant. Hoc etiam in quolibet die paraseeves per prælatos ecclesiæ facere compellantur. Nec præsumant de fide catholica cum simplicibus disputare, nec filios & uxores Judæorum ad fidem Christianam venientes, invitos audeant detinere. Nec Christianos ad Judaismum alliciant, aut aliquo ausu temerario circumcidant. Nec Christianos infirmos visitent, vel circa ipsos exerceant opera medicinæ. Synagogas novas non erigant: & si quas erexerint, eas removeant aut deponant. Vetustam, si opus fuerit, reficiant, non ampliorem, pretiosiorem faciant, seu etiam altiorem. Carnes in Quadragesima, quando Christiani a carnibus abstinent & jejunant, aperte vel publice non deportent. Præcipimus autem episcopis, ut ad hæc omnia observanda in singulis articulis Judæos per abstractionem communionis Christianorum compellant. Ipsos quoque principes ac judices eorumdem districtius admonemus, ne Judæis statuta nostra servare nolentibus alicujus protectionis seu defensionis fervorem * impendant: sed si aliqua eis a prælatis ecclesiasticis injungantur, ea fideliter exequantur, alioquin introitum ecclesiæ & communionem Divinorum officiorum sibi noverint interdicta. Volumus etiam, & sub pœna excommunicationis præcipimus, ut dominus electus Saltzburgensis ejusque suffraganei, nec non & episcopus Pragensis, has constitutiones nostras sigillo nostro sigillatas habeant, easque singulis annis in synodis episcopalibus & in provinciali concilio faciant recitari, & diligentius observari; & ea quæ tangunt laicos, faciant per parochiales ecclesias suarum diœcesum publicare.

* *Corr.* favorem

Acta sunt hæc Viennæ in Austria anno Dom. MCCLXVII. IV. Idus Maii, pont. domini Clementis PP. IV. anno III.

NOTA SEVERINI BINII.

Hanc synodum, teste Henrico Canisio, admodum reverendus & clarissimus dominus Georgius Lautherius ad divæ Virginis Monachii præpositus &c. (pro ea qua præditus est recondita eruditione, omnisque antiquitatis scientia) eruit e tenebris manuscripti codicis, una cum tribus aliis Salizbur-

burgenſibus: quas ego ex primo tomo antiquitatum prædicti Canifii deſumptas, ſuis locis hic inſerendas eſſe putavi. Huic eidem Viennenſi concilio Henricus Stero in ſuis annalibus apud eumdem Canifii primum tomum extantibus luculentiſſimum teſtimonium præbet his verbis. *Anno ab incarnatione Domini MCCLXVII. dominus Guido cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, VI. Idus Maii apud Viennam concilium celebravit, cui interfuerunt Joannes Pragenſis, Petrus Patavienſis, Bruno Brixinenſis, Chunradus Friſingenſis, Leo Ratiſponenſis, Amalricus Lavendienſis, epiſcopi, & alii quamplures de ipſis diœceſibus prælati, archidiaconi, & decani.* Hæc Stero in ſuis annalibus.

ANNO CHRISTI 1267.

ANNO CHRISTI 1267.

AD VIENNENSE CONCILIUM

A GUIDONE A. S. L. IN GERMANIA LEGATO

An. 1267.

Anno 1267. habitum.

ADDITIO.

Ex Supp. Manſito, II. p. 1245.

PRæter canones in hoc concilio ſancitos, quos Labbeus ex Caniſio primum, dein emendatiores Harduinus ex Lambecio dedit, exhibenturque in Veneto Labbeana editione tom. XIV. pag. 360. ſopita eſt pariter in hoc ipſo conſilio controverſia, quæ geminas inſignes eccleſias Brixinenſem & Friſingenſem inter ſe committebat. Publicæ fœderis hujus tabulæ apud P. Meikelbech. Hiſt. Friſing. tom. II. par. II. pag. 57. leguntur, ex quo hic damus.

Quod ſcripturarum confirmat auctoritas, non poteſt veritatis inimica oblivio, nec improborum improbitas infirmare. Proinde notum ſit omnibus tam præſentibus, quam futuris, quod cum olim quæſtio, ſeu diſcordia orta inter Ven. patres Ch. quondam Friſingenſem, & Brunonem Brixinenſem epiſcopos ſuper jure patronatus eccleſiarum ſitarum in diſtrictu Inticinenſi in fundo & patrimonio Frinſingenſis eccleſiæ Brixinenſis diœceſis eſſet per arbitrium ſic ſopita, quod dominus B. & capitulum Brixinen. recognoverunt Friſingenſem epiſcopum eſſe verum patronum eccleſiarum jam dictarum, & ad præſentationem pro tempore Friſingenſis epiſcopi perſonas fore per Brixinenſem epiſcopum inſtituendas in eccleſiis eiſdem, prout in inſtrumento ſignato ſigillis eorumdem patris & domini B. epiſcopi & capituli Brixinen. liquide eſt expreſſum; & procedente tempore, mortuo præmiſſo domino C. Friſingenſi epiſcopo, & Venerabili patre & domino C. qui nunc ſupereſt in eadem eccleſia ſubſtituto, vacantibus in Iticena, Sylian eccleſiis, & Capella Valgrat, ſitis in fundo eccleſiæ Friſingenſis, ipſe venerabilis pater & dominus B. Brixinenſis, forte immemor arbitrii præmiſſi, credenſque ordinationem jam dictarum eccleſiarum & capellæ ad ſe pleno jure ſpectare perſonas præſentatas a domino C. venerabili epiſcopo Friſingenſi ad ipſas eccleſias & capellam admittere recuſavit ordinando ipſas de perſonis pro ſuæ libito voluntatis. Cumque inter memoratos venerabiles patres & dominos C. Friſingenſem & B. Brixinenſem epiſcopos ſuper jure patronatus dictarum eccleſiarum, ac aliarum ſitarum in fundo Friſingenſis eccleſiæ Brixinen. diœceſis foret diſcordia, ſeu etiam renovata, ipſis dominis epiſcopis perſonaliter venientibus Wiennam ad ſolemne concilium celebratum a venerabili patre, & domino Guidone tituli S. Laurentii in Lucina presbytero Cardinali apoſtolicæ Sedis legato, hujuſmodi quæſtio, Venerabili patre & domino Petro Patavienſi epiſcopo interponente amicabiliter partes ſuas, taliter eſt deciſa, quod idem dominus Brixinen. epiſcopus exhibitis ſibi litteris ſignatis ſuo & capituli ſui ſigillis, continentibus ſeriem arbitrii ſupradicti, recolens factum proprium de plano & præciſe recognovit dictum epiſcopum dominum C. Friſingen. patronum eccleſiarum ſitarum in fundo Friſingen. eccleſiæ ſuæ diœceſis, revocans & corrigens provide, quæ de ipſis eccleſiis contra primum arbitrium improvide attemptavit, & ad præſentationem ejuſdem domini C. Friſingen. epiſcopi Marquardum Inticinenſem canonicum ſacerdotem in ipſa parochiali eccleſia apud Inticenam, & Wihelmum Inticinenſem canonicum in eccleſia Sylian & ..... filium de S. Michaele clericum in capella Valgrat. ad præſentationem Friderici Inticinenſis Præpoſiti canonice inſtituit, promittens firmiter, quod, contra prædictum arbitrium editum ſuper jure patronatus dictarum eccleſiarum de cætero non veniret. Et ut omnia præmiſſa debitum robur obtineant firmitatis, placuit memoratis partibus, Dominis videlicet & patribus Friſigenſi & Brixinen. epiſcopis præſens ſcriptum ipſius venerabilis patris & domini Brixinenſis epiſcopi, & venerabilis patris & domini Petri Patavien. epiſcopi amicabilis compoſitoris in cauſa præmiſſa, nec non Menigoti & Hartmanni præpoſitorum, ac Wemhardi & Chunradi decanorum eorumdem Patavien. & Brixinen. eccleſiarum, & præpoſiti Novæ Cellæ archidiaconi præmiſſarum eccleſiarum ſigillorum munimine roborari. Datum & actum Wiennæ, quinto Idus Maii an. Dom. MCCXLVII.

ANNO CHRISTI 1267.

CONCILIUM IN DANIA

A GUIDONE A. S. L.

Anno 1267. habitum.

REligionis facies in Dania erat miſerabilis quo tempore Ericus regni illius clavum moderandum ſuſcepit, nam & ante non plures annos magna inter regem & eccleſiaſticos præſules agitata fuerunt diſſidia, & Jacobus Lundenſis archiepiſcopus carcerem ſuſtinuerat; qua de cauſa eccleſiaſtico interdicto regnum univerſum ſubjectum eſt: Quamquam vero haud diu poſt interdictum illud eccleſiæ indulgentia relaxavit; pax tamen nequaquam coaluit; cui conciliandæ veniſſe in Daniam Guidonem cardinalem A. S. L. credo; venit enim ille anno 1266. teſte chronologo Danico apud Ludevvig. Reliq. tom. IX. pag. 80. eaque occaſione ſequenti anno coactum concilium tradit idem chronologus: *A. C MCCLXVII. regnum denuo ſuppoſitum eſt interdicto, & renovatum, & celebratum eſt concilium a quatuor epiſcopis, ſcilicet Jacobo archiepiſcopo Lundenſi, Petro, Roſchildenſi, Eigero Ripenſi, Bondone Sleſvvicenſi, in quo concilio excommunicati ſunt Tucho epiſcopus Arhuſienſis, Joannes Burglanenſis & plures alii prælati.* Nec plura de hoc concilio.

CONCILIUM SEDENENSE

A præſulibus Arelatenſis provinciæ celebratum anno Dom. MCCLXVII.

PEtrus *Gaſſendus in notitia eccleſiæ Dinienſis, cap. 24. ubi de Bonifacio Dinienſi epiſcoopo loquitur.* Obſervari, *inquit*, poteſt, hujus tempore, hoc eſt anno MCCLXVII. VII. Kal. Novemb. celebratum fuiſſe Sedenæ provinciale concilium, cujus decreta varia in ſtatutorum noſtrorum codicem translata habentur, ſub Ebredunenſi archiepiſcopo Henrico cujus nomen titulo Oſtienſis cardinalis celebre eſt.

☞ *Acta hujus Concilii edidit Martene tom. 4. Anecdot. p. 185. in hunc modum.*

CONCILIUM SEDENENSE.

Sub Henrico archiepiſcopo Ebredunenſi anno MCCLXVII. celebratum.

Ex MS. codice eccleſiæ Dignienſis.

HÆc ſunt quæ nos Henricus patientia Dei Ebredunenſis archiepiſcopus in concilio noſtro provinciali apud Sedenam celebrato anno Domini MCCLXVII. Calendis Novembris, de conſilio prælatorum duximus ſtatuenda & per totam Ebredunenſem civitatem diœceſim & provinciam firmiter & efficaciter obſervanda.

I. *De diligentia habenda contra hæreticos puniendos.*

Ut epiſcopi ſolliciti ſint & attenti circa inquiſitionem & punitionem hæreticorum, & excommunicatorum, & notoriorum peccatorum, ſecundum canones & legitimas ſanctiones & ſtatuta legatorum in partibus iſtis edita.

II. *De diligentia habenda per prælatos habendorum ſtatutorum.*

Ut quilibet epiſcopus inquirat, & inquiri faciat dicta ſtatuta, ſcilicet omnia & ſingula edita a legatis, & faciat ſcribi de bona littera & poſtea ſtatuta conciliorum provincialium Ebredunenſium archiepiſcoporum; ita quod quilibet ipſum librum habeat, & deportet ſecum in primo concilio, quod occurret, & in ſequentibus, & ſervet ea & ſervari faciat a ſubditis quo poterit bono modo. Et ponatur titulus, & unde, & locus a quo, & ubi facta ſunt.

III.

Ut quilibet ſervet & ſervari faciat ſententias excommunicationis per ordinarium, & in conciliis latas ex quo ſibi fuerit nunciatum, ſecundum ſtatuta concilii Valentini. Idem faciat de aliis ſententiis quæ nomine eccleſiaſticæ cenſuræ continentur.

IV. *De cultello cum cuſpide, & aliis armis non portandis.*

Ut nullus clericus cultellum cum cuſpide ſeu arma impugnationis ferat, ſine prælati ſui licentia; & quicumque hoc de cetero fecerit, pro incorrigibili habeatur.

V. *Ut nullus in minoribus conſtitutus vocem ſibi vindicet in capitulo.*

Ut nullus canonicus in minoribus ordinibus conſtitutus vocem habeat in capitulo, & ſi ſe ingeſſerit, vel ex quo ſibi dicetur, vel ab aliquo de canonicis quod exeat capitulum, ſtatim ſine mora non exierit, a canonica præbenda ſua privatus ſit ipſo jure & ipſo facto, ſi epiſcopus circa hæc negligens inventus fuerit, ad metropolitani arbitrium ſive temporaliter ſive ſpiritualiter puniatur; & per eumdem is qui in hoc deliquerit, corrigatur. Et idem intelligimus de his qui ad monitionem ſive præceptum prælati ſui neceſſitate vel uti-

ANNO CHRISTI 1267.

utilitate ecclesiæ exigente in diaconos vel sacerdotes se non fecerint promoveri.

VI. *De residentia personali præbendatorum.*

Ut ubi bona divisa sunt per præbendas, præbendati personalem & debitam sive canonicam residentiam faciant, alioquin in primis fructibus præbendarum, qui percipiendi occurrent, sequestrentur omnes fructus, de quibus duæ partes ad minus deservientibus ecclesiæ deputentur, sive inter eos dividantur. Et si quis in hoc negligens, vel contra statutum veniens, seu venire attentans repertus fuerit; per privationem beneficii vel suspensionem officii, vel alias temporaliter vel spiritualiter ad superioris arbitrium puniatur, & per eumdem is qui in hoc deliquerit, puniatur vel corrigatur. Et idem intelligimus de præpositis, & aliis in dignitatibus constitutis, quoad fructus, ad personatum, sive dignitatem pertinentes, sive bona divisa sint, sive communia.

VII. *Ut laicus clericum coram se non citet.*

Ut nullus laicus major, medius, vel infimus, cujuscumque dignitatis vel conditionis, sit, super criminalibus vel personalibus clericum vel personam ecclesiasticam coram se citet vel citari faciat, se invitum detineat, vel quoquo modo distringat. Quod si fecerit, sciat se excommunicationis vinculo innodatum.

VIII. *Ut nullus decimas vel alia jura occupet.*

Ut nullus laicus major, medius, vel infimus, cujuscumque dignitatis vel conditionis sit, sine voluntate diœcesani ecclesias, vel decimas, seu alia ad ecclesias pertinentia, seu quæ ecclesiæ seu personæ ecclesiasticæ percipere ratione ecclesiarum consueverunt, occupent, vel usurpent, vel detineant occupata: alias occupantes & detinentes, & mandatis eorum in ac parte obedientes, excommunicationis vinculo innodamus. Et hoc intelligimus de bonis immobilibus, mobilibus se moventibus, vel juribus aliis quibuscumque.

IX. *De pœna impedientium jurisdictionem episcopalem.*

Ut nullus laicus major, medius, vel infimus, cujuscumque dignitatis, vel conditionis sit, spiritualem jurisdictionem episcoporum impediat vel perturbet. Et quicumque hoc fecerit, si monitus infra XV. dies se non correxerit, & de hoc competenter satisfecerit, sciat se excommunicationis vinculo innodatum.

ANNO CHRISTI 1267.

X. *De pœna spoliantium, occupantium, vel usurpantium ecclesias vel eorum jura.*

Ut nullus laicus major, medius vel infimus cujuscumque dignitatis vel conditionis sit, juris ordine prætermisso, episcopos, vel ecclesias, vel personas ecclesiasticas, rebus vel juribus suis seu hominibus seu iis quæ possidet vel quasi, per XL. annos possederunt vel quasi, spoliet, occupet, vel usurpet, vel aliquo modo perturbet, vel inquietet. Et si quis hoc fecerit, vel fieri mandaverit, vel non correxerit; cum istud corrigere possit, tam mandans, quam obediens, seu in prædictis delinquens, sciat se excommunicationis vinculo innodatum.

XI. *De pœna eorum qui sine licentia prælatorum in beneficiis administrant.*

Item, statuimus ne quis sine consensu vel licentia seu auctoritate nostra, seu diœcesanorum episcoporum suffraganeorum, seu officialium nostrorum, ad quos hoc de jure spectat, aliquas ecclesias seu alia beneficia ecclesiastica infra civitatem, diœcesim, provinciam Ebredunensem administrando in eis, seu proventus ipsorum percipiendo de cetero recipiat seu potius occupet vel aliter recepta ultra VIII. dies ex quo hoc statutum ad aures ejus pervenerit detineat occupata: alioquin ipsum, & in hac parte obedientem, excommunicationis vinculo innodamus.

XII. *De pœna eorum qui super spiritualibus querelando ad sæculares reccurrunt.*

Ut nullus de clerico seu de persona ecclesiastica conquerens, super spiritualibus seu ecclesiasticis criminalibus vel civilibus cujuscumque recurrat ad curiam sæcularem seu laicum, quemcumque super justitia facienda, nec cum ipsis super iisdem sine conscientia ordinarii sui pacta ineat, nec facta observet: alioquin querelam exponens, vel denunciationem faciens, vel pacta faciens, vel observans, a jure suo cadat, ipso facto & ipso jure, nulla alia sententia expectata, & quousque de hoc satisfecerit, ad arbitrium ordinarii sciat se excommunicationis vinculo innodatum.

STATUTA DUDUM EDITA

Ex Marte Thes. Anec. tom. 4.

Per bonæ memoriæ D. JACOBUM Ebredunensis ecclesiæ quondam archiepiscopum & ceteros archiepiscopos comitatus Provinciæ, quæ inter alia volumus & præcipimus infra nostram civitatem Dignien sem & diœcesim ab omnibus observari.

Ex MS. ecclesiæ Dignensis.

I. *Quod quilibet saltem in quadragesima sua confiteatur peccata.*

ITem, statuimus ut omnes utriusque sexus saltem semel in anno & specialiter in quadragesima generaliter confiteantur proprio sacerdoti, quod si justa causa cessante, facere non curaverint, ecclesiastica in fine dierum suorum careant sepultura, si eo anno contigerit eos mori, donec satisfactum fuerit ecclesiæ (quoniam

niam contemſerunt) ad arbitrium diœceſani per hæredes vel propinquos ipſius. A

ANNO CHRISTI 1267.

II. *Quod nullus præſumat pro injectione manuum in clericum abſolvere quemquam, ſine prælati licentia ſpeciali.*

Item, quod nullius quemquam præſumat ab injectione manuum, quantumcunque modica ſive levi, abſolvere, non habita ordinarii licentia nec obtenta. Quod ſi ſecus præſumtum fuerit, pro non abſoluto habeatur & vitetur, ut prius abſolvens hujus prædicationis officium ſibi noverit interdictum, donec ab apoſtolica B ſede cum narratione ſui exceſſus gratiam meruerit obtinere, vel prælato ſatisfecerit quem contemſit.

III. *Qualiter abſolutus ab excommunicatione imminente neceſſitatis articulo, ſi convaluerit, vel non ſatisfecerit, compellatur.*

Item, ſi quis in infirmitate vel articulo mortis fuerit abſolutus; quia pro certis debitis vel offenſa manifeſta fuerat excommunicatus, & maxime ſi juraverit ſatisfacere, ſi ſanus factus, infra menſem ſatisfacere contradicat: nulla nova monitione ulterius expectata; in eamdem, ut prius, excommunicationis ſententiam retrudatur. Si vero moriatur, hæredes ad hoc per cenſuram eccleſiaſticam compellantur, vel executores aut bonorum poſſeſſores, ſi alios hæredes non habeat.

ANNO CHRISTI 1267.

IV. *De pœna laicorum impedientium dare decimas, vel alia jura eccleſiis tempore interdicto.*

Item, quod laici, cujuſcumque conditionis exiſtant, ſtatuentes vel ita de facto tenentes, quod durante alicujus interdicti vel excommunicationis ſententia, non præſtent decimas eccleſiis, nec offerant, nec in ultimis voluntatibus quicquam relinquant eis vel rectoribus earumdem, aut directe vel indirecte prædicta impediant vel perturbent; ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrant, a qua antequam competens emenda præſtita fuerit, nullatenus abſolvantur.

HÆC SUNT DECRETA HUNGARORUM,

Quæ de Guidone Cardinale ſuſceperunt.

I. NUllum niſi presbyterum aut diaconum, & qui uxorem non habeat, in epiſcopum eligatis. C

II. Nullum, qui duas uxores habuerit, aut qui unam concubinam, aut repudiatam, aut meretricem ſeu proſtitutam, vel qui aliam quam virginem eſt ſortitus uxorem, in epiſcopum eligatis.

III. Nullum, quem ſacri canones ad ordines prohibent promoveri, in epiſcopum eligatis.

IV. Nullum, qui ad ſacros ordines niſi per canonica intervalla promotus eſt, in epiſcopum eligatis.

V. Nullum per occultam inſinuationem Regi factam, aut per ſeditionem, aut per pecuniam, vel per ſpecialem gratiam, ſed ex communi conſilio & conſenſu pari, epiſcopum faciatis. D

VI. Nullum epiſcopum de ſede ad ſedem, qualibet ex cauſa, ſine Romani Pontificis ſpeciali licentia, transferatis.

VII. Nullum epiſcopum, ſine Romani Pontificis licentia, deponatis; nec capi, niſi comprobato inndelitatis crimine, conſentiatis.

VIII. Nullum in archidiaconum, ſeu decanum, vel archipresbyterum, vel Præpoſitum, ſeu Abbatem, niſi presbyterum, vel diaco- E num, promoveatis.

IX. Nullum in abbatem, niſi monachum, aſſumatis.

X. Nullum archidiaconum, vel decanum, vel archipresbyterum, vel Præpoſitum, vel Abbatem, de una dignitate ad aliam, vel de ipſa ad eamdem in locum alium, niſi canonice, transferatis; & nullum ſupradictorum, niſi canonice deponatis.

XI. Nullum uxoratum in presbyterum, vel diaconum, vel ſubdiaconum promoveatis, niſi qui ex conſenſu uxoris, ſe victurum caſte fir-

XII. Presbyterorum filios ad ſacros ordines accedere nullatenus permittatis, niſi aut in cœnobiis, aut in monaſteriis.

XIII. Alienos clericos, quos ſine commendatitiis litteris ſuſcepiſtis, in epiſcopatibus veſtris nullatenus toleretis: & de cetero nec eos, nec alios, ſine formatis litteris admittatis; & quos de his apoſtataſ eſſe conſtiterit, excommunicatos habeatis, & Præpoſitis ſuis eos requirentibus reddatis.

XIV. Nullum ſubdiaconum, vel diaconum, vel presbyterum, niſi ad certum titulum ordinetis.

XV. Nullum ſervum in clericum ordinetis, niſi dominus ejus eum manumittat, ut de cetero ex toto nihil in eo juris habeat.

XVI. Bigamos viduarum, vel repudiatarum, ſeu meretricum vel proſtitutarum maritos, ab omni eccleſiaſtica dignitate deponimus, & beneficiis eccleſiaſticis in æternum privamus.

XVII. Concubinarios publicos ab officio ſuo deponimus, & beneficia ejus eccleſiaſtica interdicimus: hac tamen vobis poteſtate indulta, ut ſi condignam egerint pœnitentiam, & vobis videbitur, miniſtrare eos iterum faciatis.

XVIII. Presbyteros, vel diaconos uxoratos, qui ante acceptos ordines vel poſtea uxores acceperunt, ab altaris miniſteri & eccleſiaſtico beneficio ſeparamus: * nec tamen diſpenſationem de his vobis concedimus, ut hi qui uxores ante jam dictos ordines acceperint, quoniam legitimæ ſunt, ſi uxoribus ultro, & ſine coactione continentiam voventibus, ipſi quoque vovebunt, & eaſdem uxores a cohabitatione removebunt, ad altaris miniſterium redeant, & beneficia eccleſiaſtica habeant.

* *Legendum attamen, ut Lambecius recte vidit.*

XIX. Illi vero, qui poſt ſacros ordines ali-

ANNO CHRISTI 1268.

quas sub matrimonii nomine duxerunt, quoniam hujusmodi conjunctio contra leges est facta, ac per hoc matrimonium non est, sive eas volentes, sive invitas dimiserint, & continentiam in ecclesiæ testimonio voverint, ecclesiastica officia sic ministrent, ut ultra ad relictas immunditias non declinent. Nam si legitimarum, sive aliarum commixtione seipsos vel ultra fœdaverint, ab altaris ministerio eosdem A sequestramus: nisi aut ad canonicas regulares, aut ad ordinata monasteria transeant.

ANNO CHRISTI 1268.

XX. De subdiaconis autem & presbyteris uxoratis id ipsum fieri decernimus; sed inducias vobis super hoc usque ad rescriptum domini Papæ damus.

Hæc omnia observetis, promotosque episcopos omnes observaturos se eadem, jurare faciatis.

INCIPIUNT STATUTA SYNODALIA

CLAROMONTENSIS ECCLESIÆ,

Sub Guidone de Turre episcopo Claromontensi.

Prodeunt nunc primum ex vetusto codice MS. Bibliothecæ Collegii Parisiensis Societatis JESU: *quo codex, (ut credunt periti) ejusdem, atque ipsa hæc Synodus, ætatis est.*

Conferendæ cum his Statutis Constitutiones Odonis Parisiensis, & Richardi Episcopi Sarum.

QUÆ ab ecclesiarum Prælatis pro subditorum salute salubriter statuuntur, debent absque transgressionis . . . nota, (cum hujusmodi transgressio transgressoribus detrimentum salutis induceret;) diligenter ac reverenter ab omnibus observari: cum & leges sæculares pœnam imponentes earum transgressoribus jubeantur ab omnibus subditis custodiri. Hinc est quod cum synodus æstivalis Ecclesiæ Claromontensis semper habeat, ac consueverit celebrari die Mercurii & Jovis, qui proxime festum Pentecosten subsequuntur; atque similiter synodus hiemalis diebus Mercurii & Jovis festo beati Lucæ Evangelistæ proximioribus: Nos Arvernorum episcopus, præcipimus sacerdotibus, ut omnes veniant ad synodum æstivam; & curam animarum habentes, ad utramque. Et si inevitabili necessitate detenti fuerint, vel ex justa causa, capellanum suum aut clericum loco sui mittant; & nobis causam suæ absentiæ studeant intimare. In eundo autem & redeundo honeste ambulent, & honesta quærant hospitia, & in eis circumspecte se habeant; ne status clericorum vertatur in opprobrium populo & contemptum. Districte præcipientes sacerdotibus, ut jejuni intrent synodum: in jejunio enim & oratione debet fieri. Injungimus iterum districte sacerdotibus curam animarum habentibus, ut induti albis & stolis intrent synodum æstivalem; in superpelliceis tantum & stolis synodum hiemalem. Abbates autem cappis sericis sint induti. Item præcipimus sacerdotibus sub pœna suspensionis, quod a tempore pulsationis synodi, omni occasione postposita, cum libro synodali majorem ecclesiam omnes intrare festinent. Inhibentes sacerdotibus, ne ad synodum causas adducant, quæ coram Officiali nostro alio tempore possint facilius expediri. Item injungimus sacerdotibus parochialibus, qui vicarios non habent, quod die Dominica præcedenti synodum, diligenter inquirant publice in ecclesiis suis, si aliqui sunt infirmi in parochiis suis: feria vero sequenti, sive antequam iter arripiant, eos visitent, etiam non requisiti, & faciant quidquid necesse fuerit ad salutem animarum: præcipientes in Christo eorum visitationem fieri per presbyteros vicinos in eadem, vel aliis ecclesiis remanentes.

B C D E

CAPITULA PRIMÆ PARTIS.

ISte libellus dividitur in duas partes. Prima pars continet duodecim capitula. Secunda pars continet decem. Capitulum primum primæ partis est de decem mandatis. Capitulum secundum, de articulis fidei. Capitulum tertium, specialiter de Trinitate & Incarnatione. Capitulum quartum, de sacramentis; & primo de sacramento Baptismi cum suis periculis. Capitulum quintum, de sacramento Confirmationis. Capitulum sextum, de sacramento Altaris. Capitulum septimum, de Pœnitentia cum suis periculis. Capitulum octavum, de Matrimonio. Capitulum nonum, de sacramento Extremæ Unctionis; Capitulum decimum, de sacramento Ordinum. Capitulum undecimum, ne venalia prostituantur sacramenta. Capitulum duodecimum, de Præfationibus.

I. *De decem mandatis.*

Sicut dicit Salomon in Ecclesiaste: *Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali.* Et alius Sapiens in Ecclesiastico: * *Qui volunt mandata conservare, conservabunt te.* Non vitatur autem malum, nisi cognitum: neque commode custodiri potest, quod ignoratur. Plerique autem sacerdotes, proh pudor! quod in subditorum suorum, & suarum periculum vertitur animarum, ignorant mandata legis. Ideo de eis aliquid sub compendio utiliter differamus.

Eccll. 8.

Eccll. 15.

* Pro voluerit *Harduin*

Sciant ergo sacerdotes omnes & singuli, decem esse mandata legis. Sic habetur in Exodo, vicesimo capitulo. Primum præceptum est: *Non habebis deos alienos.* Secundum est: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Tertium est: *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Quartum est: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Quintum est: *Non occides.* Sextum est: *Non mœchaberis.* Septimum; *Non furtum facies.* Octavum est: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Nonum est: *Non concupisces donum proximi tui.* Decimum est: *Non desiderabis uxorem ejus: non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, non omnia quæ illius sunt.* Quæ omnia his versibus continentur:

Sper-

ANNO CHRISTI 1268.

Sperne deos, fugito perjuria, ſabbata ſerva.
Sit tibi patris honos, ſit tibi matris amor,
Non ſis occiſor, mœchus, fur, teſtis iniquus,
Vicinique torum, reſque caveto ſuas.

Primo præcepto prohibentur iſta: Omnis idolatria, omne ſortilegium, omne augurium, & divinatio, hæreſis, & generaliter omnis amor creaturæ, pluſquam Creatoris. Præcipitur in hoc mandato unus Deus colendus ſecundum illud Deuteronomii: *Audi Iſrael; Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.*

Secundo mandato prohibetur omne illicitum juramentum, falſum, ſuperfluum, doloſum; blaſphemia. Hoc eſt erga Deum: *Non aſſumes*, B &c. Idem non jurabis per meum nomen, nec falſum, nec injuſtum, nec mendacium, nec in contumeliam Dei.

Contra tertium faciunt diebus Dominicis & præcipi- feſtivis . . . . . ad eccleſiam non venien- . ut vi- tes, peccatis inſiſtentes, & dies feſtos non obſervantes.

Quarto præcepto præcipitur principaliter honor parentum carnalium, qui conſiſtit in ſolatio verborum, in obſequio operum, in exhibitione neceſſariorum, in timore offenſæ, præceptis eorum obtemperando. In iſto etiam præcepto præcipitur honor prælati in omnibus ſupradictis; præcipitur & honor proximi.

Quinto præcepto prohibentur actus injuſte oc- C cidendi, voluntas, conſilium, & auxilium; & omnis illicita & iracunda percuſſio.

Sexto prohibetur omnis coitus, excepto fœdere matrimoniali; puta, fornicatio, adulterium, inceſtus, ſtuprum, peccatum contra naturam; dare his etiam conſilium, & auxilium, locare domos luxuriantibus.

Septimo prohibentur furtum, uſura, rapina, decimarum retentiones, debita denegantes.

Octavo prohibentur adulatio, detractio, in judicio falſa teſtificatio: quod fit amore, timore, rancore, munere.

Nono prohibetur omnis illicita concupiſcentia rei alienæ immobilis. Contra iſtud præceptum faciunt proximum injuſte impetentes, D ad vendendum compellentes, mortem ejus deſiderantes.

Decimo prohibentur concupiſcentia cujuslibet mulieris non ſuæ, & rei alienæ mobilis. Contra illud præceptum faciunt qui cogitant de ea, qui libenter recipiunt eam, qui petulanter loquuntur cum ea, qui muneribus ſolicitant eam.

Iſte eſt unus modus ordinandi præcepta ſecundum ſuperficiem litteræ Exodi: quamvis alii alio modo & alia conſideratione dixerint ordinanda. Sunt autem hæc præcepta ſumme cuſtodienda, ſervanda, & ſubditis diligenter exponenda. Primo ut homo lumen ſpiritale re- E
Pſ. 18. cipiat; juxta illud Pſalmiſtæ: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*; ſcilicet ad videndum quid ſit faciendum, & a quo abſtinendum. Secundo, ut mortem caveant; juxta il-
c. 8. 52. lud in Joanne: *Amen, amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non guſtabit in æternum*. Tertio, ut vitam etiam ha-
c. 19. beat, juxta illud Matthæi: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.*

A

II. *De articulis fidei.*

ANNO CHRISTI 1268.

Poſt mandata ſequitur de articulis fidei. *Sine* enim *fide impoſſibile eſt placere Deo*, ſicut di- *Hebr.* 11. 6.
cit Apoſtolus ad Hebræos; & Salvator in Joan- *Joan.* 3. 18.
ne; *Qui non credit, jam judicatus eſt*. Et in Marco idem Salvator: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Qui vero non credide-* *Marc.* 16. 16.
rit, condemnabitur. Hoc ergo modo diſtinguuntur articuli ſeptem de divinitate, & ſeptem de humanitate. Quæ pertinent ad divinitatem, ſic diſtinguuntur. Primus eſt de unitate eſſentiæ divinæ: ſcilicet, *Credo in Deum*. Singulariter dicit *Deum*, non deos: ut notet unitatem eſſentiæ. Alii tres ſunt de tribus perſonis: quorum primus eſt de Patre, ibi: *Patrem omnipotentem*, ſupple *Deum*, Secundus eſt de Filio, ibi *Et in* IESUM *Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum*. Et eſt ſenſus: Credo in Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, ſupple *Deum*. Tertius eſt de Spiritu ſancto, ibi: *Credo in Spiritum ſanctum*: ſupple, *Deum*.

Ecce quatuor articuli pertinentes ad divinitatem in ſe. Tres alii ponuntur & pertinent ad effecta. Primus indicat creationis effectum: ibi, *Creatorem cœli & terræ*. Secundum, effectum recreationis; cum dicitur, *ſanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, re-* C *miſſionem peccatorum*, in ſancta eccleſia, quæ eſt in communione ſanctorum, & non alibi. Tertius etiam dicit effectum glorificationis: ibi, *carnis reſurrectionem, vitam æternam, Amen*. Carnis reſurrectio pertinet ad glorificationem corporis, vita æterna ad glorificationem animæ.

Poſtea ponuntur ſeptem articuli pertinentes ad humanitatem. Primus eſt: *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto*. Secundus eſt: *Natus ex Maria Virgine*. Tertius eſt: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, & mortuus, & ſepultus*. Quartus: *Deſcendit ad inferos*. Quintus eſt: *Tertia die reſurrexit a mortuis*. Sextus: *Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*. Septimus: *Inde venturus judicare* D *vivos & mortuos*. Alii autem alio modo diſtinguunt articulos fidei ſecundum numerum Apoſtolorum: quorum quilibet dicitur appoſuiſſe in ſymbolo ſuum articulum: & ſic ſunt duodecim ſecundum duodecim Apoſtolos. Sed primus modus melior & communior judicatur.

III. *De Trinitate & Incarnatione.*

In fide Trinitatis & Incarnationis, ſeptem ſacramentorum, & in ſeptem operibus miſericordiæ, quæ ſeptem vitiis capitalibus opponuntur, clerum & populum tam majorem quam minorem ſacerdotes ſtudeant inſtruere diligenter. De Trinitate eos docere tenentur ad mi- E nus, quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt tres perſonæ, & illæ tres perſonæ ſunt unus Deus, & una perſona non eſt alia. Dicatur autem ſæpe laicis, ut circa iſtum vel alios fidei articulos, vel circa ſacramenta, non quærant rationem, quomodo vel quare ita ſit: quia tanta eſt ſubtilitas fidei, quod ea quæ ſubſunt fidei, non poſſunt intellectu comprehendi ut expedit: quia fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

Credant ergo omnia firmiter ſine hæſitatione, quæcumque catholica fides aſſerit, quamvis

vis non intelligant: majorem fidem adhibentes testibus fidei, quam oculis carnis, quia possunt decipi. Testes vero fidei sunt Apostoli, martyres, confessores, virgines. Quorum partim pro testimonio fidei diversis cruciatibus sunt afflicti: sed probati inventi sunt; quia & in vita eorum & postea, propter eorum merita, divina potentia mortuos suscitavit, cœcos illuminavit, dejectos erexit, & sanavit infirmos. ANNO CHRISTI 1263.

Circa fidem incarnationis docere debent presbyteri populum, & maxime infirmos, quando eos communicant. Dei Filium pro redemptione generis humani carnem assumpsisse in beata Virgine, de carne ejusdem Virginis: non humana, sed sancti Spiritus operatione, qui præsens erat: & tunc factus est in ea verus homo. Item debent docere, eumdem esse natum de Virgine, virginitate manente in conceptione, in partu, & in nativitate. Unde propheta: *Descendet sicut pluvia extincta a vellere*: Illud non corrumpit, sed mundum facit. Item doceant, eumdem ipsum consputum, alapis cæsum, flagellatum, & multipliciter irrisum, & in cruce mortem vilissimam sustinuisse. Item doceant, eumdem in anima ad inferos descendisse, ut animas sanctorum ibidem, detentas educeret. Item doceant, eumdem in corpore jacuisse in sepulcro. Item doceant, eumdem in eadem carne glorificata, tertia die a mortuis resurrexisse: per quem & nos omnes in carne quam gerimus resurgemus: boni in carne glorificata: mali in carne passibili. Unde Apostolus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Item doceant, eumdem quadragesimo die ad cœlos ascendisse: & quinquagesimo die Spiritum sanctum Apostolis, sicut prædixerat, misisse. Item doceant, eumdem venturum ad judicium, & redditurum unicuique secundum opera sua, bonis vitam æternam; malis autem ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.

Psal. 71. 6.

1. *Cor.* 15. 52.

De sacramentis ecclesiasticis, & primo de sacramento baptismi cum suis periculis.

Septem sunt sacramenta ecclesiastica: Baptismus, Confirmatio, Sacramentum altaris, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.

De baptismo debent presbyteri docere populum, quod in sacramento baptismi consistit salus omnium. Baptismus ergo cum omni reverentia & honore celebratur, & cum magna cautela: & maxime in distinctione prolatorum verborum, in quibus virtus sacramenti consistit: quæ sunt ista; *Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.* Et in Romana lingua sub hac forma doceant presbyteri laicos frequenter, debere pueros baptizare; supple, in necessitate. Laici tamen, quando baptizant in necessitate, nomen puero non imponant: forma tamen verborum præterea, ab eo qui baptizat, integre, ordinate, & sine nominis transpositione, & sine interpositione aliqua proferatur. Interrogetur autem laicus, qui puerum in necessitate baptizavit, diligenter a sacerdote, quid dixit, quod fecit. Et si invenerit, eum discreto modo & debito baptizasse, oblato puero ad Ecclesiæ fores nomen imponatur: eidem suppleatur quod deest: scilicet pabulum salis benedicti, & aurium linitio cum saliva. Exorcismi tamen super puerum non dicantur. Super fontes autem fiant omnia quæ solent fieri, sola immersione excepta. Si vero dubium fuerit, sub qua forma verborum puer fuerit baptizatus; tunc sacerdos eum baptizet, dum tamen eum immergens dicat: *Si tu non es baptizatus, ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen.* Illud idcirco apponitur, ne baptismus, qui semel tantum recipi debet, videatur aliquatenus iterari. Idem de sacramento confirmationis tenendum est & dicendum. Ad elevandum vero puerum de sacro fonte non plures quam tres patrini recipiantur. Item baptismus cum nullo liquore confici debet nisi cum aqua. Item sanctum chrisma, fontes, & oleum sanctum, sub forti sera clausi custodiantur, propter sortilegia evitanda. Item ampullæ chrismatis & olei sancti mundæ & integræ habeantur. ANNO CHRISTI 1268.

V. De sacramento Confirmationis.

De confirmatione ista volumus observari. Sacerdotes doceant populum, quod si confirmatio digne recipiatur, in ea Spiritus sanctus recipitur. In bono enim confirmat eum qui recipit, & roborat contra diabolum & peccata. Jejuni debent esse qui recipiunt: & si adulti sunt, debent conteri de peccatis, & ea confiteri, si tempus habeant, vel postea quam cito potuerint: aliter indigne suscipiunt, si prius erant in mortali. Sacerdotes scientes venturum episcopum ad dedicationem ecclesiarum, vel cœmeteriorum, vel visitationem, circa se usque ad duas leucas moneant populum suum diligenter, ut omnes veniant coram episcopo, audituri sermonem, maxime qui consilio episcopi indigent; vel ad confirmandum eos qui non sunt confirmati. Confirmandi vero secum bendellos referant, latos, mundos, & satis longos, quos in frontibus suis teneant tribus diebus propter fidem Trinitatis: quibus elapsis abluantur super fontes ab aliquo sacerdote, propter reverentiam sacramenti. Nullus sacerdos confirmare præsumat, nec ordines dare, non virgines consecrare. Hæc enim ad archiepiscopos & episcopos spectant.

VI. De sacramento altaris.

Hæc de sacramento altaris volumus observari. Nullus audeat bis in die Missam celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate: ut pote corpore humano præsente, vel in die Nativitatis, Domini, in qua tres Missæ possunt celebrari. Celebraturus autem secundam Missam, vinum perfusionis in prima Missa non sumat, sed ministro habenti bonam conscientiam conferat. Item ordinamus, ut sacerdotes non celebrent cum vino albo, sed rubro, ubi poterit commode inveniri. Item cum legitur Passio Domini, postquam dicta fuerint illa verba, *Emisit Spiritum*: prosternant se laici, & reddant gratias de redemptione nostra. Sacerdos, vel minister, qui altaris ministrat officio diligenter attendant, ut ad conficiendum Eucharistiam, ad Missam, ad communicandos infirmos, formas panis quam pulchras, quam recentes, quam honestas poterit invenire, quærere non omittat; ne per informitatem formarum, infirmorum vel aliorum devotio minuatur. Attendat ergo quod hostia sit integra, & quod integrum habeat circulum.

& quod

ANNO CHRISTI 1268.

& quod vinum non ſit acetoſum: & aqua non omittatur. Si autem aquam omiſerit, quando advertet, apponat eam, ſi fieri poteſt ſine ſcandalo. Si vero per negligentiam evenit, quod perlecto canone & peracta conſecratione corporis nec vinum nec aqua reperiantur in calice, debet ſtatim infundi in calice utrumque; & hoſtia ſic conſecrata ſeorſum reverenter obſervetur. Hoſtia autem nova, ſicut nunc ſolet, ante calicem apponatur; & reincipiatur canon Miſſæ, *Te igitur*. Poſt communionem vero, ante ſumptionem ſanguinis, prior hoſtia ab ipſo ſacerdote ſumatur.

Item caveant ſacerdotes, ne panis vel vinum remaneant ſuper altare infra Miſſam, præter ipſa quæ ab ipſo ſunt conſecranda: Et ſi quid forte remanſerit, ſecurius eſt, propter [a] famam quorumdam conſcientiam: ut ab ipſo ſacerdote ſumatur, vel ab alio mundam habente conſcientiam. Unde non eſt tutum eligere hoſtiam ſuper pallam, quia poſſet ibi aliqua fractio remanere; quam aliquis fatuus intelligeret conſecratam; Quod ad illos attinet, qui ſciunt conſecrationem non fieri, niſi adſit intentio, non eſt de talibus dubitandum.

Et presbyteri, quando incipiunt in Canone Miſſæ. *Qui pridie quam pateretur*, hoſtiam non elevent; ſed teneant ante pectus decenter, donec dixerint, *Hoc eſt enim corpus meum*: & tunc elevent, eam, & elevatam tamdiu teneant, quod poſſit [b] apte videri: & tunc pulſetur campana. Hoc autem dictum eſt, ne purus panis adoretur: quod eſſet, ſi ante prolationem verborum iſtorum hoſtia elevaretur.

Poſt totalem vero ſumptionem corporis & ſanguinis Domini, presbyter ab exſpuendo ſe abſtineat, quantum commode poterit: & ſi abſtinere non poſſit, in loco mundo hoc faciat, qui conculcari non poſſit.

Si quid de ſanguine cecidit ſuper corporale, fugenda eſt pars intincta; & ipſum corporale panno aliquo mundo involutum pro reliquis eſt [c] obſervandum. Si vero ſuper pallam, vel ſuper altare, [d] ſacrum indumentum, aliquid de ſanguine ceciderit; pars intincta fugatur, & poſtea ſcindatur, & conſuta panno mundo ſervetur pro reliquiis: ita tamen quod ſuper pannum ſchedula conſuatur, continens hæc: Super hoc linteum ſtilla cecidit ſacramenti. Si ſuper commune veſtimentum ceciderit, pars intincta prius ſcindatur, & poſtea fugatur, & comburatur, & cinis in ſacrario reponatur. Si autem ſuper lapidem, lignum, terramve ceciderit: lingendus, tingendus, & radendus eſt locus ille: & pulvis in ſacrario reponendus. Si autem de corpore deſuper pallam vel aliud ornamentum ceciderit, prius ſuper quod ceciderit abluatur, & ablutio a ſacerdote ſumatur, vel ab alio bonæ conſcientiæ. Si muſca, vel aranea, vel aliquid tale in ipſum calicem ceciderit, quod vix ſine vomitu, aliquando vero non ſine periculo corporis ſumi poteſt ſanguis; ſumatur: & effuſo vino ipſum quod cecidit abluatur; & ablutio a ſacerdote ſumatur, aut ab alio bonæ conſcientiæ: & poſtea id quod cecidit, in ſacrario comburatur: Quod ſi fides [e] ipſa id quod cecidit ſumere, quidquid [f] fecerit. Deo gratias.

Item volumus ut linteamina altaris, & indumenta ſacerdotum, & miniſtrorum, ſæpius abluantur. Item ut ampullæ vini & aquæ ad miniſterium altaris deputatæ, mundæ & integræ habeantur: & quod non ſint conſimiles: ut de facili diſcerni poſſit ubi eſt vinum, & ubi eſt aqua. Item ut nullus clericus altari deſerviat, niſi cum ſuperpelliceo, vel cappa clauſa. Item ut nullus presbyter antequam Matutinas dixerit canonicas & Primam, præſumat Miſſam celebrare. Item volumus, ut ſacerdotes die octavarum renovent ſemper ſacramenta: euchariſtiam ſcilicet, & fontem benedictum: ne eorum vetuſtate vel immunditia aliqui ad vomitum moveri valeant aut horrorem.

Item inhibemus presbyteris, ne hoſtias non conſecratas dent pueris, niſi in die Paſchæ loco panis benedicti: & tunc ſtatim utantur primum, nec extra eccleſiam portent. Item volumus ut ſacerdotes ita doceant populum, quod tales exiſtere procurent, ut ſaltem in die Paſchæ communicare valeant & communicent. Legitur enim in libro Numerorum, quod ſi quis mundus fuerit, & non fecerit in die Paſchæ hoc, id eſt, non communicaverit, anima ejus peribit de populo. Et ſi hoc de mundo dicitur qui non communicat; multo fortius de immundo, qui propter immunditiam ſuam abſtinere debet, quamdiu talis eſt, & nullatenus communicare. Qui enim indigne communicat, judicium ſibi manducat & bibit. *Num. 9. 13*

Item volumus, quod præsbyteri in eccleſiis ſuis ſæpe dicant populo, ut quam cito viderint aliquos infirmari, presbyterum incontinenti ad audiendum infirmi confeſſionem, & ad communicationem, adduci procurent; nec exſpectent noctem ad vocationem presbyteri, ſi de die contigerit infirmari.

Singuli ſacerdotes ſingulos habeant calices, in quibus communicent infirmi: qui ſint mundi: ne immunditia horrorem inducat infirmo, ſed potius in eis infirmi devotio excitetur. Item ſi quid de Corpore Chriſti in ore infirmi remanſerit, vel inde exierit, quod ab eo recipi non poſſit, aliquam panis habens formam; ab ipſo ſacerdote convenienter conſumi debet; vel [g] comunitum in calice cum modico vino, alicui habenti bonam conſcientiam dari. Si autem infirmus adeo fuerit coarctatus, quod ſub magna forma Corpus Domini recipere non poſſit, forma minima detur ei in calice comunita, & cum modico vino inſtilletur in ore infirmi: maxime ſi propter adſtantes de ſcandalo timeatur: ne eis ſine viatico decedere videatur infirmus.

[g] *Infra in Provinciæ Burdegal. Viſitatione anni 1286.* comminutum.

Pium eſt & tutum, ut ſacerdos omnem infirmum in extremis laborantem abſolvat de omnibus peccatis, ſi ab eo humiliter fuerit requiſitus.

Item, volumus, ut cum presbyteros ad communicandum infirmos contigerit evocari, omni dilatione & occaſione poſtpoſita ad eos accedant; & Corpus Chriſti cum magna reverentia & maturitate deferant, in pyxide ſcilicet idonea, bene clauſa, propter caſum. Nec diacones ad hoc mittantur, niſi in neceſſitate, & tunc quando ſacerdos eſt abſens. In eundo autem ſeptem pſalmos pœnitentiales vel litanias dicant.

Item presbyteri moneant parochianos ſuos, & diligenter inducant, ut cum presbyterum deferre contigerit Corpus Chriſti, creatori ſuo cum manuum junctione & genuum flexione, dum tranſierit, orantes devotius ſtudeant inclinare.

Item ſacerdotes diligenter moneant medicos, quos ad infirmos contigerit evocari, & ipſos qui medicis adſiſtunt, ut obſervent illud quod ſta-

ANNO CHRISTI 1168.

ſtatutum eſt in Concilio generali, & diſtricte injunctum mediciſ corporum; ut cum ad infirmos eos evocari contigerit, ipſos infirmos moneant & inducant, quod prius advocent medicos animarum; & ut poſtquam infirmo fuerit de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporale remedium medicinæ ſalubrius procedatur. Si quis autem medicorum conſtitutionis hujuſmodi tranſgreſſor exſtiterit, tamdiu ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, donec ſatisfecerit competenter. Ceterum cum anima ſit corpore multo pretioſior ſub anathemate prohibetur, ne quis medicorum pro corporis ſalute aliquid ægro ſuadeat, quod in animæ periculum convertatur.

VII. *De pœnitentia cum ſuis periculis.*

De pœnitentia iſta volumus firmiter obſervari. De Pœnitentia, quæ conſiſtit in tribus, ſcilicet contritione, confeſſione, ſatisfactione, doceant ſacerdotes, quod ſicut puero non eſt ſalus ſine baptiſmo, ita adulto, qui fœdus baptiſmi violavit, non eſt ſalus ſine pœnitentia. Item doceant, & maxime ante Quadrageſimam, quod omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit omnia peccata ſua confiteri fideliter teneatur ſaltem ſemel in anno, proprio ſacerdoti, & injunctam eis pœnitentiam debet pro viribus ſuis adimplere. Proprium autem ſacerdotem dicimus duobus modis: Ex officio, utpote Papam, Epiſcopum, Curatos, vel ex commiſſione, ſicut Fratres Prædicatores & Minores, & quibus epiſcopus commiſit vices ſuas. Si quis autem alieno ſacerdoti, juſta de cauſa, ſua voluerit confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio ſacerdote: cum aliter ille eum non poſſet ſolvere vel ligare niſi hoc faciat de licentia ſuperioris.

Item volumus, ut presbyteri parochianos ſuos ſolemniter pœnitentes faciant venire in Capite jejunii ad cathedralem eccleſiam, ut per epiſcopum ſolemniter ab eccleſia ejiciantur; & ſimiliter die Cœnæ per epiſcopum eccleſiæ reconcilientur.

Item presbyteri parochianos ſuos moneant, & frequenter in eccleſiis ſuis denuncient, quod omnes patres familias & matres familias ad confeſſionem veniant ante Ramos Palmarum. Et qui in hoc negligentes fuerint, in pœnam ut poſt octavam Paſchæ ad confeſſionem non admittantur, ſi . . . . . ad illud tempus re . . . . . bunt, ſicut in Quadrageſima: ut pœna eorum ſit aliis ad terrorem. Poterunt tamen cum talibus tempora presbyteri diſpenſare, quando eorum diſcretioni videbitur expedire.

Sacerdos autem ſit cautus & diſcretus, ut more periti medici ſuper infundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens peccatorum circumſtantias, & peccati, vino correctionis: & oleum diſcrete nunc conjungens ſic temperet pœnitentiam, ne immenſitate ponderis obruatur; nec relaxatione igni purgatorio crudeliſſime relinquatur: & ne facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi.

Alienos autem parochianos presbyteri ad confeſſionem non recipiant; niſi forte cum quis eſt vagabundus, ut ſunt pauperes mendicantes, vel pauperes incerti: vel niſi quis vadat in peregrinatione, vel ſit in infirmitate, vel in ſimilibus caſibus.

Ad audiendam confeſſionem locum eminentem eligant ſacerdotes, ut communiter poſſint videri: nec in locis abditis; vel extra eccleſiam recipiant confeſſionem. Nec Diacones confeſſiones admittant etiam parvulorum.

In confeſſione habeat ſacerdos vultum humilem, & oculos in terra: nec directe, nec frequentius reſpiciat faciem confitentis, & maxime mulieris: & patienter audiat quæ dixerit ipſe confitens, in ſpiritu lenitatis: & ei pro poſſe ſuo pluribus modis perſuadeat, ut confiteatur integre: * & ſic & aperte dicat ei confeſſionem aliter non valere.

* *Forte*, & ſincere.

Item in confeſſione ſibi caveant ſacerdotes, ne inquirant nomina perſonarum cum quibus peccaverunt confitentes; ſed circumſtantias tantum, quæ poſſunt aggravare peccatum. Item caveant ſacerdotes omnes, ne verbo aut ſigno, aut alio quovis modo, prodant aliquatenus aut detegat confeſſionem . . . . . vel ..... generali vel ſpeciali; dicendo, Ego ſcio quales vos eſtis. Sed ſi prudentiori conſilio indigeant, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirant: quoniam qui peccantem in pœnitentiali ſibi judicio detectum præſumpterit revelare, non ſolum eſt a ſacerdotali officio deponendus; verum ad agendam pœnitentiam in arcto monaſterio detrudendus.

Quoniam vero didicimus, pro peccatis etiam majoribus fere nullam vel minimam pœnitentiam injungi populo a ſacerdotibus, quoad hoc negligentibus canonica inſtituta: volumus ut ſacerdotes ſtudeant inquirere diligenter peccata populi ſingula, & circumſtantias uſitatas peccati, maxime gulæ, luxuriæ, & cupiditatis; quibus genus humanum frequentius corrumpitur & fœdatur: ne ſecundum quod majores fiunt exceſſus circa vitium, minor pœnitentia injungatur.

Gula.

Generalis ergo exceſſus circa potum frequentius attenditur, quamvis fiat pluries circa eſum, Inquirat ergo ſacerdos a pœnitente, utrum aliquando exceſſum fecerit, quærendo cibos nimium delicatos; ſicut dives qui epulabatur quotidie ſplendide, & Judæi qui carnes in deſerto concupierunt. Et utrum peccaverit nimia ciborum etiam vilium ſumptione, ſicut Sodomitæ; quorum peccatum fuit ex abundantia panis. Et utrum peccaverit ſumendo cum nimia laviditate, ſicut Eſau. Item cum nimio apparatu, ſicut filii Heli. Item utrum ante horam, ſicut Jonathas. Quod ſi fecerit, moneatur ſe a talibus abſtinere; & ſtudeat diligenter concontraria contrariis curare. Tales ſiquidem ſunt ſatellites Nabuzardam, qui interpretatur Princeps coquorum; qui Jeruſalem, id eſt, fidelem animam funditus deſtruxit.

Luxuria.

Circa peccatum luxuriæ quæratur utrum pœnitens acceſſerit ad proſtitutas mulieres, ſeu viduas, vel alias: & quæratur numerus illarum, cum quibus peccavit: ſi neſciat numerum, ſaltem exiſtimationem dicat, quam credit. Item quæratur de vicibus, & quanto tempore in peccato manſit, & quo loco: ſacro videlicet, aut non ſacro; puta in eccleſia vel cœmeterio. De perſonis, utrum ſacerdos, vel diaconus, vel ſubdiaconus, vel monachus. De tempore, utrum in ſolemnitatibus * perpetuis. Quod ſi fe-

* *Forte*, præcipuis.

ce-

ANNO CHRISTI 1268.

cerit, honestum videtur, ut in vigiliis festorum quæ violavit, jejunet pluribus diebus in pane & aqua, ut taliter saltem redimat peccatum. Et si solutus laicus cum soluta concubuerit, tres annos pœnitentiæ debent secundum canonum rigorem, secunda feria, quarta, & sexta, a cibis communibus jejunando abstinere. Si cum vidua, quatuor annos. Sed quia fragilitas nostri temporis tanti rigoris non patitur manere censivum, hujusmodi pœnam commutent vel temperent sacerdotes in orationibus vel eleemosynis, vel aliis satisfactionibus, prout eis vilium fuerit expedire. Et quanto sæpius & negligentius ea peccata committunt, & quanto plus prædictæ circumstantiæ peccatum aggravarunt, tanto majus tempus, & major pœna imponatur eis. Hoc enim moderamen intelligatur in omnibus pœnitentiis pro quocumque crimine imponendum. Illi autem qui sublimiorem gradum obtinent, si peccaverint, magis puniendi sunt. Scriptum est enim:

Omne etenim vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto qui peccat major habetur.

Pro adulteris autem major est pœnitentia injungenda.

Item quæratur de virginibus defloratis. Quot autem defloravit, tot debet maritare; vel saltem eas corruptas, si indigent, sustentare; vel ingressum religionis eis, si voluerint, procurare: injuncta nihilominus pœnitenti pœnitentia, quæ pro fornicatione debet injungi. Si vero hoc non fecerit, quia viam aperuit ad peccandum, timeat quod omnibus peccatis, quæ illa per carnis lubricum perpetrabit, communicabit.

Item quæratur, si cum monialibus peccaverit. Quod si fecerit, ad Episcopum, vel ejus Pœnitentiarium mittatur. Mulier vero, quæ a proprio sacerdote, vel alio qui ejus confessionem audivit, vel eam baptizavit, permisit se cognosci, propter criminis enormitatem, maxime si scandalum inde evenit, ad Episcopum vel ejus Pœnitentiarium est mittenda.

Item quæratur, si ad consanguineas suas pœnitentes accesserint, vel uxores consanguineorum, suorum, vel ad cognitas ab eis; & in quo gradu, proximo videlicet aut remoto. Omnes tales ad Episcopum, vel ejus Pœnitentiarium debent mitti.

Item quæratur, si mulierem indebito modo cognovit: & si quærat pœnitens, quomodo? non respondeat sacerdos. Si dicat, sic: quærat quomodo, & quotiescumque, &c. Item quæratur, si in puerperio, si tempore menstruorum, quod lege prohibetur, mulierem cognoverit. Est enim periculum corporale patris & matris; scilicet periculum elephantiæ, menstruorum tempore commissi; & est periculum pejus, quia corrupto semine in coitu, si post nascitur fetus, fere semper, ut asserunt Physici, est iste gibbosus vel contractus, vel maculam rubeam habens in facie vel membro alio.

Item quæratur, si ad mulierem prægnantem accesserit, & utrum mulier abortivum fecerit: & tunc si abortum fecerit, ob istam causam evenerit, ad Episcopum vel ejus Pœnitentiarium transmittatur.

Item quæratur, utrum aliquando dormiendo ei contigerit pollutio. Quod si ex ebrietate, vel præcedenti cogitatione illicita evenerit, magis est timendum, & gravius puniendum. Item quæratur, utrum acciderit ei pollutio vigilando. Quod si dixerit, non; de hoc ulterius non requirat. Si vero dixerit, sic; quæratur quomodo, ut sic veritas extorqueatur de peccato commisso, & peccandi peccato inusitato occasio minime præbeatur.

ANNO CHRISTI 1268.

Item quæratur, utrum aliquando pro alio solicitaverit; vel peccato alterius assenserit, consilium vel auxilium impenderit: utrum conjugatam, vel aliam; utrum pro conjugato vel alio, & quomodo, & quando, ut supra. Sollicitatores etenim mulierum pro alio, sive consentientes, secundum quod magis & minus peccaverint, puniantur: quandoquidem non minus peccant, quam illi qui peccatum operantur.

Contra peccatum carnis muniri debent peccatores sic: ut dicatur eis: Jejuna, & labora, evita malum facientem, & opportunitatem peccandi; quod est evitare loca & personas, cum quibus vel per quæ peccare possumus vel solemus. *Quar aisse fait lairon, & puta fait garson.*

Cupiditas.

Quæratur utrum aliquam rem alienam habuerit injuste, videlicet per furtum, usuram, rapinam, & consimilia. In his enim volumus, ut sacerdotes caveant, ne missas, eleemosynas, vigilias, vel peregrinationes, vel hujusmodi aliqua pro restitutione injungant, priusquam reddiderint, si possunt: Quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Est autem regula, quod vero domino facienda est restitutio, si possit commode inveniri, ad hoc ut possit fur vel raptor absolvi. Mortuo vero domino, vel non invento eodem, restituendum est hæredibus; vel his non exstantibus, proximioribus cognatis, vel saltem uxori. Si vero verus dominus est incertus, vel non possit inveniri cui debeat restitui, tunc demum ad concilium ecclesiæ erogetur, pro illis qui his in rebus male habitis habitaverint. Quod & de inventis faciendum est. Non autem debet sufficere male requisita restituendo solum ista fieri: sed condigna injungi debet pœnitenti pœnitentia pro peccato. Quando certus est verus dominus & inventus, injungenda est pœnitenti pœnitentia, ut ei si potest satisfaciat in medietate, si audeat revelare; si autem non audeat, mediante sacerdote, vel alio bono viro neminem nominante: vel recompenset pœnitens per servitia quæ poterit, cum animo restituendi. Si vero grave damnum sit, & pœnitens non possit solvere, petat veniam personaliter a damnificato, si audeat: alioquin hoc faciat aliquo bono viro mediante, neminem nominante: satisfaciat jejuniis, orationibus, & corporalibus disciplinis, habens in proposito, quod omnia restituet, si ad fortunam venerit pinguiorem.

Item quæratur, utrum alieno damno consenserit: quod si fecerit, utrum ex proposito hoc fecerit, vel simplicitate, vel negligentia. Item quæratur, utrum non impedierit lædentem, cum posset; vel lædendum non præmunierit. Quod si fecerit, distinguendum est. Nam si consensit tantum, non videtur teneri ad restitutionem, sed ad satisfactionem pœnitentiæ, prout magis vel minus peccaverit: quia magis peccavit, si ex proposito consensit, quam si negligenter vel ex simplicitate. Inducat tamen læsorem, prout poterit, ad satisfaciendum læso.

Item quæratur, utrum stupri causa aliquid habuit a conjugata: & si hoc fecerit, marito red-

ANNO CHRISTI 1268.

reddat. Si a persona religiosa, ecclesiæ suæ reddat. Si ab ancilla, de rebus domini sui; ipsi domino est reddendum.

Item volumus ut diligenter attendat sacerdos, cujus officii sit pœnitens. Nam si mercator est, emens vel vendens ad usuram, prohibendus est ne habeat pondus & pondus, mensuram & mensuram. Et si habuerit, vel falso mensuraverit, tenetur restituere, si sciat quibusdam de omni male acquisito restitutio facienda est, ut dictum est. Si autem nesciat quibus restitutio sit facienda, satisfaciat ecclesiæ, vel ecclesiis illorum, quorum credit esse parochianos; vel pauperibus eroget, ad concilium tamen ecclesiæ. Similiter de aliis officiis est faciendum suo modo. Si quis vero propter necessitatem famis furatus fuerit panes vel cibaria, vel vestes propter nuditatem, & reddere non possit; levis est ei pœnitentia injungenda, dum tamen conteratur. Et dicendum est filiis fœneratorum & omnium raptorum, ut de ipsis male acquisitis parcissime vivant, quo possint reddere damnificatis.

Item statutum est in generali Concilio, ut publicis usurariis in morte sepultura ecclesiastica denegetur: ut & si aliquis suspectus super hoc habetur, compellatur usuras publice abjurare: & si post abjurationem super hoc fuit diffamatus, purgatio indicatur eidem; Et si in purgatione defecerit, vel super hoc convictus fuerit, fidelium communione privetur, donec sic extorta restituerit, & ecclesiæ satisfecerit competenter: & si ita decesserit, careat ecclesiastica sepultura. Sacerdotes autem nobis vel Officiali nostro mittant nomina illorum qui sunt publice usurarii, vel super hoc diffamati. Hoc autem statutum * est frequenter in ecclesiis publicetur.

* *Forte*, etiam.

Item consulatur militibus, qui largas eleemosynas & spontaneas faciunt, vestiendo pauperes, redditus & census ferendo, quod sanctius videtur, si reddentur male exacta & male extorta.

Ira.

Quæratur utrum pœnitens in tristitia mentis inciderit, quæ mortem operatur & iram; vel aliquem odio habuerit. Quod si fecerit, moneatur diligenter, ut deponat rancorem & odium. Debita vero, vel querelam, non tenetur remittere, nisi velit, si petere potest pacato animo cotam judice competenter.

Invidia.

Quæratur utrum per invidiam doleat, vel doluerit, de utilitate proximi; vel de ejus infortunio læsus fuerit: utrum per invidiam alicui detraxerit.

Superbia.

Quæratur utrum per superbiam super alios mente vel corpore se elevaverit. Evangelista enim ait: *Qui major est vestrum, fiat sicut minor* Et, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.*

Luc. 22. 26. *Eccli.* 3. 20.

Acedia.

Quæratur utrum pœnitens acedioſus fuerit in his quæ pertinent ad salutem; id est; negligens & indevotus: & talis timeat suam sententiam: *Maledictus homo, qui opus Dei negligenter facit.* Et secundum ea quæ invenerit sacerdos, imponat pœnitentiam competentem.

ANNO CHRISTI 1268.

Item quæratur utrum sacrilegia fecerit de sacramentis ecclesiæ, vel dæmonibus immolando, vel dæmonia invocans. Quod si fecerit, ad episcopum, vel ejus pœnitentiarium mittatur.

Jerem. 48. 10. *ex Græco.*

Audita vero confessione sacerdos interroget confitentem, an velit a mortali peccato abstinere: aliter autem cum non absolvat, nec pœnitentiam ei injungat: nec tamen diffidat, sed eum diligenter instruat, ut quidquid potest boni iterum agat; ut Deus cor ejus illustret ad pœnitentiam. Item sacerdos debet esse sollicitus, ut pœnitenti onus importabile non imponat, nec recipere pœnitens sit paratus: sed sic temperet pœnitentiam, ut a studio non cogatur scholaris cessare; faber a fabrica, ab agro agricola, vel alius laboriosus ab opere licito & competenti; nec a cura dominus familiæ, ut ei providere non possit; nec cursor a cursu, ut dominum suum sequi non possit. Item pro peccato occulto sacerdos publicam pœnitentiam non injungat; nec peccatores occultos faciat pœnitere.

Sciendum autem est, quod ab omnibus qui ex justa causa videntur non posse sine magno gravamine frequenter in octava dicta jejunare, possunt redemptiones vel compensationes adhiberi, per orationes, per eleemosynas, per abstinentiam a carnibus vel piscibus, vel disciplinas, vel hujusmodi, secundum statum personarum. Poterit tamen fieri relaxatio talis, cum pœnitentia injungitur: ut si ad mensam alienam accesserint, cui se debeant conformare, vel in magnis solemnitatibus, hujusmodi abstinentiæ injunctis commutentur eleemosynis.

Item consulimus & monemus, ne Missas frequenter injungat sacerdos confitentibus: ut suspicionem cupiditatis fugiat in hac parte: fructum tamen, qui ex tali injunctione solet sacerdotibus evenire, consulat pauperibus erogari. Si Missas tamen injunxerit, eas non celebret; nec tricennale, nec annale, quæ ipsemet junxit, recipiat.

Item omnibus, qui ætatem decem & octo annorum excesserunt, præcipiant sacerdotes jejunare jejunia ab ecclesia instituta, ut jejunium Quadragesimale, Quatuor temporum, Vigiliarum: quia omnes tales ut communiter ad hujusmodi jejunia tenentur.

Item ab infirmis in mortis articulo constitutis pia est inquirenda peccatorum confessio: non pœnitentia est etiam injungenda. Est tamen eis intimandum, ut conterantur, ut doleant de peccatis suis universis & singulis; non tam timore pœnæ quam peccando meruerunt: sed quod Deum & Patrem, creatorem & redemptorem suum offendere * non præsumpserint. Inducantur tamen infirmi, ut acerbitates ægritudinis, quas sustinent, quasi flagella pii patris, quæmadmodum ei placuit, cum gaudio tolerare laborent. Si autem convaluerint, statim ad sacerdotes accedant, ut tunc eis pœnitentia competens injungatur.

* *Dele*, non.

Item sacerdotes suadeant omnibus septem principalia vitia fugere, & plus quam mortem temporalem timere. Quia mors cum solum corpus interimat; dicta vitia corpus & animam simul vincunt. Et sunt ista: Gulositas, luxuria, avaritia, acedia, ira, invidia, superbia. Item studeant operibus misericordiæ incumbere.

Quæ

ANNO CHRISTI 1268.

Quæ sunt: Pascere esurientem, potare sitientem, nudum vestire, hospitem suscipere, visitare infirmum, consolari incarceratum, sepelire mortuum. Quia sic testatur Veritas in Evangelio: Quia illa negligunt facere, venientes ad judicium terribile, vocem audient illam: *Matth. 25.* scilicet, *Ite maledicti in ignem æternum.*

Sacerdotes autem in confessione majora majoribus reservantes, mittant ad episcopum vel ejus pœnitentiarium pœnitentes de homicidio, perjurio seu fide mentita. Si tamen certum sit illicitum esse juramentum, instruant parochianum, quod propria auctoritate potest contravenire: ut si jurasset hominem interficere, vel aliquid quod certum sit mortale peccatum esse. Tenetur tamen de hoc quod sic juravit, confiteri episcopo vel ejus pœnitentiario. Si vero dubium sit, an sit juramentum licitum, an illicitum, tunc est superior consulendus. Et mittant ad episcopum vel ejus pœnitentiarium pœnitentes de injectione manuum in pœnitentes, seu in clericos, vel quoscumque religiosos, vel pœnitentiarios. Item de incendio. Item de litterarum falsitate. Item de incestu tam naturali quam spiritali; videlicet qui consanguineam suam cognovit, vel consanguinei uxorem; & qui cognovit filiam spiritualem, vel filiolam, vel cujus confessionem audivit. Item de lapsu carnis cum monialibus. Item de violatione cœmeteriorum vel ecclesiarum. Item de hæresi. Item de omni sortilegio, maxime pro sortilegiis factis de sacramentis ecclesiæ, & omnes illos qui ad hoc consilium vel auxilium præstiterunt. Item de schismate. Item illos qui abortivum coeundo vel alio modo facere præsumpserunt. Item clericos quoscumque, modo irregulares facti sint. Item illos, qui sine prima tonsura aliquem ordinem susceperunt. Item qui in suscipiendis ordinibus saltum fecerunt. Item quocumque casu per se vel per alium homicidium perpetrarunt. Item clericos qui judicio sanguinis interfuerint; & qui auctoritatem, consilium, vel consensum in aliquo præbuerunt, unde mors hominis vel mutilatio sequeretur. Item illos qui litteras dictant, scribunt, aut legunt, aut aliquod munusculum præstant, ut aliquis mutiletur, vel occidatur. Item clericos vel presbyteros, qui in suspensione vel excommunicatione promoti sunt, vel divina celebrarunt. Item sacerdotes vel ministri, quorum negligentia aliquid circa sacramentum altaris inhonestum quocumque modo evenerit; ad prædictos, videlicet episcopum, vel ejus pœnitentiarium, sunt amittendi.

Item volumus, ut sacerdotes peccata notoria, de quibus scandalum in populo generatur, significent archipresbytero; & archipresbyter archidiacono; & archidiaconus nobis episcopo, si per eos non possit corrigi vel sopiri; timentes ne pœnam incurrant, si per eos, vel per alios ad nos deferatur.

Item sacerdotes in confessionibus vota relaxare non debent: possunt tamen aliquando declarare votum non tenere: ut si impubes vovit sine patris vel tutoris auctoritate; vel servus sine domini voluntate: vel si uxor voverit continentiam sine licentia viri, vel aliquid unde maritus scandalizetur; utpote jacere cum camisia; vel ne ad Matutinas frequentet. De talibus enim possunt dicere, quod ad hoc non tenentur.

Item sacerdotes circa confessionem maximam curam adhibeant & cautelam; scilicet ut diligenter peccata inquirat usitata sigillatim: inusitata enim nonnisi a longe per aliquam circumstantiam: sic tamen ut expertis detur materia confitendi.

ANNO CHRISTI 1268.

Item caveant sacerdotes, ne diaconis committant officium audiendi confessiones in aliquo casu: cum tales ligandi atque solvendi in foro Pœnitentiæ careant potestate. Item inhibemus cunctis, ne vicarios in ecclesiis suis ponant sine nostra licentia speciali, vel illius qui a nobis habebit super hoc potestatem.

VIII. *De Matrimonio.*

Cum tam in Lateranensi Concilio, quam in Provinciali, inhibitum sit, ne matrimonia per verba de præsenti contrahantur, vel solemnitates adhibeantur, bannis non editis juxta morem: & quamque per ignorantiam laicorum, & quamque per simplicitatem, quamque per malitiam sacerdotum, quandoque contrarium attentatur: unde accidit quod propter matrimonium contractum per verba de præsenti, circa impedimentum matrimonii, plena probatione deficiente, multi in nefaria copula remanent copulati. Hinc est, quod nos præcipimus districte, ut presbyteri inhibeant publice in ecclesiis suis, parochianis adstantibus, ne ipsi absque presbyterorum suorum præsentia matrimonia vel sponsalia contrahant. Item ne ipsi presbyteri intersint matrimoniis contrahendis per verba de præsenti, donec banna in ecclesia fuerint edita juxta morem, scilicet per tres dies Dominicos, vel festivos inter se distantes. Et ne ipsi presbyteri clandestina matrimonia celebrare præsumant; vel alienos parochianos benedicere sine proprii licentia presbyteri, de qua constet per vivam vocem ipsius presbyteri, vel per sigillum ipsius, vel alterius sigillum authenticum non ignotum. Si vero presbyter contra fecerit, per triennium sit suspensus ab officio. Laici quoque, & clerici sæculares, & religiosi, etsi non sint presbyteri, qui sponte & scienter talibus matrimoniis interfuerint, excommunicationi subjaceant ipso facto, donec per superiorem fuerint absoluti. Et si aliqui tales contraxerint, tantum differatur benedictio nuptialis, quod non celebretur absque nostra vel Officialis nostri licentia speciali. Item eidem pœnæ subjaceant, qui ante ætatem legitimam matrimonio copulare, vel hujusmodi matrimonio scienter & sponte interesse præsumunt; pœna graviori nihilominus imponenda, si superiori videbitur expedire.

Et excommunicamus omnes illos, qui fidem dabunt vel accipient, de celandis matrimoniis: & sententiam hujusmodi præcipimus recitari a singulis sacerdotibus parochialibus in suis parochiis. Et cum probabilis apparuerit conjectura vel dubitatio circa copulam contrahendam, volumus ut contractus interdicatur expresse; donec per nos, vel per nostrum locum tenentem, quod super hoc fieri debeat, fuerit definitum. Ceteri autem nec cognoscere possunt nec judicare.

Item præcipimus, ut sacerdotes prohibeant sub pœna excommunicationis, in nuptiis fieri sortilegia.

Et prohibeant sacerdotes, ne laici publice teneant concubinas. Et qui post monitionem trinam præsumpserit retinere, tam ipse quam ipsa per ejusdem loci presbyterum ab ingressu ecclesiæ arceantur; gravius puniendi, si perse-

ANNO CHRISTI 1268.

veraverint, per majores. Nos vero concubinarios publicos excommunicamus.

Item sciendum est, benedictionem nuptialem non debere fieri a Septuagesima usque ad octavam Paschæ. Item ab Adventu Domini in Epiphaniam. Item a prima die Rogationum usque ad octavam Pentecostes.

Item quando dubitatur, an pueri vel juvenes sint apti ad benedictionem nuptialem, sacerdotes non debent solum inquirere de ætate; quia ætas quandoque non sufficit; cum pubertas non ex annorum numero, sed ex habitu corporis æstimetur: & tunc est superior consulendus. Et injungimus sacerdotibus, ne aliquid exigant a parochianis suis, eo quod testimonium pro eis dant, quando matrimonium contrahere debent, nisi ratione laboris & sumptuum; vel ratione antiquæ & approbatæ consuetudinis, dum tamen certa sit.

IX. *De sacramento Extremæ Unctionis.*

De sacramento Extremæ Unctionis ita volumus observari. Sacerdotes vero doceant, quod sic dicit beatus Jacobus: Per Extremam Unctionem venialia dimittuntur; & quandoque alleviatur infirmus. Etiam mentis alacritas infunditur, ut sic mens ipsa ad æternum gaudium elevetur. Item doceant sacerdotes, omnes debere recipere hoc sacramentum, tam divites, quam pauperes, senes & juvenes, & maxime postquam duodecimum annum expleverint: & posse *licite* iterari, quoties infirmos mortis metum contigerit provenire. Item sacerdos sanctum oleum honeste deferat, & cum reverentia istud impleat sacramentum.

X. *De sacramento Ordinum.*

De sacramento quidem Ordinum doceant sacerdotes, quod Sacramentum Eucharistiæ non conficit quis, nisi sit sacerdos; nec confert quis sacrum ordinem, nisi sit episcopus. Cum igitur quater in anno ordines habeant celebrari regulariter; scilicet in jejuniis solemniter institutis, districte præcipimus, ut omnes parochiales in ecclesiam, quamdiu non sunt presbyteri, ad ordines, prædictis saltem temporibus, veniant successive, seque præsentent idoneas personas & habiles, cum effectu servantes juramentum legitime quod fecerunt. Item præcipimus singulis archipresbyteris, ut in singulis ordinibus nomina illorum, qui se ordinandos non offerant, nobis exponant; & tempus licentiæ eorum, si a nobis alicui concessa fuerit, exprimatur. Item statutum est in Concilio Provinciali, ut clerici in minoribus ordinibus existentes, ad ecclesiarum parochialium regimen nuper instituti, fructibus non gaudeant eorum, donec ad sacros ordines sint promoti: sed in illius utilitatem ecclesiæ convertantur, secundum quod episcopo videbitur expedire: pœna nihilominus perjurii remanente, per episcopum infligenda, nisi quis legitime se doceat excusatum, vel episcopali injunctum licentia speciali.

XI. *Ne venalia prostituantur sacramenta.*

Ne venalia prostituantur sacramenta, firmiter inhibemus. Cum igitur in tantum pullulare noverimus avaritiam, ac vitium simoniæ, ut quidam presbyteri ecclesiæ sacramenta vendere videantur, Confessionem, Eucharistiam, Benedictionem nuptialem, sepulturam; subditis denegando tacite vel expresse, quousque super consuetudinibus vel debitis aliis ad voluntatem eorum sibi fuerit satisfactum; sub pœna magnæ emendæ districtius inhibemus, ne cum sacramenta eminent adhibenda, ante sacramentorum ipsorum exhibitionem plenariam aliquid exigant a subjectis, vel plegios petant; sed cum ea gratis exhibuerint, tunc jura parochialia, & alia consueta debita licite petant, & plegios accipiant, & petitiones, prout justum fuerit, & viderint expedire. Si vero ante eorum sacramentorum exhibitionem aliqua liberaliter eis fuerint exhibita, ea recipere non formident. Simonia enim mirabiliter est abhorrenda. Quia cum simoniaco non potest dispensari, nisi resignet. Item scriptum est: Omnis peccator Missam cantare potest, præter simoniacum.

Item volumus, ut omnes per ecclesias chrisma, fontes, oleum sacrum, & Eucharistia, sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur, ut non possit ad illa temeraria manus extendi. Si vero ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur.

Item in Generali Concilio est statutum, quod antiquæ reliquiæ amodo extra capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales; inventaque de novo nemo publice venerari præsumat, nisi prius auctoritate summi Pontificis fuerint approbatæ.

Item caveant sacerdotes, ut si quis ad ecclesiam causa immunitatis confugerit, non ita constringatur, ut ei victualia denegentur. Sacerdos autem ei saltem panem & aquam, quamdiu poterit, charitative ministret. Si quis autem contra præmissa fecerit, vel sacerdotem impedierit, & monitus ab ipso non destitit; sacerdos eum excommunicet; & nihilominus nobis vel Officiali nostro hoc nunciare præsumat.

Item prohibemus sacerdotibus, ne sæculares judices permittant causas suas in suis ecclesiis agitare, quoniam frequenter de corporali pœna agitur coram eis.

Item si donum sæculares petant * subsidium a sacerdotibus, nihil ei conferre præsumant, nisi nos, necessitate inspecta vel utilitate, hoc duxerimus concedendum, ne latenter aliqua servitus inducatur.

* *Forte*, vel subfidium.

Item si sanguis violenter effusus, vel mulier carnaliter cognita in ecclesia consecrata, vel cœmeterio fuerint; ecclesia vel cœmeterium debent reconciliari: sed talis reconciliatio non potest fieri, nisi per episcopum. Similiter si excommunicatus sit in cœmeterio sepultus, cœmeterium est reconciliandum. Si vero ecclesia non consecrata sit alicujus sanguinis vel seminis effusione polluta sufficit quod aqua exorcizata lavetur.

XII. *De Præfationibus.*

Decem sequentes Præfationes invenimus in sacro catalogo tantummodo, præter communem Præfationem recipiendas. Unam in Pascha, quæ sic incipit: *Te quidem omni tempore.* Aliam in Ascensione, quæ sic incipit: *Qui post Resurrectionem.* Tertiam in Pentecostes, que sic incipit: *Qui ascendens super omnes cælos.* Quartam

ANNO CHRISTI 1268.

tam de Trinitate, quæ sic incipit: *Qui cum Unigenito*. Quinta in festis beatæ Mariæ, quæ sic incipit. *Et te in veneratione*. Sextam in festis sanctæ Crucis, quæ sic incipit: *Qui salutem humani generis*. Septimam de Apostolis, quæ sic incipit: *Te Domine suppliciter*. Octavam de Nativitate Domini, quæ sic incipit; *Quia per Incarnati Verbi mysterium*. Nonam in Epiphania Domini, quæ sic incipit: *Quia cum Unigenitus*. Decimam in Quadragesima, quæ sic incipit: *Qui corporali jejunio*.

Capitula secundæ partis.

Capitulum primum secundæ partis est, de vita & honestate clericorum vel presbyterorum, cum suis periculis. Capitulum secundum, de sepulturis. Capitulum tertium, de bonis ecclesiarum non alienandis & conservandis. Capitulum quartum, de testamentis. Capitulum quintum, de * excommunicationibus mandatorum. Capitulum sextum, de excommunicatis. Capitulum septimum, de absolutione. Capitulum octavum, de officio archipresbyterorum. Capitulum nonum, de impedientibus jurisdictionem ecclesiasticam. Capitulum decimum, de exemptis.

* *Forte*, excommunicationibus,

I. *De vita & honestate clericorum & presbyterorum.*

Monemus ut universi presbyteri in sacris ordinibus constituti contineant, & caste vivere studeant, cum voto continentiæ tacite sint constricti. Matrimonium enim contrahere nequeunt, nec cuiquam licitum est fornicari. Specialissime autem regulares, expresso videlicet voto, ad continentiam obligantur. Caveant autem omnes ab omni libidinis vitio, & maxime illo, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ: ut in conspectu Dei puro corde & mundo corpore valeant ministrare. Quocirca districtius inhibemus, ut nullus clericus in sacris ordinibus constitutus, occasione aliqua fornicariam teneat in domo sua, vel alibi; seu mulierem aliquam, de qua possit mala suspicio suboriri, unde populus vel ecclesia scandalizetur. Qui vero post sententiam inde latam, & post monitionem sibi factam * nostræ dictæ sententiæ tenorem, cum scandalo eam publice retinere præsumpserit, timeat prædictam sententiam, & irregularitatem, & si divinis postea se ingessit.

* *Forte*, secundum nostr.

Item prohibemus, ne Curati in honeste se tenendo in locis suspectis deferant arma de nocte. Quod si comperti fuerint sic fecisse, a beneficio per annum suspendantur.

Item sacerdotes officia vel commercia sæcularia non exerceant inhonesta. Maxime mimis, histrionibus, & joculatoribus non intendant. Tabernas prorsus evitent, nisi causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Tonsuram & coronam habeant congruentem: etiam se in ecclesiasticis, & aliis bonis studiis exerceant diligenter.

Item parochianos suos presbyteri moneant diligenter, ut pueros doceant *Paternoster*, *Ave Maria*, & *Credo in Deum*, si fieri potest.

Item inhibemus, ne aliquis clericus peregrinus ad celebrandum divina publice tanquam sacerdos recipiatur, nisi de promotione sua fuerit facta fides nobis, vel locum nostrum tenenti. Si tamen ex devotione secreto voluerit celebrare, satis poterit sustineri.

ANNO CHRISTI 1268.

Item quoniam vitium falsitatis persequi volumus & debemus; præcipimus, ut si quis litteras falsas, vel de falsitate suspectas exhibuerit: si persona suspecta, vel vilis fuerit, tam persona quam litteræ retineantur. Si vero persona alias honesta, & non suspecta fuerit, tunc littera suspecta retineatur; & persona exhibens & peremptorie & personaliter coram nobis vel Officiali nostro citetur, adhibitis testibus, per quos si necesse fuerit, probari possit, quod ille exhibitor usus fuerit litteris sic suspectis. Item in Concilio Provinciali excommunicati sunt omnes illi, qui falsis litteris quoquomodo uruntur scienter.

Item statutum est in Concilio Provinciali, quod illa constitutio De Rescriptis, *Quia nonnulli*, firmiter observetur. Et si quis scienter contra fecerit, addatur pœna sexaginta solidorum usualis monetæ a transgressore, per suum diœcesanum levanda, & pauperibus eroganda.

Item statutum est in Concilio Provinciali, quod illa Constitutio, *Si diligenti*, a clericis inviolabiliter observetur.

Item divinum officium debent dicere sacerdotes cum magna devotione, non insurgendo, non incubando, nec verba syncopando. Item ad horas canonicas tenentur clerici beneficiati, & alii in sacris ordinibus constituti.

Item inhibemus districtius, ne * resignantes fiant in manu abbatum, aut quorumlibet patronorum, sed in manu nostra tantum. Item prohibemus ne committant ecclesias inconsultis nobis. Similiter cum quis recipit secundam ecclesiam sine dispensatione, ipso jure perdit primam, nisi secundam recipit commendatam.

* *Forte*, resignationes.

Item ecclesiis novus census imponi non potest, nec vetus augeri; & si hoc sciunt esse factum sacerdotes, hoc nobis nunciare procurent.

Item librum quemdam manualem habeant singuli presbyteri parochiales, ubi continetur ordo serviendi, cathechismi, extremæ unctionis, & hujusmodi: & alios libros, in quibus possit competenter divinum officium, tam diurnum, quam nocturnum, celebrari. Item cum membra capiti se debeant conformare, volumus, ut quilibet parochialis sacerdos Kalendarium & Ordinarium habeant Claromontensis ecclesiæ, ut in festivis diebus, & in officiis suis, & aliis quibus poterunt, usum majoris ecclesiæ studeant observare. Item injungimus, ut presbyteri parochiales hunc librum habeant, synodalem: & in eo frequenter & sollicite inspiciant, & studeant diligenter; ut super officiis suis more debito exsequendis notitiam habeant pleniorem.

Item injungimus singulis sacerdotibus ceterisque presbyteris, quod ipsi prohibeant ne fiant choreæ, maxime tribus locis: in ecclesiis, in cœmeteriis, & in processionibus.

Item præcipitur in statuto Concilii Provincialis omnibus sacerdotibus, ne auctoritate judicum citent, vel etiam subdelegatorum, vel excommunicent, nisi de mandato Apostolico & subdelegatione legitime fiat fides per ostensionem ipsorum.

Item juxta statutum Concilii Provincialis, cum cessiones & emptiones litium legitime prohibeant sanctiones, inhibitum est districte alias & maxime sacerdotibus, ne laicis dolo vel pretio sibi cedi faciant actiones: ut adversarios

ad

ANNO CHRISTI 1268.

ad ecclesiasticum forum trahant, & prædam ex hujusmodi commercio consequantur.

Item statutum est in Concilio Provinciali, quod sacerdotes caveant, ut in ecclesiis faciant residentiam personalem, nisi a superiore licentiam obtinuerint. Et tunc si ultra tempus legitimæ licentiæ absentes fuerint, ecclesiis poterunt privari, nisi ex justa causa post tempus licentiæ impedirentur. Sunt tamen quidam, qui licet vere non resideant, residere tamen intelliguntur; sicut ille qui extra ecclesiam suam illius utilitatem procurat: & ille qui servit episcopo extra ecclesiam, & qui servit Papæ. Item qui studet in Theologia; & hoc ultimum non durat nisi per quinque annos.

Item prohibitum est in Concilio Provinciali, ne sacerdotes recipiánt oblationes eorum, qui sunt raptores, vel usurarii manifesti; & illorum qui immunitatem ecclesiæ violarunt.

Item in statuto Concilii Provincialis prohibitum est, ne religiosi vel alii sæculares clerici, vel presbyteri, decimas ad alias ecclesias pertinentes recipiant, vel acquirant de manibus laicorum, sine diœcesani auctoritate.

Et inhibeant sacerdotes parochianis suis, ne cum Judæis in eisdem domibus habitent, vel cum eis commaneant; nec eos ad convivia sua recipiant; * medicinam; nec eisdem judiciis præposituras aut ballias committere præsumant.

* *Forte*, nec ab eis recipiant medicinam.

Et si quis in parochia fuerit furiosus, moneat sacerdos propinquos ipsius, ut eum ita custodiant, ne in seipso vel in aliis sævire valeat, seu attentet; alioqui ipsi qui custodire tenentur, per superiorem graviter punientur.

Item prohibeant sacerdotes parochianis suis, ne sint sortilegi vel divini. Item quod ad eos non concurrant. Nam si peccatum eorum est notorium, eis est eucharistia deneganda. Præterea non solum *illi* sortilegi, sed qui ad eos concurrunt, sunt infames. Nos vero omnes sortilegos & sortilegas excommunicamus.

II. *De sepulturis.*

De sepulturis vero sciant sacerdotes, quod cœmeteria non sunt vendenda. Item sciant, quod si aliqua ecclesia recepit corpus alterius parochiani in casu non concesso, reddere tenetur corpus, cum omnibus quæ occasione corporis obvenerunt. Item sciant, quod quilibet potest eligere sepulturam suam ubicumque voluerit, saltem in loco magis religioso; dum tamen parochiali ecclesiæ legitima portio, tertia vel quarta, vel alias secundum consuetudinem locorum.

Et scire debent sacerdotes, quod quidam sunt, quibus neganda est ecclesiastica sepultura; sicut hæretici, pagani, usurarii manifesti, & illi quos certum est in mortali peccato decessisse. Item & illi qui in torneamentis decedunt & pro torneamento venerunt. Item excommunicati & interdicti. Immo si excommunicatus vel interdictus fuerit in cœmeterio sepultus, exhumari debet, ne ossa ipsius adeo sint permixta ossibus non excommunicatorum, quod discerni non possint.

III. *De bonis ecclesiarum non alienandis & conservandis.*

De bonis ecclesiarum non alienandis & conservandis ista volumus observari. Volumus ut singuli sacerdotes omnes redditus ecclesiæ suæ scribant in Missalibus suis. Item de rebus ecclesiasticis nihil presbyteri alienent, nisi de licentia nostra. Item statuimus, quod ornamenta ecclesiæ non obligentur pignori, nisi propter necessitatem ecclesiæ, & cum consilio superioris. Item volumus ut immobilia de bonis ecclesiæ acquisita suis tantummodo relinquantur ecclesiis; de jure enim aliud facere non possunt. Volumus etiam ut utensilia & supellectilia per ecclesiam acquisita, vel ibidem inventa, presbyteris successoribus relinquantur.

Item nullus clericus vel laicus, seu religiosa persona recipiat decimam de manu laici, nisi per nos & in casu concesso. Item volumus, ut litteræ quas habent rectores ecclesiarum parochialium super acquisitione rerum ecclesiasticarum, inscribantur, & capellani penes se retineant transcripta, & litteras originales de consensu nostro deponant vel officialis, vel archidiaconi, vel archipresbyteri, in aliquo tuto loco; & hoc faciant infra annum.

Item inhibemus ne supellectilia sacerdotis, propria vel aliena, in ecclesiis admittantur; nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, ad ejus oporteat refugium abire: ita tamen quod necessitate cessante ad loca pristina reportentur.

Item nullus de novo in cœmeteriis ædificare permittatur: si domus aliqua in cœmeterio diruta fuerit per decem annos, sine licentia nostra nullatenus reparetur.

Item injungimus omnibus sacerdotibus parochialibus, quod omnes illos qui scienter celant feuda Claromontensis Ecclesiæ, & omnes illos qui sciunt super hoc aliquid, nisi illud revelaverint nobis Claromontensi episcopo, vel mandato nostro, auctoritate nostra excommunicetis quater in anno; videlicet in Nativitate Domini, in Pascha, in Pentecoste, & in festo Ecclesiæ.

Item statutum est in Concilio Provinciali, ne Priores non Conventuales ultra summam sexaginta solidorum mutuo accipiant, sine literis sui Abbatis. Et si hoc contra factum fuerit, Prior prioratum amittat: & ecclesia ad debitum nullatenus teneatur. Et hoc statutum volumus in ecclesiis publicari, ne decipi valeant contrahentes.

IV. *De testamentis.*

Injungimus sacerdotibus, ut testamentum suum, quod de mobilibus per vitam acquisitis, rationabile tamen, & de cæteris bonis patrimonialibus, & peculio castrensi, vel quasi castrensi, licet eis facere, numquam per manum faciant laicalem. Nam immobilia, quæ per ecclesiam sunt acquisita, & immobilia * quæ, nisi de ipsis rationabiliter fecerint testamentum, ecclesiis dimittere tenentur. Item utensilia, quæ prius invenerint presbyteri in ecclesia vel capella, relinquuntur tanquam ecclesiæ propria successori. Et si nulla vel pauca invenerint, de his quæ per eos undecumque venerint vel fuerint acquisita, consulimus quod relinquantur ad sufficientiam ipsi ecclesiæ tam de minimis quam de magnis.

* *Forte*, quæque.

Item ne decedentium voluntates valeant occultari, statutum est in Concilio Provinciali, ut infra mensem a tempore obitus testatoris, ad diœcesanum, vel ejus officialem, testamentum deferatur, si scriptum fuerit: vel si scriptum

ANNO CHRISTI 1268.

ptum non fuerit, probetur dispositio testatoris, & in formam publicam redigatur.

Item in statuto Concilii Provincialis prohibitum est executoribus testamentorum, sub interminatione divini judicii, ne quis de bonis decedentium in proprios usus convertere vel detinere præsumat. Et si executores aliqui id quod sibi deberi asserunt, auctoritate propria duxerint usurpandum, illud restituere compellantur; ac tandem * si qua sibi super eodem debito competat, sua temeritate privati, nisi restituerint, ex quo super hoc moniti fuerint competenter. Item executores titulo emptionis vel alio modo nihil de bonis recipiant testatoris; nisi ab ipso testatore legatum expresse fuerit vel concessum; & etiam auctoritate judicis non poterunt retinere. Si quis autem contra præsumpserit attentare, pretium amittat, nec causa retineat emptionis. Si ex alia causa, judicis arbitrio puniatur. Item postquam a superiore publicata fuerit ultima dispositio testatoris, transcriptum dispositionis sigillo authentico sigillatum, infra octo dies, postquam id qui petierit publicari habuerit, mittat capellano suo, cui parochianus erat testator. Et infra sequentem mensem duobus diebus Dominicis, parochianis circumstantibus, dispositio publicetur.

* Forte, quid.

Item statutum, ut transcriptum publicationis intimetur dispositionis defuncti seu testatoris; quandoque minor Curia Claromontensis fieri contigerit, in registro ponatur, antequam sigillata reddatur: ut capellani parochiales, habita etiam inde notitia, in suis ecclesiis valeant publicare: ne legata ad pias causas valeant occultari. Eodem modo statuimus de inventariis, ut in registro ponantur, antequam sigillata reddantur; ne substantia minorum pupillorum, adultorumve, valeant fraudulenter seu indebite deperire. Et sciendum est, quod testamentorum defensio ad episcopum pertinet, quamvis in testamento de hoc nihil dicatur. Item sciendum, quod non videtur decedere intestatus, qui monasterium instituit hæredem.

V. *De* * *excommunicationibus mandatorum.*

* e, *excommunicationibus*.

Volumus quod in locis ubi sunt ecclesiæ parochiales insimul & Capitula, quod in capella nullatenus publice celebretur diebus Dominicis & solemnitatibus festivis, quousque parochialis sacerdos præcepta denunciaverit, ut est moris. Item injungimus omnibus rectoribus ecclesiarum, & eorum vicariis, ut sigilla propria habeant ad opus ecclesiæ, & ad exsequenda mandata nostra & curiæ nostræ.

Item sacerdotes, qui in citationibus, excommunicationibus, monitionibus, mandata nostra non exsequuntur fideliter, nec sigilla ponunt in litteris, quamque propter favorem, quamque propter odium, quamque etiam per negligentiam, puniri volumus, ut damna & expensas restituant, vel aliter sicut inobedientes puniantur: nec per vicariorum suorum aut clericorum imperitiam vel negligentiam se valeant excusare: cum parva electus sit in culpa, & imputandum sit illis, qui minus peritos vel negligentes ad hujusmodi officia elegerint.

Item prohibemus omnibus & singulis archipresbyteris, capellanis parochialibus, & eorum vicariis, sub pœna suspensionis, ne pro sigillandis litteris Ecclesiæ nostræ Claromontensis ad eos directis aut dirigendis, nec pro mandatis ejusdem Curiæ exsequendis, aliquid exigant vel exigi faciant, dummodo nuncius deferens litteras ceram habeat, unde valeat sigillari: nisi ratione distantiæ loci ubi deberet exsequi mandatum, oporteret eos adducere nuncium pro mandato hujusmodi exsequendo: aut nisi pro evidenti & manifesta occupatione capellani & clerici sui oporteret adducere nuncium ad mandatum hujusmodi exsequendum.

ANNO CHRISTI 1268.

VI. *De excommunicatis.*

Volumus, & statutum est in Concilio Provinciali, ut pro violentia facta nullatenus a divinis cessetur, nec interdictum in terra alicujus ponatur, nisi prius animadversum fuerit in personam domini vel ballivi sui, si dominus absens fuerit; nisi pro violentia, pro qua judex id decreverit faciendum, & in casibus in quibus cessari antiquitus consuevit; & tunc ille qui violentiam intulit, antequam absolvatur, compellatur a sacerdotibus ecclesiarum satisfacere de damnis eisdem illatis, pro eo quod cessatum est a divinis.

Item juxta statutum Concilii Provincialis, quia excommunicati quandoque absolutiones suas retinent, vel postquam satisfecerint adversariis, impetrare contemnunt; volumus ut ipsi excommunicati in ecclesiis denuncientur, ut prius; quousque litteræ ad sacerdotes eorum super absolutione dirigantur.

Item quoniam in Claromontensi diœcesi vilipenditur excommunicationis sententia; adeo quod nonnulli, & quod pejus est, clerici, quandoque per mensem, quandoque per annum & amplius, sustinere excommunicationis sententiam non verentur: juxta statutum Concilii Provincialis injungimus sacerdotibus, ut in ecclesiis publice denuncient, ne quis excommunicationis sententiam audeat sustinere: alioquin juxta qualitatem personæ, & temporis quo excommunicationis sententiam sustinuerint, emenda levabitur consueta. Et si quis diutius in petenda absolutione sua negligens fuerit, nullatenus parcetur eidem de emenda novem librarum Parisiensium, prout antiquitus est observatum; & etiam, ut prædiximus, in Provinciali Concilio est statutum: item contra illos, qui per annum vel amplius excommunicationis sententiam sustinuerit; aliter secundum statutum Provincialis Concilii procedetur: quorum nomina nobis vel Officiali nostro volumus nunciari, & specialiter clericorum; ut contra ipsos, prout alias statutum est, super privatione beneficii procedatur.

Item statutum est in Concilio Provinciali, ut clerici, qui per annum in excommunicatione publica perstiterunt scienter, si negligentes in impetranda absolutione fuerint, omni beneficio jam adepto ipso jure sunt privati, nisi canonice se potuerint excusare.

Item juxta statutum Concilii Provincialis, injungimus omnibus sacerdotibus, ut parochianos suos moneant diligenter, ut ab excommunicatorum participatione desistant; alioquin si post monitionem competentem viderint aliquem parochianum suum participantem cum excommunicatis, in mensa, vel domo, vel in commerciis; eidem participanti auctoritate nostra ingressum ecclesiæ interdicant; nisi sint uxores, vel filii, vel filiæ, vel aliæ personæ, quæ a jure specialiter excusantur: nec poterit

nisi

ANNO CHRISTI 1268.

nisi per nos vel per Officialem nostrum interdicti sententia relaxari. Officialis autem noster post competentem monitionem excommunicet participantes, cum requisitus fuerit, vel videbitur expedire. Et quoniam intelleximus, quod hujusmodi contemptus ecclesiasticæ disciplinæ partim invaluit propter favorem & negligentiam sacerdotum, qui tales excommunicatos non denunciant, ut debent; nec contra participantes cum eis volunt procedere, sicut superius est expressum; immo ab excommunicatis oblationes accipiunt, & aliter cum eis participant; & quod horrendum est dicere, eis tertio excommunicatis ministrare sacramenta ecclesiastica non verentur; idcirco volentes huic morbo quantum possumus obviare, præcipimus, ut si quis sacerdotum culpabilis inventus fuerit in præmissis, & illi pro quo illata fuerit sententia audeat interesse, condemnetur: & tanquam inobediens & perjurus, cum in institutione sua juraverit obedire superioribus suis, ab officio & beneficio suo suspendatur, vel privetur beneficio, prout inobedientia meruerit aut offensa.

Contra autem illos, qui per annum & amplius sustinuerit excommunicationis sententiam, volumus juxta statutum Provinciale hoc modo procedi; quod singuli qui sustinuerint publicam sententiam excommunicationis per annum & amplius, moneantur diligenter, ut infra duos menses a tempore monitionis, faciant se absolvi: denunciando eis, quod si non fecerint, nullo modo parcetur eis de emenda novem librarum Parisiensium, quin integre levetur: de qua monitione, denunciatione, & die, fiant litteræ illorum, per quos monebuntur, continentes nomina testium coram quibus facta fuit, & quamdiu sustinuerint excommunicationem. Et elapsis duobus mensibus prædictis, dictæ litteræ mittantur ad nos vel Officialem nostrum; qui procedemus contra eos hoc modo. Monebimus, & per censuram ecclesiasticam compellemus, si opus fuerit, sæcularem potestatem, ut dictos excommunicatos sua potestate compellant redire ad ecclesiæ unitatem, mittendo manum in personas & bona. Item monitione præmissa generali & speciali, excommunicabimus participantes cum eis. Item citabimus dictos excommunicatos ad primam synodum, tanquam suspectos de fide, responsuros. Et si venerint, procedemus contra eos prout nobis videbitur. Si autem non venerint, excommunicabuntur tanquam suspecti de fide. Nihilominus citabuntur ad synodum sequentem pro meritis recepturi, nisi interim faciant se absolvi: & nunc contra eos juxta statuta canonum procedemus. De his autem qui minus anno sustinent excommunicationem, juxta qualitatem personarum, & temporis quo sustinuerint, emenda servabitur juxta consuetudinem & usum nostræ diœcesis.

Item quoniam plures excommunicati communioni hominum irreverenter se ingerunt; & nonnulli etiam clerici excommunicatis participare non formidant, in suarum periculum animarum; ne aliquis per ignorantiam se valeat excusare super hoc, statutum est in Concilio Provinciali, ut singuli ecclesiarum rectores, vel eorum locum tenentes, habeant rotulos vel quaternos, in quibus scribant excommunicatos suæ parochiæ, & quorum auctoritate, & ad quorum instantiam, & quo tempore sunt excommunicati; & eos excommunicatos nominatim denuncient publice, diebus Dominicis & festivis, donec de absolutione eorum constiterit evidenter: & fuerit compositum inter partes.

ANNO CHRISTI 1268.

Item noverint sacerdotes, quod cum generale interdictum positum fuerit, tamen possunt pueri baptizari, & homines ad pœnitentiam admitti, & viaticum ministrari.

Item clerici, qui servaverint interdictum, si decesserint, possunt in cœmeterio sepeliri, sine campanarum pulsatione, & aliis solemnitatibus. Item in conventualibus ecclesiis possunt bini, & bini horas canonicas dicere januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, submissa voce, ita ut exterius exaudiri non possint.

Item præcipimus sacerdotibus, ut si manifestum est, aliquem manus temerarias in clericum vel in religiosam personam injeciisse, nullatenus ad divina recipiatur, quamvis nondum sit denunciatus excommunicatus. Item si quis publice ecclesiam excommunicatus intraverit, publice moneatur quod exeat: & si exire noluerit, officium dimittatur, nisi forte Canon Missæ esset incœptus: & tunc Canon Missæ perficiatur, & residuum dimittatur, & turbatio divini officii superiori denuncietur.

Item excommunicamus omnes illos, qui post solutionem debitorum sibi factam, scienter retinuerint litteras super hujusmodi debito confectas, nisi ex dispositione vel ordinatione Ordinarii eas retinuerint ex justa causa. Et hanc sententiam volumus per parochiales presbyteros singulis diebus Dominicis publice nunciari.

Item excommunicamus omnes usurarios manifestos, & concubinarios publicos: volentes ut hujusmodi sententiam excommunicationis singuli sacerdotes parochiales semel in quolibet mense publicent, vel faciant publicari, eosque publice denuncient excommunicatos, vel faciant nunciari.

VII. *De absolutionibus.*

De absolutionibus ista statuimus observari Devote & cum maturitate est absolutio impertienda. Archipresbyteri igitur & presbyteri, quibus hæc mandatur, caveant quod in primis emendam recipiant secundum formam mandati, plegios de emenda petentes, & eorum nomina petentes penes se scripta retineant: providentes, ne defectu plegiorum, vel impotentia, de suo supplere cogantur.

Item cum aliquis est excommunicatus ab ecclesia, tunc præstito juramento, quod nunquam peccabit de causa illa propter quam fuerat excommunicatus, solemniter absolvatur, verberatus cum psalmo pœnitentiali, *Miserere mei Deus*, &c. In fine dicatur, *Kyrie eleison*, &c. *Pater noster. Et ne nos inducas. Salvum fac servum tuum. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus. Præsta, quæsumus Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum; ut ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviavit peccando, admissorum reddatur innoxius veniam consequendo. Per Dominum nostrum* &c. *Et ego auctoritate Dei Patris omnipotentis, & beatæ Mariæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium sanctorum, & domini Episcopi, vel Officialis, te absolvo ab ista excommunicatione de qua satisfecisti. In nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen.*

Item

ANNO CHRISTI 1268.

Item sciendum est, quod excommunicatus a domino Papa, a quolibet alio sacerdote de jure absolvi potest in articulo mortis, satisfactione præmissa, si pro offensa erat excommunicatus: si tamen de hoc habeat facultatem: recepto ab eo juramento, quod quam cito opportunitatem habebit, excommunicatoris sui personam * adhibebit, mandato pariturus ipsius. Item si infirmus offensam emendare non potuerit, vel solvere judicatum, nihilominus est absolvendus; & inducendus est hæres ut satisfaciat, & per judicem compellendus.

* Forte, adhibuit.

Item statutum est in Concilio Provinciali, ut circa principium Quadragesimæ, & post, moneant frequenter sacerdotes parochianos suos excommunicatos, ut ante Ramos Palmarum faciant se absolvi; scientes quod nullus ex magna causa citabitur ad jure audiendam absolutionem adversarii ad aliquem diem septimanæ illius, quæ est post Ramos Palmarum: maxime quia tunc in causis procedere non possunt, nisi in casibus exceptis.

VIII. *De Officio archipresbyterorum.*

Statuimus, ut archipresbyteri quamlibet sibi subjectam ecclesiam visitent annuatim personaliter. Et si procurationem omittere voluerint, nullatenus tamen visitationem omittant. Item inquirant summarie de omnibus notoriis: & si quid est quod scandalum generet ibidem in populo, sive clero, & quod per se non poterunt corrigere; nobis vel Officiali nostro referant infra mensem: ut secundum relationem eorum ad plenam inquisitionem descendamus, & corrigamus, sicut nobis videbitur expedire.

Item quærant, utrum ecclesiis vel prioratibus impositæ fuerint novæ impensiones ab abbate, vel ab alio aliquo, absque consensu nostro. Et si invenerint, nobis renuncient fideliter absque mora.

Item præcipimus, quod archipresbyteri, quando procurationes recipiunt, duorum equorum numerum non excedant, prout in Lateranensi & in Provinciali Concilio est statutum. Et si excesserint, procuratio denegetur.

Item prohibemus omnibus & singulis archipresbyteris, & eorum locum tenentibus, sub pena excommunicationis, quam in eos, & quemlibet eorum ferimus in his scriptis, si contra fecerint; ne de causis cognoscant, nec causas audiant, nisi de mandato speciali, vel Officialis nostri.

Item prohibemus omnibus & singulis archipresbyteris & capellanis parochialibus, & eorum vicariis, sub pœna suspensionis, ne auctoritate propria sententias interdicti, excommunicationis, aut suspensionis proferant in aliquos subditos seu parochianos suos, nisi de speciali mandato nostro, aut Officialis nostri: aut nisi auctoritate Provinciali statuti, vel Synodalis.

Item prohibemus omnibus & singulis capellanis parochialibus, & eorum vicariis, sub pœna suspensionis, quam in eos in his scriptis ferimus, si contra fecerint; ne ad mandatum archipresbyterorum, vel eorum locum tenentium, citent aliquos in causis coram eisdem archipresbyteris, vel eorum locum tenentibus; ne mandata eorumdem, vel alicujus eorum, super his, quæ ad causas pertinent, exsequantur.

IX. *De impedientibus jurisdictionem ecclesiasticam.*

Quia nonnulli sæculares, quam per viles personas, quam per extraneas, capi faciunt personas ecclesiasticæ jurisdictioni subjectas, vel eorum bona, vel hominum suorum, maxime cum audent in foro ecclesiastico litigare; & sic caute faciendo, ne videantur fecisse. Unde contingit, quod propter capientium paupertatem, vel conveniendi difficultatem, non possunt violentiam passi consequi justitiam de præmissis. Idcirco nos volentes remedium quod possumus adhibere, juxta statutum Provincialis Concilii volumus, ut & ipsis potestatibus, si de hoc suspecti diffamati fuerint... vel... contra ipsos præsumptio habeatur, eisdem purgatio indicatur. Quam si subire noluerint, vel se purgare non possunt, pro conscriis habeantur: & juramento passorum damna cum judicis taxatione credatur.

Item quia personæ ecclesiasticæ sæpius ad sæcularia judicia trahunt & trahuntur in casibus non concessis; idcirco juxta statutum Provincialis Concilii volumus, ut Constitutio illa, *Quam sit grave*, publicetur, & etiam observetur. In qua constitutione inter cetera continetur, quod si clerici contra clericos in judicio sæculari litigaverint, denunciandi sunt, & ab Ordinario excommunicati, nisi sint exempti; nec possunt sine mandato summi Pontificis absolvi. Quod tamen intelligitur, non reali actione, utpote si de sæculari feudo ageretur. In aliis enim clericus etiam voluntarius foro suo non potest renunciare.

Item quia sæpe personas ecclesiasticas & sæculares monere contingit auctoritate judicum ecclesiasticorum, ut vel personas ecclesiasticas, quas cepisse vel detinere dicuntur, reddant & liberent, aut recredant; quia sæpissime negant malitiose se res illas cepisse vel detinere: eorum quotidianis fraudibus occurrere cupientes; deliberatione provida statuit Provinciale Concilium, ut monitus quicumque teneatur jurare se rem illam vel personam per se vel per alium non cepisse, nec .... retinere, nec etiam vel malitia desiisse habere, nec deliberandi, nec restituendi potestatem habere. Qui juramentum hujusmodi præstare noluerit, monitus excommunicationis vinculo innodetur. Item de pasturis, quæ requiruntur occasione captionis rerum vel personarum ecclesiasticarum, sic statutum est in Provinciali Concilio, quod excommunicetur capiens & detinens, quousque integre & libere reddat vel recredat personam & rem captam illicite vel detentam: quod arbitrio judicis est relictum.

X. *De exemptis.*

Quoniam Sedes Apostolica Templariis & Hospitalariis, & aliis quibusdam personis, inter cetera privilegia concessit, quod non possent coram Ordinariis conveniri; & quod ab eis interdici, suspendi, & excommunicari non possent: propter quod a pluribus sumebatur audacia delinquendi, cum in ipsos judicialis potestas non possit libere exerceri. Idcirco dominus Papa, volens super hoc congruum remedium adhibere, dicta privilegia declaravit; ut tales quantacumque gauderent libertate, tamen ratione delicti, sive contractus, aut rei de-

ANNO CHRISTI 1268.

de qua contra ipsos agitur, possint etiam coram locorum Ordinariis conveniri, & item Ordinarii in ipsos suam jurisdictionem exercere, sicut in nova constitutione, quæ incipit, *Volentes*; & in alia, quæ incipit, *Non in illis*, continetur expresse. Hoc autem significare voluimus*, ut cum * ipsis privilegiatis oppressi fueritis super præmissis, ad Ordinarios recurratis, tali privilegio non obstante.

* *Forte*, ab ipsis.

Item contingit aliquoties aliquos exemptos coram Ordinariis conveniri in casibus a jure concessis, utpote ratione contractus, rei, vel delicti, de quibus agitur contra ipsos; & si propter præmissa excommunicati fuerint, ipsi contemnunt sententias, & ingerunt se divinis, irregularitatem incurrentes: a qua irregularitate non faciunt se absolvi. Unde nos eorum saluti providere volentes, præcipimus, ut quicumque supradictos exemptos talem irregularitatem noverit incurrisse, nobis vel Officiali nostro providenter hoc denunciet; & insuper qualiter irregularitas probari poterit contra eos, ut eisdem excommunicatis & irregularibus pœna debita infligatur.

Nos igitur Frater Guido, de Ordine Fratrum Prædicatorum, miseratione divina Arvernorum episcopus, notum facimus universis in nostra diœcesi constitutis, quod nos propter communem utilitatem omnium nobis subditorum, de consilio discretorum virorum, cum magno studio ac diligentia hunc librum synodalem fecimus compilari, & eum in testimonium veritatis sigillo nostro fecimus roborari. Sed quia, prout intelleximus, sacerdotes aliqui præcepta synodalia non conservant, immo (quod pejus est) eadem habere contemnunt; districte præcipimus, ut quilibet sacerdos parochialis habeat, prout hic sunt ordinata, sub sigillo nostræ Curiæ Claromontis sigillata, & per manum Juratorum Curiæ ad hoc deputatorum correcta; ne eos aliquid addere vel diminuere liceat absque nostra licentia speciali; ut cuicumque eadem legere præcipimus, ea sciat legere incunctanter: ne circa eorum observantiam negligens videatur. Injungimus omnibus & singulis archipresbyteris nostris in virtute obedientiæ, ut in convocationibus seu synodis suis capellanos parochiales sibi subditos diligenter examinent, an hujusmodi præcepta synodalia legere sciant, ac intelligant prout decet. Si quis autem aliqua inserat, radat, addat, vel diminuat, sciat se graviter puniendum, & tanquam falsarium condemnandum. Datum & correctum per manum magistri Adæ scriptoris nostri, anno Domini MCCLXVIII. mense Octobris.

ANNO CHRISTI 1268.

CONCILIUM LONDINENSE,

Ab Othobono card. sedis apostol. legato celebratum

Anno Domini MCCLXVIII. IX. Kalend. Maji.

Ex MS. edidit collector Anglicanus: sed male ad annum MCCXLVIII. ut ostendetur in notis.

Tituli Capitulorum.

1. *De baptismo.*
2. *Ne pro sacramentis ecclesiasticis aliquid exigatur: & quod forma in confessione servetur.*
3. *De consecratione ecclesiarum.*
4. *De clericis arma portantibus.*
5. *De habitu clericorum.*
6. *Ne clerici sint advocati in causis sæcularibus: neque judices, neque assessores, in causa sanguinis.*
7. *Ne clerici jurisdictionem sæcularium exerceant.*
8. *De concubinariis.*
9. *De vicariorum residentia, & institutione.*
10. *De intrusis.*
11. *Quibus notis de vacatione constet.*
12. *Ne una ecclesia dividatur in plures.*
13. *De abstrahentibus confugientes ad ecclesiam vel cœmeteria, seu res ibidem depositas. Et de auferentibus aliquid præter voluntatem dominorum ecclesiasticorum de domibus, maneriis, seu grangiis.*
14. *Ne quis impediat matrimonia solemnizari in facie ecclesiæ.*
15. *De executione testamentorum.*
16. *Ne prælati fructus ecclesiarum vacantium percipiant, vel suos faciant.*
17. *De oblationibus capellarum matrici ecclesiæ restituendis.*
18. *De domibus ecclesiarum reficiendis.*
19. *De procurationibus, quæ ratione visitationis debentur, non recipiendis ab archidiaconis, vel aliis inferioribus prælatis, nisi cum visitant.*
20. *Ne pecunia recipiatur a subditis pro delicto notorio.*
21. *De firmis.*
22. *De residentia archiepiscoporum & episcoporum.*
23. *De appropriationibus ecclesiarum non faciendis.*
24. *De bonis intestatorum.*
25. *De delegatione causarum.*
26. *De forma citationis.*
27. *De juramento advocatorum.*
28. *Ne judex pacem vel concordiam litigantium impediat.*
29. *De publicanda absolutione.*
30. *De institutionibus & collationibus.*
31. *De commendis ecclesiarum.*
32. *De confirmatione episcoporum.*
33. *De iis qui tempore electionis dimittunt beneficia, & postea ea recipiunt, si eos eligi non contingat.*
34. *De iis qui pactiones faciunt cum iis, quos præsentant.*
35. *Quod negotiationes non fiant in ecclesiis.*
36. *Quod fiat processio pro pace regni & terræ sanctæ.*
37. *De legendis constitutionibus singulis annis.*
38. *De monachis, & canonicis regularibus, & monialibus.*
39. *De processione facienda.*
40. *Quod constitutiones summorum pontificum legantur.*
41. *De proprietariis monachis seu aliis religiosis*

42. *Quod*

ANNO CHRISTI 1268.

42. *Quod non detur pecunia pro vestibus & ceteris necessariis.*
43. *Quod soli non stent in ecclesiis & maneriis.*
44. *Quod non dentur maneria ad firmam monachis.*
45. *De esu carnium.*
46. *Ne aliqui religiosi utantur in refectorio aut in dormitorio pretiosioribus aliis.*
47. *Quod semper in refectorio duæ partes remaneant.*
48. *De infirmis.*
49. *Quod nulli religiosi vendant vel assignent aliquas liberationes.*
50. *Quod servetur antiquus monachorum numerus.*
51. *De ratione administrationis reddenda.*
52. *Quod religiosi non emant vel vendant.*
53. *Quod moniales ad certa loca non exeant.*
54. *Quod monachi frequenter confiteantur, & frequenter celebrent.*

PRÆFATIO.

OThobonus miseratione Divina S. Hadriani diaconus cardinalis, apostolicæ sedis legatus, ad perpetuam rei memoriam. Mandata Dei, & lex altissimi data sunt a diebus antiquis, ut creatura, quæ fregerat jugum, recedens a pace Dei sui, venturum pacificum regem reconciliatorem medium, & instaurantem omnia pontificem, manens sub observantia legis & mandati, tanquam lucernæ & lucis data spe, quasi umbraculum, in patrum promissionibus expectaret. Hæc autem est dignitas adoptivorum sponsæ, & gloria filiorum S. matris ecclesiæ, ut audiant ex ea mandata vitæ, custodientes cor suum in illis in pacis pulcritudine, pudicitiæ claritate, ac regimine modestiæ, appetitum noxium rationis judicio subjugantes.

Ad cujus rei commodam executionem, sanctorum patrum decreta, per ora ipsorum divinitus promulgata, justitiæ regulas, & æquitatis dogmata complectentia, quasi lata flumina prodierunt, & tam summorum pontificum, quam ipsius sedis apostolicæ legatorum, aliorumque prælatorum ecclesiæ sanctæ, toto orbe diffusæ constitutiones sacræ, tanquam rivuli de fluminum latitudine, pro diversorum temporum necessitate, sunt productæ; ut novis morbis fragilitate humana generatis, nova remedia provenirent. Sed effrænis illa cupiditas, quæ in primis generis humani parentibus radices misit, ita virus suum in posteros seminavit, ita per illicitos motus discurrit, ut comminuta virga virtutis, & directionis, ad aliena irreverenti fronte prosiliat, & quasi ebria se dimittat. Quo fit, ut corruptæ mentis aviditas, nec abstinere se noverit a vetitis, nec gaudere permissis, neque ad bona consensum adhibeat pietatis. Sane si antiqua & remota pestis hujusmodi exterminia dolenda suscipimus: amarius flendum, modernum vulnus incumbens, quod non modo auribus, sed etiam oculis & manibus se palam exhibet, æstimamus; eo quod temporis hujusmodi dies mali, quantum a primis longævitate discedunt, dum juris semita derelicta, divertitur in obliquum; cedit potentiæ veritas, justitiam favor expellit: & dum omnes, quæ sibi sua videntur, exposcunt; quæ Christi sunt, quæ animarum profectibus consulunt, quæ ecclesiarum decus erigunt, non solum negligentiæ nebulis, sed etiam despectus & ignorantiæ latebris tenebrosis abscondunt.

ANNO CHRISTI 1256.

Nos igitur ad regnum Angliæ inclytum, quod diebus proximis a gloriæ suæ culmine, in extensione utriusque potestatis exciderat; necnon ad regnum Scotiæ, Hiberniæ, & Walliæ partes, de gremio sanctæ matris ecclesiæ, commisso nobis in ipsis pleno legationis officio destinati, plantandi, & evellendi, atque ædificandi solicitudine, de manu sanctissimi patris domini Clementis, ipsius sanctæ universalis ecclesiæ summi pontificis, non ex affectu propriæ voluntatis, sed pro debitæ obedientiæ bono susceptа: ut nostrum, juxta doctrinam Apostoli, ministerium impleamus, cum sacrorum canonum statuta, quorum imitationem principum quoque sæcularium leges assumunt, constitutiones quoque, bonæ memoriæ, Othonis Portuensis episcopi, tituli S. Nicolai in carcere Tulliano diaconi cardinalis, in regnis Angliæ apostolicæ sedis legati; nec non provincialium conciliorum provisiones, mores, & actus fidelium subditorum salubriter informantes; horum aliqua siquidem a paucis, aliqua vero a nullis invenimus observari: dignum duximus, præsenti sacro approbante concilio, ad omnem sanctam, & Deo placitam observationem certas constitutiones facere, atque jam promulgatis, certa quædam capitula necnon pœnas adjicere, quæ, authore Deo, valeant profectum inducere salutarem.

CAPITULA.

I. De baptismo.

INgredientibus hoc mare magnum, mundum videlicet naufragiis plenum, prima tabula nos ad portum salutis adducens, baptismus esse dinoscitur: quem omnium sacramentorum esse januam Salvator noster instituit, & eum sequentium patrum sanctorum testatur authoritas. Cum igitur circa ingressum januæ error maxime periculosus existat: prædictus legatus, quosdam de idololatria execrabili revocans, qui temporibus deputatis ad baptismum solemniter celebrandum, sabbato scilicet ante Resurrectionem Domini, & sabbato ante Pentecosten, suspicabantur periculum, si diebus hujusmodi pueri baptizarentur: statuit, ut a tanto errore populus averteretur prædicatione frequenti, & inducerentur ad solemnizandum in præfatis diebus baptismum, & ad suos pueros baptizandum.

Cum autem nemo prorsus debeat absque hujusmodi sacramenti perceptione dimitti, potest a quocumque, necessitatis casu occurrente, conferri: & collatum in forma ecclesiæ proficit ad salutem. Quia vero multorum simplicitas in baptismi collatione deficeret, cum necessitatis articulus immineret, nisi a ministris Christianæ fidei docerentur: a prædicto legato invenimus

ANNO CHRISTI 1268.

provide constitutum, ut parochiales presbyteri formam baptismi firmiter addiscentes, eum parochianis suis frequenter exponant diebus Dominicis in vulgari: ut si articulus necessitatis emergat, in quo oporteat per ipsos aliquem baptizari, eam sciant & valeant observare. Nos igitur, quod in hujusmodi statuto de presbyteris parochialibus est expressum, ad perpetuos ecclesiarum vicarios extendimus, & ab ipsis præcipimus observari. Et quia præter certum salutis periculum non potest hoc negligi vel omitti, adjiciendo statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus: ut quilibet archidiaconus, per suum archidiaconatum, circa presbyteros & vicarios ipsos inquisitionem faciat diligentem, eos, quos hoc salubre statutum invenerit non servare, graviter, prout rei qualitas exegerit, puniendo.

II. Ne pro sacramentis ecclesiasticis aliquid exigatur, & quod forma in confessione servetur.

Quoniam cœca cupiditas ita ruit in prælatos, ut operum terrenorum quæstu minime contenta, pro sacris etiam & Divinis, quæ æstimationem non capiunt, pretium profana venalitate suscipiant: præfatus legatus circa hoc statuit & præcepit, oleum sanctificatum & chrisma a ministris ecclesiæ pure atque devote, qualibet exclusa cupiditatis labe, conferri, nulla difficultate in eis exhibendis adhibita, prætextu alicujus consuetudinis, qua dicitur, ab eisdem qui ea recipiunt, aliqua quibuslibet persolvenda. Nos igitur constitutioni hujusmodi dicti legati adjiciendo, statuimus, ut super iis, tam episcopi, quam archidiaconi, per loca suæ jurisdictionis, contra recipientes, inquisitionem faciant diligentem: & quos tales invenerint, tanquam simoniacos puniant, secundum canonicas sanctiones. Qui si hoc implere neglexerint: episcopus a pontificalibus, archidiaconus ab officio, quousque rem congrue emendaverint, sint suspensi. Quæ omnia circa illos, qui antequam ad pœnitentiam confitentes admittant, quicquam ab eis exigunt vel extorquent, & qui alia quælibet sacramenta interventu pecuniæ conferunt, districte præcipimus observari. Omnes autem, qui confessiones audiunt aliquorum, a peccatis expresse confitentes absolvant, verba subscripta specialiter exprimentes: *Ego te absolvo a peccatis tuis, &c. authoritate qua funger te absolvo.* Et quoniam confitentes, in ipso confessionis actu signa contritionis & humiliationis debent ostendere: præcipimus, ut omnes, qui confessiones audiunt, confitentes inducant, ut cum reverentia sacerdoti & humilitate confiteantur peccata. Adhæc, quia major est animæ cædes, quam corporis, cum illa perpetua sit, hæc autem brevis temporis angustatione depereat: nemo confessionis remedium deneget postulanti. Quod a custodibus carcerum aliquando circa captivos fieri miserabiliter audientes: statuimus, ut si quis de cetero in hoc casu vel alio gratiam confessionis inhibuerit carcerato, vel alii, in pœnam immanis sceleris, cum ipse ad mortem pervenerit, nisi ad mandatum sui episcopi vel prælati in vita satisfecerit, careat ecclesiastica sepultura.

ANNO CHRISTI 1268.

III. De consecratione ecclesiarum,

Domus Dei, materiali subjecto non differens a privatis, per ministerium dedicationis invisibile, fit templum Domini, ad expiationem delictorum, & Divinam misericordiam implorandam; & ut in ea sit mensa, in qua panis vivus, qui de cælo descendit, pro vivorum & mortuorum suffragiis manducatur. Ne igitur tam salubre ministerium contemni vel negligi videretur, a dicto legato invenimus provide constitutum: ut omnes cathedrales & conventuales ecclesiæ, a tempore perfectionis ipsarum, infra biennium, per diœcesanos ad quos pertinent, vel eorum authoritate per alios, munus consecrationis acciperent. Quod si loca hujusmodi a perfectionis tempore infra biennium minime fuerint dedicata: idem legatus eadem usque ad consecrationem, a Missarum solemniis manere statuit interdicta: districte inhibens, ne abbates aut ecclesiarum rectores, antiquas ecclesias constructas, sub prætextu amplioris vel pulcrioris fabricæ faciendæ, diruere præsumant, absque diœcesani episcopi licentia & consensu: qui diligenter consideret, utrum expediat dari licentiam in hujusmodi, vel negari.

Nos ergo hujusmodi salubre statutum negligi aut contemni a plurimis cognoscentes, adjiciendo statuimus: ut iis qui ecclesiæ nondum consecratæ rector seu gubernator existit, sive ipsius vicarius, infra annum post ecclesiæ constructionem, episcopum suum, si commode possit, super ipsius ecclesiæ consecratione requirat; alioquin, archidiaconum suum, ut per ipsum infra dictum tempus

ANNO CHRISTI 1268.

pus super hoc episcopus requiratur. Quod si rector seu gubernator, sive vicarius, aut archidiaconus, ab hujusmodi requisitione destiterint: ipsos ex tunc, donec ea fecerint, ab officio decernimus manere suspensos. Episcopus vero, qui ab eis taliter requisitus, ecclesiam detrectaverit per se, vel per alium consecrare, nisi consecrandarum ecclesiarum in sua diœcesi multitudo, tempus in aliquibus differat consecrandi, aut aliud legitimum impedimentum excuset: extunc a dalmaticæ, tunicæ & sandalium usu, donec eam duxerit consecrandam, noverit se suspensum: quæ in ipso consecrationis actu illico reassumet. Gratis autem & sine omni penitus exactione, excepta debita procuratione, studeat episcopus ministerium consecrationis præbere, ne ultione Divina cum Simone & Giezi percellatur.

IV. De clericis arma portantibus.

Quoniam in armis virtutum, consistit securitas innocentiæ Christianæ docet Apostolus, ut induamur armaturam Dei, & gladio spiritus accingamur, eo quod non sit nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes tenebrarum, qui non armis ferreis, sed orationibus & lacrymis, & virtutum operibus expugnantur. Cum igitur clericis, qui * præclaram Christi hæreditatem assumpti sunt, usus armorum, Divini & humani juris auctoritate sit omnino prohibitus, ita ut eis etiam pro justitia ad defensionem aut vindictam nullatenus sit permissus: nos ecclesiastici honoris zelo succensi, eorum abominamur enormes excessus, qui Divini nominis & suæ honestatis obliti, arma deferre præsumunt, & se se furibus, prædonibus, ac aliis malefactoribus associantes, ut furta, prædas, & rapinas percipiant, non solum in privatorum hominum bonis, sed ecclesiarum, & aliis quacunque occasione repositis in eisdem, vel claustris, vel cœmeteriis earumdem, talia nefaria committentes.

In his ergo tam horrendis sceleribus clericos debacchantes, pia salutis provisione persequimur: statuentes, ut quicumque in clericali ordine constitutus, arma detulerit, vel aliter deliquerit in præmissis, ipso facto vinculum excommunicationis incurrat; &, nisi postmodum monitus, infra certum terminum a prælato suo præfigendum, ad ipsius prælati arbitrium satisfecerit, ex tunc ipso facto, omni ejusdem regni ecclesiastico beneficio sit privatus, & nihilo minus ordinis sui periculo se noverit subjacere. Qui si forte nullum beneficium prius habebat, ne sine tanti sceleris pœna remaneat, per quinquennium sit inhabilis ad beneficia quælibet obtinenda. A prædicta vero excommunicationis sententia a suo diœcesano nullatenus absolvatur: nisi prius ad ipsius diœcesani arbitrium satisfecerit de præmissis.

V. De habitu clericorum.

Cum sancti evangelii veritas hominem vestem nuptialem non habentem jubeat foras mitti, quamquam de virtutum ornatu dictum esse illud sacra expositio doceat, quia cum per exteriorem habitum sæpe interior designetur: oportet tamen exterius talem ostendere, ut ei, qui debet intus esse verisimiliter coaptetur, ne ex habitu forsan indecenti, is qui gestat, in se ipso vilis appareat, & corda videntium pro facilitate indicii scandalizet. Proinde tam ab antiquis, quam modernis patribus, tradita est moderatio, quam clerici, qui juxta nominis impositionem in sortem Domini sunt vocati, in habitu exteriori sequantur, qui in se lumbos præcingere, & lucernas ardentes in manibus gerere edocentur. Ex horum consideratione, bonæ memoriæ, præfatus legatus statuendo præcepit, ut ad formam tam de vestibus clericorum, quam etiam de ornamentis equorum in generali concilio editam, per subtractionem beneficiorum ab episcopis compellantur: ita quod in mensura decenti vestes habeant, & cappis clausis utantur in sacris ordinibus constituti, maxime in ecclesiis, & coram prælatis suis, & conventibus clericorum, & ubique in parochiis suis, qui cum animarum cura regendas ecclesias susceperunt.

Et ut melius possint episcopi alios ad honestatem vestium, & tonsuram, decentes coronas, & equorum ornamenta idonea, coarctare: provideant, ut a suis clericis commensalibus hæc prius faciant observari, quod in vestibus, calcaribus, frænis, & sellis, clericalem gerant habitum honestatis. Nos autem gravem & perversum nimis abusum contra præmissa quasi generaliter diffusum in clericos harum nostræ legationis partium, detestantes, in quo Deus irrideri videtur, obfuscari decus ecclesiæ, clericalis ordinis celsitudo deprimitur, Christus a suis militibus insignia ferentibus aliena deseritur, decor honestatis ecclesiasticæ maculatur, dum clericum a laico

co respiciens oculus non discernit, A
ANNO CHRISTI 1268. suntque omnibus vere fidelibus in scandalum & despectum: statuimus, & districte præcipimus, ut clerici universi vestes gerant non brevitate nimia ridiculas vel notandas, sed saltem ultra tibiarum medium attingentes. Aures quoque patentes quilibet, non opertas, & coronas habeant probanda latitudine condecentes: in quibus præcipue depositio terrenorum, & regalis sacerdotii dignitas designantur. Nec, nisi in itinere constituti, nunquam aut in ecclesiis, vel coram prælatis suis, aut in communi B conspectu hominum publice infulas, quas vulgo coifas vocant, portare aliquatenus audeant vel præsumant. Qui autem in sacerdotio sunt, qui etiam sunt decani & archidiaconi, nec non omnes in dignitatibus curam animarum habentibus constituti, cappas clausas deferant: nisi forte causa itineris, vel alia causa justa, honestam aliam vestem gerunt.

Si qui vero in sacerdotio vel dignitatibus constituti, aut curam habentes C animarum, seu cathedralium ecclesiarum canonici, contra præmissa in infulis, corona, vel tonsura deliquerint: si moniti non emendaverint, ipso facto ab officio suspensionem incurrant: in qua si per tres menses perstiterint, extunc a beneficio sint suspensi; nec prius per suos diœcesanos ab hujusmodi sententiis absolvantur, quam sextam redditum suorum anni illius partem solvant, per ipsos diœcesanos fideliter pauperibus erogandam: salvis aliis pœnis condignis, quas prælati subditis, in his D delinquentibus, voluerint irrogare. De ipsis quoque sacerdotibus, decanis, archidiaconis, & aliis in dignitatibus constitutis, qui in vestium habitu contra præmissa deliquerint, eadem statuimus observari. Reliquos vero clericos in præmissis delinquentes, suorum prælatorum arbitrio relinquimus puniendos.

Præcipimus autem, in virtute sanctæ obedientiæ, universis archiepiscopis, episcopis archidiaconis & ceteris prælatis, ut in locis suæ jurisdictioni subjectis super præmissis diligenter inqui- E rant, & contra delinquentes statutum præsens efficaciter observent, & faciant observari. Qui si, postquam eis, per facti evidentiam, vel alio justo modo, constiterit quemquam delinquere in præmissis, corrigere secundum ea quæ sunt statuta neglexerit: archiepiscopi quidem & episcopi dalmaticæ, tunicæ & sandalium usu, archidiaconi vero & alii inferiores prælati, ipso facto ab ingressu ecclesiæ, donec circa correctionem & emendationem exerceant sui officii debitum, sint suspensi. ANNO CHRISTI 1268.

Adhæc, cum episcopalis dignitas religionis affectum augere debeat, & cultum ejus apertius demonstrare: præcipimus universis episcopali præditis dignitate, ut habitum gerant dignitati & honori suo congruentem, prout canonica edocent instituta. Specialiter autem indicimus iis, qui de monasteriis, vel aliis regularibus locis in episcopos sunt assumpti, vel de cetero assumentur, ut suum deferant habitum regularem: ne religionem præcedentem dignitas excludere videatur, quam sibi debeant vinculo individui fœderis adoptare. Quibus etiam districtius inhibemus, ne utantur pannis, aut pellibus, aut aliis ornatibus ab ordine sive regula sua priori discrepantibus in colore: sed in talibus statutum concilii generalis satagant observare.

VI. Ne clerici sint advocati in causis sæcularibus; neque judices, neque assessores in causa sanguinis.

Juxta sacrorum ordinum censuram, præsenti constitutione districtius inhibemus: ne quis in clericali militia constitutus advocationis officium in foro sæculari, pro causa sanguinis, vel alia quacunque, nisi in casibus a jure permissis, exercere præsumat. Si quis autem contra fecerit, si quid in causa sanguinis, pro actoris parte certaverit *, ipso facto ab officio sint suspensi. In alios vero per diœcesanos excessum hujus compesci præcipimus & puniri: pœnæ condignæ qualitatem, ipsorum arbitrio reservantes. In eisdem quoque sanguinis causis, in quibus mortis aut mutilationis membrorum judicium agitur, similiter inhibemus: ne quis in clero constitutus, judex, seu assessor esse præsumat. Quisquis vero contra fecerit, præter suspensionis ab officio pœnam, quam ipso facto incurret, alias juxta sui superioris arbitrium puniatur. A quibus suspensionum sententiis per suos diœcesanos nullatenus absolvantur, nisi prius satisfecerint competenter.

* Hic, forte a liquid deest

VII. Ne clerici jurisdictionem sæcularium exerceant.

Cum honestatis ecclesiasticæ speciale decus existat, a carnalibus longe fieri actibus, nec sæcularibus negotiis immisceri manus cælestibus ministeriis deputatas: grave ac sordidum reputamus, quod clerici quidam terrena lucra & tem-

temporales jurisdictiones fidei * specu lantia & avida voracitate sectantes, jurisdictionem a laicis recipiunt sæcularem, & justitiarii nuncupantur, ut ministri fiant justitiæ, quam non possunt sine canonicæ dispensationis & clericalis ordinis injuria ministrare. Nos igitur horrendum hoc vitium extirpare volentes; universis ecclesiarum rectoribus & perpetuis vicariis, immo quibuscumque in sacerdotio constitutis, districtius inhibemus, ne jurisdictionem a persona sæculari suscipiant, vel ipsam exercere præsumant. Qui autem jam susceperunt, infra duos menses omnino dimittant, eam de cetero nullatenus susceperi. Quia vero apud malevolos animos inhibitio non cohibet delinquentes, nisi pœnalis ultio subsequatur: decrevimus: ut quisquis contra prædicta venire præsumpserit, ipso facto ab officio & beneficio sit suspensus. Ad quæ, si temere sic suspensus se ingesserit, ultionem canonicam non evadet. Hujusmodi vero ultio, per diœcesanum ejus, qui contra ista fecerit, donec emendaverit ipsius diœcesani arbitrio, & juramentum præstiterit, quod de cetero alias non committat, nullatenus relaxetur. Salvis domini regis privilegiis in hac parte.

VIII. De concubinariis.

Quoniam indecorum sit & puritati Christianæ contrarium, pollutis labiis & manibus sacra contingere, vel laudem offerre munditiæ, aut seipsum fœdatum luxuriæ maculis in templo Domini præsentare: non solum Divinæ aut canonicæ leges, verum etiam sæcularium principum monita, sanctæ considerationis judicio prospexerunt omnibus Christi & sanctæ ecclesiæ ministris pudicitiam, tam consultæ, quam indicentes. Quas prædictus legatus sequens, laudabili studio præcepit & statuit, ut ubi clerici & maxime in sacris ordinibus constituti, qui in domibus suis vel alienis detinent publice concubinas; nisi eas a se prorsus amoveant infra mensem, eas vel alias de cetero nullatenus retenturi ab officio & beneficio sint suspensi, & usque super hoc satisfecerint, de beneficiis ecclesiasticis se nullatenus intromittant: alioquin, decrevit ipsos eisdem beneficiis fore ipso jure privatos. Nos autem pudicitiam, veluti gemmam virtutum, optantes in clero fulgere, quibus potest non solum persuaderi: sed etiam assumptæ professionis vinculo & imperari: statutum prædicti legati contra clericos, qui publice detinent concubinas, editum, cura, quapossumus, persequentes, adjiciendo statuimus, ut archidiaconi locorum, qui post episcopos curam gerunt, contra concubinarios hujusmodi annis singulis inquisitionem faciant diligentem, & circa eos prædicti legati statutum exquisite faciant observari. Et quæ invenerint, episcopis teneantur nihilo minus nunciare, ut ipsi super iis pastoralis officii debitum exequantur. Quod si in exequendis iis, quæ præmissa sunt, quisquam archidiaconus, vel episcopus, postquam sibi denunciatum fuerit ab archidiacono, negligens fuerit: archidiaconus quidem ab ingressu ecclesiæ ipso jure noverit se suspensum, quousque denunciaverit episcopo; episcopus vero a Dalmaticæ, tunicæ, & sandalium usu, sit suspensus, donec a se negligentiam excutiens, quæ statuta sunt, duxerit exequenda.

Ad hæc cum ad peccatum accedens consensus & auxilium alterius, utrumque in peccato parificet, & pari pœna condemnet: statuimus, ut ii, qui clericos in domibus suis ad peccandum recipiunt, vel scienter peccare permittunt, sive concubinis eorum domos locant scienter, vel accomodant: si clerici sint, pœna simili; si vero laici, ad arbitrium episcopi puniantur. Prædictæ vero concubinæ, de quibus constiterit per facti evidentiam, vel aliquo alio justo modo, ab ingressu ecclesiæ, dum celebrantur Divina, penitus arceantur; nec eis paschali tempore tribuatur viaticum, cum judicium sibi manducent & bibant, qui illud indigne assumunt. Ceterum, quia plerumque evenire didicimus, quod convictus super crimine adulterii, aut alio peccato notorio, ad partes fugiat alienas, ut & pœnam effugiat, & liberius in crimine perseveret: statuimus, ut si quis taliter de provincia in provinciam aliam nostræ legationis effugerit, episcopus, in cujus diœcesim venerit, seu ejus officialis ad mandatum prælati: in cujus diœcesi vel jurisdictione fugiens ille deliquerit, sententiam excommunicationis in ipsum latam efficaciter exequatur, donec ad pœnitentiam redeat salutarem.

IX. De vicariorum residentia, & institutione.

Sacrorum ordinum dispensatio, quasi clavis ad aperiendum varias portas salutis, & gratiæ spiritualis, hominibus est concessa: quam habere necesse est, ut clavis aperiat, qui curam obtinet animarum. Qui etiam clavem gestat,

ANNO CHRISTI 1268.

ſtat, extra manſionem vagari non debet, ut paratus ſit in ſtatione continua vocantibus: & non vocantes ſuis exhortationibus, quaſi paſtor ſolicitus ad ſe trahat. Hæc licet antiqua ſanctorum patrum decernat auctoritas: quia tamen ab iis, qui temporalem fructum plus diligunt quam æternum, invenitur temere non ſervatum, prædictus legatus circa utrumque provide ſtatuit inter alia, nullum de cetero ad vicariam admittendum, niſi in presbyterum jam ordinatum, vel ſaltem in diaconum proximis temporibus ordinandum: qui renuncians aliis beneficiis, ſi qua habet curam animarum habentia, juret ibi reſidentiam facere corporalem: alioquin inſtitutionem ipſius nullam fore decrevit, & vicariam alii conferendam.

De iis autem, qui tunc jam fuerant inſtituti, non tamen in presbyteros ordinati, ſtatuit & præcepit, ut extunc infra annum ad minus, ſe facerent in presbyteros ordinari: alioquin, privatos ipſos extunc vicariis fore decrevit quod de reſidentia circa inſtituendos præceptum erat, ſtatuens etiam circa ipſos. Nos autem contra hoc agentium compeſcere malitiam noſtra quoque ad hoc opportuna diſtrictione volentes, adjiciendo ſtatuimus, ut ſi quis de cetero contra hoc ſtatutum vicariam tenuerit, fructus ſuos non faciat ſic perceptos, ſed ipſos reſtituere teneatur: & ipſorum medietas eccleſiæ, cujus eſt vicaria, tradatur, in ipſius utilitatem modis omnibus convertenda: medietatis vero alterius pars una in pauperes illius parochiæ expendatur, & altera loci archidiacono applicetur.

Ipſe vero archidiaconus ſuper his, annis ſingulis, inquiſitionem faciat diligentem: ſuaque opera & ſolicitudine ſtatutum hoc faciat firmiter obſervari. Qui etiam, ſi aliquem contra præmiſſa vicariam comperit retinere, prælato, ad quem ipſius collatio vel inſtitutio pertinet, vicariam ipſam ſine mora denunciet fore vacantem: ut idem circa id exequatur, quod officii ſui viderit intereſſe. Qui etiam nec aliter inſtituat; nec poſt factam ſibi denunciationem hujuſmodi, vel poſtquam ad ejus pervenerit notitiam, inſtitutionem vicariæ differre præſumat. Quod ſi contra fecerit, a collatione, inſtitutione, & præſentatione beneficiorum quorumliber, quiſquis fuerit, donec quæ ſtatuta ſunt exequatur, noverit ſe ſuſpenſum.

Ad hæc, cum omnis malitiæ conatus diligenti reprimamus induſtria, ſtatuimus, ut ſi quis contra præmiſſa vicariam retinere contenderit, per menſem unum in ſua rebellione perſiſtens, præter pœnas ſuperius impoſitas, aliis beneficiis, ſi qua habet, ſit ipſo facto privatus: nec non & ad vicariam, cui ſic moleſtus incumbit perpetuo, & ad cetera beneficia, quibus vitioſo & adulterino contagio ſe reddit indignum, per triennium ſit inhabilis obtinenda. Quæ omnia non ſolum ad futura porrigimus, verum etiam ad præterita referri volumus: & in eiſdem efficaciter ſtatuimus, & præcipimus obſervari. Archidiaconus vero, ſi quæ ſuperius ſunt injuncta, neglexerit, præter indignationem omnipotentis, quam incurrat, ab ipſa parte ſibi applicanda privetur, & ab ingreſſu eccleſiæ, præſentis ſtatuti auctoritate, quouſque præmiſſa fecerit, ſit ſuſpenſus.

ANNO CHRISTI 1268.

X. De intruſis.

Amoris proprii damnabilis & immoderata præſumptio, ſubvertens in judicio rationem, dum ſibi temere alienum concupiſcit, caritatem tradit exilio, mortemque affectat proximi, quem noverit præſidere. Quin etiam morte vel immutatione alia nil agente, calliditas & ſimulatio Divinam provocantes iram impudenter inſurgunt: cum qui vivit, mortuum, & qui adhuc poſſidet, reſignaſſe verbo vel actu mendaciter confingentes. Quia vero in eccleſiis, præcipue circa mare Anglicanum conſtitutis, mortalis hic morbus irrepſit: præfatus legatus ſuper hoc ſtatuit, ne prætextu opinionis vel famæ, quæ de morte vel ceſſione habetur abſentis, ejus beneficium aliquatenus conferatur; ſed prælatus, donec plenius de veritate inſtruatur, exſpectet: alioquin: ad reſarciendum omne damnum ex hoc inflictum, abſenti ipſum obligatum; illum vero, qui ſe procuravit intrudi, præter damnorum reſtitutionem, ab officio & beneficio, ipſo facto, ſuſpenſum fore decrevit. Quod etiam ad illum extendi voluit, qui beneficium eccleſiaſticum, altero poſſidente, occupare, vi vel clam, auctoritate propria, vel potius temeritate, præſumit: vel poſtquam declaratum fuerit ad alium pertinere, armis ſe defendere nititur in eodem. Nos autem latius & plenius mederi per noſtrum antidotum cupientes, adjiciendo ſtatuimus, ne quis de cetero patronus eccleſiaſticus vel ſæcularis, ad eccleſiam, in qua jus obtinet patronatus, quemquam audeat præſentare, niſi probabilem habeat de ipſius eccleſiæ vacatione notitiam. In quo caſu

ANNO CHRISTI 1268.

su licet præsentare possit, ne sibi per lapsum temporis præjudicium generetur: prælatus, ad quem institutio spectat, nequaquam præsentatum præsumat admittere, vel instituere, nisi de morte rectoris, vel alias de vacatione legitima, prius constet.

XI. Quibus notis de vacatione constet.

De iis autem non aliter constare sufficiat, quam per ipsius mortem, vel resignantis, seu aliter dimittentis præsentiam corporalem; aut si absens sit, per episcopi seu diœcesani, in cujus civitate vel diœcesi mortuus esse, vel alias dimisisse dicetur, aut saltem alterius personæ authenticas litteras, sigillo authentico uno vel pluribus communitas, vel per instrumentum publicum, vel per testes juratos & idoneos omni exceptione majores, a quibus super hoc non tantum de credulitate, sed de scientia, secundum juris exigentiam, sufficiens & apertum testimonium deponatur. Quod si contra ea quæ dicta sunt, quisquam in ecclesia de facto fuerit institutus, vel quod verius est, intrusus: institutio talis, invalida, & nullius penitus sit momenti; nec per ipsam cuiquam jus aliquod adquiratur, etiamsi postmodum forsitan appareret ipsam ecclesiam tempore institutionis hujusmodi vacasse. Cumque postmodum de primi rectoris vita constiterit, eo quod personaliter veniens, se ipsum ostendat, aut alias per authenticas litteras, vel instrumentum publicum, vel per testes idoneos vivere comprobetur: tam prælatus instituens, quam is, qui fuerat taliter institutus, ipsi rectori ad restitutionem integram fructuum, damnorum & expensarum, quæ propter hoc ipse rector incurrerit, teneatur; altero alterius solutione minime liberato. Et quia non sufficit pecuniaria pœna, ubi spirituale delictum: prælatum, qui contra hoc instituerit, nihilo minus ab eo tempore, quo in prædicta commiserit, a collatione, institutione, & præsentatione beneficiorum quorumlibet, statuimus manere suspensum, donec ipsi rectori possessio reddatur ecclesiæ.

Adjicientes, ut si postquam de ipsius rectoris vita, supradicto modo constiterit, ecclesia non restituatur eidem: intrusus, si per tres menses in tam pessima rebellione perstiterit, præter pœnas supra impositas, extunc omnibus beneficiis, quæ in eodem regno obtinet, ipso facto perpetuo sit privatus; & ad illud, quod taliter detinuit, quandocumq; vel quocumq; modo vocaverit; perpetuo sit inhabilis obtinendum: ad quod, cupiditatis & rapinæ vitio, reddidit se indignum. Et si quidem nullum fortassis beneficium habeat, non solum ad hoc, quod sic se habere præsumpsit, sed etiam ad quodlibet aliud in illa diœcesi, quam sceleris sui peste turbavit, ipso facto, auctoritate hujusmodi statuti se inhabilem perpetuo esse sciat, & penitus esse incapacem. Ceterum ad omnes, qui præsentatione patroni, aut aliis modis, beneficia vel ecclesias, sine canonica institutione prælati, per se, vel per alios, occupare præsumpserint, quos adhuc gravius delinquere constat; necnon ad eos quoque, qui ante hanc constitutionem nostram occuparunt viventis beneficium, vel ecclesiam, & adhuc detinent occupatam; ad eos quoque qui sine canonica institutione prælati se ipsos intrudere præsumpserunt (nisi infra tres menses a publicatione hujusmodi constitutionis, tam occupatores, quam intrusores hujusmodi, omnino dimiserint quod taliter acceperant, & ut supradictum est, satisfecerint) supra nominatas pœnas extendi volumus & mandamus: iis, quæ contra tales in constitutionibus prædicti legati & provincialium conciliorum totius nostræ legationis statuta sunt, in nullo penitus diminutis. Contra hos etenim delinquentes, pœnas illas ex * quo sufficere non putamus, sanctius esse ac tolerabilius æstimantes, ecclesiam vel beneficium vacare diutius per incognitam veritatem, quam momento quocumque adulterari apud violentum vel nefarium possessorem.

Ad hæc, cum ad archiepiscopum vel episcopum, ad quem ecclesiæ vel beneficii collatio spectat, vacationis notitia probabiliter alias quam prædictis modis forte pervenerit: si forsitan beneficium illud vel ecclesiam conferat, timens ne per lapsum temporis præjudicium sibi fiat, possessionem tamen ipsius ecclesiæ vel beneficii corporalem, priusquam de vacatione suprascriptis modis constiterit, non tradat vel tradi faciat, seu consentiat, vel permittat, neque is, cui collatio facta est, ingredi possessionem propria vel alterius cujuscumque auctoritate præsumat. Quod si archiepiscopus vel episcopus contra fecerit, prædictis pœnis se noverit subjacere. Is vero, cui collatio hujusmodi facta est, si contra præmissa possessionem acceperit: ipsa ecclesia seu beneficio perpetuo se noverit esse privatum, & nihilo minus alias pœnis subjaceat supra dictis.

ANNO CHRISTI 1268

XII. Ne una ecclesia dividatur in plures.

Unitatem in omnibus, maxime vero Divinis & spiritualibus officiis & ministeriis, ita perfectio sequitur, ut divisionem super omnia detestetur, quæ desolationem & ruinam inducit. Nec enim nullum ipsum materiale subjectum stabit, nulla sacræ rei designatio, intellectum conformiter ad se trahit, cum in illo vel in isto divisio aget, diversum faciens quod est unum. Ex his catholica unitas sanxit & auctoritas, ut in una ecclesia unus sit rector, quasi unius corporis unum caput. Sed stupefactivæ zizaniæ seminator, interdum per plurium in una ecclesia patronorum discordiam; interdum per cupidorum figmenta, qui de ipsa ecclesia nihil aliud, quam commodum temporale venantur, hanc pestiferam factionem diversis modis induçit, aut in plures collata una ecclesia dividatur: rei pravitatem quadam mutatione vocabulorum seu nominum occultantes. Quod detestabilius est, in tantum in quibusdam prælatis ardor cupiditatis & avaritiæ exardescit, ut præsentatos ad ecclesiastica beneficia non admittant, nec ea aliter conferant, nisi certa proventuum & redituum beneficiorum ipsorum portione retenta, quam suis usibus applicant, vel aliis eam ad tempus vel simpliciter conferunt pro suæ libito voluntatis.

Super his autem legitime compescendis, divisiones vel particulares assignationes & permutationes penitus prohibens, statuit, ut nunquam in plures personatus vel vicarias ecclesia divideretur, & quæ tunc ante divisæ fuerant, integrarentur quam citius facultas se offerret: nisi aliqua ecclesia sic foret ab antiquo forsitan instituta, in qua per loci episcopum provideri statuit, quod tam redditus, quam parochia, inter eos congruis portionibus dividantur, & quod semper apud ecclesiam resideat aliquis, qui de animarum cura solicitus, celebratione Divinorum, & collatione sacramentorum, se viriliter exerceat & honeste. Nos igitur prædicti legati sanctionem digna æmulatione sequentes, adjiciendo statuimus: ut omnis hujusmodi prorsus divisio ante prædicti legati constitutionem facta, nisi tanto eam præcesserit tempore, ut merito possit antiquitatis jure censeri, quæque postmodum est secuta, nec non cujuscumque portionis proventuum ecclesiasticorum beneficiorum retentio & assignatio, quæ fieri posse dinoscitur absque labe simoniacæ pravitatis, per locorum diœcesanos penitus revocentur.

Si qua vero de cætero fiat divisio, seu alicujus portionis retentio vel assignatio: hanc nullam ipso jure fore decernimus. Et ne conferentis, seu præsentantis, vel admittentis plures ad unam ecclesiam exemplum mali relinquat * impunitas: præsentans quidem, unus aut plures, jus illa vice præsentandi amittat, ad superiorem proximum devolvendum. Si vero prælatus sic contulerit, vel præsentatos admiserit, vel si certam remuerit vel alii assignaverit portionem, simpliciter, vel ad tempus: non solum institutio ejus, & retentio, vel assignatio, viribus careat, verum etiam ipse, quousque id revocaverit, ipso facto a collatione, institutione, seu præsentatione beneficiorum quorumlibet, sit suspensus.

ANNO CHRISTI 1268.

XIII. De abstrahentibus confugientes ad ecclesiam vel cœmeteria, seu res ibidem depositas,

Et de auferentibus aliquid præter voluntatem dominorum ecclesiasticorum de domibus, maneriis seu grangiis.

Ad tutelam & confugium oppressorum ita immunitatem ecclesiasticam cernimus constitutam, ut etiam reos sanguinis ab hominum incursu defendat. Quanto magis insontes criminum confugientes ad ipsam, & res nulli vitio subjacentes, hostili timore intra ipsius ecclesiæ septa repositas, convenit non solum exinde non abstrahere vel rapere, sed etiam non contingere, ut in eis temeritatis aliquid attentetur: satis intelligit qui prudenter attendit. Præterea circa tuitionem, tam personarum ad ecclesias vel cœmeteria confugientium, & rerum, quæ in ipsis pro securitate fiducialiter reponuntur; quam circa hominum salutem profanorum, qui, Dei timore contempto, & ecclesiæ reverentia prorsus abjecta, immo totius humanitatis & famæ pudore deposito, ad hujusmodi confugarum abstractionem, & rerum prædam & rapinam de locis ipsis se conferunt impudenter: nos tanto promptius oportet intendere, quanto sceleris hujusmodi perfidia majus noscitur periculum importare.

Nos igitur hujusmodi iniquitates & scelera perfecto odio, ex officii nostri debito, prosequentes, statuimus, ut si quis aliquem ad ecclesiam vel cœmeterium aut claustrum confugientem, inde abstraxerit violenter, vel alias victum necessarium prohibuerit, in quo similis est necanti; aut res alienas in locis prædictis depositas violenter seu ho-

ANNO CHRISTI 1268.

hostiliter asportaverit, vel asportari fecerit; aut factam suo nomine vel a familiaribus suis abstractionem, prohibitionem, vel asportationem ratam habuerit; aut abstrahentibus, prohibentibus, vel asportantibus præbuerit publice vel occulte auxilium, consilium, vel consensum: ipso facto sit excommunicationis vinculo innodatus, a quo nullatenus absolvatur, nisi prius *Deest, fecit.* ecclesiæ, cui tantam injuriam *, & damnum passo, satisfaciat competenter. Et quidem si excommunicatus hujusmodi, monitus a suo diœcesano, infra præfixum ab eo tempus, non satisfecerit; terra ipsius subjiciatur ecclesiastico interdicto, quod ante pristinam * *f. præstim.* satisfactionem nullatenus relaxetur.

Quod si forte terram non habuerit, dominus terræ in qua moratur, si monitus, infra terminum sibi ad hoc indictum, extra eam non expulerit hujusmodi pestilentem: extunc terra ipsius ecclesiastico interdicto supponatur, quamdiu ille ibidem remanserit duraturo. Nempe si talis excommunicatus clericus sit, & a prælato suo monitus, infra terminum, quem ei duxerit præfigendum minime satisfecerit: extunc omni beneficio ecclesiastico, quod in eodem regno obtinet, sit privatus. Si vero nullum obtinet: ad quodcumque ejusdem regni beneficium ecclesiasticum per quinquennium sit inhabilis obtinendum. Etenim digne ab ecclesiasticis bonis excluditur, qui caritatem & ecclesiæ decus, in Dei contemptum, & proximi dispendium, tam nequiter violavit. Quæ autem in præmissis statuta sunt, eadem circa ecclesiarum incendiarios & effractores volumus & præcipimus observari.

Ad hæc, si quis de domibus, maneriis, grangiis, vel aliis locis hujusmodi, ad archiepiscopos, episcopos, vel alias personas ecclesiasticas, vel ad ipsas ecclesias pertinentibus accedens *, quicquam præter voluntatem aut permissionem præmissorum dominorum, vel eorum qui sunt hujusmodi rerum custodes deputati, consumere vel auferre, aut contrectare præsumpserit: ipso facto sit excommunicatione ligatus, a qua, donec satisfecerit, absolutionis gratiam minime consequatur. Et ne hoc salubre statutum pretextu ignorantiæ negligatur, ipsum vel intentionem *ipsius, per annum continuum a tempore publicationis ejusdem in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, & aliis, per rectores & capellanos earum, quibuslibet diebus Dominicis, astanti paro- *Hoc est, eo sensum*

chianorum & fidelium multitudini præcipimus publicari.

ANNO CHRISTI 1268.

XIV. Ne quis impediat matrimonia solemnizari in facie ecclesiæ.

Conjugale fœdus ab ipso Domino institutum, sicut potestati humanæ non subjacet, ita nullius temerario patere debet occursui, quo minus in conspectu hominum solemnitatem accipiat: per quam, prout expedit, omnibus innotescat. Quapropter districtius inhibemus, ne quis matrimonia contracta legitime, quo minus in facie solemnizentur ecclesiæ, impedire præsumat. Episcopi vero, quorum interest sacra tueri, punire condigne studeant hujusmodi præsumptores,

XV. De executione testamentorum.

Libertatem extremi judicii sicut multa favoris prærogativa muniunt legitimæ sanctiones: ita ipsius executionem convenit adjuvare, ne quid impedire valeat arbitrium testatoris. Præterea super executione testamentorum duximus statuendum, ut executor testamenti cujuslibet, ad executionem testamenti nullatenus admittatur, neque testamentum, cum ordinario secundum approbatam consuetudinem præsentatur, per ipsum aliquatenus approbetur: nisi prius quoad hunc actum sui fori privilegio coram eo expresse renunciet executor. Præcipimus etiam statuendo, quod hujusmodi testamentorum executores, priusquam administrationem bonorum attingant, inventarium in præsentia aliquorum fide dignorum, qui verisimiliter bonorum defuncti noverint qualitatem, omnino conficiant, & illud suo superiori prælato ostendant. Si quis autem, inventario non confecto, administrare præsumpserit, ad sui episcopi arbitrium puniatur. Super approbatione siquidem testamenti ejus, qui in diversas diœceses beneficia, dum viveret, obtinebat: approbationi episcopi illius, in cujus diœcesi testator decessit, fidem volumus adhiberi.

XVI. Ne prælati fructus ecclesiarum vacantium percipiant vel suos faciant.

Ecclesiarum dispendia injunctæ nobis solicitudinis cura submovere volentes, ne duplici desolatione affectæ nimium deprimantur, ab iis maxime qui superintendentes, quotidianam instantiam subjectis debent ecclesiis, viduatis pro-

ANNO CHRISTI 1268. *Deest aliquid*

priis rectoribus, paterno consolari tenentur affectu: statuimus, ut cum ecclesias vacare contigerit, prælati sub quibus consistunt, fructus & proventus, per annum vel aliquanto alio tempore, nequaquam percipiant earundem, neque suos faciant sic perceptos: sed de ipsis fiat, quod in canonibus est statutum. Nisi forte iidem prælati jus hujusmodi sibi valeant, ex speciali privilegio vel consuetudine, ab antiquo vendicare. Quod si contra fecerint, donec totum restituerint, ab officio sint suspensi. Sequestrationes etiam fructuum & proventuum beneficiorum ecclesiasticorum, a prælatis penitus fieri prohibemus, quod & leges & canones interdicunt: nisi casus speciales emergant, in quibus sequestrationes certæ consuetudines & jura permittant. Aliter autem factas sequestrationes, & latas, occasione hujusmodi, excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententias, nullas fore decrevimus ipso jure. Prælatus etiam, qui hujusmodi sequestrationes fecerit, quousque revocaverit, ipso facto a pontificalibus sit suspensus.

XVII. De oblationibus capellarum matrici ecclesiæ restituendis.

Gratia quæ de concedentis benignitate procedit, recipientem manifeste reddit ingratum, si vertitur in abusum: & suis non contenta finibus, extenditur in alterius læsionem. Ecclesiasticæ quidem providentiæ pietas, alteri per alterum non vult iniquam conditionem afferri: sed quando privata persona capellam propriam desiderat obtinere, quod *, causa justa mediante, concesserit, semper adjicere consuevit, ut id fiat sine juris præjudicio alieni. Quod & nos salubri & opportuno remedio consequentes: statuimus & districte præcipimus, ut capellani ministrantes in capellis hujusmodi, quæ, salvo jure matricis ecclesiæ, sunt concessæ, universas oblationes, & cetera, quæ ipsis non recipientibus ad matricem ecclesiam pervenire deberent, ipsius rectori sine difficultate restituant: cum id tanquam alienum juste nequeant detinere. Si quis autem restituere contempserit: suspensionis vinculo, quousque restituerit, se noverit innodatum.

* *f.* qui

XVIII. De domibus ecclesiarum reficiendis.

Improbam quorundam avaritiam persequentes, qui cum a suis ecclesiis & ecclesiasticis beneficiis multa bona suscipiant, domos ipsarum & cetera ædificia negligunt, ita ut integra non conservent, & diruta non restaurent (propter quod ipsarum ecclesiarum statum deformitas occupat, & multa incommoda subsequuntur) statuimus atque præcipimus, ut universi clerici, suorum beneficiorum domos, & cetera ædificia, prout indiguerint, reficere studeant condecenter: ad quod per suos episcopos vel archidiaconos solicite moneantur. Si quis vero post episcopi vel archidiaconi sui monitionem, per duos menses id facere cessaverit: extunc episcopus ipse, ipsius clerici sumptibus, id fieri faciat diligenter, de fructibus ipsius ecclesiæ vel beneficii, præsentis authoritate statuti, tantum accipi faciens, quantum ad refectionem hujusmodi sufficiat peragendam. Cancellos etiam ecclesiæ, per eos, qui ad hoc tenentur, refici faciant, prout superius est expressum. Archiepiscopos vero, episcopos, & alios inferiores prælatos, domos ac ædificia sua sarta tecta reficere, & in statu suo conservare ac tenere, sub Divini judicii obtestatione præcipimus ut ipsi ea reficiant, quæ refectione noverint indigere.

XIX. De procurationibus, quæ ratione visitationis debentur, non recipiendis ab archidiaconis, vel aliis inferioribus prælatis, nisi cum visitant.

Naturalis dispositionis effectus semen serenti reddit, & semen laboris multiplicabit operanti. Absurdum vero simulque iniquum nemo dubitat, ibi quemquam, ubi non seminat metere: & ex iis colligere quæ non spargit. Ex his sacrorum canonum provisio æquitate ponderata decrevit, ut ecclesia, quæ visitationem recipit, temporalibus & spiritualibus ecclesiarum bonis salubriter institutam procurationem exhibeat visitanti. Cum autem ratione visitationis procuratio debeatur, si quid exigitur vel recipitur, hujusmodi ratione cessante, jam male accepti & indebiti nomen subit. Cum igitur intellexerimus, quod plerique prælati procurationes a subditis exigunt, licet visitationis officium non impendant: nos tam indemnitati ecclesiarum, quam prælatorum saluti, consultius providentes, districtius inhibemus, ne quis eorum, procurationem, quæ ratione visitationis debetur, ab ecclesia quocunque recipiat, nisi cum eidem officium impendit visitationis. Qui vero aliter receperit, donec restituerit, ab ingressu eccle-

ANNO CHRISTI 1268.

cleſiæ ſit ſuſpenſus. Epiſcopi vero & alii inferiores prælati, cum viſitant, in ſuperflua comitiva, ſeu evectionum numero, vel alias in expenſis, gravare ſubditos non præſumant ultra quantitatem & numerum determinatum in conſtitutione felicis recordationis Innocentii papæ quarti; ne videantur in viſitationibus magis lucris pecuniariis inhiare, quam eccleſiarum velle conſervare ſtatum, vel ſalutem quærere animarum. Quod ſi contra facere attentaverint: ſubditi eis non pareant in hac parte. Latas etiam, occaſione hujuſmodi, excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti ſententias, ipſo jure decernimus eſſe nullas. Secum etiam viſitationis tempore ſuperfluam & oneroſam multitudinem hominum non adducant: per quam eccleſiarum requies perturbari ſæpius conſuevit; ſed moderationem ſequantur conſtitutionis canonicæ in Lateranenſi concilio promulgatæ.

XX. Ne pecunia recipiatur a ſubditis pro delicto notorio.

Deus omnipotens, cujus omnia ſunt, pretium quodlibet pro delicto non accipit, & holocauſtum non poſtulat pro peccato. Quidam vero ad aliorum regimen deputati, hoc ignorantes, aut ex temeraria quadam induſtria contemnentes: cum peccatur a ſubditis, debitam pro pecunia pœnam remittunt, Ex quo fit, ut, Deo non indulgente, tam vindex criminis, quam commiſſor, ſua in eodem ſæculo delicta conſignent, pariter judicandi. Et quia juxta beatum Iſidorum, nullam reus pertimeſcit culpam, quam redimere nummis æſtimat: non ex hoc mala voluntas minuitur vel mutatur, ſed potius datur authoritas & licentia delinquendi: Circa correctionem quidem criminum præfatus legatus ſtatuit, ut archidiaconi eccleſias utiliter & fideliter viſitent de ſacris vaſis & veſtibus, & qualiter diurnis & nocturnis officiis eccleſiæ ſerviantur, & generaliter de temporalibus & ſpiritualibus inquirendo: & quæ corrigenda invenerint, corrigant diligenter. Eccleſias autem ſuperfluis non gravent expenſis, ſed procurationes, duntaxat cum viſitant, exigant moderatas. Non ſecum ducant extraneos, ſed modeſte ſe habeant in familia & in equis: nec pecuniam ad hoc, ut non viſitent, vel non corrigant, vel ut crimina non puniant, ab aliquo recipere præſumant: nec aliquos ſententiis ſuis involvant injuſte, ut ab eis poſſint ex hoc pecuniam extorquere. Unde, cum hæc ſapiant Simoniacam pravitatem, decrevit, ut qui talia agere præſumpſerint, ſic extorta in duplum erogare in pios uſus, epiſcopi ſui arbitrio, compellantur. Salva nihilominus alia pœna canonica contra ipſos.

ANNO CHRISTI 1253.

Præcepit etiam, ut dicti archidiaconi capitulis per ſingulos decanatus frequenter interſint: in quibus diligenter inſtruant inter alia ſacerdotes, ut bene ſciant & ſane intelligant verba canonis Miſſæ, & baptiſmatis, ea ſcilicet maxime, quæ ſunt de ſubſtantia ſacramenti. Nos igitur ſtatutum prædicti legati contra tales editum adjuvantes: adjiciendo ſtatuimus, ut archidiaconi pro nullo mortali & notorio crimine, vel de quo ſcandalum generatur, pecuniam a delinquente pro ipſo recipiant, ſed commiſſum crimen puniant animadverſione condigna. Epiſcopis vero diſtricte præcipimus, ut hujuſmodi ſalubre ſtatutum firmiter faciant obſervari.

XXI. De firmis.

Indignum eſt, cum * ſpiritualibus pecuniarum inire commercium, dicente apoſtolo Petro ad Simonem: *Non ſit tibi pars neque ſors in ſermone iſto.* Avare enim & facile ſpiritualia vendit, qui eorum exercitium pecuniæ interventione conducit. Provide igitur conſtitutionem legati prædicti comperimus inhibentem, ne dignitates vel officia, puta decanatus, vel proventus ex eccleſiaſticæ vel ſpiritualis juriſdictionis exercitio, ſeu ex pœnitentia, vel altari, vel ſacramentis aliis quibuslibet, venientes, nullo modo concedantur ad firmam. Nos autem contra hoc tam ſanum & ſalubre ſtatutum fieri a pluribus audientes adjiciendo ſtatuimus, ut ſi de cetero quiſquam contra fecerit, datio ad firmam ſic facta non teneat; & contrahentium neuter alterutri ex tali contractu, tanquam invalido, quacunque juris authoritate, aut beneficii, hujus noſtræ conſtitutionis expreſſa renunciatione, vel alia pactione valante, aliquatenus obligetur: nihilo minus tertia parte proventuum ejus rei, quam de facto ad firmam dari contra hoc ſtatutum conſtiterit, fabricæ majoris eccleſiæ cathedralis modis omnibus applicanda. Quæ omnia habere locum volumus, & ſtatuimus obſervari, cum laicis datur eccleſia ad firmam: & cum ultra quinquennium etiam clericis eccleſiæ firma conceditur, contra conſtitutiones a dicto legato ſuper his

* *f.* ip. *Act.* 8.

ſa-

ANNO CHRISTI 1268.

salubriter promulgatas. Ecclesiis quoque a gravi præjudicio præcavere volentes, ipsas ad firmam dari patronis earum sub præmissis pœnis districtius prohibemus.

XXII. De residentia archiepiscoporum & episcoporum.

Pastor bonus agnoscens gregem suum, debet ipsum mentis & corporis oculis jugiter intueri: & ne ipsum insidiosus lupus invadat, sicut hostis persequendo invigilat, sic prælatus resistet continue defendendo. Oportet igitur, ut corporalis præsentia ipsum solicite tueatur: quia vadens pastor & veniens sæpe non invenit quod reliquit, eo quod illud adversarius non recedens neque dormiens asportavit. Sane licet episcopi ad personalem residentiam circa gregem Domini sibi commissum, tam Divinis, quam ecclesiasticis præceptis noscantur astricti: quia in partibus nostræ legationis nonnulli sunt, qui hoc attendere non videntur: nos prædicti legati monitionem & exhortationem, super hoc archiepiscopis & episcopis prudenter emissam, æmulationis condignæ studio sequentes, ipsos efficaciter hortamur in Domino, & in virtute sanctæ obedientiæ, atque sub Divini obtestatione judicii commonemus, ut ad commissi gregis curam, & desponsatarum sibi ecclesiarum solatium, præcipue diebus solemnibus, Quadragesimalibus, & Adventus, præsentiam suam exhibeant debitam, quibus se fide media copularunt: sanctum chrisma, oleum sacrum, & oleum infirmorum, in die cœnæ Domini quolibet anno conficiant, nisi eos dictis diebus ab ipsorum ecclesiis, a suis superioribus evocatos, vel ex alia justa causa, oporteat absentare: ut quod ipsorum nomen prætendit, & commissum sibi ministerium exigit, quod non minus gerit oneris quam honoris, solicitis studeant excubiis observare.

XXIII. De appropriationibus ecclesiarum non faciendis.

Quoniam alienationes ecclesiarum, sanctorum patrum, & Romanorum pontificum decreta prohibere summopere studuerunt: nos ipsos ex officii nostri debito, sufficientia, qua possumus, imitantes, universis episcopis districtius inhibemus, ne quis eorum, ecclesiam sibi subjectam, alteri episcopo, vel monasterio seu prioratui, appropriationis jure conferat vel assignet: nisi is, cui appropriare voluerit, adeo manifeste paupertatis prematur onere, vel alia legitima causa subsit, quod talis appropriatio, non tam juri contraria, quam pietati consona merito censeatur. Si vero contra præmissa facta fuerit hujusmodi appropriatio: ipso jure invalida, & nullius penitus sit momenti, sed ab ipso, qui hoc fecerit, sicut de facto processit, modis omnibus revocetur.

ANNO CHRISTI 1268.

Nonnulli quoque in ecclesia, quæ per proprios consuevit gubernari rectores, in usus eorum concessa, ut totum, quod ex appropriata sibi ecclesia provenit, inhianter absorbeant: ipsam dimittunt vicario destitutam: aut si vicarium in ea fortassis instituunt, ita modicam eidem reliquunt fructuum portionem, quod non potest sibi sufficere, & archidiaconorum, & alia incumbentia sibi onera supportare. Quo fit, ut quod in eleemosyna est provisum, in sitim avaritiæ confluat, & transeat in rapinam. Super his igitur salubria remedia cogitantes, statuimus, & districte præcipimus, ut universi religiosi, exempti & non exempti, Cistercienses, & alii quicumque, qui ecclesias in proprios usus habent, si vicarii non sint positi in eisdem, infra sex mensium spatium, vicarios præsentare diœcesanis, qui eos instituere debeant, non omittant: quibus sufficientem assignare pro facultate ecclesiarum studeat portionem. Alioquin, extunc iidem diœcesani id facere studeant diligenter.

Statuimus quoque ut episcopi, qui ecclesias in proprios usus habent, domos in ipsarum ecclesiarum parochiis construant, vel olim constructas reædificent & conservent, in quibus honeste possint recipi visitantes. Supradicta vero omnia tam ab episcopis, quam ab aliis qui ecclesias in proprios usus habent fieri præcipimus & servari.

XXIV. De bonis intestatorum.

Cum mortis præoccupatio incerta, sæpe sic anticipet ultimi arbitrii voluntatem, ut conficiendi testamenti, seu extremæ dispositionis, adimat vitæ decisio facultatem: agit humana pietas misericorditer in defunctum, cum res temporales, quæ illius fuerant, per distributionem in pios usus ipsum adjuvando sequuntur, & coram cœlesti judice pro ipso propitiabiliter intercedunt. Proinde, super bonis ab intestato decedentium, provisionem, quæ olim a prælatis regni Angliæ, cum approbatione regis & baronum dicitur emanasse, firmiter approbantes: districtius

ANNO CHRISTI 1268.

ctius inhibemus, ne prælati, vel alii quicumque, bona inteſtatorum hujuſmodi quocumque modo recipiant, vel occupent, contra præmiſſam proviſionem.

XXV. De delegatione cauſarum.

Judicii robur & decus exornat authoritas judicantis; & coram illo tutis greſſibus incedere veritas præſumitur, de quo ſtatus eminentior, & meliora ſtipendia, ſtrenuos actus & dignos fructus juſtitiæ repromittunt. Proinde ſacris canonibus inhærentes, quibus ſtatutum eſt, ut non niſi perſonis in majori ſtatu conſtitutis cauſæ a ſede apoſtolica delegentur: ejuſdem juris ratione commoniti, ſtatuimus, ut ab archiepiſcopis, vel aliis ordinariis, non niſi perſonis in dignitate vel officio conſtitutis, aut cathedralium vel aliarum collegiatarum eccleſiarum canonicis, cauſæ aliquatenus committantur.

XXVI. De forma citationis.

Ita mortalium ſæva cupiditas ſuum in ſeipſum reflectit ardorem, ut quicquid ſibi poſſit attrahere, non deſiſtat, non timens Divinam offenſam, vel proximi læſionem: quod litigiorum anfractus, & procellæ cauſarum manifeſte declarant, in quibus ſeipſum ſolum reſpiciens litigatur, ſic errat in via juſtitiæ, ut rectum & æquum exiſtimet, quicquid adverſario noceat, & jure vel injuria ſibi proſit. Sane quoniam in citationis articulo fraudem ſæpe fieri eſt compertum: prædictus legatus ſtatuit, ut per impetrantes, vel eorum nuncios in cauſis regni Angliæ, citatoriæ litteræ non mittantur; ſed judex moderatis ſumptibus impetrantis per ſuum fidele nuncium eas mittat, qui vocandum diligenter perquirat: quem ſi reperire non poterit, die Dominico vel alio ſolemni, apud eccleſiam loci illius, in quo degere conſuevit, dum Miſſa cantatur, litteras legi faciat & exponi, vel ſaltem ad decanum, in cujus decanatu moratur qui vocandus exiſtit, citatio dirigatur: qui a judice miſſus hæc fideliter perſequatur per ſe, aut per ſuos certos nuncios & fideles: quodque inde fecerit, eidem judici reſcribere non omittat. Nos autem, ut circa citationis articulum cautius & tutius procedatur, & diſcriminis materia, quantum in nobis eſt, penitus auferatur, conſtitutioni dicti legati adjiciendo, ſtatuimus: ut, cum judex contra quemlibet abſentem emittit citationis edictum, citationem faciendam decano loci vel alicui alii certæ perſonæ demandet. Is vero, cui demandata fuerit, cum eam fideliter fuerit aſſecutus, ſecundum ſtatuti formam, ſe citaſſe reſcribat. Alioquin citationi, quæ aliter facta appareat, fides nullatenus habeatur: nec ſecundum ipſam, contra eum qui citatus dicitur, ad pœnam aliquam procedatur.

XXVII. De juramento advocatorum.

Laudabile vitæque hominum neceſſarium advocatorum officium, qui quaſi athletæ juſtitiæ, in campo judicii militant, multum quidem exauthoratur ab illis, qui in ipſo infideliter ſe exercent, per quos juſtitia deperit, & litium proceſſus innumeris ſubterfugiis impeditur. Hæc ſane prædictus legatus diligenter conſiderans, & prudenter attendens, inter alia facta in conſtitutione, decrevit: ut quiſquis advocati officium voluerit generaliter promereri, apud diœceſanum, cujus juriſdictionis exiſtit, originis vel domicili ratione, præbeat juramentum, quod in cauſis, quarum patronus exiſtit, patrocinium fidele præſtabit. Nos igitur hujuſmodi ſtatuto, per quod iniquitati occurritur, relevatur juſtitia, & ſuccurritur veritati, parare volentes ſemitam ampliorem: adjiciendo ſtatuimus, ut ſecundum ea, quæ in dicto ſtatuto contenta ſunt, nullus advocatus, niſi litteras diœceſani, coram quo jurare præcipitur, prius oſtendat, fidem de juramento hujuſmodi exhibito facientes, vel de novo exhibeat hujuſmodi juramentum, ad nullius cauſæ patrocinium admittatur.

XXVIII. Ne judex pacem vel concordiam litigantium impediat.

Cum partes ſuas amittat judicium, niſi actoris & rei diſſenſio conquieſcit, nec aliud agere judex debeat juxta legitima, ſanctiones, quam ut controverſiam dirimat inter ipſos: multo profecto delinquit, qui partes ad pacem vel concordiam paratas, maxime pretextu alicujus commodi, nititur impedire. Quia vero, per impedimentum hujuſmodi, ſi contingat, provocatur Deus, læditur proximus, judicii contaminatur honeſtas, & jurgiorum materia confovetur: nos ſtatutum prædicti legati, qui ſuper hoc ſimplici fuit inhibitione contentus, efficacius proſequentes, adjiciendo ſtatuimus, ut ſi quis deinceps, pro impedimento paci ſeu compoſitioni

ANNO CHRISTI 1268.

ni litigantium objiciendo, quicquam receperit, ei qui dederit, omnibus modis reſtituere teneatur: necnon tantundem exſolvat pauperibus erogandum. Alioquin, ex eo tempore, quo ſcelus hujuſmodi ſic recipiendo commiſerit: donec, ſicut dictum eſt, reſtituerit, excommunicationis vinculo ſe noverit alligatum.

XXIX. De publicanda abſolutione.

Sicut eccleſiaſticæ cenſuræ vinculum ad medelam inventum, ut ſanum efficiat languidum, quem coercet publice notum, fieri conſuevit: ita beneficium abſolutionis, quæ ligato impenditur, expedit notum eſſe; ne non vitandus, in ſui contumeliam vel ſcandalum ab aliis evitetur. Proinde ſtatuimus, ut cum aliquam excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti ſententiam, contigerit relaxare: mandet alicui, ut relaxationem hujuſmodi publice nunciet locis & temporibus opportunis.

XXX. De inſtitutionibus & collationibus.

Chriſtianæ religionis veritas ita pleroſque in ſuorum cordium elatione reliquit, ut cum animæ ſuæ curæ vix unuſquiſque ſufficiat, ipſi ſe plures eſſe mendaci ſtatera penſantes, non ſolum unius beneficii ſuper multos intrepide curam ſuſcipiunt, in quo quandoque nec reſident, nec ad ſacros ordines ſe faciunt promoveri, quos ipſius beneficii cura requirit; ſed multas ſuper innumeras curas ſibi congregant impudenter, & per vanitates & inſanias falſas ambulantes, miſeras animas, quas curandas acceperunt, neceſſario negligunt, cum onus tale implere ipſa facti impoſſibilitate non poſſunt. Sane hos carni contra ſpiritum, & adverſus Deum & proximum, aſſiſtentes, & quaſi de induſtria recedentes a Deo, dum ſeipſos in manibus diaboli præcipitant manifeſte, animas Chriſto auferunt, & pauperum alimonias in uſus ſuperfluos, ne dicamus in malos, nefanda perverſitate convertunt, a tantis irruere * periculis, ſanctorum patrum, Romanorum pontificum, & ceterorum ſuper his authoritatem gerentium, conſtitutiones, tam antiquis retro temporibus, quam modernis, multiplici ſolicitudine laborarunt. Quorum labor etſi meritorius fuerit iis, qui vineam Domini fideli exercitio coluerunt, quibus virtus fuit, etiam male uſis materiam miniſtrare virtutis: multis tamen in hoc profanæ cupiditatis ardore ceſſantibus, laboris hujuſmodi profectum invenimus defuiſſe, qui, præter clavem diſpenſationis apoſtolicæ ſedis, pluralitatem beneficiorum, eccleſiaſticorum, animarum curam habentium, non ſolum de manu prælatorum male ſuſcipere, verum etiam authoritate propria, violentiaque majorum, damnabiliter occupare præſumunt, & temere per excogitatas malitias & ſubterfugia detinere.

Ex his autem dicere non ſufficimus, quanta mala proveniunt. Eccleſiæ namque maculatur honeſtas, adnullatur authoritas, fides Chriſti proſternitur, caritas exulatur, ſpes pauperum deperit, eo quod vident apertum diviti vel potenti, quod intret, omne beneficium vacaturum, quod ſuum non eſt. Miſer peccator & cæcus, rectorem ſe jactans, non tam recipit, quam furatur. Inter ipſos quoque divites contentiones & ſcandala oriuntur, lites & odia confoventur. Digne etiam ſuper hujuſmodi regnorum homines Divinæ indignationis exarſiſſe in ignem, & aliquorum delicta in omnes miſiſſe vindictam, ex hoc præcipue formidamus: & dum nihil aliud ita periculis plenum conſpicimus, talia vel graviora & pertimeſcimus in futurum, niſi Dei miſericordia nos deſpiciens, correctionis apponat remedium ſalutare. Volentes igitur, circa peſtiferum hunc & vix incurabilem * morbum, officii noſtri diligentiam adhibere, & tota, quantum in nobis eſt, virtute curare: prædicti quoque legati conſtitutionem ſuper his editam, ipſius inhærendo veſtigiis, adjuvantes, adjiciendo præcipimus: ut de præteritis ante hanc noſtram conſtitutionem circa beneficiorum cum cura pluralitatem, nec non contra illos, qui prout debent, in beneficiis ſuis non reſident, nec ordinem ſacrum recipiunt, quem ipſius beneficii ſui cura requirit, commiſſis, prælati ſinguli ſine ulla diſſimulatione diligenter inquirant, & in illis faciant ſtatutum generalis concilii efficaciter obſervari.

Archiepiſcopi etiam ſuper præmiſſis diligenter inquirant in provincialibus conciliis ſuis, & negligentes corrigant, ut tenentur, cum de his in diſtricto Dei judicio rationem reddere teneantur. In poſterum autem, cum ad beneficium curam habens animarum, quenquam præſentari; aut ipſius collationem alias fieri debere contigerit: ſtatuimus, ut prælatus, qui circa hoc ſuum gerit officium, prius de vita & converſatione præſentati & inſtituendi, ac de aliis, quæ jura præcipiunt, inquiſitione præmiſ-

* *Corr.* cruere.

* *Corr.* vix curabilem

ANNO CHRISTI 1268.

missa inquirat. Hoc quoque vigilanter discutiat & perquirat, utrum habeat præsentatus, vel instituendus hujusmodi, personatus, seu alia beneficia curam animarum habentia: & si quidem habet, an illa cum dispensatione, vel absque tenuerit: quam si habere se asserat, illam infra terminum a prælato statuendum, post assertionem hujusmodi, ipsi prælato exhibere procuret: alioquin extunc nullatenus admittatur. Quod si alias institutus fuerit, nulla sit institutio ipso jure. Dispensatione vero exhibita, ipse prælatus provide consideret, an ex vi dispensationis ipsius, aliud vel alia, cum jam habitis, valeat obtinere. Quod si eum plura beneficia sine dispensatione habere vel habuisse comperit: ipsum ad id, de quo agitur, aliquatenus non admittat. Hoc idem observans, si exhibita dispensatio non ad futura, sed tamen * ad præterita se extendat: nisi prius in hoc casu instituendus ipse præstet corporaliter juramentum, quod habita possessione beneficii, in quo instituitur, statim alia beneficia, quæ prius habuit, sine difficultate dimittens, de illis, per se, vel alium, extunc nullatenus se intromittat. Quod si facere præsumpserit, præter notam perjurii quam incurrit, habitis & habendis ipso jure noverit se privatum.

Corr. sed ntum.

Postquam autem, secundum ea, quæ diximus, quisquam fuerit institutus, illico prælatis in regno eodem constitutis, in quorum diœcesi consistant priora beneficia, quæ habebat, necnon patronis ipsorum quod gestum est, si commode poterit, denunciet institutor: ut sic de beneficiis ipsis, quæ ad eos spectare videntur, disponant. Et nihilo minus nomina beneficiorum ipsorum conscribens, in proximo tunc provinciali futuro concilio, ea denunciet: in quo videatur, qualiter sit de ipsis beneficiis ordinatum, & ut appareat, utrum institutus verum dixerit, qui prius dixerat se alia beneficia non habere. Quod si prælatus instituens secus egerit, institutionem factam revocet infra mensem: alioquin a collatione & institutione ad ipsum in quibuscumque beneficiis spectantibus, quousque revocaverit, sit suspensus. Cum * qui a se reprobatum crimen incurrit, merito culpa redarguit: & in quo alium judicat, seipsum condemnat, dum in eodem ipse reprobus invenitur. Hanc, Apostolo dicente, fugiendam labem in prælatis ecclesiæ detestantes, firmiter inhibemus, ne prælatus, qui præsentatum sibi ad vacantem ecclesiam, ob defectum sacrorum ordinum, recusat admittere, alii eandem ecclesiam conferat, qui defectum hujusmodi patiatur: ne sic videatur potius acceptasse personam, quam justitiam dilexisse. Quod si fecerit, ejus collatio vel institutio ipso facto sit invalida, & nullius momenti penitus censeatur.

f. cum

XXXI. De commendis ecclesiarum.

Miserabilis humanæ dignitatis casus, ita concupiscentiæ fræna laxavit, ut (a) recusatio * acumen rationis, & circa mala statutæ irascibilitatis, virga conjuncta, nihil putetur iniquum, quod in explebilia vasa cupiditatis videatur influere, nihil inhonestum, quo avaritiæ paretur cibus, esuriem non minuens sed augmentans. Hi si animos simplicium obsident, dolendum est in uno genere hominum, qui laici idcirco dicuntur, quod popularibus sunt ministeriis derelicti. Sed in illis, quibus Dominus pars est hæreditatis eorum, qui hæreditatis suæ restitutionem sibi debent a Domino præstolari, qui ducatu suo regere alios & gubernare tenentur: hoc tanto amarius & acerbius flenda conspicimus, quanto iniquius committuntur in illis, & periculosius tolerantur. Sane inter adinventiones eorum, qui fraudes contra suas animas moliuntur, hanc maxime comperimus, Divini & humani juris præsidia confundentem: quod, cum una ecclesia unius debeat esse rectoris, sicut & ratio dictat, & multiplicis juris statuta declarant, quidam tamen rationis expertes, vel juris regulas contemnentes, dum ad plurium ecclesiarum occupationem, velamen aliud non habentes quomodo ditari festinant, vacantes ecclesias sibi commendari procurant, amplectentes juris verba, non sensum, quod aliquando permittit unam haberi ecclesiam intitulatam, & aliam commendatam. Et cum juxta sanum intellectum, propter necessitatem vel utilitatem vacantis ecclesiæ, jus commendationis, non tam præceptoriæ, quam permissivæ, fuerit introductum: ipsi ad cupiditatis suæ lucrum omnia convertentes, in ipsarum ecclesiarum dissipationem, non solum unam, sed plures recipiunt commendatas.

Locus corruptus. * *f.* recuset regimen

In-

(a) recusso acumine rationis, & contra mala statuta. *Wilkins.*

ANNO CHRISTI 1268. *Corruptus locus ut & infra.*

Inter multa vero pericula, quæ ex A pestifera factione proveniunt, advertimus ecclesiarum (*a*) dispendia, rerum spiritualium negligentiam & contemptum (*b*) iterum misceri, suscipientis casum in malum suum, quæ aliena esse debuerant congregantis; aut in proprios luxus & pompas superbiæ profundentes, quæ sunt ad pauperum alimonia constituta. Hæc autem pro mole peccati, furta, rapinas, & filii in conspectu patris victimationem excedere Divini juris testimonio comprobantur: nec præterit Divinum intuitum cæcitas B concedentis, qui, dum ecclesiæ commodum prospicere debet, personam hominis accipit, cui non tam curandam ovem committit, quam miserabiliter devorandam. Quia igitur nec timorem Divini judicii, nec sacrorum canonum intentionem, ad coercitionem talium sufficere, illi etiam proficere nunc usque videmus: nos, & animarum saluti, & ecclesiarum statui & indemnitati, diligentia, qua possumus, ex officii nostri debito, prospicere cupientes, universas ecclesiarum commendationes ha- C ctenus quibuscumque factas, nisi ex evidenti utilitate, unius tantum ecclesiæ commendatio facta sit, penitus revocamus: & ipsas extunc vacantes decernimus: eis, ad quos ipsarum collatio vel ad eas præsentatio spectat, districte mandantes, ut infra duos menses post præsentis constitutionis nostræ publicationem, conferant seu præsentent: alioquin, ipsarum collatio ad sedem apostolicam devolvatur.

In posterum autem inhibemus, eccle- siam quamlibet commendari, nisi justa D causa & legitima id expoſcat. Et ut omnibus versutiis, adinventionibus, & fallaciis occurramus: statuimus, ne cuiquam ultra unum cum cura animarum beneficium obtinenti, ecclesia commendetur, neque plures ecclesiæ alicui personæ valeant commedari. Quod si contra ea, quæ salubriter hac nostra provisione statuta sunt, ecclesiæ commendationem a quoquam, & cuiquam in locum nostræ legationis fieri contingerit: ipsam, & quicquid ex ea E secutum fuerit, ipso jure decernimus non valere. Episcopus vero, qui commendationem contra præmissa fecerit, donec revocaverit, ipso facto a collatione seu præsentatione beneficiorum quorumlibet sit suspensus.

ANNO CHRISTI 1268.

XXXII. De confirmatione episcoporum.

Pastoralis sedis eminentia .... indignes gratiæ Divinæ muneribus, ut pastor mundus in se ambulet coram Deo in meritum & in conspectu populi ad doctrinam. Inter alia, quæ de pontificum electione sacri canones providerunt, illud sibi præcipuum vendicat, ut talis ad eam persona conscendat, quæ nullis, quantum humanitus possibile est, sit maculis denigrata. Quorundam igitur ignorantiam vel negligentiam, aut dissimulationem, quæ circa electorum confirmationes frequenter habetur, vel etiam procurant, * ex officii nostri debito, diligentia qua pos- sumus corrigentes, statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, ut cum electionis episcopalis confirmatio postulatur, inter cetera, super quibus inquisitio & examinatio procedere debet, secundum canonum statuta, illud exactissime inquiratur, utrum beneficia plura cum animarum cura, qui electus est, antequam eligeretur, habuerit: & si habuisse inveniatur, an cum eo super hoc fuerit dispensatum; & an dispensatio, si quam exhibuerit, vera sit, & ad omnia beneficia, quæ obtinuerit, extendatur. Quod si in aliquo præmissorum, is ad quem confirmatio spectat, electum deficere, sua discussione compererit: eidem nullatenus munus confirmationis impendat.

* *f.* procuratur.

XXXIII. De iis, qui tempore electionis dimittunt beneficia, & postea ea recipiunt, si eos eligi non contingat.

Ambitionis vitium in ardore sitis æstuans, dum nec Maria optimam partem amplectitur, nec ad Marthæ ministerium in frequentiam profectus aspirat, sed pro dominandi libidine ad omnem eum ducentem tramitem detorquetur: abjecto rationis intuitu fas & nefas improba temeritate permiscet. Sane illud interdum evenire didicimus, ut cum, vacante sede, quam quis ascendere concupiscit, ipse metuens se obtentorum beneficiorum pluralitate in suo desiderio posse deficere, ipsa beneficia resignat, immo penes eum, ad cujus collationem spectant, detestabili quadam fictione deponit, ut si eum eligi non contingat, eadem beneficia, quasi deposita, postmodum reassumat. Contra

(a) rerum dispendia.
(b) dum miseri cupientes casum in malum suum, quæ aliena esse debuerant congregantes &c.

ANNO CHRISTI 1268.

tra hoc ergo tam abominabile collu- A dium, & ſanctum, & Deo placens obſtaculum opponentes, diſtrictius inhibemus, ne cuiquam de cetero taliter ſua beneficia reſignanti, eadem reſtituantur, nec quaſi de novo aliquatenus concedantur, ſed tanquam ad vacantia de perſonis aliis canonice ordinetur. Quod ſi hujuſmodi reſignanti beneficia, ipſa vel aliquid ex eis, fuerint reddita, vel conceſſa: redditionem & conceſſionem in eum factam invalidam decernimus & inanem. Qui vero taliter in ſuis manibus reſignata, poſtmodum B ſcienter ea contra præmiſſa contulerint, aut ipſum reſignantem inſtituerint in eadem: ſi quidem epiſcopus fuerit, a pontificalium indumentorum uſu; alius vero prælatus inferior, ab officio ſint ſuſpenſi, donec illud duxerint revocandum.

XXXIV. De iis, qui pactiones faciunt cum iis quos præſentant.

Quia plerumque evenire didicimus, quod cum ad vacantem eccleſiam fue- C rit præſentatio facienda, is, qui præſentandus eſt, prius cum patrono, de certa ſumma ex bonis eccleſiæ ſibi annuatim ſolvenda, paciſcitur; & ſic pactus, ad eccleſiam præſentatur; nos huic actui tam ſimoniæ vitium, quam eccleſiæ diſpendium ingerenti, occurrere intendentes, univerſas promiſſiones & pactiones hujuſmodi penitus revocamus, & eas inpoſterum fieri diſtrictius inhibemus; & ſi factæ fuerint, vires aliquas decernimus non habere. Penſiones D autem omnes, eccleſiis parochialibus hactenus impoſitas revocamus: niſi qui eas obtinent, ſeu percipiunt, præſcriptione legitima, vel ſpeciali privilegio, aut certo jure alio ſint muniti.

XXXV. Quod negotiationes non fiant in eccleſiis.

Omnipotens Dominus, qui cum propter peccata noſtra nobis iraſcitur, non obliviſcitur miſereri, ſciens ſe poſſe ac debere placari per contritorum & E humiliatorum orationes & gemitus: templa & oratoria conſtrui voluit, in quibus convenientes fideles abſtracti a cunctis exterioribus actibus, & ſeipſos, clauſis corporis ſenſibus, in ſuis conſcientiis colligentes, per oblationes & hoſtias, & præcipue per ſacrificia contriti cordis, & orationes, quibus Deo conjungimur, iram juſti judicis mitigarent: ut, in miſericordiam converſa juſtitia, peccatores juſte non conſumantur pro meritis, ſed per clementiam creatoris unanimiter miſericordiam conſequantur. Hoc ipſe Dei filius, quam acceptum ſit ſibi, verbis & operibus indicavit, eccleſiam, cum ſit domus orationum, ſpiritualiter aſſerens domum ſuam eſſe: non negotiationis, ſed orationis domum voluit nominari; tantum abhorrens in templo negotiationum commercia exerceri, ut, de funiculis facto flagello, vendentes & ementes de templo ejiceret, licet in eo illa, quæ ad uſum ſactificiorum erant neceſſaria, venderentur. Aperte ſignificans, quam deteſtandum ſit illorum delictum, qui mercata in eccleſiis faciunt & negotiationes exercent, de domo Dei, ſpeluncam latronum & domum diaboli facientes, cum in hujuſmodi contractibus ſe ad invicem decipiant vel intendant decipere contrahentes. Ea propter diſtrictius inhibemus, & inhibendo ſtatuimus, ut in eccleſiis quibuſcunque noſtræ legationis, nullus de aliquibus rebus venalibus mercatum teneat, nec ullam prorſus negotiationem præſumat exercere. Archiepiſcopis, epiſcopis, & aliis eccleſiarum prælatis, in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter injungentes, ut hoc ſalubre ſtatutum per cenſuram eccleſiaſticam ab omnibus inviolabiliter faciant obſervari.

XXXVI. Quod fiat proceſſio pro pace regni & terræ ſanctæ.

Juſtus & miſericors Dominus, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, hominum peccata quandoque punit temporaliter, ut æternaliter non condemnet; juxte viſitat & miſericorditer affligendo caſtigat, ut convertantur ad Deum, & non pereant peccatores. Unde quando peccata noſtra dividunt inter nos & Deum noſtrum, ipſe languores, peſtilentias immittit & fames, & bella exoriri permittit, diſſenſiones & guerras, & alia multa mala, quibus inceſſanter, peccatis eorum exigentibus, homines affliguntur. Ex hoc ſiquidem regnum Angliæ inclytum, quod pacis pulchritudine gaudere ſolebat, guerris, diſſenſionibus, & bellis afflictum eſt multipliciter temporibus iſtis & miſerabiliter deſolatum: &, quod pudori & dolori eſt toti populo Chriſtiano, terram ſanctam, in qua ipſe Dei filius ſalutem humani generis operatus eſt, tradidit in manibus hoſtium nominis Chriſtiani, ut, propter delicta noſtra, nos terræ tam ſanctæ habitatione indignos oſtendens, populum Chriſtianum ad bellandum bellum

ANNO CHRISTI 1268.

suum exerceat ad salutem. Ipse vero Dominus, qui, quos diligit, arguit & castigat, qui vulnerat & medetur, conversus ad orationes fidelium ad se revertentium misericordiam in iram non continens; sed cum justus iratus fuerit, misericordiæ recordatur, ut pestilentiis & malis cessantibus, afflictis consolationem tribuat, & languidis sanitatem restituat, & discordibus unitatem. Ea propter antiqui patres deliberatione provida ordinarunt, ut certis temporibus processiones publicæ fierent & solemnes, in quibus conveniens fidelium populus, visitatione Domini castigatus, & eo zelo devotionis accensus, orationibus ad miserandum Dominum provocaret; & ne vitio ingratitudinis arguatur, de collatis beneficiis Deo grates exhibeat & laudes exsolvat. Quos nos digna æmulatione sequentes, statuimus & præcipimus, ut in omnibus terris legationis nostræ, quolibet anno in crastino octavarum Pentecostes, fiat una processio publica & solemnis; in qua convenientes fideles, tam religiosi quam sæculares, de pace misericorditer restituta Deo gratias exsolventes, orent ad Dominum, ut ipse converso furore suo, regnorum & terrarum ipsarum gubernacula dirigat: pacem fidelibus tribuat, & restitutam concordiam continuet & confirmet: terram sanctam, quam suo proprio sanguine rubricavit, ad laudem & gloriam nominis sui restituat cultui Christiano.

XXXVII. De legendis constitutionibus singulis annis.

Honoris ecclesiastici conversatio, ecclesiasticæ fidei unitatem, & meritum præbens & augens, gratiam & paeem adquirit a Domino populis Christianis: & apud misericordem patrem, pro sanctæ matris ecclesiæ reverentia, placabilia, & exauditione digna facit vota justorum. Ex diverso vero diversa & contraria prorsus eveniunt, ut fidem & unitatem scindant; conculcata religio iram & indignationem omnipotentis Dei effundat super populum exlegem, per sua desideria, naufragantem, & inexorabilem reddat misericordis Dei pietatem. Proinde ad conservandos hujusmodi positos a Domino, super custodias gregis sui, archiepiscopos & episcopos salubriter excitamus, & eis in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, ut ad ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum tuitionem, seu custodiam solicite invigilent, & intendant circa reformationem ipsarum; pastoralem curam & operam ac intentam diligentiam apponentes, per quæ ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ plurimum ad restaurationem & conversationem poterunt adjuvare. Contra eos vero, qui in his eorum jurisdictionem & opus impedire tentaverint, sanctorum patrum Romanorum pontificum, & nostras constitutiones circa talia promulgatas observent & faciant observari, sub pœnis, quæ in eisdem constitutionibus exprimuntur. Ne autem ignorantia constitutionum ipsarum ab earum observatione quemquam possit avertere: præcipimus universis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, exemptis, & non exemptis, necnon cathedralium ecclesiarum capitulis, ut omnia statuta, quæ in hoc nostro sunt concilio promulgata, in scriptis habeant, & ipsi archiepiscopi & episcopi eadem in suis synodis, singulis annis, de verbo ad verbum, perlegi faciant diligenter.

XXXVIII. De monachis, & canonicis regularibus, & monialibus.

Regnum cœlorum mansionibus, teste veritate, distinctum, de mundo isto quasi de torculari sibi exprimit & colligit incolas, per varias incedentes virtutum semitas, & extra mundi contagia per diversos cancellos pœnitentiæ salientes, mansionum cœlestium tabernacula variis præmiorum stipendiis ingressuros. Inter omnes hujusmodi, sanctum & Deo proximum ordinem monachorum, per virum illum venerabilis vitæ gratia & nomine Benedictum, docente sancto Spiritu, institutum & elevatum ad charismata meliora, quanto per altioris vitæ gradus a diebus antiquis de terrenis triumphantem accendimus, regnum Dei sancta violentia rapientem; tanto cura nobis major incumbit illius reservare decorem, munire sanctimoniam, & mansiones* per angelos malos præcludere, atque illatos ab hostibus gladio & insidiis sanare languores. Quoniam igitur hæc sancta religio, solutis aliquibus constantiæ nodis in luxum labentem ad tramites latitudinis, quæ ducit ad mortem, miserabiliter declinavit: occurrimus sub Divino consilio & spe cœlestis adjutorii, ut officii nostri debito circa opportunam reformationem salubriter insistamus.

* *Lege*, immissiones. *H.*

XXXIX. De professione facienda.

Sane bonæ memoriæ Otho, S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis apostolicæ sedis legatus, inter alia

ANNO CHRISTI 1268.

alia de ſtatu monachorum provida deliberatione conſtituit, ut quicunque eſt in monaſterio ad probationem admiſſus, profeſſionem incontinenti faciat, anno probationis elapſo, aut exeat de eodem. Alioquin, abbas vel prior, qui aliquem ſine profeſſione ſuſtinuerit ultra annum, per præſidentes capitulo graviter puniatur: & novitius, qui ſic ſteterit, profiteri cogatur, & haberi debeat pro profeſſo. Nos autem, ut expreſſa & inſtans pœna coerceat quos dilata & tacita ſub confidentia impunitatis non cohibet a delicto: adjicien-B do ſtatuimus, ut abbas, vel prior, ſeu abbatiſſa, cujuſcunque ordinis vel religionis exiſtant, qui novitium profiteri non fecerint, anno probationis elapſo, niſi canonico fuerint impedimento detenti, vel novitius ipſe monaſterium exierit infra menſem, tamdiu in omnibus ſextis feriis in pane & aqua jejunent, donec novitium ipſum fecerint profiteri. Nulli quoque novitio, antequam profeſſionem fecerit, aliquod officium ſeu miniſterium committatur; cum eo tempore ita regulari diſciplinæ C deditus eſſe debeat & intentus, ut ad alia divertere, ſibi valde nocivum, apertiſſime dignoſcatur.

XL. Quod conſtitutiones ſummorum pontificum legatur.

Porro, cum ignorantia, mater erroris, ita in incertum ducat, ut cæcus ambulans in tenebris, illius non prius damnum ſentiat, quam incurrit: antedictus legatus ſalubri conſtitutione decrevit, ut abbates & priores continue D poſt regulam ſcribi faciant conſtitutiones & ſanctiones ſummorum pontificum ad eos, & eorum ordinem præcipue pertinentes, quæ in compilatione domini Gregorii papæ IX. ſub infra titulis continentur: videlicet (a) de regularibus. cap. *Ex parte*: *Statuimus*: *Ne religioſi*. De ſtatu monachorum, cap. *Monachi*: *Cum ad monaſteriorum*: *In ſingulis provinciis*. *Ea quæ*. De ſimonia, cap. *Labes**. De ſententia excommunicationis, cap. *Monachi*: *Univerſitatis*: *Cum illorum abſolutio*: *De monialibus*. De fidejuſſoribus, E cap. *Quod quibuſdam*. De ſolutionibus, cap. *Si quorundam*. Nos autem adjiciendo ſtatuimus & diſtricte præcipimus, ut magiſtri novitiorum eos in regula beati Benedicti, vel S. Auguſtini, ſeu quacunque alia, doceant & inſtruant diligenter: ita ut quilibet monachorum & religioſorum regulam, quam *plene addiſcat, & quaſi corde tenus eam ſciat. Prædictæ vero conſtitutiones in ſingulis monaſteriis bis in anno, in principio ſcilicet adventus Domini, & in capite Quadrageſimæ, omnibus fratribus convocatis, in capitulo legantur.

ANNO CHRISTI 1268.

* *deeſt profitetur, aut ſimile quid dam.*

XLI. De proprietariis monachis ſeu aliis religioſis.

Quia vero in monachis eſt veluti idololatria quarumcumque rerum detenta proprietas, in cujus habendæ cæcationem facile inducuntur, & corruunt, diabolo ſuggerente: prædictus legatus ſimplici canonis præceptione contentus, ſtatuit, ut quilibet monachus de cetero proprium non habeat, & ſi habet, illud ſine dilatione reſignet. Quod nos efficacius proſequentes, ſtatuimus & diſtricte inhibemus, quod cujuſcunque ordinis abbates, & priores qui proprios abbates non habent, ſuper proprietariis bis in anno inquiſitionem faciant diligentem: quoſque tales invenerint, puniant ſecundum canonicas ſanctiones & regularia inſtituta. Quod ſi ipſi abbates & priores hoc implere neglexerint: ipſo facto, ſuis adminiſtrationibus ſint ſuſpenſi, donec præmiſſa diligenter fuerint executi.

XLII. Quod non detur pecunia pro veſtibus & ceteris neceſſariis.

Et quidem ne proprietatis vitio ſuper dorſum peccatoris fabricandi occaſio ſatanæ offeratur, & ipſi homini detur habilitas delinquendi: ſtatuimus, ut cum quiſpiam monachorum ſeu aliorum religioſorum veſtibus, calceamentis, vel aliis vitæ neceſſariis indiguerit is, qui ſuper iis miniſtrandis gerit officium, pecuniam ſive denarios non tradat pro re hujuſmodi taliter indigenti; ſed res ipſas, prout neceſſitas exegerit; ſubminiſtret. Si autem is, qui hujuſmodi præeſt officio, contra facere præſumpſerit, officio, in quo ſic deliquit & præſtitit materiam delinquendi, ſit privatus: & nihilo minus aliter ſuperioris arbitrio puniendus.

* *Non exſtat in capitulis.*

XLIII.

(a) Wilkins ſic legit: cap. *de regularibus*, cap. *ex parte tua*, & cap. *ſtatuimus*, cap. *ne religioſi*, cap. de ſtatu monachorum, cap. *Monachi*, cap. *Cum ad monaſterium*, cap. *in ſingulis*, cap. *ea quæ*, cap. de ſimonia, cap. *quoniam ſimoniaca labes*, cap. de Senten. excomm. cap. *monachi*, cap. *univerſitatis*, cap. *cum illorum abſolutio*, cap. de monial. cap. de fidejuſſor. cap. *quod quibuſdam*, cap. de ſolution. cap. *ſi quorundam*.

ANNO CHRISTI 1268.

XLIII. Quod soli non stent in ecclesiis & maneriis.

Monachos, seu canonicos regulares per maneria vel ecclesias solos morari, tam indecens, quam animabus eorum periculosum esse conspicientes, firmiter & districte præcipimus, ut abbates & priores, monachos sic manere non faciant, vel permittant: sed, si qui sint, eos, sine moræ dispendio, revocent ad conventum, vel sibi unum monachum studeant sociare. Alioquin, ipsi abbates & priores, ab officio, donec adimpleverint, sint suspensi. Quod si forte pauperes habeant ecclesias, quæ duobus non sufficiant exhibendis faciant illis per sæculares clericos deserviri, ut sic nec debitis ecclesiæ fraudentur obsequiis, nec regularis frangatur integritas disciplinæ.

XLIV. Quod non dentur maneria ad firmam monachis.

Ad firmam vero, quæ mercationis instar habet, alicui monacho dari manerium: ecclesiam, possessiones, vel alia quælibet bona, sive a proprio prælato, sive ab alio quocunque, districtius inhibemus. Quod si factum fuerit, præter pœnas antedicti legati, vel in aliis constitutionibus impositas, quicunque dederit firmam hujusmodi, singulis sextis feriis in pane tantum & aqua per unius anni spatium jejunet.

XLV. De esu carnium.

Ad hæc, quoniam regularis observantia, quæ per arctam viam ducit ad vitam, per carnis superbiam, laxatis habenis, multipliciter impugnatur: merito sancti patres carnem voluerunt ab esu carnium cohibere, ut ejus superbiam cohiberet parcitas, & per mundi abstinentiam carne devicta, spiritus gratiam Domino decantaret. Super his prænominatus legatus statuit, ut cum esus carnium sit monachis nigri ordinis, per regulam beati Benedicti, nisi in certis casibus & locis, nec non abbatum præsidentium eorum generali capitulo, interdictus: monachis, qui per abusum consueverunt vesci carnibus, abbates & priores loco hujusmodi vetiti cibi, juxta facultatem domus, alium competentem ministrare curarent. Nos autem adjiciendo firmiter & districte inhibemus, ut abbates, & priores abbates proprios non habentes, ac abbatissæ seu prioriſſæ ordinis beati Benedicti, circa esum carnium solicite & diligenter inquirant: & eos, quos in hoc invenerint delinquentes, graviter puniant, delicti & delinquentium circumstantias attendentes. Episcopi vero cum subjecta sibi monasteria visitant, de hujusmodi esu carnium fideliter discutiant & inquirant; & puniant, quos pœna invenerint indigere.

ANNO CHRISTI 1268.

XLVI. Ne aliqui religiosi utantur in refectorio aut in dormitorio pretiosioribus aliis.

Illud quoque ridiculosæ scurrilitatis opprobrium auferentes, quo monachi & alii religiosi quidam, se majores aliis æstimantes & ostentare volentes, vasis pretiosioribus uti contendunt: districtius inhibemus, ne quis monachorum, vel monialium, seu canonicorum regularium, scypho argenteo vel pretiosiore in refectorio, vel in aliis locis utatur, illum quasi proprium possidendo; aut in dormitorio, majore apparatu lecti, vel teguminis. Cum enim omnes pares sint, & sub sanctæ fraternitatis nomine coæquales: ridiculum est, ut alter majorem altero se ostendat, qui de hoc gloriari debet, ut ostendat ceteris se minorem.

XLVII. Quod semper in refectorio duæ partes remaneant.

Statuimus insuper & districte præcipimus, ut cum abbas vel prior vult aliquos in camera sua reficere, ita reficiendorum numerus moderetur, quod saltem duæ partes fratrum in comestione remaneant in conventu. In hoc vero apponant providentiam diligentem, ut sine personarum acceptione, nunc hos, nunc illos, ad refectionem vocent, quos magis noverint indigere.

XLVIII. De infirmis.

De infirmis, quibus humanitatis præbere præsidium caritas jubet, & pietas interpellat, districte præcipimus: ut prior vel superior claustralis, sæpe visitationis exercitium adhibens, circa ipsos vigilanter perquirat, qualiter ab infirmario procurentur. Si quos vero in hoc defectus invenerit, ipsos abbati vel priori denunciare festinet. Abbas autem seu prior, omnem defectum sine tarditate & negligentia circa id faciant emendari.

ANNO CHRISTI 1268.

XLIX. Quod nulli religiosi vendant vel assignent aliquas liberationes.

Volentes etiam ecclesiarum indemnitatibus providere illud vitium extirpamus, quod quidam abbates, priores, & alii ecclesiarum rectores, & custodes hospitalium, cupiditatis ardore, qui eorum corda vehementer inflammavit, interveniente pretio, plus personis, quam ecclesiis consulentes, ad certum tempus, seu ad vitam illorum, quibus fit concessio, certum quid, quod communiter liberationes appellant, vendunt & assignant, pro vitæ necessariis, diebus singulis, vel certis temporibus exsolvendis. Ex quo fit, ut in ecclesiis, hospitalibus, & monasteriis, in dictarum liberationum solutione gravatis, eorum, qui deberent ecclesiis & monasteriis deservire, ac infirmorum & pauperum, ad quorum sustentationem hujusmodi bona specialiter sunt assignata, numerus minuatur. Per quod ecclesiæ servientes debitis, & pauperes ac infirmi alimoniis defraudantur: in illorum, qui eas concedunt, animarum periculum & scandalum manifestum. Propter quod districtius inhibemus, ne unquam personis aliquibus hujusmodi liberationes vendantur: & si aliquæ ante hanc nostram constitutionem concessæ fuerint in perpetuum, vel ad tempus, resignantibus vel decedentibus illis, qui eas obtinuerunt hactenus, abbates & priores, rectores & custodes præfati, eas de novo eorum hæredibus vel aliis non concedant.

L. Quod servetur antiquus monachorum numerus.

Ceterum cum, juxta sapientiæ doctrinam, in multitudine populi sit dignitas regis; & in paucitate plebis, ignominia principis: nulla debet avaritia, nulla desideria, vel contemptus arripere, ne Regis regum cultum attenuet colentium paucitas, & contra multiformis nequitiæ hostem minuatur exercitus bellatorum. Ideoque statuimus & districte præcipimus, ut in singulis monasteriis, & in iis præcipue, quæ sunt ecclesiæ cathedrales, servetur antiquus numerus monachorum.

LI. De ratione administrationis reddenda.

De prælatis autem & ministratoribus atque officialibus illud statuimus: ut abbates, & priores, abbates proprios non habentes, saltem semel in anno, præsente toto conventu, aut aliquibus de senioribus & prudentioribus, ad hoc a capitulo deputatis, reddant de statu monasterii & administratione sua plenarie rationem. Si quis vero abbas vel prior statutum hujusmodi neglexerit observare: ipso facto, donec id satisfecerint, a suis administrationibus sint suspensi.

ANNO CHRISTI 1258.

LII. Quod religiosi non emant, vel vendant.

Venalium commercia rerum, quibus cupiditas dandi minus, vel plus recipiendi, expetit captiones, vix aut nunquam sine interventu peccati, etiam inter laicos fieri dignoscuntur: quanto magis eorum manus, qui sanctæ religionis habitu & observantia sunt a terrenis actibus elevati, sordidum & fœdum existit a talibus inquinari! Hoc igitur contra illos, quasi abominabilem lepram, officio debitæ solicitudinis insequentes, arctius inhibemus, ne monachi vel moniales, aut religiosi quilibet, cujuscunque religionis existant, mercationes, quæ in emendo, vel vendendo consistunt, in nundinis, mercatis, vel alias, audeant in quibuscunq; rebus aliquatenus exercere. Alioquin, non solum ii, qui fecerint, verum etiam ii, de quorum mandato processerit, ipso facto ab officio sint suspensi: quæ suspensio nullatenus relaxetur, quousque satisfecerint de præmissis. Quæcunque vero contra monachorum statum, & conversationem superius sunt statuta: in monialibus, quæ in eadem quoque professione censentur, æque volumus & præcipimus observari.

LIII. Quod moniales ad certa loca non exeant.

Moniales Deo dedicatæ, quæ abnegantes se ipsas, & renunciantes sæculo, soli Christi servitio se perpetuo manciparunt, omni custodia servare se debent, & portas sensuum obserare, ne unquam introitus pateat maligno spiritui, ex quo eis vel aliis in pravorum desideriorum ardore, vel saltem levi cogitatione, detur occasio delinquendi. Ea propter in cœnobiis certa loca sunt deputata, quæ eas exire non convenit: ut possint Domino, cordis & corporis innocentiam conservare. Intrare enim debet oratorium monialis, in quo prudenter orando sibi provideat, ne aliquando in tentationem incidens, in delictum aliquod prolabatur: accedat ad capitulum, in quo juste puniat quæ commisit: intret dormitorium & refectorium

ho-

ANNO CHRISTI 1268.

horis suis, in quibus corpus ad sustentationem ne deficiat recreando, assistat sibi temperantia, ne ex refectionis superfluitate caro recalcitret & eam non deserat fortitudo, ut resistat fortiter tentationibus, dum quiescit. Sed ceteris horis moretur in claustro, in quo sic se claudat, & corporis sui sensus, ut inter se & mundum, chaos firmatum esse intelligens, & solum Deum oculis mentis aspiciens, aliquod præguſtet de æternæ vitæ dulcedine contemplando. Præmissa vero loca personis sæcularibus vacua esse præcipimus: ut ad ea non nisi ex necessaria & juxta causa, personæ sæculares accedant: & hoc non frequenter, sed raro, ne ex frequenti conversatione sæcularium, quies earum vel contemplatio perturbetur, vel saltem ad sæcularia, cogitatione vel desiderio, earum animus pertrahatur.

Eapropter illud statuimus, ut nunquam cum hominibus, vel aliquibus personis religiosis vel sæcularibus, nisi in publico & non suspectis locis, colloquium habeat monialis. Et ubi seriosum colloquium est habendum, monialis sola non conveniat ad loquendum, sed sibi ad minus monialis alia Deum timens, & in religionis observatione rigida, societur: quæ illos videat, & possit omnium, quæ per aliam facta fuerint, esse testis: nisi quando voluerit confiteri. Nunquam autem extra domum, nisi de suæ superioris permissu, cum aliquo homine comedat: nec tunc, nisi cum tali, qui tanta sit ei consanguinitate vel affinitate, seu alia honesta familiaritate conjunctus, & alias non suspectus, quod non liceat inter eos aliquod suspicari sinistrum. Alia vero loca, quam quinque præmissa, monialis sibi reputet penitus interdicta; ut ad ea nunquam accedat, nisi ad locum infirmariæ, vel ad alium ad hoc monialibus deputatum; in quo de licentia abbatissæ, seu prioriſſæ causa recreationis esse poterit, si debilitate, seu infirmitate detenta, vel ut ibi recreationem & infirmitatis remedia percipiat opportuna.

Ad officinas etiam, moniales, nisi illæ, quibus hoc ex officiis competit, non accedant: & illæ nunquam solæ, sed cum honesta societate, ut superius de aliis est expressum. Abbatissæ vero, & prioriſſæ, & ceteræ, quæ monasteriis præsunt, quocunque nomine censeantur, monasteria non exeant, nisi ex evidenti monasterii utilitate, seu necessitate urgente, & cum honesta societate. Ceteris vero inferioribus monialibus, nusquam, nisi justa vel necessaria causa, exeundi monasterium licentia præbeatur.

ANNO CHRISTI 1268.

Et tunc nunquam solæ ire, esse, vel morari extra monasterium permittantur: nisi tali moniali fuerit alias sociata, quæ sic probata in monasterio fuerit, quod de ipsa nihil siniſtrum valeat suspicari. In terris quoque nostræ legationis consuetudinem abolemus, qua moniales monasteria consueverunt exire, occasione processionum, quæ quandoque fiunt publicæ & solemnes: firmiter statuentes, ut occasione prædicta monasteria sua non exeant moniales; sed infra septa monasteriorum, processionum solemnia peragant temporibus, quibus consueverunt fideles in processionibus convenire. Nihilominus archiepiscopis, episcopis, & aliarum ecclesiarum prælatis, quibus visitandi officium de jure, seu consuetudine competit, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub obtestatione Divini judicii districte præcipimus, ut monasteria monialium, cum expedit, visitantes, quæ statuta sunt, faciant firmiter observari.

LIV. Quod monachi frequenter confiteantur, & frequenter celebrent.

Ad hæc, quia scriptum est, quod septies cadit justus in die, & quod nemo existens in mortali corpore sine crimine vivit: necessaria multum & utilis, est, præcipue religiosis, confessio, in qua omnibus, quæ Deum possent offendere, & illis conscientiam premunt cum cordis contritione discussis, & cum amaritudine recensitis, accedant cum securitate conscientiæ ad orandum, & ad offerendum hostiam immaculatam in altari. Propter quod statuimus, quod abbates, seu priores, seu subpriores eis absentibus, frequenter requirant saltem semel in mense, confessores monachis deputatos, de nominibus confitentium monachorum: ut sic illos qui non frequenter confitentur, graviter arguant, & ad confitendum inducant. Quod mandamus circa monachos constitutos in sacerdotio, qui non frequenter celebrant, observari.

Notæ Gabr. Cossartii S. J.

Summæ in Britannia fuit auctoritatis hoc concilium. Qua propter *magnum concilium* vocat Matth. westmonasterienſis; celebratum scilicet, ut ait idem, *præsentibus universis prælatis Angliæ, Walliæ, Scotiæ, & Hiberniæ*. Itaque ex illius decretis totius ecclesiæ Britannicæ consensu conditis, ecclesiastica constituta disciplina est: & ad usque Anglorum a Romana ecclesia defectionem instituta illa servata sunt. Hinc frequentissima in ecclesiasticis Britannorum libris mentio constitutionum Othonis, & Othoboni.

Anno MCCLXIX. concilium hoc perperam attribuit Parisii continuator, cujus chronologiam anno uno tardiorem esse solere, jam observavi ad concilium Bononiense anni MCCLXIV. Certe ante anni MCCLXVIII. finem e Britannia

nia Othobonus discesserat. Revocatus enim est a Clemente IV. & ab eo missus ad Castellæ regem, ut constat ex pontificis ipsius epistola, data x. Kal. Jul. quæ apud Raynaldum extat. Atque anno MCCLXVIII. prid. Kal. Decembr. Clemens pont. obiit.

Gravior est in Anglicana collectione lapsus, in qua hæc synodus anno MCCLXVIII. collocatur: cum præferat titulus & Clementem pontificem, qui anno MCCLXV. sedere cœpit; & Othobonum legatum, qui anno MCCLXVII. a Clemente in Angliam missus.

AD LONDINENSE CONCILIUM

AB OTHOBONO A. S. L.

Anno 1268. habitum.

ADDITIO.

„ LAtas in hoc concilio constitutiones ab Othobone tit. S. Hadriani Diac. Card. „ & A. S. in Anglia legato Labbeus quidem „ ex Spelmanno dedit. Præter eas vero de „ actis in hoc concilio nihil addit. Mearum „ ergo partium fore duxi, subjectam ejusdem „ synodi historiam ex vetusto chronico tradere; quam novimus Anglicanorum Concilio„ rum editor tomo II. pag. 1. suppeditat. „ Addam ex eodem variantia seu additamenta „ quædam ad capita nonnulla constitutionum „ Othoboni, quibus illa supplentur, que Lab„ beus ex minus forte integro codice exhi„ buit.

Ex chron. Wikes in hunc ann.

Anno, quo summi Patris unigenitus semetipsum exinanivit formam servi accipiens MCCLXVIII. optatæ tranquillitatis firmitudine in cunctis Angliæ finibus solidata, venerabilis pater Othobonus tunc legatus in Anglia, convocatis universis, & singulis regni prælatis tam majoribus, quam minoribus, qui quocunque prælationis titulo præsidere videbantur, annuente Christianissimo Anglorum rege Henrico, in quindenna paschæ, quæ ipso anno contingit VI. id. Aprilis in ecclesia cathedrali S. Pauli London. solemne concilium cum magnifica potestatis gloria celebravit, in qua constitutionibus ultimi prædecessoris sui Othonis sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconi cardinalis dudum apostolicæ sedis legati in Anglia summarie confirmatis, novas, quas ipsemet edidit, constitutiones, in conspectu multitudinis legi fecit in pulpito, & publice divulgatas inviolabiliter observari constituit, & earum copiam pontificibus exhiberi decrevit, eas a prælatis, qui tunc præsentes extiterant, & eorum posteris memoriter observandas: cumque quidam de pontificibus & aliis junioribus prælatis prospicientes, & si possent, præcavere volentes quasdam ex jam editis constitutionibus, quæ eorum jurisdictioni plerumque diminuere vel lædere viderentur, propter quod injuncta sibi eorundem observantiam eorum animos potissime titillabat, summi pontificis audientiam appellabant. At legatus diem crastinum præfixit appellantibus, ut interim deliberarent, an tota communitas appellationem interpositam prosequi vellet, vela proposito desilire; sed interim prælatos singulariter scisitatos prudenter alloquebatur, & sic eorum motus voluntarios obtundebat, ut omnes in crastino vel sponte, vel metu interjectis appellationibus resilirent. Legatus autem omnibus pro voluntate dispositis convocatæ multitudini licentiam tribuit ad propria repetandi.

ADDITAMENTA QUÆDAM AD CAPITA NONNULLA CONSTITUTIONUM OTHOBONI.

Ad Cap. XLIX.

In fine additur: quod si sint, qui contra hoc salubre statutum aliquid attentare præsumpserint; anathematis vinculo feriantur & nisi eas revocaverint ab officio sint suspensi.

Ad cap. L.

Ubi in Labbeo est nulla desideria; *Anglicana lectio melius emendat* nulla desidia.

CONCILIUM APUD PERTUM IN SCOTIA

AB OTHOBONO A. S. L.

Anno 1268. habitum.

OThobonus papæ legatus ad concilium in Anglia celebrandum citaverat clerum Scotiæ, qui per nonnullos procuratores comparens, statuta legati observare recusavit. Procuratores domum reversi cum reliquis episcopis & clericis Scotiæ, concilium generale, more solito, apud Pertam celebraverunt. Hæc sequentibus prosequitur verbis chronicon Passatense.

Anno sequenti (scil. 1268.) citati sunt per Othobonum legatum omnes episcopi, ut ad quindenam post Pascha coram eo ubicunque foret, comparerent ad suum concilium celebrandum. Similiter mandavit clero Scotiæ ut

vel abbates duos vel duo priores pro toto clero Scotiæ mitterentur. Attamen episcopi communi consilio pro se destinaverunt Richardum & Robertum Dunkeldensem, & Dumblanensem episcopos, ne quid ipsis absentibus in eorum præjudicium statueretur. Clerus vero reliquus pro se misit abbatem de Dumfermelin, & priorem de Landore. Legatus quoque nova quædam statuta tam de sæcularibus, quam religiosis personis Scotorum præcipue constituit, quæ penitus clerus Scotiæ observare recusarunt —— Abbas de Melros & magna pars conventus sui in concilio apud Perth celebrato solemniter excommunicatus, eo quod pacem de Wedal infregerit, & domos episcopi S. Andreæ violenter invadentes quendam clericum interfecerunt & alios plures vulneratos reliquerunt.

ANNO CHRISTI 1268.

ANNO CHRISTI 1268.

Collocari debuerat ante Londinense concilium.

S. LUDOVICI FRANCORUM REGIS PRAGMATICA SANCTIO.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut ecclesiarum prælatis, patronis, & beneficiorum collatoribus ordinariis, jura sua serventur.*
2. *Ut liberæ sint electiones ecclesiarum.*
3. *Ut simonia a regno eliminetur.*
4. *Ut promotiones & collationes beneficiorum fiant secundum dispositionem juris communis.*
5. *Ut libertates & privilegia ecclesiis & locis religiosis concessa, conserventur.*

LUdovicus Dei gratia Francorum rex, ad perpetuam rei memoriam. Pro salubri & tranquillo statu ecclesiæ regni nostri, necnon pro Divini cultus augmento, & Christi fidelium animarum salute; utque gratiam, & auxilium omnipotentis Dei (cujus solius ditioni ac protectioni regnum nostrum semper subjectum extitit, & nunc esse volumus) consequi valeamus: quæ sequuntur, hoc edicto consultissimo, in perpetuum valituro, statuimus & ordinamus.

CAPITULA.

I. Ut ecclesiarum prælatis, patronis, & beneficiorum collatoribus ordinariis, jura sua serventur.

PRimo, ut ecclesiarum regni nostri prælati, patroni, & beneficiorum collatores ordinarii, jus suum plenarie * habeant, & unicuique sua jurisdictio servetur.

* *al.* Plenarium.

II. Ut liberæ sint electiones ecclesiarum.

Item ecclesiæ, cathedrales, & aliæ regni, nostri, liberas electiones *, & earum effectum integraliter habeant.

* *In codice MS. colegii Navarr. additur*, promotiones, collationes.

III. Ut simonia a regno eliminetur.

Item simoniæ crimen pestiferum ecclesiam labefactans, a regno nostro penitus eliminandum volumus & jubemus.

IV. Ut promotiones & collationes beneficiorum fiant secundum dispositionem juris communis.

Item promotiones, collationes, provisiones, & dispositiones prælaturarum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum & officiorum * ecclesiasticorum regni nostri, secundum dispositionem, ordinationem: & determinationem juris communis, sacrorum conciliorum ecclesiæ Dei, atque institutorum antiquorum sanctorum patrum, fieri volumus & ordinamus.

* *al.* Beneficiorum ecclesiasticorum, & officiorum regni nostri.

V. Ut libertates & privilegia ecclesiis & locis religiosis concessa, conserventur.

Item libertates, franchisias, prærogativas, jura ac privilegia, per inclytæ recordationis Francorum reges prædecessores nostros, & successive per nos, ecclesiis, monasteriis, atque locis piis, religiosis, nec non personis ecclesiasticis, regni nostri concessas, & concessa, innovamus, laudamus, approbamus.

Mandatum de exequendo.

Earum tenore universis justitiariis, officiariis, & subditis nostris, ac loca tenentibus, præsentibus & futuris, & eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, districte præcipiendo mandamus: quatenus omnia & singula prædicta diligenter & attente servent, teneant, & custodiant, atque servari, teneri, & custodiri inviolabiliter faciant, nec aliquid in contrarium quovis modo faciant, vel attentent, seu fieri, vel attentari permittant; transgressores, aut contra facientes tali pœna plectendo, quod ceteris deinceps cedat in exemplum. In quorum omnium & singulorum testimonium, præsentes litteras sigilli nostri appensione muniri fecimus. Datum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, mense Martio.

G. C. Sic edita est in bibliothecis patrum hæc pragmatica, Editiones ejusdem aliæ sunt, in quibus sunt capitula sex, addito uno, quod ibi quintum locum obtinet, quinto nostro sextum in locum rejecto. Sic autem se habet.

Item

ANNO CHRISTI 1268.

Item exactiones & onera graviſſima pecuniarum, per curiam Romanam eccleſiæ regni noſtri impoſita, vel impoſitas, quibus miſerabiliter regnum noſtrum depauperatum extitit, ſive etiam imponendas vel imponenda, levari, aut colligi nullatenus volumus: niſi dumtaxat pro rationabili, pia, & urgentiſſima cauſa, vel inevitabili neceſſitate, & de ſpontaneo & expreſſo conſenſu noſtro, & eccleſiæ regni noſtri.

HENR. SPONDANI EPISC. APAMIENSIS
Nota in poſtremum hoc capitulum.

Ex tomo I. continuationis annal. eccleſ. anno 1268.

Hoc ſane etſi non abnuamus vere nec injuſte a Rege fuiſſe ſtatutum, haud tamen videmus quomodo a pleriſque contra Romanam ſedem contorqueatur, cum non conſueverit illa, nec certe conveniens ſit ut agat, abſque regum & principum conſenſu onera eccleſiis imponere: & alioqui ne adeo videatur hæc Ludovici prohibitio cohærere cum iis, quæ leguntur in * quodam chronico, provincias Remenſem, Senonenſem, & Rothomagenſem, audito quod Rex peteret a pontifice decimam in ſubſidium terræ ſanctæ querelas in eum ad Clementem pontificem miliſſe, quibus petierunt ne quid ejuſmodi Regi concederetur: Regem vehementer inde exaſperatum ad papam contra illos ſcripſiſſe, ac papam illis auſtere acceptis, decimam regi ad triennium conceſſiſſe, (de cujuſmodi conceſſione dictum eſt anno ſuperiori.) An dicemus ſanctum regem invidiiſſe Apoſtolicæ ſedi de bonis eccleſiæ, quod ſibi tanta aſperitate petebat? procul dubio ſi ſingula geſta ex bono & æquo æſtimentur, non erit unde in mutuas amaritudines prorumpatur.

ANNO CHRISTI 1268.

* Chron. Normann. editum a Ducheſn.

CONCILIUM APUD CASTRUM GONTERII.

A Vincentio de Pilenis Turonenſi archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum anno MDCCLXVIII.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De invadentibus & occupantibus bona eccleſiaſtica.*
2. *De impedientibus juriſdictionem eccleſiaſticam.*
3. *Ut ſuſtinentes ſententiam excommunicationis ultra annum, careant eccleſiaſtica ſepultura.*
4. *Ne vacantes prioratus bonis omnibus denudentur.*
5. *Ne monachi extra abbatias vel prioratus depoſitum habeant.*
6. *De veſtimentis archidiaconorum & decanorum.*
7. *Ut epiſcopus in ſua diœceſi abſolvere poſſit, in caſibus, in quibus præſens concilium excommunicat.*
8. *Ut ſuperiora conciliæ obſerventur.*

CAPITULA.

I. De invadentibus & occupantibus bona eccleſiaſtica.

QUIA clericis laici oppido ſunt infeſti, univerſos ballivos, poteſtates, perſonaſque alias ſæculares, in generali per locorum ordinarios moneri præcipimus, & eis firmiter inhiberi, ne eccleſias, prioratus, domos, poſſeſſiones, & alias res eccleſiaſticas indebite occupent, vel invadant, aut in religioſorum domibus ponant comeſtores, quod in quibuſdam locis præſumptione damnabili aliqui ſæculares judices facere præſumpſerunt: & ſi qui, poſt monitiones & inhibitiones hujuſmodi, quidquam in contrarium facere præſumpſerint, excommunicationis ſententia innodamus.

II. De impedientibus juriſdictionem eccleſiaſticam.

Præterea nonnulli barones, milites, ballivi, & alii ſæculares homines, confœderationes, colligationes, ſeu conſpirationes faciunt contra eccleſiaſticam libertatem, maxime reſtringendo & diminuendo eccleſiaſticam juriſdictionem, & ſubditis ſuis, ne in foro eccleſiaſtico litigent, in his, quæ ad forum eccleſiaſticum de jure vel conſuetudine pertinent, inhibendo. Nos omnes hujuſmodi præſumptores per locorum quoſcumque ordinarios, aut de ipſorum mandato, in locis publicis, in generali moneri volumus & mandamus, ut infra duos menſes a tempore monitionis hujuſmodi revocent quicquid contra * hoc attentaverunt: & inhiberi ne in futurum talia attentare præſumant. Si qui vero in præmiſſis culpabiles exiſtentes, prædictis monitionibus & inhibitionibus parere contempſerint: nos auctoritate concilii ipſos extunc in ſcriptis excommunicamus.

* *al.* ſuper hoc

III. Ut ſuſtinentes ſententiam excommunicationis ultra annum, careant eccleſiaſtica ſepultura.

Sane quia multi ſuæ ſalutis immemores, excommunicationis ſententiam, per unum annum vel amplius, animo ſuſtinent indurato, abſolutionis beneficium uſque ad ægritudinem in qua decedunt, petere differentes: ſtatuimus,

ut

ANNO CHRISTI 1268.

ut talibus denegetur in morte ecclesiastica sepultura.

IV. Ne vacantes prioratus bonis omnibus denudentur.

Cum ex cupiditate, quæ radix est omnium malorum, videatur procedere, quod abbates seu priores, transferentes seu translati, prioratus vacantes cessione, morte, vel mutatione priorum, bonis in prioratibus inventis denudent: nos indemnitati locorum providere volentes, inhibemus, ne priores in suis translationibus, vel mutationibus, seu etiam abbates, prioratus, seu loca vacantia bonis mobilibus ibidem existentibus adeo denudare præsumant, quin sufficiens provisio prioribus & monachis ibidem morantibus usque ad tempus collectarum remaneat in prioratibus supradictis. Si qui vero contra statutum hujusmodi aliquid attentare præsumpserint: ad arbitrium illius episcopi, in cujus episcopatu deliquerunt, puniantur: diœcesano episcopo, in cujus diœcesi abbates vel priores ipsi consistunt, pœnæ hujusmodi impositionem ad illius requisitionem executioni mandante.

V. Ne monachi extra abbatias vel prioratus depositum habeant.

Item statuimus & ordinamus, quod omnes & singuli religiosi in propriis abbatis depositum habeant; alibi pecunias, vel thesauros quos habent vel habebunt in futurum, sine licentia, consilio, & assensu abbatum suorum, nullateuus deponentes. Et si in aliquo loco aliqua habeant depositum, ad proprium monasterium infra duos menses inducant. Illorum vero, qui statuti hujusmodi inventi fuerint transgressores, prædictæ pecuniæ & thesauri, ipsorum monasteriis applicentur.

ANNO CHRISTI 1268.

VI. De vestimentis archidiaconorum & decanorum,

Statuimus insuper, ut archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, infra jurisdictionum suarum metas, & aliis publicis locis ', deferant cappas clausas: alioquin super hoc per episcopos corrigantur.

VII. Ut episcopus in sua diœcesi absolvere excommunicatos possit, in casibus, in quibus præsens concilium excommunicat.

In omnibus autem casibus, in quibus excommunicationis sententias in præsenti concilio duximus promulgandas, cuilibet episcopo in sua civitate & diœcesi absolvendi excommunicatos hujusmodi post satisfactionem congruam in forma ecclesiæ, authoritate præsentis concilii damus liberam potestatem.

VIII. Ut superiora concilia observentur.

Concilia autem omnia & singula, tam per nos, quam prædecessores nostros hactenus celebrata, renovamus: & hujus authoritate concilii confirmamus.

Actum apud castrum Gonterii die Lunæ post festum beatæ Mariæ Magdalenæ, anno Domini MCCLXVIII.

FINIS TOMI VIGESIMI TERTII.

GTU LIBRARY
3 2400 00639 8717